UAB
Biblioteca de Ciències Socials

XXI-1

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS OCTAVUS

CONTINENS

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBROS TRES,

NECNON APPENDICES EX EJUSDEM PONTIFICIS OPERIBUS PETITAS.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE BARCELONA BIBLIOTECA FACULTAD DE MEDICINA

R.H.477

UAB Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTHACTIS OMNIBUS ADDITIONIBUS, CORRECTIONIBUS,

ET NOTIS AD ORDINEM REDACTIS.

ADDITIS INSUPER TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS,

QUE NUNC PRIMUM PRODEUNT.

Et plurimis aliis facilis locupletatis accessionibus, quæ Prælatio

Tomo primo præfixa multis docet.

TOMUS OCTAVUS

CONTINENS

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBROS TRES,

NEGNON APPENDICES EX RITUBUS PONTIFICIS

ET OPERIBUS EDITIS.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI.

M. DCC. LXXII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA

LECTORI.

EN habes, Lector benevole, novam celeberrimi Pontificis BENEDICTI XIV. Tractatus *de Sacrificio Missæ* editionem. Illud est Editoribus ferme omnibus in more positum, ut operis quod edunt præstantiam ante Lectoris oculos ponant, ipsiusque Auctoris Sapientiam gloriamque commemorent. Verum nos libenter ab hoc more recedimus, cum satis jam innotescat quanta Opus hoc, quod tibi exhibemus, doctrina eruditioneque refertum sit, suique Auctoris tanta sit fama, ut vel apud Heterodoxos summas laudes meruerit. Illud tantum hic te doctum volumus, quod in eo edendo præstitimus.

Editionem Romanam ante oculos semper habuimus, ut quæ cæteris omnibus castigatior. Præter eas vero appendices, quæ in eadem habentur, alias etiam adjecimus ex ejusdem Pontificis operibus, quæ post tractatum hunc prodiere, depromptas; nempe ex postremis Libris de Synodo Diœcesana, ex tertio, & quarto Tomo Bullarii &c. Adjecimus præterea Sacræ Rituum Congregationis Decreta, ad eumdem tractatum spectantia. Addidimus etiam alia pleraque, quæ ad eumdem tractatum pertinere, aliquamve ipsius partem illustrare cognovimus, quæ tibi eas appendices pervolventi facile occurrent.

Hæc te monere voluimus, Lector benevole, ut scias quanto editio hæc nostra sit cæteris omnibus præstantior; ac pro certo habe eamdem nos, qua in hoc opere edendo usi sumus, curam & diligentiam, in cæteris etiam BENEDICTI XIV. operibus edendis fore adhibituros. Vale.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

EX EPISTOLA

PRÆSTANTISSIMI ET SAPIENTISSIMI

PRÆSULIS CONIMBRICENSIS

Ad hujus Voluminis editorem, citata tomo VII. pag. CXV.

Significare tibi vix possum, quanta perfusus sim animi voluptate, cum prima volumina Operum BENEDICTI XIV. Pontificis vere Maximi, huc a te transmissa in manus habui, evidissimeque pervolvi. Equidem sic existimo, nihil præstari huic Regno utilius potuisse, quam eorumdem Operum copiam; in iis quippe quidquid sacræ doctrinæ, atque eruditionis est, tam splendide, tam apposite, tam sapienter collectum video, ut his solis voluminibus pene mihi stare videatur posse Catholica Religio, ac disciplina. Proh! quanta Sanctorum Patrum, quanta sacrorum Canonum, quanta Conciliorum Theologorumque, & quam profunda cognitio! Proh quæ sacræ vetustatis omnigena monumenta! Quæ legum, rituum, morumque Ecclesiarum fere omnium scientia! Quanta in exponendis sententiis perspicuitas! Quanta in agitandis eruditio! Quanta in statuendis soliditas, & consilium! Est ne quidquam ad sacram spectans eruditionem, quod in his libris pro dignitate non tractetur? Ærarium, mihi crede, ærarium in Theologicarum rerum omnium locupletissimum huc transmittis, sola hæc volumina transmittendo. Quare totius quodammodo Lusitaniæ nomine oro obtestorque te, ut quam citissime editionem istam expedias; præsertim vero Operis *de Sacrificio Missæ*, quod impensissime aveo, atque expecto, ut præclaram & utilissimam illius doctrinam, in eos omnes diffundam, qui divinitus curæ meæ commissi sunt &c.

Ex eodem tomo VII. pag. CXX. Quid dicam de eximia illa doctrina, quæ in præclarissimo Commentario *de Sacrificio Missæ* passim effulget?

JOAN-

JOANNI V.

LUSITANIÆ, ET ALGARBIORUM REGI POTENTISSIMO.

EMMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU.

SIngulari plane Divinæ Providentiæ consilio me Sacrorum Rituum studiis addictum esse video (REX Potentissime) postquam Jussu Tuo Romæ detentus sum, ut apud Congregationem Sacris Ritibus præpositam Postulatoris munus obirem; siquidem Summus Pontifex præcipua clementia, eximiaque benignitate me ejusdem Congregationis Consultorem renuntiavit; accessit deinde honor a Liturgica Academia Conimbricensi ad me delatus, quæ non solum meæ fidei celerem Operum SS. D. Nostri editionem concedere, verum etiam me ipsum in arctissimam studiorum societatem vocare non dubitavit. Cum vero me aliorum electione his studiis addictum considerassem, meas partes esse duxi rem aliquam moliri, qua de Republica litteraria benemereri possem. Igitur Liturgicum Thesaurum, qui jam sub prælo est, adornare instituí; animos quidem addente BENEDICTO XIV. quod quam sit magnum sapientibus nomen, vix est, qui ignoret. Nullus enim terræ angulus adeo ab hominum consuetudine semotus est, quo ille eruditionis suæ, atque innatæ erga litteratos viros benevolentiæ fama non pervenerit. Volui tamen, antequam opus aggrederer, ejus synopsin virorum doctissimorum per omnem ferme Europam oculis subjicere, qui illud universæ Catholicæ Ecclesiæ sane utilissimum fore, communi calculo arbitrantur. His me jam titulis huic disciplinæ addictum Moderatores mei nova quadam ratione eidem voluerunt esse devotum: Sacrisque Ritibus in hoc Gregoriano Lycæo Magistrum præfecerunt; ex quo factum est, ut qui omnes Sacros Ritus præcipiente ac docente BENEDICTO XIV. pro mea tenuitate utcumque in suas partes distribui, primus ipse forem, qui eosdem nova quadam methodo, certoque ordine explicarem. Illud vero mihi feliciter evenire gaudeo, quod cum juxta æquissimam Sacrorum Rituum partitionem de Sacrosancto Missæ Sacrificio primum agere oporteat, nihil mihi immorandum fuerit in seligendo lectionum mearum ordine, postquam variis hinc inde dubitationibus exortis Opera Sanctissimi Domini Nostri mature perpendi; siquidem Sanctissimus Pontifex adeo pie, erudite, copiose, eleganter, atque perfecte hoc argumentum tractavit, ut nihil ulterius requiri posse videatur.

Hæc omnia a Te (REX Potentissime) initium duxisse fateor, utpote qui primus mihi & hæc studiorum curricula aperueris, & ad eadem impigre decurrenda acerrimum Patrocinio tuo calcar admoveris. Æquum proinde est, ut ego hunc tibi librum a Summo Pontifice con-

conſcriptum, a me recuſum, & Auditoribus meis propoſitum, Scholæ Sacrorum Rituum primitias, meæque erga Potentiſſimum Luſitaniæ REGEM ſervitutis, erga Munificentiſſimum litteratorum omnium Protectorum obſervantiæ, erga Amantiſſimum Patriæ Parentem charitatis teſtimonium exhibeam. Quid enim eſt quod in hoc Libro voluntati Tuæ gratiſſimum non accidat? An argumentum, quod in Deo rite colendo totum verſatur? An Auctor, quo nullus hominum in terris commendabilior eſſe poſſit? An is qui librum nomini inſcribit Tuo, quem tot ac tantis beneficiis devinctum habes, ut etiamſi vitam ille pro Tua ſalute profunderet, in referenda tamen gratia nec ſibi nec Tibi ſe ſatis eſſe facturum putaret? Illud etiam animum commovet meum, quod maximum præſidium & decus Scholæ Sacrorum Rituum, ejuſque Magiſtris a Te affuturum confido. Quis enim neſciat, omnes omnium Regem laudes in Te conjunctas eſſe, atque eminere? Nihil Tibi Apoſtolicæ Sedis Auctoritate, Romanorum Pontificum veneratione, atque Urbis Romæ ſplendore antiquius eſſe; ſingulare denique tuum erga Deum, Sanctiſſimam Matrem, Sanctos univerſos, Sacroſque Ritus ſtudium extitiſſe? Neceſſe non eſt harum a me rerum exempla proferri; ut enim omittam præclariſſima illa Religonis, ac Magnificentiæ Tuæ monumenta, quæ Tu in plurimis Aſiæ, Africæ, atque Americæ locis conſtituiſti, nos ipſi Romæ vidimus magnificentiſſima Sacella magnis a Te ſumptibus hic extructa, vidimus Altaria egregio opere pretioſiſque marmoribus perfecta, vidimus prope immenſam auri, atque argenti plenam artis vim, in qua profecto labor, atque artificium longe materiam ſuperaret, in Sacros uſus deſtinatum; vidimus denique Sacram omnis generis Supellectilem multo auro clariſſimiſque gemmis nitentem; atque hæc omnia ex his Regionibus per longiſſimos Maris tractus in Luſitaniam aſportata. Quid ſi ea, que in Luſitania geſſeris, paucis perſtringam? Ut magnificentiſſima Templa vel a fundamentis erexeris, vel novis operibus inſtauraveris? Ut eos honoris in Eccleſiæ Optimates congeſſeris, quibus jam Seculi Magnates quodammodo poſſint invidere? Ut ſive firma, ſive infirma valetudine afficiaris, quotidie Templa frequentes, plurimis Sacris ſingulari Religione interſis, Eccleſiaſticos Ritus longa Tibi experientia cognitos ad Romanas leges exigi cures? Nec munificentia tantum, ſed exemplo etiam Tuo alios ad Divinum cultum accendas. Nonne hæc omnia me in ſpem certiſſimam erigunt fore, ut quemadmodum ſemper mihi, ſic etiam novæ Scholæ Sacrorum Rituum Patrocinium adjungas tuum? Hoc ut facias, vehementer rogo; Solioque Tuo advolutus, quem in manus meas Auctor Sanctiſſimus & Clementiſſimus librum tradidit, eumdem ego in Tuas ſupplex traſmitto; neque enim illum alio, quam Clariſſimi Auctoris nomine inſcriberem, niſi Auctor ipſe votis meis libentiſſime indulgens conſilium meum potius prævenire, quam probare videretur; quo & clementiam in me ſuam, & præcipuam in Te benevolentiam luculentiſſimo comprobavit teſtimonio.

SA-

gregationis doctrinam, æquitatem, eruditionem, prudentiamque admirari, colere, ac tueri, verum etiam ejusdem sententias atque decreta addiscere, transcribere, publicæque utilitati dicare; quod quanti sit, tunc profecto longe melius intelligetis, cum hæc studia rite absoluta facillimam vobis viam aut ad obeundas in templis Sacrorum Rituum præfecturas, aut ad agitandas in foro Sanctorum ac Beatorum causas communiisse videbitis.

Meum etiam, atque aliorum qui mihi successerint, munus erit Liturgicum Thesaurum perficere, cujus Synopsin longe lateque disseminatam plurimis jam litteratis Viris tum Italis, tum Transalpinis valde probatam fuisse, nemo vestrum ignorat. Cum autem ad tantum opus colligendum, adornandum atque absolvendum, multorum labor necessario requiratur, ego sane vos quoque in ejus edendi curam, atque in jam editi fructum socios adsciscam, si vestra votis meis studia respondere animadvertero.

Postremo non abs re esse puto, pauca aliqua innuere, quæ vobis hujusce disciplinæ & utilitatem, & necessitatem, & præstantiam patefaciant; nam si de utilitate sermo sit, illud habetur Eminentissimum, ac Reverendissimum Dominum Urbis Vicarium apertissime jam fuisse professum sese præcipuam illorum rationem esse ducturum, quorum factos in hac eadem disciplina progressus & meo testimonio & suo experimento comprobaverit. Si vero necessitatem excutiamus, compertum omnibus est optatum ad sacros Ordines, & Ecclesiastica ministeria aditum aliarum facultatum ignaris non esse intercluſum, hujus disciplinæ insciis patere non posse. Si vero præstantia spectetur, certe hanc vel ex eo metiri licet, quod perfecta hujusce disciplinæ cognitio a quinque illis sacris Scientiis sejungi nequeat, quas nos hodierna die communiore vocabulo Scholasticam, Mysticam, Dogmaticam, Canonicam, Moralemque appellamus; quomodo enim quis abdita in Ecclesiasticis Ritibus mysteria aut sine Scholastica copioso argumentorum apparatu illustrabit? aut sine Mystica ad sanctiorem Dei cultum referet? aut sine Dogmatica ab impuris Hæreticorum calumniis tuebitur? aut sine Canonica a veteri Patrum traditione, & Summorum Pontificum decretis repetet? aut sine Morali ad sempiternam animarum salutem convertet? Quid si hæc eadem quam commendamus, facultas homines requirat non tam in Ecclesiastica Historia, quam in profana eruditione Philosophicisque studiis versatissimos? Atqui rem ita se habere data vobis opportunitate melius innotescet. Verum hæc omnia, in quibus triumphare posset oratio, non ita invitus prætermitto, cum apud omnes constare debeat, eam scientiam multis laudibus ad sui commendationem non indigere, quæ reliquas fere omnes sibi socias, atque administras efflagitet. Illud tamen nullo modo prætereundum est, quod hanc ipsam Sacrorum Rituum disciplinam Deus in Veteri quidem Lege per se ipsum adumbraverit, in Nova vero per Filium suum Unigenitum e Cælo in terras delapsum ad perfectionem adduxerit; facta Ecclesiæ Sponsæ suæ potestate, ut novos etiam ipsa ritus induceret, eosque pro locorum ac temporum diversitate variaret.

Quæ dum commemoro, venit mihi in mentem non sine vehementi pietatis affectu horæ illius, in qua Christus Dominus Divini Sacrificii (quod erit hoc anno Scholæ nostræ argumentum) Institutor simul, Sacerdos ac Victima Deo Patri seipsum pro Humani generis salute obtulit, nobisque imperavit, ut quocumque tempore tantum Sacrificium peragimus, illud in sui memoriam faciamus.

Hæc fere sunt, Auditores studiosi, quæ jam antea ego in publica Scholæ nostræ inauguratione apud Purpuratos Patres, Amplissimos Præsules, clarissimos Religiosorum Ordinum Moderatores, Sacræ Rituum Congregationis Consultores sapientissimos, circumfusamque selectissimorum hominum turbam de more præfatus eram: Sed publicam illam Præfationem iterum vobis in mentem revocare oportet, tum quia Aula ceteroquin amplissima vos capere non potuit, tum ut majore animorum contentione in hæc rectissima studia incumbatis. Cetera, ad quæ deinde informandi eritis, ab hoc eodem Volumine paulatim in dies accipietis. Valete.

PRÆ-

PRÆFATIO

IN INSTITUTIONE SCHOLÆ SACRORUM RITUUM

Habita Romæ die xxi. Novembris 1748.

DIE BEATÆ VIRGINI IN TEMPLO PRÆSENTATÆ SACRA.

CREDO ego, eminentiſſimi Principes, Præſules Illuſtriſſimi, Auditores Ornatiſſimi, duo præ ceteris eſſe, quæ magnam vobis hodierna die admirationem injiciant: alterum quod publica nunc primum Schola Sacris Ritibus attributa ſit, alterum quod huic eidem Scholæ me præfectum eſſe Moderatores noſtri voluerint. Quod ad me attinet, equidem fateor æquiſſimas vobis cauſas admirationis ſuppetere: ut enim omittam longe commodius fuiſſe hanc eamdem provinciam homini Romano, quam Tranſalpino mandari, certe is ego non ſum, qui cum tot præclariſſimis aliarum facultatum Magiſtris vel ætate, vel ingenio, vel doctrina, vel auctoritate ſim comparandus. Quid ergo an ego cupidiſſimus ex omnibus fui? Minime vero. At tanto officioſior quam ceteri? Ne id quidem. Hoc fortaſſe unum in me Moderatores ſpectarunt, ut quem in hac Schola aperienda, & in Sacris Ritibus ad claſſes ſuas, atque ordinem reducendis aliquantulum elaboraſſe non ignorabant, eidem non incongruum laboribus ſuſceptis pro ſua beneficentia præmium largirentur. Quare tanto magis mihi diligentia, ſtudio, & labore enitendum eſt, ut in hac mea ratione atque opera illorum de me conſilium factumque non improbetur. Altera vero pars, quæ longe mirabilior videtur, ſpeciem potius admirationis habet, quam veritatem. Si enim vobis rem ſuis (ut ajunt) momentis ponderare placuerit, certe videbitis primo *Sacrorum Rituum ſcientiam digniſſimam eſſe, quæ publice doceatur; tum ejus Scholam neque alibi convenientius quam Romæ, neque alias commodius quam noſtro tempore inſtitui oportuiſſe.* Hæc duo paucis dum expono, quæſo, obteſtorque vos, ut benevolas mihi pro humanitate veſtra aures præbeatis.

Atque ut ab eo, quod primo loco poſitum eſt, ordiamur, neminem veſtrum latet, quinque potiſſimum Sacras Scientias hoc tempore eſſe, quæ Catholicas ſaluberrimis aquis Academias irrigent; Sacrorum Librorum Interpretationem; ſub qua & Theologia Myſtica ab aliquibus traditur; Sacros Canones, Scholaſticam Theologiam, Dogmaticam, atque Moralem. Vereor, ne quod modo dicturus ſum, id aliqui perinde non intelligant, ac veritas poſtulat, dicam tamen non minus vere quam audacter, quod ſentio: dicam Sacrorum Rituum diſciplinam illis omnibus longe multumque antecellere. Illæ enim poſterioribus ſæculis exortæ ſunt; Hæc vel ab ipſis Eccleſiæ incunabulis initium duxit. Illæ longe remotius Deum ſpectant; Hæc ad ipſum Dei cultum refertur. Illæ ad bonos mores viam tantummodo communiunt; Hæc ſolidos pietatis fructus affert. Illæ denique in ſola rerum Divinarum cognitione plerumque conquieſcunt; Hæc ita cum Rebus Divinis implicita eſt, & cohæret, ut ab iiſdem ſejungi non poſſit.

Quid ſi maxima huic facultati dignitas accedit ex eo, quod *Primus illius Auctor, & Magiſter fuerit Deus ipſe?* Atque hæc non mea verba ſunt, ſed illius, quem viſibile Dei in terris oraculum, & credimus, & veneramur. Quare Te, Deus Optime Maxime, proximius, & immediatius Sacrorum Rituum facultas reſpicit; Porro Tui cognitionem (quæ aliis facultatibus propoſitus finis eſt) ad tempus illud reſervas, in quo *viſio tota merces* erit, nunc *tanquam per ſpeculum in ænigmate* hominibus Te cognoſcendum præbes. Actus tamen illos Religionis, quibus debitum Tibi a nobis cultum exigis, Tu ipſe clare, dilucide, ac diſtincte tradidiſti; poſtquam autem advenit *plenitudo temporis*, alioſque ritus ſubrogari oportuit, eos Filius Tuus unigenitus, Tua nempe Increata Sapientia, partim inſtituit, atque edocuit; partim aliis inſtituendos, atque edocendos Vicaria poteſtate commiſit.

Præ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

PRÆFATIO

IN INSTITUTIONE SCHOLÆ

SACRORUM RITUUM

HABITA ROMÆ DIE XXI. NOVEMBRIS 1748. DIE BEATÆ VIRGINI IN TEMPLO PRÆSENTATÆ SACRA.

CRedo ego, Eminentiſſimi Principes, Præſules Illuſtriſſimi, Auditores Ornatiſſimi, duo præ ceteris eſſe, quæ magnam vobis hodierna die admirationem injiciant; alterum quod publica nunc primum Schola Sacris Ritibus attributa ſit, alterum quod huic eidem Scholæ me præfectum eſſe Moderatores noſtri voluerint. Quod ad me attinet, equidem fateor æquiſſimas vobis cauſas admirationis ſuppetere: ut enim omittam longe commodius fuiſſe hanc eamdem provinciam homini Romano, quam Tranſalpino mandari, certe is ego non ſum, qui cum tot præclariſſimis aliarum facultatum Magiſtris vel ætate, vel ingenio, vel doctrina, vel auctoritate ſim comparandus. Quid ergo? an ego cupidiſſimus ex omnibus fui? Minime vero. At tanto officioſior quam ceteri? Ne id quidem. Hoc fortaſſe unum in me Moderatores ſpectarunt, ut quem in hac Schola aperienda, & in Sacris Ritibus ad claſſes ſuas, atque ordinem reducendis aliquantulum elaboraſſe non ignorabant, eidem non incongruum laboribus ſuſceptis pro ſua beneficentia præmium largirentur. Quare tanto magis mihi diligentia, ſtudio, & labore enitendum eſt, ut in hac mea ratione atque opera illorum de me conſilium factumque non improbetur. Altera vero pars, quæ longe mirabilior videtur, ſpeciem potius admirationis habet, quam veritatem. Si enim vobis rem ſuis (ut ajunt) momentis ponderare placuerit, certe videbitis, primo *Sacrorum Rituum ſcientiam digniſſimam eſſe, quæ publice doceatur; tum ejus Scholam neque alibi convenientius quam Romæ, neque alias commodius quam noſtro tempore inſtitui oportuiſſe*. Hæc duo paucis dum expono, quæſo, obteſtorque vos, ut benevolas mihi pro humanitate veſtra aures præbeatis.

Atque ut ab eo, quod primo loco poſitum eſt, ordiamur, neminem veſtrum latet, quinque potiſſimum Sacras Scientias hoc tempore eſſe; quæ Catholicas ſaluberrimis aquis Academias irrigent; Sacrorum Librorum Interpretationem, ſub qua & Theologia Myſtica ab aliquibus traditur; Sacros Canones, Scholaſticam Theologiam, Dogmaticam, atque Moralem. Vereor, ne quod modo dicturus ſum, id aliqui perinde non intelligant, ac veritas poſtulat, dicam tamen non minus vere quam audacter, quod ſentio: dicam Sacrorum rituum diſciplinam illis omnibus longe multumque antecellere. Illæ enim poſterioribus ſæculis exortæ ſunt; Hæc vel ab ipſis Eccleſiæ incunabilis initium duxit. Illæ longe remotius Deum ſpectant; Hæc ad ipſum Dei cultum refertur. Illæ ad bonos mores viam tantummodo communiunt: Hæc ſolidos pietatis fructus affert. Illæ denique in ſola rerum Divinarum cognitione plerumque conquieſcunt; Hæc ita cum Rebus Divinis implicita eſt, & cohæret, ut ab iiſdem ſejungi non poſſit.

Quid ſi maxima huic facultati dignitas accedit ex eo, quod *Primus illius Auctor, & Magiſter fuerit Deus ipſe?* Atque hæc non mea verba ſunt, ſed illius, quem viſibile Dei in terris oraculum & credimus, & veneramur. Quare Te, Deus Optime Maxime, proximius, & immediatius Sacrorum Rituum facultas reſpicit; Porro Tui cognitionem (quæ aliis facultatibus propoſitus finis eſt) ad tempus illud reſervas, in quo *viſio tota merces* erit, nunc *tanquam per ſpeculum in ænigmate* hominibus Te cognoſcendum præbes. Actus tamen illos Religionis, quibus debitum Tibi a nobis cultum exigis, Tu *ipſe clare, dilucide*, ac diſtincte tradidiſti; poſtquam autem advenit *plenitudo temporis*, alioſque ritus ſubrogari oportuit, eos Filius Tuus unigenitus, Tua nempe Increata Sapientia, partim inſtituit, atque edocuit; partim aliis inſtituendos, atque edocendos Vicaria poteſtate commiſit.

Præterea ſi veteres illæ Cæremoniæ, quas Paulus appellat nuda & egena elementa, in quibus ſola quædam ſpecies erat exterior Sanctitatis, quæque erant a Chriſto Domino abrogandæ, multos Hieroſolymis, atque adeo in Judæa univerſa habuere ludos, in quibus Levitici generis adoleſcentes ad ſacra munia exercenda informarentur; quanto æquius fuit, ut noſtris Ritibus multo excellentioribus (qui Catholicæ Religionis partes ſunt, atque ornamenta, quibus vera Sanctitas ineſt; qui ſi minus omnes, at certe plerique, & ſemper adhuc retenti ſunt, & nunquam non retinebuntur) publica aliqua aſſignaretur Schola; in qua ipſi certo ordine diſtributi, atque ad certas claſſes redacti diſciplinæ ſpeciem, ac formam induerent? Exigui ne eiſdem definiti ſunt fines? immo vero ampliſſimi. An parum inter ſe alii ab aliis diſcrepant? immo vero plurimum. An Magiſtri operam, diligentiamque non requirunt? immo vero Doctoris, qui eorum originem excuſſerit, Patrum inſtituta cognoverit, traditionis veritatem expenderit, atque eoſdem ipſos ab impuriſſimis Novatorum fraudibus, calumniis, convitiiſque vindicare didicerit. Neque enim illorum furor eo contentus fuit, ut omnia fere Catholica dogmata convelleret, ſed etiam eo dementiæ progreſſus eſt, ut Sacros Ritus omnino reſcindere conaretur. Teſtes appello eorum Coriphæos Lutherum, & Calvinum; quorum alter contra Britanniæ Regem ſcribens, Catholicos tot Sacrorum Rituum jugo ſuſcepto amentiæ ac ſtoliditatis accuſat: alter ipſos Ritus ineptias, hiſtrionicas res, actuſque ſcurriles compellat; in quo a veterum Hæreticorum, ideſt a Parentum ſuorum moribus non diſcedunt; quorum alii, ut Manichæi, Donatiſtæ, atque Ariani, teſtibus Athanaſio, Auguſtino, & Optato, contra Altaria, & ſacra vaſa bellum geſſerunt; alii, ut Pelagiani, & Vigilantiani, auctore Hieronymo, ſacras veſtes, atque univerſas Cæremonias inſectati ſunt; alii denique, ut Petrobuſiani atque Valdenſes, vel ipſa Sacrorum rituum nomina tanquam veneficia, atque incantationes, narrante Cæſario, Matthæo Pariſino, atque Æneа Silvio, perhorruerunt. Eſt igitur operæ pretium, ut quemadmodum ad tuenda Catholica Dogmata præcipua quædam diſciplina incumbit, ſic etiam ad Sacros Ritus defendendos peculiaris quædam inſudet facultas. Quid enim?

illi in eos magna temeritate incurrent : Nos proiis defendendis nullo modo præliabimur ? Illi eorum institutionem impietati adjudicent: Nos eam a pietate profectam esse non declarabimus? Illi nihil in iis, nisi stultum, atque impium contineri pugnent: Nos abdita in illis Cœlestia Mysteria semper delitescere sinemus?

Nec vero mihi objiciatis Auditores, Sacros Ritus hujusmodi non esse, ut ad peculiarem quamdam disciplinam redigi possint. Nam si auctore Aristotele, ac S. Thoma: *Disciplina est certa rerum & cognitionum ad unum finem collectio*, quis unquam dubitet, quin multa sit in Sacris Ritibus varietas, eaque ad unum Divini cultus finem collineet? At enim nunquam hactenus in publicis Scholis disciplinarum more traditi sunt; Esto; sed hoc ipsum aliis etiam scientiis olim contigisse accepimus. Nam non solum profanas facultates, ut Cicero sæpe commemorat, sed etiam sacras disciplinas, ut ex vetustissimis Patribus constat, rudior illa antiquitas in unam quamdam congeriem permiscebat; quas tamen posteriorum temporum experientia consilio atque meliori in suas species distribuit. Ne longior sim, videre hoc licet in Theologia Scholastica, Morali, atque Canonica, quarum primam alii ad S. Jo. Damascenum cum Cæsare Bulæo, alii ad S. Anselmum Cantuariensem cum Cardinali de Aguirre, alii ad Trajonem Cæsaraugustanum cum Mabillonio revocant. Secundam omnes, vel a S. Raymundo de Pennafort, vel a S. Antonino Florentiæ Archiepiscopo discretam, atque ordinatam fuisse dicunt. Tertiam plerique a Gratiano in certas classes fuisse distributam sentiunt, exceptis Decretalium libris, quos in suum ordinem S. Raymundus digessisse perhibetur.

Quod si publica Sacris Ritibus Schola aperienda est, certe illam nusquam gentium magis decet esse quam Romæ. Nam præterquamquod ejus Urbis potissimum est Ecclesiasticas Ceremonias publice tradere, cujus est veram Religionem ubique gentium tueri; quid Romæ, amabo vos, desideratur, quod ad hujusmodi Scholam aut nomine illustrandam, aut pietate fovendam, aut potestate corroborandam pertineat? Num frequens omnium fere Sacrorum Rituum adhibendorum occasio? At hic præter Sacerdotes minores, qui ordinariis operantur Sacris, adest etiam Summus Christianæ Reipublicæ Arbiter, cujus oracula, siqua in Sacris Ritibus dubia oriantur, posthabitis omnium Literatorum judiciis, omniumque Academiarum sententiis, tanti facimus, ut nihil ulterius dubitandum nobis sit, quoties de eo audimus, quod olim de Pithagora longe dispare titulo dicebatur: *Ipse dixit*: Adsunt hic plerique Collegii Apostolici Senatores; adsunt multi exterarum Ecclesiarum Pontifices; adsunt denique omnes ferme Religiosorum Ordinum Præsides. Num Magistrorum Copia? At floret hic, semperque florebit cœtus ille multo *amplissimus* ex gravioribus Purpuratis Patribus, ex Præsulibus ornatissimis, ex sapientissimis Religiosis *viris delectus*, quem universa Catholica Ecclesia Sacrorum Rituum interpretem, explanatoremque deveneratur. Num auditorum frequentia? At dubitandum non est, quin multi Adolescentium hac oblata Sacrorum Rituum addiscendorum opportunitate utantur, cum plurimi eorum ex universo ferme terrarum Orbe in hanc ipsam Urbem Juris Pontificii, & Civilis gratia convenire soleant; his enim studiis multa in quolibet Regno Gymnasia dedicata sunt, illis nullæ aliæ hactenus Scholæ patent, quam duæ, altera quæ Conimbricæ nuper decreta est, altera quæ nunc Romæ constituitur.

Huc accedit, quod ad finem, qui Ecclesiasticis Cæremoniis attributus est, assequendum nulla alia Urbs tam perfecte faciat, quam Roma; alibi enim quamplurima hujusmodi scientiæ desunt præsidia, hic nulla; Alibi paucorum Rituum usus est, hic omnium; Alibi pauca, eademque perexigua hujusmodi facultatem præmia sequuntur, hic multa eademque maxima; hinc necessario fit, ut quemadmodum rei militaris disciplina longe melius addiscitur in castris, atque in acie, ubi res cum hostibus est, quam in Palæstris, atque in umbra, ubi bellum tantummodo simulatur; ita longe perfectius in hac Urbe omnium gentium Domina Catholicæ Religionis Magistra, Ecclesiasticorum ordinum Parente, Divini Cultus interprete, & causarum fere omnium Disceptatrice, quam in ceteris quibuscumque locis hac adjumentorum copia rerumque exercitatione destitutis Sacrorum Rituum scientia comparatur.

Atque utinam Majores nostri ita in Sacris Ritibus expoliendis elaborassent, ut illos certaquadam facultatis methodo conformatos haberemus, sed neque ager ullus adeo fœcundus est, ut omnia ferat; neque ætas quælibet ita laudibus affluit, ut nihil posterorum industriæ atque ingenio reservet. Gratulandum tamen nobis est, quod Sacrorum Rituum disciplinæ, tanquam novæ facultati distincta methodo tradendæ, nullum tempus nostro accommodatius inveniri possit. Vivimus enim regnante BENEDICTO XIV., in quo cum summa sunt omnia, tum nihil est sapientia præstantius; testes sunt præclaræ illæ benignitatis, ac beneficientiæ significationes, quibus & Litteratos omnes complectitur, & omne genus literarum exornat. Testes sunt quatuor præcipuarum facultatum Academiæ in ipsum Apostolicum Palatium ab eodem inductæ, quibus ipse singulis hebdomadis non solum interesse, verum etiam præesse dignatur. Testes sunt tot sapientissimæ Constitutiones, quibus aut veterem disciplinam, temporum injuria labefactatam, in pristinum decus restituit, aut novas de dogmatibus controversias exortas cœlesti lumine diremit. Testes denique sunt egregia illa monumenta, in quibus sapientiæ, eruditionisque suæ opes omnes, copiasque conclusit; ut portenti simile omnino sit unum hominem tot ac tanta res, tam varias, tot difficultatibus ac tanta obscuritate impeditas aut scientia comprehendere, aut memoria retinere, aut libris committere potuisse; atque eum hominem, cui præstantissima Reipublicæ munera, gravissimique Ecclesiæ Magistratus omnem de his interioribus literis cogitandi potestatem semper ademisse videantur. Sed hoc nimirum est virorum ad publicas Mundi utilitates, & ad majorem Divini Nominis gloriam a Deo conditorum, ne punctum quidem temporis a maximis rebus cogitandis agendisque vacuum elabi sinere; omnia cupiditatum blandimentis, multa etiam naturæ necessitatibus denegare: omnem sibi rationem cum virtute, non cum voluptate; cum labore, non cum otio; cum communi felicitate, non cum privatis commodis esse arbitrari.

Quamvis autem magnas BENEDICTO XIV. gratias universæ Literarum disciplinæ debeant, plura tamen, ac majora ejusdem in Sacros Ritus promerita constiterunt. Nam primo quidem amplissimam illis Scholam in Conimbricensi Athenæo aperuit, tum Scholam ipsam ejusque Præceptores in suam, atque Apostolicæ Sedis tutelam accepit; denique eo humanitatis devenit, ut suos etiam libros universos, pietatis sapientiæque pleniissimos hæreditario quodam jure ad Conimbricensem Academiam pertinere voluerit, facta mihi ipsi potestate (quod longa Oratione prosequendum foret, ut gratam animi significationem contestarer) facta, inquam, mihi ipsi potestate, ut eosdem multo auctiores, & in unum corpus redactos, rursus Typis ederem, publicoque illius Juventutis usui tamquam pignus eximii sui erga illam amoris multo pretiosissimum dedicarem. Tametsi quid ego Conimbricensem Sacrorum Rituum Scholam commemoro, nostram hanc fileo, quæ non minus atque illa tanti Principis consilio, auctoritate, præsidio, ac beneficentia potissimum nititur? An vero tantus vir, hac humanitate præditus, his studiis, artibus, atque doctrina, externos curaret, Romanos negligeret? Externis enim benefacere liberalitatis est, suis consulere non liberalitatis solum, sed etiam justi-

tiæ.

tiæ. At Conimbricenſem Scholam commemorare, noſtram ſilere non eſt: Schola illa atque hæc noſtra una eademque exiſtimari debet, non ſolum quia ambæ ab eodem Sanctiſſimo Parente exortæ ſunt, verum etiam quia arctiſſima inter ſe benevolentiæ, ſtudiorum, atque amicitiæ cognatione quodammodo continentur: hoc tamen diſcriminis inter utramque intercedet, quod illa in iis, quæ occurrent, dubiis (occurrent autem quamplurima) Præceptorem noſtrum, hoc eſt BENEDICTUM XIV. per literas conſulet, nos præſenti ejuſdem eloquentia perfruemur; quod quanti ſit, norunt ii, qui ex uno quidem colloquio plura ſe didiciſſe lætati ſunt, quam ex aſſidua multorum librorum lectione diſcere potuiſſent.

Doleo, Auditores, ac vehementer angor iis me temporis anguſtiis eſſe concluſum, quæ arctiſſimos orationi meæ ad dicendum cancellos circumdent; neque enim benevolentia veſtra, quam ſingularem experior, me abuti ulterius decet. Itaque non ſum commemoraturus, quod ad temporis hujus opportunitatem ſpectat, maximum ſcilicet ſtudiis noſtris & præſidium, & decus adſuturum a plurimis Purpuratis Patribus, qui ſuum erga Scholam noſtram favorem apertiſſime profeſſi ſunt; Præteribo etiam ſtudia ampliſſimorum Præſulum, atque doctiſſimorum hominum certiſſimis ſignificationibus nobis oblata; Silebo ſapientiſſimam Sacrorum Rituum Congregationem ſuarum partium eſſe ducturam, huic diſciplinæ, ejuſque Magiſtro peculiari nomine ad ſe pertinentibus ſemper favere; Hoc unum dicam, quod, quia domeſticum eſt, præterire non poſſum; omnia nobis fauſta ab ipſis Societatis noſtræ moderatoribus eſſe ſperanda; qui quanti Sacros Ritus faciant, vel ex hoc ipſo intelligi poteſt, quod eoſdem libentiſſimis animis in hoc Gregoriano Licæo publice excipiant; ſibique hujuſce Scholæ profectum maximæ curæ fore polliceantur.

Ut vero rerum a me tractandarum materiam, argumenta, ſeriemque vobis exponam, uno verbo dicam: me pleraque e libris SS. D. N. peritum; quod vobis compertum eſſe arbitror ex Epiſtola, quam illius operum editioni præpoſui. Etenim nihil ferme eſt in Sacris Ritibus, quod ille aut acutiſsima ingenii ſui perſpicuitate non detexerit, aut infinita ſapientiæ ſuæ ubertate non expolierit. Sed tamen hoc primo anno multo ſtrictius ejus ſcriptis adhærere poſſumus; non enim ſolum argumentum, ſed methodum ipſam, doctrinam, eruditionem, praxim, quidquid denique optandum eſt, a tanto Magiſtro mutuabimur. Labor itaque noſter verſabitur in Sanctiſsimis Divini Sacrificii Cæremoniis explanandis, de quibus tantus Pontifex cum multis in locis, tum præcipue in Commentario ſuper hoc argumento eruditiſsime agit.

Quare cum in publicis Academiis ſua etiam Sacris Ritibus Schola debeatur, cum hæc neque alibi aptius, quam Romæ, neque alio tempore opportunius, quam noſtro inſtitui poſsit, cum ad hanc illuſtrandam, atque amplificandam firmiſsima concurrant præſidia; veſtrum erit Adoleſcentes optimi (Vos enim extrema hæc alloquitur oratio) veſtrum, inquam, erit totos vos his rectiſsimis ſtudiis devovere. Equidem vobis ſpondeo, Deoque dante præſtabo, mihi neque in veteribus monumentis recenſendis fidem, neque in lectionibus conficiendis diligentiam, neque in laboribus perferendis alacritatem, neque in ſtudiis, commodiſque veſtris augendis propenſiſsimam animi voluntatem defuturam.

SCHOLÆ SACRORUM RITUUM AUDITORIBUS.

DE PERHONORIFICO REGIS FIDELISSIMI TITULO.

FEliciter & auſpicato mihi contigit homini Luſitano, ut e ſuggeſtu communicare poſſem novæ Scholæ Sacrorum Rituum Auditoribus ſummam, quæ perfundor, lætitiam, dum Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Potentiſſimo Domino meo JOANNI V. Pio, Felici, Auguſto perhonorificum *Fideliſſimi* titulum prudentiſſimus rerum æſtimator, & infallibilis Chriſti Vicarius impertitus eſt; piaculum grande foret, ut in opere ab eodem Sanctiſſimo Domino conſcripto, & *Fideliſſimo* Regi dicato, novæ conceſſionis mentio non fieret. Nunc cum primum licuit communem lætitiam diutius occultare non potui; Unde jam incæptum Opus, & per omnium manus evulgatum operæ pretium duxi gratiſſima digreſſione exornare. Sub anni exitum hunc de Sacrificio Miſſæ Tractatum publicæ diſputationi proponemus, & eidem *Regi Fideliſſimo*, cui Scholæ primitias in hoc libro dicavimus, Theſes ab eodem deſumptas conſecraturi ſumus; tunc locus erit publicæ etiam gaudii noſtri ſignificationi: interim, præter ea quæ præfatus ſum Auditoribus meis, exhibeo *Summi Pontificis* allocutionem, & litteras Apoſtolicas, eiſque præfigo juramentum a primo Rege noſtro in publicis comitiis præſtitum, ut clare dignoſcatur eumdem Fidei zelum, qui Luſitani Imperii fundatori REGIS nomen comparavit, digniſſimo ejus Hæredi *Fideliſſimi* titulum addidiſſe. Omittimus alias Luſitanorum Regum laudes, vel quod omnibus jam notæ ſint, vel quod unico teſtimonio illas comprehenſuri facile ſimus deſumpto a Bulla Canonizationis Sanctæ Eliſabethæ, quæ etſi ab Urbano VIII. in Sanctorum faſtis adſcripta fuerit, tamen ultimum illius gloriæ complementum nempe ejus Canonizationis Bullam noſtro tempori, & Regnanti Pontifici Deus reſervavit. Duo hæc documenta omnibus ſubſidio erunt, ut quæ deinde publica in panegyri dicenda ſunt, dilucide perſpiciantur.[1] Igitur Juramentum Magni Regis Alphonſi (cui in iis, quæ ſupra naturam videntur, humanam tantum fidem juxta Sanctæ Sedis decreta tribui volo) deſumam ex libro cui titulus *Apparatus Hiſtoricus* &c. Auctore Joſepho Pinto Pereira in lucem edito Romæ anno 1728. pag. 1.

1 Quæ ſequuntur Notæ marginales ſunt Joannis Caramuelis in loco infra citato.

Diverſæ lectiones ex Agiot. Luſitano Curſivo Caractere diſtinguuntur.

2 Boni Viri olim, qui hodie Magnates.

Ego Alfonſus Portugalliæ Rex, filius illuſtris Comitis Henrici, nepos magni Regis Alfonſi, coram vobis [2] *bonis viris Epiſcopo Bracharen., & Epiſcopo Conimbricen., & Theotonio, reliquiſque magnatibus, officialibus, vaſſalis regni mei, in hac Cruce ærea, & in hoc libro Sanctiſſimorum Evangeliorum, juro cum tactu manuum mearum, quod ego miſer peccator vidi hiſce oculis indignis verum Dominum noſtrum Jeſum Criſtum in Cruce* [3] *extentum in hac forma. Ego eram cum* [4] *mea hoſte in terris ultra Tagum, in Agro Auriquio, ut pugnarem cum Iſmaele & aliis quatuor regibus Maurorum habentibus ſecum infinita millia, & gens mea timorata propter multitudinem, erat fatigata, & multum triſtis, in tantum ut multi dicerent eſſe temeritatem inire bellum, & ego triſtis de eo, quod audiebam, cæpi mecum cogitare, quid agerem, & habebam* [5] *unum librum in meo papillione in quo erat ſcriptum teſtamentum antiquum, & teſtamentum Jeſu Chriſti. Aperui illum, & legi victoriam Gedeonis, & dixi intra me. Tu ſcis Domine Jeſu Chriſte quia pro tuo amore ſuſcepi* [6] *bellum iſtum contra tuos inimicos, & in manu tua eſt dare mihi, & meis fortitudinem, ut vincamus illos blaſphemantes tuum nomen, & ſic dicens* [7] *obdormivi ſupra librum, & videbam virum ſenem ad me venientem, dicentemque.* [8] *Alfonſe, confide, vinces enim, debellabiſque Reges iſtos infideles, conteresque potentiam illorum, & Dominus noſter oſtendet ſe tibi. Dum hæc video, accedit Joannes Ferdinandus de Souſa* [9], *vaſſallus de meo cubiculo, dixitque ſurge domine mi. Adeſt homo ſenex vultque te alloqui; ingrediatur, dixi, ſi fidelis eſt. Ingreſſus ad me, agnovi eſſe illum quem in viſione videram, dixitque mihi: Domine, bono animo eſto, vinces, & non vinceris. Dilectus es Domino, poſuit enim ſuper te, & ſuper ſemen tuum poſt te oculos miſericordiæ ſuæ, uſque in ſextam decimam generationem, in qua attenuabitur proles, ſed in ipſa attenuata ipſe reſpiciet, & videbit; ipſe me jubet indicare tibi, quod dum audieris ſequenti nocte tintinnabulum* [10] *romitorii mei in quo vixi ſexaginta ſex annis inter infideles, ſervatus favore Altiſſimi, egrediaris extra Caſtra, ſolus ſine arbitris* [11], *oſtendere tibi pietatem ſuam multam. Parui, & reverenter in terra poſitus, & nuncium & mittentem veneratus ſum, & dum in oratione poſitus ſonitum expectarem, ſecunda noctis vigilia tintinnabulum audivi, & enſe, & ſcuto armatus egreſſus ſum extra caſtra, videque ſubito a parte dextra orientem verſus micantem radium, & paulatim ſplendeſcens creſcebat in majus, & dum oculos ad illam partem efficaciter pono; ecce ipſo radio* [12] *clarior ſole, ſignum Crucis aſpicio, & Jeſum Chriſtum in eo crucifixum, & ex una, & altera parte multitudinem Juvenum candidiſſimorum, quos Sanctos Angelos fuiſſe credo. Quam viſionem dum video, depoſito enſe, & ſcuto, relictiſque veſtibus, & calceamentis, pronus in terram me projicio, lachrymiſque abunde miſſis, cæpi rogare pro confortatione vaſſallorum meorum, dixique nihil turbatur: Quid tu ad me, Domine? Credenti enim fidem vis augere? melius eſt ut te videant infideles, & credant quam ego, qui a fonte Baptiſmatis te Deum Verum filium Virginis, & Patris æterni agnovi, & agnoſco. Erat autem Crux miræ magnitudinis, & elevata a terra quaſi decem cubitos. Dominus autem ſuavi vocis ſono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi. Non ut tuam fidem augerem hoc modo apparui tibi, ſed ut corroborarem cor tuum in hoc* [13] *conflictu, & initia Regni tui ſupra firmam petram ſtabilirem. Confide Aldefonſe, non ſolum enim hoc certamen vinces,* [14] *ſed omnes alios in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris, gentem tuam invenies alacrem ad bellum, & fortem, petentem, ut ſub Regis nomine in hac pugna in grediaris, nec dubites, ſed quidquid petierint libere concede. Ego enim ædificator, & diſſipator Imperiorum, & Regnorum ſum. Volo enim in te, & in ſemine tuo imperium mihi ſtabilire, ut deferatur nomen meum* [15] *in exteras gentes. Et ut agnoſcant ſucceſſores tui datorem Regni,* [16] *inſigne tuum ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo, quo ego a Judæis emptus ſum compones, & erit mihi Regnum ſanctificatum, fide purum, & pietate dilectum. Ego ut hæc audivi, hami proſtratus adoravi, dicens, Quibus meritis Domine tantam mihi annuntias pietatem, & tu in mea prole, quam promittis, oculos benignos po-*

[1] Quæ ſequuntur Notæ marginales ſunt Joannis Caramuelis in loco infra citato.

[2] Bracharenſi. Colimbricenſi.

[3] extenſum. extenſum.

[4] meo exercitu.

[5] Biblia.

[6] bellum iſtud.

[7] dormivi.

[8] Aldefonſe.

[9] nunc Camerarius. qui dixit mihi.

[10] Remiſſorii, legit Brandanus: ſed Mariz, Dormitorii.

[11] ut oſtendat tibi. ſplendor.

[12] clariori Sole, ſeu melius: clarius Sole ſignum. Dominus ſuavi præceperunt.

[13] conflictu. corroborarem. conflictu.

[14] ſed omnia alia. Alfonſe.

[15] Oraculum de Indiis. gentes, ut

[16] Inſigne Luſitaniæ myſticum, annuncians pietatem.

ne, gentemque Portugallensem salvam custodi, 1 & si contra eos aliquid paraveris malum, verte illum potius in me, & in successores meos, & populum, quem tanquam unicum filium diligo, absolve. Annuens Dominus inquit: non recedet ab eis, neque a te unquam misericordia mea, per illos enim paravi mihi messem multam, & elegi eos in messores meos in terris longinquis, hæc dicens disparuit, & ego fiducia plenus, & dulcedine redii in castra, & quod taliter fuerit, Juro ego Alfonsus Rex per sanctissima Jesu Christi Evangelia hisce manibus tacta. Idcirco præcipio successoribus meis in perpetuum futuris, ut scuta quinque in Crucem posita, propter Crucem, & quinque vulnera Christi in Insigne ferant, & in unoquoque triginta argenteos, & super serpentem Moysis ob Christi figuram, & hoc sit memoriale nostrum in generatione nostra: & si quis aliud attentaverit, a Domino sit maledictus, & cum Juda traditore in 2 infernum maceratus. Facta charta Colimb. III. Kalend. Novembris Æra M. C. LII.

tem, quidquid tibes faciam, & tu in mea prole &c.
1 Caracteboni Principis. *illud. Aldefonsus. partita.*
2 In Inferno. *Aldefonsus.*

Ego Alfonsus Rex Portug.
J. Colimb. Episcop.
J. Bracharens. Metrop.
T. Prior.
Ferdinandus Petri Curiæ Dapif.
Petrus Palatii Curiæ signifer,
Velascus Sancii.
Alfonsus Menen præf. Ulis.
Gondisalvus de Sousa procur. Visien.
Pelagius Menen procur. Imn.
Suer martin procurat. Colimb.
Menendus Petri pro Magistro Alberto
Regis Cancellario,

Ex relato Juramento, in quo Inclytus Alfonsus idiomate Latino Christi apparitionem tam accurate expressit, evidenter demonstratur, quantum in sacris Codicibus, quos secum semper habebat, & quorum lectioni etiam in Castris vacabat, pius Rex esset versatus: ut notavit Illustrissimus D. Hieronymus Osorius Episcopus Algarbiensis *lib. 6. de Regis Institutione, & disciplina.* Ubi laudans antiquos Lusitaniæ Principes, qui temporibus illis incultis, in quibus omnia præclara studia sepulta esse videbantur, multum tamen legebant, & in Literis sacris summo studio versabantur, ita ut si quid ab illis latine scribendum esset, eodem plane stylo scriberent, subdit: *Velut Rex Alphonsus Primus, Regni hujus Conditor, cujus Divina virtus cum admirabili sapientia conjuncta, merito est in omni æternitate celebranda ..... ita tamen ut appareat, illum ex sanctis Literis non vivendi tantum disciplinam, sed dicendi etiam stylum, & rationem percepisse.* Hæc Tullius Lusitanus. Attamen non inficiabor, esse in dicto Juramento aliqua minus Latine dicta, & a Grammaticæ legibus aliquando aberrantia; quæ Joannes Caramuel ad marginem notavit (quod nos etiam fecimus) sed litteram non correxit, nec ausus est emendare; ut nuper fecit nonnemo, sed minus considerate; quia in simili materia omnis correctio est corruptio, & textus adulteratio.

Hujus Juramenti Autographum cum Sigillis, & subscriptionibus Prælatorum, & Procerum totius Regni, extat in Archivo Regii Cœnobii Alcobatiæ Illustrissimi Ordinis Cistercienſis, unde illud transcripserunt Bernardus de Brito *in Chronica Cistercienſi lib. 3. cap. 3.* Antonius Brandanus *in Monarchia Lusitana 3. par. lib. 10. cap. 5.* Petrus de Mariz *in varia Historia Regum Portugalliæ Dialog. 2. cap. 5.* Antonius de Sousa de Macedo *in Lusitania liberata præmio 2. §. 2.* Faria *in Commentariis Lusiadum Cant. 3. stantia 54.* Chrysostomus Henriquez *in fasciculo Sanctorum Ordinis Cistercienſis lib. 1. dist. 4. cap. 9.* Angelus Manriquez *in Annalibus Cistercienſibus anno Christi 1142. cap. 3.* Jacobus Valdèz *de dignitate Hispaniæ cap. 15. num. 22.* Mayolus *Dierum Canicularium tom. 5. colloquio 5. de dignitatum, ac sessionum differentiis.* Joannes Baptista Birago *nell' Istoria di Portogallo lib. 1.* Alphonsus Loschi *in Compendio historico Domus Austriacæ pag. 75.* Antonius Maria Bonucci *in Vita ejusdem Regis lib. 2. cap. 2.* Caramuel *in Philippo demonstrato lib. 2. disp. 1, art. 7. num. 21. cum sequentibus.*

Hactenus Josephus Pinto, qui plures alios Auctores citat, quorum omnium tres seligam, duos exteros, unum Lusitanum. Postremus hic hostium numerum distincte exprimit; quod si non certo constet, constat tamen fuisse cum nostro exercitu nulla ratione comparandum. Addam insuper Antiphonam & orationem in antiquissimo Codice repertam, & ab eodem Pinto allatam pag. 216. in qua eadem refertur Domini erga Lusitanos clementia.

Navarrus *in Relectione Cap. Novit. de Judiciis, notab. 3. num. 149.* loquens de Regnis Lusitaniæ, Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ, ita inquit: *Hæc Regna, Imperia, omnia sunt approbata per Ecclesiam universam .....* Immo, & eorum aliquod per Deum Optimum Maximum supernaturaliter, ut hoc florentissimum Lusitaniæ per quinque Christi Stigmata *Divo* Alfonso hujus nominis, & omnium Regum Lusitanorum Primo divinitus (quæ Divina Clementia fuit) ostensa, & in Insignia Regia insigni pietate in æternum suscepit.

Bozius *de Signis Ecclesiæ tom. 2. lib. 17. cap. 7.* Alfonsus Portugalliæ Rex Primus patri Henrico successit anno millesimo centesimo duodecimo. Hic commissurus prælium adversus quinque Saracenorum Reges, cum trepido prorsus animo esset, confirmatus est a Christo in somnis, jussusque in aciem descendere, Signumque attollere, cui quinque ipsius Vulnera, quæ ostendebat, depicta essent. Egit hoc Alphonsus, & nobilissimam victoriam reportavit. Ex illo insigne Regibus Portugall. fuit quinque Christi Plagis ornatum vexillum.

Franciscus Macedo *in Prop. confut. 20. §. 1.* loquens de Rege Alphonso, ait: Ejus victoriæ fidem excedunt, nisi auxiliarium Superum ope &c. Innumerabiles Maurorum Copias, nimirum fexcenta millia * a quindecim minoribus Regulis, Regibus quinque, Ismario Imperatore Regio in aciem eductas exercitu modico, ad decem militum millia, qui posset, nisi authore, & duce Christo, qui ei Crucifixus apparuit, ad internecionem prope delere?

* Hostium numerus eruitur etiam ex antiquo Codice, quem ex suo originali transcribit studiosissimus veritatis Brand. Mon. Lusit. par. 3. lib. 10. pag. 118. ubi inculta prout sæculi ferebat indoles hæc habentur: *Verba nobilium exercitus in Oriquio ad Regem Alphonsum. Amorem, & bonam voluntatem, quam in personam tuam habemus, nos obligat dicere, quod arduum hoc negotium non tentes. Adest periculum, quia cincti a Mauris, illi multi, nos pauci. Bene audisti paulo antea tuos vigilatores, quod sunt infiniti equites, & multo plures pedones, taliter quod unus nostrorum debes præliare adversus centum, & secundum hoc certum est vinci: & quod oblatrant pro victoria, diem ut citius veniat desiderant. Quare rogamus, ut intas aliquam pacem cum Ismaele per aliquod tempus, ne nos perdas, quæ imminuat, & Regnum, nostras uxores, & nostros filios. Attendas Regno, & tuæ utilitati, & honori, divertas ruinam, quam imminet, quod iterum supplices petimus, & cum instantia, ut velis nos ab hoc discrimine eripere.* Qui vero hunc numerum miratus fuerit legat in Gottorum historia apud supra citatum Brandanum lib. x. cap. 39. Pag. 193. *Item sexaginta milites Christiani duce Alphonso Rege semiarmati vincit atque profligavit in agro Salaciensi decem millia peditum bene armatorum, & quingentos equites ferocissimos, quod fuit instar ingentis miraculi.*

* *Amor, & bona voluntas. Adest periculum. quæ imminet. vicerunt. profligaverunt.*

An-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Antiphona, de qua supra.

INvictissime Rex Alphonse, propugnator strenue, nostri Regni defensor sanctissime, qui mox a puero in fide Beatæ Virginis, Matris Dei, Dominæ Nostræ, susceptus, cujus oraculo, & patrocinio tibiarum sanitatem recepisti: ac ubi in maturam ætatem perveniſti, Fidei armis spei galea præmunitus & zelo Charitatis accensus, cum viginti Maurorum Regibus, & Imperatore Miramamolino collatis signis, sed parva manu demicasti, ac Christum Dominum nostrum, Cruci affixum, nocte intempesta vidisti, & universa Lusitaniam fidei jugo subdidisti & Regni nomen sublimasti: quæsumus, pro nobis apud Deum tuis precibus intercedere, ut nos mente puros, Regnum nostrum florentissimus esse velit, & ab omni calamitate munire.

℣. *Ora pro nobis, famulis tuis, invictissime Rex Alfonse,*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oratio.

DEus omnium bonorum largitor melliflue, apud quem summa hominum, Regnorumque potestas est, quique Beatissimum Alfonsum Regem ad Lusitaniæ Sceptrum evexisti, & in hoc Mundo agentem summis beneficiis decorasti concede, quæsumus, ejusdem meritis nostrum hoc Regnum, Reges, Principes, tranquillitate, & optata pace semper gaudere, nosque suppliees tuos virtutum omnium incrementis sic ejusdem Regis Alfonsi vitæ instituta sectari, ut gloriæ quoque participes fieri mereamur. Per Dominum &c.

Præcedens juramentum nuper edidit clarissimus Theatinorum scriptor R. D. Antonius Cajetanus de Sousa Tomo IV. Agiologii Lusitani pag. 290. sub die 25. Julii, ubi Authographum se diligenter observasse ait & supra centum authores maximæ fidei ex omnibus nationibus adducit: hæc tamen omittemus brevitatis causa his tantummodo verbis contenti, quæ profert laudatus Sousa, ab ipso Rege posteritati mandatis: *Tam ego, quam successores mei in perpetuum regnaturi agnoscant habere regnum de manu Dei, qui præsentialiter tradidit eum mihi, ut corde firmo, & charitate perfecta fidem Christianam ab infidelium injuriis defenderem.*

* Quo dilatandæ Fidei zelo, & qua filiali erga Christi Vicarium observantia primus Rex afficeretur, ex litteris ejusdem perspicue evincitur, duas seligo ex supra citato Brandano pag. 210. *SS. Patri, & Domino summæ, & Apostolicæ Sedis, per Dei gratiam Pont. Alexandro, Alphonsus eadem gratia Portugallensium Rex, quod devotissimus filius optimo Patri. Satis superque satis novis vestræ paternitatis sublimitas, me vestræ Sanctitatis ita esse filium specialem, ut aut nullum penitus, aut vix aliquem mihi per omnia habeatis consimilo. Alii enim Imperatores, Reges, Duces, Principes, cæterique potentes a parentibus propriis terras de jure Beati Petri acceperunt, tum quibus celsitudini vestræ, & Romanæ Ecclesiæ obsequuntur. Cæterum aut nulla superadjiciunt, aut si quæ a barbaris nationibus lucrantur, suæ tanquam propriæ potestati adjiciunt. Ego autem cum his, quæ de possessionibus parentum meorum per Dei gratiam mea industria acquisivi Beato Petro fideliter serviens plura quam haberem, per ejus auxilium a Saracenis abstuli, unde ea libens Apostolico Patrimonio adjeci* animo gerens strenuus Beati Petri miles existere, *& vestræ Paternitatis semper jussionibus obedire &c.*

Pag. 285. *Dono Adriano summo Pontifici suo venerabili Patri Alphonsus Portugalliæ Rex, quidquid Patri filius, & quidquid potest in utroque sæculo optari melius. Non ignoret sublimitas vestra Pater Sancte me militem vestrum, & devotum filium esse velle, sicut fuit Apostolicorum, qui fuerunt ante vos, & nimium vestra benedictione velle perfrui. Ideo quod attentius commendo me Sanctitati scilicet, & majestati vestræ per omnia &c.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

SS. DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIV.

Allocutio habita in Conſiſtorio Secreto Feria ſecunda die 21. Aprilis 1749.

Qua Sanctitas ſua declarat, ſe Motu proprio perpetuo contuliſſe perhonorificum titulum Fidelisſimi Sereniſſimo Portugalliæ, & Algarbiorum Regi, ejuſque Succeſſoribus Regibus ob præclara ipſius Regis, & Majorum ſuorum Regum de Fide Catholica, & Sede Apoſtolica optime meritorum geſta.

VENERABILES FRATRES.

COnſentaneum plane, immo & neceſſarium arbitramur declarare Vobis, quemadmodum in præſentia declaramus, cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi, ejusque Succeſſoribus, collatum a Nobis fuiſſe perhonorificum *Fidelisſimi* Titulum, qui merito quidem ipſi tribuendus videbatur. Etenim toto vitæ ſuæ curſus præclariſſima geſſit, ut Catholicæ Religionis gloria, & hujus Sanctæ Sedis dignitas magis amplificaretur. Dubitandum quoque non eſt, Succeſſores, ipſius hoc honoris Titulo inflammandos eſſe vehementer, & maximo ſtudio excitandos, ut propoſitum ante oculos exemplum pari virtute æmulentur.

Procul dubio non ignoratis, ineunte ſæculo duodecimo, Mauris e Portugalliæ Regno depulſis, illos ſtatim Reges omnem operam contuliſſe, ut Catholicam Religonem in ſua Ditione illibatam tuerentur; & cum deinde plures Aſiæ, Africæ, Indiarumque, & Americæ populos in ſuam poteſtatem redegiſſent, barbaras gentes ſanctiſſimæ Religionis myſteriis imbuendas curaſſe, accitis peritiſſimis Miniſtris, qui recentem Domini Vineam diligenter excolerent. Inter eos recenſendus eſt S. Franciſcus Xaverius, qui Joannis III. Portugalliæ Regis præſidio, ac tutela uberrimos, totoque Orbe celeberrimos fructus in illis Regionibus collegit, uti non ſolum auctoritate Scriptorum, ſed ipſius S. Franciſci ad Joannem Regem epiſtolis plane comprobatur; ex quibus etiam clare deprehenditur, magna cum gloria, Fideique incremento, iis omnibus Virum Apoſtolicum ſatisfeciſſe, quæ Paulo Tertio Prædeceſſore noſtro illi præſcripta, ac demandata fuerant.

Sebaſtianus Rex, de cujus laudibus nulla unquam ætas conticeſcet, circa dimidium ſæculi decimi ſexti Portugalliæ Regnum adminiſtrandum ſuſcepit. Ille ſigulari virtute præditus, potentiſſimo exercitu comparato mare tranſmiſit, Mauris bellum indixit, cum quibus fortiſſime decertans, honeſtiſſima morte gloriam adeptus eſt immortalem.

Si quis autem ampliſſimas victorias, quas Portugalliæ Reges in remotiſſimis etiam partibus Africæ conſecuti ſunt, admirari cupiat, in Apoſtolicis Litteris Pii IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ in Eccleſiæ Annalibus referuntur, deſcriptas legere poterit. Ex illis quoque percipiet, innumerabilem pene Indorum multitudinem armis ſubactam, eo fructu cumulatam fuiſſe, ut Chriſtianam Fidem agnoſcerent, & amplecterentur. Inſuper ex Apoſtolico Brevi ejuſdem Pontificis ad ipſum Regem Sebaſtianum intelligimus, tantam in bellis ſucipiendis victoriiſque referendis virtutem eum Regem divinitus obtinuiſſe, ut cæteros omnes Majores ſuos gloriæ magnitudine facile exæquarit. Quamobrem S. Pius V. Prædeceſſor noſter (uti ſincera quædam monumenta teſtantur) poteſtatem fecit eidem Sebaſtiano Regi eum honoris Titulum ſeligendi, quem magis expeteret, ſe paratum eſſe declarans, ipſius voluntati morem gerere, ut debitam videlicet rebus præclariſſime geſtis mercedem impertiret. His reſpondit Sebaſtianus Rex, ſe nihil magis optare, quam ut Filii nomen, ac Titulum erga Romanum Pontificem obſequentiſſimi palam oſtenderet, ac probaret; reſque propterea infecta remanſit.

Idem procul dubio nunc etiam contigiſſet, ſi exemplo S. Pii V. Prædeceſſoris noſtri inhærentes, cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi honoris Titulum, quem vellet, eligendi poteſtatem feciſſemus. Quapropter præteritarum rerum experientia edocti, ne ullum impedimentum objiceretur voluntate noſtra ipſo *Rege* inconſulto, perhonorificum *Fidelisſimi* Titulum Nos ipſi excogitavimus, quem eidem Regi, ejuſque in Regno Succeſſoribus, uti jam ſuperius indicavimus, elargiti ſumus. Porro, quam præclara ſint hujus Regis in Chriſtianam Rempublicam merita, ſatis ſuperque teſtantur Apoſtolicæ Litteræ Clementis XI. Prædeceſſoris Noſtri, quas duo volumina in lucem edita complectuntur.

Siquidem, ut ejuſdem Pontificis voluntati, & conſiliis obſecundaret, plurimas in ſubſidium naves ſuppeditavit quo tempore Turcarum Tiranus Inſule Corcyrenſi cum validiſſimo exercitu imminens, non ſolum Venetorum Reipublicæ, ſed univerſæ quoque Italiæ & huic Urbi quæ totius Chriſtianæ Religonis caput eſt, perniciem, & calamitatem minabatur.

Nos ipſi jure, ac merito teſtari poſſumus, & revera teſtamur, eumdem Regem ſuam nunquam operam a nobis deſiderari paſſum eſſe, ubi res fuit vel de retinenda, augendaque Religione, vel de hujus Sanctæ Sedis dignitate tuenda. Inſuper Nobis Pontificatum gerentibus, nonnullos Epiſcopatus fundavit in remotiſſimis Dominii ſui partibus, ubi ſolum Infideles verſabantur, videlicet, ut Chriſtiana Fides ibidem propagaretur. Omitemus hic verba facere de maximis, ac plane *Regiis* ſumptibus, qui ab ipſo fiunt, ut Miniſtris ad obeundas ſacras Miſſiones neceſſaria ſuppeditentur. Taciti tamen præterire non debemus victorias, quas recenter in Aſia comparavit; & novas, quas ſuſcepit expeditiones; & hujuſmodi profecto bella libenter cum illis comparabimus, quæ Gennadius Patricius, & Exarchus Africæ feliciter geſſit; & eadem prorſus affirmabimus, quæ de illis S. Gregorius Prædeceſſor noſter ad ipſum Gennadium ſcripſit his verbis *Ubi enim meritorum veſtrorum loquax non diſcurrit opinio? Quæ & bella Vos frequenter appetere, non deſiderio fundendi ſanguinis, ſed dilatandæ cauſa Reipublicæ, in qua Deum coli conſpicimus, loquitur; quatenus Chriſti nomen per ſubditas gentes Fidei prædicatione circumquaque diſcurrat.* Ejuſdem S. Pontificis verbis proſequemur: *Plurima pro paſcendis ovibus B. Petri Apoſtolorum Principis utilitatibus excellentiam veſtram præſtitiſſe didicimus.* Orationem tandem noſtram abſolvemus, quemadmodum & S. Gregorius epiſtolam abſolvit ſuam: *Perſolventes paternæ charitatis alloquium, petimus Dominum, Salvatoremque noſtrum, qui Eminentiam veſtram pro ſolatio Sanctæ Reipublicæ miſericorditer protegat, & ad dilatandum per finitimas gentes nomen ejus magis magiſque brachii ſui firmitate confortet.*

Habetis, Venerabiles Fratres, quæ a Nobis peracta ſunt quæque Nos ad ea peragenda impulerunt.

SS.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

SS. DOMINUS NOSTER BENEDICTUS PAPA XIV.

Confert in perpetuum Sereniſſimo Portugaliæ, & Algarbiorum Regi, ejuſque Succeſſoribus Regibus Titulum Fideliſſimi *ob inſignia ipſius Regis, & Prædeceſſorum Regum promerita, eximiumque zelum in* Fide Catholica *continuo ſtudio propaganda.*

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO JOANNI

Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Fideliſſimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Cariſſime in Chriſto Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MAxima ac tam præclara Illuſtrium Regum Portugalliæ, & Algarbiorum habentur, & reipſa ſunt, non tam invictiſſimæ in debellandis, ſibique ſubjiciendis tot barbararum, remotiſſimarumque nationum Populis, Provinciis, & Regnis potentiæ decora, quam Chriſtianæ pietatis, atque incredibilis, flagrantiſsimique pro Catholica Fide in vaſtiſſimas illas, quas ſub ſuam redigebant poteſtatem, ſtatim invehenda, propagandaque & neceſſariis, opportuniſque ingentium pecuniarum Sacrorumque Miniſtrorum ſubſidiis fovenda, confirmandaque zeli inſignia facinora, ut jure ac merito non ſolum ubique gentium ab omnibus commendati, ſed a Romanis præſertim Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, ad quos ſupremas Jeſu Chriſti Regis Regum, & Dominî Dominantium vices in terris gerentes circumſpecta ſua providentia egregios viros de eadem Catholica Fide, & Apoſtolica hac Sancta Sede benemerentiſſimos ſingularibus laudibus, ac peculiaribus honorum titulis decorare, & illuſtrare in primis ſpectat, debitis Apoſtolicæ laudationis præconiis & eximiis Pontificiæ benignitatis gratiis, favoribus, privilegiis, & indultis cumulati.

Quemadmodum autem, Majeſtas Tua, præ cæteris Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus Predeceſſoribus tuis magno pii, regiique animi tui fervore Catholicam Fidem non modo in omnibus ditionum tuarum, ſed in alienis quoque regionibus ab inita Regnorum tuorum poſſeſſione promovere, & urgere, verum etiam tot ſapientiæ, induſtriæ, pietatiſque conſiliis, & immenſis opum profuſionibus tueri, & conſervare contendens, maximus emineas, & prædiceris; ita Majeſtatem Tuam Prædeceſſores itidem Noſtri Romani Pontifices ſel. rec. Clemens XI. Innocentius XIII. Benedictus pariter XIII. Clemens XII. ac Nos ipſi laudatiſſimis eorumdem veſtigiis inhærentes non omiſimus iis paternæ benevolentiæ, auctoritatiſque teſtimoniis proſequi, quibus notum omnibus fieret, quanti Te, inclytamque Nationem Luſitanam tuam faciamus, quantoque in honore, ac pretio habentes ad utriuſque decus, commodum, & incrementum advigilemus. Porro haud ſatis aptis verbis explicare, Tibique re ipſa conteſtari poſſumus incredibilem paterni animi noſtri alacritatem, ſtudioſamque ad Majeſtati Tuæ amplius gratificandum voluntatem; ſed Tibi perſuaſum eſſe volumus, Nos, qui Majeſtatem Tuam præcipua charitate complectimur, paterna ſollicitudine affici, ut inſignem aliquem honoris Titulum, qui & Majeſtati Tuæ de Catholica Fide benemereri pergenti ad majorem gloriam, & Succeſſoribus tuis Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus ad luculentiſſima pietatis, & virtutis tuæ potiſſimum exempla imitandum, & pro Catholica Fide pari via, ac ratione adlaborandum perenni deinceps eſſet incitamento.

Ea propter Motu proprio, non ad Tui, ſive alterius pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, maturaque deliberatione, & mera liberalitate noſtra, ac de ſupremæ noſtræ Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon ducti exemplo tam aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, qui Viris Principibus Catholicæ Fidei, & Apoſtolicæ Sedis ſtudioſiſſimis titulos & ornamenta largiti ſunt, quam potiſſimum S. Pii V. itidem Prædeceſſoris noſtri, qui cl. mem. Sebaſtiano Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Deceſſori tuo immenſis laboribus, atque opibus pro Catholicæ Fidei propagatione exhauſtis honorabilem aliquem titulum tamquam rerum præclare geſtarum jugem indicem conferre optabat (etſi Rex ille ſapientiſsimus hac dumtaxat ſe Obedientiſsimi Sedis Apoſtolicæ filii denominatione gloriari reſpondiſſet) Te, tuoſque Portugalliæ & Algarbiorum Reges pro tempore Succeſſores in perpetuum tamquam Catholicæ Fidei propagatores, titulo, ſeu denominatione *Fideliſſimi* Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium ornamus, & inſignimus, atque etiam ab omnibus Regem *Fideliſſimum* nominari, appellari, inſcribi, dici, haberi, cenſeri, ac tractari debere volumus, præcipimus, & mandamus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras de ſubreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu quocumque alio defectu ex quavis etiam quantumlibet juſtiſsima, & urgentiſsima, rationabilique cauſa nullo unquam tempore a quoquam notari, vel impugnari poſſe, ſed illas validas, & efficaces perpetuo fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, totales, & omnimodos effectus ſortiri poſſe, ac debere in omnibus, & per omnia, ac ſi Conſiſtorialiter, & de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio factæ, & in ipſo Conſiſtorio noſtro Secreto lectæ fuiſſent: Sicque per quoſcumque Judices etiam Imperiali, Regia, Ducali, vel quavis alia excellentia, ac dignitate præditos, & alios Commiſſarios qualibet auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Sacri Palatii noſtri Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſententiandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere ac quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, ac declaramus. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & Locorum quorumlibet ſtatutis, & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & quantumcumque efficaciſſimis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecificata, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſ-

ſis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cæterum, Carissime in Christo Fili noster, Rex *Fidelissime*, perge certare bonum certamen Fidei, ut vitæ æternæ præmia ab Auctore Fidei nostræ, & Consummatore Jesu Christo consequaris; dum Nos Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem Cælestis præsidii auspicem amantissime impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 23. Dec. 1748. Pontificatus nostri anno nono.

Gajetanus Amatus.

Loco ✠ Sigilli.

Quoniam vero satis perspecta est & nostrorum Regum erga Apostolicam Sedem pietas, & Lusitanæ gentis in suos Reges amor, facile conjectari licet quo gaudio, & veneratione ea Pontificiæ Litteræ exceptæ fuerint. Jam alterius quod ex Bulla Canonizationis S. Elisabeth promiseramus, testimonii fidem absolvimus: in ea namque Bulla post exordium ita Summus Pontifex effatur.

Gaudeat in Domino, & in donis gratiæ suæ glorietur felix Lusitaniæ Regnum; sed laudent alii Cœli illius temperiem, amænas Tagi ripas, divitias ex toto orbe navibus eo illatas & congestas, nobilitatem urbium, hominum ingenium & solertiam, & in remotissimis terrarum orbis regionibus detegendis subjiciendisque felicitatem. Una est, quæ præcipuam ex Sacerdotali ore laudem meretur, & quæ in Sancta Dei Ecclesia merito extolli & prædicari debet, suorum scilicet *Regum pietas & Religio*. Hæc enim Lusitanum Regnum fundavit, hæc ampliavit, hæc ad summam gloriæ & laudis magnitudinem evexit, hæc in ea amplitudine, qua nunc floret, servat, & custodit. Nam Princeps ille, & genere, & virtute clarus Henricus, qui Lusitaniæ Regni decus ac gloriam, barbararum gentium incursu, ac veluti inundatione afflictam, erexit atque instauravit, cum in Hispania adversus Mauros Alphonso VI. strenuam navasset operam, & Theresiam ejus filiam in uxorem, & Lusitaniæ partem in dotem, & *præmium virtutis* accepisset, eam statim, ereptis e Maurorum potestate aliis oppidis, plurimum auxit: Posteaquam vero e Hierosolymitana expeditione; quam pietatis, & religionis studio susceperat, reversus est, nunquam bello contra Mauros abstinuit. Nam quinque supra viginti de Mauris reportatis victoriis, multisque de manubiis ac spoliis hostium templis, ac cœnobiis erectis, ad Asturicam, quam obsidebat, in armis, prout Fidei propugnatorem decebat, ultimum diem obiit. Nec ejus filius Alphonsus tanto patre inferior fuit. Testes sunt Leiria urbs munitissima Mauris erepta. Scalabis inexpugnabile oppidum in potestatem redactum, Olyssippo expugnata; innumerabiles Maurorum & Barbarorum copiæ pauco militum numero pluries disjectæ, unus, & triginta Barbarorum Reges armis devicti. Siquidem nunquam a persequendis bello Crucis hostibus terra, marique cessavit, donec eliminata e Lusitaniæ finibus Mahumetana superstitione, Catholica religio a pluribus annis exul veluti triumphans in propriam sedem reduceretur: Cujus non minus virtus in bello, quam pietas in pace resplenduit. Nam egregio pietatis documento cum ex acie domum redibat, in Monasterium Sanctæ Crucis se recipere, ibique cum Religiosis viris Chorum adire, orare, psallere, sacrisque mysteriis adesse solitum fuisse traditur. Difficilis quidem res esset, si quis Lusitanorum Principum, qui Henrico, & Alphonso successerunt, fortiter, ac pie gesta prosequi, & præstita ab eis in Catholicam Religionem officia recensere vellet. Innumera enim non solum in vicinis, sed in remotissimis partibus adversus Mauros, Turcas, Saracenos, Idolatras bella pro religione suscepta, relatæ victoriæ, parta pietatis trophæa. Ingentes classes adversus Christianorum hostes maximo sumptu paratas, & omni re instructas in ultimas & prorsus ignotas orbis regiones missas quis ignorat? Et antiqua Lusitanorum Regum virtutis exempla adversus Christiani nominis inimicos renovata nostra memoria vidimus, & contra ferales Turcarum debaccantium impetus præsens in Lusitanorum Regum pietate Roma & Italia sensit auxilium. Sed Christianum nomen non solum armis, opibus, & sanguine suo Lusitani Reges tutati sunt, verum etiam longe lateque studio, cura, ac sollicitudine propagarunt; *ut hanc unam egregiam laudem propriam sibi facere velle visi sint Evangelium Christi Domini disseminare, Catholicæ Fidei lucem diffundere, superstitiosos cultus abolere, Crucis vexillum in longe dissitas, & nunquam ab aliis aditas regiones inferre*. Nam eorum opera ora Punica arcibus occupata, mari Atlantico emenso, insulisque per illud sparsis, totaque ulteriore Lybia qua mari lustrata, qua terra penetrata, Arsinario promontorio, Guinea, Zanguebaria, & promontoriis intra & sub Æquatore constitutis, & ultra ad Cancri tropicum utraque Æthiopia, insulisque vastis, Persici & Arabici freti sinubus pervasis, qua Asia ab Africa disjungitur, barbaris atque efferis nationibus venerandum Christi nomen, ac salutaris Evangelii doctrina annuntiata est. Insuper India, qua late intra Indum & Gangem protenditur, transmissa, in Auream Chersonesum, & Sumatram, plurimasque immensi illius Archipelagi insulas ad Moluccas usque, ultimamque Japoniam, & Sinicum Imperium, & Tartarico regno proximas regiones; insuper ad Occidentales Indos cursu deducto, in Pernambucum, Marananiam, ceterasque vastissimæ Brasiliæ terras sacris Ministris, & verbi Dei Concionatoribus Regio sumptu, & Apostolicæ Sedis auctoritate missis, populis habitantibus in regione umbræ mortis, Lusitanorum Regum aliorumque Catholicorum Principum pietate, lux Evangelicæ Fidei affulsit. Profecto admiratione suspici potius, quam pro meritis laudari in Domino potest munificentia, & religio Lusitanorum Regum in large ac splendide protegendis sublevandisque populis ad Catholicam veritatem recens adductis, in alendis, ac sustentandis sacrarum Missionum Ministris, in ædificandis inter barbaras gentes immortali Deo templis, in extruendis Religiosorum virorum Cœnobiis, in erigendis pro erudienda in Catholica religione, & Ecclesiastica disciplina juventute sacris ædibus, & seminariis; aliisque peragendis, quæ ad expellendas Maumethanæ impietatis, vel idolatriæ errorum tenebras, & ad diffundendum Christianæ veritatis lumen conducebant. Itaque tantis pietatis operibus, & tam præclare a Lusitanis Regibus in bello, & pace pro religione gestis, hanc inter cetera amplam mercedem retulit benignissimus Deus, ut in Regia domo ac familia existerent feminæ morum integritate, & vitæ sanctitate illustres, quæ Deo dilectæ, & mundo mirabiles in Servorum Dei numerum a Catholica Ecclesia adscribi merentur; ut si Lusitaniæ Regnum in terris suorum Regum virtute & pietate maxime confideret, majus in Cœlis in suorum Principum sanctitate & meritis incolumitatis suæ præsidium haberet. Ex hoc numero fuerunt Therasia, Sancia, Mafalda. Joanna. Sed præ omnibus & sanctarum operationum laude, & Cælestinum miraculorum magnitudine emicat Beata Elisabeth Regina &c.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS

De rebus, quæ generatim ad Sacrificium Missæ necessariæ sunt.

CAP. I. *De loco Sacrificii.* Pag. 1
2. *De Altari.* 4
3. *De Altaris ornatu.* 6
4. *De Calice,* 8
5. *De Patena, & aliis ad Calicem spectantibus,* 10
6. *De Hostia.* 12
7. *De Vestibus Sacerdotalibus, ubi de Amictu, Alba, & Cingulo.* 15
8. *De Manipulo, Stola, & Planeta; de Sacrarum Vestium benedictione, & quinque diversis earum coloribus,* 15
9. *De Birreto.* 18
10. *De symbolico sacrarum Vestium significatu,* ibid.
11. *De Ministro, qui Sacerdoti celebranti inservit,* 21
12. *De Præparatione Sacerdotis,* ibid.

LIBER SECUNDUS

De Missæ partibus.

CAP. 1. *De Missæ Ethymologia.* Pag. 23
2. *De Idiomate quo Missa celebranda est.* 24
3. *De Missæ initio.* 27
4. *De Introitu, Kyrie eleison, & Hymno Gloria in Excelsis,* 30
5. *De Orationibus, Epistola, Graduali, Tractu, & Sequentiis.* 33
6. *De reliquis actionibus, quæ fiunt a Sacerdote in hac Missæ parte,* 37
7. *De Evangelio.* 38
8. *De Symbolo.* 40
9. *De Offertorio,* 43
10. *De quinque Orationibus, quæ Offertorium consequuntur,* 44
11. *De Ablutione manuum usque ad Canonem.* 47
12. *De Canone Missæ.* 50
13. *De prima Canonis Oratione.* 53
14. *De secunda Canonis Oratione.* 59
15. *De tertia Canonis Oratione, ubi de Consecratione Panis, & Vini.* 60
16. *De quarta Canonis Oratione,* 67
17. *De quinta Canonis Oratione.* 72
18. *De sexta Oratione Canonis.* 73
19. *De Missa ab iis verbis,* Oremus præceptis &c. *usque ad infractionem Hostiæ.* 75
20. *De infractione Hostiæ usque ad Communionem.* 78
21. *De Communione Sacerdotis.* 83
22. *De Communione Populi.* 84
23. *De Orationibus, quæ submissa voce dicuntur in Missa.* 92
24. *De Missa a Communione usque ad finem.* 97

LIBER TERTIUS

In quo varii proponuntur & resolvuntur Practici casus circa Sacrificium Missæ.

CAP. 1. *Utrum Jesus Christus Apostolis & Sacerdotibus præceptum imposuerit celebrandi Missam. Utrum hoc teneatur præcepto Sacerdos, qui non habet curam animarum, nec quemquam alium præcipuum titulum, quo teneatur Missam celebrare. Quibus anni diebus obligetur ad Sacrificium celebrandum: & an, si legitime non impediatur, graviter peccet numquam celebrando.* Pag. 100
2. *Utrum convenientius sit, & ad mentem Ecclesiæ propius accedat celebrare, an non celebrare quotidie; celebrare frequenter, ac minus frequenter.* 102
3. *Quibusnam teneatur diebus celebrare Parochus: Quibus itidem diebus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis Missa cantanda sit. Quando celebrare Missam teneantur qui Beneficium, vel Capellaniam habent cum onere Missæ quotidianæ. Quibus diebus Missam celebrare non liceat.* 105
4. *An juxta, quæ nunc viget, disciplinam, possit plures in eadem die Sacerdos Missas celebrare.* 108
5. *Parochus etiam nunc duas Missas celebrare aliquando potest; In Orientali vero Ecclesia duæ Missæ in eodem Altari non celebrabuntur.* 110
6. *De Oratorio privato, atque an possit contingere, ut Sacerdos extra Ecclesias, & publica, vel privata Oratoria liceat sacrificium facere.* 112
7. *An celebrare liceat sine Planeta, sine Sacris indumentis, sine luminibus, aut Ministro, an denique in pollutis Ecclesiis; & qua hora Missam liceat celebrare.* 115
8. *De fructu medii applicatione ex ipso munere,* 117
9. *De obligatione applicandi ex Beneficio, vel ex præcepto Superioris, vel ex accepta eleemosyna.* 118
10. *Quid requiratur, ut valide Sacrificium fiat.* 120
11. *Quid requiratur, ut licite fiat Sacrificium; ac primo oportere Sacerdotem esse ab omni lethali peccato expiatum.* 124
12. *De Jejunio naturali ad licite celebrandum.* 127
13. *De reliquis, quæ servare oportet, ut licite Missa celebretur.* 129
14. *De defectibus quibusdam, qui interdum occurrunt in celebratione Missæ, & remediis quæ adhiberi debent: ac primo de casibus quibus Missa intermittitur.* 130
15. *De defectibus, qui possunt occurrere vel in pane, vel in vino, vel in forma consecrationis.* 134
16. *De concelebratione cum Episcopo ordinante vel consecrante, ubi etiam de applitatione Sacrificii.* 137
17. *Series quorundam casuum, qui Sacerdoti possunt occurrere, cum vel in Missa, vel extra Missam Eucharistiam suscipit.* 140
18. *De Sacerdote, qui in Missa adstantes Eucharistia communicat.* 142
19. *De usu ministrandi Eucharistiam extra Missam.* 145
20. *Alia, quæ in sacra Eucharistia ministranda observari debent.* 147
21. *De Missarum eleemosyna.* 149
22. *Variæ perpenduntur, ac resolvuntur quæstiones circa stipendium Missæ.* 158
23. *De Celebratione quarundam Missarum.* 158
24. *De Pietate, ac Religione in Sacro celebrando necessariis, ac de tempore, quod illis impendi debet.* 160

APPENDICES XXI.

AD LIBROS DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

A SS. D. N. BENEDICTO XIV. P. O. M. conscriptos, ex operibus ejusdem SS. Authoris desumptæ, ex quibus etiam quatuor ultima capita libri tertii conflata sunt, videlicet Caput 21. ex Synodo Diœc. lib. 5. Cap. 8., & Cap. 9. excepto ultimo numero. Cap. 22. Ex Institut. 56. exceptis numero 2. fine numeri 4. num. 10. & 12. usque ad 18. inclusive, & numeris 23. 24. & 25. Deinde numeri 10. & 11. ex Institut. 92. exceptis primis lineis. Num. 12. 13. & 14. ex Instit. 36. num. 15. 16. 17. 18. Numerus 15. ex Instit. 47. num. 23. exceptis primis lineis: demum Litteræ Apostolicæ ex primo Bullarii tomo. Cap. 23. ex Institut. 34. §. 5. Caput 24. ex Institut. 34. §. 6. exceptis ultimis lineis, quarum loco adduntur duo primi numeri ejusdem Institutionis.

Appendix 1. Ad lib. 1. cap. 3. n. 1. ex secundo Tomo Bullarii pag. 123. *De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam & visibiliter exposita super Altaribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur.* 163
Appendix 2. Ad lib. 1. cap. 8. num. 15. ex Institutionibus Ecclesiasticis pag. 90. Institutio 21. *De Benedictione, quæ Sacris Indumentis, & Vasis tribuitur, sive Sacra Unctio sit necessaria, sive minime requiratur. Origo ejusdem Benedictionis; quo pacto administrari debeat.* 166
Appendix 3. ad lib 2. cap. 2. & 3. *In qua circa Missæ Idioma, & aliquarum Liturgiarum diversitatem.* Ex Tom. 1. Bullarii pag. 167. n. 57. *ubi agitur de Ritu ab Italo Græcis, & Græcis Melchitis servando.* 169
Appendix 4. ad lib. 3. cap. 4. n. 11. *Privilegia a SS. D. N. Benedicto XIV. P. O. M. concessa Hispaniæ, & Lusitaniæ Regnis, atque Dominiis, pro Animabus in Purgatorio detentis. Catholicæ Majestati Mariæ Barbaræ de Portugal Hispaniarum Reginæ.* 171
Pio, atque Erudito Lectori. 172
Epistola SS. D. N. Benedicto XIV. scripta. ibid.
Gratiæ concessæ in Decreti Trium Missarum complementum ad ipsius executionem pertinent, quod utriusque Regis Ministri a SS. D. N. obtinuerunt. 179
Litteræ Apostolicæ in forma Brevis SS. D. N. Benedicti PP. XIV. quibus confirmatur Decretum ab ipsomet SS. D. N. conditum super facultate Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus concessa in Hispaniarum, necnon Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, atque Dominiis celebrandi Tres Missas die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ad utriusque Regis instantiam. ibid.
Appendix 5. ad lib. 3. cap. 5. num. 6. Ex Tom. 1. Bullarii pag. 481. num. 116. *Altare a Pontifice consecratum, super quo sacrum fecit variis Privilegiis decoratur.* 184
Appendix 6. ad lib. 3. cap. 6. num. 11. Ex Tomo 1. Bullarii num. 41. pag. 109. *Indultum pro celebratione Missarum super Triremibus Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.* 185
Appendix 7. ad lib. 3. cap. 8. num. 6. Ex Tomo 1. Bullarii n. 103. pag. 366. quæ inserta est in Editione Latina Patavina sect. 2. §. 60. pag. 183. *De Applicatione Missæ Parochialis pro Populo.*

lo, Conventualis vero pro Benefactoribus Ecclesiæ. Item de Divinæ Psalmodiæ cantu. 185
Appendix 8. ad lib. 3. cap. 8. & 9., *in quibus agitur de Applicatione Missæ, quod Argumentum iterum fusius discutitur cap. 21. & 22., circa onus applicandi Missam ex accepta eleemosyna; in hoc vero cap. 22. num. 9. agitur de forte Missæ perpetuæ: unde hic subjicimus ex lib. 5. de Synodo Diœcesana cap. 10.* 190
Item ex Synodo Diœcesana lib. 7. cap. 70. num. 4. & 5. 191
Appendix 9. ad lib. 3. cap. 12. *In qua disseritur de jejunio naturali, quod utrum a pulvere Nicosiano frangatur consulendum est caput 63. Synodi Diœcesanæ libri 7. n. 1. 2. & 3. ibid.*
Appendix 10. ad lib. 3. c. 18. n. 19. ex Tomo 1. Bullarii pag. 212. n. 64. *Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus potentibus infra ipsam actionem ministrare.* 192
Contra surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel particulas consecratas. Ex tom. 1. Bullarii n. 93. pag. 314. 193
Indicantur alia Auctoris loca, in quibus agitur de rebus ad Missam pertinentibus. 194
Appendix 11. *De diversis Missarum generibus, ubi citantur plurima loca ex Commentario de Festis Domini N., deinde subduntur* ex lib. de Synodo Diœcesana cap. 1. *quatuor primi numeri, in quibus agitur de Missa occasione Synodi celebranda, ibid.*
Citantur prima loca ex libris de Canonizatione, & locus ex Institutionibus Ecclesiast.: demum integer locus subjicitur ex lib. 4. de Canonizatione part. 2. cap. 2. a num. 1. ad 5. *in quo disseritur, quibus competat de Beatis Missam celebrare, atque Divinum Officium recitare.* 195
Appendix 12. ad cap. 24. *In quo agitur de pietate & Religione, qua Missa celebranda est: unde opportune statuitur non decere Sacerdotes celebrare Sacrum cum ascititia coma, ut habetur* in lib. 7. Synodi Diœcesi. c. 60. n. 5. *quem hic subjicimus. Hæc appendix attinet etiam ad lib. 1. cap. 9.* 197
De obligatione audiendi Missam in propria Parochia ex lib. 7. de Synodo Diœcesana c. 64. a n. 7. ad 10. 198
Qua ratione possit Missa in publicis Oratoriis ante Parochialem celebrari. 199
Appendix 13. *Epistola nuncupatoria, & Præfatio ad Lectorem ex Editione Patavina, qua unico Volumine exhibentur* Commentarii duo de D. N. Iesu Christi, Matrisque ejus Festis, & de Missæ Sacrificio, retractati, atque aucti. 200
SS. D. N. Benedicti XIV. Præfatio de ratione utriusque Commentarii de Festis, & de Sacrificio Missæ, *quæ in prima editione præfixa erat, Latine demum reddita prodiit in fine Operis* Institutionum Ecclesiasticarum *Typis Sacræ Congreg. de Prop. Fide Ann. 1747.* 201
Ex Epistola Præstantissimi, & Sapientissimi Præsulis Conimbricensis ad hujus Voluminis editorem, citata tomo 7. pag. 115. & pag. 120. 208

Additio appositarum *Appendicum* post Indicem generalem ut cautum est in *Monitu*.

Appendix XIV. ad Lib. 1. cap. 2. n. 1. ex Tomo III. Bullarii Edit. Rom. pag. 359. *Permittitur Latini Ritus Presbyteris in Russia Polonica degentibus, in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Altaribus seu Tabulis consecratis, & Calicibus aureis &c. sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis, & cum Calicibus e stanno celebrare.* 209
Appendix XV. ad lib. 2. cap. 2. ex Tomo III. Bullarii Edit. Romana pag. 223. *Ecclesiasticis omnibus Ritus Slavo Latini præcipitur, ut in Missis & Divinis Officiis Slavum Litterale idioma cum characteribus Hieronymianis retineant, & Missalibus, Breviariis &c. utantur Typis Congreg. Propaganda Fidei editis.* 211
Appendix XVI. ad lib. 2. cap. 13. n. 2. ex Tomo IV. Bullarii Edit. Rom. pag. 369. *De commemoratione Summi Pontificis, Episcopi, Archiepiscopi, & Regis in Missa facienda.* 212
Encyclica ad Missionarios per Orientem deputatos, in qua a Syriacis, & Armenis in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentibus proprium Ritum servari præcipitur. Missionariis denegatur facultas dispensandi eosdem Syriacos & Armenos super abstinentia a Piscibus jejunii tempore: omnes denique Græcos & Orientales Ritus conservandos esse decernitur: monenturque Missionarii ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus, & schismate revocent, non a suis approbatis Ritibus avertant. Ex Tomo III. Bullarii Edit. Rom. pag. 286. 213
Appendix XVII. ad lib. 3. cap. 4. ex Opere de Festis Domini Par. 1. num. 670. 671. 673. *Asseruntur nonnulla exempla plurium Missarum olim eadem die ab eodem Sacerdote celebratarum.* 233
Epistola Summi Pontificis, in qua celebratio trium Missarum Natalitio Christi die præcipuus Latinæ Ecclesiæ Ritus demonstratur: ideoque universim ab Orientalibus, præsertim vero ab Armenis Liburno in Portu commorantibus, non usurpandus. Ex Tomo IV. Bullarii pag. 358. 234
Appendix XVIII. ad lib. 3. cap. 4. n. 2. & cap. 6. a n. 1. ad 7. ex To. III. Bull. p. 377. *Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos & Episcopos Regni Poloniæ, de tollendis abusibus ab Oratoriis privatis quæ sunt in domibus Laicorum.* 235
Decretum felicis recordationis Clementis PP. XI. circa celebrationem in Oratoriis privatis. 242
Appendix XIX. ad lib. 3. cap. 12. n. 3. ex Tomo IV. Bullarii p. 404. *Indultum, quo facultas tribuitur Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi, ut Sanctam Eucharistiam possit suscipere, de Spiritualis Directoris sui consilio, etsi post medium noctem jentaculum aliquod, sic exposcente valetudine, sumpserit. ibid.*
Appendix XX. ex Instit. XXXIV. de Sacro Missæ Sacrificio. *Quid agendum sit erga Sacerdotes exteros, incognitos, qui rem divinam facere deposcunt, quidve erga Presbyteros, non quidem luminibus captos, sed tantum cæcutientes. De hora & loco, quibus Sacrificium Missæ indici debet. De Sacris Indumentis, quibus uti debent Sacerdotes ad Altare rem Divinam facturi, ac de illis, quæ in Sacro agendo prohibentur.* 245
Appendix XXI. *Epistola Summi Pontificis ad Reverendissimum Dominum Ignatium Rhalem de celebratione Missæ a sedente.* 250
Indultum Pauli PP. III. Joanni Episcopo Pampilionen. ut posset celebrare Missam sedendo. 256
Aliud indultum super eadem re a S. Pio PP. V. Card. Ferrerio concessum. 257
Decreta *Sacræ Rituum Congregationis notis illustrata ad Tractatum de Sacrosancto Missæ Sacrificio pertinentia.* 258

UAB Biblioteca de Ciències Socials

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

CONcediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato: *Opere di Benedetto XIV. Tomi* 15. *riſtampa:* oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 19. Marzo 1785.

(PIERO BARBARIGO RIF.
(ANDREA TRON CAV. PROC. RIF.
(GIROLAMO ASCANIO GIUSTINIAN CAV. RIF.

Regiſtrato in Libro a C. 152. al N. 1332.

Davidde Marcheſini Segr.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER PRIMUS.

DE REBUS QUÆ GENERATIM AD SACRIFICIUM MISSÆ NECESSARIÆ SUNT.

Hujus Operis quod argumentum, qui finis, quæ ſcribendi ratio.



Uæ nos ad hoc argumentum explicandum impulerint, ſatis jam conſtare arbitramur. Illud tamen hoc loco minime tacendum putamus, nos non juſtum & ex omni parte integrum de Sacrificio Miſſæ tractatum ſcribendum ſuſcipere: hanc enim ſpartam multi, iique magni nominis, Theologi ſatis ornarunt. Noſtrum conſilium eſt, pauca quædam ante Sacerdotum oculos ponere, quæ eos tenere oportet, ut populum de ritibus, cæremoniis, aliiſque, quæ ad Miſſæ Sacrificium pertinent, pro ſuo munere doceant, idemque, ut decet, ſacrificium faciant, gnari quid & quamobrem faciant. Opus hoc dividitur in tres Libros: primus de loco ubi Miſſa eſt celebranda, de Vaſis Sacris, quibus utimur in Sacrificio, de Sacerdotalibus veſtibus; ſecundus de ſingulis Miſſæ partibus, ac de ritibus cæremoniiſque cujuſque partis præcipua complectitur capita; tertius vero quoſdam caſus perſequitur, qui cum interdum in Miſſa contingant, minime convenit eam celebranti, quid conſilii capiat, non eſſe conſultum.

CAPUT I.

De loco Sacrificii.

Miſſa in Templis ab Epiſcopo conſecratis, aut in privatis Sacellis Epiſcopi permiſſu celebranda.

1. GEneratim Miſſa in templis eſt celebranda, quæ Epiſcopus conſecraverit, vel ipſe ſaltem, aut Sacerdos aliquis mandato Epiſcopi benedixerit. Eorum enim benedictio mandari poteſt ei, qui Epiſcopus non ſit; conſecratio vero non item, quæ ab ipſo Epiſcopo, vel ipſius mandato ab alio Epiſcopo eſt peragenda. Celebrari etiam poteſt in privatarum domorum ſacellis, impetrata venia ab eo, qui hujuſmodi dandæ facultatis poteſtatem habeat. Interdum tamen peculiare quiddam intervenit, ut etiam extra templa, & privata ſacella ſacrificium peragi poſſit; quod multis auctoritatibus e ſacrorum Canonum penu depromtis in libro tertio confirmabimus; in quo de iis, quæ in actione verſantur, ſeu quemadmodum vulgo dicitur, ad praxim pertinent, ſermonem habebimus, eaſque occaſiones exponemus, quibus extra templa & privata ſacella Miſſam celebrare licet, & quæſtiones aliquot, quæ ad eam, juxta recentem diſciplinam, in privatis ſacellis celebrandam attinent, enodabimus. Quamobrem in præſentia de loco, in quo Eccleſiæ primordiis, atque etiam medii ævi temporibus Miſſæ ſacrificium peragi conſueverat, diſſeremus.

Auctoritates duæ ex novo Teſtamento, quæ ad locum pertinent, ubi tempore Apoſtolicis Miſſa celebrabatur.

2. Narrat in Actis Apoſtolorum cap. 20. S. Lucas, Fideles in tertiam domus contignationem, ubi plures accenſæ erant lampades, *ad frangendum panem* convenisſe; in eo cœnaculo cum Paulus diſputaret, adoleſcentem quemdam nomine Eutychum ſomno gravatum e feneſtra, in qua aſſederat, decidiſſe, & a Paulo vitæ reſtitutum; Apoſtolum poſtea, ſumto Euchariſtico pane, ceteriſque diſtributo, illinc abiiſſe. Idem Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. ait, eam Corinthiorum fuiſſe conſuetudinem, ut cum ad Cœnam Domini convenirent, ſuam quiſque cœnam ſecum afferret, ex quo fiebat, ut alius quidem ad ſatietatem comederet, alius eſuriret; coſque increpans monet, ut ſi eos comedendi cupiditas tenet, domi quiſque ſuæ comedat. *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* Addit, ejuſmodi morem in Eccleſiæ Dei contemtum vertere, *Eccleſiam Dei contemnitis*; aut in pauperum confuſionem, *aut confunditis eos qui non habent.*

Expenditur locus ſuperatus ex 1. Ep. ad Cor. cap. 11.

3. Ex priore Actorum loco colligi poſſe videtur, Miſſam in tertia ædium contignatione celebrari conſueviſſe; ex poſteriore autem quiſpiam arguere poſſet, jam tum publica extitiſſe templa, in quibus peragereturSacrificium Miſſæ, & panis Euchariſticus diſtribueretur. Verum tuto id

affirmari non poteſt: locum enim illum ex Epiſtola ad Corinthios ita interpretantur Viri graviſſimi, ut Corinthii ſequuti exemplum Chriſti, qui Sacram Euchariſtiam poſt cœnam inſtituit & diſtribuit, prius dapibus veſcerentur, ac deinde panem Euchariſticum ſumerent, atque ita divites opipare epularentur; contra egeni & pauperes aut nihil aut pauxillum comederent; ex quo plurima orirentur incommoda & ſcandala, quæ Apoſtolum ad eos gravibus verbis caſtigandos impulerunt. Ceterum ex Apoſtoli verbis non eſt exploratum, id fieri conſueviſſe in templo. Nam verba illa, *Eccleſiam Dei contemnitis*, non ita ſunt accipienda quaſi domum ſignificent, quo Fideles convenirent, ſed, ut plures interpretantur, cœtum Fidelium, qui Eccleſia Dei appellatur, & quem ſe cibo vinoque ingurgitantes dedecorabant. Vide Eſtium in Commentar. ad cap. 11. Epiſtolæ 1. ad Corinth.

Primis Eccleſiæ ſæculis etiam extra templum, ubi templi copia non eſſet, Miſſa celebrabatur.

4. Quamobrem ut aliqua lux affulgeat locum inveſtigantibus, quo primis Eccleſiæ ſæculis Miſſa celebrabatur, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri ſunt adeundi; quibus docemur, primis Eccleſiæ ſæculis aliquando in templis, aliquando etiam, cum in iis celebrandi copia non eſſet, extra templa Miſſæ ſacrificium eſſe peractum; conſtantem tamen, ac perpetuam fuiſſe diſciplinam, ut cum facultas daretur, ſemper in templis locisque Deo conſecratis Miſſa celebraretur.

In ipſis Eccleſiæ primordiis probatur Miſſam celebratam eſſe in templis.

5. Vel a primis Chriſtianæ Religionis temporibus in templis Miſſæ Sacrificium fieri conſueviſſe diximus. Nam magnus Baronius ad annum Chr. 57. num. 98. Sanctorum Pii I. & Evariſti Romanorum Pontificum, tum Euſebii & Optati, atque etiam ipſorum Ethnicorum teſtimoniis probat, in ipſis Eccleſiæ primordiis fuiſſe Romæ plura templa. Hæc modo *Dominicum*, modo *Domus Dei*, modo *Baſilica*, modo *Memoria*, modo *Martyrium*, modo *Titulus* appellabantur. Primo Eccleſiæ ſæculo Ignatius Martyr Epiſcopus Antiochenus Epiſtola ad Magneſios eos hortatur, ut in locum, quod *Templum Dei* nominatur, conveniant; & in Epiſtola ad Philadelphios, *Una*, inquit, *eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus Calix in unionem Sanguinis ipſius, unum altare, & unus Epiſcopus cum Presbyterio & Diaconis conſervis meis*. Et vergente in finem ſecundo ſæculo ſcripſit Tertullianus lib. de Idololatria: *Tota die ad hanc partem zelus Fidei perorabit ingemens, Chriſtianos ab Idolis ad Eccleſiam venire, de adverſaria officina in domum Dei, attollere ad Deum Patrem manus matres Idolorum*. Si vero his, & aliis quamplurimis Veterum Scriptorum ſententiis quæ facile adduci poterant, clare deducitur etiam a primis ſæculis Eccleſias extitiſſe, nullus erit qui in dubium revocare poſſit, Miſſas inibi celebrari ſolitas.

Varia templi nomina.

Seviente perſecutione nullus erat locus, ubi Miſſa non celebraretur.

6. Diximus itidem, vel ab initio Chriſtianæ Religionis, ſi celebrandi in templo non daretur copia, Sacrificium Miſſæ extra templum eſſe peractum. Conſtans enim traditio eſt, B. Petrum Apoſtolum a Pudente Senatore Romæ domi ſuæ eſſe exceptum; eo Chriſtianos ad ſacram Synaxim conveniſſe; eam Pudentis domum eſſe, quæ nunc dicitur templum S. Pudentianæ; ut videre eſt in Notis ad Martyrologium Romanum Baronii ad diem 19. Maji. Nobiliſſimum fuit ineunte quarto ſæculo S. Saturnini & Sociorum Martyrium, cujus Acta refert Ruinartius. In his proditum eſt, ſub Diocletiano & Maximiano templa fuiſſe everſa· vetitum ne ſacri celebrarentur ritus; neve divini Conventus agerentur. Relatum eſt in eadem Acta, Saturninum Presbyterum cum Lectoribus Saturnino & Felice filiis, aliiſque ſeptem & quadraginta ſociis, fruſtra Diocletiani edicto reclamante, Miſſam celebraſſe: *Namque in Civitate Abitinenſi in domo Octavii Felicis, cum bellica caneret tuba, Dominica ſigna glorioſi Martyres erexerunt, ibique celebrantes ex more Dominicum, a Coloniæ Magiſtratibus, atque ab ipſo milite ſtationario apprehenduntur Saturninus Presbyter cum filiis quatuor, ideſt Saturnino juniore, & Felice Lectoribus, Maria Sanctimoniali, Hilarione infante.*

Quid ſit Collectas facere, Collectas celebrare, & quid ſit Dominicum.

7. Oſtendit Ruinartus, celebrare *Dominicum* idem eſſe, ac Miſſam celebrare. In iiſdem Actis Thedica Martyr in tormentis confeſſa eſt, *integre ſe celebraſſe Collectam, quando cum ipſis etiam Presbyter fuerat*. Dativus, cum ab eo quæreretur, apud eadem Acta, *utrum in Collecta fuiſſet*, reſpondit, cum veniſſet, jam cœptam eſſe Collectam, ſed *Dominicum cum fratribus congrua devotione celebraſſe*. Et Saturninus reſpondit Proconſuli: *Securi Dominicum celebravimus. Proconſul ait: Quare? Reſpondit: quia non poteſt intermitti Dominicum*. Verba illa ſunt notatu digniſſima, *integre Collectas celebrare*, quod idem eſt ac Miſſas celebrare; Collectæ enim nonniſi præſente Presbytero, qui conſecraret, integre poſſunt celebrari. Adnotanda etiam illa: *Collectas facere; Collectas celebrare*, quæ adeſſe Miſſæ ſignificant, quod colligitur ex S. Gregorio Turonenſi de Gloria Martyrum lib. 1. cap. 55. de Gloria Confeſſorum cap. 65. Huc quoque pertinet, Miſſas celebratas eſſe in carceribus, quod apparet ex S. Cypriani Epiſt. 5. ad Presbyteros & Diaconos; quod monuit Sanctus Martyr, ut ad carceres, ubi in vincula Chriſti Confeſſores conjecti eſſent, clanculum, ne ab Ethnicis deprehenderentur, ad Miſſam celebrandam accederent. Cum vero teterrimæ illæ in Chriſtianos perſecutiones ſævirent, nullus fere non erat locus, ubi Miſſa celebraretur. Locus eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 6. cap. 30. *Acceptabilem Euchariſtiam offerte in Eccleſiis veſtris, & in Cœmeteriis*; & in Actis Martyrii S. Stephani Papæ: *Romæ in Cœmeterio Callixti in perſecutione Valeriani, dum Miſſæ Sacrificium perageret, ſupervenientibus militibus, ante Altare intrepidus & immobilis cœpta myſteria perficiens, in ſede ſua decollatus eſt*. Ita Martyrologium Romanum ad diem 2. Auguſti. Cum in Chriſtianos itidem ſæviretur, tradit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. Eccl. Hiſt. vetitum, ne Chriſtiani conventus agerent, ac deinde ſubjicit cap. 22. *Cumque ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque feſtos egimus dies. Quivis locus, in quo varias ærumnas ſingillatim pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar Templi ad ſacros conventus peragendos fuit.*

Conſtantem fuiſſe probatur diſciplinam celebrandi Miſſam in templis, iisque conſecratis.

8. Poſtremo diximus, conſtantem ac perpetuam fuiſſe in Eccleſia diſciplinam, ut ſemper in Templis, ubi copia ſit, Miſſæ ſacrificium celebretur. Locus eſt luculentiſſimus S. Baſilii libro de Baptiſmo cap. 8. *Nobis periculum eſt male obiti mandati, ſi loci dationem neglexerimus, maxime ſi Sacerdotii myſteria in locis profanis celebraverimus, propterea quod ea res indicium haberet contemtus in celebrante, offendiculum quoque generaret*. Apertiſſimum etiam eſt Cyrilli Alexandrini teſtimonium libro adverſus Anthropomorphitas cap. 12. *Donum ſive oblatio, quam myſtice celebramus, in ſolis Orthodoxorum ſanctis templis offerri debet, neque alibi omnino. Qui ſecus faciunt, aperte Legem violant*. Quin etiam conſtans diſciplina ſemper fuit, ut non modo in templis, ſi fieri poſſet, ſed in templis conſecratis Sacrificium Miſſæ perageretur. Quapropter tota Athanaſii Apologia ad Conſtantium in eo verſatur,

tur, ut falsum demonstret rumorem illum qui percrebuerat, sanctum Episcopum in templo non consecrato Missam celebrasse: *Cæterum quia de magno templo magnum crimen concinnant, quod ibi Synaxis habita sit, priusquam absolutum esset:* En crimen; cui diluendo respondet Athanasius, se in solemnibus Paschæ sacra peragentem mysteria in templo, quod populum universum non caperet, invitatum esse a Fidelibus in novum, quod amplius esset, nondum tamen consecratum, ut in eo sacræ precationes commodius fierent; se autem primum reluctante, multos inde abiisse, in agrum egressos, ut ibi sine turba & incommodo orarent: quod cum minime decere reputasset, se passum esse, ut populus in templum recens extructum necdum consecratum ingrederetur, ut in eo Dominum Deum precaretur; id vero nihil impedire, quominus ipsum consecraretur templum; idque ait futurum, si Constantii, cujus sumptibus templum excitatum fuerat, accessisset consensus. *Hujus ergo Dedicationis te, Litterarum studiosissime Imperator, auctorem esse oportet. Locus enim ille precibus in eo fusis ante expiatus præsentiam tuæ pietatis requirit: hoc enim solum ei deest ad plenum ornatum.*

Templorum consecratio ex Apostolica institutione.

9. Quod si de templorum consecratione pauca quædam velimus attingere, profecto sacrum illum Ritum e veteri Testamento in novum Apostolica institutione existimamus esse traductum, quem statim utraque Ecclesia Orientalis & Occidentalis sunt amplexatæ. Neque enim eam cæremoniam excogitavit S. Evaristus Pontifex, quem vere possumus dicere quosdam Ritus tantummodo addidisse, ut ostendit Cardinalis Bona Rerum Liturg. lib. 1. cap. 20. num. 3. Et Pagius in Vita S. Evaristi num. 3. Quapropter Eusebius Cæsariensis Eccl. Hist. lib. 10. cap 3. Constantino Sacris Religionis nostræ initiato lætitiam commemorans, quam ex ea re Christiani cœperant, tradit tum templa extructa fuisse & consecrata; eumque Ritum innuit jam fuisse antea introductum, sed persecutionum tempore intermissum; tandem, pace per Constantinum Ecclesiæ reddita, revocatum. *Votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, Dedicationum scilicet Festivitas per singulas Urbes, & Oratoriorum recens structorum Consecrationes.* Et paullo post: *Jam vero Antistitum absolutissimæ cæremoniæ & accurata sacrificia Sacerdotum, & Divini quidem augustique Ritus hinc Psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium, illinc divina & arcana obeuntium ministeria.* Proditum est in Lege, Moysem tabernaculum consecrasse: *Unxit & sanctificavit cum omnibus vasis suis altare, & similia*, ut est in Exodi cap. 40. & Numer. cap. 7. quod quidem Consecrationis nostrorum templorum figura quædam fuit, si erudito Petavio habenda fides sit de Eccles. Hierarch. lib. 3. cap. 5. Salomon etiam solemnem Templi Dedicationem celebravit: *Dedicavit Domum Dei Rex, & universus Populus*, Paralipomen. 2. mactavitque duo & viginti millia boum, & sex & viginti millia arietum. Judas Machabæus, postquam fœdis superstitionibus pollutum Templum expiavit, & altare lapideum posuit, Encænia celebravit, seu quod idem est, Festum Dedicationis, teste Isidoro, qui lib. 1. de Ecclesiast. Officiis cap. 35. scribit: *Encænia Festivitas erat Dedicationis Templi.* Eam vero Festivitatem constat Judæos celebrasse etiam Jesu Christi tempore, qui eam præsentia sua illustravit Joan. cap. 10.

Temere & impie Calvinus templi consecrandi ritum irridet.

10. Hæc vero sacrarum Scripturarum loca non modo evincunt a Judæis ad Christianos templi consecrationem manasse, sed etiam luculenter ostendunt, quanta injuria, quamque temere Calvinus sacrum ejusmodi Ritum irriserit Instit. lib. 3. cap. 20. Facile enim ea diluitur ratio, cui potissimum ille innititur, parietes nimirum res esse inanimes, quæ ut gratiæ, ita etiam consecrationis recipiendæ aptæ non sunt; nam *Ecclesia materialis* ideo consecratur, ut sanctificatio illa repræsentetur, quam *Ecclesia formalis* seu cœtus Fidelium per Passionem Christi consequutus est, ut docet D. Thomas 3. part. q. 83. art. 3. ad 2.

De loco, ubi celebranda est Missa exponitur medii ævi, ac novissima denique disciplina.

11. Hactenus de primis Ecclesiæ sæculis. Medii vero ævi temporibus eadem plane fuit quæ vetustis illis sæculis disciplina. Ecclesiasticis enim sanctionibus vetitum est, ne quisquam extra templum nisi necessitate adactus Missæ Sacrificium peragat; & si quidem necessario coactus Sacerdos extra templum sacrificet, jubent Ecclesiæ leges, id supra petras fieri, quas Episcopus consecraverit. Cujus rei argumenta depromi possunt ex Dacherii Spicilegio tom. 1. pag. 403. Sirmondo tom. 2. nuperrimæ edit. pag. 668. & 669. Thomassino par. 1. lib. 2. cap. 25. num. 2. & seq. tom. 10. Hist. Eccl. Fleury pag. 264. & tom. 5. Hist. Eccl. Gallicanæ Longueval pag. 318. & 374. Temporibus haud multum ab ætate nostra remotis actum de usu tollendo celebrandi Missas in privatis domibus seu earundem sacellis, ut constat ex Collationibus trium Cardinalium & quinque Prælatorum, quos Ecclesiæ reformationi Paulus Tertius præfecerat, & quorum consultationes referuntur tom. 18. Eccl. Hist. Fleury, ubi pag. 167. articulum reperies, qui ad rem pertinet, de qua agimus. Verum, ut in tertio libro suo loco dicemus, res eo deducta est, ut Episcopi nulli deinceps facultatem concederent in Oratoriis privatarum domorum celebrandi Missam, & ejusmodi concedendi facultatem soli Romano Pontifici potestas reservaretur. Hoc modo sublatus malus usus, nec tamen, ut ajunt, radix convulsa. Non enim apud severiorem etiam antiquitatem novum est, Missam in privatarum domorum Oratoriis celebrari. Nam D. Paulinus in vita S. Ambrosii narrat, dum Romæ esset, ab illustri quadam matrona, quæ trans Tiberim habitabat, invitatum S. Ambrosium Missam in ejus domo celebrasse; quod animadvertit Pamelius Canonicus Burgensis in Liturgia Latinorum tom. 1. pag. 291. & in Sacramentario Gallicano, quod in tom. 1. Musei Italici edidit Mabillonius pag. 364. habetur Oratio dicenda in Missa, quæ celebraretur *in domo cujuslibet*. Illustre quoque exemplum educitur ex lib. 5. Epist. 43. S. Gregorii. Venantii cujusdam oblationem recusaverat Episcopus Syracusanus, nec sinere voluerat, ut in ejus domo Missa celebraretur; quamobrem illum hortatur S. Pontifex, ut oblationem accipiat, & Missam in ejus domo celebrari patiatur, immo ipse Missam celebret, ut reconciliatam inter eos gratiam omnibus palam faceret: *Et in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittatis; aut sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas priorem gratiam reformare.* Quod etiam observavit Casalius de veteribus sacris Christianorum Ritibus cap. 9. pag. 74. edit. Romanæ anno 1647. De hujusmodi tamen privatis Oratoriis Ecclesiam novimus aliquid interdum decrevisse: ex quo intelligi potest, eorum quidem malum usum, non usum ab ea improbari. Malus autem eorum usus est, si quis in iis Oratoriis sacras illas cæremonias peragi postulet, quæ in templis sunt peragendæ, aut Missas iis diebus celebrari, quibus Missas in privatis Oratoriis celebrare non licet. Concilium Trullanum can. 21. hæc statuit: *Clericos qui in Oratoriis,*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

quæ ſunt intra domos, miniſtrant, vel baptizant, hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere debere decernimus: & can. 59. *In Æde Oratoria, quæ eſt intra domum, Baptiſmus nequaquam peragatur*. In Agathenſi quadam Synodo ſexto ſæculo habita vetitum legimus, ne quis in privatis ſacellis Miſſam celebret, cum aguntur feſta maxima, cujuſmodi ſunt ſolemnitates Paſchatis, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. Iis enim diebus quiſque Miſſæ in Parochiali Eccleſia adeſſe jubetur. Idem etiam ſtatuit Aurelianenſe Concilium ſexennio poſt habitum, cujus Decretum refert Gratianus in can. *Nulli* de Conſecrat. Diſtinct. 1. Quæ de privatis hujuſmodi Oratoriis alia reſtant monumenta etiam remotioribus ab ætate noſtra temporibus, reperias apud Bocquillot Tractatu Hiſtorico Liturgiæ ſacræ lib. 2. cap. 7.

Beda locus, ab Hildebrandi Hæretici calumniis vindicatus.

12. Venerabilis Beda Hiſtoriæ ſuæ lib. 6. cap. 9. conqueritur, ſummates Viros eo tempore nonniſi orandi cauſa & Concionem audiendi Eccleſiam frequentare conſueviſſe: *Niſi orandi, & audiendi verbum cauſa veniunt*: ac Regem cum quinque aut ſex Miniſtrorum ſuorum comitatu ad Eccleſiam venire, atque inde, Concione audita, illico abire. Ex quo Bedæ loco Joachimus Hildebrandus hæreticarum partium homo in libro de precibus Veterum Chriſtianorum pag. 33. Eccleſiam Catholicam perperam calumniandi occaſionem arripuit. Ait enim, Primores Viros ideo conſueviſſe poſt Concionem abire, ne Miſſæ adeſſent, quæ jam tum ineptiis & ſuperſtitionibus contaminari cœperat. Neminem vero eſſe putamus, qui venenatam hæretici hominis calumniam non agnoſcat. Id enim Beda conqueritur quod cum orandi cauſa & Concionem audiendi ad Eccleſiam venirent, in Eccleſia itidem Miſſæ non adeſſent, ſed in privatis quiſque ſuis Oratoriis ante, vel poſtea Miſſam audirent: Cumque dubitari nullo modo poſſit, quin idem prorſus eſſet Miſſæ Ritus, quæ in Eccleſia, quam ejus quæ in privatis Oratoriis celebrabatur, amentem illum omnino eſſe oportet, qui Primores Viros exiſtimet ideo Miſſæ in Eccleſia adeſſe noluiſſe, quod Miſſa ineptiarum & ſuperſtitionum jam plena eſſet. Nam ſi vera hæc cauſa fuiſſet, quamobrem Miſſam in Eccleſia non audirent, ne in Oratorio quidem privato Miſſam ſibi audiendam exiſtimaſſent. De templorum Conſecratione loquuntur Theologi, cujus eam rationem afferunt, quod locum miniſterio, cui deſtinatus ſit, *accommodatum* eſſe oporteat; quamobrem templa, quæ Chriſtiani peragendo Miſſæ Sacrificio deſtinaverint, debere omnino conſecrari. Videatur Coll. 16. Lucionenſis par. 5. p. 558. & ſeq.

CAPUT II.

De Altare.

Altare lapideum eſſe oportet & conſecratum, aut ſaltem ſacra petra inſtructum. Recenſentur omnia, quibus ornari debet.

1. ALtare, ſuper quo Miſſæ Sacrificium ſit peragendum, lapideum eſſe oportet, & ab Epiſcopo conſecratum; & ſi quidem non ſit ex lapide, Sacra Petra ſaltem inſtrui debet, quam Epiſcopus conſecraverit; eaque tanta ſit magnitudine, quæ Hoſtiam & majorem Calicis partem capiat. Tectum altare ſit ternis linteis mundis, benedictis ab Epiſcopo, vel quovis alio, cui poteſtas ſit ea benedicendi. Longum eſſe oportet ſuperius linteum utrinque ad terram uſque demiſſum; reliqua duo breviora; quin unum tantummodo linteum ſatis eſſe poteſt, ſi tamen duplicetur. Anterior Aræ facies amiculo ſeu pallio, ut vocant, contegenda, cui color ille ſit, qui Feſtivitati ſeu Officio congruat. In medio Altari eſt Crux erecta, cujus ab utraque parte candelabra ſint cum candelis accenſis ſaltem duabus. Ad inferiorem Crucis partem ponatur ea, quæ Tabella dicitur Secretarum. In cornu Epiſtolæ pulvinus Miſſali ſupponendus, & ab eadem Epiſtolæ parte paretur Cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, binæ ampullæ vitreæ, quantum altera vini, altera aquæ plena ſit, cum pelvicula & manutergio mundo in feneſtella, ſeu parva menſa ad hæc præparata.

Conſecratio templi & Altaris orta ex unctione qua Jacob Altare perunxit.

2. Hæc in Rubricis Miſſalis continentur; quæ nos quoad poſſumus illuſtrabimus. Et primo, in lege naturæ Altaris ejuſque conſecrationis mentionem fieri comperimus. Nam Geneſeos cap. 28. narrat Moyſes cæleſtem viſionem, quæ dormienti Jacob oblata eſt, qui experrectus *tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper*. Vertus non conſecrandi cauſa, *Fertur confutatur.* ſed idcirco Jacob unxiſſe lapidem putat, ut ſignum exſtaret, ibi eam ſibi viſionem eſſe oblatam, ut ad eundem locum redeunti viſa petra oleo peruncta ſibi ſubiret memoria viſionis. Quam ſententiam jure Tournelius riſu excepit tom. 2. de Euchariſtia edit. Pariſien. pag. 396. Qui enim potuiſſet Jacob, pura poſt viginti annos, ex oleo quod ſuper lapidem fudiſſet, locum agnoſcere, ubi viſionem illam vidiſſet? Non enim fieri potuiſſet, quin, vel ſole, vel ipſo aere perflante, oleum omnino exſiccaretur. Quamobrem melior ea de re Calmeto mens fuit, qui ad illud caput Geneſeos n. 18. obſervavit ex ea unctione, qua Jacob oleo lapidem perunxit, ſacram ortam eſſe adhibendi oleum in templorum Altariumque conſecrationibus cæremoniam.

Altaris mentio fit etiam in novo teſtamento, & in omnibus Liturgiis.

3. In novo etiam Teſtamento mentio fit Altaris; nam D. Paulus ad Hebr. c. 13. *Habemus*, inquit, *Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*. Locum illum Apoſtoli in hunc modum explicant ſacri Interpretes, quos laudat & ſequitur a Lapide ad eundem locum verſ. 10. Altare habemus, in quo Chriſti Corpus & Sanguinem jam in Cruce immolatum offerimus, cujus Sacrificii neque participes fiunt Levitæ, neque Judæi, ſed Sacerdotes Chriſtiani, cæterique Fideles, cum Sacra Euchariſtia reficiuntur. Eſtius ſequutus D. Thomam voce illa *Altare* putavit Chriſti Crucem, ſive etiam ipſum Chriſtum ſignificari: *At vero S. Thomas Altare hoc interpretatur Crucem Chriſti, vel ipſum Chriſtum: de quo Altari, inquit, edere eſt fructum Paſſionis Chriſti percipere, & ipſi tanquam capiti incorporari*. Nihil nos de utraque interpretatione ſtatuimus: illud vero dicimus, diſertiſſime de Altari mentionem fieri in Matthæi Evangelio cap. 5. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*: qui locus nullà ſane indiget interpretatione, ut obſervarunt Walemburg. Controverſiar. tom. 2. cap. 39. Quævis præterea Liturgia Menſam ubi ſacrificetur commemorat, eamque verum Altare appellat, quod in ea verum Deo Sacrificium offeratur, idque uberrima argumentorum vi & copia eruditiſſime oſtendit P. le Brun tom. 3. de Miſſa pag. 576. & ſeq. & Altarium conſecrationem itidem ut templorum, vetuſtiſſimum eſſe ritum Apoſtolicum probat; quod etiam obſervavit Pouget Inſtitut. Catholicar. tom. 2. edit. Pariſien. ann. 1725. pag. 906. Quamquam vero Origenes, Minutius Felix, Arnobius, & Lactantius, adverſus Gentes, quæ Chriſtianis exprobrabant, nulla iis eſſe Altaria, ejuſmodi criminationem non rejecerunt, quin etiam id verum eſſe confeſſi ſunt; certiſſimum tamen eſt, eos de aris eſſe loquutos, quæ erigebantur, ut ſuper iis ſimulacra falſorum Deorum colerentur, vel victimis mactandis cruen-

ta

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ta fierent Sacrificia ; quod ingenue fatetur ipſe Binghamus licet hæreticarum partium homo, Orig. Eccleſiaſticar. tom. 3. pag. 224. & ſeq. In eandem explicationem conſentit Grancolas in Veteri Eccleſiæ Sacramentario tom. 1. pag. 35.

Solvitur objectio poſita ex veterum Chriſtianorum Apologiis.

4. *Objicit nobis Celſus, quod non habeamus imagines, aut aras, aut Templa.* Sunt verba Origenis lib. 4. contra Celſum. Et apud Minutium in *Octavio* objicit Chriſtianis Cæcilius: *Cur nullas aras habent? templa nulla? nulla nota ſimulacra?* Et Arnobius adverſus Gentes lib. 6. *Accuſatis nos*, inquit, *quod nec Templa habeamus, nec Imagines, nec Aras.* Quod quidem veriſſimum erat. Chriſtiani enim aras non habebant, ut ſuas Ethnici firmas & ſtabiles, ſed mobiles, quas huc atque illuc liceret transferre, ut explicat Bocquilot Tractatu Hiſtorico ſacræ Liturgiæ lib. 1. cap. 5. pag. 82. Ex eo autem, quod veteres Chriſtiani conceſſerint, ſe carere altaribus, luculenter tamen oſtendi poteſt, inde non poſſe iſtud inferri, nulla eis fuiſſe altaria, in quibus Euchariſticum Deo Sacrificium offerrent. Nam illi iidem Patres, qui Chriſtianis nullas eſſe aras confeſſi ſunt, cum de menſa loquuti ſunt, in qua Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, mentionem de Altaribus facere non prætermiſerunt, ut bene advertit P. Lamy lib. 7. de Templo Jeroſolymitano cap. 3. ſect. 1. & Fraſsen tom. 11. Theologiæ Roman. edit. pag. 339. Lucianum Martyrem celebrandæ Miſſæ cauſa, dum in vinculis eſſet, proprio uſum pectore tanquam Altari proditum eſt; & Diaconorum manus pro Altari ad ſacrificandum adhibuiſſe Theodoretum legimus. Sed hæc ſane ſunt digna exempla, quæ miremur magis, quam imitemur; ſemperque conſtans & perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, ut ſuper Altare Miſsa celebretur. Adverſus Donatiſtas, quorum furore Catholicorum altaria erant everſa, inclamat Optatus Milevitanus lib. 6. *Quid eſt enim*, inquit, *Altare niſi ſedes & Corporis & Sanguinis Chriſti? Hæc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut removit &c. Si ſi vobis judicio nos vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari conſueverat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſancte, ut arbitramini, obtuliſtis? dum inepte perſequimini manus noſtras illic, ubi Corpus Chriſti habitabat, feritis & veſtras. Hoc modo Judæos eſtis imitati. Illi injecerunt manus Chriſto in Cruce: a vobis percuſſus in Altari. Si Catholicos illic inſectari voluiſtis, vel veſtris illic antiquis oblationibus parceretis.*

Primis Eccleſiæ ſæculis Altaria erant lignea.

5. Secundo dicimus, in Lege veteri Deum juſſiſſe, e terra fieri Altare, vel e lapide. Sic enim Exodi cap. 20. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, oves veſtras, & boves in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei. Veniam ad te, & benedicam tibi. Quod ſi Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim levaveris cultrum ſuper eum, polluetur.* Atque illud altare æneo tegumento operiebatur: *Et operies illud ære*, ut eſt in Exodi cap. 27. Itaque in veteri Teſtamento Altare vel terra oppletum erat, quod exiſtimavit Abulenſis in cap. 29. Exodi quæſt. 6. vel rudibus lapidibus, quod mavult Ribera lib. 2. de Templo cap. 20. Et ſane Machabæus in Altare, quod Antiochus everterat, a ſe reſtitutum lapides injecit, juxta id quod in lege præſcribitur, ut videre eſt in lib. 1. Machabæorum cap. 4. Æneum fuiſſe Altare, ſeu Altaris aram, ſeu menſam exiſtimavit P. Lamy de Tabernaculo lib. 3. cap. 6. ſect. 2. illud vero, quo ea menſa ſuſtentabatur, fuiſſe lapideum: *In hocce autem loco Exodi, ubi Altare præcipitur de terra faciendum, non* intelligitur *de ſumma parte, quæ ænea, ſed de fundamento Altaris, quod ut cito pararetur, cum mutabantur caſtra, permittebat Deus, ut fieret ex fortuitis ceſpitibus tumultuario opere.* Primis Eccleſiæ temporibus Altaria quidem certe lignea fuere: quamobrem Optatus Milevitanus, quem ſupra protulimus, Donatiſtas, qui Catholicorum Altaria ſubverterant, in hunc modum objurgare pergit: *Hoc igitur inexpiabile nefas, ſi de aliqua ratione deſcendit, uno modo fieri debuit; ſed, ut æſtimo, alio loco copia lignorum frangi juſſit, alio ut Altaria raderent lignorum inopia imperavit, ut removerentur, ex parte verecundia perſuaſit, ubique tamen nefas eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuliſtis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem ſceleris datum? quod ut immundo ore ſacrilegis hauſtibus biberetur, calida de fragmentis Altarium facta eſt.* Nec ita longe a vero abeſt, Sanctos Apoſtolos in ligneis Altaribus Miſsam celebraſſe ad Jeſu Chriſti exemplum, qui legali Cœna peracta, ad menſam ligneam aſſidens ſemetipſum in Sacrificium obtulit Deo Patri. B. Petrum, quem, ut jam diximus, Pudens Senator domi ſuæ excepit, Traditione compertum eſt in Altari ligneo ſacrificaſſe, quod etiam nunc aſſervatur Romæ in templo S. Pudentianæ, ſi fides habenda ſit Aringo, qui in *Roma ſubterranea* tom. 2. lib. 4. cap. 43. *Extat*, inquit, *in eadem Eccleſia ad dexteram intrantibus Altare ligneum ad modum Arcæ compactum, in quo B. Petrus dum apud Pudentem hoſpitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortali Deo Sacrificium offerebat. Lignea autem Altaris Tabula præ vetuſtate nimia conſumta cernitur, & ſub Altari lapideo locata eſt, in quo Sancti Petri ſtatua cernitur. Hoc autem titulo notatum eſt: In hoc Altari S. Petrus pro vivis & defunctis ad augendam Fidelium multitudinem, Corpus & Sanguinem Domini offerebat.* Quod autem in carceribus Miſsas celebratas eſſe novimus, cum perſecutionibus Ethnici in Chriſtianos ſævirent, id nobis palam facit, Altaria tunc temporis lignea fuiſſe.

An Chriſtiani primis ſæculis haberent Altaria etiam lapidea, incertum.

6. Primis vero ſæculis, & perſecutionum temporibus utrum præter lignea Chriſtiani haberent etiam Altaria lapidea, & num primus B. Silveſter ſæculo quarto juſſerit, non amplius in ligneis, ſed in lapideis Altaribus Miſsam celebrari, quærunt viri docti; quibus Juveninus de Sacramentis Diſſert. 5. de Euchariſt. q. 8. cap. 3. hæc ſcribit. *Incertum eſt an Altaria prioribus ſæculis lignea fuerint, aut lapidea. Veriſimile eſt, utraque, dum ſæviret perſecutio, indiſcriminatim adhibita fuiſſe, prout nempe rerum locorumque opportunitas ferebat &c. Multis ab hinc ſæculis Eccleſia præcepit, ut Altaria ſolum lapidea ſint. Nonnulli Scriptores illud Decretum Silveſtro Papæ adſcribunt: ſed aſſertum hujuſmodi nullo veterum teſtimonio nititur.* Videantur etiam Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 20. Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus tom. 1. lib. 1. cap. 3. art. 6.

Vergente in finem ſæculo IV. Altaria certa erant lapidea.

7. Lapidea fuiſſe Altaria vergente in finem ſæculo IV. exploratiſſimum eſt S. Gregorii Niſseni Oratione de Sancto Chriſti Baptiſmate pag. 801. *Altare hoc ſanctum*, inquit, *cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri extruuntur, & pavimenta exornantur. Sed quoniam Dei cultui conſecratum atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, Menſa ſancta, Altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus, ſed a ſolis Sacerdotibus iiſque venerantibus contrectatur.*

Augeatur etiam & aureis lamnis ornata ſeculis.

8. Altaria, cum Eccleſia ſecundioribus rebus cœpiſſet uti, legimus a Fidelibus facta ex argento.

to. Sane Constantinus Imperator, ut est in libro Pontificali, septem ex purissimo argento extruxit Altaria in Constantiniana Basilica, quorum singula pondus habebant ducentarum & sexaginta librarum. Xystum etiam Tertium argenteum itidem Altare trecentarum pondo librarum in eodem libro proditum est Basilicæ Liberianæ obtulisse: illud tamen incertum, e solido ne argento Altaria illa fuerint, an ex ligno vel lapide argenteis laminis obducto: nam de ejusmodi laminis idem Pontificalis liber in vita Hadriani I. hæc habet: *In Basilica S. Dei Genitricis, quæ est ad Præsepe, in Altari ipsius Præsepis fecit* Hadrianus *laminas ex auro purissimo Historiis depictis, pensantes simul libras centum quinque.*

Petra sacra omnino est opus celebrandæ Missæ, nisi si Altare consecratum sit. Tabula Altaris appellatur & Viaticum in Jure Canonico.

9. Nunc de Petra sacra dicendum, qua opus esse monuimus ut Missa rite celebretur, nisi si Altare consecratum sit. Ea in can. *Concedimus* de consecrat. dist. 1. *Tabula Altaris* appellatur, & *Viaticum* in Decretali *Quoniam Episcopi* de Privilegiis in sexto: *ut Altare possit habere Viaticum.* Hincmarus Rhemensis sæculo 9. de Petra sacra loquitur in Capitulis, quæ anno Episcopatus sui duodecimo condidit: *Nemo Presbyterorum in Altari ab Episcopo non consecrato cantare præsumat. Quapropter si necessitas popposcerit, donec Ecclesia vel Altaria consecrentur, & in Cappellis etiam, quæ consecrationem non merentur, Tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra aut litio honestissimo secundum suam possibilitatem honeste affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum, cum expedierit, deferat, in qua sacra Mysteria secundum Ritum Ecclesiasticum agere valeat.*

Orientales ea non utuntur.

10. In Orientali Ecclesia nullus hujus Petræ sacræ est usus: nam si in Altari non consecrato Missa fit celebranda, pannos quosdam adhibent Sacerdotes eodem Ritu, quo consecrantur Altaria, consecratos, quos vocant *Antimensia*, ut videre est apud Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 20. Binghamum tom. 3. pag. 246. & apud Renaudotium in Collection. Liturgiarum Orientalium tom. 1. pag. 182. At, quemadmodum diximus, in Occidentali Ecclesia, aut super Altare lapideum consecratum Missam celebrare oportet, aut si consecratum non sit, saltem super Petram consecratam, sive Altare sit ligneum, sive lapideum. Altare Jesum Christum significat: *Altare quidem Sanctæ Ecclesiæ est Christus, teste Joanne, quin in Apocalypsi sua Altare aureum se vidisse perhibet stans ante Thronum; in quo & per quem oblationes Fidelium Deo Patri consecrantur:* & de Christo ait Apostolus 1. ad Corinth. *Petra autem erat Christus:* ut observat D. Thom. 3. par. q. 83. art. 3. ad 5. qui ad hunc modum convenientiam illam statuit cum disciplina, ne alia erigantur Altaria quam lapidea, nec ipsi super Petra consecrata Missa celebretur.

Altare Christum significat.

Altaris quondam mensa quatuor columellis sustinebatur.

11. Duo tantum eorum, quæ attinent ad Altaria, supersunt animadvertenda. Primum illud est, mensam Altaris unica, vel pluribus columellis sustineri consuevisse, vacuo mensam inter & pavimentum spatio interjecto. Cujus rei argumento sunt ejusmodi Altaria, quæ in sacris Romæ Cryptis videre licet. Et sane memoriæ proditum est, Vigilium Romanum Pontificem, quem ejus inimici fugientem insequebantur, in Ecclesiam S. Euphemiæ se sub Altare recepisse; ibi latitantem ab inimicis deprehensum, ac pedibus abreptum manu columellam comprehendisse, ac in ejus caput fuisse futurum ut mensa ruetet, nisi eam Clerici manibus sustinuissent; tum rursus ab inimicis in Vaticana S. Petri Basilica deprehensum ad eundem modum columnas, quæ Altare sustinebant, arripuisse; quibus disruptis, mensam in ejus caput eversam, ut rem hanc expendentes pulere observarunt Grancolas 1. par. Veteris Sacramentarii Ecclesiæ pag. 42. & 43. & Bocquillot Tractatu Historico Sacræ Liturgiæ lib. 1. cap. 5. num. 85. & 86. Alterum observatu dignum illud est, antiquitus unicum fuisse in singulis templis Altare, ut iidem duo, quos supra memoravimus, Scriptores animadverterunt, pluribus ad id probandum monumentis e sacra antiquitate depromtis. Ritum hunc Græci etiamnum retinent. Unicum tantum, ut observat Grancolas, in templo quolibet commemorant Altare Ignatius, Cyprianus, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus. Neque adeo idem Grancolas monere prætermittit, etsi unum tantum esset Altare in templo, Oratoria tamen in templi ambitu fuisse, ubi Missa celebrabatur; cujusmodi more etiam nunc utuntur Græci, qui cum unum in templo habeant Altare, Oratoria tamen circum templi perimetrum habent, ubi Missam celebrant; idque tum ex eorum colligitur Euchologio, tum ex Leone Allacio in Epistola de Græcorum Templis.

Unicum olim in Ecclesia Altare.

CAPUT III.

De Altaris ornatu.

Crux imponenda Altari, ubi celebranda est Missa. Veteris commentum unde hæc disciplina orta sit.

1. RElinquum est ut de ornatu Altaris dicamus, sine quo Missam celebrare non licet. Superius monuimus opus esse Cruce. Vertus tom. 4. pag. 30. ait, satis quondam fuisse Christi imaginem, quæ ponitur in Canone ad Passionis Dominicæ memoriam in Sacerdotis animo excitandam; cœpisse deinde in aliquibus Ecclesiis, dum recitaretur Canon Missæ, ac præsertim tempore Consecrationis exponi Crucifixi imaginem in tela nigri vel violacei coloris depictam: remotioribus ab Ecclesiæ exordio temporibus Presbyteros devotionis gratia voluisse, ut toto Missæ tempore Crucifixi imago sibi obversaretur ob oculos: Sacristas denique minuendi laboris causa, ne Missa peracta ea sibi imago auferenda, ac dum alia celebraretur Missa, rursus apponenda esset, ab ea amovenda destitisse, ut Crux jam fixus permanensque cœperit esse Altaris ornatus. Et auctor nuperi Missalis Trecensis, quo sexcentæ continentur novitates (quas jam, dum hæc scribimus, ab eodem Auctore expunctas esse, summa voluptate intelligimus) scribit optandum esse, ut Altaria omnia plane ut Altare Cathedralis Basilicæ instruantur, in quo non alia est Crucifixi imago, quam quæ fixa est magnæ Cruci in medio erectæ, nec imago Crucifixi ponitur super Altare nisi tempore Missæ, & tunc affertur, cum recitatur Epistola, excepto Quadragesimæ tempore.

Vertus confutatur. Vetustissimus Crucis usus super Altaria ex Apostolica traditione.

2. Sed quod tradit Vertus, merum est commentum cerebro ejus procusum. Nam vetustissimus est Crucis usus per Altaria. In Concilio enim Turonensi anno 567. habito Can. III. hæc habentur: *Ut Corpus Domini in Altari, non in Armario, sed sub Crucis titulo componatur*; ac vera sententia est, ex Apostolica Traditione derivatum, ne quis sine Cruce Missam celebret, cujus aspectu Sacerdoti revocetur Passionis Christi memoria, ut bene advertit Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 25. num. 8. quo duorum Hæreticorum error refellitur, Dallæi de cultu Relig. lib. 5. pag. 773. & Binghami tom. 3. pag. 237. qui non ante trecentesimum trigesimum sextum annum putant in Ecclesiis expositas esse Cruces. Juvenincus de Sacramentis Dissert. 5. de Eucharistiæ Sacramento qu. 8. num. 4. art. 3. postquam laudavit

Con-

Concilii Turonenſis Canonem, quem ſupra attulimus, addit: *Sic fert Eccleſiarum omnium conſuetudo: cujus quidem cum in Conciliis, aut in Patribus initium non reperiatur, ad ipſos Apoſtolos juxta Auguſtini principia refundi debet. Decuit etiam ut Ritus, de quo agitur, obtineret; par enim eſt, ut Chriſti Paſſio Sacerdotis ſacrificantis oculis obverſetur, quam Miſſa ad vivum exhibet.* Vir doctus Joſephus Vicecomes Obſervation. Eccleſiaſtic. tom. 4. lib. 7. cap. 23. locum affert ex Bedæ Hiſtoria, qui l. 2. cap. 20. S. Paulini Ebo. racenſis Epiſcopi vitam ſcribens ait: *Attulit quoque ſecum vaſa pretioſa Eduini Regis perplura, in quibus & Crucem magnam auream, & Calicem aureum conſecratum ad miniſterium Altaris, quæ adhuc in Eccleſia Cantiæ conſervata monſtrantur.* Unde hæc infert Vicecomes: *Quo loco verba*, Miniſterium Altaris, *Miſſæ uſum ſignificant, cum in Altari nulla res dignior ac Miſſa procuretur.* Atque eadem eſt Orientalis Eccleſiæ, atque Occidentalis, diſciplina; nam apud Orientales nonniſi Cruce ſuper Altare collocata celebratur Miſſa, ut videre eſt apud Grancolas in Veteri Eccleſiæ Sacramentario par. 1. pag. 52. Adverſus autem Miſſale Trecenſe egregie ſcripſit in ſua Paſtorali Inſtructione Joſephus Langletus Epiſcopus Senonenſis, qui pag. 35. num. 30. & ſeq. probat, vetuſtiſſimam eſſe conſuetudinem, ut præſente Cruce Miſſa celebretur; oſtenditque quanta perturbatio eſſet & Fidelium offenſio, ſi, ut omnia Altaria ad exemplum Altaris Baſilicæ Cathedralis redigerentur, imagines Crucifixi ab iis populus amoveri videret. Ratum igitur eſto, Miſſam celebrare nemini licere, niſi ſuper Altare Crucifixi imago vel ſaltem Crux erecta ſit. Ut autem huic rei quantum poteſt lucis affundamus, non abs re fortaſſe erit obſervare, non idem omnino eſſe ſi dicas, remotioribus ab ætate noſtra temporibus morem fuiſſe, ut Crux ſuper altare locaretur, quotieſcumque Miſſa celebranda eſſet, ac ſi dicas, Miſſam nonniſi præſente Cruce celebrari conſueviſſe. De Cruce, ſuper Altarium menſas collocata, nulla profecto mentio fit neque in vetuſtioribus Eccleſiæ Græcæ monumentis, neque in antiquioribus Romanis Ordinibus, quod obſervavit etiam Thiers in Diſſert. de præcipuis Altaris ornamentis cap. 18. quin etiam teſtimonia proferre licet Leonis IV., Raterii Epiſcopi Veronenſis, & Remenſis cujuſdam Synodi apud Bucardum, quibus oſtenditur nil quidquam licuiſſe, quam ſacrarum capſam Reliquiarum, aut Evangeliorum Codicem, aut ſacram Pyxidem, in qua Chriſti corpus ſervaretur pro infirmis, ſuper Altaria imponere.

Crux impoſita in Ciborii vertice ſuper Altare collocati.

3. Sed certiſſima in Eccleſia tum Græca tum Latina non deſunt argumenta, Cruces impoſitas fuiſſe in ſummo Ciborii vertice ſuper Altare collocati; Paulus enim Silentiarius cum Altare deſcribit in Conſtantinopolitano S. Sophiæ templo erectum, ait: *Medio in loco Ciborii fulgentem ex argento Cæli imaginem impoſuit, ſuper Cælum Crux ſupereminens conſpicitur*: & Anaſtaſius in Vita Benedicti II. *Fecit in Eccleſia B. Mariæ ad Martyres ſuper Altare coopertorium porphyreticum cum Cruce & gemmis*: unde lux affulget ad illuſtrandum Turonenſis Concilii Can. 3. quem ſupra memoravimus. Ex quibus omnis ſublata videtur controverſia, ſatiſque oſtenditur vetus & nulli dubio obnoxia obſervantia, nonniſi ad Crucis conſpectum Miſſam celebrandi; eorumque repellitur non ferenda audacia, qui poſtquam Crucis locus tempo. rum ut fit converſione mutatus eſt, eamque probavit Eccleſia conſuetudinem, ut e Ciborii vertice Crux ſuper Altaris Menſam poneretur, pro ea qua vexantur, omnia permiſcendi libidine, poſtulant ab Altari Crucem amoveri, ac præſertim quando Miſſa celebratur. Scribit Gavantus Crucem ſuper Altare locatam eſſe oportere, etiamſi adſit ſtatua vel imago Crucifixi, quæ Gavanti ſententia pluribus Sac. Rituum Congregationis Reſcriptis evertitur. In Cæremoniali Epiſcoporum lib. 1. cap. 12. ſcriptum eſt, decere, ne in Altari, ubi Sanctiſſima cuſtoditur Euchariſtia, Miſſæ privatæ celebrentur: Ac ſi in eo Altari celebrentur, nonnemo arbitratus eſt non oportere Crucem apponi, cum nulla poſtulet ratio imaginem ibi eſſe, ubi ille adſit qui ea imagine exhibetur. Verum cum oculis tantum Fidei ille obſervetur, non vero oculis corporis, propterea neceſſe eſt, cum Miſſa celebratur, ut Crucifixi imago aut Crux ſuper Altare ſit expoſita. Videantur Clericatus de Sacrificio Miſſæ Deciſ. 43. nu. 6. Meratus tom. 1. ad Gavantum par. 1. pag. 295. nu. 6. & ſeq. præſertim cum Euchariſtia in Tabernaculo cuſtodiatur ſemota ab oculis populi, nec publicæ venerationi expoſita ſit, ut obſervat Quartus ad Rubricas Miſſalis par. 1. tit. 20. dub. 10. §. *Oppoſita ſententia*.

Apponenda eſt Crux, etiam in Altari, ubi SS. Euchariſtia cuſtoditur.

4. De Luminibus quæ ſcripſit Vertus, nos alibi refutavimus. Cum Verto idem ſentire videtur Joachimus Hildebrandus Heterodoxus Auctor in ſuo opere typis Amſtelodamenſibus edito an. 1702. cui titulus, *Sacra Publica Veteris Eccleſiæ in compendium redacta*, pag. 21. Locum expendit ex Actis Apoſtolorum cap. 20. in quo ſcribit S. Lucas, multas fuiſſe collucentes lampades, ubi D. Paulus in Fidelium conventu, qui ad Euchariſtiam ſuſcipiendam convenerant, verbum Dei prædicabat. Sed cum Apoſtolus ad mediam noctem ſermonem ſuum produxiſſet, lampadibus, ait Hildebrandus, collucentibus opus fuiſſe, ut tenebræ depellerentur. Addit, tribus primis Eccleſiæ ſæculis lumina quidem ad Sacrificium fuiſſe adhibita; ſed non aliunde id factum, quam quod Chriſtiani ſibi ab Ethnicis perſecutoribus metuentes, antelucano tempore Miſſam celebrarent. Fatetur item quarto ſæculo, parta Eccleſiæ pace, luminum uſum Chriſtianos retinuiſſe, ſed in Pervigiliis tantummodo, cum proxima quæ Feſtivitati præcederet die, per totam fere noctem vigilias in Eccleſiis agitarent. Sub finem vero 4. ſæculi monumenta ſcribit extare, quibus evincitur, etiam cum jam illuxiſſet dies, lumina accendi conſueviſſe, cum cantaretur Evangelium, & conſecraretur Euchariſtia, in ſignum lætitiæ & gaudii. Denique S. Gregorium exiſtimat hujuſmodi diſciplinam collucentium etiam per diem luminum propagaſſe; & Sabinianum Auctorem fuiſſe, ut in templis etiam extra Sacrificii tempus perpetuus lampadum eſſet uſus: quamobrem concludit, etiam Lutheranos, e quorum ipſe ſecta erat, Miſſæ tempore candelas accenſas adhibere. Verum cum paucis quæ vera ſunt, multa quæ ſunt falſa permiſcet. Veriſſimum quidem eſt, perſecutionis tempore nocturnos fuiſſe Chriſtianorum conventus: conſecuta vero fuiſſe tempora, cum in Eccleſiis die, quæ Feſtivitati proxime præiret, nocturna Pervigilia agitarent, lumina eſſe adhibita; iis nocturnas tenebras eſſe depulſas: hæc vera omnia. Illud autem a vero abeſt, ea tantum cauſa lumina eſſe adhibita. Et ſane, qui luminum uſum, etiam cum ad clare oculis proſpiciendum jam nihil opus eſſet luminibus, retinuerint, eos neceſſe eſt dicere, non ea tantum cauſa ut viderent oculis, lumina adhibuiſſe, ſed iis ſymbolicam aliam fuiſſe rationem, etiamſi cum per noctem lumina accenderent, ut inde ſibi exiſteret clare perſpiciendi commoditas; cum præſertim ſymbolica cauſa non ſit commentitia, ſed

Joachimi Hildebrandi hæretici hominis & Vertii refellitur ſententia, ſtatuentium, lumina adhibita tantum ad depellendas tenebras.

ex

ex Veteri & Novo Testamento deprompta. Jussit Deus Exod. cap. 25. Candelabrum fieri, lucernasque septem in eo locandas; & cap. 27. oleum ex oliva afferri, quo lucerna usque aleretur. In Psalmis a Deo petimus, ut lucem suam ad nos transmittat. In Epistola ad Ephesios D. Paulus, ut ostenderet pie illis esse vivendum, ac vetera vitia esse abjicienda, ait, eos aliquando fuisse tenebras; factos autem fuisse lucem in Domino; quæ omnia satis declarant, terrena luce lumen cæleste significari. Grancolas in Veteri Ecclesiæ Sacramentario tom. 1. pag. 717. & sequeu. veterem probat luminum in Ecclesia usum, etiam interdiu, & cum divina celebrantur officia. Legas & Casalium de Veteribus Sacris Christianorum Ritibus cap. 42. Inter eos qui de Ritibus scripsere, Micrologus cap. 11. ita de eo Ritu loquitur; *Juxta Romanum Ordinem nunquam Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras* (quod voluit Vertus, & velle videtur etiam Hildebrandus, de quo nunc loquimur) *cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie patpamus sicut in nocte*. De hoc argumento legendi Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 14. Card. Bona lib. 1. Rer. Liturgicar. cap. 25. num. 7. Natalis Alexander lib. 2. de Sacram. Eucharist. cap. 7. art. 2. Merselius in Summa Christiana par. 3. qu. 41. §. Cæterum cereorum usum, Le Brun tom. 1. pag. 66. & seq. Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 711. & seq. Boucat Theologia Patrum tom. 5. par. 4. dissert. 2. §. 4. & Collatio. 16. Lucionensis tom. 5. pag. 547. & seq. Duo autem candelabra ab utraque Crucis parte locata juxta Innocentium III. Christianum & Judaicum populum significant.

De linteis super Altare. Eorum usus antiquissimus.

5. Vetustus itidem est linteorum usus super Altare; quamobrem Optatus Milevitanus citato l. 6. hæc scripsit: *Quis Fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna* (scilicet Altaria, quæ in Africa erant lignea) *linteamine operiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum*. Et Victor Vitensis de Persecutione Vandalica lib. 1. narrat, Proculum quemdam ab impio Genserico adversus Catholicos missum vastitatem rebus eorum omnibus attulisse, & e linteis Altaris subuculas & femoralia sibi confecisse. Statuit Concilium Rhemense ab Ivone relatum in Par. II. Decreti cap. 132. *Ut Mensa Christi, idest Altare, ubi Corpus Dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis & pallis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi Capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia*. Terna esse debent lintea, ut deducitur ex Canone, *Si per negligentiam, de Consecrat.* Dist. 4. quo gravis ei pœna irrogatur, qui Sanguinem Christi e Calice effuderit, eaque præscribuntur quæ facere oportet, si Sanguis ad quartum linteum pertigerit: nam inter ea lintea computatur Corporale, sub quo alia tria lintea substernuntur. Ea in in Actis Ecclesiæ Mediolanensis Sindones appellantur; & *Substratorium* dicitur linteum, super quo explicatur Corporale. Stephanus Heduensis Episcopus de Sacramento Altaris cap. 5. ubi loquitur de Diaconis, hæc scribit: *Horum est ministerium Epistolam legere, Levitis ministrare, Altaria componere, Substratoria, Pallas, Corporalia lavare*. In quibusdam libri Pontificalis Codicibus legitur de Hormisda in ejus Vita, dono dedisse *chlamydem Imperialem & Subsutorium sub confessione B. Petri Apostoli*: ubi du Cange in Glossario verbo *Subsutorium* monet, non *Subsutorium*, sed *Substratorium* esse legendum.

Quid sit Substratorium.

6. De Cereo in elevatione Hostiæ accendendo, & de Campanula, quæ ad eandem elevationem pulsanda est, alibi nobis erit sermo. De Pallio & Manutergio nihil est, quod moneamus præcipuum; Tabella introducta est commodo Sacerdotum, itidemque Tabella Evangelii S. Joannis. Pulvinum, ait Innocentius Tertius lib. 2. cap. 41. significare, *ministranda esse temporalia prædicanti verbum Dei*; & in Pontificali formulam habes benedicendi linteа, & reliqua Altaris ornamenta Tit. *De Altaris Consecratione*.

De Cereo in Hostiæ elevatione accendendo, Campanula, Pallio, Manutergio, &c.

CAPUT IV.

De Calice.

Calicem qua materia & cujusmodi esse, & quibus rebus instrui oportuit.

1. IN Rubrica Missalis, quæ consonat cum Jure communi in Can. *ut Calix, de Consecr.* Dist. 1. præscribitur, Calix ut omnino vel aureus sit, vel saltem argenteus, cujus tamen cuppa interne sit auro illita, itidemque Patena vel aurea sit, vel ex argento deaurata: super os Calicis ponatur Purificatorium, & super illud Patena cum Hostia, quæ Palla operiatur; deinde Calix cum his omnibus obducto tegatur velo, & huic Bursa ejusdem coloris, quo sunt cætera Paramenta, imponatur, in quam Corporale conjectum sit plicatum, e lino, ab omni vel serica vel aurea fimbria nudum, omni ornatu detracto. Calicem & Patenam, *iis* antequam utare, Episcopus consecraverit; Purificatorium vero & Pallam vel Episcopus benedixerit, vel quilibet alius, cui ejusmodi sit potestas talia benedicendi.

Calix & Patena ab Episcopo consecranda.

2. De Calicis & Patenæ Consecratione verba fecimus Edicto 21. Ed. Rom. eoque consecrandi facultatem Episcopo reservatam esse docuimus; nam in iis sacra unctione opus est: reliqua vero, quæ sacra unctione consecrata esse non oportet, etiam Sacerdos vel de mandato Episcopi, vel ex delegatione Sac. Rituum Congregationis, ut variæ sunt Auctorum sententiæ, potest benedicere. De Calicis & Patenæ consecratione mentionem facit vetus Sacramentarium Gallicanum ante mille annos & amplius scriptum, quod edidit Mabillonius tom. 1. Musei Italici pag. 389.

Calicem a profano ad usum sacrum Christus traduxit.

3. Itaque ad reliqua nostra transiliat oratio. Ac de primo Calicis usu pauculis sane dicenda superfuit: illum enim in ultima Cœna Christus adhibuit, cum sanctum Eucharistiæ instituit Sacrificium: *Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine:* Verba sunt D. Pauli Epist. ad Corinth. Quapropter Feria Quinta Majoris Hebdomadæ, cum præcipua memoria institutionem Eucharistiæ recolimus, *Natalis Calicis* a Veteribus Patribus appellatur. Tunc enim Calicem a profano ad usum sacrum Christus Jesus traduxit; & idem Calix in quo Christus Eucharistiam consecravit, Jerosolymæ asservabatur ætate Bedæ, ex cujus verbis illud etiam colligitur, argenteum fuisse, ut videre est apud Baronium ad ann. Ch. 34. n. 63. quod tamen non videtur probare Chrysostomus, qui Homil. 60. ad Populum Antiochenum hæc ait de Calice: *Non erat illa Mensa tunc ex argento, nec aureus Calix, ex quo Sanguinem proprium Christus suis dedit Discipulis. Pretiosa tamen erant illa omnia & tremenda, quoniam erant Spiritu plena.*

Feria V. majoris Hebdomadæ a quibusdam Patribus Natalis Calicis appellata.

Calicibus veteres linteis utebantur.

4. Si Ecclesiasticas evolvamus historias, Cali-

ces

ces ex alia atque alia materia fuisse, ex multiplici formatos varietate inveniemus. Honorius Augustodunensis lib. 1. cap. 89. *Apostoli*, inquit, *& eorum Successores in quotidianis Vestibus & ligneis Calicibus Missas celebrabant*. Introductum vero putat a Zephyrino Pontifice & Martyre, ut Calices ex auro & argento adhiberentur: *Zephyrinus autem Papa & Martyr in aureis, & argenteis Calicibus & Patenis offerri constituit*. De Calicibus ligneis percelebris vox illa est S. Bonifacii Episcopi Moguntini in Concilio Tiburiensi sub Formoso c. 18. *Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur Mysteria, Calices sunt & Patenæ, de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in Vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur: nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus*. Non omnes sincerum esse putant illud Zephyrini Decretum: tuto tamen affirmari potest, diu quidem adhibitos esse etiam vitreos Calices; sed tamen per id tempus, cum ejusmodi Calices adhibebantur, etiam atrocioribus Persecutionibus in Christianos sævientibus, Calices ex auro & argento non defuisse.

Vitreos Calices adhibitos probatur ex Irenæo, Epiphanio, Hieronymo, Gregorio.

5. Vitreos Calices a Veteribus fuisse adhibitos, constat ex eo quod narrant S. Irenæus lib. 1. cap. 9. & S. Epiphanius Hæresi 34. Marcum videlicet hæresiarcham magicis artibus vinum ex albo colore in rubeum convertere consuevisse: ex quo intelligitur, Calices tum fuisse pellucidos, ideoque vitreos. Calix etiam ille fuisse videtur vitreus, quem confractum ab Ethnicis junctis fragminibus restituit fusis ad Deum precibus S. Donatus Episcopus Aretinus, de quo S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 7. diuque vitrei ejusmodi Calices multis in locis adhibiti. Nam D. Hieronymus Epist. ad Rusticum de S. Exuperio Episcopo Tholosano, *Nihil*, inquit, *illo ditius qui Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portat in vitro*: & in Vita S. Cæsarii Arelatensis, qui vergente in finem 5. & ineunte 6. sæculo floruit, scribit Cyprianus quidam natione Gallus, *Annon*, inquit, *in vitro habetur Sanguis Christi?*

Ioannis Dovgtbei impudentia.

6. Joannes quidam Dovgtheus Heterodoxus Tractatum edidit Bremæ ann. 1694. *De Calicibus Eucharisticis veterum Christianorum*, in quo narrat pag. 98. se, dum esset Romæ, quosdam vitreos Calices vidisse: *Romæ quoque degenti inter reliqua antiquitatum ornamenta oblatos memini Calices vitreos, qui sacrosanctæ Eucharistiæ usui quondam sacri venditabantur. An vero omnes fuerint, continuo dubitare cœpi, & adhuc admodum dubito. A nonnullis Cardinalibus eam quoque inivi gratiam, ut tales Calices vitreos in conspectum meum producerent; commodum vero putabam, meum de his judicium tunc temporis suspendere, & antiquitatem fictam & simulatam admirari. Hoc ipso eorum possessoribus nihil prius, neque antiquius accidere potest*. Homini huic qui demum Calices oblati fuerint in conspectum, plane nescimus. Neque in nobis recipimus, vitreos omnes Calices, quos ille vidit, eosdem esse, qui ad Eucharistiam sunt adhibiti. Pravum tamen intelligitur hominis ingenium abutentis eorum benignitate, qui vitreos illos Calices ei videndos produxerunt, satisque apparet ambigua illius indoles & bilinguis oratio, quæ & ejus malam fidem ostendunt, declarantque in Catholicos quam male fuerit animatus; cum præsertim ipse quoque putet, in veteri Ecclesia vitreos Calices esse adhibitos, & in quibusdam locis eorum usum usque ad Caroli Magni ætatem esse retentum, etsi Joannes Baptista Casalius nonnisi ad S. Gregorii Turonensis tempora Christianos ejusmodi Calicibus usos esse contendat, *De Veteribus Sacris Christianorum Ritibus cap. 11.*

Usum vitreorum Calicum quidam ad Caroli Magni, alii ad Gregorii Turonensis ætatem perdurasse putant.

Etiamtum, cum vitrei Calices adhiberentur, & sæviret persecutio, usus tamen erat Calicum ex auro & argento.

7. Cum veto vitreorum Calicum esset usus, & Persecutiones grassarentur, suos Ecclesiæ non defuisse Calices ex argento & auro probant cum Acta Martyrii S. Laurentii, qui passus est sub Valeriano: tum nefaria ejus vox, qui a Juliano Apostata jussus Antiochenam diripere Ecclesiam, deprehensis argenteis & aureis Calicibus, quod narrat Theodoretus lib. 3. Hist. Eccles. cap. 8. exclamavit: *En ejusmodi vasis Filio Mariæ ministratur*. Ea de re adeundi Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 25. & Binghamus tom. 3. Antiquit. Ecclesiast. pag. 241.

Calices gemmis intexti ex Chrysostomo: picturis ornati ex Tertulliano.

8. Gemmæ deinceps pretiosique lapilli Calicibus Eucharisticis intexti, quod non probabat D. Joannes Chrysostomus Hom. 60. ad Populum Antiochenum, si quis ejusmodi munera offerret, qui ex viduarum pupillorumque bonis se locupletasset: *Non satis nobis esse existimamus ad salutem, si viduis & pupillis expilatis aureum Calicem & gemmatum Mensæ offeramus*. Prioribus autem temporibus tuto affirmare possumus, etiam picturas Calicibus Eucharisticis apponi consuevisse, quod ex Tertulliano colligitur lib. de Pudicitia cap. 7. *Procedant ipsæ picturæ Calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pectudis illius, utrumne Christiano, an Ethnico peccatori conlimet*. Et cap. 10. *Si forte patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingitis prostitutorem & ipsum christiani Sacramenti*: quæ quidem imago ex Lucæ Evangelio cap. 15. desumta est, eamque passim videre est in veteribus sacris Cœmeteriis apud Bosium in Cœmeter. cap. 18. & Aringhium lib. 2. Romæ Subterraneæ cap. 20.

Plura Calicum genera. Calices Baptismi. Calices ministeriales.

9. Quod vero ad varia Calicum genera attinet, quidam erant, qui Baptismi Calices dicebantur, quibus sacro Baptismate abluti post acceptam Eucharistiam sub specie panis, sanguinem bibebant sub specie vini. Ministeriales etiam erant Calices, qui communicandis sub specie vini Fidelibus adhibebantur: ejusmodi Calices semoti, postquam calicis communio ad solos contracta Sacerdotes est. Georgius Cassander in Opere Liturgico cap. 31. de hujusmodi ministerialibus Calicibus verba facit, quos eo nomine appellatos esse ait, *quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi Sanguinem deserviebant*, idque probat ex eo, quod in S. Remigii vita legitur ab Hincmaro conscripta.

Quid Scyphus fuerit.

10. Mabillonius tom. 2. Musei Italici in notis ad primum Ordinem Romanum putat, Calices Ministeriales fuisse Scyphos appellatos; nam ad illud verbum *Calicis* hanc interpretationem addit: *id est Calices ministeriales, qui alio nomine Scyphi appellantur*; & in Notis ad tertium Ordinem Romanum ad ea verba *in majorem Calicem sive Scyphum* ait: *Scyphus, aut Calix ministerialis*. Sed aliter sensit Justinianus Chiapponus Cæremoniarum Magister sub Clemente XI. Nam in Dissertatione de Oblationum Mysteriis, quam edidit cum Actis Canonizationis quatuor Sanctorum sub eodem Pontifice pag. 287. contendit, Scyphum non fuisse Calicem Ministerialem, sed Calicem illum omnium maximum, e quo Sanguis in ministeriales Calices invergebatur populo distribuendus, ut mox dicemus. Quod tamen putamus abesse a veritate; apertissimus enim est locus, qui mox producetur in III. Ordine Romano, ubi Scyphus pro ministeriali Calice accipitur; atque de hac re cum Mabillonio consentit Bocquillot in sacra Missæ Liturgia lib. 1. cap. 8. pag. 183. Edit. Parisien. ann. 1701. Josephus Vicecomes lib. 6. de Missæ Apparatu cap. 12. quærit, an in

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

miniſterialibus Calicibus ſanguis conſecraretur; ac in iis etiam conſecratum eſſe putat. Negat id Georgius tom. 1. de Liturgia Romani Pont. cap. 3. Sanguis enim in Calice offertorio conſecrabatur, cujus portio quædam in vinum Calice miniſteriali contentum ingerebatur; & ad hunc modum populo ſanguis ſub ſpecie vini exhibebatur, quod etiam animadvertit Cardinalis Perronus in Reſponſione ad ſecundam Magnæ Britanniæ Regis inſtantiam pag. 265. & Cardinalis Bellarminus de Sacrific. Miſſæ lib. 4. cap. 24. Quamobrem ex ſecundo Ordine Romano, quem exiſtimabat Panvinus eundem eſſe ac Gelaſianum Ordinem a S. Gregorio Magno emendatum, typiſque primum a Caſſandro & Hittorpio vulgatum, quemque Mabillonius iterum edidit in Muſeo Italico tom. 2. pag. 50. hanc fuiſſe diſciplinam intelligimus, ut Pontifex, dum in Miſſa communicabat, partem Hoſtiæ in Calicem inderet ſemel iterum ac tertio dicens. *Fiat commixtio & conſecratio*: ei deinde Archidiaconus præberet Calicem, ex quo pars ſanguinis in Calicem miniſterialem invergebatur: quod luculentius etiam tradit Tertius Ordo Romanus eodem tom. 2. Muſei Italici pag. 59. *Sed ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice ſancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem Calicem, ſive in Scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus, quia vinum etiam non conſecratum, ſed Sanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum.*

Singularis ſignificatus vocis Confirmatio.

11. Ubi notandum, Euchariſtiæ diſtributionem ſub ſpecie panis *Communionem*, ſub ſpecie vini *Confirmationem* appellari conſueviſſe; quod ex Quinto etiam Ordine Romano colligitur eodem tom. 2. Muſei Italici pag. 59. *Clerus Communionem ab Epiſcopo accipiat, & ab Archidiacono confirmetur*. Armeni nunc temporis binis in Miſſa Calicibus utuntur, quorum in altero, quemadmodum Latini in Patena, collocant panem, in alterum vinum infundunt, ut teſtatur Card. Bona cit. lib. 1. cap. 25. num. 3. in fine.

Calices miniſteriales anſati & fiſtula inſtructi.

12. In Academia Eccleſiaſtica, quæ olim habebatur in Collegio Propagandæ Fidei, quo nos viridi ætate ventitabamus, quamque ab interitu vindicatam inſtauravimus, Perimezzius in Diſſertatione, quam edidit cum aliis, quas in iis Conventibus habuit par. II. pag. 158. egit de Calicibus miniſterialibus, eoſque anſatos fuiſſe docuit, ut facile eos manu Sacerdotes tenere poſſent, cum Sanguinem populo diſpertiebant juxta Ordines Romanum, ubi legitur: *Levat Archidiaconus Calicem per anſas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem*; Quoſdam etiam fuiſſe Calices miniſteriales, quorum fundo ferruminata eſſe fiſtula, *Sybon* appellata, unde Laici ſanguinem exſugebant, quod multo antea obſervavit Lindanus lib. 4. Panopl. Evangelic. cap. 46. *Quia ſanguinis effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur, Calicibus Canna eſt ferruminata, affabreque inſerta, unde populus Sanguinem Chriſti non tam biberet, quam ſugeret*. Pergit deinde Lindanus, & in Fuldenſi Monaſterio duos ſe vidiſſe Calices teſtatur, quibus dum viveret S. Bonifacius uſus fuerit: eorum alterum admodum parvum ad Miſſam ait adhibitum, alterum prægrandem putat miniſterialem fuiſſe Calicem, in quo populus ſanguinem biberet, quod ejus forma nihil in ejuſmodi uſum ſit accommodatius. *Idoneum enim eſt hoc Poculum, unde populus ſine periculo effuſionis bibere poſſit. Habet enim duas anſas; eſtque nec rotundum, nec quadratum, ſed inſtar pomi orbiculatum*. Addit, in ea fuiſſe plebem opinione, S. Bonifacium hoc poculum ad potum, cum ad menſam accumberet, adhibuiſſe: id autem tam falſum eſſe quam quod maxime, ſatis apparet ex duodecim Sacerdotum imaginibus in circumferentia inſculptis, quorum ſinguli Planeta induti, quemadmodum Sacerdotes, Calicem in manu habentes videntur populum ad potum invitare. Et Rhenanus in Scholiis ad Tertullianum ab erudito quodam Abbate illud ſe accepiſſe teſtatur, in veteribus Carthuſianorum Conſtitutionibus vetitum fuiſſe, ne cui Monacho pretioſi quidquam apud ſe habere liceret, præter argenteum Calicem & fiſtulam, qua Laici ſanguinem poſſent exſorbere. Præterea in vetuſto libro ante quadringentos annos ſcripto *De Veteribus Theſauris Eccleſiæ Moguntinæ* legiſſe ſe ſcribit, in illius Eccleſiæ Theſauro quondam fuiſſe aureos magni ponderis Calices anſatos, cum ſenis argenteis fiſtulis, quæ in eoſdem Calices immittebantur ad uſum eorum, qui communicarent.

CAPUT V.

De Patena, & aliis ad Calicem ſpectantibus.

Patenæ fuit a temporibus Apoſtolorum.

1. NUnc de Patena dicendum, quæ calicis eſt veluti operculum, ubi ſacra ponitur Hoſtia. Utrum Chriſtus in Patena conſecratum panem poſuerit, non declarant Evangeliſtæ. Eam tamen Apoſtolorum tempore adhibitam fuiſſe, colligitur ex Liturgia S. Jacobi, ubi de ea diſerte fit mentio. Patenam *a patendo, quod patula ſit*, appellatam dicunt. In libro Pontificali de S. Silveſtro proditum eſt, eum obtuliſſe *Patenas aureas ſeptem, quæ penſabant libras triginta*; & in vita S. Nicolai Pontificis: *Patenam ex auro puriſſimo miſit Michael Imperator cum diverſis lapidibus pretioſis*. Plures etiam alias aureas & argenteas Patenas a Summis Pontificibus oblatas Baſilicis, quæ Romæ ſunt, reperias apud Chiapponum loco cit. pag. 286.

Patenæ ex auro oblatæ a Romanis Epiſcopis.

Patenæ miniſteriales grandiores.

2. Miniſteriales etiam erant patenæ quædam multo capaciores, quæ ad ſacram Euchariſtiam ſub ſpecie panis populo diſpertiendam adhibebantur: ex his unam fuiſſe oportet, qua Gregorius Turonenſis de Gloria Martyrum cap. 45. lavandis ſibi pedibus uſum eſſe narrat Comitem quemdam Britanniæ: quod amplam illam profundamque fuiſſe indicat: & ejuldem generis illam quoque eſſe oportet, quam teſtatur Vertus tom. 3. p. 167. & ſeq. aſſervari in Eccleſia S. Salvatoris Redonenſi Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Redonenſi, eamque lanci mediæ magnitudinis ſimilem adſcribit. Patenæ eadem materia conflatæ, qua Calices, erant. Græci patenam ſuam *Diſcon* appellant, quæ magis concava eſt, quam noſtra, ne pani conſecrati fragmenta inde decidant. In quibuſdam veteribus Patenis ſacræ quædam imagines & hieroglyphica inſculpta conſpiciuntur, cujuſmodi eſt Patena argentea S. Petri Chryſologi, unciarum pondo quatuordecim, cujus diameter haud major eſt palmo Romano, craſſitudo mediocris: extant etiamnum partes ejus quædam inauratæ; ita vero affabre elaborata eſt, & in lateribus complanata, ut colligendis hoſtiæ fragmentis nihil ea eſſe poſſit accommodatius. Patenæ hujus figuras, hieroglyphica, & litteras eruditiſſime explanavit Joannes Paſtritius Theologiæ Polemicæ in Collegio de Popaganda Fide Profeſſor, in peculiari Opere Romæ edito an. 1706. Bocquillot in Tractatu Hiſtorico Liturgiæ lib. 1. cap. 8. poſtquam de Calicibus diſſeruit, ſatis erudite ſcribit de Patenis. Etymologiam probat, patenam dictam eſſe *a patendo*; & patenas miniſteriales commemorat, atque ex eadem, qua

Cali-

Cur ecclesiæ nostræ Patenæ præ antiquis tantula sit.

Calices, materia fuisse contendit. Quærit autem qui patenæ antea prægrandes ad hanc, qua nunc sunt, parvitatem redactæ sint; idque inde factum esse ait, quod haud ita frequentes nunc temporis sint ii, qui in Missa, cui adsunt, Eucharistiam sucipiant. Olim autem, cum plerumque Missæ qui adessent, iis Eucharistia præberetur, haud ita commode id fieri poterat, nisi grandis fuisset patena, in qua & frangendus erat panis; eaque Hostiarum plena, adstantibus dispertienda erat Eucharistia.

Corporale olim totam Altaris aream tegebat.

3. Linteolum illud in quo Corpus Christi Domini consecratur, ab Ecclesiasticis Scriptoribus *Corporale* appellari solet, atque etiam *Corporalis Palla*. Corporale longius quondam erat & latius, & totam Altaris aream tegebat, ut colligitur ex Ordine Romano, ubi duorum Diaconorum opera requiritur ad illud explicandum. Hujusmodi Corporali ita ut diximus amplo Calix etiam cooperiebatur, quem Ritum etiam nunc servant Carthusiani. Corporale autem e lino esse oportet. Calix novum sepulcrum, quo conditus est Christus Dominus; Patena revolutum lapidem significat supra portam monumenti; Corporale Syndonem mundam exprimit, qua Joseph ab Arimathæa Corpus Christi involvit, ut bene advertunt Rabanus lib. 1. de Instit. Clericorum cap. 33. & Ildebertus Archiepiscopus Turonensis in Carminibus de Missæ Sacrificio. De eo 12. sæculi scriptore consulendus Longueval Hist. Eccl. Gallicanæ tom. 8. lib. 24. pag. 530. & seqq.

Ara Crucis, Tumulique Calix, Lapidisque Patena,
Syndonis Officium candida byssus habet.

Corporale Syndonem significans ex Isidoro Pelusiota, qua Christi Corpus involutum a Joseph ab Arimathæa.

4. Quæ de Corporalis significatu diximus confirmat S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 123. *Pura illa Syndon, quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis est ministerium. Ut enim ille Domini Corpus Syndone involutum sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit, eodem modo nos propositionis panem in Syndone sacrificantes, Christi Corpus sine dubitatione reperimus illam nobis immortalitatem fontis in modum proferens, quam Salvator Jesus a Joseph funere elatus, postea quam a morte ad vitam rediit, largitus est.* Et ad eundem modum de Corporali loquitur D. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 3. ad septimum. Et Concilium Selinestatense anno 1022. habitum apud Longueval tom. 7. pag. 178. vetat, ne ad extinguendum incendium Corporale (qui mos erat illorum temporum) illuc injiciatur; ac Corporale quoddam in Monasterio Cluniacensi diu asservatum esse, idem Auctor testatur, cui nota quædam erat apposita, quo citius faciliusque, si sedandi incendii extitisset occasio, reperiretur.

Purificatorii usus haud ita vetus.

5. Inter multa, quibus opus est sacrificio Missæ celebrando, recensuimus Purificatorium, Pallam, Velum, Bursam, & Ampullas. De Purificatorio nulla est apud veteres mentio. Vicecomes lib. 3. de Missæ apparatu cap. 5. *Quid vero*, inquit, *sentire oporteat de linteo, quod Purificatorium vulgo nuncupatur, plane ignoro, quod apud nullum veterem scriptorem mentio reperiatur.* Diu tamen esse, cum, ut sacrificium peragatur decentius, illud adhiberi cœptum est, docet Boucat Theologiæ tom. 5. par. 4. Dissert. 2. art. 2. sect. 1. §. 6. in fine. In Cæremoniali Episcoporum de eo fit mentio: *Super ea ponuntur duo Candelabra cum Cereis albis, & in ipsius medio Calix cum Patena, Palla, Purificatorio, & Bursa Corporalia continente.* Et post Suarez observavit Macrus in Vocabulario Ecclesiastico, Purificatorium, cujus haud ita vetus usus sit, non benedici. Eo Calix in Missa abstergitur, quod Græci faciunt spongia adhibita, qua ideirco in sacrificio incruento utuntur, quod ea fuerit pars quædam & instrumentum cruenti Sacrificii. Videantur Goar in Eucholog. Græcor. pag. 151. & du Cange verbo *Purificatorium*.

Palla distincta a Corporali ex Innoc. III.

6. Palla parvum est quodammodo Corporale, quo Calix tegitur. Innocent. III. lib. 2. de Mysteriis Missæ cap. 56. pallam describit tanquam rem a Corporali distinctam: *Duplex est Palla, quæ dicitur Corporale, una quam Diaconus super Altare totam extendit, altera quam super Calicem plicatam imponit.* Et Radulphus Tungrensis Libro de Canonum observantia propositione ultima testatur, jam tum apud Italos & Germanos parvam adhiberi pallam ad Calicem cooperiendum, Gallos tamen unico tantum Corporali ad eam rem uti. Nunc quidam binas pallas adhibent, alteram Calici, alteram Hostiæ contegendæ. Duplicis Palliæ usum concessit Paulus IV. Theatinis, unde oritur quæstio, an Sæculares Regularesve Sacerdotes, qui in Theatinorum Ecclesiam Missam celebrent, duplici palla uti possint: qua de re consulendi Gavantus, Pasqualigus, Quartus, & Meratus.

Theatinis duplicis palla usus concessus a Paulo IV.

Velum interdum appellatur Peplum & Sudarium.

7. Velum quo Calix tegitur, *Peplum* etiam, & *Sudarium* appellari solet. Vetus est Veli usus, quo Calix operitur; nam in Canone Apostolorum 72. prohibetur, ne Velum sanctificatum ad profanos usus traducatur. Linteum olim Velum illud fuisse oportet; præscriptum enim comperimus ut lavetur. Nunc vero sericum esse oportet, ut præcipit Rubrica, quod observant Gavantus, & Meratus. Tria Vela Græci adhibent, quorum alterum Patenam, Calicem altero, tertio denique utrumque contegunt. Tertium illud Aerem vocant, quod veluti aer circum sacra dona expanditur, ut videre est apud Card. Bona lib. 1. Rerum Liturgicar. cap. 25. num. 11. qui docet, morem hunc ab Jerosolymitana Ecclesia ad universum Orientem permanasse. Bursa dicitur etiam *Pera*; in quam Corporale conjicitur; & Gavantus ad Rubricam *de Præparatione Sacerdotis celebraturi*, narrat, S. Pium V. Hispanis privilegium concessisse, ut Corporale ferre possent extra Bursam.

Tenia utuntur veteres Græci.

Bursa, quæ & pera dicitur.

De Ampullis. Quid Amæ fuerint & Amulæ.

8. Ampullæ denique in Ordine Romano *Amæ* appellantur. De Amis argenteis mentio fit in Libro Pontificali in Vitis Sanctorum Silvestri, Marci, Innocentii, Cælestini, & alibi: & in Romanis Ordinibus *Amulæ* dicuntur, quod est diminutivum vocis *Amæ*, ut nonnemo existimaverit, *Amas* capaciora quædam vasa fuisse vino & aqua excipiendis, quæ sacrificio destinata essent, ut apud nos sunt œnophora seu baucalia; Amulas vero parvula quædam fuisse valcula, quæ vino & aqua in Missa ministrandis adhiberentur. Atque inde nonnulli putant, morem illum derivatum esse, ut cum Summus Pontifex, vel S. R. E. Cardinales Missam celebrant in Pontificio Sacello, prægrandes quædam in mensa apponantur argenteæ atque etiam inauratæ trullæ seu baucalia. Sunt qui disputant, an quidpiam discriminis interfit inter amam seu amulam, & hamam & hamulam aspiratas. In historia Trevirensi apud Dacherium in Spicilegio tom. 12. pag. 221. ita proditum est de Sicone quodam: *Captato consilio opportuno, triginta hamas præparat, in quibus singulis singulos milites electos, loricatos, galeatos, ensibusque præcinctos collocat, deinde sexaginta viros nihilominus electos, plebeja veste amictos ensibus eorum in hamis reconditis, gestantes constituit, nullosque hominum hujus fraudis præter prædictos viros conscios fecit:* quo in loco hamæ non quidem trullam aut ampullam, sed dolium videntur significare. Verum utcum-

que sit de hac quæstione, nos ulterius progrediendo dicimus, ampullas vitreas esse oportere, ut vinum ab aqua discerni possit. Remotioribus ab hac ætate nostra sæculis in usum sacrificii Fideles in poculis sive etiam lagenis offerebant; unde Diaconus tantum in Calicem vini ingerebat, quantum sacrificanti Sacerdoti & cæteris communicantibus satis esset; ad eamque rem colatorium pro longo manubrio instructum adhibebat, quo vinum magis defæcaretur.

Colatorii usus olim ad Missam.

9. Desiderius Antissiodorensis Episcopus sexto sæculo Ecclesiæ suæ donavit *Colatorium pensans uncias duas*. Ex his colatoriis quædam se vidisse testatur in Museo Barberino Card. Bona Rer. Liturg. *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 1. Eruditissimus Blanchinus in Notis ad librum Pontificalem in Vita S. Urbani tom. 2. sect. 18. pag. 179. duos affert iconismos duorum colatoriorum ex argento, quæ Marcus Antonius Sabbatinus egregius Civis noster haud *ita pridem* Romæ e *vivis* sublatus in Museo suo asservabat. De Azymo & fermentato alibi disseruimus, cum de Mysterio Feriæ Quintæ Majoris Hebdomadæ, & institutione Sanctissimæ Eucharistiæ verba fecimus. Quamobrem etsi quædam de Hostia nobis dicenda sunt, de azymo, & fermentato dicere abstinebimus. De aqua item & vino sermonem ad alium locum remittimus; nam hic vinum & aquam memoravimus, non ut de iis ex professo ageremus, sed duntaxat, ne quid eorum omitteretur, quæ sacrificio peragendo opus sunt. Itaque nunc solummodo de Hostiæ forma sermonem habebimus.

CAPUT VI.

De Hostia.

Panis consecrandus a Fidelibus offerebatur; unus farinæ ex qua panis conficiebatur a Clericis.

7. PAnis in Missa consecrandus ad Altare olim a Fidelibus offerebatur, qui plerumque panis ab eodem ipso a quo offerebatur, subactus erat; sed cum malus quidam usus irrepsisset quemlibet panem oblatum consecrandi nullo discrimine adhibito, ut interdum ad Sacrificium Sacerdotes pane uterentur non satis mundo pro Sacrificii majestate, mos inductus est in aliquibus Ecclesiis ut farina offeretur, ut tradit Honorius Augustodunensis 12. sæculi scriptor a nobis sæpenumero laudatus in *Gemma animæ* cap. 58. *Olim Sacerdotes a singulis domibus & familiis farinam accipiebant, & inde Dominicum Panem faciebant, quem pro populo offerebant*: qui mos etiam nunc in Armenorum Ecclesia retinetur, in qua quilibet e Parochia farinam conficiendæ Hostiæ offert, ut videre est apud le Brun tom. 3. Dissertat. 10. fol. 115. ex ea autem farina ad eum modum oblata panis consecrandus conficitur; sacrisque Virginibus, devotisque matronis in Oriente id muneris demendatur, quod docet Goar in Euchologio fol. 116. in Occidente vero Presbyteris eorumque Clericis: sic enim in Theodulphi Aurelianensis Episcopi Capitulari legitur, quod scriptum est anno 794. art. 5. *Panes quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis nitide & studiose fiant*: quod etiam præscribitur in illis Anonymi carminibus, quæ Martene se legisse ait in manuscripto Bibliothecæ S. Martini Turonensis, ediditque in lib. 1. de Ritibus Ecclesiast. cap. 3. art. 7. num. 24.

Pura sit oblata. Nunquam sine lumine cantes.
Hæc & triticea sit: Presbyteri faciant hanc.

Si quis vero intelligere cupiat, qua diligentia & pietate oporteret eos uti, quorum esset panem subigere, qui consecrandus esset in Missa, legat Regulas, quas Lanfrancus in usum Ordinis S. Benedicti composuit, qui postquam præscripsit cujusmodi frumentum esse oporteat, quove pacto farina sit conservanda, hæc de Hostiis a Sacrista ejusque sociis formandis præcipit: *Interim dum ipsæ Hostiæ fiunt, & coquuntur, dicant iidem Fratres Psalmos familiares Horarum, & Horas canonicas & de Psalterio ex ordine, quod tantumdem valeat, si ita potius voluerint.* Et paullo post: *Silentium loquendi omnino teneant: ille tamen, qui ferra tenet, si necesse sit, breviter, quod vult, indicare potest famulo, qui focum facit & ligna portat, quæ debent esse valde sicca, & ante multos dies de industria præparata.* Vide Antonii Bellotte Tractatum ad Ritus Ecclesiæ Laudonensis pag. 461. edit. Parisiensis anno 1662.

Hostiæ XI. sæculo grandiores quam nunc sunt.

2. Qua magnitudine antiquitus, quave forma fuerint Hostiæ disputant viri docti. Humbertus Cardinalis, qui anno 1054. scripsit pro azymo, ac Michaeli Constantinopolitano respondet, Hostias ostendit ea ætate hisce nostris fuisse grandiores. Atque ait, post Consecrationem eas frangi, & ex ipsis præberi Eucharistiam consuevisse: *Nos tenues Oblatas ex simila præparatas, integras & sanas sacris Altaribus superponimus, & ex ipsis post Consecrationem fractis cum populo communicamus.* Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ lib. 1. cap. 66. scribit, Hostiarum formam ad denarii magnitudinem esse redactam propter eorum paucitatem, qui in Missa communicarent: *Quia populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, eum in modum denarii formari, vel fieri.*

Seculo XII. ad hanc, qua nunc sunt, magnitudinem redactæ.

3. Cum autem Honorius scripserit anno 1130. consici jure potest, 12. sæculo usum invectum Hostiarum ea magnitudine, qua sunt Hostiæ, quas nunc ad Missæ sacrificium adhibemus. Ad figuram quod attinet, quadrata Græci utuntur teste Allatio de Consensu Occidental. & Orient. Eccl. cap. 15. num. 18. *Græci cum panem ad sacrificandum efficiunt, ut plurimum non rotundant, sed in quatuor ramos ad modum Crucis extendunt; postea sigillum jam dictum imprimunt in medio Crucis, & in ramorum extremitatibus*; & quædam in eo sigillo sunt litteræ, quæ significant *Jesus Christus vincit*. Ejusmodi figuras, quæ in Hostiis quadratis Græcorum imprimuntur, reperias apud Martene loco citato. Armeni, relicta quadrata, formam nunc rotundam adhibent; sed usum fermentati retinuerunt, quod testatur Abrahamus Ecchellensis Maronita e Monte Libano in Epistola ad Joannem Morinum.

Vetustissima figura earum circularis.

4. Vetustissima apud nos est forma rotunda, idque pluribus argumentis confirmatur, quæ affert P. Franciscus Berlendus in erudito *Tractatu de Oblationibus ad Altare* pag. 11. & seq. ubi Decretum protulit S. Zephyrini, qui vixit III. sæculo, in quo S. Pontifex Hostiam appellat *Coronam sive oblata sphæricæ figuræ*. Durandus in Rationali lib. 4. cap. 30. num. 8. mysticum sensum explicat, qui in Hostiæ rotunditate subest: *Hostia formatur rotunda, quia Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi, qui habitant in eo*; & cap. 41. nu. 8. Honorium Augustodunensem sequutus addit: *Panis formatur in modum denarii; tum quia panis vitæ pro denariis traditus est; tum quia idem denarius in vinea laborantibus in præmium dandus est. Ideo Paulus dixit: Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Idem Berlendus reperire studuit, quo tempore Ecclesia pane uti cœperit e subtili & levissima materia, qui non in furno coquitur, sed ferro ignito comprimitur, & a communi pane quam maxime differt: ac fatetur, se hujus rei originem invenire non potuisse.

5. In

Sacræ in Hostiis etiam antiquitus figuræ impressæ, vel Christi Crucifixi, vel Resurgentis.

5. In utraque Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali constans fuit semper consuetudo Crucem vel Crucifixi imaginem in Hostiis imprimendi, quod eruditissime docuit Philippus Bonarrota Senator Florentinus in egregiis illis *observationibus ad quædam vasorum veterum fragmenta* pag. 56. De antiqua Græcorum disciplina, quæ etiamnum viget, vide Goar ad Euchologium pag. 60. num. 1. pag. 61. num. 1. Vetus volumen de Ordinationibus, quod fuit Cardinalis Casanatæ, & antiqua Pictura in Ecclesia D. Laurentii extra muros probat, ut observat idem Bonarrota, morem imprimendi, signum salutis in Sacra Eucharistia. Ante Bonarrotam Baronius ad annum Christi 58. num. 65. & 66. observaverat, morem fuisse veterum Christianorum Crucis signum imprimendi in panibus ad usum paratis; idque probat pluribus vetustis picturis, figurisque musivo seu vermiculato opere expressis, quæ vulgo Romæ conspiciuntur; deinde addit: *Sed & illud liquet, non solum communes panes ad esum paratos ejusmodi decussatione Crucis signum exprimente a Majoribus consignari consuevisse, sed & eos ad Sacræ Eucharistiæ usum absque fermento confici solitos &c. Factum vero postea est, ut in iisdem mysticis panibus non Crux tantum, sed Christus Crucifixus formis redderetur expressus.* Heterodoxus quidam nomine Philippus Julius Retmejer, Præsidente Joanne Andrea Schmidio itidem Heterodoxo, argumentum proposuit disputandum: *De Oblatis Eucharisticis, quæ Hostiæ vocari solent*, die 14. Januarii anni 1702. eaque Dissertatio deinde typis Amstelodamensibus anno 1727. edita extat in tom. 18. Miscellaneorum Bibliothecæ Dominici S. R. E. Cardinalis Passionei. In ea Dissertatione Sacri exhibentur Iconismi, quos in Hostiis impressos reperit, qui tamen omnes idem fere exprimunt, vel Passionem Christi Domini, vel Resurrectionem, vel Sanctissimum Nomen Jesu.

CAPUT VII.

De Vestibus Sacerdotalibus, ubi de Amictu, Alba, & Cingulo.

Vestes olim erant eædem Clericis, & Laicis. Apostoli communi utebantur vestu.

1. IN vicesimo primo nostro Edicto Latinæ editionis de Sacerdotalibus indumentis valde verisimile esse docuimus omnium fere Eruditorum hominum consensione, Apostolos non iis vestibus communibus, quas quotidiano & continuo usu adhibebant, sed aliis quibusdam peculiaribus indutos Missam celebrasse. Joannes Franciscus Budæus hæreticarum partium homo in ea Dissertationum suarum, quam de Missa composuit §. 25. mirari se ait, Cardinalem Bona, quem tamen videtur, ut æquum est, plurimi facere, scripsisse, Apostolos non consuetis, sed certis quibusdam aliis vestibus indutos Sacrificium Missæ peregisse. Ante Budæum Nicolaus Alemannus *de Lateranensibus Parietinis* hanc opinionem veluti risu dignam notaverat: Quod facit etiam Joannes Gottlieb Heineccius in prima Exercitationum suarum *de Habitu Apostolorum Sacerdotali* edit. Halæ Magdeburg. anno 1735. Nobis ea, quæ uterque objecit Auctor, diluere non est animus, qui ea satis refutata in eo Edicto arbitramur.

In Sacrificio ejusmodi vestes, sed non easdem adhibebant, quibus in communi usu utebantur.

2. Illud nunc duntaxat monere volumus, quod quamvis sacra indumenta, quibus Sacerdotes utuntur cum ad Altare accedunt, vestes olim fuerint Clericorum Laicorumque communes, quæ proprie deinde Ecclesiasticorum virorum factæ sunt in usum Sacrificii; id tamen sententiam nostram minime evertere, qua asserimus, Apostolos aliis in Missa celebranda vestibus usos, quam quibus, dum per vias incederent, uterentur. Potuit enim exempli causa Sacerdos aliquis Albam & Planetam, cum hæc indumenta omnibus erant communia, adhibere cum domi se continebat, vel per Civitatem ambulabat; peculiari autem alia Planeta uti & Alba, cum ad Altare accederet; id enim satis erat ad suam erga Sacrificium reverentiam, si non eandem adhiberet vestem Missam celebrando, quam qua uteretur vias & compita perreptando. Quamobrem in Can. *Vestimenta* de consecrat. dist. 2. *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus aliis in usibus non debent frui, quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis Officiis.* Atque hujus rei depromi potest exemplum ex Ecclesiastica historia nostrorum temporum. Certum est nonnisi nudo capite licere Missam celebrare. At turpe & indecorum est in Sinarum Imperio caput detegere: quamobrem Paulus V. Missionariis facultatem concessit, ut pileolo caput tegerent dum Missæ Sacrificium celebrarent, modo pileolus ille non idem esset, quem communi usu adhiberent: unde factum est, ut Neophyti novum quemdam & a communi valde diversum pileolum excogitaverint ad usum Sacrificii. Vide Raynaudum tom. 13. de Pileo & cæteris capitis tegminibus pag. 628.

Ex Thomassino probatur, vestes communes, & ad Sacrificium adhibitas, non fuisse easdem, nec ejusdem formæ.

3. Atque hæc non nostra sunt, sed ex Thomassino deprompta, qui tom. 1. lib. 2. cap. 45. ostendit Stolam, Manipulum & Albam profanas antea fuisse vestes, quæ deinde usu Sacrificii consecratæ sint. Et cap. 47. num. 4. postquam plures attulit auctoritates; *Quibus ex testimoniis*, inquit, *constat, Tunicam, Dalmaticam, Casulam communes illas fuisse quondam Laicorum vestes, multoque magis Clericorum civili in usu, ac tandem in eo evasisse, ut proprie Clericorum essent, nec in civili tantum usu, sed & in sacro Laicis a patrio Majorum habitu ad peregrinas vestes desciscentibus.* Inter cætera, quæ Thomassinus affert documenta illud est e S. Cæsarii Vita petitum cap. 19. in qua proditum est de Cæsario, qui post reditum in Gallias egeno mendicoque homini nihil quod daret haberet, *Casulam, qua in Processionibus utebatur, & Albam Paschalem profert, datque egeno, jubetque ut vendat uni ex Clero.* Et in eadem Vita: *Ambulans per plateam Civitatis vidit contra in foro hominem, qui a dæmone agebatur. In quem cum attendisset habens manus sub Casula, ut a suis non videretur, Crucem contra eum fecit.* Planeta igitur, quam pauperculo illi Cæsarius dedit, utebatur, cum ad Altare accederet; ea vero, qua erat vestitus dum ad expellendum ex Energumeno diabolum Crucis signum fecit, Planeta erat communis usus, quam dum esset in foro adhibebat: ex quo facile intelligi potest, eandem fuisse vestium formam Sacerdotum cum ad Altare accederent, & cum per urbem inambularent; sed non easdem fuisse vestes, quas ad Altare, cum iis, quas in domestico civilique vitæ usu adhiberent: quamquam ut ait Thomassinus, *hujus utriusque vestimenti si fuit eadem forma, uti & idem nomen erat, profecto sacra civili & splendidior & pretiosior.* Aliud argumentum ad ea, quæ ex Thomassino attulimus addi potest ex Reginone desumptum de vita & conversatione Presbyteri cap. 66. qui testatur, non licere Presbyteris *in Alba, qua in suo usu utuntur, Missas cantare*; ex quo intelligitur, duplices illis fuisse Albas; quarum alteram ad communem usum, alteram ad Altare adhibebant, ut bene advertit Tournely tom. 2. de Eucharistia edit. Parisien. pag. 378. Ostendit Vertus tom. 2. pag. 283. Presbyteros etiam extra Missæ Sacrificium Albas adhibuisse; sed vetitum

titum fuisse, ne quis ea uteretur Alba ad Altare, quam in communem usum adhiberet: atque inde contendit derivatum usum Rocchetti, quod pigeret Presbyteros Albam, quæ vestis est ad talos demissa, cum per Civitatem incederent, adhibere. In Formulario apud Reginonem legitur: *Si sine Stola vel Orario in itinere incedat, sive absque Alba, aut cum illa Alba, qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare præsumat.* In Synodalibus Episcoporum Constitutionibus ad Parochos in Baluzii appendice ad Reginonem: *Ut nullus in Alba, qua in suos usus utitur, cantare præsumat.* Leo IV. apud Baronium ad ann. 855. ita decrevit: *Nullus in Alba, qua in suo usu utitur, præsumat Missas cantare.* Quod autem Albæ substitutus fuerit usus Superpellicei & Rocchetti vide Perinezzium Dissert. 4. tom. 1. pag. 115. & seq.

De Amictu. Ejus etymon. Anabaladium. Ejus usus sæculo 8. introductus. Ejus in analogia cum Veteris Testamenti Ephod.

4. His præmissis ad sacra Indumenta devenimus, quorum primus est Amictus, qui in vetustis libris liturgicis appellatur *Anaboladium*. Amalarius lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 18. de Amictu ait: *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus:* Le Brun tom. 1. pag. 42. contendit vocem *Amictus* a verbo *amicire* deductam, quod operire significat; & octavo sæculo ad collum tegendum ejus usum esse inductum; Ecclesiastici enim & Laici ad eam usque ætatem nudum collum habuerant, quod indecorum postea visum est. Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ lib. 1. cap. 201. videtur innuere, nostrum Amictum eundem esse cum veteris Legis Ephod: *Hinc humerale, quod in Lege Ephod, apud nos Amictum dicitur, sibi imponit, & illo Caput & collum & humeros, unde & Humerale dicitur, cooperit, & in pectore copulatum duabus vittis ad mamillas cingit:* quod etsi alii non probent, tamen est admodum verisimile; nam in lege veteri Ephod vestis erat Sacerdotalis. Quamobrem D. Hieronymus Epist. ad Marcellam scribit: *Illud breviter attende, quod nunquam nisi in Sacerdotio nominetur Ephod.* Etenim Sacerdotale Ephod linteum erat, & veluti cingulum, quod ad posteriorem colli partem circumductum & ab humeris ad pectus demissum, in ipso pectore decussabatur, ac tunicam præcingebat; & quanquam Sacerdotalis vestis erat, ea tamen usi sunt etiam Laici. David enim, cum solemni pompa Jerosolymam deferretur Arca e domo Obededon, Ephod induit, ut est in 2. lib. Reg. cap. 12. De Ephod adeas Calmeti Dictionarium Biblicum verbo *Ephod*; & de Amictu ejusque similitudine cum Ephod vide Saussay Panoplia Sacerdot. par. 1. lib. 1. cap. 2. Maronitæ & Ambrosiani Amictum ponunt super Albam; olim etiam Græci: num vero ullo utuntur Amictu teste Macro in Vocabulario Ecclesiastico verbo *Amictus*, & Clericato de Sacrificio Missæ decis. 50. num. 22.

Olim Amictus supra Albam ponebatur, ut nunc faciunt Ambrosiani.

5. In quinto ex Romanis Ordinibus, quos edidit Mabillonus tom. 2. Musei Italici, apparet Amictum tunc temporis supra Albam poni consuevisse. Profert Georgius tom. 1. de Liturgia Romani Pont. vetus Missale Vaticanum ante septingentos annos scriptum, in quo præscribitur, ut Amictus post Albam & Cingulum accipiatur; quod nunc non Ambrosiani modo ut diximus faciunt, sed Canonici quoque Lugdunenses. In Ecclesia Romana nunc & in tota fere Catholica Ecclesia Amictus induitur ante Albam; & hujus Ritus vestigium extat in Missali quodam 11. Sæculi teste Merato par. 2. c. 1. n. 20. tom. 1. pag. 1. Sunt qui Amictum fericis aureisque fimbriis ornent, sed Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 24. num. 3. ait recentem esse hanc consuetudinem, & sacræ Antiquitati prorsus incognitam.

Alba varia nomina. Eam olim Ecclesiastici ad communem usum adhibebant.

6. Altera sacra vestis est, quæ *Alba*, *Camisia*, *Camisius*, & *Camisile* appellatur. Græci *Poderem*, Itali vocant *Camice*. In Ordine Romano mentio fit de Alba: *Lineam Dalmaticam, quam dicimus Albam:* & in Actis proconsularibus S. Cypriani Episcopi & Martyris apud Ruinartum: *Et cum se Dalmatica expoliasset & Diaconibus tradidisset, in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere.* Vocem illam *linea* etsi Baronius ad annum Christi 261. num. 40. putet significare Rocchettum, tamen plures ita accipiunt, ut intelligant Albam: nam neque tum temporis ullus erat usus Rocchetti, & Ecclesiastici viri Albam ad quotidianum communemque usum vestiebantur: cum præsertim Dalmatica etiam communis vestis esset, quæ in Dalmatia, unde nomen traxit, inventa fuerat.

Ea etiam usi Laici qui magna essent dignitate.

7. Eam Reges etiam adhibebant; nam Lampridius tradit Commodum, & Julius Capitolinus, Pertinacem Dalmatica indutum in publicum prodiisse, ut observavit Baronius ipse in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 31. Maji. Amalarius lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis de Alba ita loquitur: *Postea Camisiam induimus, quam Albam vocamus.* In libro Pontificali in Vita Benedicti Tertii proditum est sub eo Pontifice Regem Saxonum Ecclesiæ S. Petri Romam dono misisse Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo: & quanquam Casaubonus putet, vestes fuisse ad ornatum Templi, tamen Ferrarius lib. 3. de Re Vestiaria cap. 5. abunde probat, eas in Sacerdotum usum comparatas fuisse. Alcuinus, sive quis alius Auctor, in libro de Divinis Officiis de Podere mentionem facit his verbis, *Poderis, quæ vulgo Alba dicitur.* Ejus vocis etymologiam ex voce *podas* trahit, quæ apud Græcos *pedes* significat; est enim Alba ad pedes demissa vestis. Et Ferrarius in Linguæ Italicæ Originibus docet, hanc vestem e voce *Camicia*, exigua mutatione facta, *Camice* esse appellatam. Albam lineam, non laneam esse oportet: quapropter D. Gregorius in Ezechielem lib. 1. homil. 11. scripsit: *Grossiora quippe vestimenta sunt lanea: sed cum Sacerdos ad sacrum ministerium accedit, ideest cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est, quod ipse quasi lineo vestimento vestiatur.* Albi etiam coloris esse debet Alba: quamobrem D. Hieronymus lib. 1. adverf. Pelagium decere ait in Dei honorem, ut *Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus in administratione Sacrificiorum cum candida veste procedant.* Feria sexta in Parasceve antiquitus Sacerdotes ea veste utebantur, quæ nigri esset coloris. Quædam Albæ manicas habent acupictas, pectus etiam humeros, & lacinias phrygio item opere variatas; quæ consuetudo etiam nunc in quibusdam Regularium Ecclesiis, & in Pontificio Sacello retinetur, ut observat Macrus verbo *Alba*, & Clericatus decis. 50. num. 23. & seq. Duo recentiores viri docti Fleury de veterum Christianorum moribus, & le Brun tom. 1. pag. 45. ostendunt, Albam peculiarem quemdam Laicorum, qui magna essent dignitate, fuisse ornatum; tunicas enim albas Romanis donavit Aurelianus Imperator: deinde Alba proprium cœpit esse indumentum in Ecclesiasticis cæremoniis. Et si Fleury fides habenda sit Eccl. Historiæ lib. 20. num. 23. de Alba in Altaris usum destinata prima mentio occurrit in Carthaginensi Synodo, vergente in finem quarto sæculo habita. Alba inferiorum etiam Ordinum vestis fuit Ostiariorum,

Le-

Lectorum, Exorciſtarum, Acolythorum; Fratrum Prædicatorum Acolythi etiam nunc Alba utuntur. Et Sauſſay in Panoplia Clericali par. 1. lib. 5. cap. 5. §. *Nec ritus* obſervat in inferioribus Miniſtris idcirco Albæ ſuperpelliceum ſubſtitutum fuiſſe, ut ambulando cæteriſque muniis obeundis eſſent expeditiores.

De Cingulo. Non circa pectus, ſed circa renes circumducendum.

8. Tertia ſacra veſtis eſt Cingulum; quamobrem Stephanus Eduenſis Epiſcopus lib. 1. de Sacram. Altaris cap. 10. *Cingulum*, inquit, *quod Albam conſtringendo renibus coaptatur*, interdum *Baltheum*, aliquando etiam *Zona* appellatum eſt. Divus enim Hieronymus Epiſt. 128. ad Fabiolam: *Tertium genus eſt veſtimenti, quod illi appellant Abner, nos Cingulum, vel Baltheum, vel Zonam poſſumus dicere.* Olim qui ampla & longa uteretur veſte, Cingulo ſe præcingebat, *ne tunica ipſa diſfluereț, & greſſum impediret;* verba ſunt Bedæ & Rabani. Qui diſcinctus eſſet apud Judæos & Romanos, otio, luxu, & deliciis diſſluens habebatur, ut oſtendit Vertus lib. 2. pag. 310. Sacerdotale Cingulum non circa pectoris mammas, quod quidam perperam faciunt, ſed circa renes circumduci debet. De cingendis renibus locus eſt in Exod. cap. 12. *Renes veſtros accingetis*; & Job cap. 12. *Præcinge lumbos tuos, & accingere ſicut vir renes tuos*; & Iſaiæ cap. 11. *Et erit juſtitia Cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Vetus eſt cinguli uſus; Joannes enim Diaconus in Vita S. Gregorii narrat, Fideles ejus ſupellectilem venerari conſueviſſe: *ſed & ejus Baltheum conſuetudinaliter oſculatos eſſe.*

CAPUT VIII.

De Manipulo, Stola & Planeta; de Sacrarum Veſtium benedictione, & quinque diverſis earum coloribus.

Manipuli Etymol. Sacerdotes linteo brachio olim ſudariolum alligatum habebant.

1. QUarta veſtis eſt Manipulus, de cujus etymologia Wilelmus Brito in Vocabulario: *Manipulus eſt ornamentum manus.* Manipulus ſequiore ævo additus eſt; nulla enim de eo mentio fit a Veteribus Patribus, & Ritualibus libris. Sacerdotes primis Eccleſiæ ſæculis ſudariolum ad ſiniſtrum brachium tergendo ſudori naribuſque emungendis alligatum habebant: voce enim Saxonica *Fanon* appellabatur, quod idem valet ac ſudariolum ſeu muccinium, ut docet Voſſius lib. 2. de vitiis Sermonis cap. 7. Id ſudariolum haud ita Sacerdotibus peculiare fuit, ut Clericis etiam ad Altare eo uti non liceret.

De Manipulo controverſia inter Romanos & Ravennates Clericos a Gregorio Magno dirempta.

2. Sibi tantum eo uti licere contendebant Eccleſiæ Romanæ Clerici: ortam inter eos & Ravennatis Eccleſiæ Clericos controverſiam S. Gregorius, ne quid Joanni Ravennatenſi Archiepiſcopo injucundum faceret, ita diremit, ut primis ejus Diaconis ex ſingulari privilegio liceret ad ſiniſtrum brachium alligatum geſtare ſudariolum, dum celebranti Archiepiſcopo miniſtrarent, ut apparet ex Epiſtola ejus Pontificis 54. ad Joannem Epiſcopum Ravennatem lib. 2. Verba Joannis Archiepiſcopi, jura tuentis Clericorum ſuorum, ea ſunt: *Quia quoties ad Epiſcopatus ordinationem, ſeu reſponſi Sacerdotes vel Levitæ Eccleſiæ Ravennatis Romam venerunt, omnes in oculis Deceſſorum veſtrorum cum mappulis ſine reprehenſione aliqua procedebant. Quare eo tempore, quo iſthic a Prædeceſſore veſtro peccator ordinatus ſum, cuncti Presbyteri, & Diaconi mei in obſequium Domini Papæ mecum procedentes uſi ſunt.* Benigna D. Gregorii conceſſio his verbis continetur: *Illud autem, quod pro utendis a Clero veſtro mappulis ſcripſiſtis, a noſtris eſt Clericis fortiter obviatum, dicentibus, nulli hoc unquam alii cuilibet Eccleſiæ conceſſum fuiſſe. Sed nos ſervantes honorem Fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem Cleri noſtri, primis Diaconibus veſtris in obſequio duntaxat tuo mappulis uti permittimus. Alio autem tempore, vel alias perſonas hoc agere vehementiſſime prohibemus.*

Sudariolo ſubſtitutus Manipulus ſæculo 10. vel, ut alii, ſæculo 8.

3. Hujus ſudarioli uſus viguit, donec ſubſtitutus fuit Manipulus veluti ornatus quidam, qui propterea ejuſdem materiæ & operis eſt, cujus Planeta & Stola. Amalarius, qui vixit nono ſæculo, de Sudariolo mentionem facit; unde infert Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 24. n. 5. ſæculo 10. Manipulum in ſudarioli locum fuiſſe ſubſtitutum. Meratus tom. 1. par. 1. pag. 321. n. 25. longe antea id factum eſſe exiſtimat, qui Manipuli mentionem fieri repererit ſæculo octavo. Le Brun tom. 1. pag. 47. & 48. Vertus tom. 2. pag. 311. & ſeq. Manipuli primum uſum referunt ad ſæculum 11. Nam Ivo Carnotenſis, qui eo vixit ſæculo, ſudarioli uſum etiamnum vigere innuit libro de ſignificat. Indumentorum Sacerdotalium: *In ſiniſtra manu ponitur quædam mappula, quæ ſæpe fluentem oculorum pituitam tergat, & oculorum lippitudinem removeat.*

Hujuſmodi rerum uſus introductis perdifficile eſt veras Epochas conſtituere.

4. De hac re ſua ſtet cuique ſententia: perdifficile eſt enim ejuſmodi Epochas conſtituere: ac de hujuſmodi rebus aliiſque id genus, quæ paulatim in morem invectæ ſunt, arbitramur omnium veras eſſe ſententias, non quidem quoad univerſalem uſum, ſed quoad eorum tantum locorum uſum, unde afferuntur documenta.

Cur Epiſcopi poſt Confiteor induant Manipulum.

5. Nunc Manipulum Sacerdotes induunt ante Stolam; Epiſcopi plerumque nomiſi ad Altare recitato *Confiteor*. Idem mos erat olim omnium Presbyterorum: Planeta enim illis temporibus, ut alibi inferius docebimus, nondum erat ſub brachiis uſque ad extremam oram aperta veſtis, ſed a collo integra ad pedes protendebatur, ac nonniſi ſub recitatum *Confiteor* plicabatur; quo temporis articulo etiam Manipulus brachio alligabatur, quod ſuper brachia ſublata plicataque Planeta, ab omni impedimento liberum erat & expeditum. Vide Vertum tom. 3. pag. 31. & Meratum loc. cit. num. 26. Quoniam vero de Manipuli ſymbolo more ſuo male loquitur Vertus, propterea quod appareat, natura duce ejus uſum invectum eſſe, vir doctiſſimus idemque graviſſimus Auctor Langletus, antea Sueſſionenſis, nunc Senonenſis Epiſcopus in tractatu adverſus Vertum §. 34. monet diſtinguenda eſſe tempora. Fuit enim tempus, cum Manipulus inſtrumentum erat ipſa neceſſitate introductum: deinde vero cum inter ſacra indumenta locum obtinuit, in ſymbolum evaſit. Manipulus fere idem eſt, quod apud Græcos *Epimanicion*, de quo Goar in notis ad Liturgiam S. Jo. Chryſoſtomi n. 12. Duobus vero Græci & Maronitæ utuntur Manipulis, quorum ſingulos ad ſingula brachia alligant teſte Macro in Vocabulario verbo *Manipulus*.

Græci duplici utuntur Manipulo.

Stola cujuſmodi veſtis fuerit apud Romanos.

6. Stola quintum inter indumenta ſacra obtinet locum. De Stola tanquam de integra veſte ſermo fit in veteri Teſtamento Geneſeos cap. 41. *Veſtivitque eum Stola byſſina*, & cap. 45. *Singulis quoque proferri juſſit binas Stolas*, & Eſter cap. 6. *Tulit itaque Aman Stolam & equum*. Idem probatur ex Parabola Evangelica Filii, qui facultates ſuas prodegerat. Apud profanos Scriptores Stola veſtis eſt muliebris. Locus eſt Ciceronis, qui perditos profligatoſque M. Antonii mores exagitat in 2. Philippica, cap. 18. *Sumſiſti virilem Togam, quam ſtatim muliebrem Stolam reddidiſti*. Stola veſtis erat longa, quæ totum corpus tegebat; ac nomen illud traxit ex quadam faſcia ad ejus veſtis oram circumducta, quæ Stola dicebatur.

Ejus nomiſi vaſis.

Stola orarium etiam dicebatur.

7. Sacra Stola, de qua agimus, *Orarium* etiam appellabatur: quamobrem in Gemma Animæ

lib. 1. cap. 204. legitur: *Deinde circumdat collum suum Stola, quæ & Orarium dicitur*; & Rabanus Maurus lib. 1. cap. 19. *Quintum est quod Orarium dicitur, licet hoc quidam Stolam vocent*; & in libro Pontificali in vita Agathonis: *Ea hora Sancta Synodus una cum Principe ejus Orarium auferri jusserunt a collo ejus*, scilicet Macharii Antiocheni. Vox Orarium occurrit etiam in Scriptoribus Ethnicis, & sudariolum ad tergendam faciem significat. Nam Flavius Vopiscus in vita Aureliani tradit, illum dono dedisse *Oraria Populo Romano, quibus uteretur Populus ad favorem*, nimirum ut manibus ea sustollerent jactarentque, & lætis acclamationibus Principem prosequerentur. Atque Orarium longius apud eos quam latius fuisse oportet ad modum fasciæ. Gregorius enim Turonensis lib. 3. Historiar. cap. 5. narrat, Sigismundum Burgundorum Regem dormientem filium necari jussisse, eique necem in hunc modum fuisse illatam refert: *Dormienti Orarium sub collo positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus est*.

Apud Vopiscum Orarium pro Sudariolo.

Stolæ & ejus variæ Etymol.

8. Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturgicar. cap. 24. n. 6. ait, nostram Stolam ab ea fascia ita dictam, quæ circa oram illius vestis assuta erat, qua fœminæ sibi totum corpus tegebant, quæ fascia Stola appellabatur; Orarium etiam appellatam esse Stolam ab Orario, cujus apud Ethnicos diximus majorem fuisse longitudinem quam latitudinem. Quidam putant Orarium dictum esse ab ora; quæ laciniam vestis significat. Ita sentiunt Le Brun tom. 1. pag. 50. & Vertus tom. 2. pag. 326. Sed hæc leviuscula controversia est. Stolæ usus vetustissimus est in Ecclesia, cujus documenta mille & trecentis annis antiquiora afferri possunt. Eam semper & ubique gestabant Episcopi, & Presbyteri; Diaconi itidem semper & ubique, sed primo tantum ordinationis suæ anno. S. Fulgentium, ne a monastica vita discederet, proditum est, nunquam Stola usum esse, quemadmodum cæteri utebantur Episcopi. In vita S. Thomæ Cantuariensis, quam Joannes Sarisberiensis conscripsit, hæc habentur: *Stolam tamen jugum Christi suave circa collum diebus ac noctibus habebat*. In Concilio Moguntino anno 813. cap. 28. ita statutum: *Ut Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. In vita S. Mauri: *Stolam, cum qua eodem anno, jubente Beato Magistro suo, ordinatus ad Ministerium fuerat Leviticum, & quam juxta morem sanctitatis gratia primo indesinenter ferebat anno, de collo suo protulit, & super caput infirmi Crucis signum faciens posuit*. Idem habetur in vita ejusdem S. Mauri carmine scripta.

Stolam semper & ubique Episcopi & Presbyteri, Diaconi itidem, sed primo tantum Ordinationis suæ anno adhibebant.

Plorat & exorat, veniam dum precibus orat,
Deponendo Stolam, quam toto tempore caram
Anni portabat, quam sic vehementer amabat,
Quod sublimatus, quod erat Levita creatus.

Nunc temporis semper & ubique Stola utitur Romanus Pontifex.

9. Quæ quidem documenta fidem iis afferunt, quæ diximus, ut bene animadvertunt Mabillonius in *Præfatione ad sæcul. 1. Benedictinum* n. 108. & Du Cange verbo *Stola*. Hoc vero tempore solus Romanus Pontifex veterem Episcoporum Presbyterorumque morem retinuit semper gestandi Stolam. Longior erat antiquitus Stola, quam quæ sit ea, qua nunc utimur; nam in musivo seu vermiculato opere in Ecclesia S. Mariæ trans Tiberim S. Calepodius Presbyter depictus cernitur cum Stola ad pedes usque demissa, ut observat Georgius de Liturgia Romani Pontificis lib. 1. cap. 20. num. 6.

Planeta, qua & Casula dicitur, quæ olim ejus forma.

10. Sexta sacra vestis est Planeta. Casula etiam appellatur, ut apud S. Isidorum lib. 19. cap. 24. *Planeta Græce, & Latine dicitur Casula, quæ totum hominis corpus tegit*. Veteris Planetæ forma omnino ei similis erat, qua nunc utuntur Græci. Vetus itaque Planeta vestis erat, quæ a collo ad pedes usque Sacerdotem tegebat, & brachia manusque involvebat, ut ea qui adhibere vellet; eum oporteret Planetam utrinque sustollere, vel fibula subligare. Quamobrem Isidorus eodem loco: *Vestis cucullata quasi minor casa, eo quod totum hominem tegat*; & Rabanus Maurus de Institutione Clericorum cap. 21. *Casula*, inquit, *dicitur vulgo Planeta Presbyteri, quia instar parvæ Casæ totum tegit. Hæc supremum omnium indumentorum est, & cætera omnia interius per suum munimen tegit & servat*. De veterum Planetarum forma optime scripserunt Rocca to. 2. novissimæ edit. pag. 368. Georg. de Liturgia Romani Pontificis tom. 1. lib. 1. cap. 24. n. 8. Meratus tom. 1. par. 1. pag. 321. n. 32. Et Joannes Patritius in Dissertatione de Patena argentea S. Petri Chrysologi pag. 141. veterem ejus S. Episcopi antiqua Planeta induti imaginem affert. Macrus in Vocabulario verbo *Casula* Græcos multum laudat, quod veteris Planetæ formam retinuerint; & Lindanus Panopl. Sacerdot. lib 4. cap. 46. pag. 480. conqueritur nimium decurtari suo tempore cœptam esse Planetam: *Ita enim recisa est, & decurtata, atque aliam prope in speciem deformata, ut sicuti illa prisca, unde fluxit & degeneravit, cum ponatur, vix suum tueatur nomen*. Dudum diximus donec Planetæ vetus forma permansit, Manipulum a Sacerdote post *Confiteor* accipi consuevisse: nunc enim super Sacerdotis brachia sustollebatur Planeta. Nunc vero, etsi Planetæ forma mutata est, eundem morem Episcopi retinent.

Ex antiqua ejus forma quidam mutati explicati.

11. Ex antiqua Planetæ forma consuetudo illa manavit, ut Minister Sacerdotis in elevatione Eucharistiæ Planetam extollat; quæ consuetudo etiamnum viget, ut notat Juvenincus de Sacramentis dissert. 5. de Sacram. Euchar. q. 8. cap. 5. §. 6. & ultimo, ubi hæc habet: *Hinc sequitur necessario, Planetam seu Casulam olim multo fuisse longiorem ac latiorem, quam nunc sit; nec enim alioquin omnes corporis partes obtegere potuisset. Ejusmodi vero veteris figura hoc apud nos vestigium remanet, quod ubi Hostia consecrata a Sacerdote elevatur, Minister Sacrificantis Casulam complicet, aut extollat, ne Sacerdoti genua flectenti sit impedimento*. Et consonat Tournely tom. 2. de Eucharist. pag. 388. edit. Parisien. Atque inde etiam morem illum ortum esse constat, ut in Quadragesima & in diebus jejunii, cum Diaconus & Subdiaconus Sacerdoti Missam solemnem celebranti ministrantes Planeta utuntur, eandem Planetam habeant in anteriori parte plicatam; cum enim Planetæ olim essent amplæ, plicatas eas esse in anteriori parte oportuit, ut ministrando Diaconus & Subdiaconus esent expeditiores. Vide Josephum Catalanum in notis ad Pontificale Romanum in prolegomenis cap. 18. num. 6. tom. 1.

Planeta profanum olim indumentum.

12. Planetam, antequam sacra vestis esset, profanum fuisse indumentum, & Laicis commune, constat ex pluribus monumentis. Joannes Diaconus lib. 4. de vita S. Gregorii Magni cap. 83. ubi de Sancti Pontificis parentibus Gordiano & Silvia loquitur, de Gordiani veste ait: Cujus *Gordiani habitus castanei coloris Planeta est*. Et S. Isidorus in Regula cap. 13. inter Laicorum vestes Planetam recenset: *Porro linteo non licet Monacho indui, Orarium, Birros, Planetas non est fas uti, neque illa indumenta, vel calceamenta, quæ generaliter cætera Monasteria abutuntur*; quod idem est ac *non utuntur*. Observant viri docti, Veteres veste quadam esse usos, quam *Penulam* appellabant;

bant; eam, dum iter facerent, adhibebant. In urbe etiam ea uti cœperunt pro veste lugubri: tandem ejus fuit usus generatim apud viros & feminas; ampliorque facta & laxior, & ad pedes demissa, fortasse etiam cum peniculamento seu syrmate, cum jam toga exoleviſſet, nobilium virorum deinde peculiaris vestis fuit: atque ab hujusmodi primorum hominum pennula, non vero ab ea, quæ itineris penula erat, putant Planetam nostram traxisse originem, ut videre est apud Bonarrotam in Observationibus ad vasa quædam vitrea pag. 108. & seq.

Ejus usum exoletum apud laicos viri Ecclesiastici vestimenti, quorum peculiarem vestem fuisse probatur 6. sæculo.

13. Planetam primis Ecclesiæ sæculis Laicorum quoque vestem fuisse docent Le Brun to. 1. pag. 52. Vertus to. 2. pag. 341. & seq. Atque eam septem primis Ecclesiæ sæculis omnium fuisse vulgarem vestem, quotquot longis vestibus uterentur, existimat idem Le Brun; eam denique a populo dimissam homines Deo sacros retinuisse; & Ecclesiam Sacerdotibus Planetam, peculiarem Sacrificio offerendo vestem, ante nongentos annos assignasse. Id vero haud ita exploratum & cognitum; perdifficile est enim rerum initia tuto commonstare. Nam in Concilio Toletano IV. anno 597. habito, can. 27. ubi quid agendum sit præscribitur, si Episcopus, Presbyter, vel Diaconus in suum cujusque gradum restituendus sit, quasve illis vestes reddi oporteat, hæc habentur: *Si Episcopus est, Orarium, Anulum, & Baculum; si Presbyter, Orarium & Planetam; si Diaconus, Orarium & Albam*. Ex quo intelligitur multo ante Sacerdotibus Planetam pro peculiari eorum veste destinatam, ut bene observavit loc. cit. idem Bonarrota. Reliquum esset ad ulteriorem sacrorum Rituum notitiam disquirere, quo tempore Planetæ forma mutata sit, & ad eum modum redacta, ut non amplius eam complicatam super brachia sustollere oporteat; quod quidem aliis examinandum relinquimus.

Planetæ formæ ex antiqua pictura Lateranensis Basilicæ.

14. Illud tamen nolumus præterire, picturam olim fuisse in Lateranensi Basilica, quæ decimo sæculo facta est. In ea depictus erat Joannes XII. cui antequam sacrificaturus ad Altare accederet, Planetam Ministri imponebant. Planeta utrinque sub brachiis erat aperta, & ex antica posticaque parte in angulum desinebat, ita ut brachiis adhibendis nulla plicatura opus esset. Ea pictura non amplius extat in Lateranensi Basilica; ejus tamen Iconismum reperies in Tractatu quem de ea Basilica scripsit Cardinalis Rasponus lib. 1. cap. 14.

Ritus benedicendi sacras vestes.

15. De Ritu benedicendi sacra indumenta, ejusque vetustate nihil opus est dicere; hæc enim in Edicto nostro vigesimo primo Latinæ editionis fuse persequuti sumus. Itaque ad sacrarum vestium colores sermonem convertimus, ac de Birreto, quem Sacerdotes gestant, dum ad Altare accedunt, pauca quædam damus.

De quinque sacrarum vestium coloris generibus. Ecclesiæ primis sæculis vestes albæ adhibebantur.

16. Quinque colorum genera Rubrica Missalis commemorat, album, rubeum, viride, violaceum, nigrum. Quarti sæculi initio pacatis Ecclesiæ rebus, non aliæ vestes quam coloris albi adhibebantur. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum cap. 20. ubi de Dedicatione Oratorii sui hæc habet: *Erat autem Sacerdotum ac Levitarum in Albis Vestibus non minimus Chorus*. Et Venantius Fortunatus circa dimidium sexti sæculi lib. 2. cap. 10. S. Germanum Parisiensem Episcopum cum ejus universo Clero in vestibus albis sic describit.

Inde Sacerdotes, Leviticus hinc micat ordo, ...
Illi jam senio, sed & hi bene vestibus albent ...
In medio Germanus adest Antistes honore &c.

Præterea S. Isidorus in Origin. lib. 19. cap. 22. Sacerdotalem vestem commemorat albam, cum quibusdam institis rubei coloris. In Lege veteri Sacerdotes non aliis quam lineis & albis vestibus sacrificando utebantur; idcirco in Apocalypsi Angeli, qui Templi Ministros repræsentabant, albis vestiti apparuerunt. Alba itidem plerumque induebantur veste Sacerdotes Ethnici, cum ad Altare accederent: locus est in Silii Italici lib. 3. v. 694.

..... Ante Aras stat veste Sacerdos
Effulgens nivea .....

Apud Græcos non plures quam duo colores, albus, & rubeus; usque ad 13. sæculum.

17. Apud Græcos usque ad 13. sæculum non plures quam duo colores fuerunt, albus, & rubeus; idcirco Theodoretus tanquam novum quiddam & inusitatum refert, Acacium Constantinopolitanum Patriarcham, ut dolorem suum declararet, quem ex Imperatoris Basilii Edicto ceperat adversus Chalcedonensem Synodum, veste nigra se, Altare, Patriarchalem Cathedram contexisse. In Occidentali vero Ecclesia 12. sæculo Innocentius III. lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 65. quatuor scripsit fuisse tunc temporis colores, quibus Romana uteretur Ecclesia, album pro Confessoribus & Virginibus; rubeum in Apostolorum & Martyrum solemnitatibus; nigrum diebus jejunii, in commemoratione mortuorum, toto Adventus tempore, & a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum; viride denique diebus ferialibus. Violaceum non commemorat Innocentius; perinde enim ac niger color habebatur. In Ordine Romano 15. Petri Amelii, qui Sacrista fuit Urbani V. & Gregorii XI. apud Mabillonium Musei Italici tom. 2. pag. 452. Papa primo Quadragesimæ reliquisque diebus Paramentis violaceis utitur. Et in 13. Ordine sub Gregorio X. in Museo Italico tom. 2. pag. 235. legitur: *A Septuagesima usque ad primum diem Quadragesimæ* (Papa) *utitur colore nigro, & facit Processionem a Sancta Anastasia usque ad Sanctam Sabinam*: & in Ordine 14. Cardinalis Cajetani creati a Bonifacio VIII. eodem Musei Italici tom. 2. pag. 247. ubi agitur de Officio Cinerum, & de Processione a S. Anastasia ad Sanctam Sabinam, ita legimus: *Papa post impositionem Cinerum debet se discalceare, & indui nigra Casula*. Quæ omnia quinque Ecclesiasticos esse colores ostendunt, album, rubeum, viridem, violaceum, nigrum.

In Ecclesia Occidentali ante 13. sæculum quinque colores adhibiti.

18. Bocquillot in Tractatu historico sacræ Liturgiæ lib. 1. cap. 5. scribit, jam introductos in Ecclesiam Romanam quinque colores ante sæculum 13. Durandum enim, qui obiit anno 1296. mentionem facere de quinque sacrorum Indumentorum coloribus, tanquam de re toto terrarum orbe usurpata & cognita. Gilbertus Grimaud Liturgiæ sacræ par. 1. cap. 5. testatur, haud ita pridem colorem violaceum introductum apud Gallos, diuque loco violacei nigrum colorem esse adhibitum. Bellotte in Observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 767. & seq. colorum congruentias affert, diesque notat, quibus juxta Ecclesiasticum stylum iidem colores adhibentur, & pag. 761. n. 6. peculiarem Ecclesiæ suæ ritum exponit adhibendi Feria 6. in Parasceve crocei sive subflavi coloris Indumenta, quod sit ad perfidorum Judæorum bilem allusio: *Non immerito per flavum seu croceum colorem designantur Judæi, qui velut icterici ira, bili, & obstinata cæcitate æstuantes convenerunt in unum ad incessendum nomen illud Christi gloriosum Angelicis etiam Potestatibus adorandum*.

CAPUT IX.

De Birreto.

Birreti etymon. Antea caput tegebatur Amictu; quo consuetudine exoleta, fortasse tum birretus adhiberi cœpit.

1. NUnc de Birreto dicendum. A *Birro* derivata vox est. *Birrum* pars vestis, qua caput tegitur, ut notat Du Cange verbo *Birretum*. Romæ & in plerisque aliis Ecclesiis nono sæculo Birreti nullus erat usus. Amictu enim caput obnubebant, & cum Missam inciperent, illum, quemadmodum nunc Mendicantium Ordinum Religiosi, in humeros rejiciebant. Ejus rei afferunt documenta Le Brun tom. 1. pag. 42. & Vertus to. 2. pag. 255. qui illud etiam tradit, etiamsi nunc Amictu sæculares Presbyteri non amplius utuntur, in Ecclesia tamen Parisiensi eo sibi per hiemen caput obnubere usque ad Secretas; & Andegavi & Rupellæ tum per hiemem, tum per æstatem usque ad Canonem; rejectumque tum ad humeros, post Communionem super caput retrahere: quam consuetudinem tamen nuperrime in Rupellensi Ecclesia ait exoleviſſe. Huc addi potest, Parisiensis Ecclesiæ morem celebrandi Missam per hiemen obnupto capite, vehementer & magna eruditionis copia impugnasse Joannem Du Thours Doctorem Parisiensem & Archidiaconum Suessionensem. Rupertus Abbas lib. 1. de Divinis Officiis cap. 19. de Sacerdote scribit: *In Officio Altaris Amictu caput suum obnubit*. In Ordinatione Subdiaconi etiam nunc Episcopus Amictu caput Ordinando obnubit, quem ille deinde sibi ad humeros rejicit. Quo autem tempore consuetudo illa exolverit, ut Sacerdotes Amictu caput obnupti ad Altare accederent, incertum est. Illud facile possumus suspicari, nullum fuisse usum Birreti, donec ea consuetudo viguerit. Vertus to. 2. pag. 272. & seq. obfirmate studens quamlibet rem factam seu ritum, seu cæremoniam, seu vestem ad solam naturæ necessitatem referre, Birretum ait suam traxisse originem a pileolo, qui sub cucullo gestabatur. Birreti enim cuspides ortas ex trium impressione digitorum, qua paullatim in pileolo, qui frequenter detrahendus erat, exiguæ cornuum cuspides extitere; iis prominentibus cucilli usum factum esse paullo incommodiorem, quem propterea in humeros rejicere cœptum est; atque inde super caput cornutum pileolum remansisse, qui demum idem est ac Birretum.

Veri communitum rejicitur.

2. In commentitia hac narratione refellenda nobis non est animus tempus conterere. Illud non est prætereundum, pileolis usos esse antiquitus Ecclesiasticos viros in modum Camauri, quorum figuras in pluribus templis Romæ observare licet. Progressu vero ætatis pileolis subsui cœptum haud ita molle pannum, quatuor ut nunc apud Hispanos cuspidibus, vel tribus tantum excitatis, ut sit in Italorum Presbyterorum Birretis. Atque ea est sententia Marci in Lexico, verbo *Camelaucium*. Si cui vero volupe sit rem hanc videre uberius pertractatam & accuratius, adeat Theophilum Raynaudum Tractatu *de Pileo, & cæteris Capitis tegminibus*. Non hic loquimur de pileolo, quo quispiam privilegio munitus utitur celebrando Missam, eoque caput tegit usque ad Præfationem, nec nisi post Communionem illum iterum capiti imponit; nam pileolus inter sacra Indumenta non recensetur. Missam vero fas non est tecto capite celebrare juxta Can. *Nullus de Consecr.* Dist. 1. cujus ea sunt verba: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere, quoniam Apostolus prohibet viros velato capite orare: & si temere præsumpserit, communione privetur*. Locum D. Pauli respicit Canon ex Epistola prima ad Corinth. cap. 11. vers. 3. & 4. Quo quidem textu abuteretur, qui negaret Ecclesiam dispensare posse, ut Sacerdos cum pileolo capiti imposito Missam celebraret. Nam præceptum Apostolicum est meræ disciplinæ, quæ mutationibus & dispensationibus est obnoxia, ut bene ad rem nostram ostendit Gibertus Consult. Canonicarum Consult. 4. de Sacrificio Missæ.

Dispensatio celebrandi capite tecto Sedi Apostolicæ reservata.

3. Quidam existimarunt ejusmodi licentiam ab Episcopo posse concedi: sed Rubricæ & Decreta satis loculenter docent, solius esse Romani Pontificis ejusmodi licentiam impertire, qui cum dispensat super hac re, semper jubet pileolum detrahi a Præfatione usque ad finem Communionis. Quamobrem Silvius, etsi in prioribus Operum suorum editionibus scripsit, posse etiam Episcopum eam licentiam concedere, tamen in editione Antuerpiensi ann. 1714. ab ea sententia recessit, ac solius Sedis Apostolicæ docuit esse ejusmodi facultatem concedere: eum tamen Sacerdotem, qui gravissimo afflictus morbo Missam celebrans caput usque ad Præfationem pileolo tegeret, detractumque iterum post Communionem capiti imponeret, a peccato immunem esse putat: neque enim Apostolica Sedes videtur ita sibi eam licentiam reservasse, ut illicitum voluerit declarare, quod quis in aliquo casu extraordinario, qui supervenerit, vel propter morbum minime diutinum fecerit. De dispensatione celebrandi Missam cum pileolo, soli Apostolicæ auctoritati reservata alibi quoque scripsimus Edicto nostro 14. tom. 2. §. 4. n. 14.

CAPUT X.

De Symbolico sacrarum Vestium significatu.

De Symbolico Sacrarum vestium significatu.

1. JAm vero de mystico sacrarum Vestium significatu disserendum est. In ordinatione Subdiaconi Ordinandus prodit coram Episcopo cum Amictu super humeros, quo inde sublato Episcopus ei caput obnubit dicens: *Accipe Amictum, per quem designatur castigatio vocis*; & Sacerdos Missam celebraturus accipiens Amictum ait: *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus*; & consonat ea Oratio, quam recitat Episcopus, cum induit Amictum: *Pone Domine galeam salutis in capite meo ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium vesutias superando*. Juxta eam Orationem ex Ecclesiæ sensu Amictus designat normam illam rectam, qua Sacerdos uti debet in omnibus suis verbis, quæ ad Deum unice tendere debent; itemque robur illud significat, quo diabolicas tentationes retundere debet & frangere.

Amictus symbolica significationes.

2. De primo illo significatu loquitur Amalarius lib. 2. de Ecclesiastic. Offic. cap. 17. *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus; in collo namque est vox: ideoque per loquendi usus exprimitur. Per Amictum intelligimus custodiam vocis, de qua Psalmista dicebat: Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam: Amictus ideo dicitur, quia circumjicitur. In isto primo vestimento admonetur castigatio vocis*. S. Bruno Episcopus Signiensis in libro de Sacramentis Ecclesiæ & Mysteriis; *Amictus quidem*, inquit, *quo & collum stringitur, & pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat: tegit enim cor, ne vanitates cogitet; stringit etiam collum, ne inde ad linguam transeat mendacium*. De significatu altero loquitur Innocentius III. de Mysteriis Missæ lib. 1. cap. 1. *Lotis itaque manibus* (Papa) *assumit Amictum, qui super humeros circumquaque diffunditur, per quem operum fortitudo significatur*.

Amictus aliis moralibus significationibus.

3. Quia vero significationes mysticæ ejusdem rei plures esse possunt, quidam ajunt Amictum

ve-

velum illud significare, quo Judæi Christo Jesu faciem velarunt, cum illi colaphos impegerunt, aut spineam coronam, quam ejus capiti imposuerunt, vel etiam exprimi Christum sub Humanitatis amictu suam abscondisse Divinitatem. Quod vero ad moralem significationem pertinet, nonnulli putant, Amictu salutis galeam significari, spemque in Deum, qua hostes nostros superemus, & fortitudinem in divinis exequendis officiis. Dicunt etiam, ex eo, quod Amictu collum contegimus, de voce, quæ per os & guttur emittitur, custodienda; quod super humeros extendatur, de suavi jugo Domini portando nos admoneri; denique quod supra pectus alligetur, Sacerdotibus in memoriam illud revocari, nullis fas esse quam divinis cogitationibus eorum animum patere. Ita D. Thomas in 4. Sentent. dist. 24. quæst. 3. art. 4. Titelmanus in Tract. de expositione Mysteriorum Missæ cap. 2. Soto in 4. Sentent. dist. 13. quæst. 2. art. 4. Natalis Alexander Theologiæ Dogmat. & Moralis tom. 1. lib. 2. de Sacram. Eucharist. cap. 7. art. 3. num. 2. Merbesius in 3. par. Summæ Christianæ quæst. 49. concl. 1. Tournely de Sacram. Eucharist. par. 2. pag. 374. & seq. edit. Parisien. Collationum Lucionensium 16. quæst. 1. tom. 5. pag. 539.

Plures Albæ significationes symbolicæ.

4. Sacerdos, cum Albam induit, ait: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis*; cum qua consonat Oratio Episcopi cum Alba iridem se vestit: *Dealba me Domine; & a delicto meo munda me, ut cum his qui stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni, gaudiis perfruar sempiternis*. Ex his Orationibus facile intelligi potest, Albam significare Jesu Christi conversationem in terris, quam a primo suæ Conceptionis instanti semper retinuit, cui Sacerdos se conformare debet ex Titelmano eodem Tract. cap. 2. *Alba vero, quam superinduit Sacerdos, vestimentum longum & lineum, strictum & undique clausum, significat Christi integerrimam, & sacratissimam, atque perfectissimam conversationem, quam ab initio suæ conceptionis usque ad finem in carne duxit. Sacerdos, quoque dum hoc se indumento induit, acceptæ in Baptismo novæ & candidæ Stolæ memor, seipsum admoneat, quomodo in sancta & candida conversatione persistat.* Albam etiam significare cordis puritatem, quam petimus per Agni immaculati merita, quem sacrificamus, docet Le Brun tom. 1. pag. 45. Observat Merbesius quæst. 49. conclus. 2. Christianis & Sacerdotibus licere munditiam & candorem in Sanguine Agni sibi comparare per Baptismum, per Pœnitentiam, per cætera Sacramenta, per orationem & cordis compunctionem, per opera misericordiæ, per virtutum omnium præsertim Charitatis & Patientiæ exercitium, ac denique per Martyrium. Suarez in 3. par. tom. 3. quæst. 83. disput. 82. sect. 3. ea præsertim verba expendens, *Dealba me Domine*, ait, Alba cordis munditiam significari, & integram hominis justitiam. Soto loco citato ait, per Albam nobis ob oculos poni albam illam vestem, qua indutum Christum Jesum Herodes irrisit. Idem docet Natalis Alexander loco cit. n. 3. atque illud addit, Alba de cordis & linguæ puritate, ejusque longitudine de perseverando nos admoneri, eamque denique esse beatæ symbolum æternitatis. Et Amalarius Bedam secutus hæc de Alba scribit: *Manus & brachia debet stringere Sacerdotis, ne quid nisi utile faciat; pectus, ne quid inane cogitet; ventrem, ne delicias ultra modum appetendo, Deum se gulosum facere præsumat; subjecta ventri membra, ne lasciviendo totam Sacerdotalis habitus pulcritudinem corrumpant, genua, ne ab orationis instantia torpeant; tibias & pedes, ne ad malum currant.*

Lamb. Miss.

5. Cum se Cingulo præcingit Sacerdos ait: *Præcinge me Domine Cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis*. Episcopus vero ait: *Præcinge me Domine Cingulo Fidei, & virtute castitatis lumbos meos, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in me vigor totius castitatis*. Vertus, qui non alia de causa putat Cingulum adhiberi, quam quo impediatur vestis ne fluat, neve Sacerdoti offendiculum præbeat, ait nihil illud ad Ecclesiæ Ritus pertinere. Verum si verba perpendantur, quæ Sacerdos profert cum se Cingulo præcingit, facile quivis intelliget, non deesse mysticum significatum, ut advertit Tournely citat. tom. 2. de Sacram. Eucharistiæ art. 13. pag. 379. Itaque Cingulum significat Sacerdotalem continentiam, ut bene id explicat Innocentius III. qui lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 52. *debet Alba*, inquit, *circa lumbos zona præcingi, ut castitas Sacerdotalis nullis incentivorum stimulis dissolvatur; unde: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis enim luxuria dominatur. Sic Dominus loquens de Diabolo manifestat: Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus. Debent ergo lumbi præcingi per continentiam, & succingi per abstinentiam: quoniam hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in oratione, & jejunio. Hinc etiam Apostolus ait: State succincti lumbos vestros in veritate.* Consonat Suarez loco cit. & Titelmanus qui cap. 3. *Ipse quoque*, inquit, *Sacerdos ex hoc intelligit, quomodo juxta Salvatoris verbum lumbos debeat præcingere, atque ab omni carnis luxuria appetitum frenare.* Quidam pie putant Cingulo funem significari, quo Christus Jesus est alligatus in horto. Ita Soto loc. cit. Natalis Alexander lib. 2. de Sacram. Euch. art. 3. num. 4. Le Brun tom. 1. pag. 45. Merbesius in 3. par. Summæ Christianæ quæst. 49. §. *Tertia Conclusio*.

Cingulo Sacerdotalis continentiæ significatur.

6. Episcopus dum sinistro Subdiacono brachio Manipulum aptat, hæc profert verba: *Accipe Manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum*; Et Sacerdos Missam celebraturus, quando sumit Manipulum, ait: *Merear Domine portare Manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Episcopus autem, cum ei aptant Ministri Manipulum, Missa jam incepta, nullam Orationem dicit, ne Missæ cursus interrumpatur. Ad eum quem diximus significatum alludit Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 208. *Sacerdos Phanonem in sinistrum brachium ponit, qui & mappula & sudarium vocatur, per quod olim sudor, & narium sordes extergebantur. Per hoc pœnitentia intelligitur, qua quotidiani excessus labes extergitur. Hoc in sinistro brachio gestatur, quia in præsenti tempore tantum vita nostra pœnitentia emundatur.* Idem ait Suarez loco citato. Et Soto ubi supra docet, Manipulum e brachio pendentem vincula significare, quibus iterum Christus alligatus est, cum ad columnam flagellandus esset. Quod spectat ad moralem significatum, sinistrum brachium præsentem vitam significat, in qua pœnitentiæ opera rebus omnibus sunt præferenda.

Manipulus quid significet.

7. Episcopus in Ordinatione sinistro Diaconi humero Stolam imponit dicens: *Accipe Stolam candidam de manu Dei; adimple ministerium tuum, potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam*. Cum vero Diacono Presbyteratus Ordinem confert, Stolæ quæ ex sinistro humero pendet, partem alteram super dextrum humerum ponit dicens: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve*. Cum Stolam induit Sacerdos, ait: *Redde mihi Domine Stolam immorta-*

Stola suave Christi jugum significat.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

talitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis; & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum. Episcopus itidem cum se sacris vestibus induit, ad Stolam ait: *Redde mihi Domine, obsecro, Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis; & quamvis indignus accedere præsumo ad tuum sacrum mysterium cum hoc ornamento, præsta ut in eodem in perpetuum merear lætari.* Itaque Stola suave Christi jugum significat; quia vero nonnisi per obedientiam ad eum statum restituendi sumus, unde per inobedientiam primi parentis decidimus, propterea Sacerdos Stolam sibi imponens a Deo petit Stolam immortalitatis, quam in Adæ prævaricatione amisit, ut advertit Suarez loco citato.

Alie quædam Stolæ significationes mystice.

8. Concilium Bracarense anno 675. habitum mysterium explicat, quamobrem super utrumque sibi humerum Stolam Sacerdos imponat: *Ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa, virtutum semper ornamento utrobique circumseptus appareat:* Consonat Ivo Carnutensis: *Hæc* (Stola) *a collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat & sinistrum, ut doceat, Sacerdotem per arma justitiæ a dextris & a sinistris, ideſt in prosperis & adversis debere esse munitum, quod ad fortitudinem pertinet, sine qua cæteræ virtutes facile expugnantur, & minime coronantur.* Idem Auctor docet mysterium, cur Stola cingulo alligetur: *Inde est quod Stola cum zona Poderis quibusdam nexibus colligatur, quia virtutes virtutibus adjuvantur, ne aliquo tentationis impulsu moveantur.* Stolam Sacerdotes sibi aptant supra pectus in modum Crucis: *Debet Sacerdos secundum Decretum Bracarensis Concilii de uno eodemque Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens signum Crucis in pectore suo præparare;* verba sunt Innoc. III. lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 34. Episcopi Stolam sibi non accommodant in modum Crucis; nam pendentem e collo Crucem cum Reliquiis deserunt, ut notat Macrus Vocabul. verbo *Stola*. Soto loco sæpius citato putat, Stolam, quantum ad mores attinet, obedientiam significare & jugum Domini, cui collum subjicimus ejus sectantes vestigia; si vero ad Christum referatur, tertia existimat vincula exprimere, quibus est alligatus, quando portavit Crucem. Ex quibus jure Macrus infert, vehementer eos Sacerdotes errare, qui Stolam in humeros pendentem rejiciunt, nec eam collo circumducunt, ut supra monuimus.

Charitas per Planetam significatur.

9. Episcopus quando Diaconum ad Sacerdotium promovet, & super ejus humeros Planetam imponit, quæ ex anteriori parte pendet demissa ad pedes, in posteriori complicatur, ait: *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem, & opus perfectum.* Cum vero Planetæ complicatam partem explicat, ac demittit, ait: *Stola jucunditatis induat te Dominus.* Sacerdos Missam celebraturus dum Planetam induit, ait: *Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, & onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.* Similem Orationem recitat Episcopus ad Planetam. Charitatem igitur Planeta significat, ut bene explicat Rabanus Maurus lib. 1. Institut. Cleric. cap. 22. *Hanc ergo,* inquit, *vestem possumus intelligere Charitatem, quæ cunctis virtutibus supereminet, & earum decorem suo tutamine protegit & illustrat. Nec enim ullus virtutum erit splendor, si non eas Charitatis irradiaverit fulgor, quod ostendit Apostolus dicens: Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Et Innocentius Tertius lib. 1. de Mysteriis Missæ cap. 18. subdit, Planetam esse vestem illam nuptialem, de qua loquitur Dominus in Evangelio: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Ac vestem quidem nuptialem esse Charitatem Sancti Patres intelligunt, quo sensu etiam accipit Ecclesia; nam cum Episcopus Presbyterum gradu dejicit, ait: *Veste Sacerdotali Charitatem signante te merito expoliamus, quia ipsam & omnem innocentiam exuisti.* Huic explicationi suffragantur etiam Theologi. Suarez cit. disput. 82. sect. 2. Orationem perpendens, quam Episcopus & Sacerdos recitant ad Planetam, observat, eam jugum Domini appellari, & jugum leve, cujus suavitas e Charitate proficiscitur. Soto in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 4. postquam docuit Planetam significare Christi tunicam inconsutilem, quam illi detraxerunt Judæi, quando Cruci affigendus erat, moralem etiam innuens significatum ait, charitate Christum Jesum impulsum Crucem subiisse, & charitatem nostrorum operire multitudinem peccatorum. Et Natalis Alexander in Theologia Dogmatica & Morali lib. 2. de Sacram. Eucharist. art. 3. n. 7. putat, Planetam itidem significare charitatem; atque ex pectore & ex humeris demissa nos admoneri, ut Deum & proximum, amicum & inimicum diligamus, & idcireo super reliquas vestes imponi, quod Charitas cæteris virtutibus omnibus antecellat. Quibus omnibus consentientibus testimoniis quivis intelligat, quam temere Vertus tom. 2. pag. 341. ex eo quod demonstraverit Planetam communem antiquitus vestem fuisse, & collum circumundique totumque corpus ad pedes usque contexisse, Planeta Charitatem significari neget: neque enim intelligi potest, cur Ecclesia Planetæ, quæ peculiaris Sacerdotum vestis facta fuerit, Symbolum non potuerit tribuere Charitatis. Pietate & eruditione vir clarissimus Josephus Langletus Episcopus olim Suessionensis, nunc Archiepiscopus Senonensis, *in Tractatu de vero Ecclesiæ sensu in usu sacrarum Cæremoniarum* affert Verti verba, quibus ille Planetam, quæ olim rotunda & ad pedes usque demissa significabat Charitatem, quam S. Petrus ait operire multitudinem peccatorum, nunc mutata forma negat symbolum esse posse Charitatis: quam quidem rationem sane irreverentiæ nota inurendam pius Archiepiscopus jure inclamans ita diluit, ut ostendat symbolum in forma vestis non consistere; eumque temeritatis insimulandum, qui cum sciat, ab Ecclesia huic vesti, etsi quadantenus immutatæ, hujusmodi symbolum tribui, tamen ejus sententiæ audeat contradicere. Vide ejus Tractatus §. 33.

De tota hac re in universum.

10. Si quis forte cupit de sacris vestibus earumque significatu uberius aliquid cognoscere, tametsi nos potissima quæque complexi sumus, adeat Brunum de Cæremoniis lib. 3. cap. 4. Torres in Instit. Sacerdotum cap. 3. §. 2. & Collationem Lucionensem 16. par. 5. pag. 539. Josephus Vicecomes Observat. Ecclesiastic. volum. 4. fuse, ac multiplici eruditionis copia scripsit de sacris Vestibus, earumque significatu. Egregie de earundem sacrarum Vestium significatu agit Gilbertus Grimaud in sacra Liturgia par. 1. cap. 6. Bocquillot Tractatu Historico Liturgiæ sacræ lib. 1. cap. 7. ostendere studet, Apostolos, eorumque Discipulos in sacris mysteriis peragendis communes adhibuisse vestes, quibus ad vulgarem usum quotidie utebantur. Sexcentos annos eam consuetudinem perduravisse; ætate tamen D. Hieronymi Sacerdotes ad Altare elegantioribus cœpisse uti, magisque laciniosis vestibus, quam quibus vul-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

vulgo ad communem usum homines uterentur: Albam, Stolam, & Planetam IX. etiam sæculo ad communem usum adhibita; jussos tamen Presbyteros ad Altare, ut sanctorum Mysteriorum decori consuleretur, aliis uti Albis, Stolis, & Planetis ab iis, quas extra Altare sanctumque Sacrificium induerent. Dudum nos, quod ad veritatem propensius esse existimamus in re satis perplexa & obscura, declaravimus. Nec ab iis quæ scripsimus recedendum nobis putamus; ac fontem studuimus commonstrare, unde tam multiplex opinionum profluat copia, ubi de initio alicujus consuetudinis exstitit inter viros doctos concertatio. Est aliquis exempli causa, qui ad sæculum IV. originem refert ejus consuetudinis, ut in Missa Planeta peculiaris adhiberetur; idque optimis confirmat monumentis. Contra ea testimonium ab alio producitur, Sacerdotem fuisse aliquem VI. sæculo, qui Planetam eandem in Missa adhiberet, qua ad communem usum utebatur. Id autem si quis satis esse postulet ad sententiam contrariam evertendam, næ ille nimium postulat. Inde enim illud nobis tantummodo proclive videtur, fuisse aliquem, qui posterioribus temporibus, etiamsi communis invaluerit consuetudo, sese eximium populo præbere voluit, ac fortasse etiam justis ac gravibus causis a communi consuetudine sibi recedendum putavit. Atque ad eundem modum argumentando sæpe peccare nobis videtur Bocquillotus, qui dissimulare quidem non potest D. Hieronymi auctoritatem, quem Ezechielis caput 44. enarrantem ait inde inferre, nulli fas esse cum communibus & profanis vestibus ingredi Sanctuarium, puraque mente sibi bene conscios, ac peculiaribus, quæ deceant, vestimentis induros oportere Divina tractare mysteria; ex quo apparet peculiares IV. sæculo adhibitas esse vestes ad Missam. Sed cum in vita S. Fulgentii, qui vixit post ducentos fere annos, legerit, *In qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat*, id sibi satis esse videtur, ut sacris peculiaribus vestibus vetustatis plurium sæculorum eripiat honorem, & multo recentiorem affirmet Sacerdotum consuetudinem, detractis sibi communibus vestibus accedendi ad Altare peculiaribus indumentis ornatos. Quæ quidem veritatis amore dicta sunto, non quo quidquam detractum velimus eruditissimo viro, qui in fine illius Capitis ad eos, qui nuperrime ab hæresi recesserunt, sese convertens, eos sapienter monet, cum non absurdam existiment Regum consuetudinem, qui in solemnibus quibusdam cæremoniis, eximiis vestibus & a communi usu alienis utuntur, nec coccineam eorum qui Regi sunt a consiliis, Togam, aut Parlamentariorum, qui in Aulam conveniunt ad lites hominum dijudicandas, peculiarem improbent vestem, atque adeo passi etiam fuerint Ministros Calvinianos vestibus non communibus indutos baptizare, concionemque habere, ne nostros infectentur Ecclesiasticos, qui ad Altare accedunt, & Sacra faciunt mysticis induti vestibus, quæ longe quidem a communibus differunt, optime tamen cum Sanctuarii congruunt mysteriis.

CAPUT XI.

De Ministro qui Sacerdoti celebranti inservit.

Olim Populus respondebat Sacerdoti celebranti. Non licet Missam celebrare sine Ministro.

1. CUM instituti nostri ratio sit, quæcumque in Missa celebranda dicit aut facit Sacerdos, singillatim persequi, optimum putamus de iis statim verba facere, quæ modo proposuimus; ne eorum, quæ a Sacerdote vel dicuntur in Missa vel fiunt, series abrumpatur. Itaque a Ministro, qui Sacerdoti celebranti inservit, initio sumto, dicimus, quondam Populum adstantem Sacerdoti celebranti respondere consuevisse, quod invictis probat argumentis Vicecomes de Antiquis Missæ ritibus lib. 1. cap. 14. Cum autem id munus respondendi in Missa privata unius tantummodo Ministri esse cœperit, sine eo Ministro, seu, quod idem est, nisi sit qui Sacerdoti ministret, non licet Missam celebrari, ut videre est in Decretali *Proposuit* de Filiis Presbyterorum. Minister masculus esto, non femina: quapropter Gelasius I. epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ cap. 26. acriter pravam illam reprehendit consuetudinem, qua feminæ in Missa ministrabant: *Impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminæ sacris Altaribus ministrare ferantur, & cuncta quæ non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexui, cui non competit, exhibentur*. In pluribus Conciliis, ac præsertim in 4. Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo præscribitur, ut qui in Missa ministrat, Clericus sit, & talari veste, & superpelliceo vestitus. In Libro tertio, in quo Casus practicos explicabimus, quæstionem illam pertractabimus, num fieri possit, ut Sacerdos celebret Missam sine Ministro.

Missæ solitariæ quondam vetitæ.

2. Nunc illud monebimus, Missas solitarias in Monasteriis quondam celebrari consuevisse nullo ministrante; id vero deinde vetitum esse, cum nulla esset ratio, cur Sacerdos diceret: *Dominus vobiscum*, & *Sursum corda*. Concilium Moguntinum sub Leone Tertio cap. 43. ita statuit: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte: quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel Sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Atque hac ratione quidam tantopere sunt commoti, ut dubitaverint, num si nullus alius præter Ministrum adesset, celebrari Missa posset, ut apparet ex can. 61. de consecrat. dist. 1.

Sunt qui eas non improbant.

3. Est quoddam B. Petri Damiani Opusculum ad Eronem, cui titulus, *Dominus vobiscum*, ubi probat dici posse hæc verba etiam nullo præsente; iis enim Ecclesiam salutari. Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 13. n. 4. & seq. putat Sacerdotem, qui recitandis Horis Canonicis potest dicere, *Venite adoremus*, *Venite exultemus*, *Oremus*, *Benedicamus Domino*, posse etiam solum dicere, *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Sursum corda*, quin etiam solitarios celebrare posse Missam nullo ministrante, dummodo Apostolicæ Sedis indulto id eis concessum sit; quod confirmat Natalis Alexander lib. 2. de Sacram. Euchar. art. 4. in Regula 1. 2. & 3. quæ ad paxim pertinent.

CAPUT XII.

De Præparatione Sacerdotis.

De manuum ablutione.

1. NUnc de manuum ablutione dicendum. Exodi cap. 30. ita Dominus loquutus est ad Moysen: *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter Tabernaculum Testimonii & Altare, & missa aqua lavabunt in ea Aaron & Filii ejus manus suas & pedes, quando ingressuri sunt Tabernaculum Testimonii, & quando accessuri sunt ad Altare, ut offerant in eo Thymiama Domino*. Ac illud vas ex speculis seminarum, que stabant ad Tabernaculi portam, factum est, ut Exod. cap. 38. *Fecit vas æneum de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi*. Ubi notandum, specula tum fieri consuevisse ex æris & stanni mixtura: *Optima apud Majores specula fuerunt, & blandissima e stan-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtanno & ære mixtis; verba ſunt Plinii Hiſt. nat. lib. 32. cap. 9. quo in loco quidam legunt non *blandiſſima*, ſed *Brundiſina*, quæ lectio probanda videtur; nam idem Plinius lib. 34. cap. 17. ſcribit: *Speculi quoque ex eo laudatiſſima ut diximus Brundiſii, temperabantur, donec argenteis uti cœpere & ancillæ*. De ablutione manuum & pedum in veteri Lege, antequam Sacerdotes altari miniſtrarent, ac de vaſis æneis ex ſpeculis feminarum conflatis eruditiſſime ſcripſit Lamy in ſuo Opere de Tabernaculo Fœderis lib. 3. ſect. 7. & de Tabernaculo Moſaico lib. 3. Eodem autem lib. 3. ſect. 7. agit de Thymiamate, quod ex pluribus fiebat odoriferis rebus in pulverem ſolutis.

Non obſervatur hic ritus tanquam cæremoniale veteris legis, ſed ut præceptum ex novo conſuetudine.

2. D. Thomas 3. par. q. 83. art. 5. ipſe ſibi obſicit videri minime decere, ut Sacerdotes manus lavent antequam ad Altare accedant, cum ejuſmodi Ritus ſit ex legalibus veteris Teſtamenti, qui jam exoleverint; ac reſpondet hunc Ritum non obſervari ab Eccleſia tanquam cæremoniale Legis veteris præceptum, ſed ut præceptum novum ex ſola convenientia introductum: *Nec tamen Eccleſia hoc ſervat tanquam cæremoniale veteris Legis præceptum, ſed quaſi ab Eccleſia inſtitutum, ſicut quiddam ſecundum ſe conveniens: & ideo non eodem modo obſervatur ſicut tunc; prætermittitur enim pedum ablutio, & ſervatur ablutio manuum, quæ poteſt fieri magis in promtu, & quæ ſufficit ad ſignificandam perfectam mundationem; cum enim manus ſint organum organorum, omnia opera attribuntur manibus*: unde *in Pſalmo* 23. *dicitur*: *Lavabo inter innocentes manus meas*.

Vetuſtus Ritus lavandi manus oſtenditur ex Chryſoſtomo, & Paulino Nolæ Epiſcopo.

3. Vetus conſuetudo eſt, ut Sacerdotes antequam Miſſam celebrent manus lavent. Sanctus enim Chryſoſtomus Homil. 20. de ſimultate ad populum Antiochenum n. 7. arguit, Sacerdoti fas non eſſe immunda anima Miſſam celebrare, quandoquidem illotis manibus id facere non auderet: *Non audes illotis manibus ſacram victimam attrectare, etiamſi mille neceſſitatibus premaris? Ne igitur illota accedas anima: hoc enim multo, quam illud, eſt gravius, & acerbius ſupplicium importat*. Paulinus Tyri Epiſcopus apud Euſebium lib. 10. cap. 14. narrat, ſe templum ædificaſſe, & anno 314. dedicaſſe; ex adverſo autem duo lavacra in eorum commodum feciſſe, qui templum eſſent ingreſſuri. Et S. Paulinus Epiſcopus Nolanus Epiſt. 32. ad Severum ea lavacra *cantharos* appellat. Ad Chriſtianorum conſuetudinem, qui non niſi lotis manibus Eccleſiam ingredi conſueverant, alludit S. Chryſoſtomus Homil. 52. in Matthæum: *In nonnullis Eccleſiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi ſtudeant, quomodo manibus lotis, mundis induti veſtimentis in Eccleſiam ingrediantur. Quomodo autem animam & mentem ſuam puram offerant Deo, nullam prorſus habent curam*. Itaque ſi Laici Eccleſiam non introibant niſi lotis manibus, multo graviore ratione Eccleſiaſtici viri neque accedebant, nec accedunt ad Altare Miſſam celebraturi ſordidis manibus. Erudite totam hanc rem tractat Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritibus* in Divin. celebrand. Offic. lib. 1. cap. 4. art. 12. pag. 484. pag. 533. & pag. 536. vet. edit. & Georgius lib. 1. cap. 10.

De Pſalmis dicendis a Sacerdote antequam ſacras induat veſtes.

4. Reliquum eſt ut paucula quædam attingamus de Pſalmis & Orationibus, quæ Sacerdoti ſunt recitandæ antequam ſacras induat veſtes. In Pſalterii cujuſdam initio, quod ex editione Romana & Gallicana in lucem extulit Venerabilis Cardinalis Thomaſius, eſt quædam Pſalmorum diviſio juxta antiquiorem Eccleſiæ Romanæ uſum; & ad finem notantur Pſalmi, quos recitare debet Sacerdos priuſquam ſe ſacris indumentis veſtiat; qui ſunt ſeptem Pſalmi Pœnitentiales; interea vero dum ſe ſacris veſtibus induit, Pſalmi ab eo dicendi ſunt 83. *Quam amabilia*, 84. *Benedixiſti*, 85. *Inclina Domine*, 115. *Credidi*, & cum ad Altare pervenerit Pſal. 42. *Judica me Deus*.

Miſſa edita ab Illyrico Catholicam Fidem confirmat.

5. In Miſſa, quam vulgavit Illiricus, mentio fit Pſalmorum a Sacerdote dicendorum antequam ſe veſtiat. At de ea Miſſa ſciendum eſt Flaccum Illyricum nefarium Lutheri ſectatorem, quique inter Centuriatores Magdeburgenſes primum obtinuit locum, anno 1557. Argentorati Miſſam edidiſſe, quam in veruſto manuſcripto Codice repererat. Putavit impius homo, ſe poſſe Catholicam Fidem labefactare: qua in re valde deceptus eſt; nihil enim ad noſtræ Fidei dogmata conſtabilienda ea Miſſa accommodatius: nam per eam confirmantur articuli de invocatione Sanctorum & B. Virginis, de vera ac reali Jeſu Chriſti præſentia in Euchariſtiæ Sacramento, de oratione pro vivis atque defunctis, ac de auriculari Confeſſione; quamobrem Lutheranarum partium homines omni ſtudio curarunt, ut omnia exemplaria ubicumque conquiſita igni cremarentur. Plura, eaque magni momenti in ea Miſſa obſervarunt Carolus Le Cointe tom. 2. ſuorum Annalium ad annum 601. n. 20. & Hugo Menardus ad Sacramentarium S. Gregorii p. 380. Eandem Viennæ in Bibliotheca Cæſaris repertam iterum typis edidit Cardinalis Bona ad calcem Operis Rerum Liturgicarum. Si cui, quæ de Illyrico & de Miſſa ab eo edita breviter narravimus, cupido ſit eorum accuratam magis notitiam habere, adeat Hiſtoriæ Fleury Continuatorem tom. 31. pag. 600.

DE

UAB Biblioteca de Ciències Socials

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER SECUNDUS.

DE MISSÆ PARTIBUS.

Ad ea, quæ hactenus libuit præfari, antequam de iis, quæ in Missa dicit Sacerdos aut facit, dicere aggrederemur, de Missæ etiam etymologia, & de lingua seu idiomate, quo Missa celebranda sit, pauca quædam addere opportunum existimamus.

CAPUT PRIMUM.

De Missæ etymologia.

Multi ex Hebraica lingua Missæ Etymologiam trahunt.

1. EX Hebraica lingua nonnulli Missæ Etymologiam trahunt. Deuteronomii cap. 16. mentio fit de ultronea quadam oblatione, quam Hebræi Deo faciebant in gratiarum actionem pro fructibus terræ, eamque in ipso comedebant Templo in memoriam veteris qua pressi fuerant servitutis, & libertatis in quam fuerant vindicati. Ea oblatio *Missach* appellabantur; e qua voce quidam putant ductam esse Missam, quod est novæ Legis Sacrificium. Hæc Baronii sententia est ad ann. Chr. 34. num. 59. quam sequitur Pontas Dictionar. Casuum Conscient. verbo *Missa*. Albaspinæi Aurelianensis Episcopi singularis opinio est in tractatu veteris Politiæ Ecclesiæ circa administrationem Eucharistiæ, & circumstantias Missæ, qui lib. 2. cap. 3. Missam ex voce *Mes* derivatam esse ait, quæ vox apud Septentrionales Gentes etiam nunc Conventum, Festivitatem, Sacrificium significat. Sed eruditorum vulgus putat, idque probabilius est, e Latino Missam derivatam, quæ vox idem valet ac missio, seu abeundi venia. Locus est Ciceronis in Philippica 5. cap. ult. *Legiones bello confecto missas fieri*: & Suetonius in Cajo cap. 25. *Brevi* (Lolliam Paulinam uxorem) *missam fecit*.

Opinio singularis.

Missa a Latino derivatur.

Assertum variones, & unanimis Auctorum consensus.

2. Quia vero in nostra Sacrificii Liturgia binæ dimissiones erant, quarum altera Diaconus Catechumenos & Infideles post Evangelium & Concionem, altera cæteros omnes, Missa peracta, dimittebat illis verbis, *Ite Missa est*, quæ secunda dimissio etiamnum remanet; inde Sacrificio nostro Missæ nomen inditum: qua in re consentiunt viri docti, Bona Rerum Liturgicar. lib. 1. cap. 1. Bellarminus tom. 3. controversiar. lib. 5. cap. 1. Vicecomes de Missæ Ritibus lib. 1. cap. 5. Georgius Cassander in suo Opere Liturgico cap. 17. in fine, Du Cange verbo *Missa*; Van-Espen Jur. Eccl. universi. par. 2. tit. 5. cap. 1. num. 1. Vertus tom. 1. pag. 3. Natalis Alexander Theolog. Dogmat. ac Moral. lib. 2. de Sacram. Eucharist. cap. 6. art. 4. in fine, & dissert. 13. sæculi 13. & 14. Historiæ Ecclesiasticæ tom. 7. editionis Parisien. anni 1714. pag. 596. Frassen tom. 11. Theologiæ edit. Romanæ in appendice de Missæ Sacrificio pag. 327. Silvius in 3. par. D. Thom. quæst. 83. quæst. 18. & erudite Bocquillot Tract. Historico de sacra Liturgia seu Missa lib. 1. cap. 1. num. 3. & seq. Bossuetus *in explicatione* quarumdam difficultatum de Missæ Sacrificio cap. 2. ubi monet vocem *Missa* eandem esse ac *missio* levi facta inflexione, quemadmodum Remissa pro Remissio, Oblata, pro Oblatio, Ascensa pro Ascensio Veteres dixerunt. Notat etiam idem Bossuetus, quod nos supra innuimus & alibi adnotabimus, cum ad Oblationem deventum esset, Catechumenos, Pœnitentes, Energumenos alta voce a Diacono, ac denique expleta Missa populum universum dimitti consuevisse: ac propterea Sacrificium non modo Missam, sed etiam Missas esse appellatum; frequentissime in libris occurrit *Missas facere*, *Missarum solemnia*; nam in Sacrificio non una, sed binæ fiebant dimissiones.

Heterodoxi eandem sententiam amplectuntur.

3. Heterodoxi quoque Missæ etymologiam accurate pervestigarunt; atque eam quam dudum probavimus, summo consensu amplexi sunt. Petrus Picherellus dissert. de Missa & annexis eidem etymologiæ subscribit. Est etiam inter erudita Miscellanea, quæ Dominicus Cardinalis Passio-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sioneus in eximia sua Bibliotheca collegit tom. 7. dissertatio quædam Historico-Ecclesiastica, *De insignioribus veterum Christianorum formulis* Typis Amstelodamensibus impressa, quam præsidente Jo. Andrea Schmidio die 20. Decembris ann. 1696. proposuit disputandam Augustinus Joannes Faschius, atque in ea ubique probat *Missæ* etymologiam a *dimissione* derivatam. Et Joachimus Hildebrandus apud suos sectarios homo magni nominis in Opere cui titulus, *Sacra publica veteris Ecclesiæ in compendium redacta*, Amstelodami edito an. 1702. pag. 6. eandem Missæ etymologiam amplectitur.

Missa non derivatur ab Hebraica voce.

4. S. Avitus ex Senatore Romano Episcopus Viennensis in Gallia Scriptor 5. seculi exeuntis, quem tanti faciebat, etsi Arianus, Gondebaudus Rex, ut eum super multis ad sacrarum Scripturarum intelligentiam spectantibus quæstionibus consuleret, Epist. 1. quam Sirmondus edidit, hæc scribit: *In Ecclesiis Palatiisque sive Prætoriis Missa fieri pronuntiatur, cum Populus ab observatione dimittitur*; ad quæ verba notat Sirmondus, quantum a veritate aberret, qui Missam ab Hebraica voce derivatam putat; & addit: *Haud scio an a quoquam hactenus proditum non in Ecclesiis modo, verum etiam in Palatiis Prætoriisque usurpari nomen Missæ consueviſſe, cum populus a conventu dimittebatur*; quod notavit etiam Fleury Hist. Eccl. tom. 7. lib. 30. pag. 100.

Missæ nomine Sacrificium significatur ex Concilio Chalcedonensi, Carthaginensi 2. & 3. Ephesino, & ex D. Ambrosio.

5. Sunt qui Missam non ab Hebræo, sed a Latino sermone derivatam putant, quod Sacerdotis ministerio, qui partes mediatoris inter Deum & homines agit, Fidelium preces ad Deum deferantur. Hæc est D. Gregorii sententia lib. 4. Dialogorum cap. 58. & cum eo sentit D. Thomas in 3. par. q. 83. art. 4. Prima etymologia verior videtur, ad pietatem propensior. Josephus Vicecomes de Missæ Ritibus lib. 1. cap. 3. Missæ nomen Sacrificio nostro existimat inditum vetustis Ecclesiæ sæculis; sed nititur præsertim Epistolis Decretalibus summorum Pontificum ante Siricium, quæ nemo nescit quot laborent difficultatibus. Quamobrem satis est hic innuere, Sacrificium Missæ nomine significari in Concilio Chalcedonensi, quo Latini Patres & Græci convenerunt, in secundo & tertio Concilio Carthaginiensi, in quibus adfuit S. Augustinus, & in Concilio Ephesino, ut videre est apud Wallemburgos tom. 2. Controvers. tract. 1. cap. 37. Narrat D. Ambrosius Epist. 20. Class. 1. n. 4. edit. Benedictinæ, dum esset Mediolani & Augusta Arianis Ecclesiam concedere vellet, in qua ipse celebrabat, sibi nunciatum esse mitti jam e Palatio Sagittarios ad eam occupandam; idque contigisse post Lectiones & sermonem, jam dimissis etiam Catechumenis, se vero nullo metu perculsum Cæremoniam continuasse: *Ego tamen* (inquit) *mansi in munere, Missam facere cœpi.* Ad quæ verba notat Bocquillot tract. historico de sacra Liturgia lib. 1. cap. 1. n. 3. jam inde ab eo tempore invectam esse consuetudinem nomine Missæ Sacrificium, cui Fideles aderant, appellandi; quod etiam patet jam tum ab ea cæremonia fuisse distinctum, cui præsentes erant Catechumeni: ait enim S. Doctor, ut diximus, dimissis jam Catechumenis, Missam facere cœpi.

CAPUT II.

De Idiomate quo Missa celebranda est.

Missa in Ecclesia Occidentali latine celebratur. Calumnia Hæreticorum.

1. QUod ad linguam pertinet, in Occidentali Ecclesia Latino sermone Missa celebratur; eorumque impudentissima est calumnia, qui ideirco Latina lingua a nobis Missam celebrari deblaterant, ut Sacrificii mysteria populus omnino ignoret. Id fœdum esse mendacium, probatur ex Tridentina Synodo sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 8. ubi monent Patres, non expedire quidem Missam sermone vernaculo celebrari, sed tamen eos debere, quibus animarum cura incumbit, festis præsertim diebus populum de Missa ejusque mysteriis instruere. *Etsi Missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo & a S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre & magistra probato Ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat S. Synodus Pastoribus & singulis Animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.*

Quesnelli propositio de Missa vernacula sermone celebranda.

2. Inter Propositiones Quesnelli, quas in Bulla *Unigenitus* damnavit Clemens XI. octogesima sexta est: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei.* Sensus hujus propositionis multiplex est, quos inter est etiam ille, ut Quesnellus significare voluerit vulgari sermone Missam celebrandam: quo sensu eam acceperunt ac reprobaverunt centum Galliarum Episcopi in eorum Pastorali Documento, & eodem sensu acceptam refutavit vir doctrina & pietate præclarus Fontana Societatis Jesu cap. 5. ad propos. 86. Quesnelli pag. 816. & seq. & insignis Ordinis Eremitarum S. Augustini Theologus Bellellus in egregio opere, quo declarandum suscipit, qui sensus Augustini fuerit de humanæ naturæ reparatione post primi hominis lapsum. In Manuali suo scripserat Episcopus Rothomagensis satis exploratum esse, veterem in Ecclesia morem celebrandi Missam vernacula lingua, quam omnes vulgo intelligerent, omnium fuisse accommodatissimum, ut suum quisque animum ad Sacrificium præpararet. Quam propositionem quidam tanquam audacem confixerunt. Fuit tamen qui eam defendendam suscepit; neque enim recte inde infertur, hanc ab illo improbatam fuisse Ecclesiæ praxim celebrandi Missam lingua, quam populus non intelligit, ut, si quis diceret, facilius Christianos gravibus peccatis se abstinuisse, cum diuturna & aspera pœnitentia crimina puniebantur, is profecto dici non posset præsentem Ecclesiæ erga pœnitentes indulgentiam improbasse. Videatur Auctor tractatus de optimo Missam audiendi modo Parisiis edito anno 1681. cap. 6. pag. 231. & seq. ubi sapienter monet, quemadmodum Ecclesia, quæ intelligeret utilius esse Fidelium animis ad Eucharistiam præparandis; iisque a nefaria vita & fœda revocandis, Missam vernaculo celebrari sermone, gravesque pœnitentias infligere, potuit tamen justis & gravibus causis, ac optimo sapientique consilio sinere, ut Missa in eadem lingua, qua antea, celebraretur, licet populus non amplius eam linguam intelligat, & multum de veteris pœnitentiæ rigore remittere; ita eum, qui affirmet, linguam populo cognitam optime fuisse accommodatam, quo quisque Eucharistiam digne susciperet, gravibusque pœnitentiis vehementer Fideles a peccando fuisse deterritos, utrumque affirmare posse, & in utraque re præsenti parere disciplinæ, eamque sanctam ac sapienter institutam ex iisdem causis existimare, quæ Ecclesiam ad eam consuetudinem inducendam perpulere.

3. Joan-

In qua quisque Apostolorum provincia Evangelium prædicabat, ejus provinciæ sermone Missam celebravit.

3. Joannes Ekius, qui tanta doctrinæ copia scripsit adversus Lutheranos, exprobrantes Missam a nobis Latina lingua celebrari, ut videre est in Homilia 3. tom. 2. cujus homiliæ verba refert Raynaldus ad annum Christi 1523. num. 61. Apostolos atque eorum Successores arbitratus est usque ad Hadriani Imperatoris tempora Missam Hebraico sermone celebrasse; & ab eo tempore Græcam in rebus sacris linguam adhiberi cœptam. Quidam existimant in sacra Liturgia non alias linguas quam aut Latinam aut Græcam aut Hebraicam esse adhibitas, in trium linguarum memoriam, quibus scriptus fuit titulus Dominicæ cruci impositus. Sed Historiæ Ecclesiasticæ periti, qui rem penitus inspexere, satis ostenderunt, Apostolos eorumque Successores non modo prædicasse, sed divina etiam officia vernacula ejus populi lingua celebrasse, apud quem Evangelium prædicabant; ideoque in Occidentali Ecclesia Latino sermone usos, qui tum temporis vernaculus erat omniumque communis. Vide Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 5. nu. 4. Boc. quillot Liturgiæ lib. 1. cap. 11. Le Brun tom. 4. pag. 201. Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 3. art. 2.

Locus D. Augustini de eadem examinatur.

4. Quanquam vero iis, quæ hactenus diximus, obstare videatur D. Augustini Epistola 74. ad Novatum Episcopum, in qua ad eum scribit, se illius fratrem Lucillum Diaconum domi suæ retinere, quod Latinam linguam nosset, cujus periti qui essent, admodum paucos illis regionibus reperire erat: *Sed cum Latina lingua, cujus inopia in nostris regionibus Evangelica dispensatio multum laborat*; tamen nemo est, quin videat, locum hunc nonnihil implexum: non enim est, quo verba illa *Latina lingua* referri possint; idque est, quamobrem emendandus quibusdam locus ille ad hunc modum videatur: *Sed cum Punicæ linguæ inopia in nostris regionibus Evangelica dispensatio multum laboret*. Et sane idem D. Augustinus sermone de verbis Apostoli 167. alias 24. cum ad populum Hipponensem sermonem haberet, & Africano vellet uti proverbio, ait: *Latine vobis dicam, quia Punice non omnes norunt*. Complures etiam textus apud S. Doctorem habemus, quos loc. cit. expendit Bocquillot, ex quibus aperte intelligitur, in Africa Latinas litteras fuisse, eumque sermonem omnium fuisse communem.

An vertenda sit Missa in sermonem vernaculum?

5. Sed non in eo Controversiæ cardo vertitur. Illud quæritur, an si, quæ vernacula fuit, vulgari alio sermone in populum invecto, doctorum duntaxat virorum facta fuerit lingua, Divina Officia & Missa in novum vulgi sermonem convertenda sint. Id vero est, a quo semper abhorruit & abhorret Catholica Ecclesia. In Provincialium Rothomagensis Provinciæ Conciliorum collectione apud Bessy extat Epistola Pastoralis Jacobi Colberti Episcopi Rothomagensis pag. 172. de hoc argumento. Et vero quis sanæ mentis id consilii dederit, quo populus de Missæ Mysteriis certior fiat, quod commode per Parochos & sacros Oratores obtineri potest, ut Missa e Latino exempli causa sermone in vernaculam linguam convertatur, cum tot sint vulgares linguæ risu plane dignæ & prorsus contemnendæ? Præterea non cuivis modo Genti, sed cuique pene Civitati peculiaris est lingua; & labentibus annis quævis lingua mutatur, quod in Latina contigisse narrat Polybius lib. 3. qui primæ pacis Punicæ fœdus, Punico secundo bello confecto, ægre intellectum esse testatur! Huc accedit quod in qualibet mutatione sexcentis aperiretur occasio contentionibus & dissidiis: populus autem Missæ in vernaculum sermonem conversæ intelligeret quidem verba, sensum tamen minime assequeretur, quod infinitos errores pareret. Vid. Xysti Senensis Biblioth. Sanct. lib. 5. cap. 172. & lib. 6. cap. 263. Hosium Cardinalem Tractatu de Missa non vulgari, Silvium. 3. par. quæst. 83. art. 4. Merbesium in Summa Christiana part. 3. quæst. 54. Boucat Theolog. Patrum tom. 5. dissert. 1. de sacris Cæremoniis art. 2. Juveninum de Sacramentis dissert. 5. de Eucharistia quæst. 8. cap. 7.

Rationes quibus vetustatis fit in Missa Latinus sermo.

6. Etsi autem manifesto expedit Missam in vernaculum sermonem non converti, tamen ad magis id comprobandum nonnihil momenti illud habet, quod usque ad captivitatem Babylonicam lingua Sancta erat communis, & Officia eo sermone, quem omnes intelligerent, celebrabantur. Tempore autem captivitatis populus paullatim Hebraici sermonis oblitus, Syriace seu Chaldaice loqui assuevit. Ea servitute tandem populo perfuncto, & in suas sedes restituto, tum in lectione Legis, tum in reliquis publicis precationibus Hebraicus sermo est adhibitus, etsi jam non amplius vulgo intelligeretur. Græcam linguam nemo est qui nesciat, ab ea, qua vulgo nunc Græci loquuntur, multum distare. Tamen Liturgia in veteri Græcorum lingua, quæ tunc omnibus communis erat, nunc vero duntaxat viris doctis est cognita, etiamnum retinetur. Id vero manifestum indicium est, minime expedire, ut quæ Liturgia quondam lingua populi communi introducta sit, exolescente paullatim eo sermone, ut jam solis viris doctis cognitus sit, eadem Liturgia in vernaculum convertatur rudibus æque ac litteratis viris communem.

Simile exemplum apud Hebræos in vetusto Testamento, & in Ecclesia Orientali apud Græcos.

7. De periculo autem ne in mutationes plurimi fœdique irrepant errores, satis est Missale in Gallicam linguam a P. Vois Ordinis Prædicatorum anno 1660. conversum commemorare. Huic novitati Gallicani Cleri zelus vehementer restitit, veritus ne offensiones orirentur & scandala, quæ modo innuimus; & apud Alexandrum VII. ea de re conquestus est, qui Pontifex anno insequenti eam interpretationem condemnavit; nec Regia potestas vim auctoritatemque suam desiderari passa est, quo Pontificis Decretum executioni mandaretur. Totius rei narrationem cum documentis reperias tom. 4. Biblioth. Criticor. sacror. pag. 583. & tom. 3. P. Fontana adversus Quesnellianas propositiones pag. 916. & tom. 2. citati Operis P. Bellelli.

Missale in Gallicum sermonem conversum proscripsere Alexander VII. Gallicanus Clerus, & Rex Gallicanus.

Latinus sermo in vernaculum hodiernum corruptione migravit, nec propterea ab Ecclesia deserendus.

8. Ut summam huic argumento manum imponamus, liceat huc referre, quæ dudum diximus, Apostolos eorumque successores in Occidentali Ecclesia latine Missam celebrasse; ea enim lingua tunc temporis omnibus communis erat. Obsolevit autem paullatim in Italia ea lingua, atque invecta est quæ *vulgaris* dicitur, septimo & octavo sæculo. Gothi enim in Italiam quidem pervasere quinto sæculo ineunte sub Alarico, Hunni etiam statim post medium sæculum sub Attila, & Vandali sub Genserico; sed temporariis hisce incursionibus sane tribui non potest in Italia Latinæ linguæ amissio. Quod sermo hic exolescere cœperit, Erulis tribuendum. Hi Odoacre Duce, quem Romani Regem salutarunt, Italiæ longe lateque sunt dominati; tum Gothi sub Theodorico, qui per idem tempus, pulso Odoacre, a Zenone Imperatore Italiæ Rex appellatus est. Subinde post annos sexaginta Narsetes, Gothis pulsis, Italiam Justiniani imperio restituit. Erupere tandem e Septentrione circa dimidium sexti sæculi Langobardi, qui Italia potiti, ducentos & quinque annos per tres & viginti Reges eam tenuere. Regnum illud, tandem incepta patris sui perficiens, Ca-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rolus Magnus evertit, qui Langobardos in eam regionem, cui nomine nunc *Lombardia*, semigrare coegit, eorumque postremum Regem Desiderium, pulso fugatoque ejus exercitu, captum in Gallias abduxit. Hisce rerum conversionibus, ac diutino Langobardorum dominatui origo Italæ linguæ tribuenda est, in quam Latina degeneravit, doctorumque virorum conclusa libris & disputationibus, communis esse desit. Quod si ea linguæ mutatio contigit in Italia, ubi proprium illi quodammodo fuit domicilium, quid illi evenerit per alias Occidentis Regiones, quo eam Romanorum Coloniæ invexerant, facile quivis intelligit. Jam vero ne longius digrediamur, Canonem producimus 17. Concilii Turonensis incunte sæculo 9. habiti, in quo Ecclesiastici, qui adhuc Latine ad populum sermonem habebant, populari lingua jubentur conciones habere: *Homilias quisque transferre studeat in Rusticam Romanam, aut Teodiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur.* Rustica autem *Romana* lingua erat vernaculus Gallorum sermo ex pluribus linguis conflatus; ac *Teodisca* lingua Germanorum erat Francis bene cognita, qui Germaniæ tum temporis imperitabant. Ex hac historica narratione quisque facile intelligit, plura sæcula præteriisse, ex quo in Occidente sermo Latinus desiit esse vernaculus. Quamobrem si tot sæculorum spatio Ecclesia, nemine reclamante, *Latinam* linguam in celebratione Missæ retinuit, nec umquam (si novissima tempora excipias) quisquam fuit, qui adversus hanc disciplinam vocem tolleret, turbasque excitaret, multum inde huic disciplinæ auctoritatis accedit; idque etiam satis esse causæ arbitramur, quamobrem eos reprehendamus, qui eo nomine Catholicam Ecclesiam ausi sunt maledictis proscindere.

An Liturgia apud gentem novissime ad Christi Fidem conversam introducenda sit vernaculo ejus Gentis sermone?

9. Gravior est difficultas, si de alicujus Gentis agatur conversione ad Fidem, an videlicet Liturgia vernaculo sermone illi sit proponenda, quæ tamen semper retinenda sit, etiam si lingua mutaret, & in populo exoleta viris doctis duntaxat fieret cognita. Sub Nicolao I. qui creatus est Pontifex anno 858. Orientales Monachi S. Cyrillus & S. Methodius, qui Moravos Christi Fidem docuerant, Romam accersiti sunt, ut ad Episcopatus gradum promoverentur. Antequam Romam pervenissent, obiit Nicolaus Pontifex, cui suffectus cum esset anno 867. Hadrianus II.

Liturgia Sclavonica introducta in Moravia sub Hadriano II.

in judicium vocati fuere, quod Liturgiam Sclavonica lingua introduxissent. Sed ii strenue suam causam ita defenderunt, ut eorum factum laudem approbationemque sit consequutum; ut videre est in eorum vita ad diem 9. Martii apud Bollandistas. Mirum illud factum narrat in historia Bohemica cap. 13. Æneas Silvius: *Ferunt Cyrillum cum Romæ ageret, Romano Pontifici supplicasse, ut Sclavorum lingua ejus gentis hominibus, quos baptizaverat, rem divinam faciens uti posset. Qua de re cum in sacro Senatu disputaretur, essentque non pauci contradictores, auditam vocem tanquam de Cælo in hæc verba Missam:* Omnis spiritus laudet Dominum; & omnis lingua confiteatur ei; *indeque datum Cyrillo indultum.*

Eadem Liturgia Sclavonica a Joanne VIII. vetita, & rursus permissa.

10. Joannes VIII. anno 872. creatus Pontifex per Paulum Episcopum Anconitanum S. Methodio vetuit, ne Sclavonum lingua Missam celebraret: *Audivimus etiam, quod Missas cantas in barbara, hoc est in Sclavina lingua, unde jam litteris nostris per Paulum Episcopum Anconitanum Tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra Missarum solemnia celebrares, sed vel in Latina, vel in Græca lingua, sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa, & in omnibus Gentibus dilatata cantat; prædicare vero aut sermonem populo facere tibi licet;* a qua deinde querela destitit, eumque passus est Missam Sclavonice celebrare, modo conversio fidelis esset, & Evangelium latine primo, deinde Sclavonice legeretur; sed tamen placere magis sibi innuit, si in Missa celebranda Latinus sermo adhiberetur: *Nec sane Fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel Lectiones divinas veteris & novi Testamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia Horarum Officia omnia psallere; quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebraicam scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium latine legatur, & postea Sclavonica lingua translatum in aures populi Latina verba non intelligentis annuntietur, sicuti in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & judicibus tuis placet Missas Latina lingua magis audire, præcipimus ut latine Missarum solemnia celebrentur.* Ait Pontifex, in aliquibus Ecclesiis Evangelium Latino primum, deinde vernaculo sermone legi consuevisse.

Romæ, Constantinopoli & alibi Evangelium, & Epistolæ latine & græce legebantur.

11. Et sane dubitari non potest, morem olim fuisse, ut in Missa Evangelium, Prophetiæ itidem & Epistolæ duabus legerentur linguis. Certe in Ecclesia Romana quibusdam diebus Prophetiæ, Epistolæ & Evangelia Græca & Latina legebantur, ut videre est apud Martene loco cit. num. 6. & etiam nunc, Romano Pontifice solemniter celebrante, recitatur Epistola primum latine a Latino, deinde græce a Græco Subdiacono, & Evangelium latine a Latino, subinde græce a Græco Diacono cantatur. Vide Thomassinum tom. 1. lib. 2. cap. 82. num. 3. ubi ostendit, nono sæculo in solemnioribus Missis Epistolam & Evangelium Romæ primo Græce, deinde Latinæ, Constantinopoli vero primo Latine, deinde Græce legi consuevisse, ut utriusque Ecclesiæ unitas palam fieret.

Sclavonicam Liturgiam prohibuit primus Alexander II. Ejus usum noluit concedere S. Gregorius VII. Bohemorum Regi concessit tamen cuidam Episcopo Innocentius IV.

12. Sed ad Missæ Sclavonicæ usum, unde sumus digressi, ut revertamur, incommodum aliquod inde ortum esse videtur; nam Legatus Alexandri Secundi qui creatus est Pontifex anno 1061. Concilio Episcoporum e Dalmatia & Croatia habito statuit, ne quis deinceps nisi latine aut græce, pulla Sclavonica Liturgia, Divina mysteria celebrare auderet, ut post Thomam Archidiaconum Spalatensem monet Pagius in vita Hadriani II. num. 54. & Gregorius VII. anno 1080. epist. 11. lib. 6. Uladislaum Bohemiæ Regem reprehendit, quod cum excommunicatis communicaret, nec illi vult permittere, ut Divina Officia Sclavonica lingua celebrentur; quam tamen facultatem Episcopo cuidam in Sclavonia anno 1248. concessit Innocentius IV. ut videre est apud Raynaldum ad annum eundem num. 51.

Actum Romæ sub Paulo V. & Innocentio XI. de Liturgia Sinica introducenda in Sinico Imperio.

13. Initio sæculi elapsi actum est de facultate celebrandi Divina Officia vernaculo sermone in Sinarum Imperio. Eam postularunt facultatem Missionarii e Societate Jesu. Paulus V. Pontifex die 25. Januarii 1615. decrevit, ut apud Sinas Missam & Divina Officia Sinica lingua celebrari liceret. Breve etiam expeditum fuit, quod tamen Missionariis, qui hoc postulaverant, nunquam traditum est. Renovata iterum est eadem petitio de Missa idiomate Sinico celebranda, cum Episcopi quidam ex Gallias ad Sinas perrexissent. Qua de re Congregatio habita fuit, quo præter doctos aliquot Cardinales & Prælatos, magni

gni nominis etiam Theologi convenerunt, ex quorum numero fuit P. Chriſtianus Lupus. Eorum vota Cardinalis Albitius in Opere ſuo inſeruit de Inconſtantia in Fide par. 1. cap. 34. n. 43. uſque ad num. 50. In ea Congregatione nullum factum eſt Decretum. Innocentio XI. anno 1681. miſſum fuit Miſſale in Sinicam linguam converſum; cujus approbationem & adhibendi facultatem ut a Pontifice obtineret P. Philippus Coupletus Procurator Generalis Miſſionum apud Sinas Romam ſe contulit; ſed re infecta in Galliam reverſus diſſertationem ſcripſit de ejus Miſſalis utilitate, ſi eo uti licuiſſet. Ejus diſſertationis præcipuas rationes & capita in Propylæum Maji compegerunt Continuatores Bollandiani, in eo loco ubi loquuntur de Nicolao I. Hadriano Secundo, & Joanne Octavo.

Miſſæ idioma non mutandum, licet lingua mutaverit. In prima Gentium converſione feligantur qui habiliores ſint ingenio & Latinis litteris erudiantur.

14. Concludendum igitur, conſtantem firmamque diſciplinam eſſe, ne Miſſæ idioma mutetur, etſi mutet lingua vernacula; ſed eo ſermone Miſſa celebretur, quo celebrata eſt ab initio, etiamſi ea lingua exoleverit apud vulgus, ejuſque peritiam viri docti duntaxat habeant. Eſt autem Apoſtolicæ Sedis in recenti populorum converſione ad Fidem, pro variis circumſtantiis vel permittere vel prohibere vernaculæ linguæ uſum in Divinis Officiis celebrandis. Sed vere affirmari poteſt, S. Sedem propenſiorem eſſe in illam partem, ut ex recens converſis ad Fidem, habiliore qui ſint ingenio, ſeligantur, & Latinis potius litteris erudiantur, quam ut facultas concedatur adhibendi in Miſſæ celebratione vulgarem linguam; quemadmodum S. Othonem Bambergenſem Epiſcopum, Pomeraniæ Apoſtolum, qui obiit ann. 1139. ad eos, quos noviſſime ad Fidem converterat, dicere conſueviſſe, tradit Surius ad diem 2. Julii: *Adhortor vos & invito, quia cogere non debeo, ut de liberis veſtris ad Clericatum tradatis liberalibus ſtudiis prius inſtructos, ut ipſi per eos, ſicut aliæ Gentes, de lingua veſtra Latinitatis conſcios poſſitis habere Clericos & Sacerdotes.*

Vindicatur Tridentina Synodus a calumniis Suavis & Courayeri.

15. Concludendum itidem eſt, nullo fulciri fundamento, & a veritate eſſe prorſus aliena, quæ temere ſcripſit Petrus Suavis adverſus Tridentinum Decretum, quod ſuperius attulimus, quaſi obſcurum ſit, Eccleſiæ unitatem lædat Fideliumque pietatem, pugnaque ſit manifeſta inter Joannem Octavum, Sanctum Gregorium Septimum, & Tridentinam Synodum: quibus omnibus calculum ſuum addidit recentiſſimus Scriptor Courayer, qui ſuam miſere conſumſit operam in hiſtoria Concilii ejuſdem Suavis ex Italico in Gallicum ſermonem convertenda, eaque venenatis quibuſdam adnotationibus adſpergenda, ut apparet ex præfatione pag. 24. & tom. 2. lib. 6. pag. 520. nota 4. Quænam eſſet Suavis & Courayeri conditio, quodnam inſtitutum, ſatis conſtat ex Boſſueti Meldenſis Epiſcopi hiſtoria Variationum lib. 7. n. 108. pag. 447., & ex Paſtorali Documento Archiepiſcopi Ebredunenſis, qui nuperrime Cardinalis creatus eſt, quod typis Pariſien. prodiit an. 1738. adverſus notas, & traductionem Courayeri. Notum eſt omnibus, quam pernicioſa doctrina ubique ſcateat Opus Courayeri nunc Doctoris in Univerſitate Oxonienſi, quæ clare diſcutitur in præfato Documento Paſtorali. Sed non tam his Scriptoribus fidem detrahit partium ſtudium, quam validiſſimæ rationes ſupra allatæ eorum dicta evertunt. Nec vero ulla inter Tridentinum Concilium & Joannem Octavum deprehenditur diſcrepantia. Illud enim duntaxat S. Synodus pronunciavit, *Patribus viſum eſſe non expedire, ut vulgari paſſim linguam* (Miſſa) *celebraretur*, nec alium quemquam condemnavit, niſi qui affimare audeat, *Lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere*. Id vero non adverſatur Indulto Joannis VIII. qui certæ cuidam Genti juſtis ac validis rationibus conceſſit in celebranda Miſſa ſermone uti vernaculo. Neque pugnant inter ſe Gregorii & Joannis Epiſtolæ: non eſt enim novum in diſciplina, ut quod antea fieri permiſſum fuit, vetitum poſtea fit propter incommoda, offenſiones & ſcandala, quæ inde ſuborta fuerint, quæque is non proſpexerit, qui talia conceſſit. Videatur Card. Pallavicinus hiſtor. Conc. Trident. lib. 18. cap. 10. & Natalis Alexander Hiſt. Eccleſiaſt. ſæculo 15. & 16. diſſert. 12. art. 12.

Explicatur locus D. Pauli.

16. Quidam cap. 4. epiſt. 1. ad Corinth. objiciunt adverſus ea, quæ hactenus diximus; quo probare contendunt, Miſſam populari eſſe ſermone celebrandam; ſed fruſtra. Divus enim Paulus loquutus eſt tantum de dono linguarum, nec quidquam aliud ſibi voluit, quam ut ii, qui donum linguarum obtinuiſſent, ſermones habentes ad populum, ea lingua uterentur, quæ omnibus qui audirent, communis eſſet, non quæ auditoribus incognita ad inanem oſtentationem adhiberetur. Videantur Grimaud Liturgia ſacra par. 1. cap. 12. in fine, Bocquillot Tractatu Hiſtorico ſacræ Liturgiæ lib. 1. cap. 11. in fine. Denique Redaudotius Collect. Liturgiarum Orientalium tom. 1. pag. 207. recte monet, tanquam novum & inauditum quidpiam a Proteſtantibus *illud nobis* exprobrari, quod linguam pleriſque incognitam in celebranda Miſſa exhibeamus, cum ea, qua in Liturgiis Orientales utuntur, lingua multo pluribus, quam apud nos Latina, incognita ſit; paucos enim apud nos Sacerdotes reperies Latinæ linguæ imperitos; contra apud Ægyptios pauciſſimi ſunt, qui linguam Coptam intelligant: *nec tamen idcirco deſinunt ægyptiace Liturgias celebrare ſuas.*

CAPUT III.

De Miſſæ initio.

Accedenti ad Altare nihil Antiphona Introibo accommodatius.

1. NEmo eſt qui neſciat, Sacerdotem ſtantem ante Altaris gradus in plano Eccleſiæ, Crucis ſigno Miſſam incipere; unde ex Apoſtolica traditione ſuarum omnium actionum Chriſtiani ſumunt initium, quod tradit Tertullianus libro de Corona Militis cap. 3. Poſtquam ſe ſigno Crucis ſignaverit, dicit Antiphonam *Introibo*: qua nihil accommodatius. Græce enim *Antiphona* reciprocum & alternum cantum ſignificat; & in utraque Eccleſia Latina & Græca mos ille a quarto uſque ſæculo invaluit, ut Pſalmi a duobus choris recitarentur alternis, ſeu canerentur, & pars quædam Pſalmi, quæ præſenti actioni conveniret, præcineretur. Itaque initio Miſſæ nihil aptius ea Antiphona reperiri potuit, ut bene obſervavit Le Brun. tom. 1. pag. 109.

Poſt Pſalmum Judica me Deus, dicitur Gloria Patri &c.

2. Pſalmus eſt 42. *Judica me Deus*, quem David Rex cecinit, cum patria abſens, ut Saulis iram vitaret, ſe ipſe ſolabatur ſpe Jeroſolymam tandem redeundi, quo ſibi liceret ad Altare Domini accedere & ſacrificia offerre. Pſalmi hujus ſuum quiſque verſum alternis recitant Sacerdos & Miniſter; communem enim oportet eſſe utriuſque ad Altare accedentis fiduciam & gaudium in Sacrificii oblatione, ut advertit Pouget Inſtit. Catholic. tom. 2. pag. 525. Ad finem Pſalmi alternis pariter Sacerdos & Miniſter recitant *Gloria Patri*; quem glorificationis hymnum

appellarunt veteres Patres, de quo verba fecimus, cum de Sanctiſſimæ Trinitatis Feſto agemus.

Quis auctor fuerit hujus Hymni.

3. Illum quidam Flaviano Antiocheno Monacho, nonnulli Nicænæ Synodo tribuunt. Sed ejus hymni vetuſtiora, quam Nicæna Synodus, teſtimonia ſunt apud Athanaſium & Baſilium: quamobrem eorum probanda ſententia eſt, qui illum ex Apoſtolica Traditione profectum exiſtimant; nam Fideles in Eccleſiæ primordiis, ſacro abluti Baptiſmate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, tribus Divinis Perſonis glorificationis hymnum canere cœperunt. Illud duntaxat Nicæno Concilio poteſt tribui, *Sicut erat in principio &c.* quod ad Arianorum hæreſim retundendam additum fuit. Vid. Baronius ad ann. Chr. 325. n. 173. Bona rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 3. n. 2. Concilium Vaſenſe ſecundum, ſeu quod alii putant, tertium anno 529. habitum can. 5. in Labbeana Collect. tom. 4. pag. 1680. teſtatur, additionem illam jam tum a Sede Apoſtolica, & per Orientem, Africam, & Italiam uſurpari, jubetque etiam recitari in Gallia: *Quia non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter Hæreticorum aſtutiam, qui Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed a tempore cœpiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt* Gloria, ſicut erat in principio *dicitur, etiam nos in univerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe decernimus.* Serius in Hiſpania ea additio eſt uſurpata. Canone enim 12. Concilii Toletani IV. an. 603. habiti Concil. tom. 5. Labbei pag. 1710. legitur: *In fine omnium Pſalmorum dicimus, Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum Amen;* & ad eundem modum dicitur *Gloria Patri* in Liturgia Mozarabica.

Poſt Gloria Patri &c. Sacerdos dicit Adjutorium, Confiteor &c.

4. Dicto Pſalmo *Judica me Deus* & *Gloria Patri*, Sacerdos ex 123. Pſalmo dicit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, cui reſpondet Miniſter, *qui fecit Cœlum & Terram*. Deinde Sacerdos dicit *Confiteor*. Miniſter poſtea Dei miſericordiam Sacerdoti apprecatur, qui reſpondet *Amen*. Miniſter & ipſe recitat *Confiteor*. Et Sacerdos populo miſericordiam a Deo implorat illis verbis, *Miſereatur veſtri*, & populo itidem, ſibique Divinam indulgentiam petit illa oratione, *Indulgentiam, abſolutionem, &c.* Ad ea verba Confeſſionis, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, manu ter ſibi percutit pectus tum Sacerdos tum Miniſter, cum ea proferunt verba.

Trina pectoris percuſſio ducta ab exemplo Publicani.

5. Sacerdos & Miniſter dicunt *Confiteor*, & Orationem *Miſereatur*, quia Sacerdos & Miniſter ſeu populus, pro quo Miniſter loquitur, mutua ejuſmodi confeſſione & oratione aſſequuturos ſeſe confidunt levium peccatorum remiſſionem, quo puriori mente Deo Sacrificium offerant. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*; verba ſunt ex Epiſt. S. Jacobi cap. 5. verſ. 16. Trina illa percuſſio pectoris contritionem cordis ſignificat, ab exemplo ducta Publicani, qui pectus ſibi percutiens peccata ſua confitendo veniam a Domino impetravit: *Et Publicanus a longe ſtans, nolebat nec oculos ad Cœlum levare; ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Luc. c. 18. ver. 13.

Dominus vobiſcum ex lib. Ruth; & cum ſpiritu tuo ex D. Paulo deſumpta.

6. Stans adhuc ex adverſo Altaris extra gradus Sacerdos poſt Confeſſionem, quaſdam e ſacris Paginis Orationes depromptas recitat, quibus peccatorum a Deo veniam petit, eamque mentis poſtulat puritatem, qua opus eſt Sacrificio Miſſæ ſanctè celebrando; cui itidem reſpondet Miniſter. Inter Orationes ea eſt, quæ per totam Miſſam ſæpe dicitur, *Dominus vobiſcum*, ex libro Ruth educta cap. 11. verſ. 4. *Et ecce ipſe veniebat de Bethlehem, dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum, qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus.* Miniſter vero Sacerdoti reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*; quæ ex D. Pauli verbis ad Galatas cap. 6. 18. deſumta videntur: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro Fratres. Amen.* Quæ verba in Miſſæ decurſu toties Miniſter repetit, quoties Sacerdos dicit *Dominus vobiſcum*.

Cur Sacerdos oſculetur Altare.

7. Denique Sacerdos poſtquam adſtantes ad preces Deo fundendas excitavit dicens *Oremus*, gradus Altaris conſcendens recitat Orationes *Aufer a nobis*, & *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum*, & tunc primum oſculatur Altare; quod aliquoties in Miſſæ curſu itidem oſculatur: nam oſculum ſalutatio quædam eſt, ut notat Pouget loc. cit. pag. 827. ubi propoſitam quæſtionem, *Cur Sacerdos accedens ad Altare, hoc oſculetur, idemque faciat, quoties ab eo recedit*, ita ſolvit: *Hoc ſalutationis genus eſt. Oſculatur Sacerdos Altare, qui typus eſt Chriſti, eoque oſculo profitetur adhærere ſe Chriſto, cui ſicut membra capiti, connexi ſunt Sancti, quorum Reliquiæ ibi ſervantur.*

Reliquiæ Sanctorum conditæ in petra ſacra. Locus de ea re D. Ambroſii.

8. Neque enim Miſſam celebrare fas eſt in Altari, quod vel ſacratum non fuerit, vel petra ſacra non ſit inſtructum: Altaris autem, & petræ conſecratio poſtulat, ut in iis condantur Reliquiæ Sanctorum. Quamobrem S. Ambroſius epiſt. 54. ad Marcellinam ſororem ſcribit: *Cum Baſilicam dedicare vellem, mihi tanquam uno ore interpellare cœperunt dicentes: Sicut in Romana, ſic Baſilicam dedices. Reſpondi: Faciam, ſi Martyrum Reliquias invenero*: repertiſque SS. Gervaſii & Protaſii corporibus, Romano ritu Baſilicam dedicavit.

Pſalmus Judica me Deus, ad initium Miſſæ adhibitus uſque ab S. ſæculo. Verus ejus auctor.

9. Quidam exiſtimant, non admodum antiquam eſſe diſciplinam recitandi Pſalmum *Judica me Deus* in principio Miſſæ. Vertus tom. 3. par. 1. cap. 1. putat, Pſalmum non amplius quam a ducentis annis initio Miſſæ ab Eccleſia Romana recitari cœptum. Sed audaculi Verti manifeſtus eſt error. Nam in veteri Miſſali Romano ante quingentos annos ſcripto in Bibliotheca Angelica Romæ hæc habentur: *Cum autem indutus fuerit* (Sacerdos) *accedat ad Altare, & dicat*: Introibo ad Altare Dei. ℟. Ad Deum *&c. Pſalmum* Judica me Deus. *Tunc inclinet ſe ante Altare, & dicat* Confiteor Deo. Præterea Micrologus Miſſæ Romanæ ordinem deſcribens cap. 23. *Paratus*, inquit, *Sacerdos venit ad Altare dicens Antiphonam* Introibo ad Altare Dei, *& Pſalmum* Judica me Deus, *poſt quem ſequitur Confeſſio*; idque confirmat Innocentius Tertius lib. 2. de Myſteriis Miſſæ cap. 13. Et qui vetera monumenta diligentius excuſerunt, ea documenta proferunt, quibus luculenter oſtenditur, Pſalmum hunc in principio Miſſæ dici conſueviſſe ſæculo ſeptimo & octavo. Quia vero nihilominus quidam Antiphonam *Introibo* cum Pſalmo *Judica me Deus* recitabant, quidam prætermittebant, idcirco S. Pius V. cum Miſſale recognovit, ſtatuit, ut a quolibet Sacerdote ad Ritus uniformitatem illa Antiphona & Pſalmus recitaretur.

Confeſſio in principio Miſſæ ex Apoſtolica traditione. Incertum quis compoſuerit Confiteor.

10. *Confiteor* Pontiano Papæ quidam tribuunt, ſed falſo. Illud vere dici poteſt, Apoſtolicæ Traditionis eſſe, generatim ut ingenua peccatorum Confeſſio præeat. Nam Sacerdotes quoque & Prophetæ veteris Teſtamenti eam, antequam ſacrificarent, Confeſſionis formulam adhibebant: *Peccavimus Domine, injuſte egimus, iniquitatem fecimus*. Formula vero peculiaris hæc, qua nos in

Miſ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Missæ utimur Sacrificio, certe ab anno usque 1300. in usu erat. In Liturgiis S. Jacobi & S. Marci Euangelistæ Sacerdos sua ipsius peccata incipit accusare, quorum deinde a Deo sibi & populo veniam petit. In veteri Ritu Mozarabico nulla erat Confessio, sed locum *Confiteor* aliæ orationes obtinebant, additæ a Cardinale Ximenio. Hæc qui uberius pertractata habere cupiat, adeat Cardinalem Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 2. Le Brun tom. 1. pag. 127. Grancolas de antiquis Liturgiis pag. 447. Meratum ad Gavantum par. 1. tom. 1. pag. 382. & seq. Illud observatu dignum putamus, ab Hæreticis nihil objectum esse adversus Psalmum *Judica me Deus*, neque adversus Confessionem, quatenus eam Sacerdos Deo & hominibus præsentibus facit.

Ratio, cur confiteamur peccata non solum Deo, sed etiam Sanctis.

11. Quidam tamen eam Confessionem ausi sunt improbare, quod Sacerdos peccata sua Sanctis confiteatur; quod ex ea hæresi profluit, Sanctos nimirum, qui longe absunt, ut nullas orationes nostras, ita ne confessiones quidem audire posse. De invocatione Sanctorum egimus in nostro Opere de Canonizatione Sanctorum, & quomodo ad eos orationes nostræ perveniant demonstravimus. Itaque in præsentia dicimus, Sanctos quemadmodum orationes, ita & confessiones nostras intelligere; ac Deo quidem confessionem fieri peccatorum, quibus illi facta est injuria, ac per pœnitentiam ab eo veniam impetrari; eandem vero confessionem coram Sanctis etiam fieri, qui cum Christo in fine sæculorum sedebunt humani generis judices, juxta illud Matthæi cap. 19. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel;* & juxta illud D. Pauli 1. ad Corinth. cap. 6. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?* In 14. Ordine Romano apud Mabillon. Musei Italici tom. 2. pag. 529. extat formula illa *Confiteor Deo &c.* in qua addita sunt paucula quædam verba. *Quia peccavi nimis cogitatione, delectatione, consensu, verbo, & opere.*

Psalmus quandoque omittitur in Romana Ecclesia, nec usurpatur a Carthusianis & aliquot aliis Ordinibus, nec in Ritu Ambrosiano.

12. Psalmus *Judica me Deus* omittitur in Missis Defunctorum, & Passionis tempore: ob eam rationem prætermitti ait Tournely tom. 2. de Eucharist. pag. 412. quod Psalmus sit lætitiæ, ut constat ex illis verbis, *Quare tristis es anima mea?* Nullus autem in Missis Mortuorum, & quæ Passionis tempore celebrantur, lætitiæ locus. Pouget loco citato pag. 825. putat, in iis Missis Psalmum illum omitti ex continuatione veteris Ritus primorum sæculorum, cum Psalmus ille non recitabatur; nam ejus usum paullo ante diximus ad 7. vel 8. sæculum esse referendum. Carthusiani, Fratres Prædicatores, Carmelitæ in principio Missæ nunquam illum Psalmum, sed versus quosdam ex aliis Psalmis sumptos recitant. Contractior est Carthusianorum & Fratrum Prædicatorum formula Confessionis, seu *Confiteor;* in utraque tamen coram Deo & Sanctis fit confessio. Juxta Ritum Ambrosianum non dicitur Psalmus *Judica*, sed post Antiphonam *Introibo* statim sequitur Confessio: & Carthusiani, ut etiam Fratres Prædicatores non osculantur Altare, sed capite inclinato illud salutant. Qui vero Romano Ritu Altare osculatur, nec Altare nec Crucem salutat; osculum enim est quædam salutatio, ut videre est apud Meratum loco cit. pag. 399.

Liturgia S. Jacobi sinceritas.

13. De Liturgiis S. Jacobi Apostoli & S. Marci Euangelistæ quædam superius attigimus. Natalis Alexander Eccl. Hist. tom. 3. sæculo 1. cap. 12. art. 3. ostendere conatur spuriam esse utramque Liturgiam. Verum Allatius in Symmictis Epistola ad Bartholdum Nihusium, allatis veterum auctoritatibus, ostendit, eam Liturgiam Jacobi Apostoli genuinum esse fœtum. Et sane eam ut genuinam Ecclesia Græca semper agnovit, & Concilium Trullanum can. 32. præcepit, in Missa vinum cum aqua mixtum esse offerendum, ac ad Apostoli Jacobi provocat Liturgiam: *Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem Frater, cui & Jerosolimitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, & Basilius Cæsariensium Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio ita consecrandum in Divina Missa ex aqua & vino sacrum Calicem ediderunt:* quæ quidem non conjecturæ sunt, sed validissima argumenta, quibus Liturgiæ S. Jacobi sua sinceritas vindicatur. Videatur Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 8. ubi etsi de S. Marci dubitat Liturgia, eam tamen S. Jacobi obfirmate tuetur, & multa eruditionis copia a suppositionis nota vindicat.

Ritus Mozarabicus unde appellatus. Illum Hispani religuerunt sub Gregorio VII. Cardinalis Ximenius illum restituit in Sacello quoddam Ecclesiæ Toletanæ.

14. Ritum Mozarabicum supra memoravimus, qui etiam Gothicus appellatur. Eo Hispaniæ Ecclesia utebatur, & ideo Gothicus appellatus, quod per id tempus adhiberetur, cum Gothi Hispanis imperitabant. Mozarabus etiam vocatus est, quod cum totam fere Hispaniam Arabes occupassent, Christiani *Mixtarabes*, ac deinde corrupta voce *Mozarabes* sint appellati, hoc est cum Arabibus mixti. De hoc Ritu verba fecimus lib. 1. de Canonizat. Sanctor. cap. 5. n. 6. Satis igitur hic erat innuere, sub S. Gregorio Septimo Hispanias, eo ritu relicto, Romanum esse amplexas; ejus tamen ne memoria omnino interiret, Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus Missale, & Divina Officia typis imprimi curavit, voluitque ut Missa in quodam Sacello Metropolitanæ Ecclesiæ Toleti juxta eum ritum celebraretur: quædam in eo Diœcesi sunt Paræciæ, quæ eo ritu etiam nunc utuntur, ut testatur Alvarus Gomezius lib. 2. de Gestis Cardinalis Ximenii. Apud Cardinalem de Aguirre tom. 3. Concilior. Hispaniæ pag. 238. est Concilium quoddam Ilerdense a Candido Cardinale Alexandri Secundi Legato habitum, ut Hispani a Mozarabica ad Romanam Liturgiam revocarentur. Eorum, quæ egit S. Gregorius Septimus apud Alphonsum Hispaniæ Regem, ut Gens illa Romanum Ritum amplecteretur, eodem loco reperias documenta pag. 256. Tota vero Liturgia Mozarabica refertur pag. 158. & seq. de eadem Liturgia loquitur Fleury Hist. Eccl. tom. 7. pag. 336.

Ritum Ambrosianum D. Ambrosius verius auxit, quam instituit.

15. Ad extremum quædam de Ambrosiano Ritu tetigimus, quem fuse explicat *Vicecomes* de Missæ Ritibus lib. 2. cap. 12. & 13. ubi probat, illum ritum non fuisse a S. Ambrosio institutum; in eo plures esse cæremonias Ambrosii ætate vetustiores, plures ab ejus Prædecessoribus institutas ipsum esse amplexum, plures etiam de suo addidisse, quasdam feciisse meliores; eundemque Ritum in Ecclesia Bononiensi, cum Mediolanensi Archiepiscopo esset subjecta, esse adhibitum. De Ambrosiana Liturgia loquitur Le Brun tom. 2. pag. 175. illudque animadvertit, S. Ambrosium ex illius Provinciæ Præside, cum adhuc Catechumenus esset, creatum Episcopum, qui octo dierum spatio Baptismum, sacros Ordines, & Episcopatum suscepit, principio nihil aliud facere potuisse, quam probe discere quod doceretur. Verisimile tamen est progressu temporis quædam Divinis Officiis addidisse, quæ ad nutriendam Fidelium pietatem utilissima judicata sunt.

CA-

CAPUT IV.

De Introitu, Kyrie eleison, & Hymno Gloria in Excelsis.

A vetustis temporibus ad sæculum 15. dextera & sinistra Altaris erat quæ est dextera & sinistra Sacerdotis ad illud conversi; nunc quæ est dextera & sinistra Crucifixi.

1. SAcerdos, gradibus conscensis, osculatur Altare, ad cujus sinistram partem se confert, quæ *Cornu Epistolæ* dicitur. Le Brun citato tom. 1. pag. 157. sapienter monet, in veteribus Romanis Ordinibus & Auctoribus Ecclesiasticis usque ad sæculum XV. partem sinistram Altaris dici consueviſſe dexteram, ex manu dextera Sacerdotis ad Altare conversi, eorumque qui in Ecclesiam ingrederentur. Sed cum in Pontificali Romæ edito anno 1485. deinde propositum fuerit observandum, dexteram, & sinistram Altaris partem eam esse, quæ est dextera & sinistra Crucifixi, qui in medio Altari collocatus est, inde factum, ut nunc sinistra Altaris pars habeatur, in qua Epistola, dextera vero, in qua Evangelium recitatur.

Introitus varia nomina. Ejus auctor non S. Cœlestinus I. sed S. Gregorius Magnus.

2. Sed de Introitu nunc dicendum, qui constat ex Antiphona, Psalmo, & *Gloria Patri*. Introitus dicitur, seu quod Missæ principium est, seu quia a Choro canebatur, cum Sacerdos ad Altare accederet. In Missali Ambrosiano vocatur *Ingressa*, in Liturgia Mozarabica, & in Missali Carthusianorum, Fratrum Prædicatorum, & Carmelitarum *Officium* appellatur. Missæ Introitum S. Cœlestino I. tribuunt Valfridus & Micrologus, & cum his consentiunt Martinus Polonus, Platina, & alii apud Torres Institut. Sacerdot. de Sacrificii oblatione pag. 61. Sed hæc opinio omni caret fundamento. Honorius lib. 1. in Gemma Animæ cap. 87. Auctorem Introitus Missæ fuisse putat S. Gregorium; quod verisimilius est. Nam Sanctus ille Pontifex Antiphonarium composuit selectis e Psalmorum libro Antiphonis, aliis quidem ad Introitum, aliis ad Responsorium, aliis etiam ad Offertorium: Introitus Auctorem existimat S. Gregorium etiam Brunus de Cæremoniis lib. 2. cap. 1. pag. 28.

Introitus omnes deprompti ex Psalmis versionis Italicæ. Pauculi quidam irregulares olim desumti.

3. In eo Antiphonario omnes Introitus sunt e Psalmis deprompti, paucis quibusdam exceptis, quos Durandus *irregulares* appellat, ut qui dicitur in Nativitate Domini, *Puer natus est nobis;* & in Ascensione Domini, *Viri Galilæi*; & in die Pentecostes, *Spiritus Domini;* & in Festo S. Petri Apostoli, *Nunc scio vere*. Atque hi omnes Introitus irregulares si non e Psalmis, e sacris tamen paginis desumti sunt. Et pauculi nunc quidam sunt, qui neque e Psalmis, neque e sacra Scriptura petiti sint, nec in Gregoriano Antiphonario reperiantur, ut sunt. *Salve sancta parens; Gaudeamus omnes in Domino*; & *Benedicta sit Sancta Trinitas*; nec prætereundus Introitus Feriæ tertiæ Pentecostes, *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ &c. commendatum donum accipite, & jucundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cælestia regna vocavit;* qui sumptus est e lib. 4. Esdræ cap. 2. vers. 36. & 37. qui liber ab Hebræo quodam ad Christianam Fidem converso eo consilio creditur scriptus, ut Judæi Christi Religionem susciperent; qua de re vide Dissert. Calmeti in 4. librum Esdræ. Illum ex Canone sacrarum Scripturarum exclusit Concil. Trident. sess. 4. etiamsi quidam ex Patribus eum habuerint Canonicum. In Introitu Psalmus integer cum *Gloria Patri* recitabatur. A mille fere annis non amplius totus dicitur, sed pauci quidam versus e Psalmo; hique sunt ex interpretatione, quæ ante Hieronymi ætatem adhibebatur, & a Patribus vocatur *Italica*: qua etiam nunc utuntur Ambrosiani, iique pauci, qui Mozarabicum Ritum sequuntur, & Clerus Basilicæ Vaticanæ, qui juxta Breviarium ejusdem Basilicæ Psalmos legit interpretationis Italicæ. Post *Gloria Patri* iterum dicitur Antiphona, a qua Missa est incepta; sed eam Ambrosiani non repetunt præterquam in Missis mortuorum; quædam Ecclesiæ, atque etiam Carmelitæ in quibusdam solemnioribus Festis eam semel, iterum dicunt, & tertio.

Olim præcinebantur a Clero, nec recitabantur a Celebrante.

4. Introitum a Choro præcini consueviſſe superius diximus, qui propterea a Sacerdote non recitabatur; nunc vero Introitum legit Sacerdos tam in Missis privatis, ut id quod a Choro dicendum suppleat, quam in solemnibus, quia fieri potest, ut quæ Chorus canit, probe non intelligat. Vide Bellarm. tom. 3. controvers. lib. 6. cap. 16. de Missa, Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 3. Le Brun tom. 1. pag. 160. & seq. Tournely tom. 2. de Eucharist. pag. 413. Nec contemnendæ Ivonis Carnotensis, Ruperti, & Innocentii Tertii considerationes, qui animadvertentes Introitum plerumque ex verbis veteris Testamenti esse compositum, docent per eum nobis in memoriam revocari clamores & desideria veterum Patrum Messiæ adventum expectantium. De Introitu scripserunt Macrus Vocabular. verbo *Introitus*, & Torres loc. cit. qui eadem confirmant de veteri ritu, cum integer dicebatur Psalmus, ac de significatu multarum precum, quibus veteres Patres Messiam efflagitabant.

De Introitu Romani Pontificis.

5. Romano Pontifici solemniter celebranti, cum sacris indutus vestibus e Throno descendit accessurus ad Altare, tres ultimi Presbyteri Cardinales illi occurrunt, eumque in pectore & in facie osculantur; quam cæremoniam etsi quidam existimant tres Marias exprimere, tamen vera ejus significatio est trium Regum Magorum: *Tres Sacerdotes, qui Pontifici venienti coram Altare reverenter occurrunt, & inclinantes os ejus osculantur & pectus, tres illos Magos signant:* verba sunt Innocentii Tertii lib. 2. de Myster. Missæ cap. 11., qui deinde profunda ejus cæremoniæ Mysteria explicat: *Per geminum osculum geminam in Christo naturam confitentur, Divinam scilicet & Humanam, Divinam quasi latentem in pectore, Humanam quasi patentem in ore.*

Post Introitum Sacerdos dicit Kyrie, Gloria in excelsis &c.

6. Sed ad privatam Missam regrediamur, unde divertimus, & ut occasio tulerit interdum, non tamen nisi obiter, digrediemur. Lecto Introitu Sacerdos venit ad medium Altare, & dicit *Kyrie Eleison*, ac deinde *Gloria in excelsis*, si quidem ex Rubrica dici oporteat; quo hymno vel dicto, vel prætermisso, prout Rubrica jubet, ad populum conversus dicit, *Dominus vobiscum*, aut si Episcopus sit, *Pax vobis*; ac postquam Minister respondit, *Et cum spiritu tuo*, redit ad Cornu Epistolæ, ubi dicit *Oremus*, & Collectam legit.

Kyrie Eleison est in Liturgiis S. Jacobi & veterum Patrum. Ante S. Gregorium verba illa usurpata.

7. Græca verba sunt *Kyrie Eleison*, quæ significant *Domine miserere*, qua precatione nihil ad ea quæ nobis opus sunt, accommodatius, ut ea fugiamus pericula, quæ semper nostræ imminet animæ, ni Deus nostri misereatur. Quapropter Isaias cap. 33. *Domine*, inquit, *miserere nostri; te enim expectavimus;* & Baruch cap. 3. *Audi Domine, & miserere*. Hæc precatio adhibetur in Liturgiis S. Jacobi Apostoli & veterum Græcorum Patrum. Quis ab Oriente hæc verba in Occidentem invexerit, Viri docti disputant. Vulgaris olim opinio fuit S. Gregorium Magnum ea Missæ addidisse; sed falsitatis arguitur, quod constat sexaginta ante S. Gregorium annis ea ab Apostolica Sede & ab Italiæ Provinciis esse usurpata; nam Concilium Vasense anno 529. habitum tom. 4.

Con-

Concil. pag. 1680. ait: *Et quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales & Italiæ Provincias dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperas Deo propitio intromittatur.* In Missa Latina verba Græca adhibentur *Kyrie eleison*, atque etiam quædam Hebraica *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, & *Hosanna*, ut eadem significetur esse Ecclesia, primum ex Hebræis & Græcis, ac deinde e Latinis conflata. Augustinus Joannes Fafchius Heterodoxus die 20. Decembris ann. 1696. præsidente Joanne Andrea Schmidt Dissertationem examinandam proposuit: *De insignioribus veterum Christianorum Formulis*, tom. 398. Miscellaneorum insertam Bibliothecæ Dominici Cardinalis Passionei. In ea Dissertatione Auctor pag. 27. consul. tius fore ait, si verba Græca *Kyrie eleison* in alia verba commutarentur, quæ populus intelligeret. Sed neminem quidem certe futurum arbitror, qui præ hujus Faschii opinione posthabeat veterem constantemque sensum Ecclesiæ. Post Introitum alternis a Sacerdote & Ministro ter dicitur, *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & rursus ter *Kyrie eleison*. S. Thomas in 3. par. q. 83. art. 4. *Misericordia*, inquit, *petitur dicendo Kyrie eleison, ter quidem pro Persona Patris, ter autem pro Persona Filii, cum dicitur Christe eleison, & ter pro Persona Spiritus Sancti, cum subditur Kyrie eleison, contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ; vel ad significandum, quod omnes Personæ sunt in se invicem.*

Olim non erat præfinitum quoties dicenda essent.

8. Olim non erat præfinitum, quoties dicendum esset *Kyrie eleison*, & in iis Missis omittebatur, quæ post Litanias celebrarentur, in quibus id jam antea dictum fuerat. Vide Bellarm. tom. 3. controvers. lib. 6. de Missa cap. 16. tit. de *Kyrie eleison*, Tournely de Sacram. Euchar. tom. 2. pag. 412. Le Brun tom. 1. pag. 165. & seq. Pouget tom. 2. Institut. Catholican. pag. 830. Macrum in Vocabular. Ecclesiastic. verbo *Krie eleison*, Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 1. Meratum par. 1. tom. 1. pag. 174. & seq. Boucat. tom. 5. Theologiæ Patrum par. 4. pag. 69. Numerum autem præfinitum non fuisse repetitionum *Kyrie eleison*, sed toties dici consuevisse, quoties voluisset Sacerdos, qui Missam celebrabat, testatur Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 3. n. 5. *Interim cantato & repetito semel & iterum pro solemnitatum varietate Introitu, Chorus subjungit, Kyrie eleison, Christe eleison, quod tamdiu olim repetebat, donec subsistendum Celebrans innuisset;* quod confirmat etiam Mabillonius in Commentariis in Ordinem Romanum art. 6. n. 3. qui & illud etiam quod supra diximus, docet, *Kyrie eleison* dici non consuevisse in Missis, quæ dictis antea Litaniis celebrarentur: *In primis Kyrie eleison toties repetebatur, quoad Pontifex aliquo nutu finem designaret. Unde Paris de Crassis observat, Kyrie in Missis Pontificiis tamdiu protrahi, quamdiu reverentia Papæ a Cardinalibus facienda durat. Verum in iis Missis quæ Litanias sequebantur, Kyrie eleison omitti mos erat, ut ex libellis nostris patet, ob eam videlicet causam, quod in Litaniis jam cantatum fuisset.* Ambrosiani ter has voces *Kyrie eleison* adhibent, post *Gloria in Excelsis*, post Euangelium, & in fine Missæ.

De hymno Gloria in Excelsis. Græci eum vocant Doxologiam.

9. D. Thomas loco citato loquitur de Hymno *Gloria in Excelsis*: *Tertia autem pars commemorat cælestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam & miseriam dicendo* Gloria in Excelsis Deo, *qui cantatur in Festis, in quibus commemoratur cælestis gloria. Intermittitur autem in Officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent.* De hoc Hymno dici potest ejus principium ortum esse ab Angelis, qui Christo Jesu nato cecinerunt: *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ut diximus cum de Christi Nativitate sermonem habuimus; reliquum vero hymnum homines condiderunt, quod monent Concilii Toletani Patres: *Reliqua quæ ibi sequuntur Ecclesiastici Doctores composuerunt.* Illum Græci *Doxologiam* vocant, ut eum distinguant ab Hymno *Gloria Patri & Filio.*

Ejus hymni principium profectum ab Angelis. Reliqua sunt incerti Auctoris.

10. Viri docti quærunt, quis Auctor reliqua addiderit. Innocentius Tertius lib. 2. Mysteriorum Missæ cap. 20. ait, multos illum S. Telesphoro Papæ, alios Hilario Pictavienſi Episcopo tribuere. Torres loco citato n. 64. pag. 94. ait ab Apostolis conditum. Sed sapienter Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 4. n. 4. *Prima*, inquit, *hujus hymni verba: Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, e Cælo ad nos Angelorum voce derivata sunt. Cætera quis addiderit, incertum est.* Quidam putant ad Latinos eum hymnum a Græcis permanasse.

Ab Oriente profectum non continuo in Missam illatum.

11. Neque tamen in Missa dici cœptum simul ac ab Oriente in Occidentem transierit; nam de eo hymno Concilium Toletanum IV. ann. 63. habitum veluti de oratione loquitur, in quam plures Doctores de suo quisque quidpiam contulerint, quæque in Officiis recitaretur, nulla tamen Missæ facta mentione. Testaturque S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum, in Galliis morem fuisse hymnum illum post Missam recitare agendarum Deo gratiarum causa propter rem, quæ bene prospereque acciderit.

In Laudibus recitare cepit S. Benedictus.

12. S. Benedictum jussisse ferunt in Laudibus eundem hymnum recitari. In publicis autem acclamationibus cani consuevisse, constat ex Concilio VI. Generali, ex VIII. Concilio Toletano, & ex vita Leonis Tertii, qui, cum Pipino Caroli Magni filio obviam occurreret, illum hymnum cecinit. Videatur Auctor *Tractatus de Missa Divinisque Officiis* secundæ edit. Parisiensis ann. 1714. pag. 19. & 20. qui etiam innuit hymnum *Gloria in Excelsis*, 7. sæculo in Missam fuisse invectum.

Olim canebatur in Missa tantum Nativitatis. In Ecclesia Turonensi in prima Missa græce, in secunda latine.

13. Docet anonymus Liber, cui titulus *Speculum Ecclesiæ*, hymnum *Gloria in Excelsis*, in Missa tantum Nativitatis Domini cani consuevisse; eo enim die audita est vox Angelorum canentium *Gloria in Excelsis Deo*: illum præterea tradit, græce in prima Missa, in altera vero latine cani solitum: *In hac Missa cantatur Gloria in Excelsis, quod antea tacebatur. Solus Sacerdos præcinit hac nocte, mox cum eo totus Chorus. Nos (scilicet in Ecclesia Turonensi) canimus illud græce juxta morem antiquum Ecclesiæ Romanæ in prima quidem Missa, sed in secunda latine.*

Postea illum die Dominica & Festis solemnibus solus Episcopus recitabat, Presbyteris in die Paschatis tantum.

14. Deinde vero ad alias quoque Missas propagatus fuit hymnus ille, ita tamen, ut ab Episcopo tantum die Dominica recitaretur & solemnibus Festis. Presbyteris vero Missam celebrantibus illum præterquam in die Paschatis non licebat recitare, quod evincitur e principio libri Sacramentorum S. Gregorii: *Item dicitur Gloria in Excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantummodo in die Dominico sive diebus festis. A Presbyteris autem minime dicitur nisi in solo Paschate.* Hujus præscripti meminit etiam Walfridus cap. 22. his verbis: *Statutum est, ut ipse hymnus in summis Festivitatibus a solis Episcopis usurparetur, quod etiam in Capite libri Sacramentorum designatum videtur.*

11. Ber-

Paullo post X. sæculum licuit Presbyteris Gloria in excelsis recitare in Missa per annum.

15. Berno quidam Abbas Richelii, qui post annum vivebat 1000. librum scripsit *de rebus ad Missam spectantibus*, in quo audacter sane dixit, se nescire, quamobrem in Missa non liceret dicere *Gloria in Excelsis* præterquam in Pascha, cum decere videatur, ut etiam in die Natali Jesu Christi, & in Dominicis & Festis diebus a Presbyteris ille hymnus recitaretur: *Cur non liceat omni die Dominico vel Natalitiis Sanctorum Presbyteros hymnum illum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere. Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum prætitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in Cœlis. Proferant Contradictores in medium ubinam sit a sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo Papa Gregorio interdictum. Et si ad hæc respondere non valemus, merito manus damus.* Parere profecto æquum erat Bernonem Abbatem, non disceptare: luculenter enim S. Gregorius illud decreverat. Sed paullo post Bernonis ætatem mos introductus est, ut quivis Presbyter in Missa diceret *Gloria in Excelsis*. Hugo Menardus in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 6. de Bernone ita scribit: *Ei sufficere debebat sui Missalis auctoritas, instituti olim a sanctis Patribus, & ab ipso sanctissimo Gregorio recogniti; sed tandem institutio mutata.*

Excipiuntur tamen quædam tempora, quibus omittitur.

16. Nunc hymnus ille in omnibus dicitur Missis, exceptis Missis Mortuorum, & iis quæ in Feriis infra annum, extra Paschale tamen tempus, in Dominicis Adventus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, & toto Passionis tempore dicuntur. Nam hymnus ille ad spiritalem lætitiam pertinet, cui nullus est locus per eos dies luctui & pœnitentiæ præstitutos. In Canone *Hi duo* de Consecrat. dist. 1. habetur: *In Septuagesima intermittimus* (Alleluja, & Gloria in Excelsis) *quia peccato hominis veteris a conventu Angelicæ jubilationis expulsi, in hujus miseræ vitæ Babylone super flumina ejus sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus.* Et Canone qui sequitur, ex Quadragesima excipitur Feria 5. in Cœna Domini, in qua ut etiamnum fit, canitur *Gloria in Excelsis*. Canonis verba hæc sunt: *Porro Gloria in Excelsis Deo ab Episcopis in Cœna Domini inter Missarum solemnia more nostro dicenda est.* Et in Decretali *Consilium* de celebratione Missarum præscribitur, ne in Missis votivis B. Virginis dicatur *Gloria in Excelsis*. Verum hoc exolevit etiam juxta Rubricas Missalis Romani. Nam dicitur ille hymnus in Missis votivis Angelorum, & B. Mariæ in sabbato, non tamen in aliis ejusmodi Missis, nisi gravis causa intercesserit. Vide Suarez in 3. par. tom. 3. disput. 83. sect. 1. §. *Quarto additur*. Videatur etiam Grancolas 1. par. veter. Sacramentarii Ecclesiæ pag. 436. & pag. 763.

Hymnus ille vel ipsi Luthero probatus. Explicantur illa: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.

17. Tanta est hujus hymni devotio, tanta pulcritudo, ut vel ipsi Luthero probatus fuerit, ut videre est in ejus libro de Formula Missæ, & testatur Bellarminus loco citato. Quidam quæruntur, quo sensu accipienda sint illa verba *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; eaque interpretatio videtur aptior, sæpenumero in sacris paginis Dei gloriam idem significare ac ejus gratiam, & misericordiam: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*; verba sunt Apostoli ad Rom. cap. 3. ideoque nos gratias agentes Deo propter ejus gloriam, gratias illi agimus propter ejus misericordiam erga nos, quæ illi vertitur in gloriam. Vide Le Brun tom. 1. pag. 183.

Post Gloria &c. Presbyter dicit: Dominus vobiscum; sed Episcopus: Pax vobis.

18. Post *Kyrie eleison* & *Gloria in Excelsis*, si quidem hymnus ille ex Rubrica dicendus sit, Sacerdos dicit, *Dominus vobiscum*, & si Episcopus sit, *Pax vobis*, in diebus quidem lætitiæ; nam in diebus pœnitentiæ ipse quoque dicit *Dominus vobiscum*, ut reliqui Sacerdotes. De hac formula *Dominus vobiscum* supra quædam diximus. In Orientali Ecclesia formula, qua Sacerdotes populum salutant, est *Pax omnibus*, ut colligitur ex Basilii & Chrysostomi Liturgiis. In Concilio Bracarensi canon est 21. *Placuit, ut non aliter Episcopi & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes: Dominus sit vobiscum; sicut in libro Ruth legitur; & ut respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas immutavit*; ubi emunctioris naris Scriptores non *Oriens* legendum existimant, sed *Occidens*: salutatio enim erat in Oriente: *Pax vobis*; quod observarunt Bona lib. 2. rerum Liturgicar. cap. 5. num. 1. Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 3. n. 7. Meratus tom. 1. par. 1. pag. 168. Monet Garzias Loaisa in notis ad illum Canonem, cum quo consentit etiam Tournely cit. tom. 2. de Eucharistia pag. 418. improbari in eo canone consuetudinem, quam Priscillianus conabatur invehere, ut Episcopus non semel tantum in salutatione populi diceret *Pax vobis*, sed etiam in omnibus salutationibus ceteris, in quibus dicit *Dominus vobiscum*. Nunc Episcopus in hac Missæ parte, de qua nunc agimus, dicit *Pax vobis*, quibus verbis Christus Dominus post Resurrectionem suam Discipulos salutavit, ut est apud Joann. cap. 20. Episcopus enim Christi figura est. In reliquis vero salutationibus dicit ut Presbyteri *Dominus vobiscum*, ut declaret, se esse ex numero Sacerdotum juxta animadversionem Innocentii III. de Mysteriis Missæ lib. 2. cap. 42. Leo VII. Pontifex sæculo 10. in Epist. ad Gallos, & Germanos ita scribit: *Consultum est etiam utrum Episcopi Pax vobis, an Dominus vobiscum pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem vestram Provinciam tenendum est, quam in Sancta Romana Ecclesia. In Dominicis enim diebus & in præcipuis Festivitatibus atque Sanctorum Natalitiis Gloria in Excelsis Deo, & Pax vobis pronuntiamus. In diebus vero Quadragesimæ, & in quatuor temporibus, sive in vigiliis Sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus Dominus vobiscum tantummodo dicimus.*

Unde ea Episcopi formula prolata, & quando usurpata.

19. Ex quibus colligitur, vetulum admodum esse morem, ut in aliquibus diebus Episcopus salutet populum dicens *Pax vobis*, in quibusdam *Dominus vobiscum*; ac in ea salutatione *Pax vobis* festivitas quædam & lætitia inesse videtur, cui non est locus in diebus pœnitentiæ; quæ quidem ratio longe melior videtur quam quæ affertur a Pouget Institut. Catholicar. par. 2. pag. 831. qui totam hanc rem ad arbitrium refert. Formulam *Pax vobis*, cui respondet Populus, *Et cum spiritu tuo*, olim adhibebat Episcopus, & Diaconus in quibusdam Ecclesiasticis cæremoniis etiam extra Missam; & Episcopus quidem ea utebatur, cum in Ecclesiam introiret, ut colligitur ex D. Chrysostomo homil. 33. in Matthæum: *Ingressi Ecclesiam, statim secundum legem istam dicimus: Pax vobiscum; & vos respondetis: & cum spiritu tuo.* Et homil. 36. in 1. epist. ad Corinthios: *Episcopus sub introitu in Ecclesiam pacem precatur omnibus, ut qui in domum ingreditur paternam.* Et homil. 3. in ep. ad Colossen. *Cum ingres-*

greſſus fuerit is, qui præeſt Eccleſiæ, ſtatim dicit: Pax omnibus; quando ſermonem facit, ac concionatur: Pax omnibus. Et locus eſt in epiſt. 30. alias 38. D. Cypriani ad Clerum Carthaginienſem: *Auſpicatus eſt pacem dum dedicat Lectionem*: unde colligit eruditus Albaſpinæus in notis ad Concil. Carthaginienſe III. cap. 4. Lectorem, antequam Evangelium legeret, *Pax vobis* dicere conſueviſſe; *Antequam Evangelii pronunciandi initium faceret olim Lector elata voce proferebat: Pax vobis, perinde atque hodierno die Diaconus dicit: Dominus vobiſcum.*

CAPUT V.

De Orationibus, Epiſtola, Graduali, Tractu, & Sequentiis.

1. POſtquam Epiſcopus, dicto *Pax vobis*, vel Sacerdos *Dominus vobiſcum*, populum ſalutaverit in ſignum mutuæ communionis & pacis, qua Fideles invicem in Fide & Charitate Chriſti conjunguntur, aſtantes excitat ut Deum deprecentur dicens *Oremus*; deinde recitat Orationes, quæ in Miſſali Mozarabico & in veteribus Sacramentariis a Venerabili Cardinali Thomaſio editis vocantur *Collectio*, & frequentius *Collectæ*. Collectæ nomen plures habet ſignificatus. In Ep. 1. ad Corinth. cap. 16. eleemoſynas ſignificat, quæ ſuſtentandis pauperibus a Fidelium cœtu colligebantur: *De Collectis, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite, ut non cum venero tunc Collectæ fiant.* Apud Eccleſiaſticos Scriptores *Collecta* ſignificat cœtum Fidelium in unum locum convenientium ad orandum; quo ſenſu ſunt eæ loquendi formæ, *Collectas agere, congregari ad Collectam, adeſſe ad Collectam.* Oratio denique, quæ in Miſſa dicitur, *Collecta* etiam appellatur, vel quia Sacerdos, qui veluti mediator eſt inter Deum & homines, vota omnium colligit; vel quia brevis eſt Oratio, quam Sacerdos recitat ſuper populum congregatum, vel quia omnes collectis in ſe animis cogitationes & affectus ſuos ad Deum elevant. Videatur Claudius Eſpencæus tractatu de Collectis Eccleſiaſticis.

Orationes apud Eccleſiaſticos Scriptores dicuntur collectæ. Quid ſit Collectas agere, congregari ad Collectam, adeſſe ad Collectam.

2. Collectæ vis & natura ad Apoſtolicam traditionem eſt referenda; nam apud Juſtinum ſecunda Apologia, & Tertullianum in Apologetico cap. 39. apparet veteres Chriſtianos convenire in unum locum conſueviſſe, ut Dominum adorarent, eique ſacrificium offerrent. Collectas, quibus nunc in Miſſis utimur, compoſuit aut S. Gelaſius, aut S. Gregorius; ſunt tamen inter eas quædam poſterioris ævi. Leoni IV. ea tribuitur oratio *Deus, cujus dextera Beatum Petrum*, qui eam compoſuiſſe dicitur Neapolitanis pro defenſione Eccleſiæ dimicantibus navali prælio cum Saracenis. Idem Pontifex compoſuit & illam, *Deus, qui Beato Petro collatis clavibus*, cum, condita Civitate Leonina, ad ejus portas feras apponeret, quod teſtatur Durandus lib. 7. cap. 15. & Innocentius III. auctor fuit Orationis, *A cunctis.*

Collectas compoſuit S. Gelaſius, vel S. Gregorius. Recenſentur plures Orationes a pluribus Romanis Pontificibus compoſitæ.

3. Idem Durandus teſtatur, in Lateranenſi quondam Eccleſia nullam earum Orationum, quæ in aliis dicerentur Eccleſiis, ſed in earum locum ſolummodo *Pater noſter* recitari conſueviſſe, quæ prima eſt Oratio nobis in novo Teſtamento propoſita. Una tantum olim in hac Miſſæ parte Collecta ſeu Oratio dicebatur, ut oſtendit Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 6. lin. 17. Sanctum quondam Columbanum accuſavit Agreſtinus, quod contra Eccleſiæ morem plures in Miſſa Orationes recitaret; quem egregie defendit Euſtaſius ejus diſcipulus, qui, ut narrat Jonas in ipſius Euſtaſii vita, docet, Deum, quo ſæpius quæritur, eo citius inveniri; nihilque magis eſſe ſalutare & utile, quam multiplicitatem precum & aſſiduitatem orationis. Ne tamen Collectarum numerus ultra quam æquum eſſet augeretur, definitum eſt, ut non plures quam ſeptem recitentur, ut poſt Belethum & Durandum obſervavit Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 3. n. 11. qui ſeptem Collectarum numerum prætergrediatur, eum errare dicit Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 116. *Qui hunc numerum ſupergreſſus fuerit, ut cæcus errabit;* & Macrus vocabular. Eccleſiaſt. verbo *Collecta* poſt Innocentium III. docet Collectarum numerum imparem eſſe ſemper oportere, ut præſcribunt Rubricæ; Eccleſia enim unitatem & conjunctionem vehementer deſiderat, quæ per imparem numerum exprimitur, qui cum in æquas partes ſecari non poſſit, integritatem ſuam tuetur. In Romana, & in quibuſdam aliis Eccleſiis recitata Collecta, aliæ quædam olim Orationes in ſolemnioribus feſtivitatibus dicebantur pro ſummo Pontifice, pro Imperatore, Rege, & Epiſcopo, quæ Orationes *Laudes* tum vocabantur. In libro Pontificali in Vita Hadriani I. locus eſt, qui ad hujuſmodi conſuetudinem referri poſſe videtur: *Alia vero die ſecunda Feria ſimili modo in Eccleſia B. Petri more ſolito ipſe conſpicuus Pater & egregius Pontifex Miſſarum ſolemnia celebrans, Deo omnipotenti, & præfato Carolo excellentiſſimo Regi Francorum & Patritio Romanorum laudes reddere fecit.* Harum formulas laudum vide apud Cardinalem Bona lib. 2. cap. 5. num. 8. apud Martene lib. 1. de antiquis Eccl. ritibus cap. 4. art. 3. num. 13. Mabillonium tom. 2. Muſei Italici, Pouget tom. 2. Inſtitut. Catholicar. pag. 833.

In Eccleſia Lateranenſi olim nulla Collecta, ſed Pater noſter recitabatur. Una tantum quondam Collecta, nunc plures dicuntur, quarum præfiniti numeri.

4. Interdum ex Rubricæ præſcripto poſt *Oremus* Sacerdos dicit *Flectamus genua*, & reſpondetur *Levate*. In Miſſis quæ cantantur, Diaconus olim *Flectamus genua*, idemque poſt aliquantum temporis dicebat *Levate*. Nunc vero Diaconus dicit *Flectamus genua*, & nulla mora injecta reſpondet Subdiaconus *Levate*. Alia enim conſuetudo invecta eſt: nam quondam ad *Flectamus genua* populus in genua procidebat, & aliquantiſper orabat; nunc vero neque genua flectit, nec orando immoratur; neque Diaconus ſubdit *Levate*, ſed poſtquam ipſe dixit *Flectamus genua*, ſtatim reſpondet Subdiaconus *Levate*, ut bene explicat Bona rerum Liturgicar. lib. 2. cap. 5.

De vetere ritu, & novitiſſimo cum dicitur Flectamus genua &c.

5. Oratio ſeu Collecta ad Patrem dirigitur, & deſinit *in obſervationem & obteſtationem per Chriſtum* ejus Filium, qui Mediator, & Redemptor noſter eſt. Idcirco autem ad æternum Patrem, non vero ad Trinitatem dirigitur, quia Dominus Jeſus ad illum modum orare nos docuit Matthæi cap. 6. *Pater noſter, qui es in Cælis*; & Joannis 6. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo.* In ea deſinit verba: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum*, tum quia *nullum aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, tum quod *unus mediator Dei & hominum Deus & homo Chriſtus Jeſus*, tum denique quod *per eum ſolum habemus acceſſum ad Patrem*, juxta id quod legitur in Actis Apoſtol. cap. 4. in epiſt. 1. ad Timotheum cap. 2. & epiſt. ad Romanos cap. 5. Quoniam vero ſi ad Trinitatem dirigeretur Oratio, & concluderetur *Per Filium tuum*, videri poſſemus putare nos Chriſtum Trinitatis eſſe Filium; aut ſi vox Filii

Cur ad Patrem dirigitur Collecta?

præterm itteretur, ac tantum diceretur, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, Chriſti Perſonæ dividi viderentur, quarum una in Trinitate, quam invocamus, contineretur, altera ſecluſa, per quam invocaremus Trinitatem; idcirco ad unam tantum Perſonam Oratio dirigitur, omniaque in hunc modum incommoda ſummoventur. Cum autem prima ſit Perſona Patris, aliæ autem ab ea procedant, optimum viſum eſt, ut cum ad unam Perſonam dirigenda ſit Oratio, ad Perſonam Patris dirigatur juxta Carthaginenſe Concilium tertium cap. 13.

6. Neque vero Oratione directa ad Patrem, ceteræ inde Perſonæ Filius & Spiritus Sanctus excluduntur; monet enim Tertullianus libro de Oratione, propter Eſſentiæ unitatem in Patre Filium & Spiritum Sanctum intelligi; cumque in fine Collectæ Filius & Spiritus Sanctus vivere cum Patre & per omnia ſæcula ſæculorum regnare dicantur, ſatis declaratur nos cum Patre Filium etiam & Spiritum Sanctum invocare. Vide Bellarmin. controverſ. tom. 3. lib. 5. de Miſſa cap. 16. §. *De Collecta*. De illa Collectarum ſeu Orationum clauſula *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum* loquuntur Tertullianus & Optatus Milevitanus, quorum alter in Apologetico cap. 21. *Dicimus*, inquit, *& palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati & cruentati vociferamur, Deum colimus per Chriſtum; per eum & in eo ſe cognoſci vult Deus & coli*; alter autem lib. 3. ſcribit. *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante Aram rogaverit*. Ex quo intelligitur, eam clauſulam ab Apoſtolis eſſe derivatam, eamque Apoſtolos a Chriſto Domino accepiſſe. Modo diximus, dirigi orationem ad Patrem; Miſſa enim repræſentatio quædam eſt illius oblationis, qua Chriſtus ſeſe obtulit Patri. Non tamen eam ſemper, ſed plerumque dirigi intelligendum eſt: quædam enim Collectæ, quæ tamen perpaucæ ſunt & recentes, diriguntur ad Filium cum clauſula, *Qui vivis, & regnas* &c. *Sunt tamen* (inquit Bellarminus loc.cit.) *quædam Collectæ, quæ diriguntur ad Filium, & concluduntur, Qui vivis & regnas* &c. *Sed ea paucæ ſunt, & fortaſſe non tam antiquæ, quam aliæ*. Addit ideo fortaſſe has Collectas eſſe compoſitas, ne cui fortaſſe in mentem caderet, non aliam quam Perſonam Patris poſſe invocari: *Fortaſſe dedita opera voluit Eccleſia aliquas Collectas dirigi ad Filium, ne homines crederent, non poſſe diſertis verbis invocari niſi Patrem*. Et Cardinalis Bona loco cit. num. 5. hæc ſcribit: *Ad ſolum igitur Patrem omnes fere Collectæ directæ ſunt, paucæ ad Filium, nulla ad Spiritum Sanctum: non quia is donum eſt, & a dono donum non petitur, ut nonnulli cum Durando in ſuo Rationali philoſophantur; ſed quia Miſſa repræſentatio eſt ejus oblationis, qua Chriſtus ſe Patri obtulit, ac propterea ad ipſum Patrem Liturgicæ precationes diriguntur*.

Nonnulla etiam ad Filium: & quamobrem.

7. Poſt Collectam Miniſter populi nomine reſpondet *Amen*, de cujus vocis uſu poſt Orationem loquitur Apoſtolus 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 14. *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo reſpondebit Amen?* De eadem voce ejuſque uſu in fine Orationum loquuntur Juſtinus Martyr, & Hieronimus. Juſtinus Martyr. Apologia ſecunda: *Abſolutis*, inquit, *precibus, & gratiarum actione, quilibet de populo, qui adeſt, fauſtis vocibus acclamat, Amen*. Hieronymus lib. 2. in Epiſt. ad Galatas narrat, in omnibus Romæ templis auditam populi vocem clamantis *Amen*. Hæc vox hebraica eſt, & interdum eſt affimantis, quandoque eſt deſiderantis, aliquando etiam eſt aſſentientis. Cum poſt aliquod Fidei dogma adhibetur, exempli cauſa poſt Symbolum *Credo in Deum* &c. tunc rem ita eſſe affirmat. Si vero poſt aliquam Orationem, qua alicui opem a Deo imploramus, puta cum Sacerdos orat pro alicujus peccatoris converſione, tunc deſiderium ſignificat conſequendi finis, in quem intendit Oratio. Denique ſi Sacerdotis Oratio rem aliquam reſpicit, quam noſtrum eſt exequi & perficere, ut cum Sacerdos orat ut laudes Deo conferantur, & illi ut æquum eſt gratiæ agantur, tum vox *Amen* noſtrum conſenſum ſignificat; idemque eſt ejus vocis ſignificatus in fine Orationis Dominicalis; in qua cum Deum deprecamur, nobis ut debita noſtra dimittat, quemadmodum nos dimittimus debitoribus noſtris, *Amen* ſignificat, nos cupere veniam nobis a Deo dari injuriarum, quas illi fecimus, quemadmodum nos itidem ei remittimus, a quo in nos injuriæ ortæ ſunt.

De voce Amen. Plures ejus ſignificationes.

8. Ad eam Miſſæ partem, de qua nunc agimus, pertinent Epiſtola, Reſponſorium, Graduale, Alleluja, Tractus, Sequentia, ſeu Proſa: & D. Thomas 3. part. quæſt. 83. art. 4. ait, ad Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt myſterium Fidei, populum diſponi *per doctrinam Prophetarum, & Apoſtolorum*, quæ legitur in Epiſtola; qua lecta in Choro cani Graduale, quod ſignificat *profectum vitæ*; cani itidem *Alleluja*, quæ vox indicat ſpiritualem *exultationem*, aut cani Tractum *in Officiis luctuoſis*, qui ſignificat ſpiritualem gemitum: *Hæc enim omnia* (ſubjicit S. Doctor) *conſequi debent in populo ex prædicta doctrina*.

De Epiſtola, Reſponſorio, Graduali, Alleluja, Tractu &c.

9. In vetuſtis Codicibus Epiſtola dicitur Lectio *ex Apoſtolo*, quæ etſi interdum ex aliis quoque veteris novique Teſtamenti libris, plerumque tamen ex Epiſtolis D. Pauli deſumitur; atque inde Lectioni poſt Collectam *Epiſtolæ* nomen eſt inditum. Judæi die Sabbati a lectione librorum Moyſis & Prophetarum conventuum ſuorum ſumebant exordium, ut colligitur ex cap. 12. & 15. Actuum Apoſtolorum. In novo Teſtamento S. Paulus epiſt. 1. ad Corinthios cap. 14. *Cum convenieritis*, inquit, *unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet*; quo in loco quidam intelligunt Pſalmos & Lectiones ante Sacrificium. Luculentior eſt locus ad Coloſſenſes cap. 4. *Cum lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*; & 1. epiſt. ad Theſſalonicen. in fine ait Apoſtolus: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus*. Quibus in locis etſi diſerte non dicat Apoſtolus, ut earum Epiſtolarum lectio fiat in Miſſa, veriſimile tamen fit, tempore Miſſæ lectas eſſe eas Epiſtolas; nullos enim alios conventus novimus Chriſtianorum, quam qui ad ſacram Synaxim agebantur. Quamobrem ſtatui poſſe videtur, Divinarum Scripturarum & Epiſtolæ lectionem in Miſſa ab Apoſtolis eſſe introductam; quod monuere etiam Cardinalis Bona lib. 2. cap. 6 num. 1. Bellotte in ſuis obſervationibus pag. 396. Grancolas Tractatu Miſſæ pag. 36. & de antiquis Liturgiis pag. 504. Le Brun. tom. 1. pag. 202. Torres Inſtruct. Sacerdot. de Sacrificii Oblatione pag. 95. num. 67.

Cur quod legitur poſt Collectas appelletur Epiſtolæ. Lectio S. Scripturæ in Miſſa eſt e traditione Apoſtolica.

10. Primis Eccleſiæ ſæculis non Prophetarum modo & Apoſtolorum ſcripta, ſed interdum Epiſcoporum etiam ſummorumque Pontificum Litteræ in Eccleſia legi conſueverant, præſertim quæ *Pacificæ*, ſeu *Communicatoriæ* dicebantur; quarum commercio inter Romanum Pontificem cæteroſque Epiſcopos pax & unitas ſervabatur, & quis orthodoxus, quis hæreticus eſſet omnibus palam erat. Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 16. loquens

Primis Eccleſiæ ſæculis legebantur Epiſtolæ Epiſcoporum & ſummorum Pontificum.

quens de Epistola Clementis Papæ ad Corinthios testatur, eam in multis Ecclesiis legi consuevisse. De qua disciplina videatur Martene de antiquis Eccl. Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 4. n. 2. Card. Bona cit. cap. 6. n. 2. & Franciscus Bencinus in præclaro Opere de Litteris Encyclicis.

Series Epistolarum & Evangeliorum per totum annum digesta a D. Hieronymo. In Ambrosiano vitiosa duæ lectiones, altera ex veteri, ex novo Testamento altera.

11. Series & ordo Epistolarum & Evangeliorum, quæ totius anni cursu leguntur in Missa, vulgo D. Hieronymo tribuitur, qui librum composuit appellavitque *Comitem*, quem typis edidit Pamelius in voluminibus de Rebus Liturgicis. In Missalibus Ambrosiano & Mozarabo duæ leguntur Lectiones ante Evangelium, quarum altera e veteri, altera e novo Testamento desumta est. Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 3. nu. 10. Gregorii Turonensis auctoritate probat, tres in Gallia Lectiones legi consuevisse, primam ex Prophetis, alteram ex Apostolo, tertiam ex Evangelistis. Una tantum Lectio plerumque legitur juxta præsentem disciplinam, quibusdam diebus exceptis, quibus plures leguntur. Lectio autem in eum finem instituta est, ut Christianus populus erudiatur, & per eam ad Sacrificium præparetur. *Præmittitur instructio Fidelis populi, quia hoc Sacramentum est mysterium Fidei, ut supra habitum est: quæ quidem instructio dispositive quidem fit per doctrinam Prophetarum & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores & Subdiaconos*; verba sunt S. Thomæ loco superius citato art. 4. Qui vero mystice tractant de Missæ Sacrificio, docent ideo ante Evangelium Epistolam legi, non quod huic illud dignitate præstet, sed quod Apostoli præibant Christo, qui eos mittebat binos ante faciem suam. Et Innocentius Tertius lib. 2. Mysteriorum Missæ cap. 29. ait, Epistolam ante Evangelium legi, ut significetur munus Præcursoris Christi, qui venit parare vias ejus.

Epistolam seculo 8. cantare cœpit Subdiaconus. In veteri Ordine Subdiaconi nihil reperitur de lectione Epistolæ.

12. In Missis privatis Epistola a Sacerdote legitur; in Cantatis a Subdiacono cantatur interea dum a Sacerdote legitur submissa voce, quæ tamen disciplina non eadem semper fuit. In veteri Ordinatione Subdiaconi nihil invenitur, quod ad Lectionem Epistolæ quoquo modo referri possit, ut apertissime ostendunt Hallier de materia & forma Ordinationis §. 16. n. 46. Morinus de sacris Ordinationibus par. 3. exercitat. 12. cap. 2. Id munus erat Lectorum. Sane Amalarius, qui 9. vixit sæculo, lib. 2. cap. 11. miratur tam sæpe a Subdiacono in Missa Epistolam legi: *Miror qua de re sumtus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime legat Lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in Conseeratione commissum, neque ex litteris Canonicis, neque ex nomine suo*. Idem mirari se ait Micrologus. Et Durandus Scriptor sæculi 13. lib. 2. Ration. cap. 8. anxie quærit quamobrem Epistolam legat Subdiaconus: *Quare Subdiaconus legit Lectionem ad Missam, cum non reperiatur hoc sibi competere vel ex eo nomine, vel ex ministerio sibi concesso?* Martene loco citato nu. 6. Subdiaconos putat in Ecclesiis legere cœpisse Epistolam sæculo 8. Nunc vero in Ordinatione Subdiaconi cum Episcopus dicat: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei*, jam firmum & definitum esse apparet, in Missa solemni munus esse Subdiaconi Lectionem canere; quam, si absit Subdiaconus, quivis potest canere Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, non tamen adhibito Manipulo juxta Sac. Rituum Congregationis Rescripta, quæ indicat Meratus tom. 1. par. 1. pag. 202. In Missis solemnibus, ut modo dixi, Sacerdos, qui Missam celebrat, submissa voce Epistolam legit. Vertus autem more negat suo tom. 4. pag. 131. Rubricam, quæ præscribat, ut Sacerdos submissa voce Epistolam, Graduale, & Evangelium legat, reperiri aut in Missali S. Pii V. anno 1570. edito, aut in eo quod typis vulgatum fuit sub Clemente Octavo anno 1604. qua in re vel deceptus ipse fuit, vel alios voluit decipere, ut ostendit Le Brun tom. 1. pag. 201.

Vetustissima formula, Deo gratias, probatur ex D. Augustino & D. Benedicto.

13. Lecta Epistola, in Missis privatis Minister, & Chorus in Missis solemnibus respondet, *Deo gratias*; quam vocem vetustissimam esse inde ostenditur, quod S. Benedictus cap. 66. Regulæ suæ eam commemorat tanquam a suis Monachis sæpe adhibitam; & S. Augustinus exprobrat Donatistis, quod illam Catholicorum vocem irriderent, *Deo gratias*.

Gradualis Etymon a gradibus sive Altaris, super quibus canebatur, sive suggestus, quo ascendebat Diaconus lecturus Evangelium, cum interea canebatur Graduale. Dicitur etiam Responsorium.

14. De Gradualis Etymologia, seu Antiphonæ, quæ post Epistolam dicitur, aliæ aliorum sunt opiniones. Quidam putant, eam Antiphonam ex eo Graduale esse appellatam, quod in Altaris gradibus caneretur: *Graduale a gradibus dicitur, quia in gradibus canitur*: Verba sunt Honorii Augustodunensis in Gemma Animæ lib. 1. cap. 96. Alii vero considerantes, Evangelium a Diacono in Suggestu, qui *Ambon* appellatur, cani consuevisse; ideo Graduale dictum putant, quod caneretur, cum Diaconus gradus conscenderet Suggestus, ubi dicturus erat Evangelium; moremque canendi Graduale ideo introductum, ne tempus, quo Diaconus recedens ab Altari in Ambonem ascendebat, sine aliquo cantu laberetur. Ita Beatus Rhenanus in Notis ad Tertullianum de Corona Militis; & cum eo consentit Ven. Card. Bellarminus tom. 3. controvers. lib. 6. de Missa cap. 16. tit. de Graduali. Responsorium etiam hæc vocatur Antiphona, vel quia Lectioni convenire & quodammodo respondere debet; vel quod cantaretur alternis, ut altera Chori pars alteri responderet, ut innuit Rabanus l. 1. cap. 33.

Gradualis auctor vel S. Cælestinus, vel S. Gregorius.

15. Gradualis quidam S. Cælestinum, quidam S. Gregorium auctorem fuisse existimant. Locus est in libro Pontificali in vita Cælestini I. *Constituit Graduale post Officium ad Missam* (sive, ut alii legunt) *ad Missas cantari*. S. Gregorium omnia quæ in Missis canenda sunt ordinasse, compertum est. Ven. Cardinalis Thomasius Præfat. ad veteres Missarum libros pag. 21. usque ad pag. 29. & in Præfatione ad librum, cui titulus *Responsorialia & Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ*, pag. 4. magna doctrina & eruditionis copia scripsit de Graduali, quem propterea merito magnis effert laudibus Le Brun. tom. 1. pag. 205. sed magnam difficultatem creat Canon 12. Toletani Concilii IV. anno 633. habiti sub Honorio Papa. Etsi enim S. Gregorius Responsorium post Epistolam dici jussit, tamen canone illo diserte præscribitur, post Epistolam, nullo Responsorio interjecto, ut legatur Evangelium. Sed hanc difficultatem solvit Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 6. n. 4. eo enim tempore conditum esse canonem illum observat, cum in Hispania Mozarabus Ritus vigeret, juxta quem post primam lectionem ex veteri Testamento dicebatur Responsorium, deinde legebatur Epistola, ad cujus finem respondente Choro *Amen*, statim canebatur Evangelium; quamobrem Patres in eo Concilio, S. Isidoro Hispalensi Præsidente, convocati Ritum, quo per id tempus utebantur, retineri voluerunt.

Canon 12. Concilii Toletani 4. explicatur.

Alleluja quid significet.

16. Alleluja, quæ dicitur post Graduale, Hebraica vox est, & significat *Laudate Dominum*. Ejus vocis auctorem fuisse David Regem e Psalmis colligitur, ut notat Cassiodorus in Psalm. 104. *Hoc verbi decus a præsenti Psalmo fecit initium, nec ante a quoquam reperitur positum, quamvis multi*

Scriptores fuerint primitus Hebræorum. Ea vox eſt etiam Tobiæ cap. 13. nec uſquam alibi reperitur in veteri Teſtamento. In nova autem Lege S. Joannes in Apocalypſis cap. 29. narrat, ſe audiviſſe choros Angelorum in Cælo canentium Alleluja, unde licet conjicere, pulcherrimum illud Canticum e Cælo in Eccleſiam deductum. Sozomenus Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 7. cap. 19. tradit, Romæ quondam ſemel in anno in die Paſchæ cantari conſueviſſe Alleluja: ſed Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 5. Aprilis plurimis Hieronymi allatis teſtimoniis Sozomenum refellit, idemque repetit in annalibus ad ann. Chr. 384. n. 23. Valeſius in Sozomenum lib. 7. cap. 19. Scriptorem illum adverſus Baronium defendit: *Reprehendit Baronius &c. Verum argumenta, quibus id probare nititur, parum firma mihi videntur. Proinde auctoritatem Sozomeni hic ſequi malim, maxime cum Caſſiodorus ejus verba retulerit in Hiſtoria tripartita. Qui profecto id nunquam feciſſet, niſi hunc morem vetuſtum ſciviſſet Eccleſiæ Romanæ, ut in ea ſemel tantum Alleluja caneretur, die ſcilicet Paſchæ*. Et Ven. Cardinalis Thomaſius præfat. ad veteres Miſſarum libros utramque ſententiam nititur ita componere, ut in die Paſchæ publico caneretur Ritu Alleluja, cæteris vero diebus *ad libitum* eam quiſque vocem uſurparet, ut innuit Hieronymus.

Sozomenus a Baronio reprehenſus de uſu Alleluja in Romana Eccleſia.

Card. Thomaſius utrumq; componit.

15. In tomo de geſtis D. N. J. C. cum de Sabbato Sancto egimus verſus finem, polliciti ſumus nos in hoc loco de Alleluja quidpiam amplius ſcripturos. S. Iſidorus de Originibus lib. 6. cap. de Officiis ait, duas voces *Amen* & *Alleluja* in alias linguas propter earum ſanctitatem non eſſe converſas: *Tanto enim ſacra ſunt nomina, ut etiam Joannes in Apocalypſi referat, ſe ſpiritu revelante vidiſſe, & audiviſſe vocem aquarum multarum, & tonitruum validorum dicentium Amen, & Alleluja: ac per hoc ſic oportet in terris utrumque dici, ſicut in Cælo reſonant*. In eodem loco D. Hieronymi auctoritatem produximus, qui teſtatur etiam in exequiis Chriſtianorum Alleluja cani conſueviſſe. Nunc ex eodem Hieronymo huc afferimus illud, quod in cunis inſtruebantur pueri, ut Alleluja, utcumque poſſent, pronunciarent; ſic enim ſcribit in Epitaphio Paulæ: *Audierat* (Paula nepotem ſuam) *in cunis & crepitaculis balbutiente lingua Alleluja cantare*. Aratores etiam devotionis gratia cantare Alleluja ſcripſit in Epiſtola ad Marcellam, quam Bethlehemum ut ſe conferat, hortatur: *In Chriſti villa tota ruſticitas eſt. Extra Pſalmos ſilentium eſt. Quocumque te verteris, arator ſtivam tenens Alleluja decantat*.

Uſus ejus vocis in exequiis Chriſtianorum ex Hieronymo.

16. Quidam e Scriptura verſiculi, qui poſt Epiſtolam recitantur, appellantur *Tractus*; cujus etymologia vocis eſt a *trahendo*; nam *tractim & cum aſperitate vocum & prolixitate verborum canitur*; ut videre eſt apud Durandum, Bellarminum loc. cit. Gavantum, Card. Bona ubi ſupra n. 5. & Tournely tom. 2. de Sacram. Euchar. pag. 423.

Tractus. Ejus Etymon.

17. Denique *Sequentia* Rhythmus eſt, qui poſt Epiſtolam canitur, & appellatur *Jubilatio*, atque etiam *Proſa*, quod in ea nulla carminis lex aut menſura ſervetur. Sequentiæ autem nomen illi inditum, quia Graduale conſequitur. In libro, qui Alcuino tribuitur *de Divinis Officiis*, hæc habentur: *Sequitur Jubilatio, quam Sequentiam vocant*; & Udalricus in conſuetudinibus Cluniacenſibus lib. 1. cap. 11. *Proſa*, inquit, *quam alii Sequentiam vocant, non cantatur, niſi in quinque Feſtis principalibus*. Hæc ut cantaretur Sequentia ſeu Proſa, auctor fuiſſe dicitur B. Notkerus Abbas S. Galli; & quaſdam a ſe compoſitas miſiſſe ad ſummum Pontificem.

De Sequentiis.

18. Quatuor Sequentiis utitur Romana Eccleſia; quarum prima eſt *Victimæ Paſchali* in die Paſchæ: eam Durandus lib. 4. c. 22. tradit compoſitam ſæculo 11. a Roberto Francorum Rege: ſecunda eſt *Veni Sancte Spiritus* in die Pentecoſtes, cujus B. Hermannus Contractus ſæculo item 11. auctor fuiſſe creditur: tertia eſt *Lauda Sion* in Feſto Corporis Chriſti, quæ D. Thomæ Aquinati tribuitur: quarta denique eſt *Dies ire dies illa* in Miſſis Mortuorum, quam ſcripſiſſe exiſtimatur Latinus Cardinalis Urſinus ſeu Frangipanis Ordinis Prædicatorum, qui mortuus eſt anno 1294. Videantur Le Brun tom. 1. pag. 210. & Macrus in Vocabul. verbo *Proſa*; qui nullam mentionem faciunt Sequentiæ, *Lauda Sion Salvatoris Jeſu nomen & amoris*, quæ in Feſto nominis Jeſu dicitur; peculiaris eſt enim ea Sequentia Fratrum Minorum, ut obſervat Meratus tom. 1. par. 2. pag. 867. De Sequentia ſeu Proſa agit Perimezzius diſſert. 2. pag. 57. hujuſque ritus auctorem fuiſſe putat B. Notkerum, qui integrum volumen ejuſmodi Proſarum a ſe compoſitum Lituardo Vercellenſi Epiſcopo dedicavit, teſte Echerardo Monacho in ejus vita cap. 16.

Quatuor Sequentias adhibet Romana Eccleſia. Qui earum auctores fuerint.

19. Neque tamen in omni Miſſa, quæ vel privata ſit, vel cantetur, dicuntur Graduale, Alleluja, Tractus, & Sequentia. Graduale, quod doloris laboriſque ſignum ſit, tempore Paſchali omittitur, cum lætitiæ tempus illud ſit, ut obſervat Gavantus. A Septuageſima ad Sabbatum Sanctum prætermittitur Alleluja, in Miſſis etiam de Feria per Adventum & in Vigiliis, in quibus jejunium indictum eſt, ut præſcribunt Rubricæ Miſſalis Romani. Duo tamen ſabbata excipias, quorum alterum Paſchatis, alterum Pentecoſtes Pervigilium eſt: horum enim dierum Miſſæ per noctem olim celebrabantur, ut ex ipſis, quas legimus, Collectis intelligitur; eædemque illorum dierum Miſſæ quondam erant ipſarum Feſtivitatum Miſſæ, non vigiliarum. Vide Bellotte in Obſervationib. ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis pag. 407. n. 10. duobuſque ſeq. Lutherus e Miſſa non explodit Alleluja, ſed eam dici vellet etiam per Quadrageſimam & in Majori Hebdomada, cujus temeritatem & audaciam retundit Bellarminus loc. cit. Qui rationes ſcire cupit, quamobrem per id tempus omittatur Alleluja, Theophilum Raynaudum adeat, tom. 2. in tractatu de Attributis Chriſti pag. 129. & ſeq. Sapienter monet Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus tractatu de veteris Eccleſiæ Politia in Euchariſtiæ adminiſtratione lib. 2. cap. 13. inter Paſcha & Pentecoſten cani Alleluja ad ſpem Chriſtianorum ſolemniter celebrandam, & ad oſtendendum, nos aliquando ad vitam redituros, quemadmodum Chriſtus revixit, ac denique in omne ævum ab omnibus laboribus vacuos Canticum æternæ vitæ, quod eſt Alleluja, ſeu Dei laudem cantaturos: contra vero per Quadrageſimam, quod eſt triſtitiæ tempus, omitti, ſeu verius quod temporariam hanc vitam exprimat noſtram, cum Beatorum Alleluja canere nobis non licet. Denique in Feſto SS. Innocentium Alleluja omittitur, quod Eccleſiam miſerarum matrum commiſereſcat, quæ ante ora ſua lactentes filios viderint trucidari, ut bene advertit Amalarius de Eccleſiaſticis Officiis lib. 1. cap. 41. In hac vero die Eccleſiam jure conqueri animadvertit Hugo de Sancto Victore de Officiis Eccleſiaſticis cap. 8. quod miſerorum animas puerorum ſciat non in Paradiſum continuo convolaſſe: *In die hac a vocibus lætitiæ abſtinemus, quia Innocentium animæ*

Quo tempore pro Tractu in Miſſa dicatur Alleluja.

ad

ad Inferos descenderunt, sicut & omnium, qui ante Passionem Christi obierunt. Ex quo factum est, ut in ejus Festivitatis Octava dicamus Alleluja, itidemque in ipsa Festivitate, si in Dominicam incidat: *Si illorum Festivitas in Dominica venerit, omnia de illis ut de aliis Sanctis agimus, quia in Resurrectione Domini eos Sanctis associatos credimus. In Octava quoque illorum Alleluja, & alia canimus, quia facta Christi Resurrectione, eos in gaudio receptos scimus:* Verba sunt Honorii in Gemma Animæ lib. 3. cap. 14.

Tractus dicitur a Septuagesima ad diem Paschæ.

20. A Septuagesima ad diem Paschæ pro Alleluja dicitur Tractus, ut scribit Rupertus Abbas lib. 5. de Divinis Officiis cap. 14. *Quod autem Tractus lugentium sit, magisque luctui congruat, quam Graduale, quod est pœnitentium lamentum illud comprobat, quod non cum Alleluja ut Graduale, sed pro Alleluja canitur his diebus, quibus mortem, quæ subintravit in mundum per invidiam Diaboli, ideſt a Septuagesima usque ad Pascha, lugemus.* Sequentiis vero sua cuique constituta dies est, qua debent recitari. De Graduali, Alleluja, & Tractu qui ulteriorem videre desideret tractationem, legat Titelmannum cap. 21. 22. & 23.

CAPUT VI.

De reliquis actionibus, quæ fiunt a Sacerdote in hac Missæ parte.

1. AD absolutam hujus partis Missæ explicationem reliquum est actiones prosequi, quæ fiunt a Sacerdote; quarum præcipuæ sunt Altaris osculum; ad cornu Epistolæ se conferre; signo Crucis se signare; caput ad Crucem sæpe inclinare; caput itidem, verba quædam proferendo, inclinare, non tamen ad Crucem conversum; in medio Altaris recitare *Kyrie eleison*, & *Gloria in Excelsis:* ad cornu Epistolæ redire; manus usque ad humeros, Orationes seu Collectas recitando, sublatas tenere.

Olim Sacerdos ubi voluisset, vel in medio Altaris, vel in cornu Epistolæ potest dicere Gloria in Excelsis.

2. Atque hæ sunt actiones præcipuæ, quas singillatim videas in rubricis Missalis, & apud earum Commentatores. De osculo Altaris, & de signo Crucis superius loquuti, reliqua persequemur. Primum igitur monendum, olim Sacerdotem arbitratu suo dicere potuisse *Gloria in Excelsis* vel in medio Altari, vel in cornu Epistolæ, quod nunc faciunt Carthusiani & Fratres Prædicatores. Hoc vero tempore hymnus ille in medio Altari dicendus est juxta ritum Romanum, qui a sæculo usque 13. invaluit: nam Durandus Ration. lib. 4. cap. 13. *illum*, inquit, *inchoando stat ante medium Altaris*, hymnum intelligit *Gloria in Excelsis*: idque optimo consilio constitutum est; nihil enim est, cur Sacerdos ad Missale retineatur, ideoque convenientius est stare illum in medio Altari in conspectu Crucis.

Kyrie eleison, & Dominus vobiscum quondam dicebantur in cornu Epistolæ.

3. Secundo, *Dominus vobiscum* post *Kyrie* vel *Gloria in Excelsis* olim non in medio Altari dicebatur, nec a medio Altari Sacerdos se ad populum salutandum convertebat, sed ut nunc fit a Carthusianis, Carmelitis, & Prædicatoribus Fratribus, dicebatur *Dominus vobiscum* ad cornu Epistolæ. Jam vero quingenti sunt anni eoque paullo amplius, cum a medio Altari Sacerdos ad populum conversus dicit *Dominus vobiscum*. Vide Le Brun tom. 1. pag. 175. & pag. 189.

Septies dicit Sacerdos Dominus vobiscum, quoties ad populum, ter vero non item.

4. Tertio, septies *Dominus vobiscum* dicitur in Missa, ut septem explosis capitalibus vitiis populus septiformem a Deo gratiam consequatur, ut notat Innocentius Tertius lib. 2. cap. 24. Ter vero se ad populum Sacerdos non convertit; primo post *Confiteor*, utpote qui totus sit in anima sua exipianda; secundo ante Euangelium, qui verbo Dei annunciando intentus sit; tertio ad Præfationem, cum sublatum ad Deum animum proximoque sacrificio defixum habeat, ut animadvertit Gavantus.

Veteres passis sublatisque brachiis orabant. Sacerdos ad Altare nunc oras manibus ad humeros elevatis.

5. Quarto ad humeros elevatas manus tenet, qui est usitatus orandi modus tum in veteri, tum in novo Testamento. In veteri Testamento cecinit David: *Dum extollo manus meas ad Templum sanctum tuum. In nomine tuo levabo manus meas. Expandi manus meas ad te.* Et in novo D. Paulus ad Timotheum: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco levantes puras manus.* Passis quondam sublatisque brachiis orabant, ut statum, quo Christus oravit in Cruce, imitarentur. Vide Bonarrotam in observationibus ad vetera quædam vasa vitrea pag. 120. & 121. Plures imagines in Romæ Cœmeteriis depictas Christianorum ad id exemplum orantium videas apud Bosium in Roma subterranea; atque eundem morem etiamnum Religiosi quidam Ordines retinent, cum in Missa Collectas recitant. Consultius vero existimavit Ecclesia, si ad eum modum, quo nunc utimur Collectæ recitarentur, ne veteri retenta consuetudine orandi passis extensisque brachiis, inconcinnis & ridiculis figuris aperiretur locus. Etiam Tertullianus lib. de Oratione cap. 13. morem improbat orandi elevatis incondite manibus: *Cum modestia & humilitate &c. ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis.* Et in quodam Diptycho domestici Musei Bonarrotæ SS. Silvestri, Gregorii & Flaviani cernuntur imagines, quorum primus orans depictus est, non ad veterem modum brachiis in Crucis formam expansis, sed ad recentiorem modum, quo Sacerdotes Missam celebrantes utuntur; quod quasi indicium est & principium extensionis brachiorum juxta veterem consuetudinem, ut idem Auctor observavit pag. 270.

Quid in quaque Altaris parte dicat Sacerdos. Ex necessitate amovendi Missale, illudque ad aliam Altaris partem transferendi ortum est quadam in cornu Epistolæ dicantur, quædam in cornu Evangelii.

6. Denique de itu & reditu ab una ad alteram Altaris partem, deque mora in medio ejusdem, notum cuilibet est, Introitum cum reliquis usque ad Euangelium in cornu Epistolæ recitari; & *Kyrie*, *Gloria in Excelsis*, & *Credo*, cæteraque omnia, quæ ad substantiam pertinent Sacrificii, in medio dici Altaris. Sacrificio peracto, Sacerdos redit ad cornu Epistolæ, ibique orationem recitat, quæ appellatur *Post Communio*; factaque ex medio Altaris super populum Benedictione, redit ad cornu Evangelii, ubi recitat initium Evangelii S. Joannis. Micrologus cap. 9. quod Sacerdos a cornu Epistolæ ad cornu transeat Evangelii, inde derivatum esse scribit, quod cum Offertorii tempore Fideles, ut infra docebimus, oblationes ad Altare soliti essent deferre, non licuisset Sacerdoti celebranti eas oblationes commode accipere, & legere Evangelium, nisi Missale a cornu Epistolæ amotum ad cornu Evangelii asportaretur: *Ad sinistrum vero cornu* (sinistram partem intelligit, non quæ Crucifixi, sed Sacerdotis manui respondet) *habent librum cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant, ut in dextera parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda Altaris Sacramenta.* Hanc Micrologi observationem pulcre illustrat Pouget Institut. Catholicar. tom. 2. pag. 828. ubi loquitur de Missa solemni, contenditque ejus ritum in Missam privatam esse illatum. Ac Sacerdos quidem, ut ipse putat, ad Altare non ascendebat nisi ad Sacrificium peragendum. Extra Altare epistolam a Subdiacono, Evangelium a Diacono audiebat; conscensis vero gradibus Altaris, ea quæ opus essent legebat, aut canebat posito Libro in Cornu Evangelii,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gelii, cui nullus alius esse poterat locus; nam in medio Altaris positus erat Calix, & Cornu Epistolæ Oblationibus Fidelium impediebatur. His præmissis, pergit Pouget, ut in Missis privatis secernerentur ea, quæ in Missis solemnibus leguntur extra Altare, ab iis quæ ad Altare recitantur, sic institutum esse, ut in cornu Epistolæ legerentur quæ in Missis solemnibus leguntur extra Altare, cætera vero omnia ut in solemnibus, ita & in privatis in medio Altari dicerentur. Quia vero in Missis solemnibus post Communionem pars Altaris ad cornu Epistolæ, summotis inde jam oblationibus, expedita esset, pars vero ad cornu Evangelii a Subdiacono occupatur, qui calicem tergit & componit ad Sacrarium deferendum, propterea Missale ad cornu Epistolæ refertur; atque inde idem ritus in Missas privatas est derivatus. Porro ulterius anxie quærere nihil est opus, cur non in cornu Epistolæ, sed in cornu Evangelii legatur initium Evangelii S. Joannis: nova enim ejus Evangelii additio est, ut suo loco dicemus, & in eadem parte Altaris decere visum est, ut secundum Evangelium legatur, ubi antea primum recitatum fuerat. Atque hoc naturale fundamentum est, cur modo in hoc, modo in illo Altaris loco in diversis Missæ partibus Sacerdos has vel illas preces dicat & orationes. Quanquam neque hic deest mysticus sensus; quidam enim dicunt, cornu Epistolæ Populum Hebræorum, qui primi vocati sunt ad Evangelium, cornu autem Evangelii Ethnicos significari, qui Evangelium ab Judæis aspernatum acceperunt; reditum vero ad cornu Epistolæ, futuram Hebræorum exprimere conversionem.

CAPUT VII.

De Evangelio.

De oratione, Munda cor meum.

1. Lecta Epistola iisque quæ eam consequuntur, Sacerdos ad medium Altare redit, ubi ut Evangelio legendo sese paret, recitat Orationem *Munda cor meum*, qua Deum deprecatur, ut cor & labia sibi purificet, quo digne sanctum annunciare possit Evangelium, quemadmodum labia Isaiæ calculo mundavit ignito. Sacræ enim paginæ tradunt, Isaiam vidisse Dominum in sublimi solio sedentem, quem Cherubim circumstabant, terram vero sub ejus pedibus; tum exclamasse labia sibi esse immunda; subinde quemdam ex iis Seraphim, qui coram Domino astabant, petram igne candentem forfice ex Altari sumtam ad ejus labia admovisse; atque ita significasse ejus expiata esse peccata.

De altera Oratione Jube Domine.

2. Quod spectat ad alteram Orationem *Jube Domine benedicere*, admonendus est Diaconus, qui Evangelium cantaturus a Sacerdote benedictionem petit, ne dicat *Jube Domine*, sed *Jube Domne benedicere*: contra vero in Missa privata Sacerdos non *Jube Domne*, sed dicat *Jube Domine benedicere*, quod etiam dicit in Missa solemni, cum submissa voce dicit *Munda cor meum*, antequam Diaconus Evangelium cantet.

Ratio cur Sacerdos dicat Jube Domine, & Diaconus Jube Domne.

3. Cujus rei apertissima ratio est: nam vox *Dominus* proprie Deo tantum convenit; *Domnus* vero, quæ trunca & deminuta vox est, tribuitur hominibus: *cælestem Dominum, terrestrem dicito Domnum*. Et in Litaniis summus Pontifex dicitur *Domnus Apostolicus*. Videantur Du Cange & Macrus in suis quisque Vocabulariis. Quamobrem Diaconus non a Deo, sed a Sacerdote benedictionem petens dicit, *Jube Domne benedicere*; Sacerdos vero, qui eam petit a Deo, dicit *Jube Domine* &c. Illud etiam discrimen est inter benedictionem quæ a Deo, & illam quæ ab homine petitur, quod a Deo gratias, quibus nobis opus est, postulamus; ab homine autem petimus, Deum ut pro nobis oret, qui super nos benedictionem suam effundat: locus est in Exodi cap. 12. *Abeuntes benedicite mihi*.

Evangelium olim legebant Lectores, ut etiamnum apud Græcos. Ob reverentiam Evangelii munus illud Diaconis demandatum.

4. Post eas Orationes Sacerdos ad dexteram Altaris partem se confert, quæ eadem est ut diximus, cum dextera Crucifixi, & ibi legit Evangelium, sive privatam celebret Missam, sive solemnem, in qua Evangelium cantat Diaconus; qui tamen mos non fuit antiquorum temporum; tunc enim Evangelium a Lectore legebatur, ut colligitur ex Epistolis 33. & 34. S. Cypriani, & ex Concilio Toletano I. cap. 2. Id vero munus Evangelii honorem Diaconis postea demandatum fuit: quamobrem Hieronymus Epistola ad Sabinianum, *Evangelium*, inquit, *Christi quasi Diaconus lectitabas*; & S. Bonifacius Episcopus Moguntinus Epistola ad Zachariam Pontificem conqueritur, quosdam Diaconos, quamvis plures concubinas haberent, tamen Evangelium legere. Græci etiamnum vetustum retinent morem, ut Evangelium publice legatur a Lectoribus, teste Smithio Epistola de præsenti Ecclesiæ Græcæ statu pag. 145.

Evangelii Lectio in Missa est ex Apostolica traditione.

5. Evangelium in Ecclesiæ primordiis legi cœptum est, si fidem, ut æquum est, habeamus iis qui de Missa eruditione & doctrina clari viri scripserunt. Apostolus 2. ad Corinth. cap. 8. de Luca in suis itineribus sibi comite ait: *cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias*. Eusebius Histor. Eccl. lib. 2. cap. 15. narrat, Marcum Romanis flagitantibus suum scripsisse Evangelium: *Quod cum Petrus per revelationem S. Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto Institutionum libro, cui testis etiam accedit Papias Episcopus Hierapolitanus*. Et S. Justinus Apologia secunda testatur, Evangelii lectionem ex traditione Apostolica esse profectam: nec vero ulla Liturgia vetus est, quæ Evangelii lectionem non præcipiat, ut observavit Le Brun tom. 1. pag. 214. Ex Epistola Gregorii Magni ad Joannem Episcopum Syracusanum, ubi S. Pontifex ait, Apostolorum fuisse consuetudinem, ut, dicta solum Oratione Dominicali, Hostiam consecrarent, arguit Morinus in p. 3. exercit. 9. cap. 1. n. 12. per multos annos in Missa Evangelium lectum non fuisse. Verum Cardinalis Bona Rer. Liturgic. l. 2. cap. 7. pulcre S. Gregorii verba interpretatur, ut S. Pontifex tempus illud intelligere voluerit, cum Evangelium nondum erat litteris commendatum. *Id enim omnino de illis annis intelligi debet, cum Evangelium nondum erat scriptum: alioquin mendacii arguerentur Clemens & Papias Apostolorum sæculo proximi, qui, ut diximus, referente Eusebio testati sunt Evangelium Marci a Principe Apostolorum approbatum publice in Ecclesia lectum fuisse, quod de aliis quoque a Matthæo, Luca, & Joanne scriptis contigisse non dubito*; & Pater Lupus tom. 5. ad Concilia Generalia & Provincialia pag. 376. primæ editionis, postquam veteres primorum Patrum attulit auctoritates de Missa, in hæc verba concludit: *Item liquet, eos, qui a Dominicum Corpus consecrantibus Apostolis existimant fuisse adhibitam solam Dominicam Orationem, insigniter labi*.

Post Evangelium olim Minister dicebat: Deo gratias.

6. Post salutationem ad populum *Dominus vobiscum*, incipit Evangelium per verbum *Initium*, si principium legatur alicujus ex quatuor Evangeliis; aut per verba illa *Sequentia Sancti Evangelii*, si quod legendum est, sumtum sit e corpore quodammodo Evangelii. In diebus Majoris Hebdoma-

domadæ cum legitur hiſtoria Paſſionis Domini, unica tantum formula ſubjecto Religionis noſtræ accommodatiſſima nunciatur populo legi hiſtoriam de paſſione Chriſti Domini, *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Sacerdoti dicenti, *Initium* ſive *Sequentia Sancti Evangelii*, reſpondet Miniſter, *Gloria tibi Domine*, & ad finem Evangelii idem Miniſter dicit, *Laus tibi Chriſte*; quæ verba omittuntur Feria 6. in Paraſceve; tempus enim illud eſt, cum Chriſtus Jeſus improperiis ſaturatus eſt & opprobriis. Olim ad finem Evangelii dicebatur *Amen*; quod ſervatur in ritu Mozarabo. Fuit cum dicebatur, *Deo gratias*, Nunc vero dicitur, *Laus tibi Chriſte*, ut videre eſt in 4. parte Summæ Alenſis tractatu de Miſſa: *Perlecto Evangelio, dicunt Aſſiſtentes*, Amen; *quaſi dicant, faciat nos Deus perſeverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt*, Deo gratias *in gratiarum actionem pro beneficio tantæ doctrinæ & tam ſalutaris. Nunc dicimus, Laus tibi Chriſte*. Deinde ſubjicit Sacerdos: *Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta* ad quæ verba notat Le Brun tom. 1. pag. 240. etſi generatim *delictum* peccatum ſignificet, tamen cum Eccleſia non proponit Pœnitentiæ Sacramentum, tum vocem illam ita eſſe recipiendam, ut levem & venialem ſolum culpam ſignificet.

Poſt Evangelii lectionem in diebus Feſtis primo ſeu Homilia habebatur ad Populum; idque derivatum ex more Hebræorum.

7. In more poſitum erat apud Hebræos, ut poſt lectionem Legis & Prophetarum ſermo habetur ad populum; quamobrem narrat S. Lucas cap. 4. Chriſtum Jeſum Sabbato quodam in Synagogam ingreſſum legiſſe Iſaiam & ſermonem habuiſſe. Et in Actis Apoſtolorum cap. 13. Paulus, & Barnabas poſt lectionem a Synagogæ Principibus ſunt invitati, ut ad populum verba facerent. In Juſtini Martyris Apologia ſecunda, & lib. 8. Conſtitut. Apoſtolicarum apparet, Homilium, ſeu Sermonem ad populum poſt lectum Evangelium haberi conſueviſſe. Et Cyprianus in vita Sancti Cæſarii Arelatenſis cap. 14. narrat, ſe jubere ſolitum Eccleſiæ portas occludi; ne quiſquam ab audiendo ſermone ſe ſubduceret. Duo de Sacris Concionibus compoſuit volumina Ferrarius, quibus totam rem eruditiſſime pertractavit. Præter ſermonem monita quædam etiam populo exhibebantur, de quibus loquitur Concilium Aurelianenſe apud Ivonem par. 2. Decreti cap. 120. *Ut in diebus Dominicis & Feſtis poſt ſermonem intra Miſſarum ſolemnia habitum, plebem Sacerdos admoneat, ut juxta Apoſtolicam Inſtitutionem omnes in commune pro diverſis neceſſitatibus preces fundant ad Dominum pro Rege, & Epiſcopis & Rectoribus Eccleſiarum, pro pace, pro peſte, pro infirmis, qui in ipſa Parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus ſingulatim precibus Plebs Orationem Dominicam ſub ſilentio dicat, Sacerdotes vero Orationes ad hoc pertinentes per ſingulas admonitiones ſolemniter expleant: poſt hæc ſacra celebretur Oblatio.*

De Miſſa catechumenorum.

Quatuor claſſes publicorum Pœnitentium.

9. Lecto Evangelio & Sermone habito, Catechumenorum Miſſa peracta erat. Ad cujus rei intelligentiam ſciendum, in quatuor claſſes a Gregorio Neocæſarienſi, Baſilio, ceteriſque Patribus antiquis in ſuis Canonibus publicos Pœnitentes diſtribui. Alii *Flentes*, alii *Audientes*, alii *Conſiſtentes*, alii *Proſtrati* dicebantur. *Flentes*, ſtabant extra templi januam, ubi ſua peccata deflebant. *Audientes* & *Proſtrati* in ea templi parte, quæ *Narthex* appellabatur, ubi etiam Catechumeni morabantur; atque hi omnes ſermone habito, extra templum pellebantur; quarta Pœnitentium claſſis, ſcilicet *Conſiſtentes*, una cum ceteris Fidelibus, Miſſæ integræ aderant uſque ad finem; non tamen Euchariſtiæ participes erant. Diaconus Catechumenis aliiſque edicebat, ut abirent, quod ex Jacobo Diacono colligitur in Vita S. Pelagiæ, ubi hæc habentur: *Simul atque proclamavit Diaconus ad Catechumenos, Procedite, vel Abſcedite, nuſquam illa comparuit. Porro poſt Miſſam Fidelium, & peractum Sacrificium, cum dimiſſa eſſet Eccleſia, me extra domus Dei limen prodeunte, rurſus advenit Columba.* Et quamvis vetuſtioribus temporibus dimiſſio Evangelii lectionem præcederet, tamen in Concilio Arauſicano I. ſub Leone I. can. 18. tom 1. Conciliorum pag. 1785. Collect. Labbei ſtatutum fuit, ut Evangelium poſt Epiſtolam, & ante Catechumenorum dimiſſionem legeretur; quod confirmavit Concilium Valentinum in Hiſpania can. 1. tom. 2. Concilior. pag. 1067. *Ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermones Sacerdotis non ſolum Fideles, ſed etiam Catechumeni, & Pœnitentes, & omnes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant.* Eruditi duo viri veterumque Eccleſiæ Rituum peritiſſimi Albaſpinæus lib. 1. de veteri Eccleſiæ Politia in adminiſtratione Euchariſtiæ, & Bocquillot lib. 1. tract. hiſtorici de Liturgia cap. 1. e veteribus monumentis totam hanc eruerunt diſciplinam de Miſſa Catechumenorum; eos videlicet, itidemque Pœnitentes, & Energumenos dimitti conſueviſſe. Quiſquis autem veterem hujuſmodi ritum probe cognitum habere cupiat, ipſorum Auctorum opera evolvat.

Quæ ſit Catechumenorum, quæ Fidelium, quæ Sacramentorum Miſſa.

10. Ex iis, quæ hactenus diximus, ſatis patet, quænam eſſet Miſſa Catechumenorum, quænam Miſſa Fidelium, quæ etiam Miſſa Sacramentorum dicebatur, qui Miſſæ Catechumenorum terminus eſſet. Miſſam vero Fidelium appellatam eſſe Miſſam Sacramentorum, colligitur ex Ivone Carnotenſi epiſt. 75. ad Paſchalem Pontificem, ubi ſuorum Canonicorum pravam deſcribens diſciplinam ait: *Qui adibat Miſſam Catechumenorum, ſubterfugiebat Miſſam Sacramentorum.* Appoſite ad hanc rem facit S. Cæſarii Arelatenſis Homilia 11. qui rem adeo abſonam increpitans ait, ſuæ cuique domi licere Prophetas, Apoſtolorum ſcripta, & Evangelium legere; nemini autem, præterquam in domo Dei, adeſſe licere conſecrationi Corporis & Sanguini Jeſu Chriſti; nec ut quis Miſſæ dicatur adfuiſſe, ſatis eſſe ſi ſanctam Lectionem audierit, ſed oportere eum in Eccleſia conſiſtere, donec Dominicalis Oratio dicta ſit, & benedictionem Sacerdos populo impertierit. Si quis vero quærat, cur Miſſa Catechumenorum diceretur ea Miſſæ pars, cui non ſolum Catechumeni aderant, ſed Pœnitentes etiam, & Energumeni, reſpondet Joſephus Vicecomes lib. 5. de Miſſæ Ritibus cap. 1. *Cur autem Catechumenorum Miſſæ id nominis attributum ſit, cum etiam Pœnitentes, & Catechumeni intereſſent; non aliam fuiſſe*

Ex conſuetudo etiamnum viget in Gallia, tempus veteres Parochi in Italia.

8. Viget etiamnum in Gallia hujuſmodi conſuetudo: atque hæc admonitio Gallice dicitur *Prone*, quæ vox e Græco *Pronaos* derivata eſt, hoc eſt ab illa Templi parte, quæ ab ejus limine ad Chorum protenta Laicos continebat, cum Clerici in Choro ſeu Presbyterio continerentur. Vid. Pouget Inſtit. Catholicar. tom. 2. pag. 836. In Italia quoque mos eſt, ut Parochi, qui munus ſuum exequi volunt, in Miſſa Parochiali poſt Evangelium ſermonem habeant feſtis diebus ad populum, eaque eum doceant, quæ cognitu opus eſt ad æternam conſequendam ſalutem, quæ virtutes ſint, quæ vitia, quid expetendum fugiendumve, ut cæleſtem gloriam adipiſcamur. Videatur cap. 2. ſeſſ. 5. Concil. Trid. de reform. quodque nos Edicto 10. hac de re uberius perſequuti ſumus.

ſe

se causam puto, quam quod eorum numerus major esset; ut a copiosiori parte denominatio sumta sit: cum quo consentit Morinus de Sacram. Pœniten. lib. 6. cap. 10. n. 2.

Quæ faciat Sacerdos in lectione Evangelii.

11. Atque hæc, quæ ad antiquam disciplinam pertinent, breviter attingere voluimus. Nunc vero de iis, quæ Sacerdos facit in Lectione Evangelii, dicendum est. Dicto *Dominus vobiscum*, respondet Minister, *Et cum Spiritu tuo*; tum dexteræ manus pollice signat Crucem super libro in principio Evangelii, deinde signat sibi frontem, os, & pectus dicens *Sequentia*, seu *Initium S. Evangelii*, ac manibus junctis legit Evangelium, cujus lectione peracta, respondet Minister, *Laus tibi Christe*: & Sacerdos osculatur principium Evangelii submissa voce dicens: *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta*; quod tamen non facit in Missis Mortuorum, neque cum celebrat coram Papa, vel Cardinali, vel Archiepiscopo etiam & Episcopo in locis ubi jurisdictionem habent, quibus, Evangelium ut osculentur, ipsum Missale defertur.

Sacerdos cur librum & se ipsum Crucis signo signet.

12. Innocentius III. & post eum Gavantus dicunt Sacerdotem signo Crucis Evangeliorum Librum signare, quasi dicat: Hic Crucifixi Liber est. Se ipse vero signat in fronte juxta id quod ait Augustinus in Psalm. 141. *Usque adeo de Cruce non erubesco, ut non in occulto habeam Crucem Christi, sed in fronte portem*; tum in ore & in pectore juxta illud Apostoli ad Romanos cap. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem*.

De osculo in Evangelium imprimendo.

13. De osculo in Evangelium imprimendo loquitur Jonas Episcopus Aurelianensis Præfat. in lib. 2. de Cultu Imaginum, cujus ea sunt verba: *Sacræ Religionis usus adhuc in sancta Ecclesia servatur, ut perlecta sacri Evangelii lectione ab Episcopo vel Presbyteris, ceterisque sacri Ordinis Religiosis, Codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur: sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus verba esse creduntur, agimus?* Nec Sacerdos solum, qui Missam celebrabat, Evangeliorum librum antiquitus osculabatur, sed ipse liber ad osculum totius Cleri & Populi circumferebatur. Verum Honorius III. sub excommunicationis pœna vetuit, ne ad cujusquam sæcularis Principis osculum, qui sacro oleo non esset perunctus, Evangeliorum Liber offerretur, ut ostendit Meratus tom. 1. par. 1. pag. 444. & seq. idque etiam constat ex ejusdem Pontificis Epistola apud Raynaldum ad ann. Chr. 1221. n. 28. ubi confirmat Legati sui Decretum: *Et ne lecto Evangelio Liber ad osculandum aliis, quam personis deferretur inunctis*: sancita adversus eos, qui parere detrectaverint, excommunicationis pœna. Perimezzius differt. 8. pag. 237. quæ hactenus diximus confirmat, & de recentiore Ritu addit, Evangelium Papæ, Cardinalibus, Sedis Apostolicæ Legatis ad osculum ubique locorum offerri; Patriarchis vero, Archiepiscopis, & Episcopis in sua cuique Diœcesi, Principibus vero ex tolerantia, nunquam tamen Laicis inferiorum ordinum.

Antiquitus Evangelium ad Cleri & Populi osculum circumferebatur. Nunc certis quibusdam personis offertur ad osculum.

Populus stans audit Evangelium.

14. Vetustissima consuetudo est, ut cum Evangelium legitur, populus stet, ut significet paratum se esse ad ea Domini perficienda mandata, quæ leguntur in Evangelio. Si quis baculum haberet, cum legeretur Evangelium, illum deponebat ob eandem rationem, qua Evangelium stando audimus: *Usque ad istud baculis sustentabamur: modo, ut oportet servos ante Dominum stare, humiliter stamus deponentes baculos e manibus*: verba sunt Amalarii. Et Religiosi Equestrium Ordinum, cum in Missa legitur Evangelium, vel manum gladio admovent, vel etiam ipsum e vagina educunt, ut se pro Christi Fide paratos esse declarent ipsum profundere sanguinem. Vide Card. Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 7. num. 3.

Religiosi Equestrium Ordinum gladium distringunt.

CAPUT VIII.

De Symbolo.

Post Evangelium dimissi Catechumeni dicitur Symbolum, a quo incipit Missa Fidelium.

1. POst Evangelium Sacerdos recitat Symbolum, si quidem ex Rubrica dicendum sit; nec enim in qualibet Missa locus est Symbolo. Ab eo incipit Missa Fidelium, seu Missa Sacramentorum: *Ejectis extra Ecclesiam Catechumenis, Pœnitentibus, & aliis, quibus peracto sermone nefas erat in ea permanere, incipit Missa Fidelium, quæ, cum severior disciplina vigebat, clausis januis agebatur, easque custodiebant Ministri, ne quis intraret immundus, vel indignus*: verba sunt Card. Bona lib. 2. cap. 8. n. 1. cum quo consentit Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 838. Cum autem hoc loco de Symbolo nobis differendum sit, ut recto ordine progrediamur, primo Symbolum quid significet disquiremus; secundo quodnam illud Symbolum sit, quod in Missa recitatur; tertio quo tempore dici cœptum sit in Missa; quarto cur dicatur; quinto cur in quibusdam Missis dicatur, in quibusdam vero omittatur; postremo ea sermone persequemur, quæ Sacerdos facit, sive Symbolum dicat, sive ex præscripto Rubricæ prætermittat.

Symbolum quid significet.

2. Symbolum alibi monuimus signum quoddam seu tesseram significare, qua Fideles ab infidelibus secernuntur, ducta similitudine ex militari signo, quo milites a transfugis distinguebantur, ut considerat Rufinus in libro *de expositione Symboli*; seu ex Syngrapha contractus, qua quispiam alteri obligatur, siquidem paciscitur cum Deo Christianus homo in Baptismate, ut explicat S. Petrus Chrysologus serm. 63. de Symbolo Apostolorum. Neque enim vera est eorum opinio, qui putant Symbolum significare quarundam rerum complexum, quo suam quisque partem contulerit, puta cœnam, quæ communi multorum sumtu paratur, aut ad quam convivæ suam quisque lancem conferunt. Nam ejusmodi cœnam non Symbolum, sed Symbolam Grammatici appellant, ut animadvertit Vossius lib. 3. de tribus Symbolis differt. 1. cap. 17.

Quatuor Symbola, Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum.

3. Quatuor sunt Symbola: *Apostolicum*, quod Apostoli condidere. *Nicænum* in Concilio Nicæno compositum anno 325. *Constantinopolitanum* in Constantinopolitano Concilio editum anno 381. *Athanasianum*, quod S. Athanasio tribuitur. Cum enim Arius suam hæresim ab Inferis extulisset, quædam Concilium Nicænum Symbolo Apostolico addidit; & Constantinopolitanum exorta Macedonii hæresi, alia etiam Nicæno Symbolo inseruit; ita ut si ea Symbola conferamus, nullum inter ea discrimen appareat, sed Nicænum & Constantinopolitanum Concilium uberius explicasse deprehendatur ea, quæ in Symbolo Apostolico ab Arianis & Macedonianis oppugnabantur, ut ostendit etiam Fleury Histor. Eccl. lib. 18. n. 6. probaruntque multo antea Bellotte ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 436. n. 12. usque ad integrum n. 16. & Grancolas in antiquis Liturgiis tom. 1. edit. Paris. ann. 1704. pag. 532.

Symbolum Apostolorum primo voce traditum, non litteris proditum.

4. Diximus, Apostolos Apostolicum condidisse; quod apertissime demonstravit Natalis Alexander differt. 12. sæculi 1. qua in re probe observandum est cum D. Hieronymo, Symbolum Apostolorum non fuisse litteris commendatum, ne in manus caderet Infidelium, sed voce traditum Fidelibus, atque ita quasi per manus ex uno ad alterum pertransisse: *In Symbolo Fidei & Spei nostræ*

ſcæ (*quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus*) *poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione concluditur*; verba ſunt S. Doctoris epiſt. 61. ad Pammachium cap. 9. Quamobrem Tertulliano excepto, qui libro *de velandis Virginibus*, & lib. *de Præſcriptionibus* cap. 37. nonnihil attigit de Symbolo Apoſtolico; nullus Scriptor ante Conſtantinum Magnum in ſua ſcripta Apoſtolicum Symbolum inſeruit: primique in ſuis libris illud edidere Athanaſius, Baſilius, & Leo iis temporibus, cum Eccleſia a Judæis & Gentibus nihil ſibi metuebat.

Symbolum Nicænum a Concilio Nicæno conditum.

5. Diximus etiam, Symbolum Nicænum a Concilio Nicæno conditum; in ejus enim actis relatum eſt, Epiſcopos eo recitato Symbolo exclamaſſe: *Hæc eſt Catholicorum fides: hanc omnes credimus: in hanc baptizati ſumus: in hac baptizamur*. D. Athanaſius epiſt. ad Jovin. de Fide teſtatur, magnum illum Oſium Epiſcopum Cordubenſem, cujus in eo Concilio tanta fuit auctoritas, a Patribus juſſum, illud Symbolum condidiſſe.

Quod legitur in Miſſ. eſt Symbolum Conſtantinopolitanum.

6. Denique Conſtantinopolitanum Symbolum a Conſtantinopolitano Concilio, quod fuit Generale ſecundum, conditum diximus; id enim colligitur ex ejus prima ſeſſione, illiuſque auctor fuiſſe exiſtimatur S. Gregorius Nazianzenus, quod Marcus Epheſinus prolatis omnium Græcorum Patrum auctoritatibus teſtatus eſt in Concilio Florentino. Symbolum autem Conſtantinopolitanum illud eſt, quod in Miſſa recitatur. Quidam Scholaſtici Theologi Magiſtrum Sententiarum ſequuti ſcripſerunt, Miſſæ Symbolum eſſe, quod in Nicæno Concilio conditum eſt, ut etiam obſervat Vertus tom. 3. pag. 122. quod quidem rueri poſſunt ea ratione, quod quicquid Conſtantinopolitanum Concilium addidit Symbolo, jam implicite in Nicæno Symbolo continebatur. Walfridus Strabo ſcribit, ideo ad Miſſam adhibitum Conſtantinopolitanum Symbolum, quod muſicis canendo modis eſſet omnium accomodatiſſimum. Sed Cardinalis Bona hanc opinionem refellit, nec alia de cauſa illud Symbolum Eccleſiam maluiſſe ait in Miſſa recitari, quam quod in eo diſertius & luculentius orthodoxi articuli explicantur, & exortæ uſque ad ea tempora hæreſes profligantur.

In Romana Eccleſia per annos mille, quod nulla unquam hæreſeos labes eam infecerit, non recitatum eſt Symbolum in Miſſa ex Bernonis libato.

7. Sunt quibus videtur negari non poſſe, Romanam Eccleſiam ineunte ſæculo XI. cœpiſſe Symbolum in Miſſa recitare; diſertis enim verbis id teſtatur Abbas Berno libro de rebus ad Miſſam ſpectantibus cap. 2. *Romani uſque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo* (Symbolum) *cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram aſſiſtente, audivi eos ejuſmodi reſponſum reddere, videlicet quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcuſſa. Et ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea deſiit, quam omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent.* Hæc Baronius in Annalibus ſuis inſeruit ad annum 1100. ac deinde gravibus illis verbis concludit: *Placent iſta, ſed nobis gratius, ſi venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuiſſet, quam novitati.* Teſtatur Berno ſe præſentem adfuiſſe, cum Henricus Imperator id a Benedicto VIII. poſtulavit; quamobrem negari non poſſe videtur, tum primum Romanam Eccleſiam cœpiſſe Symbolum in Miſſa recitare, cum præſertim ſuperioribus temporibus nullum reperiatur monumentum ejus diſciplinæ in ea Eccleſia, etſi in Hiſpania, Gallia, & Germania Symbolum in Miſſa jam recitabatur. Vid. Bona loc. cit. n. 2. in fine. Eadem prorſus veſtigia perſequuntur Caſalius de veteribus ſacris Chriſtianorum Ritibus pag. 7. Edit. Romanæ anni 1647. & Auctor Tractatus Miſſæ Parochialis iterum Pariſiis editi ann. 1714. par. 2. cap. 1. art. 3.

Ante Benedicti VIII. tempora Symbolum recitabatur in Miſſa apud Hiſpanos.

8. Ante illud tempus Symbolum in Hiſpania recitari conſueviſſe, colligitur e Canone 2. Concilii III. Toletani anno 589. habiti ſub Recaredo Rege: *Sancta conſtituit Synodus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ* (ſeu *Galliæ*, ut legit Martene, Galliam Narbonenſem intelligens; ſeu *Gallitiæ*, ut apud Card. Aguirre tom. 2. Concilior. Hiſpaniæ) *ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt centum quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum Fidei recitetur, & priuſquam Dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur*, ſeu quemadmodum legitur in aliquibus manuſcriptis codicibus apud Card. de Aguirre cit. tom. 2. pag. 345. *prædicetur*. In Gallia vero ante Benedicti VIII. tempora, & in Germania morem fuiſſe recitandi Symbolum in Miſſa, colligitur ex collatione, quam ſub Carolo Magno ſæculo IX. Leo III. Pontifex cum quibuſdam Epiſcopis habuit, quam Baronius refert ad annum Chriſti 804. num. 60. Quamobrem Walfridus Strabo lib. de Rebus Eccleſiaſticis cap. 22. ita ſcribit: *Apud Gallos & Germanos poſt dejectionem Felicis hæretici ſub glorioſiſſimo Francorum Rectore damnati, idem Symbolum latius & crebrius in Miſſarum cœpit Officiis recitari*; quæ verba illud amplius ſignificant, vel ante ſeculum IX. morem fuiſſe in Gallia & Germania Symbolum in Miſſa, quamquam non ita crebro, recitandi. Neque prætermittendum eſt in Eccleſiis Orientis multo ante, quam in Occidentali Eccleſia, Symbolum in Miſſa recitari cœptum. Theodorus Lector auctorem hujus Ritus in Oriente fuiſſe ait Timotheum Epiſcopum Conſtantinopolitanum anno 510. ut reſiſteret Macedonianorum erroribus. Petrum Cnaphæum adulterinum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, primum in ſacram Liturgiam anno 471. conſuetudinem invexiſſe, ut Symbolum recitaretur, auctor eſt Nicephorus Callixtus; quod a vero non abeſſe exiſtimat Renaudot tom. 1. Oriental. Liturgiarum fol. 221. Probat Fleury Hiſt. Eccl. tom. 10. pag. 406. hanc diſciplinam ab Orientali in Occidentalem Eccleſiam permanaſſe; & Sirmondus ad Epiſtolam 3. Aviti multa ſcribit de pravo Petri Cnaphæi conſilio, quo Symbolum venenatis quibuſdam, quæ Theopaſchitarum hæreſim olebant, additionibus auctum in Miſſa recitandum curavit.

In Gallia & in Germania ante ſæculum IX.

Petrus Cnaphæus in Occidentali Eccleſia ritum hunc introduxit, unde in Occidentalem permanſit.

Sunt qui putant etiam in Romana Eccleſia ante Benedicti VIII. tempora recitatum eſſe Symbolum in Miſſa.

9. Sed non in eo, quod hactenus attulimus, difficultatis cardo vertitur. Neque enim deſunt, qui nihil Bernonis teſtimonio commoti contendunt, nec infirmis ſane innixi rationibus, ante Benedictum VIII. in Romana Eccleſia recitari Symbolum conſueviſſe. Mabillonius in Commentar. in Ordinem Romanum art. 6. num 3. ex Ordine ſecundo Romano argumentum depromit, quo probatur ante Benedictum in Miſſa Papæ cantari conſueviſſe Symbolum, & in libris 5. & 6. Miſſæ Epiſcopalis juxta Romanum Ritum præſcribitur, ut poſt Evangelium Symbolum *reciteur*. Id vero evincit, ante IX. ſæculum conſueviſſe Symbolum recitari in Miſſa juxta Romanæ Eccleſiæ diſciplinam: propterea Le Brun tom 1. pag. 245. qui epocham introducti hujus Ritus in Eccleſia

Romana, Bernonis Abbatis teſtimonio permotus, ad Benedicti VIII. tempora conſtituerat, tom 2. ea affert documenta, quibus oſtenditur, jam a IX. uſque ſæculo in Eccleſia Romana morem fuiſſe in Miſſa Symbolum recitandi.

Martene commode concilias locum Bernonis Abbatis cum aliis monumentis, quæ illi videntur adverſari.

10. Mabillonius, qui eam excitavit difficultatem, conniſus eſt etiam diluere. Itaque obſervat, Symbolum, etſi ſæculo IX. Romæ in Miſſa recitari ſolitum, intermediis tamen ſæculis uſque ad XI. intermiſſum, tandem ſub Benedicto VIII. rogatu Henrici Imperatoris eſſe revocatum. Sed commodior eſſe videtur reſponſio Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 5. n. 11. qui notat, Bernonem non negare, Romæ Symbolum recitari conſuevisſe, ſed cantari. Cum igitur recitaretur quidem, ſed non cantaretur, Imperatorem a Pontifice illud oportet impetraſſe, non ut recitaretur, ſed ut, quemadmodum in ceteris Eccleſiis, cantaretur. Ac rem ita ſe habere probat Martene ipſis Leonis III. verbis in collatione quam ſupra citavimus: *Quod vero aſſeritis, ideo vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe, quid ad nos? Nos enim id ipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quippiam eidem Symbolo inferendo præſumimus*; quam reſponſionem amplectitur etiam Meratus tom. 1. par. 1. pag. 216. Et ante eum Grancolas de antiquis Liturgiis tom. 1. edit. Pariſ. anno 1704. pag. 537.

Qui ritus ſit apud Mozarabes recitandi Symbolum.

11. In Miſſa Mozarabica legitur Symbolum Conſtantinopolitanum; quinimmo canitur a Sacerdote & univerſo Clero & Populo; neque id poſt Evangelium, ſed poſt Canonem; interea vero Sacerdos Hoſtiam conſecratam ſuper Calicem tenet, quaſi declaret, eadem fide, qua Unitatem Dei, Trinitatem Perſonarum, & Incarnationem Verbi, etiam, realem ſeſe credere in Euchariſtia præſentiam Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti. Vide Mabillon. lib. 1. Liturgiæ Gallicanæ cap. 1. num. 2. & cap. 2. num. 1. De hoc Mozarabum Ritu ſcribit etiam Bellotte in Obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis pag. 438. n. 15. ubi ait: *Eſt autem locus hic admodum proprius ad Fidem profitendam cum adoratione veri Corporis Domini noſtri.*

Cur legatur Symbolum in Miſſa, & quando omittatur ex D. Thoma.

12. D. Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 4. docet, cur in Miſſa legatur Symbolum, & quamobrem in quibuſdam Miſſis dicatur, in quibuſdam vero omittatur: *Perfecte autem populus inſtruitur per doctrinam Chriſti in Evangelio contentam, quæ a ſummis Miniſtris legitur, ſcilicet a Diaconibus. Et quia Chriſto credimus tamquam divinæ veritati, ſecundum illud Joann. 8. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? lecto Evangelio, Symbolum cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per Fidem Chriſti doctrinæ aſſentiri. Cantatur autem hoc Symbolum in Feſtis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, ſicut in Feſtis Chriſti, B. Virginis, & Apoſtolorum, qui hanc Fidem fundaverunt, & aliis hujuſmodi.* Secundum hanc D. Thomæ doctrinam Quartus in Rubricis ad Miſſale Romanum par. 1. tit. 11. Miſſas enumerat, in quibus dicitur *Credo*, quæ recenſentur etiam in ipſis Rubricis tit. de Symbolo; & Titelmanus Tractatu de Myſteriis Miſſæ cap. 31. idem docet ac D. Thomas de Ritu recitandi Symbolum poſt Evangelium: *Quod ſtatim poſt decantatum Evangelium inchoante Sacerdote, ceteriſque ad finem uſque proſequentibus* (de Miſſis cantatis loquitur) *canitur Fidei Symbolum, fructum, qui ex Chriſti, & Apoſtolorum prædicatione eſt in Eccleſia conſecutus, manifeſtat. Vere enim hæc ſancta Dei confeſſio, quæ in Symbolo plene continetur, fructus eſt labiorum noſtrorum confitentium nomini ejus, & hoſtia laudis multo acceptiſſima Deo in odorem ſuavitatis.*

Quid præſcribat Rubrica in recitando Symbolo.

13. Quod attinet ad actiones Sacerdotis cum dicit *Credo*, Rubricæ hæc præſcribunt: *Dicto Evangelio ſtans in medio Altaris verſus Crucem elevans & extendens manus, incipit* (*ſi dicendum ſit*) Credo. *Cum dicit*, in unum Deum, *jungit manus, & caput Cruci inclinat; quo erecto, ſtans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, proſequitur uſque ad finem. Cum dicit*, Jeſum Chriſtum, *caput Cruci inclinat. Cum dicit*, Et incarnatus eſt, *uſque ad* Et homo factus eſt *inclusive, genuflectit. Cum dicit*, ſimul adoratur, *caput Cruci inclinat. Cum dicit*, Et vitam venturi ſæculi, *producit ſibi manu dextera ſignum Crucis a fronte ad pectus.* Rufinus in expoſitione Symboli teſtatur, Chriſtianos, cum ad ea verba perveniſſent, *Carnis reſurrectionem*, ſe ſigno Crucis ſignare conſuevisſe; & Gavantus ſignum illud Crucis ait traductum ad ea verba, *Et vitam venturi ſæculi*, ut totius Fidei profeſſio ſigillo Crucis quodammodo obſignetur. Et Bauldrius par. 3. cap. 3 n. 3. monet Sacerdotem, lente ut illa proferat verba, *& vitam venturi ſæculi*, ut ſpatium temporis ſuppetat ſigno Crucis producendo; frontem enim & pectus Sacerdos ſibi debet tangere cum dicit *Et vitam*, dexterum humerum cum dicit *venturi*, & ſiniſtrum cum dicit *ſæculi*.

Ratio cur Sacerdos ſe Crucis ſigno ſignet ad illa verba.

Alia ratio ex Rufino.

14. Alia etiam adduci poſſet ratio, quamobrem juxta id quod ſcribit Rufinus, veteres Fideles Crucis ſibi ſignum in fronte facerent, cum dicebant *carnis Reſurrectionem*. Nam in Symbolo, de quo loquitur Rufinus, quodque in Romana recitabatur Eccleſia, nulla continebantur verba de vita æterna, ſed Symbolum in ea deſinebat, *carnis Reſurrectionem*, eodem Rufino teſte: *Sed ultimus iſte ſermo, qui Reſurrectionem prænuntiat, ſummam totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit.* Conſonat Hieronymus epiſt. 61. *In Symbolo Fidei & Spei noſtræ* (*quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus*) *poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum carnis reſurrectione concluditur.* Quamobrem nemo inferre poteſt, Symbolum Apoſtolicum vitæ æternæ articulum non complecti, qui in Reſurrectionis articulo continetur; nam Rufinus in expoſitione Symboli proſequitur: *Dabitur etiam peccatoribus incorruptionis, & immortalitatis ex Reſurrectione conditio, ut ſicut Juſtis Deus miniſtrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confuſionis miniſtret & pœnæ.* Et D. Thomas in 22. q. 1. art. 8. ad unum tantummodo caput refert articulum gloriæ, qui Reſurrectionem carnis, & vitam æternam complectitur, *Tertium pertinet ad eſſe gloriæ, & ſic proponitur nobis alius articulus de Reſurrectione carnis, & vitæ æternæ.*

De genuflexione in Symboli recitatione facienda.

15. Eorum, quæ Sacerdos a Rubrica facere jubetur, eſt genuflexio ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, uſque ad illa inclusive, *Et homo factus eſt*. Ea minime videtur probari Radulpho de Canon. Obſervantia prop. 23. quia (ut ait) *apud Romanos nulla erat ejuſmodi genuflexio*. Honorius tamen in Gemma Animæ lib. 1. cap. 118. eum ritum magnifice probat, quo indicatur quæ Chriſto pro nobis homini facto Crucique affixo debetur adoratio. Ac Romanum Pontificem ſcribit Petrus Amelius in Ordine Romano anno 1398. genua flectere dum cantatur, *Et incarnatus eſt*, eique Mitram detrahi, quæ conſuetudo etiamnum viget. Et Bellotte in ejus ſæpe citato Opere pag. 442. n. 20. ad rem noſtram ait: *Illud quoque religioſo cultu ſemper obſervari velim, ut dum in Sym-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Symbolo pronunciatur particula illa, qua dicitur, Deus homo factus est, *commendanda illa, ac Christiano digna studiose servetur humilis genuum flexio, atque inclinatio ad terram, ex Ritu Ecclesiastico religiose instituta in repræsentationem, ac veneration. illius eximiæ humilitatis, qua humiliavit, & exinanivit se ipsum Filius Dei, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Narrat idem Auctor, Laudunenses Canonicos in Choro Missæ præsentes non flectere genua, sed pedibus stare vultu ad Orientem converso, Sacerdotem vero, qui celebrat, super Altaris gradus genua flectere, quasi populum ad genuflectendum, secumque Christum Dominum hominem factum adorandum invitet.

CAPUT IX.

De Offertorio.

Offertorii nomine quid intelligatur.

1. Dicto Symbolo, si quidem juxta Rubricam recitandum sit, aut lecto Evangelio, si Symbolum non dicatur, Sacerdos osculatur Altare, salutat populum dicens *Dominus vobiscum*, & excitato populo ad orandum verbo illo *Oremus*, dicit *Offertorium*. Offertorii nomine ea omnia continentur, quæ fiunt a Sacerdote & Ministris, quæque recitantur ab illis verbis *Dominus vobiscum*, usque ad clausulam secretæ Orationis, cum Sacerdos elata voce dicit *Per omnia sæcula sæculorum*, ut videre est apud Card. Bona lib. 2. Rer. Liturgicar. cap. 8. n. 3.

Missæ pars, quæ dicitur Offertorium, nomen traxit ex eo, quod Fideles panem & vinum offerebant in usum sacrificii.

2. Verum nos de veteri disciplina, qua populus ad usum sacrificii panem, & vinum, reliquas alias majoris pretii sustentandis alendisque Ministris offerebat, verba facere supersedemus, quod rem hanc diligentissime pertractarint Le Brun tom. 1. Martene lib. 1. Pouget tom. 2. & novissime Berlendus in accuratissimo tractatu de Oblationibus ad Altare. Id modo dicimus eam Missæ partem, quæ *Offertorium* vocatur, ex eo nomen traxisse, quod Fideles veteri consuetudine panem & vinum in sacrificii usum offerrent, ut observant Walfridus cap. 22. & Micrologus cap. 10. & quamquam usque ad IV. sæculum ejusmodi oblationis tempore nihil recitabatur aut canebatur; tamen in Ecclesia Carthaginiensi a S. Augustini usque temporibus mos introductus fuit, ut interea versiculi aliquot canerentur ex Psalmis; quam consuetudinem etsi maledicus quidam nomine Hilarus reprehenderit, S. Augustinus tamen retinendam existimavit, ut videre est lib. 2. Retract. cap. 11. Incertum vero est, quis hujus consuetudinis Auctor fuerit canendi Antiphonam, quæ in Missali dicitur *Offertorium*: dissentiunt enim inter se Scriptores, quorum quidam S. Gregorium Magnum, alii S. Cælestinum, quidam etiam S. Eutychianum Romanos Pontifices putant eum morem induxisse; ut videre est apud Meratum tom. 1. par. 1. pag. 225. & Torres loc. cit. de Sacrificii oblatione n. 74. pag. 97.

De Offertorio quod legitur in Missa Defunctorum. Ecclesia non orat pro defunctis animabus in infernum. Locus ex 2. Machabæorum explicatus ex D. Thoma.

3. In Missa Defunctorum habetur Offertorium in Responsorii modum compositum cum suis versibus; ubi sunt quædam verba digna, quæ considerentur: *Domine libera animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis Inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*; quibus verbis non pro iis rogat Ecclesia, qui perpetuis Inferorum pœnis addicti sunt; neque ignorat, numquam futurum ut animæ in Purgatorio detentæ ad Inferos dejiciantur. Nam quod 2. Machabæorum, cap. 12. scriptum reperitur, fusas ad Deum preces pro illis Hebræis, qui prælio interfecti, deprehensi sunt sub tunica quædam habere donaria, quæ Idolis oblata fuerint, quod lethale peccatum erat, ut habetur Deuteronomii cap. 7. *Ne inferas quippiam ex Idolis in domum tuam, ne fias anathema*; id tamen nihil obstat: D. enim Thomas in 4. sentent. q. 2. art. 2. q. 2. *ad primum* respondet, ea donaria apud eos inventa esse, qui non falsa religione permoti, sed victores jure belli tanquam prædam a victis abstulerant: qua in re cum venialem tantum avaritiæ culpam in se admiserint, licuisse pro iis mortuis Deum orare, nec exinde propterea inferri posse, Ecclesiam orare pro iis, qui in Inferorum perpetuum carcerem sunt detrusi.

Explicatio illius Offertorii, quod olim legebatur, cum ager jam extremum spiritum exhalabat, ut sit prolepsis quædam ab Ecclesia alibi etiam usurpata.

4. Quidam considerant, eam Antiphonam legi consuevisse, cum ægrotus aliquis in eo esset, ut jam jam emitteret animam; ac putant deinde Ecclesiam in Missis & funeribus mortuorum eam adhibere cœpisse, retrotrahendo preces ad punctum illud temporis, quo animæ e corporibus sunt egressæ; eodem plane modo, quo Adventus tempore illis utitur verbis: *Rorate Cæli desuper, & nubes pluant Justum &c. O Adonai veni ad redimendum nos. Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ. Orietur sicut sol Salvator Mundi, & descendet in uterum Virginis.* Etsi enim multa præteriere sæcula, ex quo Verbum divinum carnem assumsit, Ecclesia tamen retrahit ejusmodi preces ad tempora Prophetarum Christi Incarnationem acri desiderio expectantium. Vide Grancolas in Antiquo Sacramentar. Ecclesiæ par. 1. de Missis Defunctorum pag. 536. quem sequitur Meratus par. 1. tom. 1. pag. 226.

Medinæ explicatio rejicitur ex Azorio.

5. Alii vero aliter hanc evolvunt difficultatem, ac satis fidenter dicunt haud ita subtiliter Ecclesiæ Orationes examinandas; in quibusdam enim ex iis multa contineri minus vera, sed quæ idcirco tolerantur, quod pietatem nutriant Fidelium. Atque ea est responsio Medinæ de Oratione q. 6. quæ tamen omnino est rejicienda: *Sed certe non est quod dicamus aliquid in Ecclesia pie solum & non vere dici; neque enim Ecclesia falsi aliquid per errorem decepta publice decantat, aut tradit. Absint hæc ab ea, quam Apostolus appellat Columnam, & firmamentum veritatis*; verba sunt Azorii tom. 1. Instit. Moral. lib. 10. cap. 22. q. 8.

In ea Offertorio Ecclesia pœnas Purgatorii intelligit.

6. Inter Epistolas Sarnelli est 62. lib. 3. quæ tota de hoc argumento omnino legenda est, quod multa scitu digna contineat. Sed ut aliquid statuamus, dicendum videtur, Ecclesiam ea Antiphona seu Offertorio in Missis Defunctorum Purgatorii pœnas intelligere; & Purgatorium ideo Infernum appellare, quod idem utrobique sit ignis: orare ut animæ liberentur *de profundo lacu, & de ore leonis*, hoc est de carcere illo subterraneo, ubi Justorum animæ expiantur: denique Ecclesiam a Deo petere *ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, idest ne in illo tenebricoso carcere tot cruciatibus conflictatæ diutius detineantur; atque ita orationem illam intelligendam post Azorium probant Valentia tom. 3. disput. 6. art. 2. punct. 8. Cardinalis Capisucchius controvers. 5. Tilers tom. 1. de Superstitione cap. 10. n. 15. & seq. ubi ceteris omnibus explosis interpretationibus postremam hanc amplectitur: neque enim ea verba de Inferorum pœnis possunt intelligi Fide Catholica.

Petri Prapositivi explosa sententia de suffragiis damnatorum.

7. Petrus Præpositivus Theologus Parisiensis, qui floruit anno 1225. Summam Theologicam scripsit, quæ sæpe citata a D. Thoma adhuc inedita in Bibliothecis delitescit. Docet igitur Auctor ille, damnatorum animas suffragiis juvari, ut ab omni pœna immunes sint, non quidem in omne ævum, sed usque ad universale de humano genere judicium: quæ sententia ex Origenianis profecta erroribus improbatur a D. Thoma in 4. sentent. dist. 45. q. 2. art. 2. qui negat damnatorum ani-

mas quidquam solatii capere ex nostris orationibus. Vide sermonem 1. secundi Tricesimi Benedicti XIII. Quidam Theologus Ordinis Servorum B. Mariæ Bononiæ anno. 1570. parvum quemdam Tractatum edidit de statu animæ cum caritate decedentis, illudque Offertorium in Missa Defunctorum explicat, atque in eo abunde probat ea verba de Purgatorio esse intelligenda.

CAPUT X.

De quinque Orationibus, quæ Offertorium consequuntur.

1. POst Antiphonam illam, quæ Offertorium dicitur, quinque Orationes sequuntur; quarum prima incipit, *Suscipe Sancte Pater*, altera *Offerimus tibi Domine*, tertia *In spiritu humilitatis*, quarta *Veni Sanctificator*, postrema *Suscipe Sancta Trinitas*, de quibus ita scribit Bellarminus Controvers. tom. 3. lib. 6. de Sacrificio Missæ cap. 7. *Neque antiquæ admodum sunt, neque in Romana Ecclesia ante quingentos annos legebantur &c. Quia tamen nihil continent, quod offendat, paullatim ab omnibus sunt receptæ;* eas vero non admodum vetustas esse evincit ex silentio Walfridi, Amalarii, Ruperti, & Innocentii Tertii qui post Offertorium statim loquuntur de Secretis.

Prima explicatur Oratio.

2. Dicto Offertorio Sacerdos Calicem detegit, Patenam capit cum Hostia, & utrisque manibus sublatam usque ad pectus sustinens, elevatis ad Cælum oculis & statim demissis dicit Orationem: *Suscipe Sancte Pater*. In ea Oratione æternum Patrem, quem Deum vivum & verum appellat, ut est apud Danielem cap. 14. *Non colo Idola manu facta, sed viventem Deum, qui creavit Cælum*, orat, ut immaculatam Hostiam suscipiat pro suis innumeris peccatis (*in multis enim offendimus omnes*, ait S. Jacobus cap. 3.) peccatis, inquam, tum commissionis, tum omissionis, *offensionibus & negligentiis;* non se solum, sed quotquot adstant, & Fideles omnes vivos mortuosque Deo commendans, ut salutem æternam consequantur, juxta præceptum D. Pauli, qui ad Hebræos cap. 7. Sacerdotem debere ait *prius pro delictis suis Hostias offerre, deinde pro populi*. In hac oratione Hostiam, quæ est super patenam, etsi nondum consecratam vocat immaculatam: *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam Hostiam*: quod quidem nemo miretur; neque enim ea verba ad panem referenda, sed ad Corpus Christi, quod futuræ Consecrationis vi sub ipsius speciem panis subibit; ita ut ea sit Orationis sententia: *Suscipe Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus immaculatam Hostiam, in quam panis hic quamprimum est convertendus*, ut animadvertunt Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 9. n. 3. Pouget tom. 2. Instit. Catholic. pag. 842. & in fine Orationis faciens Crucem cum eadem Patena deponit Hostiam super Corporale, & ad dexteram collocat Patenam, ita ut ejusdem quædam pars sub Corporali tecta sit. Illud autem signum Crucis significat Hostiam super Crucem poni, ubi Christus Jesus æterno Patri ipse se obtulit, ut nos a peccatis redimeret, quod advertit Honorius in Gemma Animæ lib. 1. cap. 96. & Durandus lib. 4. cap. 30. n. 17.

De vino in Calicem fundendo.

3. Pergit Sacerdos, & in Cornu Epistolæ Calicem apprehendit, Purificatorio extergit, & sinistra illius nodum tenens, accepta de Ministri manu ampulla vini, ingerit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem producit signum Crucis super ampullam aquæ dicens Orationem: *Deus qui humanæ substantiæ*, & infundens paullulum aquæ in Calicem prosequitur: *da nobis per hujus aquæ & vini mysterium*. Quod si celebret pro defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed infundit absque benedictione dicens Orationem ut supra.

De vino commiscendo de aquæ cum vino.

4. Nunc vero de Ritu aquæ cum vino commiscendæ, de ea benedictione, & de Oratione *Deus qui humanæ substantiæ* dicendum est; nam de pane seu Hostia dicere ideo prætermisimus, quod fuse de hoc argumento scripsimus, cum de Eucharistiæ institutione tractaremus. Neque etiam de vino quidquam nobis restat dicendum, qui eodem loco de hac re satis loquuti sumus. Illud non prætereundum tamen putamus, quod monuit Theodulphus Aurelianensis Episcopus sub Carolo Magno in Capitulari quod Sirmondus tom. 2. Operum suorum edidit: *Diligenter observetur, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime ac studiose tractentur, & in ipsis nihil vile, nihil non mundatum inveniatur.*

Ex Patrum traditione infunditur etiam aqua.

5. In Consecratione Calicis nulla præterquam vini mentio fit in sacris paginis; sed Patrum traditione proditum est, in vino cum aqua mixto Eucharistiæ Sacramentum a Christo Domino esse institutum; quamobrem Concilium Florentinum in Decreto seu Instructione Armenorum ait: *Quia juxta Sanctorum Patrum testimonia creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentum instituisse*; & consentit Tridentina Synodus sess. 22. cap. 7. *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur* &c. Quamobrem in Orientalibus novimus Liturgiis vini & aquæ commixtionem præscribi, quod observavit etiam Renaudotius tom. 1. Collect. Liturgiar. Orientalium pag. 194. ubi hæc scribit: *Superest aquæ mixtio, quam omnes Ecclesiasticæ Orientalium leges præscribunt: qua etiam ratione in Liturgiæ Oratione, per quam invocatur Spiritus S., quod Calice continetur, non vinum sed mistum appellatur in plerisque Syriacis Jacobitarum Liturgiis, & in ea Oratione apud Coptitas, quæ paullo post in Liturgia sequitur.*

Ritus hic non est ex Divino, sed Ecclesiastico præcepto.

6. Ex veteribus Theologis quidam affirmarunt, aquam cum vino miscendam ex præcepto Divino; nunc tamen communis sententia est, non ex Divino, sed ex Ecclesiastico præcepto aquam in Calicem infundendam; quod quidem Ecclesiæ præceptum ex ipsius Christi Domini facto & exemplo profectum est: nam ut in Historia sacræ Cœnæ observat Buxtorfius n. 10. in ritualibus Judæorum libris unicuique permittitur in Paschali Cœna vinum aqua diluere; id vero est, quamobrem credamus, Christum Jesum, ut temperantiæ & sobrietatis exemplum ederet, aquam in vinum infudisse. Georgius Cassander in suo opere Liturgico Liturgiam Armenorum refert, in qua hæc habentur: *Non admiscent aquam vino:* quod cum minime congruat cum Christi exemplo, Joannes XXII. ea de re monuit Archiepiscopum Armenorum in Epistola apud Raynaldum ad ann. Chr. 1318. n. 13. *Hunc namque servando Ritum, hoc Sacramentum celebrans Christo ipsum statuenti veraciter se conformat. Non enim credendus est Christus ipse, qui temperantiæ summæ cunctis se præbuit exemplum, in die Cœnæ, qua hoc Sacramentum instituit, vino puro, sed lymphato potius usus esse, Salomone prædicente in Christi persona discipulis pro hac die: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Et Gaufredus Monachus in epistola ad Cardinalem Episcopum Albanensem ad ann. 1188. n. 34. addit in Judæa vinum quod robustius esset aqua dilutum bibi consuevisse; ea vero Evangelii verba, *Hic est Calix*, rationem suppeditant, cur Dominum Jesum aquam cum vino miscuisse credamus: *Vox Calix apud Orientales significat non qualecumque*

que vini vas, ſed in quo ſoleat vinum ad potum temperari & miſceri: verba ſunt P. Lupi ad can. 23. Concilii Trullani. Præceptum itidem eſt, ut paullulum aquæ cum vino miſceatur: *Vino ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri ſolet*; verba ſunt ejuſdem Decreti ſeu Inſtructionis Armenorum. Multo vero antea ſcripſerat Honorius III. in Decretali *Pernicioſus*, *de celebratione Miſſarum*: *Pernicioſus inolevit abuſus, videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino, cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum.*

Joachimus Hildebrandus reprehenſus.

7. Joachimus Hildebrandus in eo Opere quod alibi etiam citavimus, *Sacra publica veteris Eccleſiæ in compendium redacta*, Amſtelodami an. 1702. ubi agit de vini & aquæ commixtione pag. 113. fatetur ea de re extare Chriſti exemplum: *Videtur igitur Chriſtus ad morem Orientalium vim vini affuſa aqua temperaſſe*. Pagina vero ſequenti ſuon ſuficiatur, in utraque Eccleſia tum Occidentali tum Orientali ſemper id uſurpatum, nec propterea eam vini & aquæ commixtionem tanquam malum uſum improbari poſſe. Ex his omnibus quivis exiſtimaſſet, eundem Joachimum ſcripturum fuiſſe, aut apud Sectarios ſuos idem in more poſitum eſſe, aut ſi aquam vino non affunderent, id eſſe culpandum. Sed longe aliter rem omnem concludit: ait enim apud ſuos Sectarios ejuſmodi commixtionem minime fieri, eamque ſublatam veluti quidpiam ἀδιάφορον, præſertim cum in Septentrionalibus regionibus admodum temperata vina eſſe ſoleant.

Hæreſis Aquariorum.

8. Paulo ante allatus Chriſtianus Lupus eodem loco tractat eruditiſſime de veteri hæreſi Aquariorum, qui aquam duntaxat ad Miſſam adhibebant, juxta ea quæ tradit S. Epiphanius Hæreſi 46. *Tatianus cum ſuis Diſcipulis in Sacramento ſolum aquam adhibet; ſed a vino prorſus abſtinet, dicens vinum diabolicum eſſe, & impios qui vinum bibunt*. Idem Lupus ibidem agit de Armenorum hæreſi, qui vinum tantummodo ad Miſſam adhibebant, ac in eorum ſententiam propenſior eſſe videtur, qui putant, niſi aqua cum vino miſceatur, non confici Sacramentum, erroris notam inurens eorum opinioni, qui docent ex Eccleſiaſtico præcepto aquam in vinum eſſe infundendam. Nos vero a D. Thomæ doctrina minime recedimus, qui 3. par. qu. 74. art. 7. docet per eam mixtionem ſignificari populum Chriſto adunatum, & aquam quæ de ejus latere profluxit: hæc vero omnia ad uſum quidem Fidelium, & ad effectum Sacramenti pertinere, non tamen ad ipſius eſſentiam; ex quo intelligitur, non eſſe eam mixtionem, ut loquuntur Theologi, *de neceſſitate Sacramenti*. Nam quod Chriſtus aquam cum vino miſcuerit, non inde tamen poteſt inferri ejuſmodi mixtionem eſſe de præcepto divino; non enim ad præceptum divinum conſtituendum ſatis eſt, Chriſtum aquam cum vino miſcuiſſe, ſed id fieri etiam juſſiſſe oportuit. Et ſane Chriſtus Jeſus conſecravit in azymo, numquid ergo Eccleſiæ Græcæ conſecrationem in fermentato nullius roboris eſſe dicemus? Chriſtus conſecravit exacta Cœna; quis tamen negare auſit neminem jejunium debere ad Euchariſtiam accedere? Vide 3. Collationem Lucionenſem q. 2. par. 4. ubi hoc argumentum uberrime pertractatum reperies. Sed ut ad rem noſtram redeamus, in hac Miſſæ parte, ſive ea privata, ſive ſolemnis ſit, aqua in Calicem infunditur & cum vino commiſcetur; idque tantum diſcriminis eſt, quod in Miſſa privata Sacerdos vini & aquæ ampullas accipit de manu Miniſtri; in Miſſa vero ſolemni Subdiaconus Calicem Purificatorio extergit, & Diaconus ſumta de manu Subdiaconi ampulla vini in Calicem vinum immittit; tum Subdiaconus interim ampullam aquæ oſtendens Sacerdoti celebranti dicit: *Benedicite Reverende Pater*, qui facto verſus eam Crucis ſigno, dicit Orationem *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ*, & interim idem Subdiaconus infundit paullulum aquæ in Calicem. In Miſſa Romani Pontificis juxta Ordinem 15. Romanum apud Mabillonium tom. 2. Muſei Italici pag. 500. Sacriſta Calicem cum ternis Hoſtiis parat, quarum altera ad Sacrificium, reliquæ duæ ad ſummovendam veneni ſuſpicionem adhibebantur: *Parat Calicem cum tribus Hoſtiis, unam pro Sacramento, & duas pro proba, & in Papæ præſentia facit probam de vino & pane*. Deinde vinum infundit in Calicem: *Et fundit vinum in Calicem tantum, quantum durat cretulus Hoſtiæ*: aquæ vero *poſt benedictionem ponit cum cochleari tres guttas*; quem locum ex Ordine Romano 15. monet Mabillonius, cum iis conjungendum eſſe, quæ ſcripſit in Commentariis ad Ordinem Romanum p. 46.

Armenis venientibus in ſinum Romanæ Eccleſiæ non conceditur celebratio Sacrificii cum ſolo vino.

9. Scitu dignum eſt etiam quod cenſuit Sacra Congregatio de propaganda Fide 30. die Januarii habita anno 1635. de eo, quod quærebatur, an Armenis, quibuſcum agebatur de eorum cum S. Romana Eccleſia unione, indulgeri poſſet, ne aquam vino affunderent: *In Congregatione particulari ſuper unione Armenorum Poloniæ, propoſita quæſtione circa Liturgiam, an ſcilicet in Calicem conſecrandum poſſit non admiſceri aqua, Congregatio cenſuit, non eſſe permittendum Armenis ad unionem cum S. Romana Eccleſia venientibus, ut cum ſolo vino Sacrificium Miſſæ peragant, ob plures rationes. Prima eſt, quia licet hujuſmodi mixtio aquæ cum vino non ſit de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum ex præcepto Eccleſiæ, ſuper quo diſpenſare poteſt Papa; nihilominus quia aqua in vino conſecrando miſcetur ex traditione Apoſtolica, idque Chriſtum feciſſe ex teſtimoniis SS. Patrum creditur, nullo modo debet hujuſmodi Ritus Sacrificandi tolerari, aut Armenis permitti. Secunda eſt, quia ritus hujuſmodi Armenorum aut involvit hæreſim Monophyſitarum, aut ſaltem de illa eſt ſuſpectiſſimus. Nam Nicephorus Hiſtor. lib. 18. cap. 53. clare dicit, Armenos ſolum vinum conſecrare, ut per hoc oſtendant unam tantum eſſe in Chriſto naturam. Tertia eſt, quia Sacrum Concilium Florentinum in Inſtructione ad Armenos per verbum, decernimus, Armenis unitis jubet, ut parum aquæ in vino miſceant in Sacrificio. Quarta eſt, quia ſemper Armeni petierunt a Sede Apoſtolica, ut Ritus hujuſmodi eis permitteretur; & nihilominus id ſemper eis fuit negatum, Nam Gregorius VII. ut in ejus epiſtola lib. 7. Alexander III. Callixtus III. Eugenius III. Eugenius IV. indicto Concilio Florentino, Joannes XXII. Benedictus XI. & demum Paulus V. in Apoſtolicis litteris ad Melchiſedech Patriarcham nuncupatum Catholicum, hujuſmodi ritum permittere expreſſe renuerunt. Quinta & poſtrema, quia Lutherus hujuſmodi Ritum probavit, & Calviniſtæ eumdem obſervant in ſua Cœna; et ſi Armenis permitteretur prædictus Ritus in Regno Poloniæ, Calviniſtæ, qui in eo non pauci reperiuntur, Romanam Eccleſiam calumniarentur, quod ſcilicet mutaverit ſententiam, & cum eis ſentiat*. Et cum hac reſolutione concordat Canon. 24. Concilii Carthaginenſis III. ſub Sirico Papa, & can. 1. 2. & 3. de Conſecratione diſtinctione ſecunda.

Græcorum Ritus de commiſtenda aqua calida in Calicem conſecrandum.

10. Apud Græcos diverſus eſt ritus, qui juxta Sanctorum Baſilii & Chryſoſtomi Liturgias apud Goar in notis ad Miſſam S. Joannis Chryſoſtomi n. 167. & Arcudium lib. 3. Concordiæ cap. 39. bis aquam infundunt in Calicem, ſemel ante Miſ-

Missam, cum seorsim in mensa parant, quæ ad Missam opus sunt, & Sacerdos lanceola panem transfigit dicens, *Unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis, & aqua*, interea dum Diaconus frigidam infundit in Calicem; iterum vero, cum consecratione facta Diaconus ante Communionem petit a Sacerdote ut calidam aquam benedicat, quam Sacerdos benedicit illis verbis, *Benedictus fervor Sanctorum jugiter nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen*; cui Diaconus aquam interim calidam infundens in Calicem respondet, *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto, Amen*. Quidam ex Theologis fuere, qui aut non crediderunt hunc Ritum a Græcis adhiberi, & si quidem adhibetur, Græcos erroris insimularunt; sed vir doctissimus Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 9. §. 4. ostendit, hanc esse Ecclesiæ Græcæ disciplinam, nec esse eam improbandam, nec unquam fuisse improbatam. Vicecomes de antiquis Missæ Ritibus lib. 2. cap. 20. vix credit hunc esse Ecclesiæ Græcæ ritum; sed cum de eo testari videat Nicolaum Cabasilam, & Germanum Patriarcham, manus denique victas dat: mysticam vero quærit significationem, & ait morem hunc esse inductum, ut significetur, Spiritum Sanctum, qui igni comparatur, in hominum corda & mentem delabi. Et lib. 2. cap. 1. n. 7. idem Cardinalis addit, etiam in Latina Ecclesia Carthusianos, Fratres Prædicatores, Cistercienses juxta veterem consuetudinem, simul ac ad Altare accesserint, antequam Missam incipiant, vinum in Calicem infundere, & aquam miscere brevi quadam Oratione adhibita. Quod quidem faciunt, vel quod ad eas res tempus ante Missam putent accomodatius, vel ut plus temporis a commixtione ad consecrationem decurrat, quo aqua in vinum convertatur, & postea simul cum eo in Sanguinem; quod contendit Cardinalis Capisucchius controversia 1. §. 32. qua de re infra cap. 15. disputabimus.

De benedictione aquæ, antequam infundatur in Calicem. Ritus antiquus paullum ab eo, quo nunc utimur, diversus.

11. Sacerdos aquam benedicit antequam infundat in Calicem. Idem olim usurpabatur, sed diverso quodam modo. Neque enim aquam Sacerdos benedicebat, sed in Calicem ad modum Crucis infundebat, ut videre est in Ordine Romano apud Hittorpium, & in 3. Ordine Romano juxta monumenta, quæ affert Justinianus Chiapponus in dissertatione edita post Acta Canonizationis quatuor Sanctorum sub Clemente XI. pag. 278. Nunc vero Sacerdos non vinum, sed aquam, ligno Crucis super eam producto, benedicit: non vinum, quod Christum significat, cui nulla opus est benedictio; aquam vero benedicit, quæ significat Populum, qui in hac vita, cum non sit ab omni peccato purus, benedictione indiget, ut advertit Durandus. Nulla vero fit aquæ benedictio in Missis Defunctorum propter alterutram earum rationum, quas affert Gavantus in Comment. ad Rubr. Missal. par. 2. tit. 7. *Sicuti in fine Missæ Defunctorum non benedicitur Populus, ita nec aqua, quæ eumdem Populum significat, ut diximus: vel aqua hoc loco significat Populum Purgatorii, qui jam est in gratia.*

Oratio in benedictione, & commixtione aquæ.

12. Oratio vero, *Deus qui humanæ substantiæ*, quam, ut modo dicebamus, recitat Sacerdos, cum aquam infundit in Calicem, ea continet verba, notatu sane dignissima, *da nobis per hujus aquæ & vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps Jesus Christus Filius tuus Dominus noster.*

Mysterium ejus commixtionis ex D. Cypriano.

13. In ea vini & aquæ commixtione quodnam mysterium contineatur explicat D. Cyprianus epistola ad Cæcilium, cujus verba cum iis, quæ diximus, plane consentiunt. *Videmus in aqua Populum intelligi, in vino ostendi Sanguinem Christi. Quando autem in Calice aqua vino miscetur, Christo Populus adunatur, & Credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjugitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, idest plebem in Ecclesia constitutam, fideliter in eo quod credidit perseverantem nulla res separare potuit a Christo.*

Aliæ ejusdem commixtionis mysticæ significationes.

14. Et quoniam mysticarum explicationum altera alteram non excludit, quidam per eam aquæ & vini commixtionem putant, Incarnationis ostendi mysterium, in quo humana natura cum divina hypostatice juncta est; quam explicationem tueri videntur ipsius Orationis verba, quæ supra attulimus. Alii per eam commixtionem putant intelligi aquam & sanguinem, quæ defluxerunt a latere Christi; & sane Sacerdos juxta Ritum Ambrosianum celebrans Missam, & Carthusiani cum aquam infundunt in Calicem, non eam quam attulimus, sed hanc recitant Orationem: *De latere Christi exivit sanguis & aqua. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen.* Ea vero verba, quibus Sacerdos postulat, nos fieri divinæ consortes naturæ, *Ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps*, ex secunda D. Petri epistola sunt desumta, ubi de Christo B. Apostolus: *Per quem*, inquit, *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.*

De Oblatione Calicis.

15. Aqua in Calicem indita, atque oratione conveniente dicta, Sacerdos Calicem dextera apprehendit manu, eumque sublatum tenens, stans in medio altari, elevatis in Cœlum oculis, eam dicit Orationem, *Offerimus tibi Domine*: qua dicta, facit signum Crucis cum Calice super Corporale, & ipsum in medio ita post hostiam collocat, ut hostia media sit inter Sacerdotem & Calicem, quem palla tegit. Deinde se inclinans submissa voce ait: *In spiritu humilitatis* &c. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, & statim jungens ante pectus ait: *Veni sanctificator* &c. & cum dicit *Benedic*, dextera manu super Hostiam & Calicem simul signum Crucis producit.

Duæ quæstiunculæ super Orationem Offerimus.

16. De Oratione *Offerimus tibi Domine* duo quæri solent: primum quid sit, quod Sacerdos in Hostiæ oblatione dicit *Offero*, ut liquet ex præfata Oratione, *Suscipe Sancte Pater*, & in oblatione Calicis dicit *Offerimus*: deinde, quid ea verba significent *Calicem salutaris*, cum in Calice nihil aliud quam vinum contineatur.

Cur in Oblatione Calicis Sacerdos dicat Offerimus, & non Offero, ut in oblatione Hostiæ.

17. Primam solvit quæstionem Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 9. num. 5. ubi ait, in oblatione Calicis idcirco dici, *Offerimus*, quod juxta Romanum Ritum olim in Missa solemni Sacerdos simul eam Orationem recitabat cum Diacono, qui vinum in Calicem infuderat, & sanguinem populo olim ministrabat; eumdem vero ritum, qui ad Missam solemnem pertineret, in Missa privata retentum; quam solutionem amplectitur etiam Pouget tom. 2. Instit. Catholicar. pag. 844.

Explicantur verba illa, Calicem salutaris.

18. Alteram difficultatem dilut Bellarminus tom. 3. controvers. lib. 6. de Missa cap. 17. qui animadvertit, non dici *Calicem salutarem*, sed *Calicem salutaris*, idest Calicem Christi, qui instituit, ut Calix ille offerretur & consecraretur. Illud etiam addit, quod etiamsi diceretur *Calicem salutarem*, tamen vera esset eorum verborum sententia, quæ referenda essent non ad præsentem Calicis statum, sed ad eum, quo redigendus est per Consecrationem. Uno verbo, quo sensu in Oratione, *Suscipe Sancte Pater*, dicit Sacerdos,

hanc

UAB Biblioteca de Ciències Socials

hanc immaculatam Hostiam, eodem sensu in Oratione *Offerimus* dicit *Calicem salutaris*, ut etiam observavit Pouget loco cit.

19. Quod Calix palla cooperiatur, id omni caret mysterio: ea enim cautio est, ne quid extrinsecus in Calicem decidat, ut post Micrologum observat Gavantus in Comment. ad Rubric. Missalis. Quod autem ad illud attinet, quod Sacerdos inter se & Calicem recta Hostiam collocat, scire oportet Græcos Panem & Vinum, seu Hostiam & Calicem ita locare, ut lineam rectam a latere ad latus efficiant; quod diu etiam retinuit Romana Ecclesia; scribit enim Micrologus cap. 10. *Ita juxta Romanum Ordinem in Altari componenda sunt, ut Oblata in Corporali posita, Calix ad dexterum latus Oblatæ ponatur, quasi sanguinem Domini susceperus; quam de latere Dominico profluxisse credimus.* In Annalibus Wadingi exstat epistola B. Joannis Parmensis Ordinis Minorum VII. Generalis, qui obiit anno 1289. ideoque multos post Micrologum annos, in qua jubet Fratres Provinciæ Etruriæ juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ locare Hostiam ad sinistram Sacerdotis manum, & Calicem ad ipsius dexteram. Et Le Brun tom. 1. pag. 318. putat Ritum collocandi Hostiam recta inter Sacerdotem, & Calicem usurpari cœpisse anno 1485.

De reliquis Orationibus ante divinum post Offertorium.

20. Denique earum, de quibus dicendum restat, Orationum, *In spiritu humilitatis*, & *Veni Sanctificator*, prima est in Missali Mozarabico, & in omnibus Missalibus tum vetustis tum recentioribus; altera itidem vetustissima est. Prima desumta est ex Oratione trium Puerorum qui Babylone in ignem conjecti sunt; Danielis c. 3. *In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur: sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te; & nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos, sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam & secundum multitudinem misericordiæ tuæ.* Quod vero attinet ad alteram illam Orationem, *Veni Sanctificator*, supervacaneum est monere, propter ea verba, *Omnipotens æterne Deus*, directam illam videri ad Patrem, seu indiscriminatim ad tres Personas, quæ sunt unus Deus; revera autem ad Spiritum Sanctum dirigi: quapropter in aliquibus Ecclesiis Galliæ olim recitabatur hymnus *Veni Creator Spiritus*, vel *Veni Sancte Spiritus, reple &c.* & in Missa Mozarabica dicitur *Veni Sanctæ Spiritus sanctificator.* Consonant veteres Liturgiæ Ecclesiæ Græcæ & Latinæ: in iis enim petitur, ut ignis Spiritus Sancti delabatur, absumatque panem & vinum, & in Corpus & Sanguinem Christi convertat: quo quidem nobis declaratur, quemadmodum Christi Corpus Spiritus Sancti opera in Virginali B. Mariæ utero formatum fuit, ita per eundem Spiritum Sanctum confici super Altare. Hoc argumentum egregie tractavit Bossuetus in *explicat. quarumdam difficultatum, quæ in Missa Orationibus occurrunt* cap. 5. & 6.

Filium tantum & Spiritum Sanctum Ecclesia invitat, ut e Cælo delabantur.

21. Id vero etiam apertius intelligitur ex illo verbo *Veni*; nam juxta sacrarum Scripturarum idiotismum duas tantum Personas, Filium scilicet & Spiritum Sanctum invitat Ecclesia, ut delabantur e Cœlo. Cum vero suam dirigit orationem ad Patrem, non dicit *Veni*, sed *Mitte Spiritum tuum*, vel *Mitte nobis Redemptorem*, *Mitte agnum, qui tollit peccata mundi.* Quamobrem cum Oratio *Veni Sanctificator*, non possit intelligi de Filio, pro quo fit deprecatio, sequitur, intelligendam esse de Spiritu Sancto, etiamsi in Oratione sit verbum illud *Omnipotens*. Spiritus enim Sanctus Deus est, & æternus item ut Pater & Filius. Videatur Le Brun tom. 1. pag. 329. & seq.

CAPUT XI.

De ablutione manuum usque ad Canonem.

De ablutione manuum ex S. Cyrillo, & D. Thoma.

1. Dicta Oratione *Veni Sanctificator*, Sacerdos a medio Altari se confert ad cornu Epistolæ, & Ministro aquam fundente, lavat manus, idest extremitates digitorum pollicis & indicis dicens Psalmum *Lavabo inter innocentes* cum *Gloria Patri*, qui tamen versus in Missis Defunctorum, & a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum omittitur. De hoc ritu loquitur S. Cyrillus in Catech. Mystag. 5. *Vidistis igitur*, inquit, *Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui circum Altare Dei stabant, Presbyteris. Num ideo prorsus dabat, ut sordes corporis abluerentur? Nequaquam. Nec enim adeo sordibus corporis fœdati in Ecclesiam ingredi solemus: sed illa manuum Ablutio symbolum est, oportere vos a peccatis omnibus & iniquitatibus mundari. Cum enim per manus designentur actiones, lavare certe easdem munditiem & puritatem operum significat. Nonne audistis David mysteria tractantem ista, & dicentem: Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine? Itaque manus abluere est symbolum, non obnoxium esse peccatis.* D. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 5. *ad primum* binas hujus Ablutionis rationes affert, quarum altera ab ipsa rei natura proficiscitur, & ad munditiam pertinet; altera moralis, quæ eadem est, quam dudum ex Sancto Cyrillo attulimus. Verba S. Doctoris, quibus respondet ad eam quæstionem, cur Sacerdos in Missa manus lavet, sunt quæ sequuntur. *Primo quidem quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis; unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo, propter significationem, quia ut Dionysius dicit, extremitatum Ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis secundum illud Joannis cap. 13. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet: & talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum.* Eadem scribit Titelmanus Exposit. Myster. Missæ cap. 34. *Manus*, inquit, *abluit* (Sacerdos) *quamquam alioqui in principio ante Altaris accessum mundatum se fuisse optime sciat, ut si forte interim ullam undecumque maculam contraxisset, abluatur hac ablutione, priusquam ad sacrosancta in manibus tenenda mysteria accedat; significans hoc ipso, si qua forsitan per humanæ fragilitatis miseriam hucusque vanitatum phantasmata mentem maculaverint, ut vel nunc omni attentione abjiciantur, & quasi novam cordis assumamus munditiam.* De duplici manuum antiqua Ablutione, altera ante Offertorium, altera post Incensum, quarum nunc in Missis cantatis retinetur secunda, postquam Sacerdos incensavit Altare, & incensatus est a Diacono, fuse agit Vertus tom. 4. pag. 174. & seq.

Solvitur quædam difficultas super Psalmo, Lavabo.

2. Psalmus *Lavabo* huic actioni aptissime convenit: & quamquam in quibusdam Ecclesiis quidam ejus versiculi duntaxat recitentur, tamen in Missali Romano Psalmus ille integer exhibetur; quod congruit cum Liturgiis S. Chrysostomi & S. Basilii. Excitarunt nonnulli de usu hujus Psalmi difficultatem, quomodo scilicet Sacerdos recitet versiculum illum *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*; quod sane absonum esse videtur a Christiana humilitate, quæ nostris oculis nosmetipsos despiciendos proponit, nosque metu & pudore

dore perfundit. Difficultatem hanc movet Le Brun tom. 1. pag. 351. & seq. qui probe observat, eodem tempore Sacerdotem, quo innocentiam suam ex animi sui conscientia verbis illis declarat, fateri, sibi opus esse Redemptoris manu & misericordia; *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei;* nec peccandi timore caret, nisi Deus præsto sit: *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam:* quibus sensibus Christiana continetur humilitas, de qua ad hoc exemplum fuse egimus lib. 3. de Canonizat. Sanctor. cap. 40. Desinit Psalmus ex more in *Gloria Patri*, qui versus in Missis, quas innuimus, ideo omittitur, quod indicium faciat lætitiæ, quæ abest ab iis Missis, quibus luctuosæ continentur Cæremoniæ, ut observat Meratus tom. 1. par. 1. pag. 498.

Adnotatio nes ad Orationem, Suscipe Sancta Trinitas.

3. Sacerdos extergit manus, iisque ante pectus junctis ad medium Altare redit, ubi, elevatis ad Deum oculis, statimque demissis, paullulum se inclinans dicit Orationem, *Suscipe Sancta Trinitas*. Ne longius quam par est a proposito digrediamur, in hac Oratione, *Suscipe Sancta Trinitas*, quædam adnotabimus. Innuisse tamen juvat manus junctas & corporis inclinationes, de quibus hic & alibi mentionem faciemus, humilitatem Sacerdotis exprimere, & Christi obedientiam significare juxta doctrinam D. Thomæ loco cit. *in responsione ad quintum: Quod autem manus interdum jungit, & se inclinat, est supplicitèr & humiliter orantis, & designat humilitatem & obedientiam Christi, ex qua passus est.*

Et Oratio incertum cujus sit Antiquitatis.

4. Scribit Cardinalis Bona lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 9. n. 6. se nescire, quam vetus sit oratio *Suscipe Sancta Trinitas*. Micrologus qui vivebat XI. sæculo cap. 11. ait, hanc Orationem neque in Liturgiis Gallicanis scriptam, recitari tantum a Presbyteris ex consuetudine: *Deinde inclinatus ante Altare dicat hanc Orationem, non ex aliquo Ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine*. Hujus tamen Orationis substantia reperitur in Græcis Liturgiis, in Missali Ambrosiano, & in pluribus aliis Missalibus & Sacramentariis, quæ Micrologo sunt antiquioria. Carthusiani eam non recitant, quod indicium facit sæculo XI. cum eorum Ordo sumsit exordium, nondum in Ecclesia Gratianopolitana, unde Missale acceperunt, eam Orationem in Missa adhibitam. Eam vero recitant Fratres Prædicatores, sed in breviorem formam redactam. Diximus, Sacerdotem ante Orationem, *Suscipe Sancta Trinitas*, jam fecisse Oblationem panis cum oratione *Suscipe Sancte Pater*, & Oblationem vini cum Oratione *Offerimus tibi Domine Calicem*, ac deinde offerre iterum panem & vinum conjunctim cum Oratione *Suscipe Sancta Trinitas*. Olim Gallicana Ecclesia non offerebat disjunctim panem & vinum, sed utrumque simul cum Oratione *Suscipe Sancta Trinitas*, atque hunc adhibent Ritum etiam nunc Carmelitæ, & Fratres Prædicatores. Verum Ritus, quo utitur Romana Ecclesia, offerendi primum separatim panem & vinum, ac deinde utrumque simul, omnino consentit cum Ritu Ambrosiano. Quidam vero existimant, quam nunc Sacerdos offerendo panem recitat Orationem *Suscipe Sancte Pater*, eam olim non ipsum Sacerdotem, sed Populum recitare consuevisse, cum Sacerdoti panem consecrandum offerebat: postquam autem mos ille exolevit apud Populum offerendi panem, Sacerdotem subinde cœpisse eam dicere nomine Populi. Vide Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 846.

Cur mentio fiat in ea Oratione Pas.

5. In eadem Oratione mentio fit de Passione, Resurrectione & Ascensione Domini Nostri Jesu Christi: *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Jesu Christi Domini nostri*, idque ut totum exprimatur Christi Sacrificium. In Sacrificiis Judaicis mactanda victima eligebatur, atque per ejusmodi electionem quasi sanctificata censebatur, & a profano usu semota: in Incarnatione itidem victima selecta fuit, & sanctificata; humana enim electa fuit Christi natura, eaque cum natura divina hypostatice conjuncta, ac per eam unionem conflata fuit victima digna, quæ Deo sacrificaretur. In iisdem Judæorum sacrificiis victimam Sacerdos offerebat antequam mactaret: primam itidem victimæ oblationem ante ejus immolationem fecit Christus in momento nativitatis suæ: *Ingrediens enim mundum dicit: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam*: Verba sunt Apostoli ad Hæbræos cap. 10. In sacrificiis Judaicis sacrificabatur victima, ejusque sanguis circum Altare spargebatur: in Lege nova nostra fuit victima mactata in Cruce, ubi se ipse Christus obtulit Patri in nostrorum expiationem peccatorum, suumque sanguinem fudit circum altare, cum sacrum ejus latus lancea transfixum est. In sacrificiis Judaicis victima incendebatur super altare holocaustorum, ut quicquid in ea vitii esset, flammis absumeretur, & fumus ad Cœlum tolleretur *in odorem suavitatis*, ut sacra Scriptura loquitur. In nova Lege consumpta fuit victima in Christi Resurrectione & Ascensione. Nam in Resurrectione absorptum fuit in Christo, *quod mortale est a vita*, ut ait Apostolus 2. Epist. ad Corinthios, absumptumque fuit quicquid inesse poterat corruptibile; & in Ascensione victima a Deo accepta in odorem suavitatis, & ad ejus dexteram fuit collocata. Denique in sacrificiis Judaicis Populus partem victimæ comedebat; & in die Pentecostes Populus *communicavit victimæ*, ut Scriptores loquuntur; nam Discipuli Christi Domini tunc cum eo sunt concorporati, eique tanquam membra capiti juxta verba Apostoli adhæserunt.

Resurrectionis, & Ascensionis Jesu Christi.

Cur Romana Ecclesia sola illa tantum mysteria commemorat, & non alia, ut Ecclesia Græca.

6. Quapropter in hac Oratione Ecclesia Græca de Incarnatione, de Nativitate, de Passione, de Resurrectione, de Ascensione, deque Spiritus S. adventu mentionem facit. Quod si nunc Romana Ecclesia in eadem Oratione Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem solum commemorat, in causa illud est, quod in tribus hisce mysteriis, quæ sunt præcipuæ Sacrificii partes, optime repræsentantur immolatio victimæ & consumptio.

Cur primi quatuor jacula non ad Trinitatem, sed ad Patrem Orationi dirigerentur.

7. Oratio *Suscipe Sancta Trinitas* ad SS. Trinitatem dirigitur. Quatuor primis Ecclesiæ sæculis omnes Orationes ad Deum Patrem dirigebantur: *Ut in Altari semper ad Patrem dirigatur Oratio*; verba sunt Concilii Carthaginensis Tertii can. 23. Noverant profecto Fideles, Patrem non adorari, quin Filius item adoretur & Spiritus Sanctus; sed gravi quidem causa a Sanctissima Trinitate nominanda abstinebant, veriti ne, quam Christiani reprobabant Deorum multitudinem, sibi exprobrarent ii, qui trium Personarum Mysterium ignorabant, ut bene advertit Florus Lugdunensis *Tractatu de actione Missæ*. Illo autem sublato metu, nihil verita est Ecclesia tum Latina, tum Græca in offerendo Sacrificio dicere *Suscipe Sancta Trinitas*. In eadem Oratione Sacerdos Sanctissimam Trinitatem deprecatur, oblationem ut accipiat in honorem B. Mariæ Virginis, S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sanctorum quorum Reliquiæ conditæ sunt in Altari, & omnium aliorum San-

Cur dicatur: In honorem B. Mariæ V. &c. Explicantur illæ Ut illis proficiat ad honorem &c.

cto-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

&orum, *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem;* quidquid enim honoris & gloriæ adepti sunt Sancti, id omne vi Sacrificii Christi sunt consequuti, & Christi honor & gloria diffunditur in Sanctos, qui sunt membra viventia cum eo veluti cum capite conjuncta; nec quisquam Catholicus negaverit, Sacrificium Missæ maximam Jesu Christo parere gloriam, ut abunde nostri ostendunt Theologi, quorum doctrinam a nobis hic in compendium collatam fuse explicavit Pouget Instit. Catholicar. loc. cit. pag. 846. & seq. & Le Brun tom. 1. pag. 158. & seq.

De Oratione, Orate Fratres.

8. Post Orationem *Suscipe Sancta Trinitas*, Sacerdos osculatur Altare, & ad Populum conversus dicit *Orate Fratres*, & submissa voce prosequitur, *ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem*. Non absimili Oratione respondet Minister Deum deprecans, ut Sacrificium suscipiat ad laudem & honorem nominis sui, & ad nostram & Ecclesiæ universæ utilitatem. Deinde Sacerdos in gyrum vertitur ad eam partem ubi est Missale; ita ut circulum describat, & in medio Altari remaneat, ac submissa voce dicit *Amen;* subinde dicit *Oremus*, & Orationes prosequitur, quæ dicuntur *Secretæ*.

Christiani veteres Fratres se appellabant. Oratio illa, saltem ejus substantia est S. Leonis I.

9. Ad illa verba, *Orate Fratres*, notandum, Christianos olim invicem se fratres appellare consuevisse. Quia vero Ethnici, ut morum suorum tegerent fœditatem, sacris hisce nominibus abutebantur, idcirco Cæcilius apud Minucium Felicem Christianis ea nomina fratris & sororis exprobravit, quasi argumenta essent prostratæ apud Christianos pudicitiæ, cui ad hunc modum respondit Octavius: *Sic nos quod invidetis Fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes Fidei, ut spei coheredes*. Legendus Kortholtus in tractatu *de Calumniis Paganorum in veteres Christianos sparsis* pag. 168. ubi erudite hoc tractat argumentum. Eam Orationem, *Orate Fratres*, Radulphus Proposit. 23. S. Leoni I. tribuit; quod admitti potest, si de verborum loquitur forma, qua hodie utimur, nam totius sententiæ substantia reperitur in Liturgiis Sanctorum Marci & Jacobi, ut advertit Meratus tom. 1. par. 1. pag. 500. n. 31.

De Orationibus quæ dicuntur Secretæ. Ratio ejus nominis.

10. Orationes secretæ in quibusdam Missalibus appellantur *Orationes super Oblata*. Diu tamen est, cum vocantur *Secretæ*, ut a ceteris Orationibus distinguantur, quæ dicendæ sunt *clara voce ita audientibus accommodata, ut quæ legantur, intelligant*. Secretæ enim submissa voce a Sacerdote sunt recitandæ: *Quæ secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut & ipsemet se audiat, & a circumstantibus non audiatur;* verba sunt Rubricæ in Missali Romano. Bossuetus in explicat. quarumdam Orationum Missæ cap. 2. magis ut quid suspicaretur aperiret, quam quod ita existimaret, scripsit vocem *Secreta* idem esse ac *Secretio*. Satis id fuit Novatoribus, quo triumpharent, & adversus apertissimum Tridentini Concilii Decretum statuerent, Secretas & Canonem Missæ elata esse voce recitanda. Sed hac de re inferius sermonem habebimus.

Mens Ecclesiæ in Orationibus secretis.

11. Quæ sit Ecclesiæ mens in his Orationibus, pulcre declaratur in Secreta Missæ in Dominica quinta post Pentecostem hisce verbis concepta: *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum tuorum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem*.

De clausula. Per omnia sæcula sæculorum &c. cur post

12. Sacerdos ubi ad postremæ Orationis secretæ finem pervenit, vocem tollit, & dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ verba ad Orationes pertinent, quæ jam recitatæ sunt; atque ea clausula, *Per omnia sæcula sæculorum*, idcirco dicitur elata voce, ut Populus respondeat *Amen*, & Orationes a Sacerdote recitatas confirmet, ut post Micrologum cap. 7. observat Cardinalis Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 17. §. *de Præfatione*. Sequitur deinde Præfatio, ad quam plura adnotabimus.

Secreta dicatur elata voce.

De Præfatione. In aliquibus Liturgiis dicitur Latio, in quibusdam aliis etiam Contestatio.

13. Primo, Præfatio ex eo etymologiam trahit, quod sacro præeat Canoni, ac præparatio quædam sit ad Sacrificium, ut probe observat Durandus lib. 4. cap. 33. atque id ipsum confirmat Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 25. *Præfatio est Oratio, seu gratiarum actio, quæ Canoni præmittitur, qua disponitur Sacerdos & Populus ad tremendorum mysteriorum confectionem*. In Missali Mozarabico appellatur *Inlatio*; nam ex Fidelium verbis Sacerdos infert, dignum & justum esse Deo gratias agere, illaudare, & magnificare, ut advertit Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 10. n. 2. ac ob eandem rationem Præfatio appellatur *Contestatio* in Sacramentario Gallicano edito a Mabillonio tom. 1. Itiner. Italici.

Præfatio in Missa est Apostolicorum temporum. Quasdam Præfationes composuit S. Gelasius.

14. Secundo, Walfridus Strabo cap. 22. se nescire ait, quis Præfationis fuerit auctor: *Præfationem actionis, quæ Populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanæ vocis supplicatio cœlestium virtutum laudibus admitti deposcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum est*. In libro Pontificali tribuitur hæc Oratio S. Gelasio I. *Fecit Sacramentorum Præfationes & Orationes canto sermone*. Quod tamen Gavantus, Cardinalis Bona, Meratus, allique melioris notæ Viri docti ita intelligunt, ut quasdam quidem earum composuerit, non tamen primus hanc Orationem in Missam introduxerit; ejus enim mentio fit in Liturgia S. Jacobi, & in operibus S. Cypriani, & S. Cyrilli, qui S. Gelasio sunt antiquiores; quamobrem docet Præfationis institutionem vel Sanctis Apostolis, vel Apostolicorum temporum viris esse tribuendam.

Cur in Præfatione Sacerdos non dicat, Dominus vobiscum, conversus ad Populum.

15. Tertio, incipit Præfatio ex salutatione ad populum *Dominus vobiscum*; neque tamen Sacerdos se convertit ad Populum; vel quia cum dixit *Orate fratres*, quodammodo Populum dimiserit; vel quia ante Præfationem juxta Liturgias Sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrisostomi Sanctuarium claudebatur, & circum Altare velum oppandebatur; ideoque nihil in illa salutatione opus erat, ut se Sacerdos converteret ad Populum, quem videre non poterat, ut observat Le Brun tom. 1. pag. 386.

Novem sunt Præfationes. Multo plures habent Ambrosiani, & Mozarabes.

16. Quarto, novem sunt Præfationes juxta ea, quæ Pelagius II. Pontifex scripsit ad Episcopos Germaniæ & Galliæ; prima de Nativitate Domini, secunda de Epiphania, tertia de Quadragesima, quarta de Cruce, quinta de Paschate, sexta de Ascensione, septima de Pentecoste, octava de SS. Trinitate, nona de Apostolis, ut videre est in Canone *Invenimus*, *de Consecratione dist.* 1., quibus Urbanus II. aliam addidit in Concilio Placentino, quæ est de B. Virgine, ut refertur in Canone *Sanctorum* §. finali distinct. 70. De hac Pelagii II. Epistola, genuinane illa sit an spuria, vehementer dubitat Pagius in vita Pelagii II. n. 17. & ante eum dubitaverat etiam Card. Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 10. n. 3. Causas dubitandi si quis scire cupiat, adeat illos Auctores loc. cit. & Meratum tom. 1. par. 1. pag. 230. n. 6. Illud certissimum est, in Missalibus post annum 1200. editis novem illas duntaxat Præfationes reperiri, quas recenset Decretum Pelagii II. quibus deinde addita est Præfatio communis, quæ vetustissi-

ma est, & Gelasio vel Gregorio Magno tribuitur, & Præfatio de B. Virgine ubi supra relata; ita ut undecim sint Præfationes omnes, quibus utitur Romana Ecclesia. Græci unam tantum Præfationem in omnibus Missis adhibent. Mozarabes Præfationes habent proprias, in quibus vel Festivitatis, quæ celebratur, Mysterium, vel cujus Sancti in honorem solemnitas agitur, merita commemorantur. Plurimæ Præfationes sunt in Ritu Ambrosiano, suis quibusque Festivitatibus, temporibus & Sanctis primi Ordinis propriæ. Has recognosci & emendari jussit S. Carolus Borromæus Cardinalis & Episcopus Mediolanensis, qui ad eam rem Galesinii aliorumque doctorum virorum operam adhibuit. Easdem emendavit etiam Fridericus Cardinalis Borromæus S. Caroli agnatus, Archiepiscopus itidem Mediolanensis, ut videre est apud Septalam Episcopum Dertonensem de Missa pag. 169.

Initium Præfationis, Sursum corda, vetustissimum.

17. Quinto, Præfationes omnes incipiunt per hæc verba, *Sursum corda*; quibus respondet Minister *Habemus ad Dominum*. Vetustissimum est ejusmodi initium. Ea enim verba habentur in Liturgiis Sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi. De iis loquitur D. Aug. serm. 217. edit. Benedictinæ: *Tenetis Sacramenta ordine suo. Primo post Orationem admonemini sursum habere cor. Ideo enim cum dicitur, Sursum cor, respondetis: Habemus ad Dominum. Sequitur Episcopus vel Presbyter qui offert, & dicit, Gratias agamus Domino Deo nostro; & vos attestamini, Dignum & justum est.* Et S. Cyprianus de Dominica Oratione pulchre eorum verborum significationem explicat: *Sacerdos ante Orationem Præfatione præmissa parat Fratrum mentes dicendo, Sursum corda; ut dum respondet Plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.*

Refelluntur calumniæ Hæreticorum.

Cum iis consonat S. Cyrillus Catech. 5. Mystagog. Dissertatio quædam Lipsiæ edita fuit cui titulus: *Formula veteris Ecclesiæ excitatoria ad devotionem Sursum corda*, quam die 28. Octobr. ann. 1704. in Lipsiensi Academia propugnavit quidam Zarnerus Præsidente Adamo Rechembergio, qui duo sunt hæreticarum partium homines; ea dissertatio tom. 318. Miscellaneorum continetur in Bibliotheca Dominici Cardinalis Passionei; atque in §. 26. more suo putidam fœdamque Romanæ Ecclesiæ calumniam affingunt, qui dicunt mentis elevationem apud nos mutatam in Hostiæ & Calicis elevationem: *Occurrunt hic nobis Pontificii, qui in veteri Ecclesia Catholica requisitam in Eucharistia elevationem mentis trasmutarant in elevationem Symbolorum Eucharisticorum, hoc est Panis & Vini consecrati, ut certo quodam Ritu a Populo Panis consecratus adoretur.* Hic nos de Hostiæ & Calicis elevatione non loquimur, qui de ea suo disputabimus loco. Dicimus vero simul cum eo Ritu & cum adoratione, quæ Pani & Vino consecratis præsertim in eorum elevatione debetur, adhuc apud nos in usu esse formulam *Sursum corda*; Fidelibusque item ut antea inculcatur, ut iis verbis excitati suam ad Deum mentem sustollant. Videatur Auctor de optima audiendæ Missæ ratione secundæ edit. Parisien. ann. 1681. pag. 300. Auctor Tractat. de Missa Divinisque Officiis. edit. Parisien. ann. 1714. pag. 95. & seq. Balthassarrus Soc. Jesu in Liturgia illustrata par. 2. cap. 2. ceterique omnes Catholici qui de Missa scripserunt.

De Hymno Sanctus, Sanctus &c.

18. Sexto, Præfationes omnes in illum desinunt Hymnum, quem Græci triumphalem, nos Angelicum appellamus *Sanctus, Sanctus &c.* Isaias enim cap. 6. vidisse se ait *Dominum sedentem super solium excelsum*, & Seraphim audisse canentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus.* Ea enim sunt in Præfationibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis*, quæ turbæ cecinerunt cum Christus Jesus ante Passionem suam solemniter ingressus est Hierosolymam, ut apud Matthæum cap. 21. Nos alibi sermonem habuimus de Trisagio *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, quod idem non est cum hymno triumphali seu Angelico de quo modo loquuti sumus, ut bene observat Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 10. & Juvenius de Sacram. differt. 5. q. 8. de Euchar. Sacrif. cap. 7. §. 3. ait, hymnum *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* in omnibus haberi Liturgiis tum Latinis tum Græcis; & Trisagium *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis* quotidie Græcos canere in principio Liturgiæ, Latinos vero illud adhibere Feria tantum sexta in Parasceve.

De pulsanda campanula ad illa verba Sanctus, Sanctus Dominus.

19. Postremo, Sacerdos cum ad illa Præfationis verba pervenit *Sanctus, Sanctus &c.* manus hactenus sublatas & extensas jungit ante pectus, & reliqua Præfationis verba voce non ita elata prosequitur, cum interea Minister Campanulam pulsat; denique Sacerdos cum dicit, *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* se erigit, sibique a fronte ad pectus Crucis signum producit. Hæc omnia ex Rubrica Missalis. De pulsanda campanula sermonem habebimus, cum de elevatione Hostiæ differemus. Quod autem pulsatur cum dicitur *Sanctus, Sanctus*, Macrus verbo *Campana* ait id per abusum fieri; non enim pulsari in privato Palatii Apostolici sacello, cum Papa privatam Missam celebrat, vel privatæ Missæ adest. Quod si verum esset, per abusum etiam dicendum esset pulsari campanulam ad elevationem Hostiæ; nam in sacello Pontificio ne ad elevationem quidem Hostiæ pulsatur. Quamobrem concludendum, Ritum pulsandi Campanulam ad elevationem Sacramenti adhiberi cœptum etiam ad ea verba, *Sanctus, Sanctus &c.* ad excitandos adstantium animos ad devotionem; hujus consuetudinis originem nobis esse adhuc incompertam; ac retinendum hunc ritum ubi jam viget; in sacris enim Ritibus variatione nihil perniciosius.

CAPUT XII.

De Canone Missæ.

Canon est firma regula, juxta quam fit novæ Legis sacrificium. Varia ejus nomina apud Patres, & veteres Scriptores.

1. CAnon idem valet ac Regula: ea utitur voce Ecclesia ut significet, Canonem Missæ esse firmam regulam, juxta quam novi Testamenti Sacrificium est celebrandum. Canonem S. Gregorius *Precem*, Vigilius *Textum Canonicæ Præcis*, S. Cyprianus *Orationem*, Walfridus & alii *Actionem* appellant; quod in eo Sacramenta Domini conficiantur: quamobrem in Canone ad Orationem *Communicantes* appositus est titulus *infra Actionem*, seu *intra Actionem*, quemadmodum in quibusdam legitur codicibus, quod idem significat, non quidem juxta regulas Grammaticæ, sed juxta idiotismum, quem adoptarunt quidam Ecclesiasticorum librorum Scriptores: dicunt enim *infra Octavam*, quod fit intra Octavam; & in quibusdam Rubricis antiquorum Missalium legitur vinum *infra Calicem* infundendum, hoc est intra Calicem, & hostiam ponendam *infra Patenam*, hoc est in Patena, quod observat Le Brun tom. 1. pag. 433. Modo diximus a Walfrido Canonem appellari *Actionem*; cujus ea verba sunt ex cap. 22. *de Rebus Eccle-*

Ecclesiasticis: *Actio dicitur ipse Canon, quia in eo Sacramenta Dominica conficiuntur. Canon vero eadem Actio nominatur, quia in ea est legitima & regularis Sacramentorum confectio.* Et consentiunt Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 12. Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 11. n. 1. Le Brun. tom. 1. pag. 407. Tournely de Eucharist. tom. 2. pag. 432. Meratus tom. 1. par. 1. pag. 236.

Ponitur Auctoribus Canon tribuatur.

2. Incipit Canon Missæ ab ea Oratione, *Te igitur Clementissime Pater*, qui Canon submissa voce dicitur usque ad Orationem Dominicalem, quam Sacerdos elata voce recitat. Auctor Canonis a quibusdam ponitur Gelasius I. Alii Canonem tribuunt Musæo Massilienſi Presbytero, nonnulli etiam Voconio Episcopo Castellanensi in Mauritania: hi enim omnes teste Gennadio libros de re Sacramentaria conscripserunt. Anonymus 12. sæculi Scriptor, ejus Tractatus Auctor de Scriptoribus Ecclesiasticis, quem Fabricius edidit in Bibliotheca Ecclesiastica tom. 2. pag. 143. Canonem Missæ scriptum putat a S. Clemente Alexandrino. Testimonium denique celebre est S. Gregorii lib. 7. Ep. 64. nunc lib. 9. Ep. 12. qui Canonem dicit a Scholastico quodam esse compositum.

De Scholastico, cui Canonem tribuit S. Gregorius Magnus. An illud nomen proprium sit, an vero appellativum.

3. Atque hic magnæ illi controversiæ locus esse potest, an Scholasticus nomen sit cujusdam Viri proprium, an vero appellativum, & significet doctum & litteratum hominem; & num S. Gregorius totum Canonem, an quamdam solum Orationem Scholastico illi tribuerit.

Scholastici olim appellabantur viri litteris eruditi.

4. Serapion vir doctissimus ob ingenii magnitudinem apud Hieronymum lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Scholasticus appellatur. Gennadius in Catal. *Scriptorum Ecclesiasticorum* Prosperum vocat *Sermone Scholasticum*, id est eloquentia & eruditione clarum. Honorius etiam in *Catalogo Scriptorum* scribit, Alcuinum fuisse *officio Scholasticum*. D. Gregorius M. lib. 10. ep. 2. Matthæum quemdam clarissimum virum *Scholasticum* vocat. In eodem significatu Scholastici nomen accipit S. Augustinus in Psalm. 44. Ac Scholastici quidem olim erant illi Presbyteri doctrina & eruditione clari, qui, ut Pantænus, Clemens Alexandrinus, & Origines, Christianorum scholas regebant, in quibus ii erudiebantur qui a Judaica Religione, vel Idolorum cultu ad Christi fidem commigrabant. Et Severus Sulpitius Dialogo 2. dicit, *vos Scholastici*, pro *vos Sapientes*; idemque S. Gregorius lib. 10. epist. 2. doctum quemdam virum collaudans *virum clarissimum Scholasticum* vocat.

An S. Gregorius Magnus Scholastico tribuat totum Canonem, an vero Orationem aliquam earum, quæ in Canone continentur.

5. Atque hæc sunt, quæ proferunt ii, qui putant S. Gregorium nomine Scholastici, non hominem quemdam intellexisse, cui nomen illud proprium inditum esset, sed virum litteris eruditum, qui Canonem scripserit. Contra ii qui existimant S. Pontificem de homine loquutum, cujus proprium esset nomen Scholastici, provocant ad ejus Epistolam 54. lib. 2. & ad Epistolam 14. lib. 9. ubi nomen Scholastici est nomen hominis proprium. Quod vero ad illud attinet, an S. Gregorius Scholastico, quem vel de nomine suo, vel propter ejus doctrinam ita appellat, dum Canonem tribuit, totum Canonem intelligat, an vero Orationem aliquam earum, quæ sunt in Canone, Maldonatus in Censura quadam apud Le Brun tom. 2. dissertat. art. 2. n. 9. putat, S. Gregorium non de ipso integro Canone, sed de oratione quadam eo injecta loquutum esse; incredibile enim sibi videri ait, privatum hominem tantum sibi tribuisse auctoritatis, ut Canonem integrum Missæ ab universali Ecclesia recitandum componeret. Huic sententiæ refragatur Cardinalis Bona Rer. Liturgic. loc. cit. num. 2. *Jacobus Jansonius in suis Liturgicis lib. 3. cap. 10. per precem, quam Gregorius ait a Scholastico compositam, non putat Canonem intelligi debere, sed aliquam Orationem Actioni Missæ insertam. Revera tamen de Canone ibi Gregorium loqui, ipse contextus Epistolæ evincit*: & Cardinalem Bona in omnibus sequitur Meratus cit. tom. 1. par. 1. pag. 236. Sed de hoc ipso infra redibit sermo.

Canon a pluribus compositus est. Locus ex Tridentina Synodo de Canone Missæ pulcherrimus.

6. Sed amotis hujusmodi eruditis concertationibus, locum afferimus ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. de Sacrificio Missæ: *Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime Sanctitatem & pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum Traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Nihil de Canonis auctoritate quidquam detrahit, quod a pluribus compositus sit; nam liber etiam Psalmorum teste Hieronymo epist. ad Sophronium liber est singularis, qui tamen multos Auctores habet; & Symbolum Apostolicum tradit Rufinus in ejus explicatione, & S. Leo Epist. 13. ad Pulcheriam, compositum ab Apostolis duodecim fuisse, quorum suam quisque sententiam illuc contulerit; ut nihil dicam de explicationibus, quas Concilium Nicænum & Constantinopolitanum addidere, unde Symbolum illud conflatum, quod appellatur Constantinopolitanum.

Canon est vetustissimus, & prior sæculo IV.

7. Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 4. art. 8. n. 3. mirari se ait, idque jure optimo Tridentinorum Patrum doctrinam & prudentiam in allato capite. Et sane vetustum esse Canonem intelligitur ex Vigilii Papæ, qui S. Gregorio antiquior est, Epistola ad Eucherium, seu ad Profuturum: quod ex vetustis Codicibus colligit Baluzius in notis ad librum Antonii Augustini de emendatione Gratiani; ubi diserte ait, Canonem Missæ ex Apostolica traditione profectum esse. Præterea Canonem a quarto usque sæculo adhibitum testatur S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. & 6. ubi pars illa Canonis, paucis quibusdam immutatis, legitur; *Quam oblationem tu Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam*; & illa itidem: *Qui pridie quam pateretur*, & illa: *Supra quæ propitio ac sereno*; idemque S. Doctor lib. 4. de Sacram. cap. 4. diserte meminit Orationis illius in Canone, in qua Sacerdos orat pro Ecclesia, etsi non afferat ipsa Orationis verba. Et ipsi lib. 1. de Canonizat. cap. 5. num. 6. observavimus, in nostro Canone commemorationem fieri duntaxat Apostolorum & Martyrum, non vero Confessorum; quod indicium est Canonem priorem esse sæculo IV. cum cultus Martyribus tantum, nondum vero Confessoribus tribuebatur.

S. Gregorius consiliatur cum vera sententia, quæ statuit Canonem esse vetustissimum.

8. Quia vero S. Gregorii plurimi, ut par est, auctoritas æstimari debet, dicendum Sanctum Pontificem non de Canonis loqui substantia, sed de ipsis verbis, quibus ille concinnatus fuit. Cardinalis Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 19. ita de hac re disputat: Si S. Gregorius nomine Scholastici doctum aliquem virum intelligit, nihil id prohibet, quominus dicamus, Canonem ab Apostolis, iisque qui Apostolis proxime successerunt, compositum fuisse; nam & illis Scholastici nomen jure potest congruere: si vero S. Doctor virum aliquem intelligit, cui Scholasti-

Iasilici nomen proprium esset, quique vel ejus ætate vixerit vel paullo ante obierit, decurrendum est ad Maldonati aliorumque sententiam satis quidem probabilem, qui putant, S. Gregorium Scholastico non integrum Canonem, sed Orationem quampiam tribuere insertam in Canonem. Atque itam rem se habere ipsius facti integra serie probabilissime ostenditur. Scribit S. Gregorius, se de eo accusatum esse, quod recitari susserit *Pater noster* post Canonem; seque id seciste ait, quod indignum sibi videbatur, Orationem a Scholastico compositam ante Communionem recitari, Orationem vero Dominicalem non dici supra Corpus Christi; fortasse enim ejus ætate Oratio Dominicalis vel in Missa non dicebatur, vel recitabatur post Communionem: ex quo intelligitur, S. Gregorium non de integro Canone, sed de Oratione quapiam eo insertam loquutum esse.

Explicatur locus ex Tridentina Synodo.

9. Antequam ad Orationes & cæremonias veniamus, quæ dicuntur & fiunt in Canone, quoniam de iis, quæ Tridentina Synodus agens de Canone constituit, supra verba secimus, opportunum putamus quædam innuere, quæ leguntur in Canone, nec in sacris Evangeliis reperiuntur, quædam etiam quæ summi Pontifices addidere: illud enim primum ad sacri Concilii textum pertinet, ubi dicunt Patres Canonem compositum esse *ex ipsis Domini verbis*; hoc vero posterius respicit id quod S. Synodus ait, Canonem compositum esse *ex Sanctorum Pontificum piis institutionibus*.

De iis, quæ sunt in Canone ex Apostolica Traditione.

10. Innocentius III. in Decretali *Cum Marthæ* de Celebrat. Missarum, quæsitum esse ait, cur in Canone Missæ in Consecratione Calicis inter verba Jesu Christi, quæ refert Matthæus cap. 26. irrepserint ea *Mysterium Fidei*; & respondet Pontifex, illud etiam quæri potuisse, cur narretur in Canone, Christum in Consecratione panis oculos ad Cœlum sustulisse, cum id in nullo proditum sit Evangelio; cur etiam in Consecratione Calicis, cum S. Matthæus narret, Christum dixisse, *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti*, additum sit verbum illud *& æterni*; respondet deinde directe idem Pontifex, in Canone multa contineri verba, quæ a Christo Domino dicta esse testantur Evangelistæ, ut negari non possit, Canonem *ex verbis* etiam *Domini* concinnatum esse: Pergit Pontifex, & generalem hanc regulam statuit: *Multa tam de verbis quam de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur*. Eam regulam confirmat loco ex Actis Apostolorum: *Paulus enim in Actibus Apostolorum sic ait: Meminisse nos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Beatius est dare, quam accipere. Hæc nullus quatuor Euangelistarum descripsit*: itaque observat, quemadmodum apud Joannem cap. 11. habetur Jesum Christum cum Lazarum revocavit ad vitam, oculos ad Cœlum sustulisse, ita verisimile esse, oculos itidem ad Cœlum elevasse, cum panem & vinum in suum corpus & sanguinem convertit: *Si tunc igitur in Cœlum oculos levavit ad Patrem, cum ad corpus exanime animam Lazari revocavit, probabilius esse videtur, quod tunc oculos levaverit ad Patrem in Cœlum, cum panem & vinum in corpus & sanguinem proprium commutavit*. Adde, quod etiam cum duos pisces & quinque panes multiplicavit, *respexit in Cœlum*, ut legitur apud Lucam cap. 9. & apud Marcum cap. 6. *intuens in Cœlum benedixit*: Quod satis ostendit, idem seciste Christum Dominum in institutione Eucharistiæ, etsi id non habetur in Evangelio: *Quare non est dubium, quin idem in hac sacratissima secerit actione, etsi in novo Testamento id non reperiatur scriptum*; verba sunt Hugonis Menardi in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 18. Denique monet Innocentius, vocem *æterni* cum Evangelio probe congruere: *Hic est sanguis meus novi & æterni Testamenti: nam in Evangelio legitur: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*: Evangelio itidem consona esse verba illa *Mysterium Fidei* propter panis & vini Transubstantiationem in Corpus & Sanguinem Domini diserte ibi expressam: *Dicitur autem Mysterium Fidei, quoniam aliud ibi creditur, quam cernatur, & aliud cernitur quam credatur. Cernitur species panis & vini, & creditur veritas carnis & sanguinis Christi; ac virtus unitatis & charitatis*. D. Thomas 3. par. q. 83. art. 4. quærit, cur dicatur in Canone Missæ, Christum in panis & vini Consecratione oculos ad Cœlum elevasse; cum id non reperiatur in Evangelio; & respondet S. Doctor, id credi velut ab Apostolica Traditione acceptum: *Rationabile enim videtur, ut qui in suscitatione Lazari, ut habetur Joannis* 11. *& in oratione, quam pro discipulis fecit Joann.* 17. *oculos levavit ad Patrem, in hujus Sacramenti institutione tanto magis hoc fecerit tanquam in re potiori*. Idem S. Doctor illam loco citato proponit difficultatem, in Canone scilicet Missæ haberi, *Accipite & manducate ex hoc omnes*; & in Evangelio legi tantummodo, *Accipite & comedite*; quam difficultatem ita solvit: *Quod autem dicitur manducate, & non comedite, non differt, quantum ad sensum &c. Quod autem additur, Omnes, intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur, quia ipse dixerat Joannis 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: & ead. 3. par. q. 78. art. 3. ad 6. verba illa *Mysterium Fidei* ita explicat: *quasi fidei objectum; quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc Sacramento, sola Fide tenetur*.

De iis, quæ sunt ex institutione summorum Pontificum.

11. Itaque concludendum cum eodem Innocentio III. *Credimus, quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores*. Quod vero attinet ad pias sanctorum Pontificum institutiones, quas Tridentina Synodus ait partem Canonis conficere, proditum est ex Historia Sacra S. Leonem in Canone Missæ addidisse, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*; quæ dicuntur a Sacerdote in Oratione, quæ Consecrationem consequitur. Diximus præfata verba addita Orationi fuisse a S. Gregorio: Pamelius quidem tom. 1. Liturgic. pag. 572. controversiam illam noluit dirimere, utrum S. Leo omnem illam Orationem composuerit, an vero ea tantum verba eidem Orationi addiderit. Auctor quæstionum veteris & novi Testamenti apud D. August. tom. 4. qui scripsit in fine 4. sæculi, ideoque ante S. Leonem, affert Orationem, *Supra quæ propitio*; ejusdem etiam Orationis meminit S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, idque abunde probat non esse illam Orationem S. Leoni tribuendam, sed ab eodem S. Pontifice ea verba addita esse, ut bene advertit Pagius in ejus Vita n. 46. Memoriæ quodque traditum est in Ecclesiastica Historia, S. Gregorium verba illa in Canone addidisse *diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*, si qua fides Joanni Diacono, cui profecto habenda fides est in Vita S. Gregorii. Cum in secunda Canonis parte nonnullorum Sanctorum mentio fiat ut infra, quorum in prima parte nulla facta est commemoratio, testatur Adalbertus Episcopus libro de Virginitate cap. 25. S. Gregorium, qui animadvertisset

tisset nullius Sanctæ Virginis ibi mentionem fieri, nomina illuc inseruisse Sanctarum Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, & Anastasiæ.

Post Gregorium Magnum nihil amplius additum in Canone. Alexandro I male tribuitur Oratio, Unde & memores Domine.

12. Post S. Gregorium nullus Romanorum Pontificum quidquam in Canone inseruit, aut immutavit, quod observat Cardin. Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 11. n. 2. *Observandum nihilominus, neminem ex Pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam addidisse, aut immutasse*; & cum eo consentit Thiers tractatu de Superstitione tom. 1. cap. 1. pag. 13. edit. Parisien. anni 1704. Gregorium III. constat, in Oratorio quod in omnium Sanctorum honorem extruxerat, sacras Reliquias ex omnibus Orbis terræ partibus conquisitas collocasse, ac Monachos, qui tum temporis Vaticanæ Basilicæ inserviebant, jussisse Festivitatem cujusque Sancti in natali ejus die celebrare; illudque statuisse, ut Sacerdos in Canone Missæ post ea verba, *& omnium Sanctorum tuorum*, diceret: *quorum solemnitas hodie in conspectu tuo celebratur, Dominus Deus noster, in toto Orbe terrarum*. Sed hæc non generalis fuit lex, sed privilegium pro Missis, quæ in illo Oratorio celebrarentur, ut animadvertit Walfridus cap. 22. & Thiers loc. cit. Et Cardinalis Bona loc. cit. multa se vidisse testatur Missalia, in quibus, uno duntaxat excepto Bibliothecæ Barberinæ, ea verba non reperit. Verum Martene lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 4. art. 8. n. 16. se vidisse ait in Gallia Missale Monasterii quondam S. Dionysii, in quo hæc sunt verba. *Nec non & illorum Martyrum, quorum hodie solemnis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus*. Et Matthæus Parisius in vitis S. Albani scribit, Innocentium III. a Guillelmo Abbate S. Albani interrogatum, quid de ejusmodi additionibus sentiret, respondisse, eas a se minime improbari. Sed hæc utcumque se habeant, illud certissimum est, post S. Gregorium Magnum nihil in Canone esse additum. Inter eos Pontifices, qui aliquid inseruerunt in Canone, Alexandrum I. qui vixit initio sæculi secundi, minime ponendum esse existimavimus. Sane in libro Pontificali habetur: *Hic Passionem Domini miscuit in precatione Sacerdotum, quando Missæ celebrantur*: ad quæ verba notat Petrus Urbevetanus, *ibi videlicet tam beatæ Passionis*; propterea nonnulli Alexandro Pontifici Orationem, *unde & memores, Domine*, tribuunt, quæ proxime consecrationem consequitur. Verum cum Christus Jesus diserte jusserit, in Missa commemorationem fieri ejus Passionis, & D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. scripserit, *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & Calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*, perperam Alexandro I. tribuitur commemoratio Passionis Christi Domini in Missa, quam constat esse institutionis Divinæ. Vid. Baron. ad ann. Chr. 132. n. 3. & Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 13. num. 3. & Pagium juniorem in Vita Sancti Alexandri.

CAPUT XIII.

De Prima Canonis Oratione.

Oratio prima Canonis sumitur Memento, & Communicantes.

1. PRima Canonis Oratio incipit per ea verba: *Te igitur clementissime Pater*, & usque ad eam Orationem pergit, *Hanc igitur oblationem*: nam *Memento Domine*, & *Communicantes*, & *memoriam venerantes* non sunt diversæ Orationes, sed pars primæ Orationis, ut deducitur ex clausula *Per eundem Dominum nostrum*, quæ ad omnium Orationum finem apponitur; quod etiam quisque potest intelligere, si animadvertat, *Communicantes* omni sensu carere, nisi cum proxime præcedentibus verbis continuetur. Vide Bellarminum to. 3. Controvers. lib. 6. de Missa c. 21. in princ.

In prima Oratione Sacerdos orat pro Ecclesia universa, pro Papa, pro Episcopo, & in aliquibus locis pro Rege.

2. In hac prima Oratione Deo Patri preces diriguntur: *Te igitur clementissime Pater*. Etsi enim Divinæ Trinitati Sacrificium offertur, tamen si preces aliquot excipias, quæ Trinitatem respiciunt, cujusmodi sunt *Suscipe Sancta Trinitas*, & *Placeat tibi Sancta Trinitas*, reliquæ omnes juxta perpetuam Ecclesiæ consuetudinem ad Deum Patrem per Filium in unitate S. Spiritus diriguntur. Deum vero Sacerdos in hac prima Oratione deprecatur pro Ecclesia Sancta Catholica, pro Summo Pontifice, pro Episcopo, in quibusdam locis pro Rege, & pro *omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ Fidei cultoribus*. In ea Oratione *Te igitur* illa continentur verba *Sancta Sacrificia illibata*: quæ Innocentius Tertius de Officio Missæ lib. 3. cap. 3. in hunc modum explicat: *Dicuntur illibata, idest immaculata, quæ sine macula cordis, & corporis oportet offerri, quatenus cor ab iniquitate purgetur, & corpus ab immunditia*.

Explicantur illa, Sancta Sacrificia illibata.

In Ecclesia etiam Orientali mentio fiebat Summi Pontificis; Quod abusum in Schismate Photii.

3. Postquam oravit Sacerdos pro Ecclesia Catholica, orat pro summo Pontifice: *Unitas enim sacerdotalis*, ut ait S. Cyprianus, *a Petri Cathedra exorta est*. Nec sane quisquam jure negaverit, in Ecclesia Orientali de summo Pontifice olim mentionem fieri consuevisse: narrat enim Nicephorus lib. 16. cap. 17. primum ausum esse Acacium Constantinopolitanum Episcopum quinto sæculo Felicis II. Summi Pontificis nomen e Dyptichis sacris expungere; & Constantinus Pogonatus Imperator in Epistola ad Summum Pontificem, quæ præposita est Concilio sexto Generali, declarat, se Patriarchæ e sacris Dyptichis ejus nomen delere volenti vehementer restitisse: quamobrem in Liturgiis, quæ posteriori tempore sunt scriptæ, Summi Pontificis nomen reperitur. Hæc autem in Ecclesia Orientali intermissa est consuetudo propter Photii schisma, nec unquam actum de concilianda utraque Ecclesia, quin Græcis nobiscum semper convenerit Summi Pontificis nomen esse in Canone restituendum. Quod vero ad Occidentalem Ecclesiam pertinet, adeo vetus est orandi pro Papa in Canone consuetudo, ut ejus origo indicari non possit: ostendi vero possunt leges, quibus ea consuetudo restituta, vel malus usus sublatus repressaque audacia prætermittendi nomen Romani Pontificis. Concilium Vasense ann. 529. can. 4. statuit in hunc modum: *Nobis justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicumque Apostolicæ Sedi præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur*. Et paucis post annis S. Pelagius Papa, ut est apud Agobardum tom. 2. pag. 49. Episcopos Etruriæ increpavit, quod ejus nomen in Canone prætermiserint: *Quomodo vos ab universi Orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria secundum consuetudinem nominis memoriam reticetis?* Et Ennodius Papiensis in Apologia pro Synodo inde probat Symmachum verum legitimumque, Laurentium vero spurium esse Pontificem, quod semper Symmachi nomen recitatum fuerit in Canone.

Leges in Occidentali Ecclesia, quibus fieri jubetur mentio Romani Pontificis in Canone.

De mentione faciendâ Episcopi.

4. In eadem prima Oratione mentio fit etiam Episcopi juxta præceptum Apostoli ad Hebræos 13. qui orandum ait pro Episcopis: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. In Orientali Ecclesia Presbyter orat pro Episcopo, Episcopus pro Archiepiscopo, Archiepiscopus pro Patriarcha, ut videre est apud Card. Bona lib. 2. Rerum Liturgicar. cap. 11. num. 3. In Ecclesia Occidentali Sacerdos orat pro Episcopo; si vero Episcopus

vel

vel Archiepiscopus Missam celebrat, pro se ipse orat dicens, *Et me indigno servo tuo*; idque faciunt etiam Cardinales, licet non sint Episcopi, propter excellentiam dignitatis. Romæ Sacerdotes omittunt *Et Antistite nostro*; Papa enim, cujus mentionem faciunt, est Urbis Ordinarius. Regularibus vetitum est, ne pro Episcopo Superiorem suum Generalem, & Clero ne Prælatum nominent sibi præpositum, licet quasi Episcopalem jurisdictionem & territorium habeat separatum. Non licet Presbytero in aliena Diœcesi Missam celebranti Episcopi sui nomen in locum Episcopi illius Diœcesis, in qua celebrat, substituere, ut videre est apud Pouget tom. 2. Instit. Catholicar. pag. 852. & Meratum tom. 1. par. 1. pag. 538.

Regularibus vetitum, ne mentionem faciant sui Superioris Generalis.

De more orandi pro Rege ex veteribus Patribus.

5. In quibusdam locis juxta Apostolicam Traditionem oratur pro Rege; scribit enim D. Paulus 1. ad Timotheum cap. 2. orationes esse faciendas pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, etiamsi infideles sint, cujusmodi erant ii, qui illis temporibus imperabant. Consonant qui primi pro Christiana Religione Apologias scripserunt, qui illud semper inculcant, Christianos pro Imperatore Deum orare: *Sacrificamus* (ait Tertullianus ad Scapulam cap. 2.) *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quo modo præcepit Deus, pura prece.* Et Origenes adversus Celsum, qui Christianos cohortabatur, ut pro Imperatore bellum gererent, ait: *Laboramus pro Imperio Romano, dum juste viventes vota pro eo facimus.* Et Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 7. cap. 11. *Nos unum Deum rerum omnium Opificem, qui Valeriano & Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat.* Notat Le Brun tom. 1. pag. 420. Liturgias post Constantinum nomen Imperatoris, qui tum regnaret, habere, quod cum præcepto consentit orandi pro Regibus; & in quibusdam manuscriptis post *pro Imperatore* vel *pro Rege* ait, se reperisse notam ILL. quæ idem valet quod ea, qua nunc utimur *NN.* Ex quo elicitur morem fuisse orandi in Canone pro Imperatore vel Rege, qui imperaret. De nota illa ILL. scribit Lucas Holstenius in Præfat. ad librum Diurnum Romanorum Pontificum: *Id unum censui non prætermittendum, quod cum in manuscripto Codice frequenter habeatur hæc nota ILL. qua, ut Eruditis obvium est, utebantur veteres ad indicandum proprii nominis locum, uti nunc NN. poni solitum est.*

Verba illa: Et omnibus Orthodoxis &c. desunt in vetusta Ordine Romano, & Sacramentario S. Gregorii. Hæretici adjunxerunt ea redundare.

6. Denique in eadem Oratione Sacerdos orat pro omnibus Fidelibus: *Et omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ Fidei cultoribus.* Hæc desunt in antiquo Ordine Romano, in Libro Sacramentorum S. Gregorii, qui est in Bibliotheca Vaticana, Palatina, & in vetusto quodam Missali Vaticano: quamobrem Micrologus in Observationibus Ecclesiast. cap. 23. ubi loquitur de Canone, ea prætermittit verba; & cap. 13. ait, ea esse supervacanea; nam paullo post Sacerdos orat pro famulis & famulabus Dei, quod idem est ac pro omnibus Catholicæ Ecclesiæ Fidelibus. Hæretici hujus temporis ea verba redundare dicunt, quod paullo ante dixerit Sacerdos, *pro Ecclesia tua sancta Catholica*, quod idem est, ac pro omnibus Fidelibus Catholicis orare.

Bellarmini ad eam calumniam responsio.

7. Hæreticis illis respondet Bellarminus, ea verba minime superesse; nam cum generatim pro universa Ecclesia Sacerdos oraverit, deinde singillatim pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, decebat reliquos etiam Fideles, seu privati seu viri principes sint, commemorare. Micrologi vero ratio evertitur ex eo, quod in Orationis progressu, idest in *Memento*, revera non aliorum mentio fiat, quam eorum qui vel offerunt, vel sacrificio intersunt; cum vero tam multi Fideles sint, qui neque offerunt, neque adsunt, nec poni possunt ubi commemoratio fit pro defunctis, quod nondum ex hac vita migrarint, cumque pro his etiam orandum sit, propterea destinandus illis erat locus, qui idem ille est, de quo nunc agimus; omnesque in illis verbis continentur *Et omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ Fidei cultoribus*. Vide Menardum in Nota 19. ad Sacramentarium S. Gregorii, Card. Bonam loc. cit. num. 4. Le Brun tom. 1. pag. 421. & Natalem Alexandrum Theolog. dogmat. & moral. de Sacram. Euchar. lib. 2. cap. 7. art. 5. num. 15.

De reliquis, pro quibus orat Sacerdos.

8. Postquam oravit Sacerdos pro Ecclesia sancta Catholica, pro Papa, pro Episcopo, & quibusdam in locis pro Rege, ac pro omnibus Catholicis, pro iis pergit orare, quibus Sacrificii fructum applicare intendit, quorum tamen nomina voce non pronunciat, sed eas personas præsentes animo habet: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum;* ac pro iis itidem orat qui Sacrificio intersunt, *& omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

Commemoratio, seu Oratio pro vivis.

9. Formula precandi per verbum illud *Memento* consonat cum sacra Scriptura; Psalmo enim 105. habetur: *Memento nostri Domine in beneplacito Populi tui.* In hac Orationis illius parte Sacerdos orat pro vivis (nam pro defunctis alibi fit, ut suo loco dicemus, præcipua commemoratio) pro illis videlicet pro quibus fit sacrificium, puta in Parochialibus Ecclesiis pro ejus Parochiæ Populo, pro iis qui celebrandæ Missæ ejusque fructu applicando eleemosynam contulerunt, ac pro iis, pro quibus Sacerdos nominatim orare intendit, pro parentibus exempli causa, consanguineis, amicis, aliisque, qui se ejus precibus commendaverint, ac denique pro circumstantibus omnibus.

Explicantur illa, Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

10. Adnotanda quædam sunt ad ea verba, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium*, tum ut explicemus quid illud sit, quod Sacerdos non modo se Sacrificium, sed etiam circumstantes dicit offerre, tum ut sensum particulæ *vel* declaremus: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.*

Quo sensu dici possint offerre omnes Fideles, qui adsunt Sacrificio. Locus celebris Tertulliani explicatus.

11. Celebris locus est Tertulliani de Exhortatione Castitatis cap. 7. *Nonne & laici, Sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit..... ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus &c. Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere jus Sacerdotis.* Celebris item controversia est, quæ ex illa voce *offers* excitata fuit: quidam enim Tertullianum in ea fuisse putant opinione, ut ubi absit Sacerdos, etiam Laicus consecrare possit; idque ut confirment, locum proferunt Theodoreti Eccl. Histor. lib. 1. cap. 23. qui Frumentium quemdam laicum narrat in Alexandria ad Indos profectum, ubi nulli erant neque Episcopi neque Presbyteri, cumque ad Christi Fidem aliquot convertisset, jussisse eos in unum convenire, resque sacras celebrare, quemadmodum in Romano Imperio mos esset. Ea de re superiore proximo scripserunt sæculo Hugo Grocius, Dionysius Petavius, Joannes Clopenburgius, & Henricus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ricus Dodwellus; quorum Dissertationes in unum collectæ volumen prodiere Londini ann. 1685. His adde Albaspinæum in tractatu de administratione Eucharistiæ lib. 2. cap. 8. ad cujus libri calcem edita est Rigaltii, qui Galliarum Regi fuit a Bibliotheca, ad Albaspinæum de hoc argumento Epistola. Ex Scriptoribus, quos modo nominavimus, quidam Heterodoxi sunt, quiddam vero Catholicæ Fidei egregii propugnatores, quos inter censendi sunt præter Rigaltium, Petavius & Albaspinæus, qui luculenter demonstrarunt voce *offerre* non semper significari *consecrare*; Oblationem separatum quiddam sejunctumque esse a Consecratione; nec verisimile cuiquam fieri posse, Tertullianum nescisse ætatis suæ disciplinam, qua Sacerdotes clanculum ad eos, qui in publicis vinculis essent, mittebantur, Christique Confessoribus in carcere detentis Eucharistiam præbebant; quod quidem supervacaneum fuisset, si iis, etiamsi laici essent, Missam propter Sacerdotum inopiam celebrare licuisset. Quod autem de Frumentio affertur, id non ita prorsus est ut narratur: non enim ille solus, sed Romanos Mercatores secum habens comites, Alexandria profectus erat, inter quos verisimile est fuisse aliquos Sacerdotes; neque enim Indis illud consilium dedit, sed Romanis Mercatoribus, inter quos probabile est Sacerdotem aliquem fuisse. Præterea (quod colligitur ex Rufino, qui eandem rem narrat) verbis illis Frumentii tribui potest sensus planissimus & simplicissimus, ut scilicet voluerit omnes in unum convenire ad precationes more Christianorum Deo peragendas. Atque hæc satis de hac re esse arbitramur. Qui vero totum hoc argumentum quam accuratissime pertractatum cognoscere velit, Petavium adeat & Albaspinæum, apud quos profecto reperiet, quo sibi abunde satisfaciat. Novissimus scriptor Herminier tractat. de Sacramentis tom. 2. cap. 29. ubi loquitur de Ministro Eucharistiæ, totam hanc materiam ex integro pertractandam suscepit, explicans, quid sit apud Tertullianum *offerre* his verbis: *Dicit Laicos posse offerre, intellige munera & preces*. Quid illud itidem sit, nos omnes esse Sacerdotes: *Dicit Tertullianus nos omnes esse Sacerdotes, intellige Sacerdotio metaphorice sumto &c. Dicit Laicos Sacerdotalia munera obire, intellige cum credunt & orant*.

12. Et ut eo regrediamur quod ad Canonis Orationem pertinet, Innocentius III. lib. 3. de Mysteriis Missæ cap. 5. docet, non modo Sacerdotes, sed reliquos etiam Fideles dici posse Sacrificium offerre; *Ideo dicitur offerimus, quia non solum offerunt Sacerdotes, sed etiam universi Fideles:* & quamquam Sacerdotis duntaxat sit celebrare, id tamen aliquo sensu ad Offerentem etiam pertinet; Sacerdos enim actione sua, Offerens vero per ejus actionem, cui eleemosynam contulit, ad Sacrificium concurrunt: *Quamvis enim Sacerdos proprio fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos; ipsi enim imputatur, cujus munera offeruntur*, verba sunt Hilarii Diaconi, qui quarto scripsit sæculo in quæstionibus de veter. Testam. cap. 46. Simile illud est in Oratione, *Orate Fratres*, in qua dicit Sacerdos, *ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem*, quibus declaratur Missam Sacrificium esse tum Sacerdotis, tum eorum, qui vel adsunt, vel ministrant. Bollandistæ ad diem 17. Martii vitam referunt S. Geltrudis Nivellensis Abbatissæ in Brabantia, quam scripsit Auctor synchronus. Narrat ejus vitæ Scriptor, Sanctam Virginem nobilis cujusdam Matronæ nomine Adulæ filium mortuum ad vitam revocasse, ac Matronam illam ferventiori religionis studio esse incensam, de qua subdit: *Ex illa die cæpit credere virtutibus S. Geltrudis, & in crastinum Missam celebravit in honorem Virginis Christi Geltrudis*; quæ verba nihil aliud significant, quam Missam eleemosyna sua celebrandam curavisse. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum cap. 45. de muliere quadam, quæ non minus Deo esset devota, quam defuncti viri sui memor, scribit: *Mulier per annum integrum ad hoc Templum degens orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum solemnia, & offerens Oblationem pro memoria viri sui*. Hæc & alia ejusmodi quæ collegit Berlendus tractatu de Oblationibus ad Altare §. 8. num. 5. & 6. ostendunt, Offerentis nomen etiam ei convenire, qui ad Sacrificium, quod fit a Sacerdote, quoquo modo concurrat. In Epistola Sigebaldi Angliæ Regis ad Bonifacium Moguntinum Episcopum, quæ inter Bonifacianas est 49. locus est hujusmodi: *Notum sit tibi, quod ex eo tempore nomen tuum adscriptum habuissem, cum Missarum solemnia celebrarem, simul cum nominibus Episcoporum nostrorum;* ad quem locum Mabillonius lib. 3. de Liturgia Gallicana num. 12. *Nota verbum celebrarem, quo Rex utitur*: illud enim adhibet eo modo & sensu, quem supra explicavimus. Docent Theologi Christum sacrificii Missæ Offerentem esse præcipuum, non modo quia illud instituerit, ac in sui memoriam jusserit celebrari, sed etiam quia quodammodo *illud* offert per Sacerdotis ministerium: Sacerdotem vero esse Offerentem, tum quod virtute Christi Sacramentum conficit, tum quod ex persona Christi consecrationis verba pronunciat: denique Laicos etiam esse Offerentes, vel quod per ministerium Sacerdotum offerunt, vel quod suam cum Sacerdotum intentione conjungunt, vel quod externum aliquid exhibent Missæ ministrando, necessaria ad Sacrificium suppeditando, eleemosynam largiendo. Vide Sylvium 3. par. quæst. 83. art. 1. quæst. 6. ubi ait, verba illa Canonis *vel qui tibi offerunt* intelligenda esse de Laicis ob rationes allatas: vide etiam Collationem 14. Lucionensem quæst. 1. par. 5.

De particula illa vel Georgii Majoris calumnia everitur. Ea particula aliquando est copulativa.

13. Nunc vero de particula *vel* dicendum, hoc est, explicanda sunt quæ sequuntur verba in Canone *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium*. Menardus in *Notis ad Concordiam Regularum* scripsit, particulam *vel* aliquando non disjunctivam, sed copulativam esse; idemque apposite iterum scripsit, dum verba illa Canonis explicaret, de quibus nunc legitur in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 14. *Particula disjuncliva* vel *usurpatur pro copulativa, quod sæpe contingit*. Idem adnotasse ait Le Brun tom. 1. pag. 429. Gothofredum in Codic. Theodosian. Petrum de Marca in Concordia Sacerdotii & Imperii, aliosque plures doctos viros. Itaque Georgii Majoris Heterodoxi objectio evertitur, qui opinatur in iis verbis *pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt*, correctionem quamdam contineri, eamque impie irridet, ut refert Bellarminus cit. cap. 21. Sed Orationis expeditus apparet sensus: Deo enim non solum peculiares personæ, & circumstantes commendantur, sed ii etiam, pro quibus offertur Sacrificium, ac reliqui omnes, quibus quoquo modo convenit nomen offerentium.

Retinenda illa verba pro quibus tibi offerimus, quæ male explodit Micrologus.

14. Animadvertit Micrologus cap. 23. ab hac Canonis Oratione quondam ea verba abfuisse *pro quibus tibi offerimus*, atque ea tantum legi, *qui tibi offerunt;* itaque prima illa verba explodit: *Item post pauca addunt: pro quibus tibi offerimus:*

cum

cum in antiquioribus & veracioribus Sacramentariis non nisi sub tertia persona offerentes ibi reperiantur. Videatur Auctor tractatus de Missa & Divino Officio rursus Parisiis editi ann. 1714. pag. 122. Desunt itidem eadem illa verba *pro quibus tibi offerimus* in antiquo Ordine Romano, & in pluribus vetustis Missalibus, ut sibi testatum fuisse Mabillonium scribit Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 853. Sunt qui existimant pro varietate lectionis diversorum Missalium, quorum quædam haberent *qui tibi offerunt*, quædam *pro quibus tibi offerimus*, utramque lectionem esse invectam, addita particula *vel*, ut Sacerdos, utra lectio sibi placeret, eam sequeretur; præsertim quod particula *vel* in aliquibus Missalibus scripta sit rubrica. Verum Pouget sapienter ejusmodi rejicit Sacerdotis optionem, & consuetudinem damnat scribendi rubrica particulam *vel*, quæ Sacerdotem inducere possit, ut utrovis modo legat. Et sane si dicas duntaxat *pro quibus tibi offerimus*, & omittas *vel qui tibi offerunt*, reliqua, quæ sequuntur verba sensu omni destituuntur, ut quivis facile potest intelligere: quamobrem legendum, ut scriptum est in Canone, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, nec ullo modo ferenda libertas alterutrum omittendi, vel *pro quibus tibi offerimus*, vel *qui tibi offerunt*.

Oratio, Memento &c. explicatur ex Innocentio Tertio.

15. Innocentius Tertius lib. 3. Mysteriorum Missæ cap. 6. scribit de hac prima Canonis Oratione, & de illis quidem verbis *Memento Domine*, &c. hæc habet: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. & omnium circum adstantium. Ex hac junctura verborum manifeste conjicitur, quod hic quasi quidam sit locus, ubi Sacerdos specialiter, quos voluerit, debeat nominare. Vivorum tamen nomina hic tantum debet recensere, quoniam in sequentibus locus occurret, ubi defunctorum poterit agere memoriam specialem.* Pergit Pontifex, atque explicat rationem, quamobrem Missæ sacrificium in hac Oratione *Sacrificium laudis* appelletur. Quia vero non solum vocatur *Sacrificium laudis*, sed quidpiam amplius additur: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero*, observabimus his verbis declarari Missæ Sacrificium esse ex opere operato non modo Latreuticum, & Eucharisticum, seu Sacrificium laudis & gratiarum actionis, sed etiam Propitiatorium, quo peccata expiantur, & Impetratorium, quo spiritualia & temporalia bona a Deo obtinentur: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem Propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit:* verba sunt sacri Concilii Tridentini sess. 22. de Sacrificio Missæ can. 3.

Sacrificium Missæ Latreuticum, & Eucharisticum.

16. Sacrificium Missæ Latreuticum est & Eucharisticum, id est Sacrificium laudis & gratiarum actionis pro acceptis beneficiis; perfectiori enim & excellentiori quodam modo proprietates omnes continet Sacrificiorum veteris Legis, quorum quædam in Dei tantum honorem & laudem offerebantur, ut Holocausta, quædam in gratiarum actionem, ut Hostiæ Pacificæ, quemadmodum docet S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 3. Quod ne hæretici quidem negant, ut Lutherus, & Calvinus, ut observat Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 1.

Item Propitiatorium.

17. Est etiam Missæ Sacrificium Propitiatorium, quo nimirum peccata expiantur, quod probat locus Apostoli ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* S. Cyprianus in sermone de Cœna Domini Missæ Sacrificium vocat medicamentum simul & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. Et S. Augustinus quæst. 57. in Leviticum ait, in hoc fieri Sacrificio *veram remissionem peccatorum.* Et Theologi docent, peccatorum remissionem, quod attinet ad culpam, ex hoc proficisci Sacrificio, non tamen eodem modo, quo provenit ex Baptismo, & Pœnitentia, in quibus peccatorum remissio fit per habitualis seu Sanctificantis gratiæ infusionem, seu alio quodam modo; nimirum Deus, intuitu Sacrificii Missæ propitiatorii seu expiatorii peccatorum, pœnitentiæ donum largitur, seu peculiaris alicujus gratiæ adjutorium, quo peccator ad contritionem excitatur & adjuvatur, vel ad absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ digne & utiliter consequendam. Diximus, quantum ad culpam attinet; nam quoad remissionem pœnæ, quæ sequitur peccata jam quoad culpam abolita, vera Theologorum sententia est, pœnam immediate per Missæ Sacrificium remitti; Deus enim propter Sacrificii oblationem pœnam ei remittit, pro quo offertur, ea tamen mensura, quam divina ejus misericordia definiverit.

Remissio Peccatorum alio modo profluit ex Sacrificio, ac ex Baptismo, & Pœnitentia.

18. Luculentissima est S. Thomæ doctrina in 4. Senten. dist. 12. qu. 2. artic. 2. *Ad quartum dicendum, quod Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium. In quantum autem est Sacramentum, habet effectum in omni vivente, in quo requirit vitam præexistere. Sed in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam pro aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum: & ideo si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Et paullo post in eodem art. 2. *Dicendum, quod non totaliter semper aufertur pœna per hoc Sacrificium illis, qui sunt in Purgatorio; nec auferebatur in veteri lege per antiqua Sacrificia.* Hanc doctrinam illustrat abunde Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 4. ubi sic ait: *Non operatur Sacrificium efficienter & immediate, nec est proprie instrumentum Dei ad justificandum &c. Non igitur Sacrificium immediate justificat, ut Baptismus, & Absolutio faciunt, sed donum pœnitentiæ impetrat., per quod homo peccator ad Sacramentum accedere velit, & per illud justificetur.* Huc etiam addit, quod cum non posset Missæ Sacrificium majori præditum esse virtute quam habuit Sacrificium Crucis, nec illud Sacrificium *efficienter & immediate*, ut loquuntur Theologi, sed *impetratorie & meritorie* justificaverit, hoc est, a Deo impetraverit ut peccatores per media convenientia æternam salutem consequantur, idem plane de Missæ Sacrificio dicendum est. Quamobrem Tridentina Synodus sess. 22. de Sacramento Eucharistiæ cap. 2. vim & efficaciam Sacrificii ita explicat: *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Et paulo post de ope, qua per hoc Sacrificium juvantur defuncti: *Quarum non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum Traditionem offertur.*

Pulcherrima D. Thomæ doctrina, quo pacto per Sacrificium peccata remittantur.

Est etiam Impetratorium, ad impetranda spiritualia, & temporalia bona.

19. Denique Missæ Sacrificium est etiam Impetratorium, nobisque a Deo obtinet spiritalia & tem-

& temporalia bona, ut ex omnium Fidelium perpetuo probatur conſenſu. Patrum auctoritates congeſtas reperies apud noſtros Controverſiarum Scriptores. Illud nobis ſatis erit, quod ſcribit D. Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. de nobili quodam viro nomine Exuperio, qui ut infeſtam domum liberaret ſuam ab immundis Spiritibus, *rogavit* (inquit Auguſtinus) *noſtros, me abſente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent: perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio; Deoque protinus miſerante ceſſavit.* Quod ſi in veteri Teſtamento offerebantur hoſtiæ votivæ, ut aliquod beneficium impetraretur, ut conſtat ex 2. lib. Reg. cap. ult. ubi David *obtulit pacifica*, ut peſtem averteret, & ex 2. lib. Macab. cap. 3. ubi Onias obtulit *hoſtiam ſalutarem* pro Heliodori vita, & ex 1. lib. Eſdræ cap. 6. ubi hoſtiam Hebræi pro Darii liberorumque ejus vita ſacrificabant; quis affirmare audeat, hanc deeſſe Sacrificio noſtro virtutem, cum præſertim Euchariſtia, quæ valet, ut dicimus, ad peccatum remittendum, multo magis ad eas tollendas calamitates valeat, quæ ex peccato trahant originem? *Si Oblatio Euchariſtiæ pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis neceſſitatibus, quæ ex peccato ſunt, valere debet. Et ſi Deus hoc Sacrificio placatus in gratiam cum inimicis ſuis redit, quanto facilius ob idem Sacrificium adducetur, ut amicis & reconciliatis bona temporalia tribuat, ſi id eis utile fuerit?* verba ſunt Bellarmini loc. cit. cap. 3. Matthæus Galenus Veſtcappellius Tractatum de ſancto Miſſæ Sacrificio conſcripſit; vixit hic Auctor dum haberetur Concilium Tridentinum, ut colligitur ex Epiſtola, quam Operi ſuo præpoſuit, ad Alexandrum Piccolomineum Epiſcopum Montis Alcini; ac quæſtionem proponit cap. 19. an Miſſæ omnes, quas celebrant Sacerdotes, ſeu boni ſeu mali, ejuſdem ſint efficaciæ; nec ſane in eorum ſententia videtur conquieſcere, qui docent, ſuam Sacrificio conſtare efficaciam, etiamſi illud malus celebret Sacerdos, qui dum male ſibi conſcius Miſſam celebrat, ſibi ſolum damnum facit. Significat autem valde ſe optaſſe, ut ea quæſtio in ſacro excuteretur Concilio: *Non poſſum quin Camarinam iſtam ſtudio meo ſaltem moveam, ſi forte Tridentini Patres, atque alii docti moti fœdo ac tetro odore exhaurire dignentur.*

Miſſæ fructus triplex: primus internus nunquam minuitur, aut augetur, ut alii duo pro meritis, vel majore ſanctitate Miniſtri.

20. Omnis autem ſublata videtur difficultas, ſi fructum Sacrificii *ex opere operato* a fructu *ex opere operantis*, ut antea diximus, diſtinguamus. Tres habet Miſſa fructus, alter internus eſt, de quo nihil umquam minuitur, quique ſi applicetur, ſemper operatur, dummodo nullum obſtet impedimentum; quem Miſſæ fructum ſupra diximus *ex opere operato*: nam Jeſus Chriſtus potiſſimus eſt Sacerdos, & Sacrificium: Alter eſt qui ex univerſa oritur Eccleſia, quæ nullo non tempore Deo Sacrificium offert ſingulorum omnium miniſterio Sacerdotum, quotquot ſub Cælo ſunt, cumque Eccleſia ſponſa ſit Jeſu Chriſti, tota ſemper pulchra & amica ſine ulla ruga aut macula, ſemper ex ſanctitate ſua ſuiſque meritis plurimum in eas actiones confert, quas exercet eorum miniſterio, quibus utitur; ex quo fit ut fructus hujuſmodi, qui dicitur *ex opere operantis*, augeri poſſit & minui pro majori vel minori eorum ſanctitate, vitæque innocentia, a quibus conflatur Corpus Eccleſiæ; quod tamen nihil ad eſſentiam pertinet Sacrificii, ſed ad circumſtantias, quæ Sacrificio ſunt adjunctæ. Tertius denique qui ex ipſo proficiſcitur Sacerdote, qui celebrat, eſt itidem *ex opere operantis*. Poteſt ille quidem zelo & devotione ſua precum ſuarum a Deo effectum impetrare: ſed ſi propter nefariam ſui vitam male ſibi conſcius ſit, nihil boni ab eo ſperandum, quin etiam graviori crimine ſe adſtringit miſer: nihil tamen de fructu *ex opere operato* detrahitur; quemadmodum eadem ſemper eſt gemma ejuſdemque pretii, quiſquis eam in digito gerat; poteſt tamen artificis induſtria annulo affabre incluſa fieri pretioſior.

Explicatur vox illa Communicantes.

21. Verba illa *Communicantes & memoriam venerantes* pars, ut ſupra diximus, ſunt primæ Orationis in Canone, quæ conjunguntur cum illis, *ſuplices rogamus, & offerimus*. Senſum hujus vocis *Communicantes* non omnes facile intelligunt. Plerique dicunt, ad ea D. Pauli referri, *memoriis Sanctorum communicantes*. Planus autem videtur ille ſenſus, ut unionem ſignificet Sanctorum, qui in Cælo ſunt, cum Fidelibus, qui degunt in terris, pro quibus preces fundit Eccleſia, atque ut Deum ſibi propitium faciat, Sanctorum virtutem, merita, & gloriam commemorat; quemadmodum Hebræi Abrahami, aliorumque Patriarcharum merita commemorabant, ut ob eorum merita Deus in tutela ſua Populum haberet, qui viros ab eo tantopere dilectos honorabat. Ita rem expedit Auctor tractatus de Miſſa & Officio Divino pag. 124. eaque explicatio ex iis, quæ mox dicemus confirmabitur.

In hac Orationis parte opem petimus a B. Virgine, & a Sanctis Apoſtolis.

22. In hac igitur Orationis parte Sanctorum opem petimus: novimus enim, Deum ea propter Sanctos ſuos facere, quæ propter nos facturum ne audeamus quidem ſperare. Quapropter ſacris docemur paginis, Deum per Iſaiam declaraſſe Hieroſolymam ſe conſervaturum ab Aſſyriorum exercitu propter David ſervum ſuum, ut habetur lib. 4. Regum cap. 19. *Salvabo eam propter me, & propter David ſervum meum*. Omnium prima, a qua opem petimus, eſt B. Virgo Maria: *Sanctior Cherubim, Sanctior Seraphim, & nulla comparatione ceteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior*, in Oratione quadam in ejus laudem dixit S. Ephræm. Deinde duodecim Sanctorum Apoſtolorum, qui Eccleſiæ columnæ ſunt, fit commemoratio; Illis additur D. Paulus, quem a B. Petro numquam Eccleſia Romana ſejungit, qui etſi non niſi poſt Chriſti mortem creatus fuit Apoſtolus, ab ipſo tamen Chriſto Domino hujus Sacrificii inſtitutionem accepit, ut teſtatur 1. ad Corinth. cap. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.*

Martyres, quorum in Canone fit mentio poſt Apoſtolos.

23. Poſt duodecim Apoſtolos mentio fit duodecim Martyrum, quorum recentiores ſunt Joannes & Paulus, qui circa dimidium IV. ſæculi paſſi ſunt ſub Juliano Apoſtata. Horum Martyrum nomina ſunt Linus, Cletus, Clemens, qui S. Petro ſynchroni, coadjutores, & ſucceſſores fuerunt; Xyſtus & Cornelius duo ſummi Pontifices & Martyres; Cyprianus primus Martyr ex Epiſcopis Carthaginienſibus doctrina & deſiderio mortis oppetendæ in prædicatione Chriſtianæ Fidei maxime illuſtris; Laurentius Romæ Archidiaconus, cujus egregia erga pauperes Charitas, & nobiliſſimum martyrium omnibus Fidelibus ſemper erunt admiranda; Chryſogonus Romanus ſanguinis claritate illuſtris, qui prope Aquilejam ſub Diocletiano paſſus eſt; Joannes & Paulus fratres Romæ nati, qui quod Idolis ſacrificare recuſaſſent necati ſunt; Coſmas & Damianus, itidem Martyres, qui cum medicam & chirurgicam artem nullo accepto pretio, ſed ſolius proximi amore exercerent, in hunc modum animas Chriſto lucrifaciebant.

Sancti Cosmas & Damianus, de quibus in Canone, passi sunt Romæ.

24. Observavit Cardinalis Bona, Martyres de quibus mentio fit in Canone, vel Romæ passos esse, vel in locis Patriarchatui Romano proxime subjectis; cumque paria tria Sanctorum fuerint, quibus nomina erant Cosmas & Damianus, duo Martyres in Arabia, duo Confessores in Asia, duo itidem Martyres Romæ, postremi duo iidem sunt, quorum fit in Canone commemoratio. Videatur idem Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 12. n. 3. Cum eodem Cardinali Bona consentit le Brun tom. 1. pag. 443. ubi etiam observat, duos fuisse Sanctos Xystos Romanos Pontifices & Martyres, quorum alter II. sæculo ineunte, alter circa dimidium III. sæculi floruere, idque in controversia esse positum, uter eorum sit, qui commemoratur in Canone; num primus qui nominatur ante S. Cornelium, qui III. sæculo obiit sub Decio; an secundus, cujus supra sepulcrum excitatum est Romæ templum, cujus templi meminit S. Gregorius magnus lib. 4. cap. 26. In Ambrosianæ Missæ Canone, & in aliis quibusdam post Martyres mentio quoque fit Confessorum, ut videre est apud Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus art. 8. n. 25. Sed ejusmodi additiones sunt quarundam Ecclesiarum; constans enim semper fuit in eo Romana Ecclesia, ut B. Virginem, Apostolos, & Martyres retineret, exclusis Confessoribus, ut ipsi quoque monuimus Canonizat. lib. 1. cap. 5. n. 6.

Incertum quis Xystus inter plures ejusdem nominis sit, qui commemoratus in Canone.

In Ecclesia Romana semper exclusi sunt Confessores ex Canone.

In prima Oratione opem implavamus Sanctorum, quorum intercessio nihil valet nisi per merita Christi.

25. In hac igitur prima Oratione Sacerdos orat pro universa Catholica Ecclesia, pro Papa, pro Episcopo, in quibusdam locis pro Imperatore, pro Rege, pro omnibus Fidelibus, iis præsertim, pro quibus Sacrificium offert, & pro omnibus circumstantibus; Beatæque Virginis, Sanctorum Apostolorum, & quorundam Sanctorum Martyrum, omniumque Sanctorum intercessionem implorat: nihil enim Christi meritis detrahit intercessio Sanctorum; nam nihil valent Sancti nisi per merita & virtutem Christi; ac ne tantilli quidem momenti eorum est intercessio, nisi per Christum; nec nobis ad Deum per Sanctorum merita & intercessionem patet accessus, nisi per Christum; quapropter hæc Oratio, ut reliquæ omnes, in eam desinit clausulam *Per Christum Dominum nostrum*.

Prima Canonis Oratio dicebatur olim Super Diptycha. Plura de Diptychis disputantur.

26. Prima hæc Oratio Canonis, ejusque præsertim pars, quæ incipit *Memento;* in Missalibus quibusdam manuscriptis appellatur *Oratio supra Diptycha*; ex quo nobis sese offert occasio quædam huc afferendi de Diptychis. Asseres quidam erant Diptycha divisi in partes tres, ita sibi juncti, ut complicari possent, in quorum primum quorundam Sanctorum, & præsertim Beatæ Virginis, Apostolorum & Martyrum, in alterum Fidelium nomina referebantur, qui vi erent & dignitate essent illustres, vel de Ecclesia essent optime meriti; inter eos Romanus Pontifex, Patriarcha, Episcopus, & alii ex Clero primi ponebantur; deinde Imperator, viri Principes, Magistratus, & qui de Ecclesia benemeruissent, & omnis Fidelium cœtus. Tertius Asser habebat nomina defunctorum, qui in Fidelium communione mortui essent. In Missis privatis Sacerdos, in solemnibus Diaconus, & Subdiaconus ea nomina recitabant; propterea scribit Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 8. n. 14. *Nomina recensebat ipse Sacerdos, maxime in Missis privatis, in quibus non ministrabat Diaconus aut Subdiaconus.* Non tamen omnium offerentium, sed eorum tantum, qui essent præcipui & eximii, nomina recitabantur; nimis enim diu sacram duci cæremoniam opportuisset. Juxta Ritum Romanum principio Canonis vivorum, ac præcipue Summi Pontificis & Episcopi nomina pronunciabantur, cujusmodi est disciplina, qua nunc utimur in prima Oratione *Te igitur*. Deinde ad *memento Domine* vivorum, qui vel eximii essent Offerentes, vel magna in Ecclesia beneficia contulissent, nomina in Diptycha relata recitabantur. Propterea nunc paulatur aliquantisper, ut eorum præcipua fiat commemoratio, quos Sacerdos mentali Oratione tacitus Deo commendat. Post ea verba *Communicantes, & memoriam venerantes* index seu catalogus pronunciabatur, in quem relata erant Sanctorum nomina. Denique nomina Defunctorum post Consecrationem enunciabantur, ut alibi docebimus. Recentiores viri docti egregie totam hanc rem de Diptychis illustrarunt. Vide Cabassutium dissertat. 15. sæculi II. Ecclesiæ, Du Cange verbo *Diptycha*, Card. Bonam Rer. Liturg. lib. 2. cap. 12. Mabillon. lib. 3. de Liturgia Gallicana num. 11. & 12. Juvenium de Sacrament. dissert. 5. de Eucharist. Sacram. cap. 8. art. 5. §. 4. Constant in Notis ad Epist. 25. Innocentii I. pag. 858. Pouget tom. 2. Institut. Catholicar. pag. 854. & Berlendum tractatu de Oblationibus ad Altare par. 1. §. 9. D. Hieronymus eam consuetudinem pronunciandi propalam ad Altare Offerentium nomina non satis probasse videtur: *Publice*, inquit in cap. 18. Ezechielis, *Diaconus in Ecclesia Offerentium nomina recitat; tantum offert illa; tantum ille pollicitus est; placentque sibi ad plausum populi torquente eos conscientia: damusque materiam miseris, ut gaudeant ad ea, quæ tribuunt, & non lugeant ad ea, quæ rapuerint*. Ejusmodi tamen viguit ad XI. usque sæculum consuetudo, ut colligitur ex Micrologo cap. 13. & Leone Hostiense lib. 2. cap. 73. XII. vero sæculo obsolevit, cum ea disciplina est introducta, ut Sacerdos neque alta, nec submissa voce nomina reciret, sed offerentes aliosque, quibus applicari vult Sacrificii fructum, mentali Oratione Deo commendet.

Offerentium nomina ad Altare enunciabantur, quod XII. sæculo obsolevit.

De actionibus, quæ cum prima Canonis Oratione conjunguntur.

27. Atque ea sunt, quæ primæ Canonis Orationi illustrandæ opus esse putavimus. Reliquum est, ut actiones præcipuas commemoremus, quæ cum hac prima Oratione conjunguntur, ut osculum Altaris, manus junctas, terna Crucis signa super Hostiam & Calicem, cum Sacerdos dicit *hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata*.

Terna Crucis signa super Hostiam, & Calicem quid significent.

28. Vetus est disciplina osculandi Altare principio hujus Orationis post ea verba, *Supplices rogamus ac petimus*. De hoc Ritu loquitur Durandus Scriptor sæculi XIII. lib. 4. cap. 26. Carthusiani, Carmelitæ, Fratres Prædicatores non osculantur Altare, fortasse quia in earum Ecclesiarum Missalibus, quarum ritum amplexi sunt, ea deerat cæremonia. Quid Altaris osculum significet docuimus lib. 2. cap. 3. n. 7. De ternis illis signis, quæ super Hostiam & Calicem ducuntur in modum Crucis, cum Sacerdos dicit *hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata*, pane & vino nondum consecratis, dicimus veras esse benedictiones, quibus Dei invocatur Omnipotentia, ut oblata in Corpus & Sanguinem Christi convertat. Hujusmodi vero benedictiones ideo fiunt signo Crucis adhibito, ut semper Redemptoris nostri Passio nostris animis obversetur. Tria Crucis signa ducuntur, quæ significant, maximum hoc mysterium a Sanctissima perfici Trinitate, ut bene explicat Merbesius 3. par. Summæ Christianæ q. 51. quæstiunc. 4. Eandem rem attigit S. Bonaventura in Exposit. Missæ cap. 4. tom. 7. Edit. Lugdunensis ann. 1668. *Quod autem tres Cruces super Calicem & Hostiam per manus Sacerdotis signantur, quid significent videamus*. Itaque docet,

pri-

primum signum ad illa verba *hæc dona* significare primam traditionem, qua Christus a Deo Patre deditus est, juxta illud Apostoli, *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; alterum signum ad verba, *hæc munera*, alteram innuere traditionem, qua Christus se ipse pro nobis tradidit, juxta illud Isaiæ, *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est*; tertio denique signo ad ea verba, *hæc Sancta Sacrificia illibata*, traditionem intelligi, qua Judas Magistrum suum ab omni prorsus peccato purum & integrum in manus inimicorum ejus dedit: *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens, quemcumque osculatus fuero* &c. verba sunt ex Matth. cap. 26.

CAPUT XIV.

De secunda Canonis Oratione.

In secunda Canonis Oratione quatuor fiunt petitiones.

1. SEcunda Canonis Oratio illud habet initium, *Hanc igitur Oblationem*, qua petitiones quatuor continentur; quarum prima est ut Deus Oblationem nostram placatus accipiat; secunda ut dies nostros in sua pace disponat; tertia ut ab æterna nos liberet damnatione; quarta denique ut in electorum suorum grege nos jubeat numerari. In Pervigiliis Paschatis & Pentecostes, ac per totam earum solemnitatum Octavam quædam in hac Oratione adduntur, quæ ad eos, qui in his diebus baptizantur, pertinent. Nam juxta veterem disciplinam in Pervigiliis Paschatis & Pentecostes Catechumeni Baptismo abluebantur, qui vestibus albis amicti Sacrificio Missæ aderant, & Sacram Eucharistiam suscipiebant, ut bene advertit Pouget Institut. Catholicar. tom. 2. pag. 858. & concordant Gilbertus Grimaud in Liturgia Sacra par. 3. cap. 1. Grancolas in veteri Sacramentario Ecclesiæ par. 1. pag. 791. in fine.

In secunda Oratione verba illa, Hanc Oblationem, non designant præsentem materiam, sed ad mentem referenda sunt Sacerdoti, & ad Oblationem mox faciendam. Addita sunt a S. Gregorio, Dieſque nostros in tua pace &c.

2. Suarez 3. par. tom. 3. q. 83. art. 4. disput. 83. sect. 2. docet, in hac oratione, etsi nondum facta sit Consecratio, Oblationis tamen fieri mentionem; neque Oblationem jam factam significari, sed mox faciendam, quamque Sacerdos animo præsentem habet: *Solum est advertendum propter hæreticorum calumnias, cum in his Orationibus, quæ Consecrationem antecedunt, fit mentio Oblationis, sermonem esse non de Oblatione, quæ jam facta sit, sed quæ proxime paratur & instat; ita ut signum illud demonstrativum*, Hanc Oblationem, *non designet ad sensum præsentem materiam, quæ tunc præ oculis habetur, sed ad mentem designet Oblationem proxime faciendam, quæ in intentione præsens habetur*. Venerabilis Beda lib. 2. Histor. Anglicanæ cap. 1. narrat, D. Gregorium ad præcipuam a Deo implorandam opem huic Orationi ea verba, quæ etiam nunc recitantur, addidisse: *dieſque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*.

An Prædestinatorum numerus possit augeri vel minui.

3. Disputant Theologi, an Prædestinatorum numerus augeri possit, vel minui; seu, quod idem est an nonnulli sint hominum, qui cum prædestinati non sint, prædestinati adhuc possint; quo casu eorum numerus, qui censentur ab æterno Prædestinati augeretur; & contra num Prædestinatorum aliquis possit damnari, quo casu prædestinatorum numerus minueretur. Hoc pertractavit argumentum S. Augustinus in libris de Correptione & Gratia, & de Dono Perseverantiæ: quo auctore & duce, etsi gravissimæ in Scholis Theologorum ferveant controversiæ de Gratia, ad utramque quæstionem negando respondemus. Quæstionem hanc luculenter tractavit Cardinalis Lauria opusc. 1. de Prædestinatione cap. 18.

Explicantur illa, Et in Electorum suorum jubeas grege numerari.

4. Quibus præmissis suboritur quæstio, qui peti possit a Domino in hac 2. Canonis Oratione, ut jubeat nos *in electorum suorum grege numerari*. Hanc excitavit difficultatem Estius in 4. sent. lib. 1. dist. 70. §. 22. atque eam ut augeat, animadvertit in quapiam Oratione pro vivis & defunctis nos a Deo petere, ut eorum nomina in Prædestinatorum libro remaneant: *Orat Ecclesia Deum in Canone Missæ, ut in Electorum suorum jubeat nos grege numerari; & in Oratione pro vivis atque defunctis, ut eorum nomina Prædestinationis liber adscripta retineat: ergo addi possunt aliqui ad numerum electorum*. Cui difficultati diluendæ multum juvant verba ex epistola 2. B. Petri Apostoli cap. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*. Quod ad Deum attinet, profecto non mutatur electio; Deus enim immutabilis est, nec eum ulla donorum suorum pœnitentia capit: quod vero ad nos attinet, arundines sumus vento expositæ; propterea in id sedulo incumbendum, ut per bona opera nostra compleatur electio; ex fructibus vero, quos ferimus, intelligitur bonæne an malæ arbores simus. Petitur itaque a Deo in hac Oratione, ut nobis tribuat electorum ingredi viam, ut cum iis æterna pace fruamur. Eorum incompertus est numerus; optimum tamen affirmare possumus esse prædestinationis indicium, sese ad ejusmodi sanctarum precum spiritum & arcana sensa conformare, idest nihil quidquam aliud, quam Dei pacem cupere, nihil præter mortem æternam metuere, & perseverantiæ donum a Deo enixe petere, ut in eorum adscribamur numerum, qui æterna gloria perfruentur. Uno verbo, hac non petitur Oratione, ut Deus propositum mutet suum, sed nos ut ad se convertat, in via salutis confirmet, & ad æternam perducat beatitudinem, qui sunt Prædestinationis effectus. Verba Estii hæc sunt: *Ejusmodi Orationibus non petimus immutari æternum Dei propositum, sed causam pro effectu ponimus, orantes ut Deus nos, vel alios ad se convertat, & in sancta conversatione confirmet, atque ad æternam felicitatem perducat, qui sunt effectus Prædestinationis*.

Cur Sacerdos secundam Orationis Canonis dicat manus tenens protensas super Hostiam & Calicem.

5. In hac secunda Oratione Sacerdos extensas tenet manus super Hostiam & Calicem, donec ad illa pervenerit, *Per Christum Dominum nostrum*, ubi manus jungit. Bossuetus in tractatu de Orationibus Missæ pag. 36. observat, morem fuisse in Lege veteri ut super victimam manus imponeretur, quod indicium erat, Sacerdotem conjungi cum victima, & cum ea Deo consecrari; ob eamque causam Sacerdotem super Hostiam & Calicem, quæ consecraturus est, manus extendere. Levitici cap. 4. hæc habentur: *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens Populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. Et adducet illum ad ostium Tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manus super caput ejus, & immolabit eum Domino*. Et cap. 8. *Obtulit & arietem in holocaustum, super cujus caput cum imposuissent Aaron & filii ejus manus suas immolavit eum, & fudit sanguinem ejus per circuitum Altaris*. De hoc ritu fuse disputat Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 858. deinde ita in rem nostram concludit: *Hujus ad ritus imitationem in nova Lege Sacerdos facturus jam jam mysticam immolationem Corporis Christi, tam suo quam Populi simul offerentis nomine, ponit manus super oblata in Corpus & Sanguinem Christi mox convertenda, eoque ritu offert Deo se Populumque Christianum cum Christo jam jam mystice immolando, ut ejus virtute Sacrificii impetret a*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Deo remissionem peccatorum, vitæ præsentis pacem, & æternæ gloriam. Et probe consentit Auctor *de optima audiendæ Missæ ratione* secunda edit. Parisien. anni 1681. pag. 119. & seq.

CAPUT XV.

De tertia Canonis Oratione, ubi de Consecratione Panis, & Vini.

De tertia Canonis Oratione.

1. TErtia Canonis Oratio ab illis incipit verbis, *Quam Oblationem tu Deus in omnibus*; quæ Oratio usque ad finem Consecrationis continuatur. In hac Oratione respiciens Ecclesia non solum Oblationem panis, & vini, eorumque proxime instantem Transubstantiationem in Corpus, & Sanguinem Christi, sed etiam sui ipsius & Sacerdotis celebrantis, & adstantium Oblationem, Deum orat, ut eam facere dignetur *benedictam*, *adscriptam*, *ratam*, *rationabilem*, *acceptabilemque*, *ut nobis fiat Corpus & Sanguis* Unigeniti ejus Filii: & Sacerdos cum dicit *benedictam*, Crucis signum ducit super Hostiam & Calicem; idem facit cum dicit *adscriptam*, itidemque cum dicit *ratam*, *rationabilem &c.* Item super Hostiam Crucis signum ducit ad ea verba, *ut nobis Corpus*, & Crucis signo Calicem signat dicens, *& Sanguis fiat*.

Explicantur verba illa, Benedictam, adscriptam, ratam &c. ex Canone Utrum de consecr. dist. 2.

2. Varie rerum harum Scriptores explicant verba *benedictam*, *adscriptam*, *ratam* &c. Omnium maxime concinna nobis ea videtur explicatio, quæ affertur in Canone *Utrum* de Consecrat. dist. 2. qui a Gratiano tribuitur D. Augustino, sed revera sumtus est ex Paschasii libro de Corpore & Sanguine Christi cap. 12. verba Paschasii hæc sunt: *Rogamus, hanc Oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: adscriptam, per quam nos omnes in Cœlo conscribamur: ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus & nos per quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus.* In hac Oratione Deum, ut diximus, orat Ecclesia, ut panis & vini fiat Transubstantiatio in Christi corpus & sanguinem, etsi id futurum certo sciat; neque enim a Deo petere absurdum est, quod certo novimus fore, cum Christus quoque Joann. 17. Deum Patrem sit deprecatus, ut se glorificaret. Atque hæc est D. Thomæ doctrina 3. part. q. 83. art. 4. ad 7. Religiosus quidam Ordinis Eremitarum S. Augustini Joannes Hoffmeisterus, Theologicarum rerum non mediocriter peritus, Opus de Missa edidit anno 1545. in quo pag. 151. ita ad rem nostram: *Hic rogant Adversarii, quid necessum sit precari, ut ex pane & vino fiat Corpus & Sanguis Domini, cum certos nos esse putemus, ad prolationem verborum Consecrationis vere illa in Corpus & Sanguinem Domini transmutari. Ad hoc respondemus: quid opus erat, ut Veteres magnis precibus sollicitarent adventum Christi in carnem, quem tamen venturum certo credebant? Quid & necessum erat Christum ad Patrem Cœlestem clamare: Pater clarifica Filium tuum, cum clarificatio certo sequutura erat?* Ut igitur ad D. Thomæ doctrinam redeamus, monet S. Doctor, non id petere Sacerdotem ut impleatur Consecratio, sed ut nobis fiat fructuosa: *Non tamen videtur ibi Sacerdos orare, ut Consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa: unde signanter dicit: Ut nobis Corpus & Sanguis fiat.* Hunc sensum illud confirmare posse videtur, quod nato Christo Domino Pastoribus ab Angelo dictum esse legimus in Evangelio; *Natus est vobis Salvator*, idest in rem & utilitatem vestram, ut bene prosequitur Suarez in 3. par. tom. 3. q. 83. art. 4. disp. 83. sect. 2. §. *Secundo modo*. Extat inter S. Bernardi Opera edita a Mabillonio tom. 2. pag. 686. n. 15. sermo quidam cui titulus: *De excellentia Sanctissimi Sacramenti & dignitate Sacerdotum*, cujus Auctor quisquis ille sit, vir certe gravis, explicans verba illa Canonis, *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat*, ita ait: *Nobis*, inquit, *fiat. Fit enim procul dubio Corpus Domini in mensa Altaris semper, cum solemne illud celebratur Mysterium Ritu debito; sed non semper eis fit, per quos fit.* Quinque sunt, quemadmodum dictum est, Crucis signa, quæ in hac Oratione fiunt, quæ quidam putant Christum significare, qui secundum carnem in quinque sensibus passus est; & quidem in visu, cum velata illi facies est; in auditu, cum est irrisus; in gustatu, cum fel & acetum ei propinatum est; in odoratu, ex tetro corruptorum corporum odore cum in Calvario Monte Cruci affixus est; in tactu, cum ejus transfixi sunt pedes & manus. Ita rem explicat D. Bonaventura in expositione Missæ. Et Durandus lib. 4. de parte quinta Canonis putat, tribus illis, quæ fiunt supra Hostiam & Calicem, signis nefariam illam significari proditionem Judæ, qui Magistrum suum Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis vendidit; semel autem duci Crucis signum super Hostiam, & semel super Calicem, vel ad duas naturas significandas Divinam & Humanam, quas unione hypostatica Christus in se copulavit, vel ut intelligamus Christum esse passum anima & corpore. Auctor tractatus de Missa & Divino Officio, quem sæpe memoravimus, pag. 127. scribit, satis esse posse unicum Crucis signum ad illam vocem *Benedictam*, reliqua autem duo, quæ ducuntur ad illas voces *adscriptam*, *& ratam*, posse omitti: sed in sacris Ritibus, & in tremendo Missæ Mysterio ejusmodi novitates ferri nullo modo possunt.

Sacerdos deprecatur Deum, ut panem, & vinum convertat in Corpus Christi, & Sanguinem, quod non est absurdum, etsi novit certo futurum, ut fiat Transubstantiatio.

De verbis seu narratione, quæ proxime præcedunt verba Consecrationis.

3. In progressu tertiæ Orationis Sacerdos partim recitative seu historice & materialiter, partim recitative & significative, ut Theologi loquuntur, exponit quæ pridie mortis suæ Christus fecit & dixit: nimirum accepisse panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in Cœlum ad Deum Patrem suum Omnipotentem, gratias illi egisse, panem benedixisse, fractum dedisse Discipulis suis, ac dixisse: *Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum*.

Duplex modus enunciandi propositionem quamdam, historicus seu recitativus, significativus seu assertivus. Utrumque potest conjungi.

4. Quod ut probe intelligatur præmittendum est, posse quempiam verba dicere quæ alius dixerit, quin ea vel absolute affirmet, vel absolute neget; quod fecit David ea proferens, *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus;* posse etiam verba dicere animo affirmandi, vel negandi: ut si quis dicat: *Deus est Unus in natura, & Trinus in Personis*. Primus modus dicitur recitativus seu historicus & materialis: secundus significativus: nec quidquam impedit, quin eadem verba recitative & significative proferantur. Potest enim quispiam, quæ verba alius dixerit, narrare, & simul quod ille vel affirmaverit vel negaverit, animo affirmare vel negare. Exempli causa si quis dicat: *Christus nos docuit ita orare: Pater noster, qui es in Cœlis*, hæc verba qui refert tanquam a Christo prolata, ea narrat *recitative* seu *historice & materialiter*, sed si proferantur animo orandi & significandi mentem loquentis, tunc dicta sunt *significative*, seu *assertive*, & *formaliter*.

Verba Consecrationis a Sacerdote dicuntur significative, & non historice tantum.

5. His positis graviter profecto erraret, qui affirmare auderet Consecrationis verba, *Hoc est Corpus meum*, a Sacerdote dici *recitative*, & non

signi-

significative. Si enim ea tantum recitative & historice Sacerdos proferret tanquam dicta a Christo, non sane loqueretur aut ageret ex Persona Christi; neque enim qui verba ab aliquo dicta narrare velit, opus est ei personam illius in se exprimere & repræsentare, quemadmodum David impii verba referenti, *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*, opus non fuit loqui aut agere ex impii persona, sed illius personam repræsentare & exprimere. Quamobrem cum Sacerdos juxta communem Sanctorum Patrum, Theologorum, & ipsius Florentini Concilii in Decreto unionis sententiam loquatur & agat ex Persona Christi, necessario sequitur, verba Consecrationis a Sacerdote proferri *significative*, ut Theologorum verbis utamur, & *formaliter*.

An eadem verba dicantur utroque modo, significative, & recitative.

6. Reliquum est ut disceptemus, num verba Sacerdotis non modo *significative*, ut diximus, sed etiam *recitative* proferantur; nihil enim repugnat quominus utroque modo dicantur. Illud etiam discipiendum, an præter verba, *Hoc est Corpus meum*, alia quoque habeantur in Canone, de quibus quæri possit, num *recitative*, an *significative*, an vero utroque modo proferantur.

Utraque modo dici putat D. Thomas.

7. D. Thomas 3. par. quæst. 78. art. 5. in eam sententiam est propensior, ut utroque modo Consecrationis verba, idest *recitative* & *significative*, proferantur. Disputant vero Theologi an illa quæ præcedunt, *Accipite*, & *manducate*, proferantur *recitative* tantum; & utroque modo ea proferri communior videtur esse sententia. De D. Thomæ mente super altera hac quæstione videantur Salmanticenses in Cursu Theologico tom. 11. par. 1. tract. 23. de Eucharistia quæst. 9. dub. 4. §. 1. & 2. Quæ hactenus diximus de Consecratione panis, dicta itidem volumus de Consecratione vini: nam, ut in Canone legitur, Christus Jesus post Cœnam in sanctas suas manus Calice accepto, item gratias egit Deo Patri, Calicem benedixit, ac præbuit Discipulis suis dicens: *Accipite, & bibite ex eo omnes*; quæ dicuntur a Sacerdote *recitative* & *significative*: & utroque etiam modo illa: *Hic est enim Calix* &c. Itemque, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*.

Veritas asseritur eorum, quæ in hac Oratione narrantur.

8. Explicatis iis modis, quibus hanc recitat Sacerdos Orationem, duo alia sunt pertractanda: quorum unum ad veritatem & ad sensum pertinet, qui illis verbis continetur; alterum ostendit quænam sint illa verba, in quibus tota vis & forma sita est Consecrationis panis & vini. Plures sunt, ut antea diximus, actiones, quæ tanquam factæ a Christo commemorantur in Canone; ubi narratur, Christum in manus accepisse panem, oculos ad Cœlum sustulisse, gratias egisse, benedixisse, fregisse panem, ac præbuisse Discipulis suis, quæ ex Matthæi Evangelio depromta sunt, qui scribit: *Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum*: & ex Luca: *Accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum*. Panem in suas manus accepisse, nulla quæstio esse potest. Oculos ad Cœlum sustulisse superius docuimus. De Consecratione vero, qua Christus panem consecravit & vinum, non voluntate sua sola, aut tactu, aliove signo externo, sed verbis iisdem, quæ ex ejus persona profert Sacerdos, cum in Missa panem & vinum consecrat, jam sermonem habuimus Institutione 37. cum in Feria V. Majoris Hebdomadæ de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento disseremus. Quapropter ut hanc Canonis Orationem explicemus, examinandum remanet, utrum discrimen ullum sit inter gratiarum actionem, & benedictionem; num utraque differat a Consecratione; denique antene, an post Consecrationem fractus fuerit panis.

Benedictio, & Consecratio Christi num idem fuerint. Sententia D. Thomæ & Suarez.

9. D. Thomas 3. par. quæst. 78. art. 1. ad primum tractat hanc controversiam, nec eorum improbat opinionem, qui putant, idem in Christo fuisse benedicere & consecrare; panem autem prius consecrasse, deinde fregisse inter Apostolos dispertiendum; addit etiam, defendendæ hujus sententiæ causa non esse opus actionum ordinem immutare, quem Apostoli tradiderunt, & ipse Canon Missæ describit: *Sed idem sensus haberi potest etiam verbis Evangelii non mutatis*, ut videre est loco cit. Soto in 4. sentent. dist. 11. quæst. 1. art. 2. putat, Christum acceptum panem fregisse, deinde Discipulis præbuisse dicentem: *Accipite, & manducate*; deinde addidisse: *Hoc est Corpus meum*; ita ut non nisi post verba *accipite, & comedite* facta fuerit consecratio; & *verba porrigentis fuisse pariter & consecrantis*. Suarez in 3. par. tom. 3. quæst. 78. art. 1. disput. 58. sect. 2. putat Benedictionem panis & gratiarum actionem, etsi eadem fere actione peractas, tamen juxta earum significatum res esse distinctas; ad Deum enim gratiarum actionem, Benedictionem vero ad panem referri; ac posse eodem Orationis contextu & Deo gratias agi, & ab eo bonum aliquod creaturæ cuipiam peti; & concludit verba illa *accepit, benedixit, fregit, dedit*, actiones significare peractas eo ordine, quem describunt Evangelistæ, etli non omnes peragi potuerint, antequam Consecrationis verba Christus omnia protulisset: propugnandum enim esse juxta doctrinam Tridentinæ Synodi sess. 13. cap. 3. Christum panem consecrasse, antequam illum frangeret.

Ordo naturalis gratiarum actionis, Benedictionis, & Consecrationis ex Sylvio.

10. Nos, quæ eximii illi Theologi scripserunt, huc attulimus. Si quis vero nostram roget sententiam, dicimus apertum, simplicemque nobis illum videri Ordinem, quem demonstrat Sylvius 3. par. quæst. 78. quæst. 2. Itaque scribit, Christum Jesum accepisse panem, gratias Deo Patri suo egisse, benedixisse, deinde consecrasse, ac dixisse: *Accipite, & manducate; hoc est Corpus meum*; ac demum fregisse, & Discipulis dispertiisse. Etsi enim non est exploratum, panisne consecratus ante fuerit, deinde fractus; verisimilius tamen esse Christum panem prius consecrasse, ac postea fregisse, tum quod Apostolus scripserit 1. ad Corinth. cap. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Ex quo illud colligitur, sub specie panis, qui frangebatur, fuisse Corpus Christi, antequam frangeretur; tum etiam quia in Missa prius panem consecramus, quam frangimus, quod quidem indicium facit, in hunc modum rem a Christo gestam esse. Quod vero ad Evangelistarum narrationem pertinet, ait Sylvius, eos res a Christo gestas narrasse, non vero earum seriem & ordinem; quod confirmat ex Marc. cap. 14. ubi ait Evangelista: *Et biberunt ex illo omnes*; cum tamen nondum narrasset, Christum dixisse: *Hic est Sanguis meus*; Christum vero vinum consecrasse, antequam ex eo biberent Apostoli, exploratissimum est.

Consecratio Fractionem præcessit.

Explicantur illa verba, Hic est Calix Sanguinis &c. ex D. Thoma.

11. Illud etiam ad verborum sensum pertinet & intelligentiam, quærere, quid hæc verba significent: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti*; itemque illa: *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. D. Thomas 3. par. quæst. 78. art. 3. ad primum docet, cum dicitur, *hic est Calix Sanguinis mei*, esse locutionem figuratam per metonymiam, qua ponitur continens pro contento, ut sit sensus:

Hic

Hìc eſt Sanguis meus contentus in Calice, de quo fit mentio; quia Sanguis Chriſti in hoc Sacramento conſecratur; & ibidem in reſponſione ad tertium docet, dici Sanguinem novi Teſtamenti, quod non per figuram, ut in veteri Teſtamento, ſed revera effuſus ſit: *Dicitur, Hic Sanguis novi Teſtamenti, quia jam non in figura, ſed in veritate exhibetur*; *unde ſubditur, qui pro vobis effundetur*: docet porro dici Sanguinem æterni Teſtamenti, *tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Sacramentum diſponitur: ipſa etiam perſona Chriſti, cujus Sanguine Teſtamentum diſponitur, eſt æterna*. cit. art. 3. in reſponſione ad 4. Ac eundem Angelicum Doctorem ſequuti ita explicamus verba illa *pro multis*, ut vox *multi* juxta modum loquendi ſacrarum Scripturarum ſignificet *omnes*. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obeditionem juſti conſtituantur multi*: ſunt verba D. Pauli ad Roman. 5. ubi ſine dubitatione vox *multi* omnes ſignificat, ut luculentiſſime apparet ex ſuperioribus verbis: *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*. Itaque dicimus Chriſti Sanguinem fuſum eſſe pro omnibus; *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*; ſunt verba D. Joannis: fuſum autem pro omnibus *quoad ſufficientiam*, & pro ſolis electis *quoad efficaciam*, ut bene explicat D. Thomas in 4. ſentent. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. ad ſeptimum: habere porro efficaciam *non ſolum* (ait idem D. Thomas 3. par. quæſt. 78. art. 3. ad octavum) *in Judæis electis, quibus exhibitus eſt Sanguis veteris Teſtamenti, ſed etiam in Gentilibus, nec ſolum in Sacerdotibus, qui hoc conficiunt Sacramentum, vel aliis, qui ſumunt, ſed etiam in illis, pro quibus offertur. Et ideo ſignanter dicit: pro vobis Judæis, & pro multis, ſcilicet Gentilibus; vel pro vobis manducantibus, & pro multis, pro quibus offertur*.

Voces Materiæ, & Formæ a pluribus ſæculis adhibitæ ad ſignificanda in Sacramentis res & verba.

12. Venimus modo juxta ordinem, quem nobis ſtatuimus ad verba, quibus Conſecrationis forma continetur. Morinus tractatu de ſacris Ordinationibus par. 3. exercit. 1. cap. 3. quærit, quonam tempore his vocibus Materia & Forma ſignificari cœperint res & verba, quibus Sacramenta conſtant; quæ quidem verba e Peripateticorum ſchola in Theologiam defluxerunt; ac concludit plura eſſe ſæcula, cum & in Occidente & in Oriente eæ voces paſſim uſurpantur, eaſque tanquam utiles eſſe retinendas: *Cum igitur hanc docendi methodum univerſus Occidens ab aliquot ſæculis amplexus fuerit, atque Oriens non improbaverit, fieri non poteſt, ut id utile non ſit & commodum, quod tanto conſenſu uſurpatur*. Hunc loquendi modum adhibuit Eugenius IV. in Inſtructione ad Armenos: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum*. Eodem modo loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3.

Forma Conſecrationis panis ſunt verba illa: Hoc eſt Corpus meum.

13. Hunc igitur nos quoque loquendi modum adhibentes dicimus cum communi ſententia, Conſecrationis formam in illis verbis conſiſtere: *Hoc eſt Corpus meum*. Vide D. Thomam 3. par. quæſt. 78. art. 2. Quamquam Scotus in 4. Sentent. diſt. 8. quæſt. 2. quærit, an ea verba ab iis, quæ præcedunt, ſejuncta, ſatis ſint ad formam Conſecrationis panis; perinde quaſi prolata ſine ſuperioribus, potius Sacerdotis quam Chriſti Corpus poſſint innuere. Hæc ſententia poſtulare videtur ad formam Conſecrationis illa quoque, *Qui pridie quam pateretur &c.* in iis enim fit mentio Chriſti; & ab iis poteſt intelligi Sacerdotem agere ex perſona Chriſti. Verum cum ſatis ſit, Sacerdotem proferre, *Hoc eſt Corpus meum*, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum; intentio enim facit ut ea verba quaſi ex perſona Chriſti prolata intelligantur, propterea ad formam Conſecrationis ejuſque validitatem ſatis ſunt ea verba, etiamſi præcedentia non recitentur, ut docet D. Thomas 3. par. quæſt. 78. art. 1. in reſponſ. ad quartum; quam reſponſionem confirmant Salmanticenſes cit. tractatu 23. diſp. 9. de forma Sacramenti dub. 2. part. 1. tom. 11. Curſus Theologici.

Forma Conſecrationis vini ſtatuere videtur S. Thomas in illis verbis: Hic eſt Calix ſanguinis mei, uſque ad illa: Hæc quotieſcumque feceritis.

14. Conſecrationis Calicis communiter ponitur forma in illis verbis; *Hic eſt Calix ſanguinis mei*: verum D. Thomæ art. 3. cit. quæſt. 78. inconveniens videtur, formam Conſecrationis vini in illis tantum verbis ponere: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, eorumque ſequi videtur S. Doctor ſententiam, qui etiam in ſequentibus verbis formam conſtituunt uſque ad illa verba: *Hoc quotieſcumque feceritis*, ea ratione, quod verba, quæ ſequuntur, ſunt *determinationes prædicati, ideſt ſanguinis Chriſti*; quæ proinde cum *ad integritatem ejuſdem locutionis* pertineant, ſunt *de ſubſtantia formæ*.

Diſſentiunt inter ſe Thomiſtæ in explicanda ſupra hac re mente D. Thomæ.

15. Vel ipſi D. Thomæ Diſcipuli, qui ejus doctrinæ conſtantius hærent, in duas ſuper hac re abierunt ſententias. Quidam Angelici mentem patere ajunt apertiſſime non in iis tantum verbis: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, Conſecrationis formam conſiſtere, ſed in iis etiam, quæ ſequuntur uſque ad ea, *Hæc quotieſcumque feceritis*; & qui ſe D. Thomæ profiteatur eſſe diſcipulum, idem omnino eum debere ſentire; præſertim quod, cum Cardinalis Cajetanus in Commentariis in Summam D. Thomæ contrariam amplexus ſit ſententiam, S. Pius V. in editione Romana Operum D. Thomæ ejus Cardinalis Commentarium voluit exploſum. Vide Cardinalem Capiſuccum controv. 3. quæſt. unica, & Salmanticenſes loc. cit. dub. 3. §. 2. Alii dicunt, Angelicum docere, non ad eſſentiam, ſed ad integritatem formæ ea verba pertinere, quæ ſequuntur poſt verba, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, uſque ad ea, *Hæc quotieſcumque feceritis*; magnumque inter eſſentiam & integritatem eſſe diſcrimen; oculum enim aut pedem de hominis eſſe integritate, non de eſſentia. Ita Soto in 4. ſentent. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. Cardinalis Gotti Theologiæ tom. 14. quæſt. 2. dub. 3. §. 1. & ſeq. & Herminier tractatu de Sacramentis tom. 2. de Euchariſt. cap. 15. pag. 461. & 462. Et licet factum S. Pii V. evidenter conſtet, reſpondent tamen non illud feciſſe, quo controverſiam dirimeret, aut Fidei articulum conderet, ſed quod ipſi parum decere viſum fuerit, Cajetanum, qui D. Thomæ ſuſceperat mentem explicandam, de tanto Doctore non ea qua par eſt reverentia loqui. Vide Yſambertum quæſt. 78. diſp. 2. art. 50. Fraſſen tom. 11. edit. Romanæ pag. 128. §. *Ad Cenſuram S. Pii V.* Juvenin de Sacrament. diſp. 4. §. *Reſpondeo ad ſecundum*, Tournely par. 1. de Sacram. Euchar. pag. 461. edit. Pariſien. Card. Gotti loc. cit. §. 3. n. 11. Herminier. tract. de Sacram. tom. 2. de Euchar. cap. 16.

Græci poſt verba: Hoc eſt Corpus meum, orant Deum, ut panem immutet, & faciat Corpus Chriſti.

16. Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 13. refert Conſecrationis panis & vini formam juxta Liturgias Græcorum & Miſſale Mozarabum. Apud Græcos igitur poſt verba, *hoc eſt Corpus meum*, Sacerdos Deum orat, *ut mittat Spiritum Sanctum ſuum ſuper propoſita dona, & panem*

nem faciat Corpus Christi, vinum vero sanguinem ejus, immutans ea Spiritu Sancto suo; ex quibus verbis inferri posse videtur, eos non existimare vi verborum factam esse Transubstantiationem.

Græci in Concilio Florentino asserunt, se credere vi verborum Christi fieri Transubstantiationem.

17. Actum de hac re in Concilio Florentino; ubi Græci de hujusmodi oratione interrogati responderunt sess. 25. se credere Transubstantiationem fieri vi verborum Christi, nec alio Orationes quæ sequuntur respicere, quam quo Spiritus Sanctus invocetur, ut pretiosum Christi Corpus & Sanguis conferant ad peccatorum remissionem, & *non fiant in judicium, aut condemnationem nostram*. Præterea ita sensus aperuerunt suos in eadem sessione: *De misteriis autem fatemur, ea confecrari per Domini voces, licet nos postea invocando dicamus: fiat Corpus & sanguis Christi*, ut videre est tom. 3. Concil. Collect. Labb. pag. 491. & 498.

Orationes Græcorum post verba Christi explicavit Turrecremata item ut Græci. Declaratio ei de re Bessarionis Cardinalis in Concilio Florentino.

18. Eadem verba ad eundem plane modum explicavit Cardinalis Turrecremata in Oratione quam jussu Eugenii IV. habuit in Concilio Florentino: *Oratio illa non est ut conficiatur, quod confectum est, sed ut consequamur effectum Sacramenti, scilicet uniri cum Christo & incorporari, ut & dicamus cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus*. Affert Mabillonius Mus. Ital. tom. 1. part. 2. pag. 243. declarationem a Bessarione Cardinale Eugenio IV. in Concilio Florentino traditam, ubi diserte fatetur, *verba Dominica esse illa, quæ mutant, & transubstantiant panem & vinum in Corpus verum Christi & Sanguinem, & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem Transubstantiationis habent*; quam confessionem magni momenti esse ait Mabillonius pag. 245. ad demonstrandum, quænam sit Ecclesiæ Græcæ de Eucharistia Fides: *Confessio hæc duas habet partes, nempe Consecrationem verbis Christi Domini confici, non precibus illis, quæ post verba sacra fiunt a Græcis; atque his verbis panem & vinum in Christi Corpus & Sanguinem mutari & transubstantiari*. Et sane hujusmodi declarationibus Eugenius acquievit, ut Græcos appellare non dubitaverit *Fratres in Fide secum conjunctos*. Syri quoque in eandem explicationem consentiunt, ut refert S. Maronius in expositione Liturgiæ cap. 33. *Hoc loco*, inquit, *quærendum est, qua de causa invocamus Spiritum Sanctum, ut descendat super panem & vinum, dum jam Filius descendit, & commutavit ea in Corpus & Sanguinem suum pretiosum. Huic quæsito respondemus, nos non invocare Spiritum Sanctum, ut efficiat, idest commutet panem & vinum in Corpus & Sanguinem Salvatoris nostri, sed ut ostendamus illa esse Corpus & Sanguinem Domini nostri, & ut efficiat ut sint sumentibus illa in remissionem peccatorum, & in vitam æternam*.

Non est notum in precibus Orientalis Ecclesiæ, ut postuletur, quod tam concessum sit a Deo.

19. Nec alia desunt, quibus demonstretur, nihil esse hocce argumentum: Græci post Consecrationis verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est sanguis meus*, invocant Spiritum Sanctum, ac dicunt: *Fiat Corpus & Sanguis*; igitur non credunt sub speciebus panis & vini priorum virtute verborum esse Christi Corpus & Sanguinem. Hoc, inquam, argumentum nihil est: neque enim est novum in Orientalis Ecclesiæ precibus, ut res jam concessa, quasi nondum concessa sit, postuletur. In Rituali Severi in Bibliot. novis. SS. PP. tom. 12. pag. 733. in administratione Baptismi hæc habentur: *Tu Domine hos servos tuos, qui nunc baptizati sunt regenerationis lavacro sanctifica in veritate tua, imple eos gratia Spiritus Sancti tui*; sed tamen cum supponantur jam baptizati, *qui nunc baptizati sunt*, cum jam aqua sint ablu-

Bessarionis Gratia ad excludendum hæ genesis errorem.

ti, & super eos prolata sit Sacramenti forma juxta Græcos, *baptizetur Servus Christi &c.* dubitari non potest, quin in eo puncto temporis remissionem peccatorum & plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti acceperint.

20. Magni ea de re Bessarionis Cardinalis Orationem reperias in Opere cui titulus: *Liturgiæ sive Missæ Sanctorum Patrum*; edito Antuerpiæ ann. 1562. quam Orationem summis extollit laudibus Matthæus Galenus Vestcapellius tractatu de sacrosancto Missæ Sacrificio Antuerpiæ itidem edito ann. 1574. cap. 12. pag. 156. omnibusque dignum præconiis Cardinalem illum prædicat, *qui proprio opusculo suæ gentis errorem* (qui error is est, de quo nunc loquimur) *evertit & extirpavit*. In eodem libro de Liturgiis, seu Missis Sanctorum Patrum continetur etiam Liturgia Nicolai Cabasilæ Græci. Et Gentianus Hervetus, qui eam in Latinum convertit, in Præfatione Cabasilæ notat errorem, qui pravos gentis suæ sensus sequutus, putat post Consecrationem extare adhuc panis & vini substantiam, ac transubstantiationem denique fieri post Orationes & Benedictiones Sacerdotis, eas scilicet, quas superius memoravimus, quibusque post Consecrationem Spiritus Sanctus invocatur, ut Corpus & Sanguis Domini conficiantur: atque Hæmorrhoissæ exemplum affert idem Hervetus, quæ etiamsi jam, ex quo Christi vestem tetigit, continuo convaluit, *& sensit corpore quia sanata esset a plaga*, tamen ubi Christus deinde rogasset, *Quis tetigit vestimenta mea?* Mulieri jam sanatæ, *Vade* (inquit) *in pace, & esto sana a plaga tua*. Ad quæ verba ita ad rem nostram scribit: *Jam sanata fuerat: sed hoc dicere voluit Christus, ut licet tactus fimbriæ transisset, effectus tamen inde sequutus perseveraret*.

Nicolai Cabasilæ Liturgia eodem errore inquinata.

Consecratio fit ex virtute verborum Christi, non ex precibus Ecclesiæ.

21. Alia etiam exempla suppetunt apud Renaudotium in Commentar. ad Liturgiam Copticam S. Basilii pag. 250. & Meratum tom. 1. par. 2. pag. 741. Antonius Augustinus Touttée dissertatione 3. inter eas, quas edidit cum S. Cyrilli operibus, probandum suscepit, Consecrationem non in Christi verbis tantum, sed etiam in precibus ab Ecclesia institutis consistere; ita ut ex duplici hac partiali & inadæquata forma, idest ex Christi verbis & Ecclesiæ precibus moraliter junctis existat plena & essentialis Eucharistiæ forma. Eandem sententiam amplexus est Le Brun tom. 3. Adversus Touttée erudite scripsit doctus sane vir Josephus Augustinus Orsi Ordinis Prædicatorum sacræ Indicis Congregationis Secretarius, qui eam, quam supra memoravimus, Bessarionis declarationem proferens luculenter probat propter eandem declarationem pridie ejus diei editam, quo Decretum unionis conditum est, nihil de hac re in eo Decreto fuisse insertum: *Hæc porro vera & legitima causa fuit, cur nullus Decreto unionis de hoc Dogmate articulus inseretur, quod Græci viva, ut ajunt, voce se in Latinorum sententiam consentire publice professi essent*: verba sunt ipsius P. Orsi in dissertat. de Invocat. Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum & Orientalium pag. 168. Eruditus vir P. Bougeant Societatis Jesu Presbyter refutavit Le Brun, qui integro volumine, quæ ab illo sibi objecta fuerant, conatus est diluere. Juveninus, & Tournely Concilio Florentino, & Bessarionis Cardinalis declarationi præcipue innixi dicunt, constantem esse utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensum, ut nuda & præcisa forma Consecrationis consistat in Christi verbis, *Hoc est Corpus meum; hic est Calix sanguinis mei*, omnibus ab ea forma precibus exclusis, tum quæ

præ-

præcedunt, tum quæ sequuntur. Du-Hamel Theologiæ tom. VI. editionis Parisiensis anni 1691. pag. 775. & seq. accurate de hac re disputat, & auctoritate Græcorum & Latinorum Patrum concludit, Consecrationis formam Divinæ non Humanæ institutioni tribuendam: preces, quæ vel ante vel post Consecrationem recitantur, esse Humanæ institutionis; earum nullam apud Evangelistas mentionem fieri, aut apud Apostolum Paulum; eas quidem ad Sacrificii integritatem & perfectionem pertinere, non tamen ad Consecrationis essentiam. Quasdam se vidisse ait Dissertationes Martene tract. de Antiquis Eccl. Ritib. lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 20. quarum Auctor contrariam opinionem nitebatur statuere; sibi tamen minime probari potuisse, cum inter Latinos Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 4. diserte dicat: *acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum* (Christus) *fecit dicens: Hoc est Corpus meum*. Et D. Ambrosius lib. 4. Sacramentor. cap. 5. *Panis antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: Hoc est enim Corpus meum: & ante verba Christi Calix est vini & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit*. Et inter Græcos Gregorius Nazianzenus 2. Orat. de Pascha te: *Inter sermones de carne præcipui sunt illi Christi: Hoc est Corpus meum. Illisque prolatis a Sacerdote, qui non credit esse verum Corpus Christi, sine dubio Fidem derogat*. Et Chrysostomus Oratione de Proditione Judæ: *Non enim est homo, qui facit, ut proposita Corpus Christi & sanguis efficiantur, sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est enim, ait, Corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur*.

Consensus universique Ecclesiæ eadem re, & nostræ etiam ætatis Græcorum.

22. Testatur Bossuetus tractatu de Missa, in eo consentire Orientalem & Occidentalem Ecclesiam, ut affirment, virtutem illam, qua panis & vinum in Christi Corpus & Sanguinem convertuntur, essentialiter in verbis Christi consistere; ac Græcos ipsos nostræ ætatis, si bene eorum sensa examinentur, tametsi videantur quibusdam vim Consecrationis non in Christi verbis ponere, sed in Orationibus, quibus postulant ut Spiritus Sanctus immutet Dona, seu panem & vinum in Christi corpus convertat & sanguinem, revera fateri, omnem esse virtutem in verbis Christi, quæ ex ejus persona profert Sacerdos: preces vero nihil quidquam aliud facere, quam virtutem omnipotentem pani & vino applicare, quemadmodum ignis comburendæ materiæ applicatur. Aliæ porro ejusdem modi Orationes, quæ post Consecrationem recitantur, in aliquibus Occidentalis etiam Ecclesiæ Missalibus reperiuntur, exempli causa in Missali S. Germani, & Mozarabo. Hoc primus observavit Card. Bona lib. 2. Rerum Liturg. cap. 13. n. 5. ubi dicit eodem modo explicandas & intelligendas, quo Orationes illæ Græcorum explicantur & intelliguntur. Quæ autem scripsimus Cap. XIII. n. 28. aliisque, qui consequuntur, fuse ea omnia disputavit confirmavitque Nicolaus Herminier tractatu de Sacram. tom. 2. de Euchar. cap. 15.

Duplex post Consecrationem quæstio oritur de Aqua cum vino mista.

23. Cum igitur Consecrationis forma panis & vini constitat in Christi verbis; simul ac prolata fuerint supra panem, *Hoc est Corpus meum*, omnis substantia panis in Christi corpus convertitur: atque itidem, ut prolata fuerint verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, fit conversio vini in sanguinem; quæ conversio apposite ab Ecclesia Catholica appellatur *Transubstantiatio*, ut videre est in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4. & can. 2. ejusdem sessionis. Quia vero in Calicem una cum vino infunditur etiam, ut dictum est, paullulum aquæ, duæ suboriuntur quæstiones; quarum prima est, num aqua in Christi sanguinem convertatur; altera, num aqua, si quidem convertitur, primum vertatur in vinum, ac deinde in sanguinem, an vero immediate in sanguinem transubstantietur.

Aqua cum vino convertitur in sanguinem.

24. Earum quæstionum prima excitata fuit sæculo XII. in Gallia; & Baronius ad ann. Chr. 1188. prolixam affert Epistolam Gaufridi Monachi Cisterciensis ad Cardinalem Episcopum Albanensem, ubi varias veterum, & qui tunc florebant, Theologorum Gaufridus sententias exponit. Quid Cardinalis responderit, incompertum. Verum Baronius: *Sed aliud*, inquit, *vesc ribere non potuisse certum est, quam quod credidit, & custodivit semper Sancta Romana Ecclesia, nempe aquam simul & vinum transubstantiari in sanguinem Christi*. Innocentius III. in Cap. *Cum Marthæ*, de Celebrat. Missarum duas affert sententias; quarum altera est, vinum in sanguinem, aquam vero converti in aquam, quæ de latere Christi defluxit; altera est, aquam vino junctam per se manere veluti circumdatam speciebus vini, quam D. Thomas improbat 3. par. quæst. 74. art. 8. tum quod in Sacramento Altaris nihil aliud est post Consecrationem, quam Christi Corpus & Sanguis, tum quia si post Consecrationem aqua remaneret in Calice, non totum id quod est in Calice adoraretur *adoratione latriæ*. De aquæ conversione in aquam, quæ de latere Christi erupit, nihil attinet dicere: est enim pia potius cogitatio, quam Theologica opinio; quamobrem non recedendum ab Innocentio III. qui in ea Decretali ait, probabiliorem esse eam sententiam, quæ statuit aquam in sanguinem Christi converti. Justinus, Irenæus, Cyprianus docent, aquam in Calicem infundendam; iidem vero dicunt, Christum quidquid in Calice continebatur in sanguinem convertisse; itaque perinde est ac si dicerent, aquam converti in sanguinem.

Conversi Aquam in eam, quæ profluxit a latere Christi, est opinio magis pia, quam Theologica.

25. Utrum autem ejusmodi aquæ conversio in sanguinem fiat immediate, an vero convertatur in vinum, deinde in sanguinem, quæstio est inter Theologos Scholasticos; quam si quis accurate cognoscere cupit, adeat primam Cardinalis Capisuechi controversiam. Obiter innuimus plumbeum & nullius esse roboris argumentum illud e Fratrum Prædicatorum aliorumque Religiosorum Rituali depromtum, qui antequam Missam incipiant, aquam infundunt in Calicem, quasi id faciant, ut spatium temporis suppetat, quo aqua convertatur in vinum. Ait enim Juvenimus differtat. 4. de Sacram. quæst. 2. de Eucharistia §. 3. *Respondeo ad secundum, Dominicanorum praxim non niti eo Physicorum principio, quod adversarii supponunt, sed nonnullis Liturgiis, quibus præscribitur, ut id totum, quod in Sacrificiis debet offerri, ante ipsummet Sacrificium præparetur*; cui concors est Nicolaus l'Herminier *in tractatu de Sacramentis tom. 2. de Eucharistia cap. 14. in fin.* Deinde monet laudatus Juvenimus juxta Liturgias Sanctorum Basilii, & Chrysostomi Græcos ante Missam aquam & vinum in Calicem infundere; neque vero Græcis unquam in mentem veniisse id facere, ut copia temporis sit, quo aqua convertatur in vinum. Denique Rubricæ Missalis Romani præscribunt, si forte aqua ad Offertorium non infusa fuerit in Calicem, immediate infundendam esse ante Consecrationem; quod si tempore opus sit, ut aqua convertatur in vinum, quis

An vero prius in vinum, deinde in sanguinem convertatur, disputant Scholastici.

cre-

credat puncto temporis ejusmodi posse fieri conversionem?

De actionibus quæ consumuntur cum tertia Orazione Canonis. Degenuflexione, & cultu Lamiæ erga Sanctissimam Eucharistiam.

26. Actiones quasdam reliquum est ut persequamur, quas in hac tertia Oratione peragit Sacerdos. Itaque manibus sumit Hostiam, cum dicit *Accepit panem*; oculos ad Cœlum tollit, cum dicit *elevatis oculis*; Crucis signum ducit super Hostiam, cum dicit *benedixit*; manibus sumit Calicem, cum dicit *accipiens & hunc præclarum Calicem*; signat signo Crucis, cum dicit *benedixit*: de quibus actionibus non opus est longiore uti sermone; quivis enim facile intelligit, eas omnino verbis, quæ interea proferuntur, respondere, ac quicquid Christus gessit, expresse repræsentare. Consecrata Hostia, Sacerdos unum tantummodo genu flectit usque ad terram, manibusque Altari innititur, quo facilius sese restituat in pedes; idem facit consecrato Calice; est enim Catholicæ Fidei dogma, externo latriæ cultu Christum in Eucharistiæ Sacramento adorandum: *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriæ etiam externo adorandum &c. Anathema sit*; verba sunt Trident. Synodi sess. 13. can. 6. Juvenimus dissert. 4. de Euchar. quæst. 4. cap. 3. art. 1. accuratissime de Latriæ cultu Eucharistiæ debito agit. Mabillonius in Comment. ad Ordinem Roman. num. 7. probat toto Canonis tempore fuisse disciplinam ut Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui Missæ Summi Pontificis ministrabant, & Presbyteri, qui erant in Presbyterio, *manerent inclinati*, & Diaconi ad ea verba, *nobis quoque peccatoribus*, surgerent; idque *ut sacra actio & sancta adorarentur mysteria*, ut loquitur liber Pontificalis in Vita Martini Papæ. Profecto Ecclesia Græca & Latina semper crediderunt, post Consecrationem ipsos Angelos adstare circum Altare, ut Jesum Christum realiter præsentem adorent. D. Chrysostomus Hom. 16. ad Pop. Antiocb. scribit, Angelos venerabundos circum Eucharistiam stare tanquam circum Imperatorem custodes, quod innuit etiam Bossuetus tract. de Missa cap. 28. Et Le Brun tom. 1. pag. 472. picturam quamdam exhibet, quæ in multis Græcorum reperitur templis, ubi Christus in Patena stratus exprimitur, Angelique super Patenam & Calicem sublimes utrumque adorantes. Denique fit primum elevatio Hostiæ, accensa prius candela, quæ non extinguitur nisi postquam Sacerdos sanguinem hauserit, & adstantibus Eucharistiam distribuerit. Ad elevationem autem Hostiæ & Calicis Minister campanula signum edit.

Elevatio Eucharistiæ paulo ante Communionem apud Græcos vetustissima.

27. Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 13. n. 2. refert, Græcos Hostiam & Calicem non statim post Consecrationem, sed paullo ante Communionem elevare, eumque morem apud illos vetustissimum esse, itemque apud Armenos & Abissinos, qui Sacramentum paullo ante Communionem elevantes Populum excitant ad illud adorandum, ut videre est apud Bzovium tractatu, *Romanus Pontifex*, cap. 29. pag. 283. tom. 1. Biblioth. Pontif. Roccaberti. Mabillonius in Comment. ad Ordinem Roman. num. 7. docet, fieri cœpisse in Gallia elevationem Hostiæ, & Calicis circa dimidium XI. sæculi; incompertum autem esse, ait, an paullo post Romana Ecclesia amplexa sit ejusmodi disciplinam; quamquam in Romana & Gallicana Ecclesia sacra adorabantur Mysteria. Le Brun tom. 2. pag. 476. ostendit, ab initio usque duodecimi sæculi Presbyteros consuevisse post finem Canonis, ubi ad ea verba pervenirent, *omnis honor & gloria*, Hostiam & Calicem elevare, quam nunc secundam seu parvam appellamus Elevationem; eam vero quæ nunc fit post Consecrationem eo esse introductam, ut signum Catholicæ Fidei adversus Berengarii hæresim ederetur, qui vel realem Christi in Eucharistia præsentiam, vel panis conversionem in Christi corpus negavit, ut videre est apud Witasse tract. de Sacram. Euchar. par. 1. pag. 432. edit. Parisien. ann. 1720. Antonius Saxus Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus in Epistola anno 1713. Mediolani edita pag. 9. sententiam P. Le Brun amplectitur, cœptum videlicet adorari Corpus & Sanguinem Christi a Sacerdote & populo per elevationem utriusque, simul ac Consecratio peracta fuerit, ut mysterii veritas, quæ a Berengario impetebatur, publico hoc testimonio declaretur. Bossuetus tractatu de Missa sæpius citato cap. 30. accurate, ut solet, ostendit decipi hæreticos, qui anxie student, unde ritus elevationis Hostiæ & Calicis originem traxerit, reperire, ut novam esse disciplinam evincant adorandi Eucharistiam. Itaque eruditissime probat tum internam tum externam Eucharistiæ adorationem a dogmate, quod semper creditum est de reali Christi præsentia in Sacramento, nunquam fuisse sejunctam; in Ecclesia Græca perpetuam fuisse adorationem etiam externam erga Præsanctificata, seu Oblata die Dominico, qui proximæ præcessit, jam consecrata; diebus enim quadragesimalis jejonii Græci non consecrant; & ex hac Præsanctificatorum adoratione ortum esse, ut Græci inclinationibus corporis, prostrationibus, & orationibus tantos tribuant honores pani & vino etiam nondum consecratis, cum nimirum a Credentia seu Prothesi deferuntur ad Altare, ubi sunt consecranda, quæ quidem luculentissima sunt indicia, qui talia faciant erga dona, e quibus conficienda sunt Christi Corpus & Sanguis, eos multo plura facere, & potiori ratione facere erga panem & vinum jam in Corpus & Sanguinem Christi conversum; demum, si Occidentales Episcopi ad aliquam hæresim comprimendam providerunt, ut novo adorationis actu Eucharistia coleretur, perperam id accipi tanquam ejusdem adorationis initium. Videatur doctissimi illius Episcopi tractatus loc. cit. & cap. 28. & seq. & cap. 34. Hinc ad Ritum elevationis Hostiæ & Calicis redeamus.

Apud Occidentales introducta jam erat ineunte XII. sæculo ad illa verba, Omnis honor & gloria.

Elevatio Ritus post Consecrationem introducta propter hæresim Berengarii.

28. Observat Meratus in Ordinibus Romanis, & apud Amalarium, & Walfridum, & Micrologum hanc elevationem omnino reticeri; & quamquam ejus fiat mentio in Missali Mozarabo, id tamen additamentum esse Cardinalis Ximenii: propterea doctos viros decretum quod refertur a Martino Polono Pelagio I. suppositum suspicari, in quo de elevatione Hostiæ fit mentio. Denique tom. 1. par. 1. pag. 554. sententiæ subscribit P. Le Brun: *Placet nobis ejusdem Petri sententia, quæ statuit, morem elevandi Eucharistiam in Ecclesia Latina originem a Berengariana hæresi duxisse; cum enim Berengarius realem Christi in Eucharistia præsentiam impugnasset, plures Viri sanctitate præstantes varios ritus invexerunt, ut Fideles publice profiterentur, Corporis Christi in Eucharistia præsentiam a Berengario impugnatam: cui rei, mirum, quantum elevatio Sacramenti conveniat.* Thiers in tract. de Expositione Sanctissimi Sacramenti Altaris secundæ edit. Parisien. ann. 1677. cap. 6. satis erudite de Ritu elevandi Hostiam & Calicem disserit; vetustissimum illum esse ostendit in Ecclesia Græca; quo nomine intelligendum esse monet ritum illum, quem supra innuimus, elevandi Sacramentum paulo ante Communionem. Loquitur deinde de Occidentali Ecclesia; &, quæ monumenta affert de Sacramentali elevatione

ne post Consecrationem, ea ad 12. sæculum referuntur. Soto, qui XVI. vixit sæculo, in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 5. disputat, tectusne, an apertus Calix sit elevandus: atque eo a quibusdam ait rediri controversiam, an Christus nudus omnino Cruci affixus sit, an cum velo super aliqua corporis membra obducto, quasi Calix sine palla sit Christus omnino nudus; contra cum palla sit elevandus, si cum velo aliquo Christus in Crucem sublatus fuerit. Verum non in eo versari putat controversiam: *Ego vero nequaquam in hoc crediderim litem consistere*; denique ita concludit: *Quod ergo ad elevationem Calicis attinet, veritas est, quod mos ipsum elevandi non est antiquus. Quare apud neminem eorum, qui de Cæremoniis Missæ scripserunt, mentio ejus habetur. Unde omnium antiquorum nuperrimus Alexander de elevatione tantum corporis loquitur. Et ratio erat, quia cum in Hostia Corpus, & Sanguis existat, & in elevatione Calicis nonnihil periculi crearetur, satis Patres ducebant Corpus elevandum adorare. Et ideo fortasse tempore S. Thomæ mos ille nondum inceperat, ob idque illum subticuit. Immo vero apud Carthusienses non elevatur; neque in Ordinario nostro* (Fratrum Dominicanorum) *quod inde sumtum est, præcipitur nobis, ut elevemus. Quin & complures sunt Religionum Ordines, in quibus non præcipitur elevari. Sed ne ab Ecclesiis sæcularium dissideant, illam elevant.*

Ætate Berengarii cæptum est elevari Sacramentum sub utraque specie, alibi etiam sub specie panis tantum, ut in Ecclesia Romana.

29. Itaque ex verbis Soti allatis inferri posse videtur, tempore Berengarii cæptum elevari Hostiam & Calicem, & utrumque quidem in quibusdam Ecclesiis, in quibusdam vero tantummodo Hostiam, ut etiam nunc apud Carthusianos, quod observat Pouget tom. 2. Instit. Catholicar. pag. 861. *Carthusiani, peracta Consecratione Corpus quidem Domini statim ostendunt adorandum, ut facimus; sed non ostendunt Calicem, illum Ecclesiæ Romanæ morem sequuti, qui tum vigebat, cum eorum Ordo institutus est.* Deinde disciplinam elevandi post Consecrationem Hostiam & Calicem omnes Ecclesias esse amplexas; & Calicem quidem apertum, nondum enim fortasse pallæ usus introductus fuerat, cum cæpit elevandi Calicis disciplina; & eo introducto, mos improbatus fuit Calicem elevandi cum palla: *Igitur*, pergit Soto, *ubi mos cæpit elevandi Calicem, quia non erat illa Quadra, qua posset coopertus elevari, cæpit elevari discoopertus. Qui quidem mos in tota Ecclesia servabatur: cujus documentum est, quod in Capella Pontificis, non elevatur, nisi discoopertus, & in quamplurimis Ecclesiis Italiæ, Germaniæ & Angliæ, in quibus ut ego vidi non est illa Quadra linea, quam Hispani appellant Filiolam, sed quædam Tabella serica ad cooperiendum Calicem dum est in Altari, non autem ad ipsum elevandum. Hæc adnotavi, ne quis arbitretur, singulare esse Ordini nostro Calicem discoopertum elevare.* Et Thiers loc. cit. quædam profert documenta, quibus ostenditur, morem fuisse in quibusdam Regularium Ordinibus & aliquibus Ecclesiis elevandi Calicem Palla coopertum.

Ex D. Bonaventura apparet, ejus ætate Elevationem fieri consuevisse solitæ Hostiæ.

30. D. Bonaventura in tractatu de exposit. Missæ cap. 4. loquitur de Ritu elevandi Sacramentum: *Quare in Missa Sacerdos Corpus Dominicum in altum levat, & Fidelibus adstantibus ostendit*, plasque quasdam ejus ritus rationes seu convenientias affert, quas vide in loc. cit. ibi tamen non nisi de Corporis elevatione sub specie panis loqui videtur S. Doctor; nunquam enim Calicem nominat; & cum ideo elevari corpus dicit, ut sapientia Dei declaretur, Dei sapientiam in eo ponit, quod sub specie panis Corpus Christi celaverit: *Deus & Dominus noster Jesus Christus multis de causis in forma panis se abscondit: nam si in Altari sic appareret, sicut est, vel sicut in Cruce corpus ejus distensum est, multi eum sumere terrerentur, & irent retrorsum.* Huc accedit quod infra dum loquitur de secunda illa parva elevatione Hostiam simul & Calicem nominat, ex quo conjici potest in Seraphico ejus Ordine tunc temporis Ritum fuisse elevandi tantummodo Hostiam post Consecrationem. De Hostiæ elevatione ad ea, quæ e Soto depromta modo protulimus, respiciens Bellote ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 567. n. 5. ita loquitur: *Mos autem fuit perantiquus sub specie tantum panis Eucharistiam elevare, minime Calicem juxta communem veterum sententiam, inter quos Dominicus Soto, qui Carolo V. Imperatori a sacris Confessionibus fuit, & Concilio Tridentino interfuit.* Idem Auctor Ritum quorumdam commemorat pag. 569. n. 8. qui in elevatione tria Crucis signa cum Hostia in sublime sublata ducebant: *Quem Ritum ipse vidi in hac Laudunensis Ecclesia, ac per universam Diœcesim aliquando, ac etiamnum ab aliquibus servari.*

Introducta Elevatione post Consecrationem, introductus est etiam Ritus pulsandi campanulam.

31. Postquam inducta est disciplina post Consecrationem elevandi eo modo, quo supra docuimus, Hostiam & Calicem, mos etiam invectus est pulsandi Campanulam; *ut sic mentes Fidelium ad Orationes excitentur*, ut legitur in Decreto quodam Guillelmi Parisiensis Episcopi apud Card. Bonam lib. 2. cap. 13. & in alio Cardinalis Guidonis in Germania Legati Decreto, quemadmodum observat Mabillonius in Comment. ad Ordinem Romanum n. 7. Thiers. cit. cap. 6. & Fleury tom. 16. Hist. Eccl. lib. 65. pag. 83. Ecclesiæ Romanæ mos est, dum Hostia elevatur & Calix, silere, & Christum tacite adorare; quod fieri decrevit etiam Provinciale Concilium Colonienſe ann. 1536. habitum par. 2. can. 14. *Cum potius tum videretur silendum, & ab omni Populo mortis Dominicæ commemoratio habenda, prostratis humi corporibus, animis in Cælum erectis*; deinde jubet eas Orationes, quæ pro pace aliisque necessitatibus in elevatione canebantur, cani post Missam: *Cantiones illæ contra mortalitatem, seu cladem, aut pro pace satius post finitam Missam canantur.* In quibusdam Galliæ Ecclesiis cum elevatur Hostia, Populus cauit: *O salutaris Hostia*, quem morem induci postulavit ab ejus Regni Episcopis Ludovicus XII. ad Dei opem implorandam in bellis, quibus Princeps ille premebatur, ut referunt Bona cit. cap. 13. Thiers cap. 6. Auctor tractatus de Missa Parochiali iterum editi Parisiis ann. 1714. part. 3. cap. 7. art. 3. & Bellotte in Observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 572. n. 14. in fine.

In Ecclesia Romana ad Elevationem silent omnes. Lutherus eam Elevationem vetuit in sua formula Missæ.

32. Scire juvat controversiam inter nefarios hæreticos duos Lutherum, & Carolostadium, qui Luthero suadere studuit, tollendam esse Hostiæ Elevationem; id autem ille sibi persuadere numquam potuit: & sane in Missæ formula, quam Ecclesiæ Wittembergensi præscripsit, Hostiæ elevationem imperat, ut abunde testatur Joachinus Hildebrandus in suo Opere Amstelodami edito ann. 1702. cui titulus: *Sacra publica veteris Ecclesiæ in compendium redacta*, pag. 109. Hosius Cardinalis Warmiensis Episcopus, qui Legatus Concilio præfuit Tridentino, cap. 41. Confess. Christ. Fid. Cath. magna loquitur pietate de laudabili consuetudine, ut ad Hostiæ elevationem adstantes genua flectant: *Populum recte institutum fuisse videmus a Majoribus nostris, cum Eucharistiam Sacerdos elevat, quod est Sacrificii signum, ut in genua procidentes Christum in Eucharistia præsentem adorent, simul in memoriam redeant illius Sacrificii, quo ille in Cru-*

Crucem sublatus se pro nobis hostiam obtulit Deo.

Lugdunenses Canonici non procedunt in genua ad Elevationem.

33. Sub Henrico Tertio magna fuit in Galliis inter Decanum & Canonicos Lugdunenſis Eccleſiæ controverſia. Id enim Decanus poſtulabat, ut Canonici, cum elevaretur Hoſtia, in genua procederent; Canonici contra id unum a ſe impetrari poſſe dicebant, ut ſe inclinarent, ob rationem, quæ illis eſt familiaris, *Lugdunenſis Eccleſia novitates non recipit*. Cardinalibus a Lotharingia & Tournonio mandatum fuit ejus examen controverſiæ, qui probe gnari, ſi Canonici ad ritum communem amplectendum adigerentur, turbas inde excitarum iri, mediam ingreſſi viam pronunciarunt, nihil innovandum; ita tamen, ut ſervaretur quam maxima reverentia, ut teſtatur Gilbertus Grimaud Liturg. Sacr. par. 3. cap. 8.

CAPUT XVI.

De Quarta Canonis Oratione.

Ratio poſitionis partis tertiæ Orationis.

1. IN tertiæ Orationis fine Sacerdos profert illa verba: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, ut declaretur, neminem futurum tanta audacia fuiſſe, qui ad Altare Domini accederet, & auguſtiſſimum celebraret myſterium, niſi Chriſtus id juſſiſſet, ut advertit Gaudentius tractatu 2. de Paſchate, ubi ait, Chriſtum Diſcipulis imperaſſe, *quos primos Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, ut indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt a cunctis Sacerdotibus per ſingulas totius Orbis Eccleſias celebrari, uſquequo iterum Chriſtus de Cælis adveniat, quo & ipſi Sacerdotes, & omnes pariter Fidelium Populi exemplar Paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie & gerentes manibus, ore etiam ſumentes ac pectore, Redemptionis noſtræ indelebili memoria teneamus*. Quamobrem a poſite ſequitur quarta Canonis Oratio, quæ incipit, *Unde & memores*, in qua Sacerdos etiam nomine Populi iterum, ut in Oratione *Suſcipe Sancta Trinitas*, Paſſione, Reſurrectione, & Aſcenſione commemoratis, æterno Deo Patri Corpus ejus Filii & Sanguinem offert, Hoſtiam ſcilicet puram, ſanctam, & immaculatam *de ejus donis ac datis* propter panis & vini in Corpus & Sanguinem tranſubſtantiationem. Græci id illis enunciabant verbis: *tua ex tuis*, eoque pacto hujus Oblationis naturam explicabant, in qua Oblatione ſubſtantia Deo offertur, corpus nimirum & ſanguis Chriſti, facta ex alia ſubſtantia, ſcilicet pane & vino, ut animadvertit Boſſuetus tractatu Miſſæ cap. 12.

In quarta Oratione fit etiam nomine Populi commemoratio Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Jeſu Chriſti.

Quarta Oratio extat apud S. Ambroſium; quædam ejus verba ex D. Pauli deprompta. Lectio notatu digna, quam exhibent Sacramentaria Sanctorum Gelaſii & Gregorii &c.

2. Quarta hæc Oratio ducitur uſque ad *Memento*; nam ante *Memento* ponitur clauſula *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Extat hæc Oratio apud S. Ambroſium lib. 4. de Sacramentis cap. 6. eaque verba, quæ ibi occurrunt, *Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam*, ſunt iis ſimilia, quæ habentur in Epiſtola ad Roman. cap. 12. *hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium*. Teſtatur Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 19. in aliquibus legi Miſſalibus: *Unde & memores ſumus*, quæ vox *ſumus* abeſt ab eo Ambroſii loco, quem modo attulimus. Et le Brun tom. 1. pag. 500. ait, in Sacramentariis Gelaſiano & Gregoriano, & in Carthuſianorum, Dominicanorum, & Carmelitarum Miſſalibus poſt ea verba, *Unde & memores*, *Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta ejuſdem Chriſti Filii tui Domini noſtri*, inter voces *Domini* & *noſtri* vocem *Dei* interjici, ut lectio ſit *Domini Dei noſtri*; quam vocem magni eſſe momenti exiſtimat poſt tranſubſtantiationis miraculum, quod ſit Omnipotentia veri Dei Jeſu Chriſti. Verum cum diu multumque ſit, cum ea vox abeſt a Miſſali etiam recognito & Summorum Pontificum auctoritate emendato, concludi poſſe videtur, eam vocem licet optimam, ſanctam, & opportunam ab eo, qui Ritum ſequatur Romanum, omittendam, & ab iis dicendam, qui peculiaribus utuntur ritibus, quos Romana Eccleſia non improbat.

Explicatio hujus Orationis ex Soto.

3. Partem hanc Orationis quartæ egregie explicat Soto in 4. ſentent. diſt. 13. q. 2. art. 5. *Ubi ante Conſecrationem petitur, ut materia fiat benedicta, adſcripta & rata, ſic & conſecrata Hoſtia, nempe Chriſtus offertur tanquam Hoſtia pura ad differentiam ſacrificiorum gentium, quæ impura erant & corrupta: Sancta, ad differentiam oblationum veteris Legis, quæ non erant eatenus ſanctæ, ut animam ſanctificarent, ſicuti hæc noſtra, quæ tollit peccata mundi; & ideo ſubditur, immaculatam; ob id enim quod Chriſtus Agnus fuit innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod eſt homines ſanctificare. Eſt ergo Hoſtia pura & purificans, ſancta & ſanctificans, immaculata & maculas tergens. Quod vero demum adjungitur: Panem vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ: definitio & explicatio eſt ejuſdem Hoſtiæ; ut enim Sacerdotes veteris Legis de Sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem ſuſtentabant, ſic Chriſtiani eſu & potu ſacroſancti Sacrificii ſpiritualem atque adeo æternam ſalutem ſibi comparant.*

Actionum, quæ cum hac Oratione conjunguntur, alia particulares, generales alia. In Eccleſia Romana non elevantur ut alibi brachia, ſed manus tenentur ante pectus extenſæ.

4. Actionum, quæ in hac prima Orationis parte fiunt, quædam particulares ſunt, quædam generales. In quibuſdam Galliæ Eccleſiis ſæculo XII. ad ea verba, *Unde & memores* cœperunt Sacerdotes brachia elevare, ut figuram exhiberent Crucis in memoriam Paſſionis Chriſti, atque hunc morem etiamnum retinent Carthuſiani, Dominicani, Carmelitæ. Id vero (quicquid ex adverſo blateret Vertus tom. 3. pag. 279.) nunquam uſurpavit Romana Eccleſia, quæ ſatis eſſe exiſtimavit, ſi Sacerdos manus teneat ante pectus expanſas, nec opus eſſe putavit ut eas tollat in formam Crucis ad Chriſti Paſſionem ſignificandam; quæ in Oratione diſerte commemoratur, ut advertit Le Brun tom. 1. pag. 497. Generales actiones ſunt Crucis ſigna, quorum tria ducuntur ſuper Hoſtiam & Calicem, cum Sacerdos dicit: *Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam*, quartum ſuper Hoſtiam cum dicit: *Panem ſanctum*; quintum denique ſuper Calicem, cum dicit: *Et Calicem ſalutis perpetuæ*.

De ſignis Crucis, quæ ducuntur ſuper Hoſtiam & Calicem.

5. Ad generalium hujuſmodi actionum explicationem duo ſunt examinanda. Primum quid ea ſigna ſint; alterum cur quina. Boſſuetus tractatu de Miſſa cap. 41. diſcrimen eſſe ait inter eas benedictiones, quæ ſuper Hoſtiam & Calicem ante Conſecrationem, & eas quæ poſt Conſecrationem fiunt; dicit enim, cum benedicimus panem & vinum ante Conſecrationem, ſuos Benedictionem effectus habere tum erga ipſum Sacramentum conſecrandum, tum erga hominem, qui per Sacramentum vult ſanctificari; Benedictiones vero, quæ fiunt ſuper panem & vinum jam conſecratum, non ad Corpus Divinum, ſed ad eos referri, qui illud ſumturi ſunt, ut illud digne ſuſcipiant; aut ſi quidem Corpus Chriſti reſpiciant, ita ad illud referri, ut Benedictiones exprimant & gratias, quibus abundat Corpus Chriſti, qualque large cupit in nos effundere, niſi noſtris peccatis præpediatur.

Bna ducuntur poſt Conſecrationem, defenduntur doctrina D. Thomæ.

6. D. Thomas 3. par. q. 83. art. 5. quæſtionem illam proponit: *Utrum ea, quæ in celebratione hu-*

jus Sacramenti aguntur, sint convenientia, & respondet affirmando; cum autem quarto sibi objiciat: *Apostolus dicit ad Hebræos 7. sine ulla contradictione quod minus est, a majori benedicitur: sed Christus, qui est in hoc Sacramento post Consecrationem, est multo major Sacerdote: inconvenientius igitur Sacerdos post Consecrationem benedicit hoc Sacramentum Cruce signando*: cui objectioni ita respondet: *Ad quartum dicendum, quod Sacerdos post Consecrationem non utitur Crucesignatione ad benedicendum & consecrandum, sed solum ad commemorandum virtutem Crucis, & modum Passionis Christi*. Nihil Ecclesia prætermittit, quo in animis imprimat Sacerdotum & adstantium, idem esse Sacrificium altaris cum Sacrificio Crucis. Et sane cuperet, ut præsertim Sacerdotes sibi ipsi post Consecrationem Christum Jesum objicerent animo immolatum in Cruce, ut ait Apostolus ad Galatas, qui post ejus prædicationem Christum Crucifixum ob oculos semper habebant: *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus*. Atque ut ejusmodi oriatur effectus, vult Ecclesia omne verbum, quod exprimat Corpus & Sanguinem Domini, cum signo Crucis proferri, quo declaratur Hostiam, & quod continetur in Calice idem esse Corpus, quod Cruci fuit affixum, & ipsum Sanguinem, qui in Cruce effusus est. Crucis igitur signa, quæ post Consecrationem ducuntur super Hostiam & Calicem, non sunt Benedictiones, sed commemorationes virtutis & efficaciæ Sacramenti Eucharistiæ, quæ virtus profluit e Sacrificio Crucis, quod in Missæ Sacrificio repræsentatur & continuatur, ut hærens S. Thomæ doctrinæ ostendit Suarez 3. par. tom. 3. q. 83. art. 5. disput. 84. sect. 1. §. *Octavo loco*, Merbetius in Summa Christiana 3. par. q. 61. quæstiuncula 6. Natalis Alexander Theologiæ Dogmat. & Moralis lib. 2. de Sacram. Eucharist. cap. 7. art. 6. §. *Signum Crucis*, Le Brun tom. 1. pag. 498. & Pouget tom. 2. Initit. Catholicar. pag. 863. Et idem S. Doctor in responsione ad tertium argumentum docet, quinque Crucis signa significare quinque Jesu Christi plagas: *Ad repræsentandum quinque plagas Christi fit quintuplex Crucesignatio super illa verba. Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ*; & cum eo consentit Soto loco cit. *In memoriam plagarum quinque fiunt Crucesignationes super Hostiam sanctam* Et P. Natalis Alexander item eadem dicit loco cit. Huc etiam facit consideratio Micrologi cap. 14. qui dicit Crucis signa in Missa fieri vel semel, vel ter, vel quinquies: semel quidem propter *essentiæ unitatem*, ter *propter Trinitatem Personarum*, & quinquies *propter quinque vulnera Christi Domini, & expressam repræsentationem Passionis ejus*.

Maldonati audax sententia.

7. Quibus omnibus inutile & inopportunum deprehenditur quod Maldonatus scripsit in tractatu de Missæ Cæremoniis, nondum ut putamus typis vulgato: *Si hodie Ecclesia vellet repurgare cæremonias, quæ minus decent rem sacram, aut adeo sunt omnino inutiles, libere & ingenue dicerem, meam opinionem esse, ut Concilio Oecumenico decerneretur, nullum signum adhiberi post Consecrationem*. Existimat enim signa Crucis fieri ad benedicendum Hostiam & Calicem jam consecratum; quod omnino falsum est, ut præter ea quæ hactenus diximus, observavit Stephanus Augustodunensis tract. de Sacramento Altaris cap. 17. *Oblata non benedicit, ut eum, a quo est omnis sanctificatio, vel de cujus plenitudine omnes nos accepimus, sanctificet; esset enim absurdum*; idque etiam ingenue fatetur Vertus tom. 1. pag. 190.

Plura Benedictionum genera. Quid ea significent Crucis signa, quæ fiunt super Sacramentum.

8. Quod modo de Maldonati sententia diximus, id refert etiam Auctor tractatus de Missa & Divino Officio secundæ edit. Parisien. ann. 1714. pag. 135. aitque, Crucis signa post Consecrationem super Hostiam & Calicem nil aliud sibi velle, quam ut innuant expressius, Sacerdotem tunc de Jesu Christo Crucifixo loqui. Et Gilbertus Grimaud in Liturgia par. 3. cap. 3. duo considerat Benedictionum genera occurrere in sacris paginis; quasdam efficientes, quæ suum effectum producunt sive virtutem, sive qualitatem, sive mutationem aliquam in ea re, quæ benedicitur; quasdam vero effectivas, quæ ab effectu quodam seu desiderio illius prodeuntes, qui benedicit, nullam rei benedictæ mutationem afferunt, atque ad hoc genus referendas esse concludit Benedictiones, quæ post Consecrationem a Sacerdote fiunt super Corpus & Sanguinem Christi.

Ritus tenendi pollicem & indicem a Consecratione ad ablutionem a D. Thoma assertus.

9. Neque hic silendum de ea actione, cum Sacerdos post Consecrationem duos digitos pollicem & indicem jungit, quos non sejungit, *nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet usque ad ablutionem digitorum post Communionem*. Ad hanc Rubricam notat Gavantus, nullam hujus Ritus haberi mentionem in veteribus libris; quamobrem Micrologus illum impugnare in animo habuit. Verum D. Thomas loc. cit. in respons. ad quintum affert ejus Ritus rationem: *Digitos autem jungit post Consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus Corpus Christi consecratum tetigerat, ut si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur; quod pertinet ad reverentiam Sacramenti*.

Explicantur illa, Supra quæ propitio & sereno vultu, a Lutheri calumnia vindicantur.

10. In progressu hujus Orationis Sacerdos Deum orat, ut propitio & sereno vultu respicere dignetur ad oblata sibi dona Corporis & Sanguinis Christi, non quod, ut delirat Lutherus, censeat se mediatorem esse inter Patrem & Christum, sed quia, etsi Patri Deo semper accepta est Oblatio tum ex parte rei, quæ offertur, tum ex parte Christi, qui est Oblator præcipuus; tamen cum possit contingere, ut ex parte vel Sacerdotis vel Populi non sit accepta, propterea Sacerdos Deum deprecatur, ut propitio & sereno vultu oblata respiciat, ut observat Bellarmin. tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 24. *Neque hoc est orare pro Christi reconciliatione ad Patrem, sed pro nostra potius infirmitate: etsi enim Oblatio consecrata ex parte rei, quæ offertur, & ex parte Christi principalis Offerentis semper Deo placeat, tamen ex parte Ministri, vel Populi adstantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Id igitur est quod petimus, ut Deus benigne respiciat hoc munus, ut a nobis offertur*: quemadmodum etiam in eundem modum paraphraslice explicat Auctor Tractatus Missæ Parochialis Parisiis anno 1714. cap. 9. Præterea Sacerdos Deum orat, ut sacra dona sic dignetur accipere, quemadmodum accepit Abelis munera, & Abrahæ Sacrificium, & quod illi olim Melchisedech obtulit.

De Sacrificiis Abel, Isaac, & Melchisedech, ad explicationem eorum verborum, Situs accepta habere dignetur munera Abel &c.

11. Deo Abel obtulit primogenita gregis sui Genes. cap. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum; & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*: Et in epistola ad Hæbreos cap. 11. legitur: *Fide plurimam Hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur*. Abraham ædificavit in Sichem Altare Deo, qui sibi apparuerat; ut est in cap. 12. Genes. & cap. 22. ut mandato Dei pareret, ligna imposuit ad Holocaustum Isaaco dilecto filio suo, quem paratus erat mactare, nisi ei dixisset

xisset Angelus: *Non extendas manum tuam supra puerum, neque facias illi quidquam. Nunc cognovi quia times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Denique Melchisedech Abrahamo occurrit e quatuor Regum cæde redeunti, eique victoriam gratulatus, panem & vinum obtulit Deo in Sacrificium, ut est in cap. 14. Geneseos: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei Altissimi) benedixit ei, & ait, Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit Cœlum & Terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt: & dedit ei decimas ex omnibus.* Et Epist. ad Hebræos cap. 7. subditur: *Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ reverso a cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex justitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis.*

Ratio cur Ecclesia ex Sacrificiis commemoret Explicatur, quomodo unumquodque eorum Sacrificium novæ legis repræsentaverit.

12. Sacrificiorum Abelis, Abrahami, & Melchisedech præcipuam in Canone mentionem facit Ecclesia, quamvis & alia veteris legis Sacrificia novæ legis Sacrificium exprimerent. Polcre sane nostrum Sacrificium Abelis sacrificio repræsentatur. Nam Christus sese obtulit, tanquam primogenitum per excellentiam: *Primogenitus in multis fratribus*, ut ait Apostolus ad Romanos cap. 8. Præterea sanguis Abel justi, innocentis, a fratre Cain interfecti Christum Jesum a Judæis necatum ac pro peccatis nostris mortuum repræsentat. Item Sacrificium nostrum exprimitur Abrahæ sacrificio, in quo Isaac immolatus, quin vitam amitteret, figura fuit Jesu Christi, qui mortuus est ut resurgeret, & ad novam vitam rediret; atque illud etiam existimare possumus, Abraham nostrum hoc mysterium præsens animo tunc habuisse. Nam de eo Christus Jesus dixit Joann. cap. 8. *Abraham vidit diem meum, vidit, & gavisus est.* Denique Sacrificium Melchisedechi, Sacrificii nostri figura fuit; Sacerdotium enim Melchisedech ejusdem formæ fuit, cujus Sacerdotium Christi; nam panem & vinum obtulit, quod est Eucharistiæ figura, ut infra dicemus. S. Bonaventura in exposit. Missæ in Abrahamo paratum animum considerat, quo Abraham filium sacrificaturus erat, veluti obedientiæ illius symbolum, qua Christus Deo Patri obediens fuit usque ad mortem: *In hoc loco tres Sancti veteris Testamenti nominantur, Abel, Abraham, Melchisedech, qui figuram Passionis Christi, immo & Cœnæ ejus Sanctissimæ proprie repræsentant, Abel enim obtulit munera de primogenitis gregum; & Christus primogenitum obtulit in multis fratribus agnum immaculatum Deo Patri, de quo Agno dixit Joannes Baptista: Ecce Agnus Dei &c. Item Abel a fratre suo Cain innocenter occiditur; & Christus a fratribus suis Judæis scilicet malis perimitur & necatur. Abraham obedivit Deo ad immolandum filium: Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, & in manus Patris tradidit spiritum. Melchisedech obtulit panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei Altissimi; & Christus in Altari sub specie panis & vini Corpus & Sanguinem suum offert Deo Patri pro nobis, ipsum nobis pacificans.*

Ante legem scriptam fuere Sacrificia.

13. Paulo ante diximus Sacrificiorum Abel, Abraham, & Melchisedech fieri mentionem in Canone, quia expresse Divinum hoc Sacrificium nostrum repræsentant, tametsi alia quoque veteris legis sacrificia idem nostrum exprimant Sacrificium. Atque hic opus est animadvertere, primo naturalem rationem dictare homini, sensibilibus quibusdam rebus uti, quas Deo offerat in signum debitæ subjectionis & honoris; ideoque etiam ante legem scriptam Sacrificia fuisse, quorum tamen nondum erant signa determinata, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. Secundo, tria Sacrificiorum genera fuisse in lege veteri, quorum quædam *Holocausta*, quædam *Pacifica*, quædam *Propitiatoria*, sive ut Scriptura loquitur *pro peccato* dicebantur, ut videre est Levit. cap. 1. & seq. & apud D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad octavum. Tertio, sacrificia legis Mosaicæ tota in eo fuisse, ut vivum animal cæderetur, ejusque effunderetur sanguis ad placandum Deum, eique debitum honorem tribuendum; nec tamen quodlibet animal, sed illud tantum quod mundum esset, idest ovis, bos, capella, hœdus, virulus, columba, passer, turtur, ut videre est Levit. cap. 1. n. 2. 10. & 14. nec de iis loquimur sacrificiis, in quibus res inanima, ut panis, spicæ, secale, vinum, sal, & incensum offerebantur, ut itidem præscribitur Levit. cap. 2. Quarto denique sacrificia, in quibus vivum animal mactabatur, symbolum fuisse Sacrificii, quod peragendum erat in Calvario, & Sanguinis Christi, qui in Cruce erat effundendus, ut genus humanum redimeretur; ejusdemque Sacrificii fuisse symbola etiam res inanimas; nam cum salrem aliqua ex parte destruerentur, figura ejus mortis erant, quæ Christo fuerat subeunda, ut bene observat Lamy lib. 3. de veteri Templo cap. 7. sect. 5.

In lege veteri tria Sacrificiorum genera.

Sacrificium, quo mactabatur victima, symbolum fuit Sacrificii in Calvario peragi.

14. Spencerus hæreticus auctor, rerumque novarum cupidus contendit, a Gentibus ad Hebræos morem transisse animalium in Dei honorem mactandorum, quem Judæi ab Egyptiis acceperint, eumque usum deinde in Hebræorum Republica a Deo esse sanctificatum. Id autem a vero quam longissime abest. Neque enim verisimile fit Deum, qui in Populo Judaico solemnem sibi cultum vellet instituere, eum ipsum selegisse, quem Egyptii inanibus suis Numinibus exhibebant. Præterea multo sunt Egyptiis vetustiora Sacrificia; sacrificasse enim novimus Abel, Noe, Abraham, Melchisedech, & Job, quorum Sacrificia Deo placuere. Huc accedit, Græcorum Patrum esse sententiam, illa sacrificia eo esse institura, ut Christi mortem præfigurarent, eorumque Ritus a Deo esse præscriptos, quod quidem Deus non fecisset, si ex impuro Dæmonum fonte traxissent originem.

Mos mactandorum animalium in Dei honorem non a Gentibus ad Judæos derivatus.

15. Consulendus Natalis Alexander Hist. Eccl. tom. 1. in Historia veter. Testam. art. 2. & Graveson. Histor. veter. Testam. tom. 2. pag. 313. & seq. Itaque dicendum, Ritus Sacrificiorum ab iis veteribus Prophetis manasse, quibus futura Christi mors prænunciata fuit; ab iis Sacrificiorum usum Gentes accepisse, & Religionis ab Adam, Abel, & Noe traditæ oblitas, Sacrificia fœdis superstitionibus corrupisse; ipsa Hebræorum sacrificia Deum aliquando esse aspernatum, quod, ut habetur Psalm. 49. & Isaiæ cap. 1. non eo, quo oporteret, respicerent, scilicet ad Christum, ut bene idem Lamy sect. 4. *Igitur usum & ritus Sacrificiorum liquet manasse ab antiquis illis Prophetis, quibus mors futura Christi innotuerat. Inde omnes Gentes ortum suum & Sacrificiorum leges acceperunt, quas postea corruperunt oblitæ religionis, quam tradiderant Adamus, Abel, Noe. Hanc mortem delineabant animalium cædes, ut omnes antiqui Scriptores sentiunt.... Sacrificandi Ritus inter Gentes natus est ex imitatione Patriarcharum, ut dixi, vel ex ambitione malorum Angelorum, qui Deinos honores sibi arrogabant. Cum autem nec ipsi Israelitæ id satis intelligerent, Deus visus est sacrificia eorum respuere; sed non sibi constaret, præcipiens singulatim quæ ad Sacrificia pertinent,*

Mos ille a veteribus Prophetis institutus ad præfigurandam Christi mortem; Idem acceptus deinde, & corruptus a Gentibus.

simul

UAB Biblioteca de Ciències Socials

simul ea fastidiens, nisi causa hujus fastidii fuisset Israelitarum supinitas, qui ad verum Sacrificii finem animum non advertebant, scilicet ad Christum.

Num illa, Sanctum Sacrificium, immaculatam &c. referenda sint ad Sacrificium Missæ, an vero ad Melchisedechi Oblationem.

16. Sed ut ad Melchisedech redeamus, verba Canonis sunt: *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam:* ubi difficultas oritur, an postrema illa verba *sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam* cum iis conjungenda sint, quæ proxime præcedunt, *quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech*, an ad Missæ, seu Christi Sacrificium referenda sint; quod dupliciter fieri potest, vel omnibus illis *sicuti accepta* usque ad *Melchisedech* in parenthesim conclusis, ut illa *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam* tanquam Missæ Sacrificium significantia cum illis *Supra quæ* conjungantur: vel junctis *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam* cum iis quæ sequuntur, *Supplices te rogamus*, quibus, ut suo loco dicemus, Sacerdos orat, ut Angelorum ministerio in sublime Paradisi Altare Oblata perferantur.

Variat sententia, referenda esse ad Sacrificium Missæ.

17. Le Brun tom. 1. pag. 510. ait, verba *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam* ad Oblationem Melchisedech esse referenda; nam præter animadversiones e Grammatica ductas, notat Sacerdotem, cum ea verba profert, nullum Crucis signum ducere super Hostiam & Calicem, quod satis significat, ea verba ad Christi Sacrificium non referri. Contra Pouget tom. 2. Institut. Catholicar. pag. 875. contendit, ea verba non ad Melchisedechi Oblationem, sed ad Christi Sacrificium esse referenda: *Veriorem horum verborum sensum attigeris, si cum Odone Episcopo Cameracensi, Rhemigio Antissiodorensi, Floro Diacono Lugdunensi, qui nono sæculo floruit, Titelmano, aliisque non infimæ notæ sacri Missæ Canonis interpretibus, verba hæc,* Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam, *ad ipsum Christi Sacrificium referas, non ad Sacrificium Melchisedech.* Illud etiam addit, non fieri verisimile S. Leonem, qui ea verba, ut alibi vidimus, adjecit, eo addidisse, ut non Christi, sed Melchisedechi Sacrificium illo præconio commendaret. Et Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 3. q. 83. art. 4. disp. 83. sect. 2. §. *Ultimo notanda*, æque in utramque se ostendit propensum sententiam, cujus nos vestigia sectantes, dicimus, utrumvis intelligas, bonum iis verbis sensum contineri.

Melchisedech Chananæus fuit Rex Hierusalem.

18. Plures de Melchisedecho sunt hæreticæ opiniones, ut videre est apud D. Hieronymum epist. ad Evagrium, & apud Epiphanium Hæresi 70. Vera sententia est, Melchisedechum Gente Cananæum fuisse, Regem Salem, seu quod idem est, Hierosolymæ, ut ostendit Calmetus in erudita Dissertatione de Melchisedecho. Certe Sacerdos fuit, quod diserte traditur cap. 14. Geneseos: & quia Sacerdos erat, panem & vinum obtulit, *Proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Facit cum Melchisedechi Sacerdotio locus ex cap. 7. epist. ad Hebræos, ubi ait Apostolus, Melchisedechum non modo Christi figuram fuisse, ut Aaron, sed etiam Christum Sacerdotem fuisse, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech.

Cur Christus dicatur Sacerdos non secundum ordinem Aaron, sed

19. Vel quia Aaronis Sacrificia, etsi Christi mortem repræsentarent, mactatione animalium erant cruenta; incruentum vero sacrificium Melchisedech, quod sub specie panis & vini præfigu-

secundum ordinem Melchisedech.

ravit Christi Corpus & Sanguinem: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit*, ait Ecclesia in Officio Festivitatis Corporis Christi; vel quia Aaronis Sacerdotium ad multos sibi invicem succedentes delatum est, Sacerdotium vero Melchisedechi non alius quisquam est consequutus, nec Melchisedecho successit; atque eo respexit Apostolus in præfata Epistola dicens, fuisse Melchisedechum sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habuisse, quod egregie exprimit Sacerdotium Christi, qui Sacerdos est in æternum, qui nulli successit, nemo ei succedit, qui vivit in æternum; juravitque Deus, illius nunquam immutatum iri Sacerdotium, neque ad alium quemquam transferendum, quod Levitico accidit Sacerdotio: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; uti legitur Psal. 109. idque præclare explicat S. Tridentina Synodus sess. 22. cap. 1. de Sacrificio Missæ: *Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat, oportuit Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere.*

Asseritur veritas Sacrificii Melchisedech adversus nostrorum temporum Hæreticos.

20. Panis & vini Sacrificium Melchisedech obtulit, ut habetur cap. 14. Genes. ubi Sacerdotales ejus res gestæ describuntur, cum dicitur Abrahamo benedixisse, accepisse ab eo Decimas, panem & vinum obtulisse, & quidem in Sacrificium, ut ostendit causalis particula; *erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Nam futilia sunt, quæ Lutherani & Calviniste obganniunt, ab Hebreo textu particulam *enim* abesse, quam habet vulgata versio, Hebraicos Codices habere conjunctivam *&*, seu *autem*, ut in versione LXX. Interpretum, ubi legitur, *erat autem Sacerdos Dei Altissimi.* Hebraicæ enim linguæ periti testantur, apud Hebræos particulam *&*, vel *autem* vim causalis habere, quod multis probatur sacræ Scripturæ locis, eo præsertim ex cap. 20. Geneseos, ubi ita habet Vulgata. *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi. Et morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum.* Hebræi legunt, *& ipsa habet virum*; fatentur enim vel ipsi Rabbini, vocem *&* causalis vim habere; textus est etiam Isaiæ cap. 64. *Ecce tu iratus es, & peccavimus;* ubi *&* causalem esse adnotavit D. Hieronymus ad illum locum: *Ordo præposterus: non, quia tu iratus es, nos peccavimus; sed quia peccavimus, tu iratus es. Et quia peccavimus, nobis iratus es, Domine; propterea erravimus, & rectam reliquimus viam.*

Particulæ &, autem, apud Hebræos vim habens causalis.

21. Itaque Sacerdos fuit Melchisedech, ejus Oblatio panis & vini sacrificium fuit, & Ecclesiæ Patres in ejus sacrificio expressam Sacrificii nostri figuram perviderunt, ut explicant, ne multos memorem, Cyprianus epist. 3. ad Cæcilium lib. 2. ubi allatis illis verbis e Psalmo, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ait: *Qui ordo utique est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit; nam quis magis Sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem?* Hieronymus epist. ad Marcellam, quam ut Bethleem veniat hor-

In Sacrificio Melchisedech Sancti Patres agnoscunt figuram nostri Sacrificii.

horratur, scribens: *Recurre ad Genesim & Melchisedech Regem Salem, hujus Principem invenies Civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & Mysterium Christianum in Salvatoris Sanguine & Corpore dedicavit.* Et D. Augustin. lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. de Melchisedechi Oblatione: *Ibi primum*, inquit, *apparuit Sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto Orbe terrarum.* Quamobrem quis non intelligit, quam propria sint ea verba *sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*, etiamsi ad Melchisedechi Oblationem panis & vini referantur?

Verba illa: Sanctum Sacrificium etc. referenda ad Sacrificium Missæ asseritur ex ipsius Missæ natura & effatis.

22. Planissimus item ac maxime proprius est eorundem sensus verborum, si ad sanctum novæ legis Sacrificium referantur. Malachias enim dicens, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*; profecto de Missæ Sacrificio loquitur, ut scribunt Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: *De nostris vero Gentium, quæ in omni loco offeruntur, Sacrificiis, hoc est panis Eucharistiæ, poculo similiter Eucharistiæ jam tum loquutus prædixit* (Malachias) *nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare*; & Irenæus cap. 32. lib. 4. adversus Hæreses: *Eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens: Hoc est Corpus meum; & Calicem similiter, qui est ex ea Creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit Oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit.* Idem innuit S. Tridentina Synodus sess. 22. cap. 1. de Sacrificio Missæ: *Et hæc quidem illa munda Oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* In Missa enim id omne fit, quod pertinet ad naturam & essentiam sacrificii. Docent Theologi omnes Sacrificium Oblationem esse rei sensibilis cum ejus *destructione, vel immutatione* (non enim in sacrificio semper opus esse destructione, sed satis esse immutationem, ut ex sacrificio Capri emissarii intelligitur, qui non mactabatur, sed veluti exul amandabatur in desertum, Levit. cap. 16.) Oblationem esse Deo factam in recognitionem ejus supremi dominii; demum Oblationem esse ritu mystico consecratam: quæ conditiones omnes in Missa absque ulla dubitatione implentur. Missa enim etiam in Sanctorum honorem celebrata non illis, sed soli Deo offertur, *qui illos coronavit*, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 3. de Sacrificio Missæ. Præterea hoc Sacrificium a solo Sacerdote peragitur, juxta illud Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis*; Et paulo post: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Mystico etiam ritu Missa celebratur, eoque modo, quo in incruento Sacrificio fieri potest, victimæ fit destructio; vel quia sacramentales species consumuntur, vel quia in Consecrationem panis venit Corpus, & per concomitantiam Sanguis quoque, anima, & Divinitas Jesu Christi, & in Consecrationem vini sanguis, & itidem per concomitantiam venit corpus, anima, & Divinitas, quod satis est ad victimæ destructionem in Sacrificio, quod sit incruentum; vel quia, licet in Missæ Sacrificio Christus qui est victima non destruatur *quoad esse simpliciter*, ut loquuntur Theologi, nec desinat *quoad esse substantiale*, destruitur tamen *quoad esse Sacramentale*, & *quoad præsentiam sacramentalem*.

Finis quarte hujus Orationis.

23. Hæc Oratio in eam desinit precationem, qua Sacerdos a Deo petit, ut jubeat per manus Angeli in sublime Altare suum in conspectu divinæ Majestatis suæ Oblata perferri, ut quotquot ex ea Altaris participatione sacrosanctum Filii sui Corpus & Sanguinem sumserint, omni benedictione cœlesti & gratia repleantur.

Postrema quartæ Orationis verba intellectu difficilia. Eorum explicatio ex Innocent. Tert.

24. Florus in Canonem Missæ ait, postrema hæc verba intellectu valde difficilia esse; & idem cum eo sentit Innocentius III. lib. 5. Mysterior. Missæ cap. 6. *Tantæ sunt*, inquit, *profunditatis hæc verba, ut intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare.* Ea tamen idem Pontifex in hunc explicat modum: Jube, Domine, vota Fidelium & preces Angelorum ministerio in conspectum tuæ majestatis perferri, ut eorundem Angelorum intercessione tibi sint gratæ: *Jube hæc, idest vota Fidelium, videlicet supplicationes & preces, perferri per manus Sancti Angeli tui, idest per ministerium Angelorum* (*secundum illud, quod ait Angelus ad Tobiam; Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli Orationem tuam Domino*) *in sublime Altare tuum, hoc est in conspectum Divinæ Majestatis.* Et Odo Cameracensis in exposit. sacr. Canon. dist. 4. in Christi Ecclesia duo statuit esse Altaria, quorum alterum hic apud nos visibile, invisibile alterum in Cœlo: *Habet Ecclesia Altare visibile in terra, & Altare invisibile in Cœlo..... Sumimus hic visibiliter Corpus & Sanguinem Christi. Sumimus invisibiliter de Cœlo, quo perlata sunt, benedictionem & gratiam Dei.*

Eorundem verborum explicatio D. Thomæ.

25. D. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 4. *ad nonum* ita disputat: *Sacerdos non petit, neque quod species Sacramentales deferantur in Cœlum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non definit, sed petit hoc pro corpore mystico, (quod scilicet in hoc Sacramento significatur,) ut scilicet orationes Sacerdotis & populi Angelus assistens divinis Mysteriis Deo repræsentet.* Nec veretur S. Doctor sub nomine Angeli ipsum Christum Jesum intelligere, qui vocatur magni consilii Angelus, quique mysticum corpus cum Deo Patre Ecclesia triumphante conjungit; atque hanc explicationem, quæ est Innocentii III. D. Thomas amplectitur, ceterique Theologi omnes confirmant. Videantur Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 24. §. *Quinta objectio*, Suarez in 3. par. tom. 3. quæst. 83. art. 4. disp. 83. sect. 2. §. *Additur ultimo*, Le Brun. tom. 1. pag. 521., & Auctor tractatus de Missa Parochiali, quem supra citavimus par. 3. cap. 10.

De actionibus, quæ junguntur cum quarta Orationis.

26. Postremam hanc Orationis quartæ partem actiones hæ comitantur. Sacerdos se profunde inclinat cum dicit, *supplices te rogamus*; osculatur Altare cum dicit, *ut quotquot ex hac Altaris participatione*; cum Christi Corpus nominat, signum Crucis ducit super Hostiam; atque itidem super Calicem, cum nominat Sanguinem; ac cum benedictionem nominat cœlestem & gratiam, ipse se signo Crucis signat, dexteram manum capiti aptans, atque consueto more cetera exequitur, quæ fiunt, dum aliquis se Crucis signo signat. Profunda illa inclinatio bene supplicanti convenit, & in ea Missæ parte vetustissima est; ejus enim Amalarius & Micrologus mentionem faciunt. Sacerdos in hac profunda inclinatione junctas

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ctas tenet manus; & in pluribus Galliæ & Germaniæ Ecclesiis Sacerdos olim manus in Crucem decussatas tenebat, ut etiamnum Carthusiani, Dominicani, & Carmelitæ.

Tactinationis Sacerdotis & signorum Crucis multiplices significationes.

27. Innocentius III. lib. 5. Myst. Missæ cap. 5. loquitur de mysterio trium signorum Crucis, & ait, duci Crucis signum super Corpus *propter sudorem Corporis*, quo Christus in sua Passione maduit, super Calicem *propter guttas sanguinis*, quem in Passione fudit; Sacerdotem denique se ipsum signare, quia Christus *procidit in faciem suam*. Addit aliam idem Pontifex mysterii explanationem; duo videlicet priora Crucis signa vincula & flagella Christi Jesu significare, signum vero, quo se ipse signat Sacerdos, satellites innuere, qui Christi faciem conspuebant. D. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 5. ad *tertium* de tribus his signis Crucis ita loquitur: *Repræsentatur extensio Corporis, & effusio Sanguinis, & fructus Passionis per trinam Crucesignationem, quæ fit super illis verbis: Corpus & Sanguinem sumserimus, omni benedictione* &c. Et cum D. Thoma consentiunt Soto in 4. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 5. §. *Quinto repræsentatur*, Natalis Alexander Theolog. Dogmat. & Moralis lib. 2. de Sacram. Eucharistiæ cap. 7. art. 6. §. 5. ubi alias quoque Innocentii III. refert & amplectitur explicationes, Merbesius 3. par. Summæ Christ. q. 51. quæstiunc. 7. & cum iis videndus D. Bonaventura in Exposit. Missæ cap. 3. §. *In conspectu Divinæ Majestatis tuæ*.

CAPUT XVII.

De Quinta Canonis Oratione.

Quinta Oratio Memento etiam &c. est pro Defunctis.

1. QUinta Canonis Oratio incipit, *Memento etiam Domine*, ubi oratur pro Defunctis. Hæc Oratio cum habeat vocem *etiam* nonnulli existimarunt, olim aliud peculiare *Memento* præcessisse; quidam vero redundare eam particulam putant. Sed Le Brun tom. 1. pag. 525. observat, nihil opus esse aliud *Memento* præcedens supponere, aut particulam *etiam* veluti superfluam habere. Cum enim ante Consecrationem dictum fuerit *Memento* pro vivis, nemo non videt, quam proprie interjiciatur vox illa *etiam*, quæ indicat orationem, quæ hactenus fuit pro vivis, deinceps pro defunctis continuari.

Nulla est Liturgia, quæ non habeat Orationem pro Defunctis ex Apostolica Traditione.

2. Vulgatissimum est Judæ Machabæi exemplum, qui orari pro Judæis jussit, qui in bello ceciderant, quique non ut Idolorum cultui se addicerent, sed avaritia moti ex Jamniæ Templo res Idolis consecratas diripuerant, & sub vestibus suis absconderant: *atque ita ad preces conversi rogaverunt, ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur*: ut est 2. Machab. cap. 12. Neque vero eorum peccatum lethale habitum fuit, & existimari potuit, eos ante mortem ejusdem peccati pœnituisse. Ecclesiæ non satis est pro defunctis raro, & certis quibusdam occasionibus orare; nulla prorsus est Liturgia, quæ non habeat orationem pro defunctis, idque ex Apostolica traditione: *Extat oratio pro Defunctis in Liturgiis omnibus Ecclesiæ tum Orientalis tum Occidentalis. Hoc ab Apostolis traditum universa per totum orbem observat, & observavit Ecclesia, ut pro Defunctis inter sacrificandum oret*; ait Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 866.

Mos ille orandi pro Defunctis confirmatur testimonio Patrum.

3. Apertissima sunt testimonia veterum Patrum. Tertullianus de Corona militis cap. 3. *Oblationes pro Defunctis annua die facimus*. Augustinus sermone 171. alias 32. de verbis Apostoli ita scribit: *Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur*. Et consentit Chrysostomus homil. 69. ad Populum Antiochenum: *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis multum contingere lucrum, & utilitatem multam*. His fundamentis quinta Canonis Oratio innititur; atque in ea Sacerdos præsentes animos eos habere debet defunctos, pro quibus præcipue intendit orare: *In hoc loco Sacerdos, quorum maluerit defunctorum, debet agere memoriam specialem*; verba sunt Innocentii III. cit. lib. 5. cap. 7. ac porro pergens orat pro animabus omnibus, quæ detinentur in Purgatorio, ut verba illa indicant, *ipsis Domine*, idest pro quibus præcipue oravit; & *omnibus in Christo quiescentibus*, iis scilicet omnibus, qui in Purgatorio igne expiantur; pro omnibus autem postulat *locum refrigerii*, quod respicit ignem illum, quo cremantur; *locum lucis*, quod spectat ad eas tenebras in quibus versantur; *locum pacis*, quod ad illam pertinet mentis anxietatem, qua conflictantur: quo triplici pœnarum genere miseræ illæ animæ a Divina expiantur justitia. Ideo autem diximus pro omnibus, qui sunt in Purgatorio, Orationem fieri, quia ipsis solis Missæ Sacrificium tanquam satisfactorium Deo offertur, juxta Tridentinam Synodum sess. 25. Decreto de Purgatorio, ubi docet, *Animas in Purgatorio detentas Fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari*; & juxta idem Concilium sess. 22. cap. 2 *Quare hoc Sacrificium non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum Traditionem offertur*; nunquam tamen pro animabus damnatorum, quorum immutabili Dei lege æterna est condemnatio: *Paleas autem igne comburet inextinguibili*, Matth. cap. 3. *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, itidem Matth. cap. 25.

Oratio fit pro animabus, quæ igne Purgatorio expiantur, non pro damnatis.

Olim Defunctorum nomina, pro quibus Sacerdos orabat, alta voce recitabantur.

4. Hæc Oratio in vetustis monumentis *Oratio super Diptycha* appellatur, ob eam quam supra rationem attulimus Cap. 13. n. 26. Mortuorum quondam nomina alta voce recitabantur, sicuti nomina vivorum, ut diximus *in Memento* pro vivis; quamobrem Turonense Concilium sæculo VIII. habitum hanc rubricam habet: *Si fuerint nomina Defunctorum, recitentur; deinde postquam recitata fuerint, dicat Sacerdos: ipsis, & omnibus*. Episcopi etiam qui Ecclesiam rexerant, aliique aliarum Diœcesium, qui in Catholica Fide & Communione obierant, nominabantur; nam si vel in hæresi, vel in schismate mortui essent, e sacris Diptychis expungebantur. Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 24. documenta profert, quibus ostendit, Defunctorum atque etiam Episcoporum nomina propalam esse recitata ad XII. usque sæculum, atque ejusmodi consuetudinem a Cardinali Antonio de Crequy Episcopo Ambiensi fuisse revocatam, qui Testamento suo ann. 1574. jussit, in Conventuali illius Ecclesiæ Missa, cum Sacerdos pervenerit ad *Memento* Defunctorum, Diaconum alta ipsum voce monere: *Memento Domine animarum servorum tuorum Joannis & Antonii de Crequy*: & in Parisiensi Ecclesia etiamnum ejus disciplinæ quædam reliqua esse vestigia; antiquiorem enim Clericorum Choris ad Sacerdotis dexteram accedere, qui Missam Conventualem celebrat ac illi dicere: *Memento animæ Cardinalis de Gondy*, qui fuit ejus Ecclesiæ Episcopus.

5. Gil-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Missæ, quæ explicentur suffragii nomine expiationi, remanent in ecclesiæ Ecclesiæ.

5. Gilbertus Grimaud in Liturgia sacra par. 3. cap. 10. quæst. 6. & seq. de ea obligatione agit, qua tenemur Deum orare pro Defunctis; quæ obligatio ex charitate, interdum etiam oritur ex justitia. Supra diximus Sacrificium pro damnatis in Infernum offerri non posse: cum autem possit contingere, ut vel pro damnatis, vel pro iis qui in Cœlo beata vita perfruuntur, Sacrificium offeratur, monet, illius fructum Sacrificii in Ecclesiæ thesauro remanere, quem Deus dispertit, & applicat iis animabus, quæ possint ejusmodi fructum consequi, quibusque Deus levamen aliquod vult afferre. Perpulcra est D. Augustini sententia in Enchiridio cap. 109. de Missis, Suffragiis, & Orationibus pro iis animabus, quibus ea prodesse posse credimus, cum tamen non prosint: *Neque negandum est Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt.*

CAPUT XVIII.

De sexta Oratione Canonis.

De sexta Oratione Canonis, quæ desinit: Per omnia sæcula sæculorum. Hæc clausula dicitur alta voce. Cur non dicatur Feria VI. in Parasceve.

1. SExta & ultima Canonis Oratio incipit, *Nobis quoque peccatoribus*, quæ verba elata paullulum voce dicuntur & definit in clausulam *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ proxime Orationem præcedit Dominicalem; eaque clausula alta voce dicitur, ut Populus respondeat *Amen*. Quamobrem Feria VI. in Parasceve, cum integer Canon omittitur, qui ad Consecrationem pertinet, nulla e senis hisce Orationibus dicitur, nec *Per omnia sæcula sæculorum*, sed post manuum ablutionem initium sumitur absolute ab Oratione Dominicali.

Explicatur illa, Intra quorum nos consortium &c.

2. Sacerdos ante Consecrationem Deum est precatus, ut dignetur Ecclesiam Militantem in Triumphantis consortium admittere. Idem petiit post consecrationem pro Ecclesia Patiente; in hac vero postrema Oratione idem sibi & adstantibus petit, quorum nomine offert Sacrificium; petit autem his verbis: *intra quorum* (Sanctorum, qui in cœlo sunt) *nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte*: ad quæ verba respexisse videtur Hieronymus in expos. ult. vers. Psal. 72. ubi ita concludit: *Ad capessendam futuram beatitudinem cum electis ejus, in quorum nos consortium non meritorum inspector, sed veniæ largitor admittat Christus Dominus noster, Amen*. Novit Ecclesia, Deum non nisi intercedentibus meritis tribuere beatitudinem; sed nec illud ignorat, ut in Sanctorum admittamus consortium, non modo necessariam esse gloriam, sed etiam gratiam, & veniam peccatorum, quæ sine nostris meritis datur tantummodo per Christum Dominum nostrum; ipsa nostra merita dona esse misericordiæ Dei & gratiæ; nobisque misericordia Dei opus esse vel in earum actionum examine, quas bonas existimamus, juxta illud Psal. 129. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* & Psal. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; & juxta illud Augustini Confess. lib. 9. cap. 13. *Væ laudabili vitæ hominum, si, seclusa misericordia, discutias eam*.

Meritum ponitur pro demerito & peccato.

3. Nec contemnenda videtur interpretatio *meriti* pro demerito & peccato, ut notat Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 21. ad verbum *meriti*, *ideſt demeriti*, *peccati*. *Huic interpretationi adstipulatur vetus expositio manuscripta Præfationis & Canonis Missæ Bibl. Cor. Non retributionem peccatorum æstimet, sed ipse sit veniæ largitor, & quandoque meritum sumitur pro peccato; S. Augustinus lib. de Cura pro mortuis gerenda cap. 1. Quorum tam mala sunt merita.*

In hac etiam Orationis Sancti invocantur.

4. In hac Oratione Sacerdos invocat Sanctos Apostolos & Martyres Joannem, Stephanum, Matthiam, Barnabam, Ignatium, Alexandrum, Marcellinum, Petrum, Felicitatem, Perpetuam, Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam, Anastasiam, omnes denique Sanctos.

Cur in hac Orationis nominatur Joannes, & Stephanus ante Matthiam.

5. Quæritur, quamobrem hic solus Joannes ex iis in prima, quæ Consecrationi præcedit, Canonis parte sunt nominati, & Stephanus ante Matthiam Apostolum nominentur; cum etiam Matthias in eadem prima Canonis parte inter Apostolos fuerit prætermissus. Innocentius III. lib. 5. cap. 8. ait, Joannem in priori parte propter Apostolatus dignitatem, in altera vero propter Virginitatis privilegium nominari, cum quo propterea conjungitur Stephanus continentiæ dono eximius, qui idcirco præpositus est viduis, eoque etiam nomine ab Apostolis creatus est Diaconus; quamobrem Episcopus in ordinatione Diaconi hæc profert verba: *Cogitate B. Stephanum merito præcipue castitatis ab Apostolis ad officium istud electum*. Et consonat S. Bonaventura in Exposit. Missæ cap. 4. §. *Unde sequitur*. Sed verisimilius videtur, ut censet Walfridus cap. 22. Joannem, qui hic nominatur, non Evangelistam esse, sed Baptistam, quod observat Menardus quoque in Notis ad lib. Sacrament. S. Gregorii pag. 21. *Hic videtur intelligendus S. Joannes Baptista, cujus etiam mentio fit in Liturgiis Sanctorum Basilii & Chrysostomi post Consecrationem*. Idcirco autem prior nominatur Stephanus, Matthias posterior, quod Ecclesia non ad dignitatis, sed ad Martyrii ordinem respicit. Joannes quidem Baptista Stephano fuit Martyrii palma prior, quemadmodum Matthiam Stephanus præcessit: jam vero Matthias in priori omissus oratione, nominatur in secunda, quia Passionis tempore nondum erat Apostolus, nec in Evangeliis ejus nomen inter Apostolos legitur. Quanquam vero Paulus, licet nondum tempore Passionis esset Apostolus, & licet inter Apostolos in Evangeliis non recenseatur, in prima Oratione nominatur, id tamen, quod alibi monuimus, factum est ne a B. Petro sejungeretur. Vide Bellarm. tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa cap. 28.

Petrus, qui hic nominatur, est Petrus Exorcista socius Marcellini Presbyteri, qui sub Diocletiano passi sunt. Sancti, qui nominantur, diversorum Ordinum sunt, ex Diaconis, Apostolis, Discipulis, Episcopis &c.

6. Septala Dertonensis Episcopus tract. de Mysteriis Missæ cap. 39. pag. 243. ait haud ita facile reperiri posse, quis ille tandem Petrus sit, qui hoc loco nominatur, cum plurimi eo nomine Martyres fuerint. Sed Pouget tom. 2. Instit. Catholicar. pag. 687. putat esse S. Petrum Exorcistam: & quanquam nullam sententiæ suæ rationem affert, ea tamen præsto est; nam post S. Marcellinum proxime nominatur; porro Marcellinus Presbyter & Petrus Exorcista, diutinos perpessi cruciatus, conjunctim sub Diocletiano necati, Martyrii palmam consequuti sunt in ea quæ tum Silva nigra, deinde in eorum Sanctorum honorem Silva Candida est appellata, ad Episcopalem olim sedem erecta, & postea a Callixto II. Portuensi Ecclesiæ prope Romam unita. Sanctorum Marcellini & Petri Exorcistæ Festum prostridie Kal. Junii celebratur, ut videre est in Martyrologio Romano ad eandem diem. Quæ vero ad S. Petrum Exorcistam pertinent, reperias in Notis Florentini ad suum Martyrologium, & Baronii ad Martyrologium Romanum. Pulcre notat Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2.

cap. 14. num. 5. Sanctos, qui in hac sexta Canonis Oratione nominantur, diversorum esse ordinum; ex Diaconis Stephanum; Matthiam ex Apostolis; Barnabam e Discipulis; ex ordine Episcoporum Ignatium; summorum Pontificum Alexandrum I.; Presbyterorum Marcellinum; e minorum Ordinum Clericis Petrum, e nuptis Felicitatem & Perpetuam; Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam, Anastasiam e Virginibus.

In Canone non nisi Martyribus est locus.

7. In quarumdam Ecclesiarum Canone additi sunt Hilarius, & Martinus; alibi Augustinus; alibi Juliana & Euphemia. Sed neminem hic adjiciendum docet Cardinalis Bona loc. cit. nec ulli præter Martyres esse locum in Canone. De Sanctis, qui in hac Oratione juxta Ambrosianum Ritum nominantur, vide Septalam pag. 245. Supra docuimus Sanctarum Felicitatis, Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Anastasiæ nomina Canoni a S. Gregorio esse addita, quod hic Aldhelmi Episcopi auctoritate confirmamus, qui libro de Virginitate cap. 25. ita scribit: *Mihi quoque operæ pretium videtur, ut S. Agathæ rumores, castissimæ Virginis Luciæ præconia subsequantur, quas Præceptor & Pædagogus noster Gregorius in Canone quotidiano, quando Missarum solemnia celebrantur, pariter copulasse cognoscitur, hoc modo in Catalogo Martyrum ponens: Felicitate, Anastasia, Agatha, Lucia, Agnete &c.*

Duplex in Missa Sanctorum commemoratio ad suffragium, & ad consortium.

8. Gilbertus Grimaud in sacra Liturgia par. 3. cap. 5. considerat, duobus in locis commemorationem fieri Sanctorum, ante, & post Consecrationem, ut supra diximus. Et commemorationem quidem Sanctorum fieri ante Consecrationem, ut eorum obtineamus suffragia, eorum Communionem consequamur, virtutes denique adipiscamur, & gratias, quas nobis ex sancto Sacrificio possumus polliceri: *Quorum meritis precibusque concedas &c.* post Consecrationem vero, quia Deum oramus; ut in Sanctorum cœtum nos admittere dignetur: *intra quorum nos consortium non æstimator meriti &c.* ac propterea primam apposite dici commemorationem *ad suffragium*, alteram *ad consortium*.

Explicantur illa, Per quem hæc omnia Domine semper bona creas &c.

9. Post Sanctorum imploratam intercessionem Sacerdos, ut cum adstantibus per Jesu Christi merita inter Sanctos admittatur in Cœlo, ait: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria.*

Ad hunc Missæ locum olim benedicebantur novæ fruges, mel, carnes &c.

10. Notum est, Sacerdotem olim ad Altare novos fructus, legumina, mel, carnes benedicere consuevisse, cujus consuetudinis fuisse perhibetur auctor S. Eutychianus in lib. Pontificali: *Hic constituit, ut fruges super Altare tantum, fabæ, & uvæ benedicerentur*. Illud etiam certissimum est, in hac Missæ parte, quam modo expedimus & quidem post ea verba, *largitor admitte*, hanc benedictionem fieri consuevisse. Probat id Cardinalis Bona lib. 2. cap. 14. num. 5. ex veteribus Missalibus & Liturgiis: *Finita*, inquit, *hac Oratione post illa verba*, largitor admitte, *si novæ fruges, aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante Altare olim collocari solebant, & hic a Sacerdote benedici; & terminata benedictione solita clausula, Per Christum Dominum nostrum, sequentem addebant Orationem: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas: quæ, ut notat Lucas Dacherius, non solum referuntur ad Oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus creat, sive producit, easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas.* Et apud Martene tom. 4. monumenta extant benedictionis novarum frugum in Festo Ascensionis Domini, novorum pomorum in solemnitate S. Jacobi Apostoli, & novarum uvarum in festivitate S. Xysti, ut videre est pag. 568. 574. & 575. primæ edit. In Ordinatione Lectoris Episcopus ait: *Lectorem siquidem oportet legere ea, quæ prædicat, & Lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus novos*. Eas tamen benedictiones (etsi nunc non fiunt in hac Missæ parte, sed peracta Missa) solus hoc tempore Sacerdos facit, ut notat Catalanus in notis ad Pontificale Romanum tom. 1. pag. 83. §. 6.

Num verba illa: Per quem hæc omnia Domine &c. referenda sint ad novas fruges, an ad Eucharistiam, an ad utrumque.

11. Quæ supra Cardinalis Bonæ attulimus verba indicant, eas preces, *per quem hæc omnia Domine semper bona creas &c.* non modo ad Christi Corpus & Sanguinem, sed ad novas etiam uvas & fruges benedictas referri. Quidam dicunt, ad novos tantum fructus referri, quod non injuria rejicit Le Brun tom. 1. pag. 538. ait enim, apud aliquas Ecclesias in more fuisse, ut novæ benedicerentur fruges in Missa ante Consecrationem Corporis Christi, eodem modo, quo his temporibus Feria V. Majoris Hebdomadæ ante Consecrationem sanctorum Oleorum fit benedictio; novis eam tamen frugibus benedicendis peculiarem fuisse Orationem, quæ, ut aliæ omnes, in eam desinebat clausulam: *Per Christum Dominum nostrum*, cui deinde ea jungebantur, *Per quem hæc omnia &c.*

Ea verba referenda ad Christi Corpus nulla habita novarum frugum ratione.

12. Utcumque tamen sit de hac controversia, an novarum frugum benedictio peculiari fieret Oratione, certum quidem est, non in qualibet Missa novarum frugum aliarumve id genus rerum potuisse fieri benedictionem; in omni autem Missa dici consuevisse, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*. Illud quoque certum est, in hac Missæ parte non amplius frugum benedictionem hoc tempore fieri, eademque verba nunc in qualibet Missa dici supra Christi Corpus & Sanguinem; unde necessitas oritur hæc & sequentia verba explicandi, nulla novarum frugum habita ratione.

Fusæ & singillatim explicantur eadem verba.

13. De illorum explicatione verborum scribunt D. Bonaventura loc. cit. Suarez 3. par. tom. 3. quæst. 83. art. 4. disput. 83. sect. 2. §. *Octava Pars*, Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 21. præter Amalarium & Hugonem de S. Victore: ac videtur, si omnia in compendium conferantur, ea esse interpretatio quæ sequitur: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas:* Deus enim Pater omnia creavit per Jesum Christum. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, ut est in Joan. cap. 1. *in ipso condita sunt universa*, ut ad Colossen. 1. atque ita panem & vinum in Christi Corpus & Sanguinem conversum: neque enim in principio Mundi tantum panem & vinum creavit, sed continue renovat, & facit, ut terra quotannis novum frumentum, novasque uvas producat: *sanctificas*; nam in Christo Jesu dona ad Altare oblata fiunt dona sacra & ab usu communi semota: *vivificas*; Deus enim per Jesum Christum panem & vinum vivificat convertens in verum illius corpus & sanguinem, quæ sunt verum vitæ alimentum: *benedicis, & præstas nobis*; nam Deus per Jesum Christum vivificat & sanctificat, cælestesque super panem & vinum benedictiones diffundit, eaque nobis sic benedicta largitur, ut nobis sint vera vita: *per ipsum*; Christus enim Deus & homo verus est mediator Dei & hominum: *& cum ipso*; nam Deus est Deo æqualis: *& in ipso*; quod Patri consubstantialis sit: *est tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & glo-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gloria; Deo enim Patri omnis honor & gloria per Filium, cum Filio, & in Filio, & in unitate Spiritus Sancti, qui ex utroque procedens æque cum Patre & Filio simul adoratur in sæcula sæculorum.

Actiones, quæ cum sexta Oratione conjunguntur.

14. Actiones, quæ fiunt interea dum sexta hæc Oratio recitatur, sunt quæ sequuntur. Sacerdos, cum dicit *sanctificas*, Crucis signum ducit super Hostiam, & Calicem; idem facit cum dicit *vivificas*; ac tertio item Crucis signum ducit, cum ait *benedicis*. Calicem deinde discooperit, genuflectit, surgit, dexteræ manus pollice & indice apprehendit Hostiam, sinistra Calicem tenet, & Hostia ipsa ab una ad alteram Calicis oram Crucis tria signa ducit, primum cum dicit *per ipsum*, alterum cum dicit *cum ipso*, tertium cum dicit *in ipso*. Duo postea, tenens adhuc Hostiam, inter se & Calicem Crucis signa facit, primum cum dicit *Est tibi Deo Patri*, alterum cum ait *in unitate Spiritus Sancti*, ac denique ad illa verba *omnis honor & gloria*, tenens Hostiam supra Calicem, utrumque paullulum extollit.

De Crucis signis ad illa, Sanctificas, Vivificas &c.

15. D. Thomas de tribus hisce Crucis signis, quæ fiunt ad illa verba *sanctificas*, *vivificas*, *benedicis*, & *præstas nobis*, ait, ea significare tres illas Orationes Jesu Christi in Cruce, quarum prima est cum oravit pro persecutoribus, *Pater ignosce illis*; Altera cum dixit *Deus meus*, *Deus meus*, *ut quid dereliquisti me?* Tertia cum dixit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Idem S. Doctor de trium illorum item signorum Crucis significatu loquitur, quæ ab una ad alteram Calicis oram ducuntur ad illa verba *per ipsum*, & *cum ipso*, & *in ipso*, atque iis tres significari horas, quibus Jesus a sexta ad nonam pependit in Cruce. Denique de iis Crucis signis agit, quæ fiunt extra Calicem, quibus ait innui animæ separationem a corpore. Videatur S. Doctor 2. par. qu. 83. art. 5. ad 3. ubi etiam scribit, breviter dici posse, tot Crucis signa ostendere, sacramenti hujus Consecrationem, hujus sacrificii acceptationem, & ejus fructum e virtute Crucis Christi manare. Videantur etiam D. Bonaventura de exposit. Missæ loc. cit. Merbesius 3. par. summæ Christianæ qu. 51. quæstiunc. S. cum duabus sequen. & Natalis Alexand. lib. 2. Theolog. Dogmat. & Moralis de Sacram. Euchar. cap. 7. art. 6. §. *Tres Cruces*. De tribus Crucis signis cum dicitur, *per ipsum*, & *cum ipso*, & *in ipso*, Meratus tom. 1. part. 1. pag. 571. ait idcirco duci supra Calicem, quia Christus Jesus passus est in corpore, in anima, & in honore, juxta D. Thomæ doctrinam 3. par. q. 46. art. 5. *Passus est in corpore per vulnera & flagella*, *passus est in anima per tristitiam*, *tædium*, & *timorem*, *passus est in honore & gloria per irrisiones & contumelias ei illatas*. Quod vero ad alia duo Crucis signa, quæ Sacerdos ducit inter se & Calicem, advertit, etsi Catholico sensu affirmari potest propter hypostaticam unionem humanæ naturæ cum Persona Divina Christi Deum esse passum, minime tamen dici posse Patrem, aut Spiritum Sanctum esse passum; ac propterea ad illa verba, *Est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti* duo extra Calicem signa Crucis fieri.

Rerum mysticæ significationes ex D. Thoma.

Elevatio Hostiæ, & Calicis ad illa verba, Omnis honor & gloria, aliquando minus fieri cæpit post institutam Elevationem solemnem post Consecrationem.

16. Reliquum est, ut de parva illa Hostiæ & Calicis elevatione pauca quædam attingamus. Non plus quam quaternos tolli debet digitos Calix & Hostia, ut monent Scriptores de sacris Ritibus, cum dicuntur illa, *Omnis honor & gloria*. In hac elevatione Populo non ostenduntur adoranda. In quibusdam Galliæ Ecclesiis ad hanc Elevationem pullatur campanula; in aliquibus in Missa solemni thurificantur, ut videre est apud Mabillon. in Commentar. ad Ord. Rom. n. 7. & apud Le Brun tom. 1. pag. 542. Vetustior est, ut diximus, hæc elevatio Hostiæ & Calicis, quam altior illa, quæ fit utriusque separatim statim post Consecrationem; ideoque de prima tantum elevatione fit mentio in Liturgiis Basilii & Chrysostomi, ut observat Bellote in Observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 567. n. 4. Postea vero quam cœptum est elevari proxime post Consecrationem Corpus & Sanguis, elevatio, de qua loquimur, parva fit, & sine campanulæ sono: *Ante sæculum duodecimum ad hæc sola verba*, Omnis honor, & gloria, *nec prius*, *ostendebatur Corpus Christi simul cum Calice Populo circumstanti ad adorationem. Calicem ergo simul cum Hostia Sacerdos sublevabat in altum, ut Populus videret & adoraret. Ex quo autem usus invaluit elevandi Corporis Christi, ac deinde Calicis statim post peractam Consecrationem, minus solemnis hæc altera Calicis & Corporis elevatio plerisque in Ecclesiis fuit; nec jam Sacerdos sic elevat Calicem, ut a Populo circumstante videri possit*. Ita Pouget tom. 2. Instit. Catholicar. pag. 869. qui addit in ea verba Canonem definere, *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ Sacerdos dicit elata voce Populum invitans adstantem, cujus nomine recitata sunt præcedentia Canonis verba, ut consensu suo confirmet, quæ omnium nomine Sacerdos a Deo postulavit; qui consensus a Populo exhibetur voce *Amen*.

CAPUT XIX.

De Missa ab iis verbis, Oremus, præceptis &c. *usque ad infractionem Hostiæ.*

Canon terminatur in sexta Oratione. Oratio Dominicalis non est pars Canonis.

1. ORationem Dominicalem sunt qui putant partem Canonis conficere; verior est tamen contraria opinio, quæ statuit, Canonem ad sextam Orationem terminari, ut videre est apud Bellarm. controv. tom. 3. lib. 6. de Sacrif. Missæ cap. 27. in principio. Canone igitur expleto, in hac Missæ parte Sacerdos propius se ad Communionem parat. Ante Orationem Dominicalem devote verbis illis præfatur: *Oremus. Præceptis salutaribus moniti*, & *divina institutione formati audemus dicere*; quæ vetustissima sunt, & ad ea respexit D. Hieronymus lib. 3. adverf. Pelag. *Sic docuit Apostolos suos* (Christus) *ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster*. Græci pariter, Maronitæ, Mozarabes, & Ambrosiani ante Orationem Dominicalem in eundem fere modum pie & breviter præfantur, ut refert Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 15. n. 1.

Oratio Dominicalis non jussu S. Gregorii, sed ex Apostolica consuetudine recitatur in Missa.

2. Sequitur Oratio Dominicalis ex vetustissima & Apostolica consuetudine: *Inter vicina momenta dum manus imponitis*, & *delicta donatis*, *mox ad Altare conversi Dominicam Orationem præmittere non potestis*; ait Optatus Milevitanus l. 2. Et Cyrillus Hierosolymitan. Catech. Mystagog. 5. *Dicimus Orationem illam* (post Fidelium Defunctorum commemorationem) *quam Salvator suis Discipulis tradidit*. Alia loca Patrum congessit Hugo Menardus in notis ad Sacramentar. S. Gregorii pag. 21. Nec prætercundum, quod ait Honorius in Gemma Animæ cap. 80. *Missam Dominus Jesus instituit*, *quando ex pane & vino Corpus & Sanguinem suum fecit*, & *memoriam sui fuis celebrari præcepit. Hanc Apostoli auxerunt*, *dum super panem & vinum verba*, *quæ Dominus dixit*, & *Dominicam Orationem dixerunt*. Falsum igitur, quod nonnulli putant, S. Gregorium Magnum jussisse in Missa Orationem Dominicalem recita-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ri; de qua mentio fit in Liturgiis, & apud Patres S. Gregorio antiquiores. Nec itidem verum, S. Gregorium existimasse, ut etiam alibi diximus, Apostolos in Missa solam Orationem Dominicalem ante Communionem recitasse. Quamquam enim lib. 7. epist. 64. scribit: *Orationem Dominicam ideirco post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem oblationis Hostiam consecrarent*; suspicari tamen possumus vocem *solummodo* per errorem ab Amanuensi aliquo injectam, ut observat Card. Bona citat. cap. 15. Incredibile dictu est, quantum opinio illa invaluerit, Apostolicis temporibus Missam totam constitisse ex sola Oratione Dominicali, quæ ante Communionem recitaretur, & Communione Sacerdotis, eorumque qui adessent; idque initium Sacrificii finemque fuisse. Joachimum Hildebrandum hæreticum hominem omittimus, qui in sæpiuscule citato opere, *Sacra publica veteris Ecclesiæ in compendium redacta*, pag. 108. eam sequutus sententiam, in hæc verba concludit: *Quod si ita sit, evidens est, apud nos hodie* (apud Lutheranos) *eodem ritu Eucharistiam consecrari, quo olim Apostoli consecrarunt*.

Missa Apostolarum non ex sola Oratione Dominicali fuit conflata.

3. Davidem Clarkson hæreticum item prætermittimus, qui in tractatu de Liturgiis, sive Formulario Ecclesiastico precationum, ex Anglicano in Gallicum sermonem converso, ac Rotterodami edito anno 1716. impudenti sane audacia ostendere nititur, nullam primis quinque sexve sæculis fuisse conceptis verbis Liturgiam in Ecclesia, nullam precationum formulam, neque in Sacramentis administrandis, neque in celebrando Sacrificio, nec in Baptismate conferendo; quæ omnia plane absurda & absona ab immoderata quadam libidine oriuntur sacratiora quæque permiscendi & evertendi. Igitur dicimus, in Georgii Cassandri Liturgia cap. 18. auctoritates reperiri congestas Ruperti, Walfridi Strabonis, Petri Cerveti, & Rhenani, ex quibus colligitur, Apostolicorum Missam temporum in sola Oratione Dominicali & Eucharistiæ Consecratione & distributione consistere. Præterea Emarus Ennequineus Rhedonensis Episcopus in collectione eorum, quæ de Missæ Sacrificio scripserat Innocentius III. quam Gregorio XIII. dicatam edidit typis Parisiensibus anno 1579. extra omnem dubii aleam ponit, S. Petrum, Oratione Dominicali tantum recitata, consecravisse, & Missam celebrasse, reliqua omnia deinde esse addita. Sed ea de re legendus Bocquillot tractatu Historico de Liturgia lib. 1. cap. 9. qui etsi videtur paullo propensior ad Liturgias non modo Sanctorum Petri, Matthæi, & Marci, sed etiam S. Jacobi tanquam spurias rejiciendas (quam tamen S. Jacobi Liturgiam & aliquis quinti sæculi Scriptor, & Concilium Trullanum can. 32. commemorat, ut alibi diximus) sibi nihilominus persuadere non potest, Apostolos, eorumque successores nil quidquam aliud Missam celebrando fecisse, quam ut Orationem Dominicalem recitarent, Eucharistiam consecrarent, eamque distribuerent. Loquitur eo loco Bocquillot de S. Gregorio, sed Cardinalis Bonæ sequutus sententiam, nihil eorum attigit, quæ modo diximus. Monet autem, S. Gregorii auctoritatem non ita accipiendam, ut S. Pontifex significare voluerit, in Christianorum conventibus ad Sacrificium nihil aliud fieri consuevisse, quam ut Oratio Dominicalis diceretur, consecraretur, & communicaretur: idque probat auctoritate D. Pauli, qui in epistolis jubet Fideles versari in Psalmis, Hymnis, Canticis, Orationibus, precationibusque pro omnibus hominibus, ac pro Regibus: denique concludit, etiamsi Apostoli nullam Liturgiam condidissent, magisque tutum putassent per traditionem Episcopis, quos consecrarent, suam tradi doctrinam, id tamen non diu perdurare potuisse; quamobrem aut paullo post mortem Apostolorum, aut fortasse etiam dum viverent, Liturgiam conceptis verbis esse conditam ad Sacrificium; quam tamen non ex sola Dominicali Oratione & Consecratione conflatam fuisse apparet ex Justini Martyris Apologia 2. qui scribit, in Christianis conventibus non modo quantum posset, legi consuevisse ex Apostolorum scriptis & Prophetarum, & post eam lectionem ab Episcopo haberi sermonem ad Populum; sed etiam Sacerdotem qui celebraret, accepto Pane & Calice, ubi vinum esset cum aqua mixtum, æterno Patri nomine Filii & Spiritus Sancti Sacrificium offerre, debitas sanctissimæ Trinitati laudes tribuere, multumque temporis in agendis gratiis & precationibus consumere: *diu gratias agit*, Populo succlamante: *Amen*. Sed hactenus satis: jamque eo, unde longius fortasse, sed non inutiliter digressi sumus, tandem redeamus.

Oratio Dominicalis elata voce dicitur in Missa.

4. Sacerdos Dominicam Orationem elata recitat voce; cujus rei Belletus lib. de Divinis Officiis cap. 120. postquam observavit eam Orationem in Officio submissa dici voce, hanc affert rationem: *Cum Dominica Oratio in Prima dicatur voce submissa, alta & expressa eadem pronuncietur in Missa, ut vel eo pacto adhortentur, qui in fraterno sunt odio, & ad concordiam discordes excitentur antequam communicent*. Potior fortasse videri potest ratio sumta ex Arcani disciplina, juxta quam neque Oratio Dominica, neque Symbolum in publicis conventibus recitabantur, in quibus esse poterat aliquis Infidelium, vel Catechumenus. Neque vero Orationem Dominicam, aut Symbolum prius Catechumeni docebantur, quam satis instructi & ad Baptisma suscipiendum probati in classem *Competentium* commigrassent. Ante porro quam Baptismum susciperent, Orationem Dominicam & Symbolum publice recitabant; ex quo illa originem trahunt, *reddere Symbolum*, *reddere Orationem Dominicam*. Ex quibus omnibus quivis facile intelligat, quamobrem in Officio seu Horis Canonicis submissa, in Missa elata voce Oratio Dominica recitaretur. Infideles enim, & Catechumeni Horis Canonicis adesse poterant, huic vero Missæ parti, ut alibi diximus, non poterant, sed post Evangelii explanationem Ecclesia pellebantur. Id etiam confirmatur consuetudine Monachorum S. Benedicti, qui *Pater noster* ad Laudes & Vesperas elata voce recitant, quia Divina canunt Officia tantummodo coram iis, qui sunt e Familia Monasterii.

Cur in Officio, item ut Symbolum, recitetur submissa voce Oratio Dominicalis.

5. Testatur S. Gregorius Magnus lib. 7. epist. 64. Indict. 2. Orationem Dominicam in Missa Græcorum non a Sacerdote solum, sed ab universo etiam Populo recitari consuevisse: *Dominica Oratio apud Græcos ab omni Populo dicitur; apud nos vero a solo Sacerdote*; idque non in solemni tantum, sed etiam in privata Missa, ut colligitur ex vita S. Joannis Eleemosynarii Episcopi Alexandrini, qui cum principem quemdam virum vellet in concordiam cum inimico suo reducere, curavit ut privatæ Missæ suæ adesset, cui præter Sacerdotem, Ministrum, & principem illum virum nemo quisquam aderat. Cum ad Orationem Dominicam ventum est, quam omnes juxta eorum temporum disciplinam recitabant, S. Joannes Ministrum tacere jussit, cum ad ea perveniisset verba *dimitte nobis debita nostra*, atque illinc abire; cumque solus cum eo primario viro remansisset, illi persuasit, ut suum inimicum in gratiam reciperet: *Fecit Missas in Oratorio suo*, nul-

Orationem Dominicalem in Græcorum Missis olim etiam Populus cum Sacerdote recitabat.

nullum habens niſi Miniſtrum ſuum. Cum ergo ſancta benedixiſſet Patriarcha, & Orationem Dominicam inchoaſſet, cœperunt dicere tres tantum illi: Pater noſter. Et cum perveniſſet ad ſermonem, quo dicitur, Dimitte nobis debita noſtra &c. innuit domeſtico Patriarcha, ut taceret. Siluit ergo, & remanſit Princeps ſolus.

Item olim in Eccleſia Gallicana.

6. Eccleſiæ Græcæ diſciplinam Gallicana etiam aliquanto retinuit tempore, cujus rei ex quodam S. Martini miraculo deſumitur argumentum. Rem narrat Gregorius Turonenſis lib. 2. de Miraculis illius Sancti cap. 30. *Quadam die Dominica, dum Miſſarum ſolemnia celebrabantur*) muta quædam Fœmina) *cum reliquo Populo ſtabat. Factum eſt autem, cum Dominicæ Oratio diceretur, hæc aperto ore cœpit ſanctam Orationem cum reliquis decantare.* De hac Eccleſiæ Græcæ diſciplina legendus Martene de antiquis Eccl. Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 8. n. 27. & de Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudine vide Mabillonium lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 5. n. 23. In fine Orationis Dominicæ Sacerdos ſubmiſſa vocet dicit *Amen*, etſi abeſt a Sacramentario S. Gregorii edito a Menardo, ob eam fortaſſe rationem, quia Orationis Dominicæ continuatio quædam eſt, quæ proxime ſequitur Oratio, *Libera nos*, ac deſinit in *Amen* dicendum a Miniſtro: nam *Pater noſter* apud Evangeliſtas clauditur voce *Amen*, quamobrem Eccleſia etiam in Miſſa per eam vocem terminandum exiſtimavit, quæ vetus eſt conſuetudo, cujus meminit IX. ſæculi ſcriptor Florus, ut obſervat Le Brun tom. 1. pag. 569.

Explicatur Oratio, Libera nos.

7. Jam vero in Oratione, *Libera nos*, Sacerdos Dominum precatur, ut nos liberet *ab omnibus malis præteritis*, quæ ſunt peccata; *præſentibus*, quæ ſunt variæ tentationes, quibus ad peccandum impellimur; *futuris*, quæ ſunt pœnæ peccatis debitæ, ſive temporales ſint, ſive æternæ. Orat etiam, ut nobis pacem largiatur: *Da propitius pacem in diebus noſtris*; neque enim cum peccato vera poteſt eſſe pax. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus*, Iſaiæ cap. 48. ac de ejuſmodi pace præclara & miranda ſunt, quæ ſcripſit D. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 19. cap. 11. & ſeq. Quia vero in hac Oratione diſerte nominamus mala, a quibus petimus liberari, idcirco hæc Oratio a Ritualiſtis græca voce dicitur *Emboliſmus*. In hac eadem Oratione confugimus ad B. Mariam ſemper Virginem, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, & Andream, & ceteros omnes Sanctos. Licebat olim Sacerdoti celebranti quoslibet alios Sanctos adjicere: *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus; niſi quos in Canone invenimus antiquitus deſcriptos, excepto poſt Pater noſter, in illa Oratione, Libera nos, ubi juxta ordinem quoramlibet Sanctorum nomina internumerare poſſumus*; verba ſunt Micrologi c. 13. In Codice Tiliano poſt S. Andream Sancti Gervaſius & Protaſius, & juxta Ambroſianum Ritum S. Ambroſius nominantur. Atque hic S. Andreas ideo nominatur, quod primus ad Apoſtolatum vocatus fuit, ut conſtat ex Evangelio Joannis; ipſe enim primus Chriſtum repererat, ad quem Petrum fratrem ſuum adduxit.

A Ritualiſtis appellatur Emboliſmus.

Te eadem olim licebat aliis Sanctos nominatim invocare.

S. Petrus non primus ad Apoſtolatum vocatus.

8. Quidam ex Patribus putant Petrum fuiſſe primum ad Apoſtolicam dignitatem vocatum. Cyprianus epiſt. 71. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam.* Et S. Gregorius lib. 2. in Ezechielem Homil. 6. alias 18. *Ad memoriam revoca Petrum, quod primus ad Apoſtolatum vocatus ſit.* Sed tamen hi Patres non ita intelligendi, quaſi exiſtimaverint, ad Apoſtolatum vocatum fuiſſe Petrum priorem tempore, ſed ſupra ceteros Apoſtolos & Eccleſiam univerſam fuiſſe conſtitutum. In antiquo Ordine Romano XI. apud Mabillonium in Muſæo Italico pag. 152. habetur, Romano Pontifici S. Andreæ Feſtivitatem non ſecus ac ſolemnitatem B. Petri eſſe celebrandam, & officium partim apud Altare S. Andreæ, partim ad S. Petri recitandum: *In Feſtivitate S. Andreæ debet eſſe dominus Pontifex cum omnibus ſcholis ad S. Andream in Vaticano, ibique honorifice, ſicut in Feſtivitate S. Petri, Veſperas & Vigilias celebrare; Matutinum vero ad Fratrem ejus facere, ideſt ad altare S. Petri.* Præclara & prorſus tenera oratio eſt, quam habuit Pius II. cum S. Andreæ Caput ſibi ex Achaja miſſum excepit, quæ extat in ejus Commentariis lib. 8. pag. 357. *Adveniſti tandem o ſacratiſſimum & honoratiſſimum S. Apoſtoli caput. Turcarum te tua ſede furor expulit. Ad Fratrem tuum Apoſtolorum Principem confugiſti exulans. Non deerit Germanus tuus tibi &c. Nepotes tui ex Fratre Romani omnes Te veluti Patruum Patremque ſuum venerantur, colunt, obſervant, & tuo ſe uti patrocinio in conſpectu magni Dei non dubitant.*

Feſtivitas S. Andreæ olim a Summo Pontifice pari ſolemnitate celebrabatur ac Feſtum B. Petri.

Actiones quæ conjunguntur cum ea Oratione.

9. Plures hic a Sacerdote actiones fiunt, antequam incipiat Orationem *Libera nos*, Patenam, quæ jacebat ſub Corporali, manu dextera apprehendit inter digitum indicem & medium, eamque verticalem tenet ſuper Altare; in Miſſis vero, quæ cantantur, Subdiaconus Patenam velo involutam tenet ab Offertorio uſque ad finem Orationis Dominicæ, quam tunc evolutam Sacerdoti tradit ſuper Altare; quæ cæremonia in Pariſienſi Eccleſia non a Subdiacono, ſed ab Acolytho peragitur; in quibuſdam aliis Eccleſiis uſus invaluit, ut antequam Patenam ſuper Altare velo nudatam Diaconus ponat, eam Populo oſtendat. Ubi Sacerdos ad ea verba pervenerit, *Et omnibus Sanctis*, ſibi a fronte ad pectus Crucis ſignum ducit, & ad ea verba, *in diebus noſtris*, Patenam oſculatur; cum autem dixerit, *ab omni perturbatione ſecuri*, Patenæ Hoſtiam ſuperimponit, Calicem diſcooperit, & genuflectit.

Quid ea ſignificent.

10. Natalis Alexander lib. 2. Theolog. Dogmat. & Moralis cit. art. 6. num. 10. ait, Ritum hunc ad pium ſanctarum mulierum officium referri, quæ *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum, & valde mane una Sabatorum venerunt ad monumentum orto jam ſole, & dicebant ad invicem: Quis revolvit lapidem ab oſtio monumenti?* Patenam enim hujus lapidis eſſe ſymbolum, ſibique Crucis ſignum Sacerdotem facere, ut annunciet, per Crucem, & per hoc Sacrificium peccata eſſe omnia in Cœlo & in Terris; Patenam oſculari, ut oſtendat Chriſtum deſiderio ſatisfeciſſe ſanctarum mulierum, quibus obviam occurrit, & ſalutavit dicens: *Amen*; illæ autem in genua provolutæ Chriſti amplexæ ſunt pedes, ac fortaſſe, quod veriſimile eſt, oſculatæ.

Alia ratio ritus deambendi Velum Patenæ ducta ex naturali ſerie actionum.

11. Myſticam hanc explicationem nos minime explodimus. Ejus tamen Ritus rationem afferemus, quæ ex naturali deducitur ſerie actionum, quæ partim geſtæ ſunt, partim geruntur. Patena ad Offertorium opus eſt, ſuper quam panis conſecrandus imponatur. Poſt panis ſeu Hoſtiæ oblationem Patena ſtatim Corporali ſupponitur; ea enim nihil opus eſt uſque ad Communionem; hinc eſt, quod in Miſſis privatis Sacerdos eam Corporali ſubjicit, & in Miſſis cantatis traditur Subdiacono, qui eam velo involutam teneat. Atque inde fit, ut cum dicit Sacerdos *Libera nos, quæſumus Domine*, appetente tempore, quo ſe communicet, & adſtantibus Euchariſtiam præbeat, ubi Patena opus eſt, ipſemet in Miſſa privata, eo quem oſtendimus modo, Patenam prehendit, in Miſſa vero cantata Subdiaconus

Sacer-

Sacerdoti eam tradit celebranti. Vid. Pouget Inſtit. Catholicar. tom. 2. pag. 870. ubi illud etiam obſervat, in Eccleſiis, ubi mos eſt, ut Diaconus Patenam Populo oſtendat, idcirco fieri, quo ad Communionem Populus invitetur. Jam vero Sacerdos Patena ſibi Crucis ſignum ducit, eamque oſculatur, quia Patena inſtrumentum eſt pacis, & vas ubi ſacra ponitur Euchariſtia, quæ Chriſtianorum eſt pax; eaque utitur ad ſignum ſibi Crucis faciendum; per Crucem enim Chriſtus ea omnia disjecit, quibus pax noſtra perturbatur: *Ipſe eſt pax noſtra &c. Solvens inimicitias in carne ſua*, inquit Apoſtolus ad Epheſios; ideo vero Patena Hoſtiæ ſubjicitur, quo facilius tolli poſſit Hoſtia jam jam frangenda, ut mox dicemus. Vide Le Brun tom. 1. pag. 571.

CAPUT XX.

De infractione Hoſtiæ uſque ad Communionem.

De infractione Hoſtiæ.

1. Miſſa procedit, & Sacerdos facta genuflexione ſurgit, manu ſumit Hoſtiam, quam ſupra Calicem tenens utraque manu bifariam frangit dicens: *Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*. Dimidium illud Hoſtiæ, quod habet in dextera, ponit ſuper Patenam, & ab altero dimidio, quod reliquum habet in ſiniſtra, fragmentum detrahit dicens, *qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus*. Quibus prolatis verbis dimidium illud Hoſtiæ cum altero jungit, quod poſuit in patena, ac manu dextera fragmentum illud tenens ſupra Calicem elata dicit voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum*; Miniſter reſpondet: *Amen*; Tum Sacerdos ipſo fragmento terna Crucis ſigna ſupra Calicem ducit dicens: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; Miniſter reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*. Denique Sacerdos fragmentum illud in Calicem immittit dicens: *Hæc commixtio & conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.*

Formula Ambroſiani Ritus in fractura Hoſtiæ.

2. In noſtra Rubrica legitur: *frangitur Hoſtia*; ſed in Liturgicis Ritus Ambroſiani libris inter formulas, quas habet Canon, eſt quædam ejuſmodi: *Corpus tuum frangitur Chriſte, Calix benedicitur*: quibus nonnemo non mediocriter eſt commotus. Eſt enim Fidei Catholicæ dogma, integrum Chriſti corpus eſſe in quolibet Hoſtiæ fragmento, integrumque a Fidelibus ſumi in quacumque Hoſtiæ particula:

A ſumente non conciſus,
Non confractus, non diviſus,
Integer accipitur.

legit Romana Eccleſia in D. Thomæ Hymno de Euchariſtia, qui canitur in Miſſa in ſolemnitate Corporis Chriſti.

Aſtum de ea formula expungenda a Canone.

3. Cum typis iterum imprimendum eſſet Miſſale Ambroſianum, fuere viri probitate & zelo præſtantes, qui petebant, ea verba e Canone Ambroſiano expungi: quibus Joſeph Antonius Saxius Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus Epiſtola Mediolani edita an. 1731. vehementer reſtitit, ne quidquam commutaretur.

Ea formula propugnata & retenta. Dulia eſt e profeſſione Fidei Berengarii in Concilio ſub Nicolao II.

4. Digna eſt ea epiſtola ſacra eruditione referta, quæ legatur; nihil enim auctor prætermiſit, ut ex veteribus Eccleſiaſticis monumentis probaret, eam formam loquendi fuiſſe adhibitam, *Corpus Chriſti frangitur*: nam Profeſſionis Catholicæ formulam eſſe obſervavit, quam Berengario præſcripſit Humbertus Cardinalis, quamque ipſe Berengarius recitavit in Concilio centum & tredecim Epiſcoporum anno 1159. præſidente Nicolao II. ſummo Pontifice: *Conſentio &c. Panem & Vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt Conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & Fidelium dentibus atteri.* Contendit autem, Ambroſianam Eccleſiam ex hac Berengarii Palinodia ac Fidei Catholicæ Profeſſione verba illa traxiſſe, *Corpus tuum frangitur Chriſte*. Verba illa denique ex Pontificali Romano expendit, quæ profert Epiſcopus in benedictione Patenæ: *Oremus fratres dilectiſſimi, ut divinæ gratiæ benedictio conſecret, ac ſanctificet Patenam, ad confringendum in ea Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Accidentia ut appellantur a Conſtantienſi, ſive ſpecies ut a Tridentina Synodo, remanens poſt Conſecrationem.

5. Facta Conſecratione remanent panis & vini quantitas, color, & ſapor, quæ in Conſtantienſi Concilio Accidentia vocantur, & communiter ita loquuntur Theologi: *Accidentia panis non remanent ſine ſubjecto in Sacramento Altaris*, qui fuit Wicleffi error in eodem Concilio damnatus; & in Tridentina Synodo ſpecies appellantur ſeſſ. 13. can. 2. ubi anathemate damnat, qui negaverit *mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini*. Poſt conſecrationem panis re ipſa ſub illis accidentibus ſubeſt Corpus, ſanguis, anima, & Divinitas Domini noſtri Jeſu Chriſti. Non eſt ibi amplius ſubſtantia panis; remanent accidentia ſeu ſpecies *ſine ſubjecto ſubſtantiali*, ut loquuntur Scholaſtici, qui adhuc inter ſe digladiantur, utrum remaneant, necne *ſine ſubjecto accidentali*. Thomiſtæ enim docent ſaporem, gravitatem, coloremque panis & vini quantitati ineſſe tanquam accidentali ſubjecto.

Confeſſio Berengarii a D. Thoma explicata.

6. Qua conſtabilita doctrina, formula Ambroſiani Canonis, *Corpus tuum frangitur Chriſte*, facile explicari poteſt. D. Thom. 3. par. q. 77. art. 7. quæſtionem proponit, *Utrum ſpecies ſacramentales frangantur in hoc Sacramento*; & reſpondet affirmando. Tertio autem loco ita ſibi objicit: *Ejuſdem videtur eſſe manducari, frangi, & maſticari; ſed verum Chriſti Corpus eſt quod manducatur, ſecundum illud Joannis 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; Ergo Corpus Chriſti eſt, quod frangitur, & maſticatur. Unde & in Confeſſione Berengarii dicitur: Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & corde & ore profiteor, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt Conſecrationem verum Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe, & in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri: non ergo fractio debet attribui ſacramentalibus ſpeciebus.* Cui objectioni in hunc modum reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod illud quod manducatur in propria ſpecie, ipſum & frangitur & maſticatur in ſua ſpecie. Corpus autem Chriſti non manducatur in ſua ſpecie, ſed in ſpecie ſacramentali; unde & ſuper illud Joann. 6. Caro non prodeſt quidquam, dicit Auguſtinus: Hoc eſt intelligendum ſecundum illos, qui carnaliter intelligebant. Carne quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur. Et ideo ipſum Corpus Chriſti non frangitur niſi ſecundum ſpeciem ſacramentalem. Et hoc modo intelligenda eſt confeſſio Berengarii, ut fractio & attritio dentium referatur ad ſpeciem Sacramentalem, ſub qua vere eſt Corpus Chriſti.*

Recte non Corpus Chriſti, ſed ſpecies frangi dicuntur. Sed dici poteſt frangi Corpus Chriſti ex communicatione idiomatum.

7. Incorruptibile & impaſſibile eſt Corpus Chriſti, & totum eſt ſub qualibet vel minima parte, quod fracturæ non convenit; nec niſi accidentia ſeu ſpecies frangi poſſunt. Atque juxta hanc doctrinam D. Thomæ Eccleſia in eodem Hymno, quem ſupra memoravimus, in Feſtivitate Corporis Domini canit:

Fracto demum Sacramento &c.
Nulla rei fit ſciſſura,

Sola

Sola signi sit fractura,
Qua nec statur nec statura
Signati minuitur

ubi vox *signi* Sacramentalem speciem significat. Itaque si accurate & theologice loquamur, non est dicendum: *Frangitur Corpus Christi*, sed *franguntur species*: quamquam theologice etiam dici potest: *frangitur Corpus Christi*; nam etiam in Eucharistia idiomatum communicationi locus esse potest, ut idem advertit Saxius in sua epistola, & antea jam observaverat Juveninus de Sacramentis dissert. 4. q. 4. de Eucharistia ut est Sacramentum cap. 4. *Propter intimam & mirabilem specierum cum corpore Christi conjunctionem communicatio idiomatum aliquo modo locum habent in Eucharistia, ita ut actiones externæ, quæ sunt circa species, tribuantur rebus, quæ sub iis continentur; quemadmodum (servata debita proportione) quæ humanæ tantum naturæ proprie conveniunt, de Filio Dei propter unionem hypostaticam dicuntur.*

Qui corpus existimant non esse nisi magnitudinem, iis difficile est totam hanc rem explicare.

8. In hunc igitur modum explicatur illud in Ambrosiana Liturgia, *frangitur Corpus Christi*; quod in aliis etiam Ecclesiasticis monumentis occurrit. Nescimus autem, utrum satis feliciter rem expediant, qui corporis naturam ponunt in magnitudine, nec vera & absoluta accidentia admittunt, distincta a materia: nam juxta Catholicam Fidem confitentur, post Consecrationem jam non amplius remanere panis & vini substantiam, sed species, magnitudinem scilicet, colorem, figuram, saporem; contendunt vero Deum per se & proxime in nostros sensus agere, & coram Pane Eucharistico easdem modificationes in anima nostra & impressiones operari, quas ipse panis ante Consecrationem operabatur, & adhuc si ad pristinam restitueretur substantiam, operaretur. Novimus eos respondere, Corpus Christi non frangi per fractionem in se; esse enim incorruptibile, impassibile, & totum sub qualibet parte; posse tamen frangi *per fractionem a se*; perinde ac si fracto corpore humano, in ejus membris fractis & divisis vellet Deus rationalem animam conservare, quo casu rationalis quidem anima non divideretur *in se ipsa*, sed *a seipsa* divideretur *localiter*; *propterea quod*, ut dicunt, *non jam esset in continuo quodam spatio totali corporis, sed in pluribus spatiis separatis totali illi continuo æquivalentibus*. Sed aliis non satisfacit hæc responsio. Cum enim Eucharistia sit Sacramentum permanens, duabus necessario constare debet rebus, quæ *simul permaneant*, & quarum una sensibilis sit: quod si species ex parte Hostiæ consecratæ non sunt aliquid reale, illud inferunt, fracta in plures partes Hostia, fracturam, quæ realis est, in ipso Christi Corpore fieri; nihil enim aliud quidquam esse reale ex eorum doctrina, in quo fieri fractura possit, quod sana respuit Theologia, ut jam explicuimus. Huc accedit, quod sæculo XII. orta controversia, cui occasionem dedit Palinodia Berengarii, utrum, cum frangitur & in plures partes dividitur Eucharistia, species, an Corpus Christi frangantur; quibusdam autem cum Petro Abailardo contendentibus, specierum tantummodo fieri fracturam, contra Valtero Monasterii Parisiensis S. Victoris Abbate, & Abaudo itidem Abbate docentibus, fracturam & divisionem fieri in Corpore Christi, non ad posteriorem, sed ad priorem sententiam Ecclesia voluit accedere.

Hostia fractura fit ex ipsa Christi Domini institutione Eucharistiæ. Liturgiæ omnes

9. Sed hæc obiter dicta sunto. Igitur ad institutum nostrum regredientes dicimus primo, frangi Hostiam, quia Dominus Jesus in institutione Eucharistiæ accepit panem in sanctas manus suas, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: *Hoc est Corpus meum*: idque jussit Apostolos in sui facere memoriam. Proinde in Actis Apostolicis cap. 2. scriptum est, Fideles perseverare consuevisse *in communicatione fractionis panis*. & D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 10. ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* nullaque Liturgia est, in qua Hostiæ fractura non præscribatur. *habent fracturam Hostiæ.*

De fractura Hostiæ apud Græcos & Mozarabes.

10. Secundo loco dicimus, juxta consuetudinem Græcorum Hostiam dividi in partes quatuor, quarum alteram sumit Sacerdos, qui celebrat; altera dispertitur Populo; tertia reservatur infirmis; quarta denique in Calicem immittitur, & cum Christi Sanguine commiscetur. Qui Mozarabum sequuntur ritum, Hostiam dividunt in partes novem, quarum cuique alicujus ex Christi Mysteriis nomen imponunt. Primam *Incarnationem* nominant; secundam *Nativitatem*; tertiam *Circumcisionem*; quartam *Transfigurationem*, seu *Apparitionem*; quintam vocant *Passionem*; sextam *Mortem*; septimam dicunt *Resurrectionem*; octavam appellant *Gloriam Christi in Cœlo*; nonam denique *Jesu Christi Regnum*, cum veniet judicaturus vivos & mortuos.

De eadem penes Latinos.

11. Occidentalis Ecclesia Hostiam dividit in partes tres, quarum unam in Calicem injectam Sacerdos sumit cum Sanguine, reliquas duas sumit seorsum a Sanguine, qui Calice continetur. Atque hæc est disciplina, quæ invaluit: neque tamen idem semper est factitatum; olim enim Hostia in tres dividebatur partes, quarum una immittebatur in Calicem, alteram manducabat Sacerdos, tertia, quia qui consecrabatur panis, major erat & latior, quam quo nunc utimur, in plures frangebatur particulas adstantibus, vel infirmis communicandis; cujusmodi Ritus etiamnum extant in Missa solemni Summi Pontificis quædam vestigia, & in Missa quæ celebratur in Consecratione Episcopi. Summus Pontifex, cum solemniter celebrat, Hostiam in partes dividit tres; ex his unam immittit in Calicem; ipse sumit alteram; tertiam in duas dividit particulas, communicandis Diacono & Subdiacono: in Episcopi autem Consecratione, Episcopus consecratus Hostiam in tres partes dividit, quarum unam injicit in Calicem, altera ipse se, tertia Episcopum, qui consecratur, communicat, ut videre est apud Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 11. n. 4. & lib. 2. cap. 15. n. 4. & in Pontificali Romano de Consecratione Episcopi. *Ritus antiquiores, cujus exstant reliquiæ in Missa Romani Pontificis, & in Consecratione Episcopi.*

Rationes mysticæ dividendi Hostiam in tres partes.

12. Tertio, plures rationes mysticas sacrorum Rituum Scriptores afferunt, cur Hostia in tres partes frangatur, quas vide apud S. Bonaventuram tract. de Expos. Missæ cap. 4. §. *Sed antequam*, Ernulphum Episcopum Roffensem in Epist. ad Lambertum in Spicilegio Dacherii tom. 2. Hugonem de S. Victore lib. 2. de Sacramentis cap. 10. Nos vero satis esse putamus, quæ hac de re scripsit D. Thomas, afferre. Itaque 3. par. q. 83. art. 5. ad octavum, sequutus Can. *Triforme* de Consecrat. dist. ait S. Doctor, Hostiam, quæ immittitur in Calicem, significare in Cælo cum corpore & anima esse Christum, B. Virginem, & qui si alii Sancti cum corporibus sunt in gloria: partem, quam sumit Sacerdos, innuere ambulantes adhuc in terra, qui Sacramentis utuntur, & ita *passionibus conteruntur*, ut panis comesus dentibus atteritur; tertiam denique partem, quæ olim in Altari pro infirmis reservabatur, significare eos, quorum corpora usque ad judicii diem jacebunt in sepulcro, animæ vero sunt vel in Purgatorio, vel in Cælo. Nec absimilis est explicatio Innocentii III. qui lib. 5. Mysterior. Missæ cap. 3. ita scribit: *Una pars est ipsum Caput*,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

put, videlicet Christus, qui & Caput est & pars Corporis. Altera pars sunt illi, quorum corpora requiescunt in tumulis, & animæ regnant cum Christo &c. Tertia pars in Calicem ponitur, significans eos, qui adhuc in passione consistunt, donec ab hac vita migrantes ad Caput suum transeant, ubi nec moriantur amplius, neque ullatenus patiantur. Addit D. Thomas, obsoleviſſe ætate ſua conſuetudinem reſervandi uſque ad finem Miſſæ tertiam Euchariſtiæ partem, eandem nihilominus ſtare ſignificationem: *Hic tamen Ritus non ſervatur modo, ut ſcilicet una pars ſervetur uſque ad finem Miſſæ, propter periculum; manet tamen eadem ſignificatio partium.* Illud etiam tradit D. Thomas, quoſdam fuiſſe, qui dicerent Hoſtiæ partem, quæ injicitur in Calicem, eos, qui adhuc vivunt in terris, ſignificare; earum vero, quæ extra Calicem remanent partes, alteram quæ reſervatur, plene beatos ſignificare quantum ad animam & corpus, alteram quæ comeditur, ſignificare ceteros. Vide Sylvium in 3. part. D. Th. q. 83. art. 5.

Myſtica ſignificationes trium ſignorum Crucis cum Hoſtiæ particula ſuper Calicem, antequam in illum immittatur.

13. Quarto, Sacerdos dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, atque ad hunc modum ſalutat Populum, ad quem idcirco ſe non convertit, quod in fractione Hoſtiæ ſit occupatus, eique per meritum Hoſtiæ, quam fregit, ita benedicit, & tria Crucis ſigna ducit ſuper Calicem, quibus vel innuitur Chriſtum Jeſum tertia die ad vitam rediiſſe, ut loc. cit. *ad tertium* docet D. Thomas: *Repræſentatur Reſurrectio tertia die facta per tres Cruces, quæ fiunt ad illa verba: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum;* vel ſignificatur, ſanctiſſimam Trinitatem Chriſti crucifixi animam ejus corpori reddidiſſe. *Et ideo* (ait Innocentius III. lib. 6. Myſterior. Miſſæ cap. 2.) *ter ſignum Crucis producitur cum Hoſtia ſuper Calicem, quia virtus Trinitatis animam Crucifixi reduxit ad carnem, ne derelinqueret animam ejus in inferno, nec daret carnem ejus videre corruptionem*; vel tres ſignificantur ſanctæ mulieres, quæ Chriſtum quærebant ad oſtium monumenti, ut eodem loco pergit Innocentius III. his verbis: *Vel ideo tres Cruces fiunt cum Hoſtia ſuper os Calicis, quia tres mulieres quærebant Crucifixum ad oſtium monumenti: unde, Quid quæritis viventem cum mortuis? Os ergo Calicis in hoc loco ſignificat oſtium monumenti.*

Olim Epiſcopus, & apud Mozarabes quilibet Sacerdos ante ſumtionem Euchariſtiæ benedicebat Populo.

14. Olim conſuetudo erat, ut Sacerdos antequam diceret, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, benedictionem daret, quam Scriptores de ſacris Ritibus Epiſcopalem appellant, quod ad Epiſcopum tantum pertineant. Hujuſmodi Ritus deducitur ex vetuſtis Miſſalibus, quæ probe inſpexit Cardinalis Bona, qui lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 16. num. 4. ait, ex libro quodam Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ ante nongentos annos ſcripto ſe didiciſſe, morem fuiſſe quondam in hac Miſſæ parte indicendi jejunia quæ eſſent obſervanda, & preces, quæ pro hoc vel illo fieri deberent. Juxta Mozarabum Ritum non Epiſcopi duntaxat, ſed etiam cujuſque Sacerdotis celebrantis erat hujuſmodi benedictionem populo impertiri. Quamobrem in Concilio Toletano IV. can. 18. hæc habentur: *Nonnulli Sacerdotes poſt dictam Orationem Dominicam ſtatim communicant & poſtea benedictionem Populo dant; quod deinceps interdicimus: ſed poſt Orationem Dominicam, & conjunctionem Panis & Calicis, benedictio in Populum ſequatur.* Videatur Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 4. num. 13. qui illud etiam obſervat num. 14. hunc Mozarabum Ritum ad Eccleſiam quoque Gallicanam permanaſſe. De Epiſcopali benedictione in hac Miſſæ parte agit accuratiſſime Hugo Menardus in Notis ad Sacramentar. S. Gregorii pag. 27. *Antiqua olim fuit conſuetudo, ut Epiſcopus, antequam Euchariſtiam perciperet, Populum benediceret quibuſdam conceptis precationibus, ut in toto hoc Sacramentorum libro videre eſt, necnon in Codicibus Rodradii, Remigii, Ratoldi, & Tiliano; atque etiam in Ordine Romano, ſicut & in veteri Pontificali Romano dedicato Leoni X. Pontif. Maximo;* ubi etiam fallacia illa quorumdam Scriptorum deprehenditur, qui hanc benedictionem confundunt cum ea, qua Sacerdos Populo benedicit in fine Miſſæ.

Pars Hoſtiæ immittitur in Calicem auctoritate vetuſtiſſimarum Liturgiarum.

15. Quinto, Hoſtiæ pars in Calicem immittitur ex vetuſtiſſimarum Liturgiarum auctoritate & antiquiſſimorum Conciliorum; atque ita præſcribitur in Liturgia S. Jacobi, & in Concilio Arauſicano anno 441. De fermento alibi diſſeruimus, quod ex una ad aliam Eccleſiam, & a Summo Pontifice ad ſuburbicarios Epiſcopos mittebatur; alibi etiam oſtendimus, hoc fermentum Euchariſtiam fuiſſe; atque hic opus eſt illud addere, quod, ut in prioribus duobus Romanis Ordinibus legitur, Papæ ad Altare proficiſcenti, ut ſolemniter celebraret, ſanctiſſima Euchariſtia in parvo quodam Ciborio exhibebatur, quam ante initium Miſſæ adorabat, atque ejus particulam in Calicem immittebat cum diceret, *Pax Domini* &c. neque hæc Euchariſtiæ erat pars, quam ipſe in Miſſa, ſed quam alius in alia Miſſa Sacerdos conſecraverat, & in Ciborio aſſervata fuerat. Atque ſe ita rem habere ex eo oſtenditur, quod cum diceret *Pax Domini*, nondum fracta eſſet Hoſtia, quam ipſe in Miſſa conſecraverat.

Romanus Pontifex & Epiſcopus ſuburbicarius, ille Euchariſtiam in alia Miſſa conſecratam, hic Euchariſtiam ſibi miſſam a Papa in Calicem immittebat, deinde partem Hoſtiæ a ſe in Miſſa conſecratæ.

16. Ea vero Hoſtia poſtea frangebatur, ejuſque particula item immittebatur in Calicem: nam ſemper tum Epiſcopus ſuburbicarius præter Euchariſtiam a Pontifice ſibi miſſam, tum Summus Pontifex præter Euchariſtiam præcedentibus diebus confectam, quæ illi ante Miſſæ celebrationem adoranda exhibebatur, Hoſtiæ particulam in Miſſa, quam celebrarent, conſecratam in Calicem immittebant. Verba Ordinis primi Romani num. 18. & 19. hæc ſunt: *Cum dixerit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, faciens Crucem tribus vicibus manu ſua ſuper Calicem, mittit ſancta in eum*, ideſt particulam Hoſtiæ in alia Miſſa conſecratam. *Tum Pontifex rumpit Oblatam*, quam ſcilicet in eadem Miſſa conſecravit. *Expleta confractione &c. de ipſa ſancta, quam momorderat, ponit in calicem dicens, Fiat commixtio.* Et conſentit cum iis ſecundus Ordo Romanus num. 12. & 13. *Cum dixerit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, mittit in Calicem de Sancta Oblata. Sed Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori. Deinde ceteri per ordinem, & Populus, ſeparatim viri & fœminæ. Tunc Pontifex rumpit Oblatam &c. Expleta Confractione &c. De ipſa ſancta, quam momorderit, ponit inter manus Archidiaconi in Calicem faciens Crucem ter dicendo: Fiat commixtio.* Vide Le Brun tom. 1. pag. 584. & ſeq. Accurate more ſuo tractat hoc argumentum Mabillonius in Commentar. ad Ord. Romanum art. 6. n. 1. ubi poſtquam allata ex Ordinibus Romanis verba expendit, ait: *Duplex itaque particula mittebatur in Calicem, una ſcilicet ante Oblatæ fractionem, alia poſt fractionem ex ipſa Oblata. Adeoque prima nihil aliud eſſe videtur, quam particula ex antea conſecrata Euchariſtia, quam Pontifex ad Altare procedens adoraverat in Capſa oſtenſam &c. Conſtat igitur duplicem Euchariſtiæ particulam fuiſſe immiſſam in Calicem, unam ex priori, ut quidem opinor, conſecratione, alteram ex præſente.* Hujus deinde ritus cauſam ſcrutatus quærit, *Cur particula ex Euchariſtia ſervata immiſſa fuerit in Calicem?*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cem? & respondet: *Fortasse ut sacrificii unitas & perpetuitas hoc ritu inculcaretur*. Denique rationem affert, cur in Calicem pars injiceretur Fermenti, seu Eucharistiæ, quam Sacerdotibus Episcopus, & Pontifex Episcopis suburbicariis mittebat dicens, *hoc ritu Sacrificii unitatem commendari, atque unionem Pontificis cum Sacerdote, qui Sancta prius consecrasset, & Episcopi cum Pontifice, Fermenti, idest Eucharistiæ particulam a Pontifice antea consecratam in Calicem immittentis*.

Immissio particulæ in Calicem plena mysterii.

17. Sexto, Actio hæc particulam Hostiæ immittendi in Calicem est plena mysterii. In Missa usque ad hanc, de qua loquimur, partem Jesu Christi Passio & mors repræsentatur per Consecrationem Corporis & Sanguinis separatim factam, vi Consecrationis sub speciem panis Corpore Christi, & sub vini speciem Sanguine subeunte: & quamvis separatio hæc tantummodo mystica sit, neque enim ex ipsa Corpus est sine Sanguine, nec Sanguis vicissim sine Corpore; tamen mystica hac separatione Corporis a Sanguine, & Sanguinis a Corpore expresse Christi Passio & mors nobis repræsentatur. Reliquum erat, ut gloriosa exprimeretur Christi Resurrectio; neque id concinnius fieri poterat, quam si Hostiæ particula immitteretur in Calicem, atque ita Corpus iterum conjungeretur cum Sanguine, quod bene observavit Micrologus De Ecclesiast. Observationibus cap. 17. *Unam* (fractæ Hostiæ partem) *in Calicem faciendo Crucem mittere debet cum dicit: Pax Domini sit semper vobiscum; ad designandum corporis & animæ conjunctionem in Resurrectione Christi:* & consentit Innocentius III. cit. cap. 2. *Commixtio panis & vini designat unionem carnis & animæ, quæ in Resurrectione Christi denuo sunt unitæ*.

Erat ritus originem non esse referendam ad ritum exhibendi Communionem sub utraque specie, sed aliunde.

18. Hujus actionis quidam originem referunt ad Ritum exhibendi Populo Communionem sub utraque specie; nam si vinum consecratum deficeret, vinum infundebatur non consecratum in Calicem, eoque particula injiciebatur Hostiæ consecratæ, idque vinum, si non consecratum, saltem sacræ contactu Hostiæ benedictum Populo præbebatur. Ita Pouget Instit. Catholicar. tom. 2. pag. 876. atque eadem habentur in Catechismo Montispessulani pag. 633. & apud Vertum tom. 4. pag. 268. Catechismi illius Auctor reliquis duobus est tempore prior; proxime post eum scripsit Vertus, qui valde illum laudat, quod commixtionis in Calice Corporis cum Sanguine originem repererit: postremus scripsit Pouget, qui hanc sententiam est amplexus, quin ullum ejus nominet Auctorem. Nos vero profitemur, non alio ritum hunc immittendi in Calicem particulam Hostiæ referri, quam ad causam repræsentandæ Resurrectionis Christi. Neque enim satis nobis firmum videtur hujusmodi argumentum: Cum olim Eucharistia sub utraque specie Populo præberetur, si vinum deficeret, infundebatur vinum non consecratum in Calicem, & illuc sacræ Hostiæ particula immittebatur; igitur inde factum est ut Sacerdos in Missa injiciat in vinum consecratum Hostiæ Sacræ particulam. Nam primum illud verum esse potest, quin sit causa alterius; & ut affirmari possit esse causam, demonstrare oportuit, fuisse prius tempore; quin immo etiamsi multo antea usurpatum fuerit, necesse est vetusta & sincera afferre documenta, quæ luculenter ostendant, illud posterius a priore manasse. Sed de his, quæ certe opus sunt ad illud argumentum constabiliendum, nihil loquitur illius Auctor Catechismi, nihil Vertus, nihil Pougetus. Alibi de Præsanctificatorum Missa disseruimus, quæ in Occidentali Ecclesia Feria sexta in Parasceve celebratur. In ea Missa in vinum non consecratum pars injicitur Hostiæ die proxime anteacta consecratæ; porro alibi etiam ostendimus, nullo fulciri fundamento eorum sententiam, qui putabant vinum sacræ Hostiæ contactu consecrari; quod argumentum pertractavit Martene de antiquis Eccl. Ritib. lib. 1. cap. 4. art. 10. num. 11. Nos autem hæc non eo dicta volumus, quasi existimemus Auctorem Catechismi, Vertum, & Pougetum eam sententiam instaurare voluisse, quæ statuit vinum non consecratum sacræ Hostiæ contactu consecrari; diserte enim ii dicunt, eo contactu fieri duntaxat benedictum. Sed de ritu illius Feriæ sextæ idcirco hic mentionem fecimus, & ideo diximus, particula Hostiæ, quæ illo die in Calicem immittitur, vinum per contactum non consecrari, ut ea, quæ in Commentario de Festis scripsimus, cum de Festo ageretur Feriæ sextæ in Parasceve, confirmaremus. Itaque ne longius a proposita quæstione digrediamur, nobis ea non arridet sententia, e consuetudine nimirum immittendi sacram Hostiam in vinum non consecratum, cum deficeret consecratum, Ritum illum ortum esse, ut in Missa Sacerdos particulam sacræ Hostiæ in sanguinem immittat. Nobis adstipulatur Le Brun tom. 1. pag. 583. atque ad ea quæ ille affert, liceat nobis addere, cum Populus sub utraque specie communicari consueverat, quod justam non liceret mensuram parare vini consecrandi, consuetudinem esse introductam ad sanguinem vinum non consecratum adjicere; neque enim deerant rationes, ut alibi dicemus, cur creditum sit ejusmodi commixtione vinum consecrari. Neque inficiamur aliquando Hostiam non modo in sanguinem, quod etiam num Græci faciunt, sed etiam in vinum fuisse intinctam. Verum hoc non licebat facere, nisi cum aut pueris, aut infirmis panis consecratus præbendus esset, qui eum non poterant deglutire, ut observat Cardinalis Bona cap. 18. lib. 2. Rerum Liturgic. num. 3. *Erat autem duplex intinctio, una cum sanguine, altera cum vino communi, & hæc etiam aliquando viguit pro pueris, & infirmis: qui panem siccum deglutire non poterant*. Præterea secluso hoc casu Panem consecratum in commune vinum intingere sacræ vetabant leges, ut videre est in Canone *Cum omne* de Consecrat. dist. 2. idque abunde probant Micrologus in suis Observationibus cap. 19. Cardinalis Bona loc. cit. & Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missæ Sacrificio cap. 27. §. *Quarto objicit*. Quæ cum ita sint, quis jure contenderit, ex consuetudine, quæ in uno casu tantum toleratur, reprobatur vero in ceteris omnibus, adeo sacrosanctum Ritum traxisse originem, cujusmodi est in Missa particulam sacræ Hostiæ in vinum consecratum immittere, quod omnes præscribunt Liturgiæ, semperque in Missa usurpatum? Nec quidquam juvat dicere, Leges quidem Canonicas generatim vetasse, ne sacra Hostia in commune vinum intingeretur, non tamen prohibuisse, ne immitteretur in vinum non consecratum, ut cum deficeret vinum consecratum, Populo Sacramentum sub utraque specie præberetur. Verum ne hic quidem modus alter probabatur. Ita enim Populo revera vinum tantummodo benedictum, non consecratum præbebatur, licet Populus existimaret, se Sacramentum accipere sub specie sanguinis. Quod si forte dubitaretur, ne deesset Populo vinum consecratum, facile id suppleri poterat vinum commune addendo ad vinum consecratum. Quamobrem si etiam alter modus legibus prohibebatur, rursus robur suum constat argumento, non potuisse sanctissimum hunc ritum inde suam trahere originem.

Explicatur Oratio illa: Hæc commixtio &c.

19. Septimo, Sacerdos dum particulam immittit in Calicem, hanc submissa voce dicit Orationem: *Hæc commixtio & Consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.* Quæ oratio Feria sexta Majoris Hebdomadæ omittitur; Hostia enim, ut alibi dictum est, in vinum non consecratum immittitur. Innocentius III. cap. 2. lib. 6. Mysteriorum Missæ ita explicat vocem *commixtio*, ut referri debeat *ad species panis & vini, quibus continetur Corpus & Sanguis.* Difficilius explicatur altera vox *Consecratio.* Hanc orationem habent omnes Ordines Romani, Amalarius, & Micrologus. Carthusiani eam non recitant; quod ostendit, Ecclesias Galliæ, etiam si Ritum Romanum essent amplexæ, eam orationem omisisse, ut notat Le Brun tom. 1. pag. 589. Et Pouget tom. 2. pag. 880. testatur in quibusdam Galliæ Ecclesiis omitti vocem *Consecratio*. Bellarminus loc. cit. cap. 27. Orationis, & illius vocis: *Consecratio* vetustatem probat, quam vocem ita explicat: *Neque habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur; non enim petimus, ut nunc fiat Consecratio, sed ut Consecratio antea facta sit nobis ad vitam æternam salutaris.* Illud etiam animadversione dignum est, quod, cum Corpus consecratum sub specie panis Consecratio Corporis dicatur, & Sanguis consecratus sub specie vini dicatur Consecratio Sanguinis (quamobrem S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 41. S. Laurentium Diaconum inducit cum S. Xysto Papa ita colloquentem: *Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis Consecrationem*) Corpus & Sanguis in Calicem simul commixta dici possunt Consecratio Corporis & Sanguinis, ut advertit idem Le Brun pag. 589.

Orationem Agnus Dei Pontifex Sergius I.

20. Sacerdos dicta Oratione, *Hæc commixtio*, inclinatus in Sacramentum manibus junctis, dicit *Agnus Dei*, ter sibi pectus percutiens; & antequam sumat Eucharistiam, tres alias dicit Orationes, quarum prima expleta, si danda sit Pax, dicit *Pax tecum*; quique accipit pacem respondet, *Et cum spiritu tuo.* S. Joannes Baptista cum primum vidit Christum, eum vocavit *Agnum Dei*: *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Alibi diximus Orationem *Agnus Dei* primo in Missam a Sergio I. fuisse introductam; quod nunc confirmamus auctoritate D. Bonaventuræ in Expos. Missæ cap. 4. *Sequitur Agnus Dei, quod Sergius Papa instituit.* Alibi etiam docuimus, quamobrem ad tertium *Agnus Dei* non dicatur *Miserere nobis*, sed *dona nobis pacem*. Pectus sibi percutit Sacerdos in signum contritionis cordis sui, non modo cum dicit *miserere nobis*, sed etiam cum dicit *dona nobis pacem*, fortasse quia olim tertio itidem dicebatur *miserere nobis*. In Missis Defunctorum juxta nostram Rubricam Sacerdos non percutit sibi pectus, neque dicit *miserere nobis*, sed *dona eis requiem*, ut ostendat, Defunctorum se magis quam sui esse memorem; ut advertit Hugo de S. Victore lib. 3. de Missa cap. 37. cui assentitur Gavantus in Notis ad Rubricas. Scribit Micrologus cap. 18. non ex antiqua summorum Pontificum institutione tres in Missa recitari Orationes ante Communionem, sed piorum & religiosorum hominum Traditione. Micrologo assentiuntur Bellarminus, Azorius, & Gavantus, quos refert ac sequitur Bellotte in Observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 622. num. 8.

De pace tur non datur in Missis Defunctorum.

21. D. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 4. *in corpore*, agit de Ritu dandæ Pacis ante Communionem & docet, Populum parari ad Sacramentum percipiendum per pacem: addit in Missis Defunctorum non dari pacem, quia in Missis Defunctorum non pro præsenti pace Sacrificium offertur, sed pro requie mortuorum, quæ est etiam ratio, quamobrem trium harum Orationum prima ex Rubricæ præscriptio omittitur: *Præparatus Populus per pacem &c. Est enim hoc Sacramentum unitatis & pacis. In Missis tamen Defunctorum, in quibus Sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, Pax intermittitur.* Observavit Albaspinæus de veteribus Ritib. lib. 1. observat 17. Missas Defunctorum non solemnes, sed privatas fuisse; Pacem vero dari consuevisse duntaxat in solemnibus. Pax etiam omittitur in signum mœroris in Missa Feriæ VI. in Parasceve: quamobrem Procopius in Historia arcana tradit, Justinianum & Theodoram infelici ostento cœpisse possessionem Imperii Feria VI. Majoris Hebdomadæ, cum non datur Pax.

Olim Pax dabatur per osculum.

22. Olim dabatur Pax cum osculo; cujus consuetudinis documenta reperias apud Sacrarum Cæremoniarum Scriptores, Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 16. Le Brun tom. 1. pag. 603. Pouget tom. 2. pag. 881. Menardum in Notis ad Sacramentar. S. Gregor. pag. 377. Casalium de veteribus Sacris Christianorum Ritibus cap. 59. Meratum tom. 1. par. 1. pag. 584. qui docent quando in Missis etiam privatis danda sit Pax; atque ad hanc rem multa e sacræ eruditionis penu depromsit Binghamus tom. 6. Originum seu antiquitatum Ecclesiasticarum pag. 299. & seqq. Osculi hujus causam affert Isidorus de Officiis Ecclesiast. lib. 1. cap. 15. *Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento Corporis & Sanguinis Christi consocientur, quia non recipit dissensionem cujusdam Christi indivisibile Corpus.* Viguit consuetudo dandæ pacis per osculum usque ad Innocentii Tertii tempora, qui ejus moris meminit lib. 6. Mysterior. cap. 5.

Nunc Pax datur per amplexum, vel exhibetur ad osculum Tabella cum imagine Crucifixi.

23. Nunc non amplius Pax datur per osculum, sed per amplexum, vel parva quædam præbetur ad osculum Tabella, quam quidam *Osculatorium* appellant, in qua Crucifixi imago depicta est. Card. Bona loc. cit. existimat osculo sive amplexum, sive Tabellæ osculum fuisse a Franciscanis Fratribus substitutum, qui cum aliquot mutassent Ritus, etiam hunc non sine ratione, propter malitiam hominum mutandum existimarunt. Ac de ea ratione, quamobrem mos introductus fuerit, ut ad osculum Tabella præberetur, consentit Bellotte in Observation. ad Ritus Ecclesiæ Lauduhensis pag. 624. num. 12. Christianorum enim oscula non quidem generali, sed singulari quorundam hominum malitia, in ejusmodi oscula abierant, quæ per viam sibi occurrentes Ethnici vicissim amicitiæ causa sibi offerebant; quam consuetudinem licet a Tiberio gravibus causis, teste Tranquillo, sublatam, quasi ex ipsa lege, qua prohibebatur, majores vires sumsisset, firmius invaluisse novimus ex Martiale lib. 7. epigramm. 94. ad Linum, & lib. 11. ad Basum 99. Sacerdos antequam det per amplexum pacem, osculatur Altare, ut ostendat se pacem dare non posse, nisi a Christo, cujus figura est Altare, pacem prius acceperit! Olim non Altare Sacerdos osculabatur, sed Hostiam; quem Ritum jam obsoletum qui nunc adhiberet, reprehensione non careret. De hujusmodi osculo, quod etiam Sanctum

appel-

appellatur, loquitur Apoſtolus cap. 16. ad Rom. Epiſt. 1. ad Teſſalonic. cap. 5. & 1. ad Corinth. cap. 16. *Salutate invicem in oſculo ſancto:* & B. Petrus Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 5. *Salutate*, inquit, *invicem in oſculo ſancto*. De eodem oſculo loquitur etiam Tertullianus lib. 1. de Oratione, & lib. 2. ad uxorem, Athenagoras Oratione ad Chriſtianos, D. Auguſtinus ſerm. 83. *de Diverſis*, Chryſoſtomus lib. 1. de Compunctione, Gregorius lib. 3. Dialogor. cap. 36. & Anaſtaſius Synaita Oratione de ſacra Synaxi. Græci dant pacem ante Præfationem, in Miſſa; ceterique Orientales, atque etiam Mozarabes. Apud Maronitas mos eſt, ut ante Præfationem Sacerdos pacem det Altari & ſacris Myſteriis dicens: *Pax tecum Altare Dei, & pax myſteriis ſanctis poſitis ſuper te*; deinde ad Miniſtrum: *Pax tibi Miniſter Spiritus Sancti*, cui Miniſter reſpondet: *Veni in pace, Pater noſter, Sacerdos candide;* poſtea in Populo Fideles ſibi viciſſim dant pacem. Vid. Perimezzium diſſert. 8. tom. 1. ubi de præſenti hac, quæ apud nos invaluit, conſuetudine cum Cardinali Bona conſentit.

CAPUT XXI.

De Communione Sacerdotis.

Vetuſtiſſimus eſt Ritus in Communione recitandi verba Centurionis: Domine non ſum dignus.

1. Dicta Oratione tertia, quæ incipit *Perceptio*, Sacerdos genuflectit, ſurgit, & voce ſubmiſſa dicit: *Panem cœleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo*; duobus ſiniſtræ manus digitis pollice & indice duas Hoſtiæ partes apprehendit, mediam tenens Patenam inter digitum indicem & medium; ac dextera ter ſibi pectus percutiens ter dicit clara voce: *Domine non ſum dignus*, terque ſubmiſſa voce ait, *ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*. Verba illa, *Panem cœleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo*, ſunt ex Pſal. 115. & illa, *Domine non ſum dignus* ſunt verba Centurionis, quem tradit Matthæus cap. 8. oraſſe Chriſtum Jeſum, ut domum ſuam veniret, ſuumque puerum ſanitati reſtitueret, in quibus verbis parva eſt quædam immutatio. Centurio enim dixit: *Sed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus*, Sacerdos vero: *Sed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*. Origenes Homil. 5. ad aliquot Evangelii loca meminit conſuetudinis recitandi ea verba ad Communionem: *Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ panem, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum ingreditur. Et tu ergo humilians te ipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*: Et Chryſoſtomus Homilia de S. Thoma Apoſtolo Fideles cohortans, ut pura mente Euchariſtiam accipiant, *Dicamus*, inquit, *Redemptori: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum animorum noſtrorum: quia tamen tu a nobis teneri vis, de tua freti indulgentia ad te accedimus*.

Actiones in ſumenda Hoſtia & bibendo Calice.

2. Poſtquam dixit ter, *Domine non ſum dignus*, pollice & indice dexteræ accipit duas Hoſtiæ partes a ſiniſtra manu, eademque Hoſtia ſe ipſe Crucis ſigno ſignat dicens: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam*, *Amen*: & ſe inclinans reverenter ſumit utramque Hoſtiæ partem, quibus ſumtis Patenam, quam uſque adhuc ſiniſtra manu tenuerat, deponit ſuper Corporale, & erigens ſe junctis manibus ante faciem, aliquantiſper quieſcit. Deinde depoſitis manibus dicit ſecreto: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quæ verba ſunt e Pſal. 115. diſcooperit Calicem, genuflectit, ſe erigit, accipit Patenam, inſpicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, ſi qua in eo ſint; pollice & indice dexteræ manus Patenam ſupra Calicem, & ipſos digitos extergit, ne quid in iis fragmentorum remaneat, dextera Calicem accipit, Patenam ſiniſtra tenens, & dicit: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo; laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero;* quæ poſtrema verba ſunt ex Pſal. 17. & ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice dicit: *Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen*: & manu ſiniſtra ſupponens Patenam Calici ad eam altitudinem ſublato, ut ex eo poſſit bibere, reverenter ſumit totum Sanguinem cum particula in eo poſita. Deinde ſecreto dicit Orationem: *Quod ore ſumſimus Domine*, & ſuper Altare portigit Calicem Miniſtro in cornu Epiſtolæ, quo vinum fundente, ſe purificat; poſtea vino & aqua pollices & indices abluit ſuper Calicem, quos purificatorio extergit, interim dicens: *Corpus tuum Domine, quod ſumſi &c.* deinde idem vinum & aquam ſumit.

Sacerdos ſtans Euchariſtiam ſumit.

3. Sunt quædam in actionum ſerie digna quæ conſiderentur. Quivis Epiſcopus ſeu Sacerdos ſtans Euchariſtiam ſumit; ſummus Pontifex itidem poſt fractionem Hoſtiæ *ad ſolium aſcendit* (ait Rocca tom. 1. pag. 10. Edit. Romanæ anni 1719.) *ibique conſiſtit, & ſtans erectus complicatis manibus Euchariſtiæ Sacramentum expectat*, nec prius ſedet quam os & digitos purificaverit: *digitis jam & ore inter hæc facienda purificatis, mitra inſignitus & ſedens lavat manus*. Conſonat Auctor tractatus de Miſſa & Divino Officio Pariſiis iterum editi ann. 1714. pag. 166.

De Communione Summi Pontificis.

4. Illud autem prætermitti non poteſt, Romanos quoſdam Pontifices in ſolemni Miſſa in ſolio ſedentes, facie ad Populum converſa, Euchariſtiam ſumere conſueviſſe, ut Chriſti Paſſio & mors exprimeretur, qui propalam paſſus & mortuus eſt in conſpectu omnium, quotquot nefariæ Crucifixioni adfuere; nunc vero Summum Pontificem, cum ſolemnem celebrat Miſſam, ſe alioſque communicare facit quidem ad Populum converſa, ſed pedibus ſtantem in ſolio, corpore tamen inclinato, cum & ipſe ſuſcipit, aliiſque præbet Euchariſtiam, quam corporis inclinationem tum debita veneratio, tum etiam ipſa neceſſitas poſtulat, cum Euchariſtia ceteris diſpertienda ſit, qui ad inferiores Cathedræ gradus in genua procidentes eam ſuſcipiunt. Hinc eſt, quamobrem Pontifex Populo procul & exadverſo in faciem eum adſpicienti videatur ſedens communicare, ut bene obſervavit poſt S. Bonaventuram Rocca de ſolemni Communione ſummi Pontificis, & Caſalius de veteribus Sacris Chriſtianorum Ritibus cap. 81. pag. 333. edit. Romanæ anno 1647.

Particulam Hoſtiæ immiſſæ in Calicem olim cum Sanguine, qui ſupereſſet, Epiſcopus ſumendum delinquebat Diacono & Subdiacono, & nunc Romanus Pontifex.

5. Epiſcopi etiam & Sacerdotes cum Sanguine ſumunt particulam quoque Hoſtiæ in Calicem immiſſam. Olim tamen alius erat Ritus Epiſcopis, qui eam particulam ſumendam relinquebant Diacono & Subdiacono cum Sanguine, qui ſupereſſet, ut obſervat Le Brun tom. 1. pag. 633. quem morem adhuc retinet in Miſſa ſolemni Romanus Pontifex, ut colligitur ex Cæremoniali, & teſtatur Cardinal. Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 17. num. 8. in fine.

De purificatione Calicis & digitorum.

6. De purificatione quæ poſt Communionem fit ſolo vino, loquitur Innocentius III. in cap. *Ex parte* de Celebrat. Miſſar. his verbis: *Semper*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eadem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret: e qua Decretali apparet, sacerdotem post Communionem vinum bibere. D. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 5. in responsione ad decimum de hac eadem purificatione ita loquitur: *Dicendum, quod vinum ratione humiditatis suæ est ablutivum, & ideo sumitur post susceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant; quod pertinet ad reverentiam Sacramenti.* Et meminit textus supra allati ex Innoc. III. Eodem loco loquitur etiam S. Doctor de digitorum ablutione cum vino & aqua, nec innuit hanc ablutionem a Sacerdote assumi: *Eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Christi tetigerat:* sunt verba S. Doctoris loc. cit. Durandus lib. 4. cap. 55. loquitur de ablutione digitorum in vino & aqua, & diserte ait, hanc ablutionem olim in locum mundum conjici consuevisse; nunc vero ob reverentiam Sacramenti, & propter periculum ne quod fragmentum digitis, aut Calici aliqua sanguinis gutta adhæserit, Sacerdos etiam vinum hoc bibit aqua mixtum, cum quo digitos sibi extersit, ut observat Gavantus ad Rubricas Missalis. Cardinalis Bona lib. 2. cap. 20. num. 1. ingenue fatetur incompertum esse, quid potissimum remotioribus ab hac ætate nostra temporibus majores nostri fecerint, ne quid de Sanguine in Calice, aut de Corpore in Patena restaret reliquiarum; tuto tamen dici posse, Ministros Altaris omnem adhibuisse diligentiam, ne quid remaneret præter particulas, quæ communicandis infirmis asservabantur. Itaque, ut jam diximus, nunc Sacerdos vinum sumit, seu, ut vocant, purificationem, & vinum & aquam seu ablutionem; ac ne quid remaneat de Corpore aut Sanguine, quod potissimum volumus, S. Pius V. ad Archiepiscopum Tarraconensem scripsit, sumenda esse ab ea Calicis parte, e qua haustus fuerit sanguis. Vide Septalam tract. de Myster. Missæ cap. 36. n. 10. Casum proponit Pontes Dictionar. Verbo *Missa* cas. 27. de Sacerdote, qui in regione vini minime feraci, ubi propterea vinum sit maximi pretii, tum in prima tum in secunda purificatione utitur sola aqua; ac quærit utrum peccet: respondet affirmando, quia facit contra præceptum & usum Ecclesiæ, & sacræ etiam Tridentinæ Synodi, quæ novos Ritus in Missa novasque cæremonias omnino prohibet, ritusque tantum ab Ecclesia usurpatos probatosque jubet adhiberi.

Purificatio digitorum olim non bibebatur, sed conjiciebatur in locum mundum.

Peccaret Sacerdos qui ad utramque purificationem aquam adhiberet.

7. Antequam de Sacerdotis Communione nostrum hunc sermonem concludamus, illud minime prætereundum arbitramur, quosdam esse Scholasticos, qui in Communione existimant Sacrificii essentiam consistere; ita ut Consecratio juxta eorum sententiam sit actio quædam prævia ac præparatoria ad sacrificium. Solido firmoque inniti fundamento videtur ea sententia, ita tamen ut Oblatio & Communio partes sint Sacrificii, ut scholæ loquuntur, integrales; quam opinionem magno apparatu validisque tuetur rationibus Auctor Collationum Lucionensium part. 5. collat. 13. quæst. 3. Sed ad D. Thomæ doctrinam propius accedere eam sententiam, quæ neque in Consecratione, nec in Sacramenti consummatione duntaxat, sed in utraque statuit Eucharistici Sacrificii essentiam, probant Salmanticenses Cursus Theolog. tom. 11. tract. 23. de Eucharist. disput. 13. dub. 2. ubi, qui plura velit, rem pro dignitate digestam reperiet.

Sacrificii essentia in Consecratione consistit.

Oblatio & Communio sunt partes integrales Sacrificii.

CAPUT XXII.

De Communione Populi.

1. SI qui eorum, qui Missæ adsunt, Eucharistiam velint percipere; postquam Sacerdos sumsit sub utraque specie Sacramentum, Minister recitat *Confiteor*, & Sacerdos ad eos, qui ad mensam accedunt Eucharisticam, conversus recitat Orationes *Misereatur vestri*, & *Indulgentiam &c.* ubi Minister responderit *Amen*, Sacerdos se ad Altare convertit, genuflectit, accipit Pyxidem, & dextera tenens Corpus Christi, conversus ad eos, qui Sacramenti fieri volunt participes, semel dicit: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata Mundi*, deinde ter dicit *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* Tum unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis supra Pyxidem, & singulis dicit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Unicuique autem, qui Eucharistiam sumserit, Minister vinum præbet, quo, si velit, hausto deglutire possit particulæ fragmenta, si quid ori vel gutturi hæserit. Disciplina est etiam passim recepta, ut mundum linteum Communicantibus apponatur, ut si forte Hostia aut ejus pars vel de manu Sacerdotis elaberetur, vel de ore ejus qui communicatur, mundus sit, quo possit decidere.

Ritus qui servantur a Sacerdote Eucharistiam ministrante adstantibus.

2. Fatetur Gavantus, nulla extare vetera monumenta, quibus probari possit, olim *Confiteor* ante Communionem dici consuevisse: hanc tamen consuetudinem valde probat. Et Le Brun tom. 1. pag. 644. ait, hunc ritum recitandi *Confiteor*, & Orationem *Misereatur vestri*, ortum e consuetudine Ordinum Mendicantium sæculo XIII. In Ordinatione Presbyteri, cum Episcopus eum communicat, omittitur *Confiteor*, *Misereatur*, & *Indulgentiam &c.* ut habetur in Pontificali Romano: *Presbyteri ante Communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici. Propterea, si non sunt alii Ordinati, confessio & absolutio prædictæ* (id est *Misereatur & Indulgentiam*) *omittuntur*; Episcopus autem ordinatum Presbyterum communicans ait: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam*; & Sacerdos respondet *Amen*; quæ verba quidam religiosæ cuidam tribuunt Traditioni; sed hunc ritum valde vetustum esse constat: nam in vita S. Gregorii, quam scripsit Joannes Diaconus, proditum est, dum S. Pontifex Eucharistiam cuidam fœminæ præberet proferens ea verba, eandem fœminam risisse; & interrogatam, quamobrem risisset, respondisse, nescire se, qui dici potuisset Corpus Christi esse illam particulam, quam ipsa obtulisset, suisque manibus, antequam offerretur, subegisset.

In ordinatione Presbyteri cum Episcopus eum communicat, non dicitur Confiteor.

Antiquus ritus dicendi: Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.

3. Locus hic fortasse est, ubi diversi exponantur modi, quibus Eucharistia antiquitus distribuebatur. Sed illud tantum observabimus, remotioribus ab hac ætate nostra temporibus Eucharistiam in manus communicandorum tradi consuevisse, qui postea eam in os sibi injiciebant: quamobrem Tertullianus libro de Idololatria exclamat adversus eos Christianos, qui Idola Gentibus effingebant: *Eas manus admovere Corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt. O manus præcidendæ!* Alia loca ex D. Cypriano collegit Pamelius Lib. 1. Liturgic. Nec illud prætermittendum est, cum viris tantum adhiberi consuevisse hujusmodi Ritum; fœminis enim tradebatur Eucharistia in linteum mundum, quod *Dominicale* appel-

Olim viris Eucharistia tradebatur in manus, fœminis in linteum mundum.

appellabant, seque ipsæ communicabant. Ad hunc Ritum respicit D. Augustinus serm. 252. de Tempore, edit. Lovan. novæ edit. 229. in appendice. *Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Corpus Christi accipiant, sic corpus castum, & cor mundum exhibeant.* Et in Concilio Antissiodorensi can. 36. habetur: *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere*; & can. 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat; quod si qua non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet.* Baronius ad ann. Christi 57. num. 146. observat, olim sumturis Eucharistiam quasdam mensulas spongia expolitas apponi consuevisse; & Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 17. n. 3. ait mensulis *hodie linteamina successisse, ut si quid forte decidat, his excipiatur.*

Vinum præbetur communicanti ad os extergendum, quæ consuetudo vetusta est.

4. Quoad vinum, quod jam Eucharistia refectis exhibetur, quo sibi os purificent, Vertus tom. 3. pag. 269. & seq. existimat, hanc consuetudinem reliquias esse Communionis, quæ sub utraque specie dabatur Populo. Verum Le Brun tom. 1. pag. 651. pluribus documentis probat, vinum exhiberi ad os extergendum, ut ne qua particula Hostiæ dentibus hæreat, ac monet cavendum a cerebrosis Verti opinionibus. Ad ea, quæ affert Le Brun, illud accedit, quod inter ea, quæ in D. Chrysostomo ejus inimici criminabantur, teste Palladio, cum accusarunt, quod *admonebat omnes, ut post Communionem aquam aut pastillum degustarent, ne cum saliva aut pituita aliquid e symbolo Sacramenti præter voluntatem expuerent, quod primus ipse faciebat.* Hæc S. Chrysostomi consuetudo postea confirmata fuit Monachorum Regulis, aliisque authenticis factis, quibus vel præscriptum, vel usurpatum est, quod D. Chrysostomus monuerat. Vide Martene cit. lib. 1. cap. 4. art. 10. n. 15.

Vertus confutatur.

5. Quæ omnia luculenter declarant, consuetudinem bibendi vinum post Communionem fuisse inductam vel ad os extergendum, vel ad Eucharistiæ fragmenta in stomachum facilius demittenda, si qua forte palato hæsissent aut gutturi, aut ne quod fragmentum expueretur; non autem ad retinendam aliquam faciem Communionis sub vini specie, ut putat Vertus; qui aliquo modo excusari posset si dixisset, vetitum esse, post sublatam Laicis Communionem sub utraque specie, ne deinceps iis purificatio exhibere.ur in Calice, ne crederent, bibendo ex Calice se Eucharistiam sub specie vini accipere: *In exhibenda Laicis sacra Communione paratum sit vas, quod formam Calicis non præseferat, ex quo sumatur ablutio post Communionem Eucharistiæ;* verba sunt Concilii Provincialis Bituricen. anno 1584. habiti in can. 12. tit. de Eucharistia. Et Concilium Aquense anno 1585. *Clericus, qui Confessionem recitavit, accepto vase purificationis, quod tamen non sit Calix ad Consecrationem paratus, sed cyathus, & mappa purgata, alia manu teneat aliud vas, in quo vinum sit pro purificatione Communicantium.* Illud hic addi posse videtur, quosdam Parochos, cum duas eadem die Missas sibi celebrare opus esset, puta quia duas Parochias regerent, consuetudinem introduxisse in prima Missa purificandi Calicem cum vino, quod ob reverentiam Sacramenti loco vini quod Populo exhiberi solet in poculo alius formæ, bibendum offerebant in ipso Calice Laico cuidam, qui sacrum sumsisset panem Eucharisticum; quod improbatum & minime ferendum esse docet Cardinalis de Lugo lib. 1. dub. 10. Responsionum Moralium.

Ex Missa, in qua nemo communicat, Eucharistia non distribuenda.

6. Deinceps de consuetudine ministrandi Eucharistiam Fidelibus post Missam, seu etiam nulla celebrata Missa, & utrum Sacramentum in Missis Defunctorum possit distribui, differemus. Nunc vero pauca quædam dicere placet de Missa, in qua nemo adstantium Eucharistiam suscipit, tum etiam de hodierna disciplina, quæ adstantes omnes, vel eorum aliquis sub specie panis duntaxat Christi Corpus suscipit. Duo enim hæc ad Populi Communionem pertinent, de qua nunc loqui instituimus.

Missæ & de Communione sub specie panis tantum.

Missa privata dici potest multipliciter.

7. Nostri Controversiarum Scriptores observant, Missam multifariam dici posse privatam; vel quia in privato loco, vel quia non in die Festo celebratur; vel quod privatæ cuidam personæ Medius Missæ fructus applicatur; vel quod ei Missæ pauci adsint; vel quod non ad Altare princeps Ecclesiæ celebratur, nec Parochialis est seu Conventualis; vel denique quod solus Sacerdos suscipit Eucharistiam, nec quisquam alius communicat.

Privata Missæ abroganda consilium Lutherus accepit a Diabolo.

8. Adversus Missas, quæ ideo privatæ dicuntur, quod in iis solus Sacerdos nec quisquam alius Sacramentum suscipit, calumnias evomuere suas Lutherus tractatu de abroganda Missa privata, Calvinus lib. 4. Institut. cap. 18. & Kemnitius in Examine Concilii Tridentini. Nefarium hujusmodi abrogandæ Missæ privatæ consilium ipse Lutherus in eodem tractatu pag. 236. & seq. ab ipso Dæmone accepisse se quodammodo fatetur; narrat enim ea de re se venisse in colloquium cum Diabolo, ejusque victum esse argumentis, quibus connisus est demonstrare, veram esse Idololatriam eam Missam, in qua solus Sacerdos communicat; Fridericum Electorem Saxoniæ, qui venenatis Lutheri opinionibus suum jam infecerat animum, ubi intellexit agi de privata Missa abroganda, in qua solus Sacerdos Sacramentum suscipit, stupore quodam esse perculsum, atque ægre passum esse, fieri Witembergæ Decretum de ejusmodi Missa privata abolenda. Vide Continuat. Hist. Ecclesiast. Fleury tom. 26. pag. 49. & sequen.

Decretum Tridentinum de Missis privatis.

9. De hujusmodi Missis privatis sacrosanctum est firmissimisque nixum fundamentis Tridentinæ Synodi Decretum 6. sess. 22. de Sacrif. Miss. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis Populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.* Et ejusdem sessionis can. 8. *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, adeoque abrogandas, anathema sit.*

Olim soli Communicantes sacris Mysteriis intererant.

10. Declarat sancta Synodus Tridentina, se optare, ut Missæ adstantes Fideles Eucharistiam suscipiant; neque enim quisquam jure negaverit hanc fuisse veterum Christianorum disciplinam: *Sciendum est quod soli communicantes Divinis Mysteriis interesse consueverant. Unde & ante Oblationem juxta Canones jubebantur exire Catechumeni, & Pœnitentes, videlicet qui nondum se paraverant ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post Communionem pro solis communicantibus orare videtur. Nec Communio dici*

po-

poteſt, niſi plures de eodem ſacrificio participent: Hæc ſunt Micrologi verba cap. 51. quæ reſpiciunt ad illa Canonis Miſſæ; *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. Ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur*; & ad eam Orationem poſt Communionem: *Quod ore ſumſimus, Domine, pura mente capiamus &c. ſatiaſti familiam tuam muneribus ſacris &c.* De laudabili antiqua conſuetudine, qua adſtantes Miſſæ Sacramentum ſuſciperent, extant argumenta in Apologia ſecunda Juſtini Martyris; qui ait, Euchariſtiam præſentibus diſtribui, & ad abſentes a Diaconis perferri conſueviſſe; & in can. 10. ex iis qui dicuntur Apoſtolici, & can. 28. Concil. Illiberitani, & can. 10. Concilii Antiocheni ſub Julio I.

Euchariſtiam adſtantes omnes olim accipiebant.

11. In Germania, & alibi fortaſſe, IX. Sæculo quidam, qui pluribus eadem die Miſſis intererant, in earum ſingulis Euchariſtiam percipiebant, quod tradit Walfridus Strabo cap. 22. de rebus Eccleſiaſt. *Quia de communicandi varietate quædam præmiſimus, hoc addendum videtur, eſſe quoſdam, qui ſemel in die communicare, etiamſi pluribus interfuerint Miſſis, pro dignitate Sacramentorum ſufficere credunt; eſſe vero alios, qui ſicut in una, ſic in omnibus, quibus adfuerint, Miſſis in die communicare velint. Quorum neutros culpandos exiſtimo; quia ſicut Auguſtinus ait de his, qui quotidie communicant, & illis qui rarius, iſtos reverentia ſanctarum retrahit rerum, illos vero amor ſalubrium invitat Sacramentorum. Nam & ipſe Sacerdos, quoties in die Miſſas facit, communicare non omittit. Quod ſi non faciat, Canonico eſt feriendus judicio.*

In Germania 9. ſeculo, qui pluribus Miſſis adeſſent, in ſingulis communicabant.

12. Itaque ſanctum & juſtum eſt S. Synodi deſiderium, ut qui Miſſæ interſunt, Sacramentum omnes percipiant; æque autem ſanctum æquumque eſt quod deinde addit, ſe nimirum etiam eas Miſſas probare & commendare, in quibus ſolus Sacerdos communicat, anathemate illum feriens, qui dixerit eas illicitas eſſe & abrogandas. Et ſane ad ſacrificii eſſentiam non pertinet, ut ei aliqui interſint, & de Sacramento participent; omne enim Sacrificium ad Deum refertur, & ejus fructus æque ad eum, qui abeſt, quam ad eum qui adeſt, pervenire poteſt; cum præſertim ſacrificium efficaciſſima ſit Oratio; poteſt autem Oratio eum adjuvare, qui neſciat etiam ſibi eam fieri orationem.

Tridentina Synodus cupit adſtantes communicare.

Probat tamen Miſſas etiamſi nullus ex adſtantibus communicet.

13. His aliiſque validiſſimis rationibus, quas videre licet in Collat. 15. Lucionenſi par. 5. q. 1. probant noſtri Controverſiarum Scriptores, validum & legitimum eſſe ſacrificium Miſſæ, etiamſi ſolus Sacerdos Euchariſtiam ſumat, & adſtantes Sacramento aliter non communicent. Neque conjecturæ deſunt ad hanc rem ex ſacra Antiquitate depromptæ. Chryſoſtomus Homil. 3. in cap. 1. Epiſt. ad Epheſios: *Fruſtra*, inquit, *habetur oblatio quotidiana, cum nemo ſit, qui participet. Quiſquis Myſteriorum conſors non eſt, imprudens & improbus adſtat.* Item: *Si quis ad convivium vocatus manus quidem laverit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum guſtaverit, nonne infert contumeliam convivatori, a quo fuerit vocatus? Annon ſatius fuerit eum, qui talis eſt prorſus non comparuiſſe?*

Sacrificium Miſſæ legitimum eſt etiamſi ſolus Sacerdos communicet.

14. Hoc in loco S. Doctor eos reprehendit, qui Miſſæ intererant, nec tamen communicabant, quod cum S. Tridentina Synodo conſentit, quæ optat ut ii, qui Miſſæ interſunt, Euchariſtiam percipiant. Verum non eo progreditur S. Doctor ut dicat, Miſſam non eſſe quotidie celebrandam, quod quotidie adſtantes non communicent: ex quo licet arguere, eum neque illiciram, neque invalidam, immo licitam validamque eam Miſſam, ut definivit Concilium Tridentinum, exiſtimaſſe, in qua ſolus Sacerdos communicat. Ait quidem S. Chryſoſtomus: *Fruſtra ſit Oblatio;* verumtamen vox *fruſtra* non ad Sacrificium, ſed ad Oblationem refertur: celebratur enim Miſſa, partim ut Deo ſacrificium offeratur, partim ut ſacro Euchariſtico pane Populus recreetur; quod ſi nemo ſit, qui communicet, Sacramentalis quidem Populi Communio ſuo caret effectu, non caret tamen Sacrificium Miſſæ, ut egregie reſpondet Bellarminus tom. 3. Controverſ. lib. 6. de Sacrif. Miſſæ cap. 10. *Dico, illa verba, fruſtra ſit Oblatio quotidiana, non ſignificare abſolute oblationem fruſtra fieri, ſed fruſtra quatenus ordinatur ad Communionem. Nam cum celebratio Miſſæ partim ordinetur ad ſacrificium Deo offerendum, partim ad Populum ſacro illo pane reficiendum, cum nulli ſint qui communicent, fruſtra ſit, quatenus ordinatur ad poſteriorem finem, ſed non ſit fruſtra quatenus ordinatur ad finem priorem. Itaque Chryſoſtomus, etiamſi dicat fruſtra fieri, non tamen omittebat quotidie ſacrificare, quod certe feciſſet, ſi abſolute fruſtra fieri exiſtimaſſet.*

Lætus ex Chryſoſtomo explicatur.

15. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sæculi XIII. & XIV. diſſert. 13. hanc explicationem illius loci aliis locis ex Chryſoſtomi Operibus confirmat. Itaque hæc omnia ita in compendium conferri poſſunt. Vel ad licitum validumque ſacrificium opus eſſe contenditur, ut omnes adſtantes Sacramentum percipiant, idque qui affirmant, multum veri fines prægrediuntur: ſemper enim plures, etiam felicioribus Eccleſiæ temporibus, fuere, qui Miſſæ quidem aderant, nec tamen participes eſſe poterant Euchariſtiæ; quamobrem antiquitus Diaconus ante Communionem alta voce edicebat, quod etiamnum uſurpatur in Eccleſia Græca: *Sancta Sanctis*; & D. Chryſoſtomus Hom. 67. ad Populum refert, *Diaconum Communionis tempore terribili clamore, quaſi quemdam præconem manum in altum tollentem clamaſſe: Sancta Sanctis: Si quis non Sanctus, non accedat*: ut videlicet innueret non niſi mundos, culpiſque vacuos ad communicandum accedere debere. Vel ad licitum & validum Sacrificium opus eſſe dicunt, ut quotquot adſunt, & ab omni peccati macula mundi ſunt, Sacramentum accipiant: id vero conciliari non poteſt cum veteſtis Canonibus, quos alibi indicavimus, & refert Martene lib. 1. cap. 4. art. 10. num. 2. qui Canones, refrigerato jam fidelium animo, qui quondam quotidie Euchariſtiam ſuſcipiebant, ſtatuunt quaſdam ſolemnitates, quibus Sacramentum percipere debeant. Vel denique ad licitum & validum Sacrificium opus eſſe volunt, ut ex iis, qui bene diſpoſiti ſunt, aliquot communicent; & id qui propugnet, non ſatis eſt ſi dicat, antiquitus quotquot Miſſæ adeſſent, communicare conſueviſſe; nec itidem ſatis eſt ſi dicat Eccleſiam optare ut quotquot Miſſæ interſunt, Euchariſtiam ſuſcipiant; ſed poſitivum præceptum adducere oportet, quod jubeat, Miſſam non celebrari, niſi quis adſtantium communicet. Nec quidquam juvat dicere, Chriſtum Jeſum non modo panem conſecraſſe, ſed etiam diſtribuiſſe, atque juſſiſſe ut id fieret in ſuam memoriam, *Hoc facite in meam commemorationem*, ut eſt apud Lucam cap. 22. Idem enim eſt præceptum affirmativum, cui parendum eſt *pro loco, tempore, & perſonis*, ut loquuntur Theologi: ex quo fit, ut ſi nemo adſtantium vel ſit diſpoſitus, vel Sacramentum velit percipere, præcepto non adſtringatur Sacerdos ad Euchariſtiam illi exhi-

Confirmatur validitas Sacrificii etiam nullo adſtantium communicante.

exhibendam, aut ad Miſſam idcirco omittendam. Joannes Cochlæus ſcribens de Miſſæ Sacrificio adverſus Muſculum conjicit, primis temporibus neque tam multos, ut nunc, fuiſſe Sacerdotes, nec tam multas celebratas eſſe Miſſas: idcirco tum Sacerdotes, tum Laici, qui Miſſæ aderant, poſt oblationem, Euchariſtiam una cum Celebrante ſuſcipiebant: *Nunc vero cum ille communicandi mos non amplius apud nos obſervetur, non minus Laicorum, quam Sacerdotum deſidia & negligentia; invenit & introduxit Spiritus Sanctus pium hujus negligentiæ ſupplementum per Miſſarum, quas ſoli Sacerdotes peragunt, frequentationem.*

Id ipſum probatur ex Toletano Concilio 12.

16. Huic profecto favet ratiocinationi Concilium Toletanum XII. ſub Agathone Papa ann. 681. habitum. Cum Sacerdotes eo tempore plures eadem die Miſſas celebrarent, malus quidam uſus invaluerat, de quo loquitur etiam D. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium, ut Sacerdos non niſi in poſtrema Miſſa communicaret. Pravam hanc conſuetudinem exhibent Toletani Concilii Patres: *Relatum nobis eſt, quoſdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in uno die videntur Deo offerre, ſed in uno die, ſi plurima per ſe Deo offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus a Communicando ſuſpendunt, & in ſola tantum extremi ſacrificii oblatione Communionis ſanctæ gratiam ſumunt.* Adverſus hunc abuſum clamant: *Quicumque ergo Sacerdotum deinceps divino Altari Sacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe a Communione ſuſpenderit, ab ipſa qua ſe indecenter privavit, gratia Communionis anno uno repulſum ſe noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans participaſſe cognoſcitur? Ergo hoc modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcumque ſacrificans Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri in Altari immolat, toties perceptioni Corporis & Sanguinis Chriſti ſe participem præbeat.* Canonem hunc Toletanum refert Gratianus in can. *Relatum* de Conſecrat. diſt. 2. & legi poteſt tom. 2. Conciliorum Hiſpaniæ, quæ collegit Cardinalis de Aguirre pag. 685. Atque ex hoc Canone elicitur, Concilium poſtulare ad Sacrificium, ut quamquam nemo ex adſtantibus communicet, ſemper tamen Sacerdos, quotieſcumque celebrat, Sacramentum percipiat. Hujus autem veteris Concilii auctoritas ſatis eſſe debet, ut ſtatuamus licite celebrari Miſſam poſſe, etſi præter Sacerdotem nemo ex iis, qui adſunt, communicet.

Litteræ Encyclicæ Benedicti XIV. ad tollendas turbas in Lombardia excitatas ſuper adminiſtratione Euchariſtiæ in Miſſa.

17. Cremæ vehemens haud ita pridiem orta eſt contentio, quæ deinde tota Lombardia increbuit, non quidem utrum Sacerdos licite & valide Miſſam celebret, qui ſolus Euchariſtiam ſuſcipiat; notum eſt enim, quid ea de re S. Tridentina Synodus definierit, ſed utrum ex præcepto divino Sacerdos celebrans Miſſam adſtantibus, qui Euchariſtiam bene diſpoſiti poſtulent, teneatur miniſtrare. Multa ex ea controverſia oriri poterant, aut fortaſſe jam orta erant incommoda; quamobrem ad omnes Italiæ Epiſcopos Encyclicam ſcripſimus Epiſtolam die 12. Novembris anno 1742. qua laudavimus quidem tanquam rem exemplo Chriſti commendatam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſentaneam, ut Euchariſtia miniſtretur adſtantibus, qui eam ſuſcipere parati ſint; ſed illud etiam monuimus, nihil niſi bene & rite ordinatum in Eccleſia eſſe debere; unde fit, ut, ſi in quibuſdam circumſtantiis minime expedire arbitrentur Epiſcopi, Euchariſtiam in Miſſa in hoc vel illo Altari celebranda adſtantibus miniſtrari, non idcirco adverſus Epiſcoporum juſſa turbæ ſint excitandæ, quas turbas indicia eſſe demonſtravimus hominum, qui ad Euchariſtiam ſuſcipiendam non bene diſpoſitum animum gerant; cum præſertim non ut primis Eccleſiæ temporibus unica tantum Miſſa ab Epiſcopo celebretur, in qua Euchariſtiam qui non ſuſcepiſſet, illi non amplius eo die Sacramenti erat copia; ſed tam multæ nunc ſint Eccleſiæ, tam multa Altaria, tam multi Sacerdotes, tam multiplex denique Miſſarum numerus, ut ſi quis in Miſſa, quæ in Altari celebratur, ubi Epiſcopus juſtis de cauſis vetuerit ne miniſtretur Euchariſtia, communicare non potuerit, facile illi ſit vel in eadem Eccleſia, ubi Miſſæ interfuit, Euchariſtiam ſuſcipere, ſi vel ad Altare accedat, ubi ſine Miſſa præbetur Euchariſtia, vel alteri Miſſæ interſit, ac poſt Sacerdotis communionem Sacramentum accipiat. Atque ea Epiſtola in modum Inſtructionis ſcripta omnis de medio ſublata controverſia.

Tridentinæ Synodi doctrina de Communione ſub una tantum ſpecie panis.

18. Nunc vero venimus ad Communionem adſtantium ſub ſpecie duntaxat panis, qua in re non recedimus a Tridentina Synodo, quæ ſeſſ. 21. cap. 1. declarat & docet primo, *nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum.* Secundo, non poſſe quemquam Catholicum dubitare, quin ad æternam ſalutem Communio ſatis ſit ſub ſpecie tantum panis; *neque ullo pacto ſalva Fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat.* Tertio, inſtituiſſe quidem Jeſum in ultima Cœna hoc Sacramentum ſub ſpecie panis & vini, & ſub utraque ſpecie ſuis dediſſe diſcipulis, inde tamen minime inferri poſſe, præcepto Dei Fideles adſtringi ad Euchariſtiam: *nam, etſi Chriſtus Dominus in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit, non tamen illa inſtitutio & traditio eo tendunt, ut omnes Chriſtifideles ſtatuto Domini ad utramque ſpeciem accipiendam adſtringantur.* Quarto, nullum in ſacra Scriptura eſſe textum, quo hujuſmodi ſtatuatur præceptum, ut qui Miſſam non celebret, & percipere velit Sacramentum, teneatur illud ſuſcipere ſub utraque ſpecie: *nam* (pergit idem Concilium) *qui dixit, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, idem dixit etiam, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; atque item qui dixit, *Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, dixit, etiam, *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*; & qui denique dixit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, dixit quoque, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; Eadem S. Synodus cap. 2. poſtquam dixit, Eccleſiæ auctoritatem eſſe ſtatuendi ſeu mutandi in adminiſtrandis Sacramentis, ſalva ſemper tamen eorum ſubſtantia, quicquid conducere exiſtimaſſet vel ad eorundem Sacramentorum venerationem, vel ad utilitatem accipientium, ait, etſi ſuperioribus temporibus non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuit, ſe tamen gravibus & juſtis cauſis adductam decreviſſe, approbandam & pro lege habendam eam conſuetudinem, ut qui Miſſam non dicat & communicet, ſacramentum ſuſcipiat duntaxat ſub ſpecie panis. Et cap. 3. declarat, ſub alterutra ſpecie ſeu panis, ſeu vini integrum contineri Jeſum Chriſtum; & in Canonibus, qui ſequuntur, anathemate percutit eos, qui quidquam adverſus eam doctrinam, quæ ſuperioribus continetur, capitibus, contradicere audeat. Et quoniam duo remanebant articuli, de quibus erat adhuc diſputandum, alter an rationes, quibus adducta Eccleſia Catholica prohibet Laicis & Sacerdotibus non celebrantibus uſum

Cali-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Calicis, tanti momenti sint, ut nullo umquam casu usus Calicis concedi possit; alter an si validæ suppetant rationes ad id concedendum, quibus tandem conditionibus ea concessio fieri debeat; horum examen articulorum Concilium in aliud rejecit tempus, ac sessione 21. totam rem Romano Pontifici reservavit examinandam.

Confirmatur Doctrina Tridentini: & primo nullum esse præceptum divinum communicandi sub utraque specie.

19. Nullum extat divinum præceptum, quo adstringantur Laici & Clerici, atque etiam Sacerdotes qui Missam non celebrent, ad accipiendum Sacramentum sub utraque specie; ac præter textus, quos expendit Tridentina Synodus cit. cap. 1. in Actis Apostolicis, ubi sermo est de Communione Fidelium, tantummodo mentio fit de pane, ut videre est cap. 2. *Erant autem perseverantes in oratione, & doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Neque omittendum est, inter illos primos Christianos fuisse etiam Nazarenos, qui ex voto abstinebant vino; his autem, quoniam adhuc permittebatur usus legalium, verisimile est Communionem sub specie duntaxat panis fuisse traditam. D. Paulus epist. 1. ad Corint. cap. 10. Eucharistiam panem appellat. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Et loquens de Calice non dicit Calicem, quem tradimus ad bibendum, sed *Calicem benedictionis, cui benedicimus*; item loquens de Fidelibus, qui participes fiebant Eucharistiæ, non amplius Calicem, sed panem nominat; *Omnes qui de uno Pane participamus*; & cap. 11. ejusdem epist. *Itaque*, inquit, *quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini;* ubi particula *vel* innuit licere cuique sub utralibet specie Eucharistiam sumere, vel sub specie panis, vel sub specie vini.

Secundo, ad æternam salutem satis est communio sub specie panis.

20. Nemo igitur Catholicus dubitaverit, quin ad æternam salutem satis sit Communio sub specie panis, non modo ex his rationibus, quas hactenus attulimus, sed ex iis etiam quas afferemus, quarum ea est præcipua, totum scilicet & integrum Jesum Christum non minus contineri sub specie vini, quam sub specie panis; ex quo S. Tridentina Synodus cap. 3. sess. 21. infert: *Ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Hunc Concilii articulum calumniatus est nonnemo, contendens ibi S. Synodum fateri aliqua non necessaria fraudari gratia, qui sub una tantum specie Eucharistiam accipiat. Verum hujusmodi objectio non pertinet ad id, de quo nunc agimus, nullum scilicet esse Dei præceptum, quo adstringantur Laici vel Sacerdotes, qui non celebrent, ad sumendum Sacramentum sub utraque specie; nec ullus dubitare potest quin ad æternam salutem satis sit Eucharistiam sumere sub alterutra specie: potius hæc objectio pertinet ad prohibitionem qua Ecclesia vetat, ne Laici, & Sacerdotes non celebrantes Eucharistiam sub utraque specie suscipiant; sed hanc difficultatem solvemus inferius. Interea dicimus male in hunc modum argui. Ait Concilium nulla necessaria ad salutem gratia fraudari eum, qui sub una tantum specie Eucharistiam sumat; fatetur igitur Concilium saltem aliqua fraudari gratia ad salutem non necessaria. Vide Cardinalem Pallavicinum lib. 17. Hist. Concilii Trident. cap. 12. n. 3. Et Cardinalis Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 4. cap. 23. etsi ingenue fateatur disputari adhuc inter Theologos, an qui sub utraque specie Eucharistiam suscipit, amplius aliquid consequatur gratiæ, quam qui sub una tantum specie Sacramentum sumit, ait Concilium eam non diremisse controversiam, utrum plus gratiæ non necessariæ ad salutem percipiat qui sub utraque, quam qui sub alterutra specie communicat; sed probabilius esse putat, & ad S. Synodi sensum propius accedere, æqualem fructum consequi utrumque, tam qui sub utraque, quam qui sub una tantum specie Eucharistiam suscipit, dummodo uterque bene sit ad illam percipiendam dispositus, ut bene advertit Tournely tom. 2. de Sacramento Eucharistiæ pag. 71. edit. Parisien.

Tertio, ex institutione Eucharistiæ sub utraque specie non bene infertur, præcepto divino sumendam sub utraque specie.

21. Quod Christus Jesus in ultima Cœna sub utraque specie Sacramentum hoc instituerit, & sub utraque itidem specie Apostolis dederit, non inde tamen bene infertur Fideles præcepto obligari divino ad illud sub utraque specie percipiendum. Consonat Tridentina Synodus cum Constantiensi Concilio, quo docemur sess. 21. ex eo quod Christus Eucharistiam sub utraque specie instituerit, *non recte colligi utriusque speciei Communionem a Domino præceptam esse.* Et sane si Christi institutioni in omnibus hærere velimus, Eucharistia præbenda esset tantum post Cœnam, cæteraque omnia servanda, quæ Christus gessit; quod quidem nemo non videt quantum a vero absit. Dicendum igitur, Christum Jesum Eucharistiam instituisse sub utraque specie; ac sub utraque quidem specie voluisse sumi a Sacerdote, qui sacrificium offerret; cum vero sumeretur ut Sacramentum, sub alterutra specie accipi, quam potissimum statuisset Ecclesia. Matthæus cap. 26. scribit: *Accipiens* (Jesus) *Calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes;* ubi voce illa *omnes* intelligendi sunt Apostoli, ad quos Jesus tunc loquebatur, quibusque sui Sanguinis Calicem præbebat. Et apud Marc. cap. 13. declarat Christus sese, quæ diceret, omnibus dicere: *Quod dico vobis, omnibus dico.* Sed hoc ita intelligendum, ut omnes vigilent; aliter enim existimandum esset, illud quoque omnibus dixisse, ut irent in universum Mundum docentes & baptizantes. Lucæ cap. 22. postquam Christus Apostolis suum Corpus dedit dicens, *Hoc est Corpus meum*, adjecit illa: *Hoc facite in meam commemorationem*; & D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. post Consecrationem Calicis narrat Christum dixisse: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* E quibus sacrarum Scripturarum locis recte inferri posse videtur, ad institutionem quidem Sacramenti divinum additum esse præceptum Communionis sub utraque specie; atque ita verum esse, ex institutione suscipiendum esse Sacramentum non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini. Verum ea verba Lucæ, *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus dixit post consecrationem panis, & ante consecrationem Calicis; & verba Divi Pauli, *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*, non absolute, sed hipothetice dicta sunt, ut sensus eorum sit, non ut omnes teneantur e Calice bibere, sed quotiescumque biberint, in Christi bibant memoriam. Ac si locum Joannis refricare velimus, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (quo textu male accepto Petrus Dresdius Scholarum Pragæ Magister sæculo 14. persuasit Jacobello Misnensi, qui tum Pragæ concionabatur, ut Populo prædicaret, æternam non posse salutem obtineri, nisi Corpus Christi sub vini quoque specie sumeretur, teste Ænea Sylvio in Histor. Bohemor. cap. 35.) præter illa, quæ ex S. Tridentina Synodo huc deprompsimus, exponenda est particula *&*, quæ natura quidem sua conjungit, sed sæpenumero in sacris paginis vim disjuntivam habet. Exodi cap. 21. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur*; ubi Hæbreus textus habet, *qui percusserit Patrem & Matrem, morte moriatur.* Et Petrus

trus ad claudum, quem sanavit Actor. cap. 3. dixit: *argentum & aurum non est mihi;* ubi illud significare voluit, sibi neque esse aurum, neque argentum. Præterea sumtio panis, & Calicis haustus, quæ in eo Joannis loco particula *&* conjuncta videntur, in aliis sacræ Scripturæ locis superius allatis particula *vel* disjunguntur: ex quo apertius intelligitur, particulam *&* in eo D. Joannis loco intelligendam non copulative, sed disjunctive. D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. ait: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini:* idem autem paullo post: *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*; ubi satis manifestum est, particulam *&* non copulative, sed disjunctive esse accipienda.

Apud Veteres fuisse consuetudinem sumendi Eucharistiam sub specie panis tantum.

22. Non infrequens erat, ut ait Tridentina Synodus, superioribus temporibus Sacramenti usus sub utraque specie: quo illud significatur, tametsi usus esset sumendi Eucharistiam sub utraque specie, haud ita tamen rara fuisse eorum exempla, qui illam sub una tantum specie sumerent. Nam ut Eucharisticæ Communionis omittamus exempla, quæ infantibus, aut moribundis præbebatur, atque ut de Eucharistia sileamus, quam secum Fideles domum suam deferebant, qua se reficerent vel in itinere, vel cum ad Ecclesiam venire non possent, ut Sacrificio interessent; quibus in casibus non desunt in Ecclesiastica Historia plura exempla Eucharistiæ sub alterutra specie susceptæ; atque ut ab hisce privatis ad publicas Communiones transiliamus, quibus inter Missarum solemnia Sacramentum distribuebatur; luculentissimum habemus in Ecclesia Romana ante Pontificatum Leonis Magni argumentum promiscui usus Eucharistiæ vel sub utraque, vel sub alterutra specie. Nam cum Manichæorum hæresis sectatores quidam Romæ deprehensi essent, qui inter ceteros errores affirmabant, vinum opus esse Diaboli, & latitantes se immiscerent cum Catholicis, & cum iis palam ad Ecclesiam sumturi Eucharistiam ventitarent, jussit S. Leo tanquam Manichæos habendos puniendosque, quotquot Eucharistiam sub vini quoque specie non sumerent: *Cumque* (verba sunt S. Pontificis serm. 4. de Quadragesima) *ad tegendum infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemtionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis ejusmodi homines & his manifestentur indicis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prohibiti a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.*

Manichæi Romæ abstinebant a sumendo Eucharistiam sub specie vini.

23. Eandem ingressus est viam S. Gelasius, cujus tempore publice ante fores Basilicæ Liberianæ incensi sunt Manichæorum Codices, ut colligitur ex ejusdem Pontificis verbis, quæ refert Gratianus in can. *Comperimus* de Consecrat. dist. 2. *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo Corporis sacri portione a Calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire:* quæ postrema verba respiciunt ad prædictum Manichæorum errorem, qui vinum Diaboli opus existimantes, divina mutilabant mysteria, magnique sacrilegii crimine se se obstringebant.

Simulatio Manichæorum vana fuisset, nisi alii etiam

24. E quibus illud elicitur, licet in Ecclesia Romana frequens esset usus Sacramenti sub utraque specie, cum a Fidelibus sumebatur in publicis Ecclesiis, non defuisse tamen exempla Fidelium, *fuissent, qui sub una tantum specie panis communicarent.* qui inter Missarum solemnia in Ecclesia accipere rent Sacramentum sub sola specie panis; aliter enim Manichæi non satis sibi cavissent, qui se Catholicos haberi posse putabant, ad Ecclesias ventitando, sumendoque sub sola specie panis Sacramento, ut cuivis, qui totam facti seriem consideret, facile est intelligere.

25. Pergit Tridentina Synodus dicens, introductam esse consuetudinem, ut qui Missam non celebrat, sub sola panis specie Sacramentum accipiat, idque non sine gravibus causis; hancque consuetudinem ab Ecclesia esse probatam, quod de Occidentali Ecclesia intelligendum est. Nam in Ecclesia Orientali tametsi per Quadragesimam, Sabbathis & Dominicis exceptis, Eucharistia sub specie tantum panis præbeatur, & infirmis in limine mortis itidem sub specie panis ministretur (grandior enim Feria V. in Cœna Domini panis consecratur, cujus quartam manducat partem Sacerdos; tres autem reliquæ partes in particulas, quas *meridas*, seu *margaritas* vocant, dividuntur, eæque in Sanguinem intinctæ, statimque igni admotæ exsiccantur, ut per integrum annum conserventur incorruptæ, & cum opus est, moribundis exhibeantur, communi vino emollitæ, ut refert Allatius epist. 2. ad Nihusium in Symmictis lib. 1. Attamen *cum publica in templis fit Communio, Sacramentum sub utraque specie* præbetur tum viris tum fœminis ad hunc modum, ut scilicet unicuique sacra porrigatur particula sanguine intincta in cochleari posita, cujus exile & prælongum manubrium est; quam consuetudinem etsi Humbertus Sylvæ Candidæ Cardinalis improbavit libro adversus Græcorum calumnias, egregie defendit Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 18. n. 3.

Quæ Græcorum ea de re sit disciplina.

26. Quod vero ad Occidentalem Ecclesiam pertinet, D. Thomas, qui obiit anno 1274. postquam docuit 3. par. q. 80. art. 12. *ad secundum*, Sacramenti professionem non in usu Fidelium, sed in materiæ Consecratione consistere, ideoque *nihil*, inquit, *derogari perfectioni hujus Sacramenti, si Populus sumat Corpus sine Sanguine, dummodo Sacerdos Consecrans sumat utrumque*, testatur in corpore ejusdem articuli caute providendum, ne quid irreverenter committatur adversus Sacramentum, & ob metum, ne præbendo Eucharistiam pueris, juvenibus, senibus sanguis effunderetur, in aliquibus Ecclesiis consuetudinem esse introductam præbendi Eucharistiam sub specie duntaxat panis: *ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut Populo sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur*; quod indicium est, haud ita multo ante usurpari cœptam hanc disciplinam, ut qui Missam non celebraret, sub sola panis specie sumeret Sacramentum. Huc accedit alia ratio, ne scilicet simpliciores crederent, totum integrumque Christum non contineri sub ea specie. Rodulphus Abbas S. Trudonis, qui vixit anno 1110. ita scribit: *Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris, aut sanis tribuat Laicis de sanguine Christi. Nam fundi posset leviter; simplexque putaret, quod non sub specie sit totus Jesus utraque.*

Haud ita multo ante D. Thomæ ætatem introducta Communio sub specie panis tantum in Occidentali Ecclesia.

Perfectio Sacramenti non in usu Fidelium consistit, sed in Consecratione materiæ.

27. Rupertus Pullus Cardinalis, qui vixit anno 1160. par. 8. sententiarum cap. 3. *Prius*, inquit, *corpus, post sanguis a Presbyteris est sumendus. Institutio Christi mutanda non est &c. Verum qualiter a Laicis Eucharistia sumi deberet, sponsæ suæ commisit judicio: cujus consilio & usu pulcre fit, ut Caro Christi Laicis distribuatur: nimirum periculose fieret, ut sanguis sub liquida specie multitudini Fidelium in Ecclesia divideretur; longe periculosius,*

Consuetudinem ministrandi Eucharistiam sub specie tantum panis statuit tanquam legem Constantiensis Synodus adversus errores Joannis Hus, & Hieronymi Pragensis.

sius, si infirmatis per Parochiam deferretur. D. Thomæ coævus Alexander Halensis tractatu de Sacramentis q. 4. §. 3. *Christus*, inquit, *integre sumitur sub utraque specie. Bene licet sumere Corpus Christi sub specie panis tantum, sicut fere ubique fit a Laicis in Ecclesia &c. Ecclesia autem istud Sacramentum dispensare consuevit sub specie panis tantum, tum propter periculum effusionis, quod forte accideret, si sub specie vini dispensaretur; tum propter vitii infidelitatis amotionem, quod se non immerito simplicium mentibus ingereret, si semper sub speciebus panis & vini daretur; quia si ita fieret, possent simpliciores credere quod Christus non contineretur integre sub altera specie.* Ea consuetudo ministrandi Eucharistiam sub sola specie panis succedentibus temporibus ob easdem rationes se longe lateque diffuderat, cumque anno 1415. Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis Bohemiam errore illo suo infecissent, necessarium scilicet esse sub utraque specie Sacramentum sumere Eucharistiæ, Patres Concilii Constantiensis sess. 13. statuerunt, pro lege habendam esse consuetudinem jam introductam ministrandi Sacramentum sub specie duntaxat panis, eumque condemnandum, qui hujusmodi auderet improbare consuetudinem; jussitque Episcopos curare, ea lex ut observaretur. Idem anno 1447. adversus Taboritas & Calixtinos sancivit Basileense Concilium sess. 30. & Tridentina Synodus anno 1562. adversus Lutheranos & Calvinistas.

Asseritur doctrina Constantiensis Synodi. Sub alterutra specie æque Corpus Christi integrum continetur.

28. *Omnis doctrina* hæc Catholicæ innititur veritati, quæ docet totum integrumque Christum sub specie panis æque ac sub specie vini contineri; non enim Christus divisus est, nec Corpus ejus est mortuum, ut ait Apostolus ad Rom. cap. 3. *Christus resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Præterea vi verborum Consecrationis veniunt sub speciem panis Corpus, & sub speciem vini Sanguis, & Corpus sub speciem vini, & Sanguis sub speciem panis, & sub utramque speciem etiam anima propter naturalem connexionem & concomitantiam, ut loquuntur, partium Christi, qui ad vitam rediit non amplius moriturus; venit itidem sub utramque speciem Divinitas propter hypostaticam unionem, qua cum corpore & anima copulatur.

Hæreticorum calumniæ evertuntur.

29. Atque huic doctrinæ, quam eo probarunt Concilia, nihil quidquam detrahunt quorundam calumniæ; a Christiana nimirum esse Charitate alienum, subducto Calicis usu, Fideles uberiori illa fraudare gratia, quam bibendo Sanguinem consequerentur, quamvis ejusmodi gratia necessaria non sit ad salutem. Nam etiamsi hæc opinio vera esset, nemo est qui nesciat, leges de Eucharistiæ ministrandæ Ritu non modo ad augmentum gratiæ in eo, qui Sacramentum suscipit, sed etiam ad ejusdem Sacramenti dignitatem & venerationem respicere debere; aliter enim nutare dici possent illæ etiam Ecclesiæ leges, quæ vetant, ne quis sæpius quam semel eadem die communicet, & Sacerdotes, ne eadem die, quod fit in die Christi Natali, iterent Sacrificium. Vide Cardinalem Pallavicinum Histor. Concilii Trident. lib. 17. cap. 12. ubi Petri Suavis adversus Concilii Decretum criminationes diluit. Legenda est etiam Pastoralis Instructio Cardinalis de Tencin olim Ebredunensis, nunc Lugdunensis Archiepiscopi, adversus Petri Francisci Courayeri novissima Scholia ad Historiam Concilii Tridentini Petri Suavis, ubi Eminentissimus Auctor Tridentinum Decretum a sophismatibus & maledictis hujus Scriptoris egregie vindicat.

Tres Fidei articuli qui spectant ad concessionem usus Calicis.

30. Ut hunc sermonem nostrum de Communione sub una tantum specie a Concilio Tridentino adserta absolvamus, reliquum est, ut quædam innuamus, quæ pertinent ad dispensationem & concessionem Calicis iis, qui Missam non celebrant. Fidei enim articulus est, ad æternam salutem satis esse ei, qui Missam non celebrat, Christum Jesum accipere sub specie panis tantum; item Fidei articulus est, Christum æque sub una, atque sub altera specie totum & integrum contineri; ad Fidem etiam pertinet, non esse improbandam legem, quæ vetat, ne quis Eucharistiam præbeat sub specie vini: sed ad disciplinam pertinet, Laicis & Sacerdotibus non celebrantibus, si debitæ adsint conditiones, Calicis usum concedere, eosque sub utraque specie Sacramentum percipere.

Historia de usu Calicis sæpe Laicis concessi post hæresim Hussitarum, semperque fabulas gravissimis causis.

31. Ubi de re hac actum est, semper qui usum Calicis postulassent, voluit Ecclesia ut diserte primum declararent & profiterentur, sese credere totum & integrum Jesum tam sub una quam sub altera specie contineri: quapropter Æneas Sylvius seu Pius II. in Histor. Bohemor. cap. 52. narrat, quæ ratio iniri potuisset, etiam post vetitum usum Calicis, concedendi utramque speciem: *Quo facto, si perseveraverint Bohemi in ejusmodi Communicationis desiderio, idque missa legatione petierint, sacer Conventus Bohemiæ, ac Moraviæ Sacerdotibus communicandi sub utraque specie personas sibi subjectas & in annis discretionis constitutas, & quæ id reverenter postulaverint libertatem impertietur, ea conditione adjecta, ut inter communicandum plebem publice instruant, non sub specie panis Carnem Christi tantum, sed sub qualibet specie totum & integrum contineri Christum.* Illud semper providere voluit Ecclesia, ut omne amoveretur periculum irreverentiæ erga sanctissimum Jesum Christi Sanguinem; sed concessiones omnes & dispensationes cum eo spectarent, ut nationes deviæ ad unitatem Catholicam revocarentur, aut executione caruerunt, aut eo qui optabatur effectu: luculentissime enim semper patuit, eas nationes vel Calicis interdictum veræ prætexuisse causæ schismatis, vel usum Calicis postulasse, quod non crederent verum & integrum contineri Christum sub alterutra specie, aut ad æternam salutem non satis esse Communionem sub sola specie panis. Synodum habuit ann. 1426. Episcopus Pragensis, qua volens tumultus sedare, cædesque compescere, quas perpetrabant Hussitæ, ut vetitus sibi a Constantiensi Concilio usus Calicis redderetur, permisit, eos sub utraque specie Sacramentum percipere. Scripsit Gerson pro Synodo ab Archiepiscopo habita, sed Synodale Decretum Martinus V. reprobavit, ut videre est apud Raynaldum ad ann. Chr. 1426. Apud Henricum Caltisen Nitriæ & Cæsareæ Archiepiscopum in Opere adversus Bohemos, cujus textum refert Georgius Cassander in Liturgia cap. 31. pag. 78. legimus die Paschatis cum Martinus V. juxta aliorum Pontificum consuetudinem laicis sub utraque specie præberet Eucharistiam, Bohemum quemdam medicæ artis professorem ceteris sese immiscuisse, atque sub utraque specie accepta Eucharistia jactabundum inde abjisse, ac gloriantem sibi ad eum modum a Papa traditam esse Eucharistiam; cæptum Viennæ, capite damnatum in flumen fuisse dejectum: *Quod percipiens Papa Martinus sic sibi illusum, ex tunc subtraxit Calicis Communionem Laicis, nec unquam aliquem communicavit, nisi sub specie panis tantum, in detestationem hæresis Bohemorum, & factæ sibi illusionis.* Hujus porro narrationis non facile est tueri veritatem; tum quia Auctor id refert tanquam de auditu, tum quod nusquam proditum litteris reperimus, Romanos Pontifices tum temporis Communionem Laicis sub utraque specie præbere consuevisse. Bohemis & Moravis

ravis impenſe poſtulantibus Baſileenſe Concilium conceſſit Calicis uſum, dummodo in reliquis omnibus ſeſe Eccleſiæ Romanæ conformarent, & crederent totum & integrum tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini Chriſtum contineri; ſed cum inde plures orti eſſent abuſus, conceſſionem hujuſmodi revocare oportuit, ut conſtat ex Epiſtola Georgii Bogiebræ Regis Bohemiæ, quæ extat tom. 4. Spicilegii pag. 403. Paulus III. & Julius III. ſuis in Germania Nunciis facultatem dederunt concedendi uſum Calicis, qua tamen uti minime opportunum illi exiſtimarunt. Plures Tridentinæ Synodi temporibus ſibi perſuaſerant, eos qui ab Eccleſia Romana deſciverant, ad unitatem redituros, ſi iis conceſſus fuiſſet uſus Calicis; quibus favere Pontifex viſus eſt, ut videre licet in Hiſtoria Cardinalis Pallavicini de eo Concilio, & ea in re ſuam operam collocarunt Cæſaris, Gallarumque Regis Oratores, qui omnibus Concilii Patribus ſcriptum quoddam tradiderunt, quo ad ejuſmodi conceſſionem Concilium impellerent. In Conventu centum & ſexagintaquinque Epiſcoporum ea re diſcuſſa, tam variæ fuerunt Patrum ſententiæ, ut qui a ſecretis erat ſacri Concilii, ægre octo ſententias potuerit colligere; nec quidquam aliud poſt tot concertationes potuit concludi, quam ut ea res ad Summum Pontificem remitteretur ut ſupra innuimus. Abſoluto Tridentino Concilio, Cæſar flagitare non deſiit a Pio IV. uſum Calicis, eumdemque obtinuit. Georgius Caſſander Theologus Belga Cæſari a Conſiliis, qui conſtituendæ pacis ſtudio Communionem Laicis in Germania ſub utraque tribui ſpecie nimis cupiebat, quod apparet ex ejus epiſtolis 102. & 106. quæ rerum in ea re a ſe geſtarum duæ ſunt veluti apologiæ, Apoſtolicas affert litteras in Epiſt. 111. quibus Pontifex ſcribit ad Eccleſiaſticos Electores, ſe graviſſimis cauſis adductum, doctorum hominum ac pietate præſtantium conſilio adhibito, Apoſtolicæ auctoritatis ſuæ plenitudine Archiepiſcopis & Electoribus Eccleſiaſticis facultatem concedere, *ſi ita expedire putent, in quo eorum conſcientiam onerat*, ut in ſua quiſque provincia Catholicos deputent Sacerdotes, qui ſub utraque ſpecie Euchariſtiam devote poſtulantibus adminiſtrent. Præterea Pontifex eorum, qui Euchariſtiam ſub utraque ſpecie præberi ſibi velint, exploratam probeque perſpectam poſtulat veræ fidei doctrinæque Romanæ Eccleſiæ profeſſionem, ut ſcilicet in Euchariſtiæ Sacramento *tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie* verum & integrum Chriſti Corpus contineri declarent, Eccleſiamque Romanam profiteantur neque erraſſe, neque etiam errare, quæ exceptis Sacerdotibus Miſſam celebrantibus, ſub ſola panis ſpecie ceteris Clericis & Laicis Euchariſtiam præbeat. Teſtatur Caſſander, Apoſtolicas Literas Cæſarem ad Electores miſiſſe, eaque imperaſſe, quæ omnes turbas poſſent avertere. Se etiam ex iis fuiſſe narrat, qui ea de re ſuam dixerit ſententiam: *Ita factum eſt, ut nos quoque rogati noſtram ſententiam ad illam deliberationem pro judicii noſtri tenuitate, ad junxerimus*. Denique neſcire ſe ait, quamobrem tantum id negotii effectu caruerit: *Cur autem hoc negotium huc uſque quaſi ſuppreſſum & occultum lateat, ſcire non poſſumus*. Illud autem probe novimus, rumorem continuo percrebuiſſe, duas ex tribus Lutheranorum partibus Indulti illius impulſu ad Romanam, unde ſeceſſerant, Eccleſiam remigraſſe; quod cum conſequentibus temporibus falſum eſſe, plurimaque in die oriri ſcandala, Romani Pontifices intellexiſſent, Indultum illud Pii IV. primum a S. Pio V. deinde a Gregorio XIV. revocatum eſt, ut videre eſt in par. 2. tom. 21. Annalium Raynaldi ad ann. 1564. n. 35.

32. In ſolemni Romani Pontificis Miſſa Diaconus & Subdiaconus Sacramentum ſub utraque ſpecie accipiunt, ut etiam videre eſt in libro cæremoniali Leonis X. tempore conſcripto, qui vulgo Chriſtophoro Marcello Archiepiſcopo Corcyrenſi tribuitur. Olim Pontifex in ſolemni Miſſa, quam in Coronatione ſua celebrabat, omnibus Cardinalibus Diaconis ſub utraque ſpecie Euchariſtiam diſtribuebat: *Omnes Diaconos Cardinales ſua manu pretioſo Corpore & Sanguine Chriſti communicavit, ſicut de more Summorum Pontificum ſemper fuit*; verba ſunt cujuſdam Epiſtolæ de Urbani VI. electione in Spicilegii tom. 4. editæ pag. 306. Nec deſunt documenta, quibus conſtat, Summum Pontificem ante exortam Huſſitarum hæreſim Imperatori, Regi, non tamen Reginæ, ſub utraque ſpecie Euchariſtiam præbere conſueviſſe. Romam venit ſub Paulo II. Fridericus III. Imperator; ex quo occaſionem Auguſtinus Patritius arripuit ſcribendi libellum *de Adventu Imperatoris in Urbem*, quem edidit Mabillonius tom. 1. Muſei Italici. In eo libro deſcripſit Miſſam Patritius, quam Papa celebravit; teſtaturque, ſolum Summum Pontificem Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumſiſſe, ac propter hæreſim Huſſitarum Imperatorem, Diaconum, & Subdiaconum ſub ſpecie panis tantum communicaſſe: *Communicavit ſummus Pontifex Altaris Sacramentum cum Imperatore, Diacono, & Subdiacono de pane tantum*. De Calice autem; etſi *conſuetudo ſit communicantes cum Pontifice participare; propter inſurgentem tamen Huſſitarum, & Bohemorum damnatam hæreſim, quæ calicis potationem ad ſalutem neceſſariam putat, præter Pontificem bibit nemo*. Coronatus eſt Bononiæ anno 1530. a Clemente VII. in S. Petronii Baſilica Carolus V. Deſcripſit in Diario ſuo Paris de Craſſis ſolemnem Pontificis Miſſam, in qua Imperator aliique Principes ſub ſpecie tantum Panis, Diaconus vero & Subdiaconus, quemadmodum etiamnum conſuetudo eſt, ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſuſceperunt, ut apud Raynaldum ad eund. ann. Præter Diaconum & Subdiaconum, qui in ſolemni Miſſa Pontificis ſub utraque ſpecie communicant, etiam Francorum Reges ex privilegio in die ſuæ Coronationis, & in articulo mortis Sacramentum itidem ſub utraque ſpecie percipiunt, teſte Spondano ad ann. Chr. 1352. num. 16. *Denique idem Pontifex* (Clemens VI.) *ponderatis ingentibus Coronæ Franciæ in Sedem Apoſtolicam meritis, Chriſtianiſſimis Regibus poteſtatem fecit ſub utraque ſpecie, quandocumque id optarent, communicandi: qua tamen poteſtate raro ipſi niſi in die inaugurationis ſuæ, & in viatico mortis utuntur*. Sub utraque itidem ſpecie communicant ex ſpeciali privilegio Eccleſiæ S. Dioniſii prope Lutetiam Diaconus & Subdiaconus in Dominicis Feſtiſque ſolemnibus, & Miniſtri pariter Altaris Cluniacenſis Eccleſiæ in omnibus Feſtis de præcepto, ut videre eſt apud Mabillonium in Commentar. ad Ordinem Romanum num. 9. tit. *Quando & quomodo deſierit Communio ſub utraque ſpecie in Eccleſia Romana*: & apud Moleon in Opere Gallice ſcripto cui titulus, *Iter Liturgicum per Gallias*, Pariſiis edito ann. 1718. pag. 263. Diaconus vero & Subdiaconus Romæ in Baſilicis in Miſſa Conventuali, quæ cantatur in Feſtis de præcepto, Euchariſtiam quidem ſumunt, ſed ſub ſpecie tantum panis.

Quinam hoc tempore Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumant.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT XXIII.

De Orationibus quæ ſubmiſſa voce dicuntur in Miſſa.

Diſputatur de Ritu dicendarum quarundam Orationum ſubmiſſa voce.

1. ORationum in Miſſa quædam elata, quædam ſubmiſſa voce recitantur. Quænam alta voce, quæve rurſus ſubmiſſa dicendæ ſint, accuratiſſime docet Rubrica Miſſalis. Suarez in 3. part. tom. 3. diſput. 83. art. 4. quæſt. 83. ſect. 1. ait, nullum in ſacra Scriptura locum reperiri, quo jubeamur in Miſſa quaſdam elata, quaſdam vero ſubmiſſa voce Orationes recitare; id quidem in ſe αδιάφορον eſſe; Eccleſiam tamen gravibus juſtiſque cauſis adductam voluiſſe, ut quædam Orationes elata voce recitentur, quædam ſubmiſſa, quæ vulgo appellantur Secretæ. Hujuſmodi Ritum hac ætate nonnulli etiam e noſtris oppugnarunt. Nos Controverſiæ præcipua capita indicabimus, ſanamque doctrinam optimorum Scriptorum auctoritate muniti propugnare conabimur.

Secreta appellantur, quia ſecreto dicitur.

2. Quæritur primo Etymologia vocis *Secreta*. Boſſuetus in explicatione Miſſæ innuit vocem hanc originem ducere a *ſecerno*, quod eſt ſeparo; Orationes enim, quæ ſecretæ dicuntur, tum recitabantur, cum Pœnitentes & Catechumeni Eccleſia pulſi eſſent, vel poſtquam ſeparatæ fuiſſent oblationes. Vertus Secretarum infenſiſſimus hoſtis, quique, ſi ipſi poteſtas fuiſſet, totum Canonem juſſiſſet & ipſa Conſecrationis verba alta voce recitari, præcipiti quo eſt judicio & audacia affirmavit, quod Boſſuetus ſubdubitans & hæſitanter propoſuerat.

Vertus confutatus.

3. Monitus Martene a Mabillonio, ejus audaciæ ut ſeſe opponeret, præſertim cum non ea eſſet Vertus, qua arbitrabatur doctrina, veram arripuit ſententiam propugnandam, Orationes Secretas idcirco appellari, quia ſecreto recitentur; ejuſque verba ſunt hæc lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 4. art. 7. num. 5. *Poſtea Sacerdos Orationes, ſeu Collectas, Secretas dictas, eo quod ſecreto & ſub ſilentio dicuntur, recitat. Scio, nonnullos ſacrorum Rituum ſtudioſos Secretas a verbo ſecerno appellatas, velle, eo quod ſuper materiam ex Fidelium oblationibus ſeparatam & ſecretam recitantur. Sed hi conjecturis ſuis plus æquo indulgentes, nullo veterum teſtimonio nituntur, eiſque refragatur antiquus liber Sacramentorum manuſcriptus Eccleſiæ Turonenſis, in quo Orationes prædictæ non ſecretæ, ſed arcanæ nuncupantur; cui adjicere poſſumus omnes antiquos ſacrorum Rituum Expoſitores, qui Secretas a ſecreto & ſilentio derivant.* Amalarius Scriptor. IX. ſæculi in Opere *de Eccleſiaſtic. Offic.* lib. 3. cap. 20. de Secretis loquens ait: *Secreta ideo nominatur, quia ſecreto dicitur.* Conſonat Remigius X. ſæculi ſcriptor, & idem ſcripſit Ildebertus ſæculo XII. in Expoſitione Miſſæ. Quapropter Longueval Hiſtor. Eccleſiæ Gallicanæ tom. 5. pag. 387. tom. 6. pag. 471. & tom. 8. pag. 534. eos increpat, qui vellent Secretas alta voce recitari.

Submiſſa voce non ſignificat ſine cantu, ut cavillatur Vertus.

4. Et quoniam vetera præſcribunt monumenta, ut *ſubmiſſa voce* Canon recitetur, & Tridentina Synodus, ut infra dicemus, damnat eos, qui improbare audeant Eccleſiæ Romanæ Ritum, quo pars Canonis & Conſecrationis verba ſubmiſſa voce recitentur, Vertus ex hac ſe evolvit difficultate, ea verba *ſubmiſſa voce* explicans *ſine cantu*, quod ante illum Gerardus quidam obſervaverat apud Georgium Caſſandrum in Opere Liturgico cap. 28. pag. 65. *Non arbitrandum, Orationem eam dici ſecretam, quaſi non liceat Laicis eam vel noſſe, vel audire; ſed quia juxta atque Canon non cantetur voce altiore.* Et Matthæus Galenus Veſtrapellius in opere de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio Antuerpiæ edito ann. 1574. cap. 21. *Nam illud, per ſilentium, nihil aliud, quam clamorem negat, & elatæ vocis cantum, cui adverſatur.* Verum vetuſtiſſimus Ordo Romanus ante mille annos ſcriptus pro Monaſteriis Ordinis S. Benedicti, quem vulgavit Martene tom. 5. Theſauri Anecdotorum hæc habet: *Dicat Orationem, & ſecrete, nullo alio audiente, niſi tantum ut venerit ad hoc verbum, Per omnia ſæcula ſæculorum.* Ex quo quivis facile intelligit *ſubmiſſa voce* non ſignificare *ſine cantu*, ſed *ſecreto*, ut bene notat idem Martene loc. cit. pag. 101. & 102. *Porro cum plura notatu digna in hoc Ordine* (quem modo memoravimus) *videantur, illud præſertim ſingulari conſideratione ponderandum, quod Orationes poſt Oblationem dicendæ ſecrete nullo audiente recitandæ præſcribuntur: qui locus ſufficere debet ad refutandos nonnullos novitatum amatores, qui contra univerſalis Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, propria auctoritate integram Miſſam, Secretas, Orationes, Canonemque ipſum vocis ſono, hoc eſt alte pronunciant. Nam quod reſpondent variis antiquiſque Auctoribus Secretas & Canonem ſub ſilentio recitari præſcribentibus, quod, inquam, ajunt ſilentium apud illos cantui tantum non altæ voci opponi, omnino falſi convincitur, ut nullus ſit amplius effugiendi locus, cum ſecrete, nullo alio audiente, ante annos mille in Eccleſia Romana, aliiſque ipſius Ordinem ſequentibus hæc dicerentur.*

Concilium Tridentinum cum ait ſubmiſſa voce non intelligit ſine cantu.

5. Quod vero ad ſacram Tridentinam Synodum attinet, qui poteſt accipi *ſubmiſſa voce* quaſi ſine cantu ſignificet, cum nemo unquam contenderit, Canonem & Conſecrationis verba eſſe canenda? Profecto Catholicos inter & hæreticos tota controverſia in eo dumtaxat fuit, quod hæretici non decere clamitabant, Populum Secretarum verba non audire, Ritumque eas ſecreto recitandi irridebant, & Magorum conſuetudini ſimilem eſſe blaterabant, qui in ſuis incantationibus quædam verba ſubmiſſa voce immurmurant. Huc accedit, quod Concilia Provincialia, ac præſertim Mediolanenſis ſub S. Carolo Borromæo, qui jure ſacri Tridentini Concilii fidus interpres eſt habitus, jubent, eas preces ſubmiſſa voce recitari. Cum autem ipſum Concilium ad S. Sedem, quæ ad Miſſale & Breviarium pertinent, itidemque ſuorum interpretationem Decretorum remiſiſſet, S. Pius V. in Rubrica Miſſalis poſtquam præſcripſit modum recitandi Orationes, quæ dicuntur voce alta, de iis quæ ſubmiſſa voce ſunt recitandæ, ait: *quæ vero ſecreto dicenda ſunt, ita pronuntiet, ut ipſemet ſe audiat & a circumſtantibus non audiatur.* Videatur Joſephi Langleti Archiepiſcopi Senonenſis Inſtitutio Paſtoralis adverſus novum Miſſale Trecenſe ann. 1737. Pariſiis editum, pag. 21. 28. & 29.

Quo ſeculo cœperit diſciplina recitandi Canonem ſecreto. Quidam profitetur puerum ex miraculo quod narratur in Prato ſpirituali.

6. Secundo quæritur, ſæculone incœperit VIII. an. X. diſciplina recitandi ſubmiſſa voce Canonem & Conſecrationis verba, ita ut ſuperiori tempore alta, & quæ ab omnibus intelligeretur, voce omnia recitarentur. Joannes Moſchus, qui ann. 620. vel 630. ſcripſit Pratum Spirituale, quod opus laudatur in VII. Generali Concilio, narrat cap. 196. puerulos quoſdam in ſecunda Syria paſtorum filios Eccleſiæ cæremonias imitari, & Miſſam celebrare voluiſſe: eorum autem unum, qui Sacerdotem ſimulabat, reliquis duobus Miniſtrorum partes agentibus, memoria comprehenſa habuiſſe ſanctæ oblationis verba: pueri enim qui Miſſæ aderant, juſta Eccleſiæ conſuetudinem

pro-

prope Altare adſtabant. & in quibuſdam locis Presbyteri alta voce Sacrificii verba proferebant. Cum igitur puer ille jam in eo eſſet, ut panem frangeret, ſeque communicaret, ignem Cælo delapſum petram, quæ veluti in Altare erat erecta, omniaque quæ ſuper eam locata erant abſumſiſſe; pueros prope exanimatos concidiſſe; tandem, poſtquam ad ſe ex illo deliquio rediiſſent, rem omnem narraſſe: de qua factum certiorem Epiſcopum ad ipſum locum ſe contuliſſe, ibi & viam, qua Cælo ignis delapſus fuerat, obſervaſſe, & rem ut geſta erat cognoviſſe, puerisque in Monaſterium collocatis, in eodem loco, ubi ejuſmodi miraculum contigit, templum extruxiſſe. Id ſe Joannes Moſchus teſtatur accepiſſe a Gregorio quodam ſumma ſinceritate viro & candore, qui affirmavit ſe ex illis pueris unum de facie noviſſe, itemque noviſſe Monachum ex iis, qui in Monaſterio degebant cum æde illa conjuncto, quæ tempore illius miraculi extructa fuit, ideſt circa VI. ſæculum ſub Imperatore Juſtiniano. Moſchus enim qui vivebat anno 620. ſeu 630. rem narrat, non quæ noviſſime contigiſſet, teſtaturque ſibi traditam, a ſene quodam, qui non amplius vivebat, quique rem hanc, ut modo diximus, a quodam ex illis pueris acceperat, & a Monacho illius loci; ac de Monaſterio quidem loquitur quaſi jam Monachorum numero floreret.

Ejus ſententia aſſertores Honorius, Bellat., Innocentius III.

7. Scriptores XII. Sæculi informem quamdam confuſamque hujus miraculi notitiam habuere, quin tamen noſſent, quis auctor rem narraverit, quibuſque id miraculum circumſtantiis contigerit. Honorius qui vixit anno 1120. in Gemma animæ lib. 1. cap. 103. de hac re mentionem facit; ſed illud addit, ſtatim ac prolata fuerunt conſecrationis verba ſuper panem & vinum, apparuiſſe carnem & ſanguinem; & pueros amiſſa vita concidiſſe, nec conſiderat, ſi omnes igne Cælo delapſo eſſent abſumpti; ſuperſtitem futurum fuiſſe neminem, qui rem narraret: inde factum ait, ut Concilii cujuſdam decreto Sacerdotes juberentur verba Canonis ſubmiſſa voce recitare. Rem Honorius narrat, veluti incerto vulgatam auctore, per verbum *fertur*. Verum Belletus Honorio ſuppar rem hanc veluti fide dignam retulit; e qua putat conſuetudinem eſſe profectam ſecreto recitandi Canonem. *Ex quo quidem facto* (ſcribit in explicat. Divinor. Officior. cap. 44.) *ſtatutum fuit ut poſthac tacite ac ſubmiſſe diceretur*. Ad hanc rem Innocentius III. etiam reſpicit, cum de ſacro Altaris miniſterio lib. 3. cap. 1. ait: *Decrevit Eccleſia, ut hæc obſecratio, quæ ſecreta cenſetur, a Sacerdote ſecrete dicatur: unde fertur quod cum ante conſuetudinem, quæ poſtmodum inolevit, quidam Paſtores ea decantarent in agro divinitus ſunt percuſſi*. Hæc itaque ſunt, quibus innititur eorum ſententia, qui ſtatuunt hanc diſciplinam ſecretarum orationum ſæculo VIII. eſſe exortam. Cardinalis Bona aliis & omnino diverſis permotus rationibus exiſtimat, ante ſæculum X. omnes preces a Sacerdotibus eleta voce recitari conſuevisse, eoque ſæculo ineunte ortam conſuetudinem recitandi ſubmiſſa voce Canonem, ut videre eſt Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 13. num. 1.

Sæculo X. ineunte eam diſciplinam introductam eſſe exiſtimat Card. Bona.

Ea diſciplina longe vetuſtior eſt Sæculo etiam octavo.

8. Ne quis exiſtimet vel VIII. vel X. Sæculo hanc diſciplinam eſſe introductam, ſatis profecto erunt ea, quæ ad hujus Ritus vetuſtatem demonſtrandam mox afferemus. Interea dicimus, nobis minime probari principium, unde ortum ajunt Ritum hunc ſæculo octavo; non quod dubitatio ulla nobis in mentem veniat de illius miraculi veritate; gravis enim & ſynchronus auctor rem refert, ut advertit Goar in Notis ad Rituale Græcorum edit. Venetæ an. 1730. pag. 119. *Hiſtoriam refert Joannes Moſchus Prati Spiritualis cap. 136. cujus auctoritas cum apud plures valeat, non eſt temere explodenda, vel ſubſananda*; neque etiam nobis eſt animus negare, quaſdam ſecretas alta voce recitari conſueviſſe in Orientali Eccleſia ex Conſtitutione Juſtiniani, de qua infra ſermo erit; ſed id nos minime intelligere fatemur, qui potuerit e re, quæ ſexto contigerit ſæculo, oriri ſæculo octavo conſuetudo ſecretas ſubmiſſa voce recitandi; cum præſertim neque Honorius, neque Belletus Concilium nominet, quod eam legem condiderit; & apertiſſime conſtet, eos nec de Joanne Moſcho quidquam compertum habuiſſe, nec noviſſe quemadmodum ea res geſta fuiſſet.

Cardinalis Bonæ auctoritas, quosdam decepit. Ratio ipſius Cardinalis aſſeritur.

9. Cardinalis Bonæ nomen & exiſtimatio Vertum commovit, & Tourneux, ut dicendarum ſubmiſſa voce precum conſuetudinem ad ſæculum X. referrent. Ejuſdem Cardinalis auctoritate & ipſi ad eam amplectendam ſententiam adducti fuiſſemus, niſi infirmam eam eſſe cum Le Brun deprehendiſſemus. Ait Bona, certiſſimum eſſe Fideles ad verba Conſecrationis reſpondere conſueviſſe, *Amen*; ex quo infert, ea verba elata voce eſſe prolata, ut a Populo audirentur; & quia Florus poſtremus eſt omnium Scriprorum, qui de hoc *Amen* loquuntur, *inde* ait Bona conſequi, cum Scriptor ille nono vixerit ſæculo, paullo poſt ejus ætatem, X. ſcilicet ſæculo obſoleviſſe uſum reſpondendi *Amen*, diſciplinamque ſubmiſſa voce Canonem recitandi introductam eſſe: *Poſtea ſtatutum eſt, ut Canon ſubmiſſa voce recitaretur, & ſic deſiit ea conſuetudo ſæculo decimo, ut conjicio: quia poſt Florum, qui nono labente ſæculo vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi poſterioris ſcriptores*. De voce *Amen* ſcripſere Gregorius Caſander in Liturgia cap. 28. & Albaſpinæus tractatu de Veteri Eccleſiæ Politia in adminiſtr. Euchar. & circumſtantiis Miſſæ lib. 2. cap. 14.

Antiquitus poſt verba conſecrationis populus reſpondebat, Amen.

10. Sane inficiari poteſt nemo Populum poſt Conſecrationem reſpondere conſueviſſe *Amen*. Juſtinus Martyr Apolog. 2. *Terminante*, inquit, *Sacerdote Orationes, & gratiarum actiones, omnis qui adeſt Populus acclamat dicens Amen, quod Hebraica voce ſignificat, Fiat*. Tertullianus de ſpectaculis cap. 25. eos increpat, qui poſtquam in Miſſa reſpondiſſent *Amen*, ad ſpectacula venirent, & applauderent gladiatoribus: *Eo ore, quo Amen in ſanctum protulerant, gladiatori teſtimonium reddere non verebantur*, ad quem locum obſervat Goar loc. cit. non dicere Tertullianum *in Sancto*, hoc eſt in ſacrificio, ſeu in loco ſacro, ſed *in Sanctum*, ideſt in teſtimonium conſecrationis Corporis Chriſti. D. Ambroſius libro de his qui initiantur ita ſcribit: *Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem Corpus ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante Conſecrationem aliud dicitur. Poſt Conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis Amen, hoc eſt, verum eſt: quod os loquitur, mens interna fateatur; quod ſermo ſonat, affectus ſentiat*. Et S. Leo ſerm. 6. de Jejunio ſeptimi menſis: *Hoc ore ſumitur, quod Fide creditur; & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, a quibus contra id, quod accipitur, diſputetur*. Et Florus, quem ut diximus afferunt, ut demonſtrent hanc conſuetudinem non ultra decimum ſæculum perduraſſe, ita ſcribit in expoſitione Miſſæ: *Amen autem, quod ab omni Eccleſia reſpondetur, interpretatur verum, non ubicumque, & quomodocumque, ſed myſtica religione. Hoc ergo ad tanti myſterii Conſecrationem, ſicut & in*

omni

omni legitima Oratione, respondent Fideles, & respondendo subscribunt.

Sed et eo quod Populus respondebat Amen, post Consecrationis verba, non conficitur Canonem recitari consuevisse alata voce.

11. Sed ut ad rem propius accedamus, non satis est, *Amen* ad probandum, Secretas & Consecrationis verba alta voce consuevisse recitari; nam etiamnum in Canone pluribus in locis reperitur *Amen*, quæ vox dicitur a Sacerdote, qui Secretas & *Amen* submissa recitat voce. Non satis est dicere, *Amen* dici a Populo consuevisse; nam nunc quoque in fine Canonis, cum Sacerdos illum submissa voce recitaverit, vocem tollit dicens: *Per omnia sæcula sæculorum:* Et Populus respondet *Amen*. Probandum itaque est Populum dicere consuevisse *Amen* non post Consecrationem, sed statim post prolata verba Consecrationis panis & vini; quod non probant allata Patrum aliorumque Scriptorum loca, quæque amplius afferri possent; quod singulis perpensis ostendit luculentissime Le Brun cit. tom. 4. qui concludit Populum non dixisse *Amen* statim post formam Consecrationis, sed ad finem gratiarum actionis, vel cum adstantium aliquis sanctissimum suscipiebat Sacramentum. In veteri Missali Gallicano, quod typis edidit Cardinalis Thomasius, in Sacramentario pag. 430. non habetur *Amen* post verba Consecrationis. In primo Ordine Romano, quem vulgavit Mabillonius in Museo Italico tom. 2. pag. 12. qui vetustior existimatur Gregorio Magno, *Amen* reperitur in fine Canonis. Testatur Le Brun tom. 2. pag. 257. se accurate vetusta contulisse Missalia usque ad XII. sæculum, nec alibi reperisse *Amen*, quam post verba, *Per omnia sæcula sæculorum*. Micrologus integrum affert Canonem, quem dicit sub silentio recitandum, & ponit *Amen* ad verba, *Per omnia sæcula sæculorum*. Yvo Carnotensis de Convenientia veteris & novi Sacrificii diserte ait, non alibi *Amen* reperiri quam post verba, *Per omnia sæcula sæculorum*. Ejus verba sunt; *Tamquam de interioribus ad exteriora procedens, assensum Ecclesiæ quærit Sacerdos sonora voce, Per omnia sæcula sæculorum: supplet Populus super Oratione ejus locum idiotæ, & respondet Amen, hac una participem voce se faciens omnium Charismatum, quæ Sacerdos multiplici Sacramentorum diversitate studuit impetrare.* In recentioris ævi manuscriptis Missalibus reperitur quidem *Amen* statim positum post Consecrationis verba; sed nec ex additionibus privata auctoritate, & contra disciplinam Romanæ Ecclesiæ injectis firmum erui potest argumentum; nec illud *Amen* dicebat Populus, sed submissa voce Sacerdos. In Ecclesia vero Græca alta pronunciantur voce Consecrationis verba, & Populus respondet, *Amen*; sed id introduxit Justiniani Constitutio, de qua inferius sermonem habebimus, neque id umquam ad Occidentalem Ecclesiam permeavit, & in ipsa Orientali Ecclesia quædam Orationes Canonis etiamnum submissa voce recitantur.

Ex disciplina Arcani, aliisque argumentis ritus recitandi Canonem submissa voce referendus est ad primæ Ecclesiæ sæcula.

12. Tertio quæritur, quonam tempore Ritus invaluerit recitandi submissa voce præces de quibus agimus; atque ut ad hoc examinandum pariores aggrediamur, præmittendum est sæculo IV. dumtaxat mandari cœpisse litteris sacras Liturgias; secretissime enim Sacramentorum formæ occultabantur, præsertim forma Consecrationis panis & vini, quas Episcopi memoria custodiebant, tradebantque iis, quos sacris Ordinibus initiabant, ea lege ut sancta verba profundo arcano recondita servarent. Auctor Ecclesiasticæ Hierarchiæ, qui sub Dionysii Areopagitæ nomine delitescit, fuse de variis Missæ partibus scribit, sed nihil de Consecratione. Innocentius I. a Decentio Eugubino Episcopo interrogatus, quando in Missa danda esset Pax, respondit dandam post explecta Mysteria, quæ se ait nominare non debere: *Cum post omnia, quæ aperire non debeo, Pax sit necessario indicenda*; S. Ambrosius lib. De Cain & Abel lib. 1. cap. 9. num. 35. & de Abraham lib. 1. cap. 5. num. 38. docet, *Mysteriorum esse premendam doctrinam*; & alibi, *& quasi operire fido silentio*. De sancti Sacrificii precibus loquitur tamquam de rebus occultis, mysteriorum plenis, ab hominum cognitione semotis, quas vulgare periculosum esset: *Non divulgemus Orationem, sed abscondita teneamus mysteria*; cujus arcani rationem affert: *Sunt enim plurima, quæ cruda displicent, cocta delectant. Fove igitur pectore tuo alta mysteria, nec præmaturo sermone, & infidis auribus; aut infirmis quasi incocta committas*. In Constitutionibus Apostolicis, quæ justa communem doctorum virorum sententiam collectæ sunt sæculo IV. lib. 1. cap. 8. proxime post Missæ Præfationem adnotatum est, Pontificem secreto orare, seu, ut habet Græcus textus, in se ipso orare; & in edito a Cardinali Thomasio Sacramentario S. Gelasii, qui creatus fuit Pontifex ann. 492. Oratio, quæ recitatur super Oblata, titulum habet *Secretæ*. In vetustissimis formulis Missæ celebrandæ juxta Ritum Gallicanum, antequam a Carolo Magno Romanus ritus in Galliam esset invectus, præscribitur, ut Canon aliæque Orationes secreto recitentur. Præterea in antiquo Ordine Romano, quem citat Micrologus & Amalarius, qui Ordo ut putat Mabillonius est sexti sæculi, habetur, Pontificem, postquam cecinerit Chorus, *Sanctus & Hosanna*, Canonem submissa voce incipere: *Surgit Pontifex, & tacite intrat in Canonem*. In Ritu Mozarabo plures sunt Orationes silentio recitandæ: *Dicat in silentio super Oblationem*, inter quas est Oratio *Adesto*, qua Consecrationis forma continetur; *Deinde dicat in silentio junctis manibus, inclinando se ante Altare hanc Orationem: Adesto*. Huc accedit, quod in Orientalis Ecclesiæ Liturgiis præsertim Basilii, & Chrysostomi diserte Orationes illæ discriminantur, quæ alta, ab iis, quæ submissa voce sunt recitandæ; & cum hujusmodi Ritu consentiunt Liturgiæ Cophtorum, Æthiopum, Syrorum Armenorum, Nestorianorum, & Malabarorum. Ex quibus omnibus quis ejusmodi Ritum vetustissimum esse non intelligat? Et sane si Sacramentorum & Consecrationis forma alta voce pronunciata fuisset, quorsum illud arcanum, quod primis Ecclesiæ sæculis tam fideliter servabatur? Vel ipsa vox *Secretæ*, aliæque voces, quæ idem valent, satis superque id evincunt. Itaque quis hujusmodi Ritum ad prima Ecclesiæ sæcula non referat, & veneretur non solum tamquam ab omnibus receptum Liturgiis, sed a primis usque temporibus ab Ecclesia Romana observatum, quæ illum Apostolica traditione accepit? Liturgiam, qua tunc Romana utebatur Ecclesia, Innocentius I. Beato Petro Apostolo tribuit, eamque servandam ait ab omnibus: *Quis nesciat, aut non advertat id, quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari?* Et Vigilius Papa ad Profuturum Hispaniarum Episcopum precationes mittens, quæ Romæ recitabantur in Missa, ait se ita eas mittere ut ab Apostolica acceperit Traditione: *Quem ex Apostolica Traditione suscepimus*. Legendus tom. 4. P. Le Brun, in quo monumenta omnia afferuntur, quibus ea quæ hactenus diximus, abunde probantur. Et sane haud facile quemquam reperias, qui totam hanc rem aut accuratius aut uberius pertractaverit. Legi etiam potest paulo ante memorata Josephi Langlet Archiepiscopi Senonensis Pasto-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

floralis Instructio, in qua quartus tomus Patris Le Brun brevi compendio coercetur.

Justiniani Novella solum est, ut in aliquibus Ecclesiis Orientis secreta distrenxit elata voce.

13. Quarto quæritur, an ejusmodi quarumdam submissa voce recitandarum precum disciplina mutationem aliquam passa sit. Sexto sæculo mutavit paullulum hæc disciplina propter Justiniani Novellam CXXXII. in cujus cap. 6. hæc habentur: *Ad hæc jubemus, omnes Episcopos & Presbyteros non in secreto, sed cum ea voce, quæ a fidelissimo Populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in sancto Baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem, & Dei laudationem & benedictionem offerantur: sic enim & divinus Apostolus docet dicens in priore ad Corinthios Epistola: Ceterum, inquit, si solum benedicis spiritu, is, qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni subjicet Deo sanctum illud Amen? Siquidem, quid dicas, non novit. Tu autem pulcre gratias agis, sed alius non ædificatur. Et rursus in ea, quæ est ad Romanos, sic dicit: Corde quidem creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem. Idcirco igitur convenit, ut ea precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, & aliæ Orationes cum voce a sanctissimis Episcopis & Presbyteris proferantur Domino nostro Jesu Christo Deo nostro cum Patre & Spiritu Sancto: scituris religiosissimis Sacerdotibus, quod si quid horum contempserint, & horrendo Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi judicio rationem reddituri sunt, & nos ista cognoscentes, non relinquemus quieta & inulta.* Profecto Justinianus ad Sacrarium admovit manum; nec sane ejusmodi probari potest Constitutio, quod etiam observat De Marca in Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 2. cap. 6. *Quare vereor, ne Justinianum damnare cogamur, quod de sacræ Liturgiæ Ritibus Constitutionem ediderit, qua mystica verba consecrationis Eucharistiæ elata voce, non autem demissa, ut solemne erat, proferri jubet, ut qui locum tenet idiotæ, Amen succinere possit. Præterquam quod enim de Ritu sacrificiorum decernere tentat, quæ pars disciplinæ solis Sacerdotibus competit, antiquos Ecclesiæ mores sollicitat, qui, ut reverentia Mysteriis conciliaretur, preces mysticas demissa voce proferri induxerant, ut testatur Basilius.* Sed ab hoc Justiniani ausu quædam eliciuntur, quæ nostræ causæ mirifice favent.

Ea Novella validius asserit vetustas disciplinæ recitandi secreto Canonem.

14. Ad Constitutionem suam constabiliendam non affert veterem Justinianus consuetudinem, qua (si qua fuisset) profecto usus esset. Quod indicium facit, Canonis preces ante Justinianum demissa voce recitari consuevisse. Neque etiam dicit, quamdam Missæ partem tono recitari solitam cantui oppositio, sed secreto, eaque voce, quæ non audiretur; ideoque jubet, deinceps recitari *non in secreto sed cum ea voce, quæ exaudiatur.* Igitur *submissa voce* non significat, quod contendunt Novatores, vocem cantui oppositam, sed quæ ab aliis, ut supra monuimus, non audiatur. Affert Justinianus D. Pauli verba, quæ sane ad hanc rem nihil pertinent: de iis enim Apostolus loquitur, qui non solum verba non intelligebant, sed ne illud quidem noverant, de quo sermo esset: ille igitur locus non congruit rei, de qua agimus; Populus enim, si Consecrationis verba non audit, tamen probe novit, Presbyterum consecrare panem, & vinum, ideoque ad precationum finem bene potest respondere *Amen.* Locus alter Apostoli: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, nihil itidem probat; referendus enim est potius ad Fidei Symbolum, quam Fidelium conventus corde credit, & ore confitetur. Quod attinet ad novitatem a Justiniano invectam, sane negari non potest, quin suum in aliquibus Orientis regionibus ea Constitutio obtinuerit effectum; quod satis ostenditur ex eo, quod de tribus pueris narravimus, ut etiam animadvertit Menardus in notis ad librum Sacramentorum S. Gregor. pag. 389. *Oratio cum verbis consecratoriis olim in quibusdam locis alta & clara voce proferebatur, ut testatur Joannes Moschus: Quoniam in quibusdam locis clara voce pronuntiare solent Orationem Oblationis Presbyteri, factum est, ut eam pueri didicerint;* idque ingenue fatetur Le Brun; quamquam ostendit Orientales aliquot Ecclesias arcanum & silentium, frustra ea Justiniani refragante Constitutione, retinuisse, ut videre est tom. 4. pag. 254. & seq. idque ex Ritu etiam, quem supra memoravimus, recentiorum Græcorum apparet, qui voce quidem elata verba Consecrationis, demissa vero alias Orationes Canonis proferunt.

Justiniani Novella nihil mutatum in Occidente, nec unquam intermissus ritus recitandi Canonem secreto.

15. Quinto quæritur, an ullam in Occidentalem Ecclesiam Justiniani Constitutio variationem invexerit. Et fidenter plane nullam respondemus. Vetustissimum enim Ritum secreto recitandi Canonem & Consecrationis verba Occidentalis Ecclesia semper retinuit. Abunde id probat Le Brun tom. 4. pag. 133. prolatis Sacramentariis, Missalibus, & Ordinibus Romanis, quibus ostenditur usus secretarum precum in Missa per ea tempora, quæ Justiniani Constitutionem proxime sunt consequuta. Quod si graves fideque dignos post X. sæculum Auctores adire libeat, qui scripserunt de Missæ Sacrificio, sane non desunt auctoritates, quibus ostenditur, in Occidentali Ecclesia numquam ejusmodi Ritum esse intermissum. Testatur id Innocentius Tertius, Belletus, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus tom. 21. de Sacrificio Missæ disputatione 10. D. Thomas 3. p. q. 83. art. 4. ubi ait, Sacerdotem ea clara voce dicere, quæ ad se & ad Populum, demissa vero quæ ad se solum pertinent, ejusmodi est Oblatio & Consecratio; & in responsione ad sextum; *Quædam vero*, inquit, *pertinent ad solum Sacerdotem, sicut Oblatio, & Consecratio, & ideo quæ circa hæc sunt dicenda, occulte a Sacerdote dicuntur.* Et D. Bonaventura in Exposit. Missæ, ubi agit de modo, quo Canon recitandus sit, *Canon*, inquit, *discrete, & sub silentio legendus est: discrete, ut verba Canonis nec nimis velociter syncopando, vel nimis protrahendo circumstantibus generent tædium. Unde Ecclesia, statuit, ut Canon devote, & sub silentio legatur.*

Lex est positiva recitandi secreto Canonem in Tridentina Synodo.

16. Sexto quæritur, an ratio & positiva sit quædam lex, qua Canonem aliasque preces demissa voce recitare jubeamur; & an aliquando tota dicatur Missa alta voce quæ audiatur ab omnibus. Lex ea de re posita est in Synodo Tridentina, quæ ejusdem legis affert rationem sess. 22. cap. 5. *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia Ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero clariore in Missa pronuntiarentur, instituit.* Et canone 9. ejusd. sess. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.* S. Synodus respicit ad Eucharistici sublimitatem Mysterii, quæ postulat, ut nihil nesciat Sacerdos, quædam vero sint Populo arcana; tum & ad Spiritus Sancti operationem, quæ panem & vinum convertens in Corpus, & Sanguinem Jesu Christi non cadit sensus: *Quam consecrationem Corporis, & Sanguinis Dominici ideo semper in silentio arbitror celebrari, quia sanctus in eis manens Spiritus eumdem Sacramentorum latenter operatur effectum. Unde Græce mysterium dicitur, quod secretam & re-*

Rationes hujus Ritus.

con-

conditam habeat dispositionem: verba sunt veteris Expositoris Missæ apud Martene tom. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus primæ edit. pag. 148. Respicit itidem S. Synodus ad majorem venerationem, quæ ex secreto paritur erga res divinas, quæque silentio excitatur & alitur, quo fit ut celebrans Sacerdos, & qui adstant, quæ repræsentantur Mysteria, *meditari* possint *attentius*. Innocentius III. lib. 2. Myster. Missæ cap. 54. mysticam affert hujus silentii rationem, Jesum scilicet videndum sese Judæis non præbuisse, cum agitarent animo eum interficere, ut tradit Joan. cap. 11. & idcirco *silentium Sacerdotis latibulum Christi significare;* & lib. 3. cap. 1. considerat, Christum cum palmis & acclamationibus exceptum a turbis, qui *abiit*, *& se abscondit ab eis*, non quidem ob metum, sed *quia nondum venerat ora ejus*. Scribit igitur Pontifex: *Illud latibulum Christi hoc silentium repræsentat, in quo cessante verborum tumultu, sola dirigitur ad Deum intenta devotio*.

In Ordinatione Sacerdotum Episcopus paullulum elata voce totam Missam recitat.

17. Quod vero ad illud attinet, num aliquando tota Missa elata voce recitetur, id in sola Sacerdotum ordinatione nunc usurpatur. Non enim Ordinandi tam prope altare sunt, *ut olim*, cum tam Episcopus Ordinans, quam Ordinandi manibus Missale tenentes submissa voce Secretas pronunciabant. Nunc Ordinandi circa Altare in genua provoluti disponuntur, & Episcopus, quasi eos doceat Missam celebrare, lente ac paullulum elata voce Secretas profert, non eas ut Populus audiat, sed ut Sacerdotes novissime initiati cum eo possint eas recitare, & verba Consecrationis uno eodemque tempore cum Episcopo pronunciare; ad exemplum Christi, qui voce, quæ ab Apostolis audiri potuit, in ultima cœna panem & vinum consecravit, ut eos, quos tunc Sacerdotio initiabat, doceret consecrandi modum, legitimumque ritum ad consummationem usque sæculi duraturum.

Plures Novatorum conatus ad tollendum Ritum.

18. Postremo loco quæritur, num post Synodum Tridentinam extiterit aliquis, qui usum fuerit introducere alta voce, quæ ab omnibus audiatur, recitandi Secretas, Canonem, & Consecrationis verba, & quis huic temerario ausu restiterit. Primus, qui Protestantium nomine Catholicam ea in re obtrectarit Ecclesiam, est Petrus Suavis. Contendit, secum ipsam pugnare S. Synodum. Ea enim docet, in Missa multa contineri, quæ ad erudiendos Fideles pertinent, proindeque jubet, Parochos in Missa Parochiali eorum aliqua Populo explicare, quæ leguntur in Missa, præsertim vero aliquod sanctissimi hujus Sacrificii mysterium: hæc vero omnia non bene consentire ait cum latina lingua, cujus Populus est imperitus & cum secretis Orationibus, quas ne aure quidem percipit.

Petri Suavis & Courayeri venenatæ censuræ.

19. Hanc porro Suavis venenatam censuram, quasi non satis dilucide ab eo sit exposita, rursus inculcat Courayer tom. 2. Hist. Conc. Trident. pag. 328. Verum Cardinalis Pallavicinus, & Natalis Alexander dissert. 12. Hist. Eccl. sæculi 15. & 16. art. 12. satis ostenderunt, quam bene secum conveniant Trident. Concil. Decreta. Nam & Latine Missa celebranda est, & Secretæ ob rationes adductas submissa voce recitandæ, & Parochus ex Altari Populo debet explanare, quæ Fideles scire oportet ex multis, quæ Sacrificio Missæ continentur, eaque minime explicare, quæ non oportet Populum scire. Savary Episcopus Sesuviorum anno 1698. quosdam Ecclesiasticos vehementer increpuit, qui eo devenerat audaciæ, ut alta voce Canonem recitarent, iis objiciens Ecclesiæ universalis disciplinam, eosque suspensionis pœna ipso facto incurrenda punivit, qui in eo quod ad vocem pertinet, qua Secretæ sunt proferendæ, cum Missali Romano non consentiant. Cardinalis de Bissy anno 1710. novum pro Meldensi Diœcesi edidit Missale, ubi qui eam curavit editionem, illa Rubricæ verba *submissa voce* explicavit *sine cantu;* atque ut callide insinuaret, Canonem alta esse voce recitandum, singulis quibusque Orationibus addit *Amen*. Verum fateri non veritus est Cardinalis, se esse deceptum; & suum ipsius Missale, se inscio corruptum, censura notare laudi sibi duxit & gloriæ. Denique notissimum est nuperrimum Missale Trecense; in quo inter ceteras novitates illa non deest, Secretas voce, quæ audiri possit a Populo, recitandas; nec fere quisquam est, qui nesciat quæ adversus illud Missale scripserit Langletus Archiepiscopus Senonensis, qui veterem disciplinam strenue tuetur in Instruct. Pastorali Parisiis edita anno 1737. Egregius idem Antistes olim Suessionensis Episcopus libellum scripsit *De vera mente Ecclesiæ in sacris Cæremoniis*, quo Verti fregit audaciam, qui plurimarum studiosus novitatum & illud volebat, ut alta voce Secretæ recitarentur. Ejusmodi novam *disciplinam*, quæ Novatorum opera sensim irrepsisset, nemo est qui nesciat, quantopere Theologi Galli oppugnaverint. Thiers tractatu de Superstitionibus tom. 1. cap. 1. Scriptorum, Provincialiumque Conciliorum auctoritates congerit, quibus ostendit, Secretas submissa voce recitandas.

Omnes Liturgiæ habent partes quasdam elatas, quasdam submissa voce recitandas.

20. Quærit Juveninus tractatu de Sacramentis, an Sacerdos quasdam quidem preces submissa, quasdam vero elata voce debeat recitare; & respondet affirmando; præscriptum id esse in Liturgiis Latinis & Græcis, jussum a sacris Canonibus; eosque Sacerdotes increpat, qui zelum prætexentes alta voce Canonem recitabant. Ronaudotius, qui summa diligentia & cura Liturgias fere omnes Orientales edidit, accurate observat, quæ alta, quæ demissa voce dicenda sunt. Nec iis contentus, quæ in notis scripserat, Dissertationem præviam composuit, ut lucem afferat veteri Disciplinæ, qua Ecclesia vel ipsis Fidelibus mysteria tegebat, ea breviter & subobscure exponendo: *Suadet id etiam Ecclesiasticæ disciplinæ ratio, quæ mysteria tanto silentio tegi jubeat, ut non nisi initiatis, & breviter quidem, immo subobscuriuscule explicarentur*: verba illius sunt tom. 1. Denique supra Mabillonii, Martene, & Le Brun sententias attulimus, quos Scriptores nemo ignorat totum hoc argumentum exhausisse, nihilque harum rerum studiosis reliqui fecisse, quod addere possint.

Galli quidam Arcani disciplinam in Missa prædicant, sed rationem commenti sunt minus veram.

21. De Canone, seu de Missæ Secretis ita scribit Bellotte in Observat. ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 529. *Secretum olim dicebatur potissimum ratione prolationis, quia submissa voce, atque secreto proferri debet, ne tam sancti Mysterii verba manifeste prolata & publice, per quotidianum usum vilescerent, & ne a Laicis etiam in locis profanis indebite atque irreverenter pronuntiarentur*. De veteri Arcani disciplina mentionem facit Gilbertus Grimaud in Liturgia sacra par. 3. cap. 7. cui disciplinæ locum ait fuisse præcipuum in verbis Consecrationis, quæ per traditionem ad Sacerdotum traducebantur notitiam, ne ea Infideles resciscerent. Uterque Auctor exemplum a nobis supra allatum profert, e Moscho in *Prato Spirituali* depromtum. Quod modo diximus, uberrima eruditionis copia confirmat Albaspinæus Aurelianensis Episcopus tom. 1. tract. de Veteri Ecclesiæ Politia in administrat. Sacramentor. cap. 1. & 2. In tractatu quodam de Missa & Divino Officio iterum Parisiis edito anno 1714. pag. 111. propo-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

proponitur quæstio, unde consuetudo orta sit recitandi Canonem submissa voce; atque eum morem contendit Auctor inde profectum esse, quod in solemni, quæ cantatur Missa, cum Chorus caneret *Sanctus*, & cantus longiore tractu propter Notarum multitudinem portraheretur, Sacerdos Missam celebrans, qui cum choro non caneret, cœpit recitare Canonem submissa voce; qui mos a solemni Missa, quæ canitur, ad privatam, quæ legitur, traductus est. Eandem antea ingressus fuerat viam Auctor tractatus de optimo Missam audiendi modo secundæ edit. Parisien. anni 1681. cap. 6. pag. 257. & seq. Hanc autem originem, quam duo illi Auctores excogitarunt, minime agnoscimus, quippe commentitiam. Eos tamen idcirco adduximus, ut appareat, quantum sit hominum etiam nunc in Galliis, qui Rubricæ de Secretis observantiam tueantur. Perpulcrum de Secreto Mysteriorum tractatum Parisiis ann. 1710. edidit Vallemontius, seu potius Apologiam pro Rubrica Missalis omnigena eruditione refertam, in qua confutat Vertum, qui cum aliis quibusdam earundem partium, ut jam vidimus, contendere ausus est, Secretas alta recitari voce oportere. De Vallemontio idem censemus, quod de duobus aliis Gallis Auctoribus, quos supra memoravimus. Gaudemus enim, quod videamus Rubricæ observantiam de Secretis strenue ab eo quoque propugnatam. Verum ejus rationibus subscribere omnino non possumus. Existimat enim, idque verissimum est, Catechumenos, Energumenos, Infideles, & publicos Pœnitentes dimitti consuevisse, cum recitari cœperat Canon Missæ: putat præterea, iis dimissis, cum soli Fideles, neque Energumeni, nec Pœnitentes, nec Catechumeni remanerent in templo, reliquum Missæ elata voce dici consuevisse, quod tamen est falsum. Arcani enim disciplina vetabat, ne sacrosancta Mysteria vel Fidelibus ipsis enunciarentur. Tandem censet, octavo sæculo, cum ad Missam unicuique pateret aditus, opportunum visum esse, ut quemadmodum olim neque Catechumeni, neque Energumeni, neque Pœnitentes Canonem, ideoque nec Consecrationis verba audiebant, ita deinde unumquemque hominum, qui Missæ adesset, totum id celaretur; quod a veritate quantum absit, satis apparet ex iis, quæ superius diximus.

CAPUT XXIV.

De Missa a Communione usque ad finem.

Actiones quæ fiunt a Sacerdote post Communionem usque ad finem Missæ.

1. Missæ cursum non inopportunis quibusdam crebro interjiciendis abrupimus; nunc vero illum tandem repetamus. Postquam Sacerdos Sacramentum ipse sumsit, & adstantibus distribuit, si qui sunt communicandi, & sumpsit, ablutionem, e medio Altari se confert ad cornu Epistolæ, quo Minister Missale transtulit; legit Antiphonam, quæ *Communio* dicitur, redit ad medium Altare, illudque osculatur; conversus ad Populum dicit *Dominus vobiscum*; ac rediens ad librum legit Orationem, quæ dicitur *Postcommunio*: postremo librum claudit: tum redit rursus ad medium Altare, quod osculatur; ad Populum autem conversus dicit, *Dominus vobiscum*, atque *Ite Missa est*, vel volvens se ad altare, *Benedicamus Domino*, si ita præscribat Rubrica; cui Minister respondet, *Deo gratias*: in Missis vero Defunctorum dicit, *Requiescant in pace*; cui Minister respondet, *Amen*. Denique inclinatus in medio Altari dicit Orationem, *Placeat*; & conversus ad Populum ei benedicit, quod prætermittit in Missis Defunctorum: inde se conferens ad cornu Evangelii recitat Evangelium S. Joannis, vel aliud Evangelium; quod Rubrica præscripserit.

Antiphona, quæ dicitur Communio, canebatur interea dum dispensebatur Eucharistia.

2. Porro Antiphona idcirco *Communio* dicitur, quia ut observat Gavantus, canebatur interea dum Populo Eucharistia distribuebatur. Ejus mentionem faciunt Ordines Romani. Canebatur alternis quisque versus Psalmi, ex quo erat composita. Cardinalis Thomasius exemplum edidit Psalmi Communionis, qui cantabatur in modum Antiphonæ. Producebatur cantus, donec Pontifex, qui Missam celebrabat, nutu monebat, ut a cantu desisteretur, & caneretur *Gloria Patri*, ut apparet in primo Ordine Romano num. 20. *Mox ut Pontifex cœperit in Senatorio communicare, statim schola incipit Antiphonam ad Communionem per vices cum Subdiaconibus; & psallunt usque dum communicato omni Populo, annuat Pontifex ut dicat Gloriam: & tunc repetito versu quiescunt*, Hæ Missæ pars, in qua *Communio* & *Postcommunio* recitantur, olim vocabatur *gratiarum actio*, ut ait Rupertus de Divinis Offic. lib. 2. cap. 18. *Cantus, quem Communionem dicimus, quem post cibum salutarem canimus, Gratiarum actio est*; quod multo ante dixerat Augustin. Epist. 149. alias 59. *Participato tanto Sacramento, Gratiarum actio cuncta concludit*. Antiphonam, quæ *Communio* dicitur, aliæ consequuntur Orationes, quæ vocantur *Postcommunio*, quæ proxime post Communionem recitantur, ad Deo gratias agendas, quod tantorum Mysteriorum nos voluerit esse participes, & ad gratiam ab eo postulandam, ut ejus fructum, & quidquid operari sanctificationem potest, conservemus. In quibusdam locis hæc Oratio vocatur *Complenda*, seu *Oratio ad Complendum*, hoc est Oratio qua res tota finitur. Rubrica Missalis præscribit, ut tot dicantur in hac parte Missæ Orationes, quot dictæ fuerunt in principio: *Multiplicatis secundum numerum Collectarum in principio Missæ & Secretarum ante Canonis Præfationem præmissarum*, ait Biel Lect. 39. super Canone Missæ pag. 918. Per Quadragesimam in Missa Feriali post Orationes, quæ vocantur *Postcommunio*, Sacerdos præfatus formulam, *Humiliate capita vestra Deo*, dicit Orationem *super Populum*. Oratio hæc *super Populum* vetustissima est, ut colligitur e Sacramentario Gelasiano a Cardinali Thomasio edito: olim quidem non per Quadragesimam tantum, sed per totum annum, nunc vero per Quadragesimum solum recitatur, ut divino Populus muniatur præsidio adversus Diaboli insidias, quæ metuendæ magis sunt diebus Pœnitentiæ, ut explicant Amalarius lib. 3. de Divinis Offic. cap. 37. & Micrologus cap. 51. *de Ecclesiasticis Observationibus*.

Post communio tot Orationes habet, quot fuerint Collectæ.

Vetustissima Oratio quæ dicitur per Quadragesimam super populum.

3. De illa formula dimittendi Populum, *Ite Missa est*, alibi sermonem habuimus, ubi docuimus post expletam Catechumenorum Missam eos dimitti a Diacono; absoluta autem Missa, cui reliqui Fideles aderant, ipsos a Diacono pariter dimitti illis verbis consuevisse, *Ite Missa est*. Juxta eam, quæ nunc invaluit, disciplinam, quoties in Missa dicitur *Gloria in excelsis*, dicitur *Ite Missa est*; si vero hymnus ille omittatur, dicitur, *Benedicamus Domino*, ut invitetur Populus ad gratias de expleto Missæ sacrificio Deo agendas. *Semper cum Gloria in Excelsis etiam Te Deum, & Ite Missa est recitamus*, ait Micrologus cap. 46. Sensus illorum verborum *Ite Missa est*, hujusmodi est: *Vobis abire licet, nam fit Missa, idest dimissio*. Græci alium loquendi modum adhibent. Dicunt enim, *In pace Christi eamus*, ut videre est in Liturgiis Sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi; respondet autem Populus, *In nomine Domini*. Bellarminus

Cur & quando antequam omitteretur formula Ite Missa est.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tom. 3. controverſ. lib. 6. de Miſſa cap. 27. poſt Micrologum obſervat dici conſueviſſe *Ite Miſſa eſt* in Miſſis dierum Feſtorum. Illis enim plerumque Populus intererat, non vero in Miſſis Ferialibus, in quibus plerumque Clerici & Monachi aderant, qui non dimittebantur, quod remanerent ad Officium continuandum; & quamquam ob eam rationem dicendum fuiſſet *Ite Miſſa eſt*, non *Benedicamus Domino*, in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ; addit in his Dominicis dici, *Benedicamus Domino*, & non *Ite Miſſa eſt* ad ejus temporis mœſtitiam ſignificandam: *Videtur enim neſcio quid lugubre præferre, quod non publica denunciatur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedit.* Loquitur de formula *Ite Miſſa eſt* etiam Cardinalis Bona Rer. Liturg. lib. 2. cap. 20. n. 3. ubi refutans Micrologum ait, illum probaſſe oportere, non conſueviſſe Populum Miſſis quotidianis adeſſe; & concludit omiſſam fuiſſe formulam *Ite Miſſa eſt*, quando Populus abſoluta Miſſa non illico Eccleſia abibat, ſed expectabat dum Horæ recitarentur Canonicæ, eamque conſuetudinem etiam in Miſſis minus ſolemnibus & quotidianis invaluiſſe. De formula *Requieſcant in pace* loquitur Belletus cap. 49. *Dicitur*, inquit, *in Miſſa pro Defunctis Requieſcant in pace, quod ex ſola conſuetudine generali natum eſt*, vel quia tota Miſſa pro Defunctis in eo eſt, ut ipſis a Deo quietem impetret, vel quia poſt Miſſam non erat dimittendus Populus, qui remanebat ad Cadaveris ſepulturam aliaſque preces pro animabus Defunctorum. Vertus tom. 1. pag. 141. & tom. 3. pag. 416. ait verba illa *Deo gratias*, quæ dicuntur poſt *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, eſſe additionem; quam quia omittunt Clerici Eccleſiæ Pariſienſis, & poſtquam Diaconus dixit, *Ite Miſſa eſt*, confeſtim abeunt, eos propterea laudat. Verum Le Brun tom. 1. pag. 668. oſtendit vetuſtatem ejus Ritus; verba autem illa habentur in Amalario, & in Ordinibus Romanis; & Clericorum Pariſienſium abuſui præferendam eſſe monet Carthuſianorum conſuetudinem. Etſi enim ii Monachi neque populo in Miſſa benedicant, nec recitent S. Joannis Evangelium, non tamen ab Altari abeunt, quin dicto *Ite Miſſa eſt*, reſpondeatur a Miniſtro *Deo gratias*.

Quando dicatur Benedicamus Domino.

Sententia Micrologi a Cardinali Bona improbata.

De duabus ſalutationibus Dominus vobiſcum ad finem Miſſæ.

4. In hac Miſſæ parte duæ ſalutationes fiunt populo illis verbis, *Dominus vobiſcum*. Prima ſalutatio benedictionem illam ſignificat, quam Chriſtus aſcendens in Cælum dedit Apoſtolis; ſecunda vero ſignificat vitam æternam, in quam ingreſſus eſt Chriſtus aſcendens in Cælum, cum reliquit Apoſtolos: *Prima ſalutatio ante Poſtcommunionem ſignificat illam benedictionem, quam Chriſtus aſcenſurus in cælum legitur dediſſe Diſcipulis ſuis. Nam ut Lucas ultimo commemorat, eduxit eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus benedixit eis. Ultima ſalutatio vitam æternam ſignificat, quam Chriſtus aſcendens ingreſſus eſt; quia cum ab eis receſſit, ut conſequenter ſcribit Lucas, ferebatur in Cælum.* Ita ſcribit Biel cit. Lect. pag. 918. pagina autem 921. ait Sacerdotem, cum dicit *Dominus vobiſcum*, ſe ideo ad Populum convertere, quia cum eo loquitur; cum autem dicit *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace*, ad Altare reverti, & ipſa reverſione ea verba proferre, quia Populum cohortatur, ut una cum eo benedicat Domino, & oret pro Animabus Defunctorum.

De Oratione ſecreta, Placeat.

5. Oratio *Placeat* in pluribus reperitur Sacramentariis poſt ſæculum IX. ſcriptis. Eam Sacerdos ſecreto recitat: eſt enim pro ipſo peculiaris Oratio; eamque dicit inclinatus, ut æquum eſt, ad Altare; ſiquidem ad ſanctiſſimam Trinitatem dirigit. Hæc Oratio habetur etiam in Miſſa Illyrici, & in aliis apud Menardum; ejuſque explicationem vide apud Biel cit. Lect. ſuper Canone.

Olim ſemper Sacerdos ſolus in Miſſa tantum ſolemnibus, nunc vero Epiſcopo ſolo ternis Crucis ſignis Populo benedicat.

6. Ternis olim Crucis ſignis Sacerdotes Populo benedicebant, ut nunc Epiſcopi. Sublatus eſt ejuſmodi Ritus a S. Pio V. qui in ſolemnibus Miſſis duntaxat adhiberi eum voluit. Clemens vero Octavus ſtatuit, ut Presbyteri etiam in Miſſis ſolemnibus, uno tantum Crucis ſigno Populo benedicant, ut videre eſt apud Meratum tom. 1. pag. 243. Abbatibus Regularibus ex Alexandri Septimi Decretis poteſtas fit ternas dandi benedictiones in Miſſis tantum Pontificalibus, unam vero duntaxat in aliis Miſſis, ut videre eſt in Edicto noſtro 34. §. 4. in fine. Haud ita vetus eſt conſuetudo benedicendi Populo in fine Miſſæ: de ea enim ſilent Amalarius, Florus, Rabanus Maurus, Walfridus, & Remigius IX. ſæculi Scriptores. Ejus tamen mentionem facit Micrologus cap. 21. ubi loquens de Populo, qui adeſt Miſſæ, ait: *Prius tamen benedicitur ab Epiſcopo, ſi adeſt; ſin autem, a Presbytero qui Miſſas celebravit.* Sed hoc non ubique uſurpatum eſſe oportet. Nam de hoc ritu nulla mentio fit in Ritualibus Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium, qui religioſi Ordines triginta poſt Micrologum annis ſunt inſtituti. Carthuſiani neque in ſolemni, neque in privata Miſſa juxta antiquum ſuum Ritum Populo benedicunt, ut notat Pouget tom. 2. Inſtitut. Catholicar. pag. 890. & cum eo concordat Ritus Ciſtercienſium. Rationem ejus Ritus affert Joannes Becoffen in Miſſæ expoſitione Baſileæ edita anno 1519. a Joanne de Indagine deſumta, cum ſcilicet, qui Populum non habet, non benedicere. Hodie tamen Carthuſiani, ſi celebrent in templis, quæ non ſunt ſui Ordinis, Populo benedicunt, ut colligitur ex eorum recentibus Conſtitutionibus Statut. 3. Compil. cap. 1. n. 58. In veteri Dominicanorum Ordinario lib. 2. ut refert Marcellus de Cavaleris in Statera ſacra tit. 29. num. 50. ita legitur: *Et ſi conſuetudo patriæ fuerit, & extranei fuerint hoc expectantes, dent benedictionem juxta morem patriæ.*

Haud ita vetus Ritus benedicendi Populo in fine Miſſæ.

Vetuſtiſſima eſt Benedictio Epiſcoporum.

7. Quæ hactenus diximus, de benedictione ſunt intelligenda, quæ datur ſub finem Miſſæ a Presbyteris. Nam Epiſcoporum benedictio vetuſtiſſima eſt: *Benedictionem Epiſcopalem Martialis Epiſcopus Apoſtolorum Diſcipulus ex magiſterio Apoſtolorum tradidit;* verba ſunt Honorii in Gemma Animæ lib. 1. cap. 90. Qui vero cupiat ejus vetuſtatis argumenta, adeat Chriſtianum Lupum tom. 5. ad generalia Concilia & provincialia pag. 526. Guido Abbas, qui XI. vixit ſæculo, & in Italia floruit, loquitur de conſuetudine, quæ ætate ſua invaluit, ut Presbyteri ſub finem Miſſæ benedicerent Populo: *Hinc & illa conſuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inoleviſſe videtur, ut aliis temporibus etiam Presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne Populum ita benedictione, ut communione privatum diſcedere permittant.* Et alibi: *Adeo in uſum jam uſquequaque venit Benedictio, ut nequaquam abſque gravi ſcandalo a Presbyteris in Populo prætermitti poſſit, niſi forte Apoſtolica Sedes generaliter & Synodaliter prohibere voluerit.* Illud tamen eſt adhuc dubium, num ea conſuetudo ab omnibus recepta, aut ab Apoſtolica Sede approbata fuerit. De ea enim nulla mentio eſt apud Rupertum Abbatem, qui vixit ineunte Sæculo XII. Sanctus vero Bernardus, qui circa ejuſdem ſæculi dimidium vixit, conſtanter affirmat, non eſſe facultatem dandi benedictionem Abbatibus, licet ex privilegio Pontificalibus inſigniti ſint ornamentis. Et Innocentius Tertius loquens de hac benedictione in fine Miſſæ ſemper dicit

dan-

dandam esse ab Episcopo, nec usquam de Presbyteris loquitur. Nunc vero datur etiam a Presbyteris, Sede Apostolica approbante. *Ipsam* (ait Lupus loc. cit. pag. 526. loquens de hac benedictione) *jampridem* (Romana Ecclesia) *indidit suo Missali. Adeo potens est consuetudo.* Olim hæc benedictio dabatur etiam in Missa pro Defunctis; nunc vero non item. Nam in Missis pro Defunctis, juxta eam quæ nunc viget disciplinam, omittenda sunt quæcumque sunt alicujus solemnitatis, ut advertit Le Brun tom. 1. pag. 685. In Cathedrali Segorbiensi, quæ Regni Valentiæ Civitas, vetus consuetudo est, ut Canonicus qui Missam Conventualem cantaverit, Populo sub finem Missæ non det benedictionem. Postulabat Episcopus eam mutari consuetudinem, eique Canonici aliquot suffragabantur. Contra restitere duo & quadraginta. Tractat hanc Controversiam Pontas in Dictionar. cas. 28. verbo *Missa*, ubi ait a Doctoribus quibusdam Sorbonicis ann. 1670. esse discussam, qui censuere, cum in ea Ecclesia nunquam ritus esset usurpatus benedicendi populo sub finem Missæ, *nihil innovandum*. Accurate vero ibi explicantur auctoritates contra adductæ ad probandum vetustatem hujusmodi ritus benedicendi populo sub finem Missæ, quod scilicet non ad benedictionem pertineant, de qua nunc agimus, sed ad Orationem, quæ dicitur *Postcommunio*.

Evangelium S. Joannis in fine Missæ legitur ex præscripto S. Pii V.

8. Post benedictionem, & in Missis pro Defunctis post Orationem *Placeat*, Sacerdos se confert ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, signum Crucis ducit super initium Evangelii, signatque sibi frontem, os, & pectus; legit Evangelium Sancti Joannis, vel si Festum, de quo fit Officium, cadat in Dominicam, legit Evangelium Dominicæ illius. Si vero legat Evangelium Sancti Joannis, ad illa verba, *Et verbum caro factum est*, genuflectit, Divinumque Verbum adorat, quod eo se demisit, ut humanam carnem assumeret. Minister dicit *Deo gratias*, ut Missa desinat in gratiarum actionem. Gilbertus Grimaud in Liturgia Sac. par. 3. cap. 17. multa congerit monumenta, quibus ostendit, quanta olim esset Fidelium devotio erga S. Evangelium *In Principio*. In aliquibus enim Ecclesiis olim legebatur post Baptismum parvulorum, post Viaticum, & post extremam Unctionem; fatetur tamen se cujus jussu in fine Missæ recitetur, reperire non potuisse. Difficultas hujusmodi hoc tempore nulla est. Nam viri docti in eo consentiunt, quod S. Pius V. statuerit, ut in fine Missæ Evangelium S. Joannis legatur; cum antea alii legerent, alii omitterent, ut cuique collibitum esset. Videatur Card. Bona Rer. Liturg. lib. 2. cap. 20. n. 5. Le Brun tom. 1. pag. 687. & seq. Pouget tom. 2. pag. 890. qui ait non legi etiam nunc a Carthusianis, Meratus tom. 1. par. 1. pag. 243. qui testatur pag. 244. cum qui Missam solemnem in Sacello Pontificio celebret, Evangelium S. Joannis non recitare. Guillelmus Burius in *Notitia Brevi Romanor. Pontific.* de Vita S. Pii hæc scribit: *Inter alia ordinavit in fine Missæ a Sacerdotibus Evangelium S. Joannis* (*quod ante non ex mandato hinc inde dicebatur*) *quia est veluti compendium mysteriorum principalium Fidei nostræ, Sanctiss. Trinitatis, creationis mundi, Incarnationis Christi, quæ profitetur tunc Sacerdos suo & totius Ecclesiæ nomine*. Sunt denique Orationes quædam, quas post expletam Missam Sacerdos dicit in gratiarum actionem, inter quas vetus est trium puerorum Hymnus *Benedicite*, ut monet Card. Bona loc. cit. n. 6.

Antiquitus legebatur post baptismum parvulorum, post Viaticum, post extremam unctionem.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER TERTIUS.

In quo varii proponuntur & resolvuntur Practici casus circa Sacrificium Missæ.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Christus Jesus Apostolis & Sacerdotibus præceptum imposuerit celebrandi Missam. Utrum hoc teneatur præcepto Sacerdos, qui non habet curam animarum, nec quemquam alium præcipuum titulum, quo teneatur Missam celebrare. Quibus anni diebus obligetur ad Sacrificium celebrandum; & an, si legitime non impediatur, graviter peccet nunquam celebrando.

Christus præcepit Apostolis & Sacerdotibus, ut sacrificium offerant.

1. 
IN ultima cœna Dominus noster Jesus Christus, ut alibi diximus, Corpus & Sanguinem suum consecravit, Patrique æterno suo obtulit, deditque Apostolis Corpus suum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis disertissime præceptum Apostolis injungitur & Sacerdotibus, ut Missam celebrent, & ejus Corpus & Sanguinem æterno Patri offerant in Sacrificium, juxta expressam S. Tridentinæ Synodi definitionem sess. 22. de Sacrificio Missæ Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.* Quod probatur etiam ex loco illo Apostoli ad Hebræos cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

Ejus præcepti congruentia ex D. Thoma.

2. Plures considerat præcepti hujus congruentias D. Thomas in 4. sentent. dist. 13. q. 1. art. 2. in solut. q. 3. *in corpore*; quarum ea est præcipua, ut Fidelium animis nullo non tempore hæreat memoria Passionis Jesu Christi: quam congruentiam præclare explicat Honorius piissimus Auctor in Gemma Animæ in hunc modum: *Ut memoria Passionis ad imitationem inculcetur, ut scilicet Christiani, qui intersunt incruento illi sacrificio, & Sacerdotes, qui illud peragunt, acerbissimam Christi mortem recordati, ardentissimo ejus amore teneantur, & ejus mortificationem in suo corpore pro virium suarum modulo circumferant, atque ita nimiæ charitati, qua dilexit nos, quodammodo respondeant.*

Præceptum de Sacrificio offerendo est de Fide Catholica.

3. De præcepto, quod Jesus Christus universo Sacerdotali Ordini injunxit Missam celebrandi sane dubitari non potest, salva Fide Catholica. Aliquando dubitatum est, an hoc præceptum obliget singulos Sacerdotes, & præsertim eos, qui non habent curam animarum, nec alium quemvis titulum Missam celebrandi, præter Sacerdotium. Tractat rem hanc D. Thomas duobus in locis in lib. 4. sentent. dist. 13. q. 1. art. 2. & in 3. par. q. 82. art. 10. & de eodem argumento scripsit S. Antoninus in 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 12. qui eadem repetit, quæ scripsit Angelicus ejus Magister.

Sacerdos, etsi curam animarum non habeat, tenetur celebrare.

4. D. Thomas in locis citat. refert quorundam opinionem, qui affirmabant, Sacerdotem posse a Missa celebranda abstinere, quin peccet, nisi curam habeat animarum, propter quam cogatur celebrare, ut populus Missæ intersit, & Sacramentum Eucharistiæ accipiat: quam opinionem rejicit S. Doctor, considerans non Christifidelium tantum, quibus opus est Sacramentum ministrari, sed Dei ipsius etiam habendam esse rationem, cui Sacrificium est offerendum. *Hoc* (nimirum quod modo dictum est a nonnullis affirmari) *non est verum; quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2. ad Corinth. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramen-*

menti Sacrificium offertur unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare. Sibi objicit postea S. Doctor, non minus ad Sacerdotem pertinere Eucharistiam conficere, quam baptizare, & alia Sacramenta administrare; itaque sicuti, qui animarum curam non habeat, non tenetur baptizare, nec alia ministrare Sacramenta, ita nec obligari ad Missam celebrandam, quam objectionem ad hunc modum solvit; *Alia Sacramenta perficiuntur in usu Fidelium; & ideo in aliis ministrare non tenetur, nisi ille, qui super Fideles suscipit curam. Sed hoc Sacramentum perficitur in Consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur, ad quod Sacerdos obligatur Deo ex Ordine jam suscepto*; quæ D. Thomæ doctrina accurate explicatur in Collatione 9. Lucionensi tom. 5. Et in Dictionario Pontas verbo *Missa* Cas. 21.

Quibus diebus teneatur celebrare quilibet Sacerdos.

5. Quod attinet ad dies, quibus Sacerdos, qui neque curam Animarum, nec præter Sacerdotium quemquam alium titulum habet celebrandi Missam, tenetur celebrare, quidam Canonistæ existimarunt, obligari ad celebrandum quotidie, & si per negligentiam facere omittat, peccare mortaliter. Verum nimis dura hæc opinio visa est, ut ait S. Antoninus loc. cit. §. 12. *Opinio tamen quorumdam Canonistarum dicentium, quod mortaliter peccat, qui ex negligentia dimittit quotidie celebrare, non videtur vera, sed nimis dura.* D. Thomas loc. cit. obligari eum dicit ad celebrandum in præcipuis illis solemnitatibus, in quibus Fideles Sacramentum Eucharistiæ solent percipere: *Sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, & maxime in illis diebus, in quibus Fideles communicare consueverunt: & hinc est, quod 2. Machabæor. cap. 4. contra quosdam Sacerdotes dicitur, quod jam non circa Altaris Officia dediti erant, contemto Templo, & Sacrificiis neglectis.*

D. Thomæ sententia laxior visa est Soto.

6. Hanc D. Thomæ sententiam Sotus, licet fidissimus ejus discipulus, in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 10. nimis laxam existimat, quæ cum Sacerdotis obligationem eo redigat, ut iis diebus Missam debeat celebrare, in quibus ceteri Fideles tenentur Eucharistiam accipere, Sacerdos non nisi in Resurrectionis Paschate Missam tenebitur celebrare; ideoque putat ita accipienda D. Thomæ verba, ut S. Doctor loquutus esse censeatur non de novissimo præcepto suscipiendi Eucharistiam in Paschate, sed de instituto veteri, quo Fideles ter in anno communicabant, scilicet Nativitate Domini nostri Jesu Christi, in Paschate Resurrectionis, & Pentecoste: *Hac ratione videtur præceptum nimium extenuasse, cum nihil Sacerdotibus præ sæcularibus injunxerit. Arbitror ergo, quod non alluserit ad solum novum communicandi præceptum, sed ad priscorum morem, quando Populus in Festo Nativitatis, & Paschatis, & Pentecostes communicabat.*

Explicatur, & defenditur D. Thomas.

7. De veteri præcepto, quo olim omnes ter in anno communicare tenebantur, in Nativitate Christi, in Paschate, & Pentecoste, deque novissimo præcepto, quo Fideles tantum obligantur ad communicandum die Paschatis, jam verba fecimus in nostro Edicto 45. Verum D. Thomas non ait, Sacerdotem teneri Missam celebrare saltem in iis Festis diebus, quibus ceteri Fideles tenentur communicare, sed *in quibus Fideles communicare consueverunt.* Quamobrem nihil ea opus est interpretatione, qua D. Thomam Sotus explicuit; sed dicendum S. Doctoris consentire doctrinam cum S. Tridentina Synodo, quæ Sacerdotibus animarum curam non habentibus præscribit, ut in diebus Dominicis & solemnibus Festis Missam celebrent. Eadem S. Synodus sess. 23. cap. 13. de reformat. loquens de Subdiaconis, & Diaconis, eorumque ordinatione ait: *Sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint, sacram Communionem perceperint.* Et cap. 14. loquens de Sacerdotibus: *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Et S. Carolus Borromæus ejus S. Synodi spiritu plenus, in suo Concilio 1. Provinciali tit. de frequenti Divini Sacrificii oblatione ait: *Cum Pontifices ut inquit Apostolus, ex hominibus assumti pro hominibus constituantur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis: Episcopus Dominicis & reliquis Festis diebus, nisi jure impediatur, Missam celebret. Tridentini enim Concilii auctoritatem sequuti præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuscumque gradus, & dignitatis & conditionis illi sint, ut iisdem diebus Missam celebrare non omittant.* Huic Mediolanensi Concilio jungi potest Rhemense anno 1583. habitum tom. 11. Collect. Labbeanæ pag. 893. *Sacerdos non tantum diebus solemnibus, sed etiam Dominicis, sæpiusque, si fieri potest, sacrificet;* & Tolosanum anno 1594. habitum eod. tom. Concil. pag. 387. *Sacerdotes itaque omnes, quocumque honore insigniti, aut in quacumque dignitate constituti tandem sint, Dominicis festisque diebus, nisi justo aliquo præpedimento avocati fuerint, Missæ Sacrificium celebrent.*

Potest contingere, ut teneatur Sacerdos celebrare etiam non festis diebus.

8. Et quamquam Innocentius Tertius in cap. *Dolentes* de celebrat. Missar. improbet eorum negligentiam, qui vix quater in anno celebrabant, *sunt & alii, qui Missarum solemnia celebrant vix quater in anno*; inde tamen nullus inferat, satis esse si Sacerdos septies aut octies in anno Missam celebret; quemadmodum ex eo, quod Innocentius XI. eam propositionem damnaverit, *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis obligare præceptum Charitatis erga Deum*, perperam hinc inferat aliquis, satis esse infra quinquennium semel actum amoris in Deum exercere ad implendum Charitatis præceptum, ut Edicto 72. late docuimus. Immo quemadmodum qui diebus Festis ex præcepto actum amoris erga Deum eliciat, contingere potest, ut ex vi alicujus circumstantiæ teneatur etiam alio die eundem actum amoris concipere, puta si ad odium Dei tentaretur; ita pariter Sacerdos etsi diebus Dominicis, festisque solemnibus Missam celebret, fieri potest, ut urgeatur præcepto celebrandi Missam etiam aliis diebus ex aliqua, quæ superveniat circumstantia, puta si a Superiore suo celebrare jubeatur, aut Missa opus sit ad particulam consecrandam, ut laboranti infirmo Viaticum deferri possit, cujusmodi casus expendunt Morales Auctores, eorumque uberem copiam congessit Passerinus in 3. par. D. Thomæ q. 82. art. 10. comment. 67.

Sacerdos non legitime impeditus, qui non celebrat festis diebus, an peccet.

9. Difficilius profecto est aliam solvere quæstionem, an Sacerdos, qui legitime non impediatur, Missam iis diebus, quos diximus, celebrare omittens mortaliter peccet. D. Thomas loc. cit. ubi hanc materiam tractat, non definivit, Sacerdotem graviter peccare. Verum contendit Sotus in loco paulo ante memorato, D. Thomam existimasse gravi peccato alligari Sacerdotem, qui Missam diebus Dominicis & solemnibus celebrare prætermittat: *At vero S. Thomas aperte videtur contrarium censere, scilicet esse peccatum mortale; nam solum propter peccatum veniale, de quo nemo dubitare poterat, nunquam tam serio moviisset quæstionem, definiissetque ad*

UNIVERSITAT DE BARCELONA BIBLIOTECA — FACULTAT DE DRET

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Sacerdos tenetur saltem in præcipuis Festis celebrare, atque illis maxime, quibus Populus communicare consuevit, ubi censura peccati mortalis insinuatur. Idem ante eum scripserat Silvester in summa, verbo *Missa* n. 7. Qui scripsere post Synodum Tridentinam, vocem illam *decere*, ubi S. Synodus de Subdiaconis & Diaconis, & verbum illud *curet*, ubi de Presbyteris loquitur, expendentes concludunt, vocem *decere* vim consilii, *curet* vim habere præcepti. Ita Merbesius in summa Christiana 3. par. de Euchar. q. 21. concl. 2. Juveninus de Sacramentis disp. 5. de Euchar. Sacris. q. 7. cap. 1. art. 1. Sed hoc si verum sit, non inde quidquam aliud consequitur, quam Sacerdotem peccare, si sine causa Missam supradictis diebus omittat celebrare, non tamen graviter peccare. Et sane Juveninus, qui putat verbum illud *curet* in Tridentino Concilio vim habere præcepti, non audet affirmare præceptum esse ejusmodi naturæ, ut ei qui non pareat lethaliter peccet: immo declarat se id minime definire velle: *Cum tamen nec Concilii Tridentini Patres, nec S. Carolus in Concilio Mediolanensi definierint, Sacerdotem cui non incumbit animarum cura, peccare lethaliter, si singulis Dominicis ac reliquis festis diebus non celebraverit; neque etiam nos audemus definire.*

Peccat mortaliter si non celebret per totum annum, etiamsi peccato habituali irretitus; tenetur cuim dimittere habitum.

10. Concludendum igitur, quin quæstioni huic quidquam præjudicatum velimus, concludendum, inquam, non posse sustineri sententiam eorum, qui statuunt venialiter tantum peccare Sacerdotem, qui non habens curam Animarum, nec aliter adstrictus ad Missam celebrandam, nunquam per annum celebret. Quapropter S. Pius V. ab operibus Cardinalis Cajetani propositionem illam jussit expungi, non nisi venialiter peccare Sacerdotem non habentem curam Animarum, qui nunquam per annum Missæ Sacrificium offerat; ipsi etiam monuimus Edicto 55. & de Canonizat. Sanctor. lib. 3. cap. 27. n. 6. Dicendum etiam, non posse eum Sacramento Confessionis absolvi, qui constituisset animo nunquam per annum Missam celebrare; etiamsi id constituisset, propterea quod sæpe in peccatum consuevisset incidere; voluntarium enim peccatum est, & tenetur illud vitare, ut Sacrificium Missæ digne possit celebrare, ut docet Azorius par. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 1. ubi hæc scribit: *Nec absolverem eum, qui statueret nunquam per totum anni cursum Missæ Sacrificium facere; nec excusarem eum, qui nunquam per annum sacrificat, quia frequenter peccare solet; peccatum enim est voluntarium, & proinde id cavere & evitare debet, ut digne Missæ Sacrificium facere & offerre queat: nec etiam eum, qui commode ab excommunicatione absolvi, aut ab irregularitate, qua tenetur sive impeditur, liberari potest, & id non curat, sive nullam in eo diligentiam ponit.* Dicendum, corruptæ vitæ esse indicium & parere scandalum, si quis abstineat per totum annum a Missa celebranda; ac Sacerdotem, qui nunquam per annum sacrificet, gravi se peccato obstringere, ut statuit Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disput. 20. sect. 1. *Hodie vix posse excusari a gravi Sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia scandalum grave generat, & indicium est corruptissimæ vitæ.* Denique dicendum, circumstantias quasdam posse occurrere, in quibus sub mortali teneatur Sacerdos celebrare per annum, etiamsi Dominicis & festis diebus celebret, puta si celebranda Missa opus esset, ut infirmo Viaticum deferretur. Grancolas in Veteri Ecclesiæ Sacramentario par. 1. pag. 709. quæstionem proponit, utrum Sacerdos, qui non gerit curam animarum, diu possit a Missa celebranda abstinere: D. Thomæ innixus doctrinæ eadem sentit, quæ a nobis superius dicta sunt. Illum autem articulum ne attingit quidem, num Missam celebrare omittens iis diebus, quos nominavimus, graviter, an venialiter peccet.

CAPUT II.

Utrum convenientius sit & ad mentem Ecclesiæ propius accedat celebrare, an non celebrare quotidie; celebrare frequenter, an minus frequenter.

Frequens, immo quotidiana Miss. se celebratio magis congruit, quam infrequentior, cum spiritu Ecclesiæ.

1. SUarez sect. 2. loc. cit. quæstionem theologice tractat, an convenientius sit, & cum spiritu Ecclesiæ magis congruat, celebrare quotidie Missam, an non; & statuit ad Ecclesiæ spiritum propius accedere & convenientius esse singulis diebus Sacrificium facere, idque Sacerdotibus inculcandum; tum quia Sacrificandi munus non privatum, sed publicum est, nec Sacerdoti tantum prodest, sed universali Ecclesiæ; tum quia Sacerdos, cum Missæ celebrandæ potissimum consecratus sit, proprium & peculiare jus habet Sacrificii offerendi, eique præcipuum præsto est Dei auxilium, ut digne possit celebrare: declarat tamen, se non negare, quin bene faciat, si aliquando Sacerdos non celebret, vel propter reverentiam, vel propter timorem, ne id sibi sit utile; aitque opus illi aliquando esse ab aliquo Sacerdote consilium petere. Persicus de Sacerdot. Officio lib. 1. dub. 4. considerat, celebrare Missam bonum esse *ex genere suo*, abstinere autem a Missa celebranda bonum esse *per accidens*, quod autem bonum est *per se*, longe melius esse, quam bonum *per accidens*. Celebre est, quod excitandis Sacerdotibus ad quotidianam, aut frequentem Missæ celebrationem scripsit D. Bonaventura de Præparatione ad Missam cap. 5. *Sacerdos qui non celebret, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, & se ipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates.* Et S. Antoninus summæ 3. par. tit. 3. cap. 6. §. 15. ad frequentiorem Missæ celebrationem inculcandum considerat Sacrificii dignitatem & excellentiam, suavem quam ex eo Sacerdos utilitatem capit, commoda spiritalia, quæ inde ad Fideles proficiscuntur, qui Missæ adstant, onus quod incumbit Sacerdotibus suscepto ministerio fideliter satisfaciendi, cum Sacerdotali Ordine sunt initiati, nimirum ut inter Deum mediatores sint & homines, & orent pro vivis atque defunctis, ac denique periculum, cui sit ille obnoxius, qui raro celebrat Missam, ne in aliquem labatur defectum, quo vel omnino indignus satisfaciendo suo muneri, vel inhabilis fiat. Quas quidem rationes omnes fuse reperies explicatas in Dictionario Pontas verbo *Missa* cas. 50.

Rationes, quibus rarius celebrandi quibusdam probatur.

2. Sunt tamen qui contra putant, melius consultum, si pauciores Missæ celebrarentur; ac dictum Tertulliani oggerunt, *Semper abundantia cumulosa in se est*, & illud Amalarii Diaconi Metensis lib. 3. de Ecclesiast. Offic. *Quicquid raro fit, pretiosius fit cum fit;* afferunt etiam considerationem devoti Auctoris *De Imitatione Christi:* is adversus cordis duritiem hominum exclamat, qui de tanto tamque ineffabili dono nihil aut parum cogitent, & quotidiana consuetudine in negligentiam & indifferentiam decidant: producunt etiam Odonis secundi Abbatis Cluniacensis sententiam, qui in suis Collationibus ait, in Ecclesiæ primordiis haud ita sæpe, sed majori cum devotione

Mis-

Missam celebrari consueviſſe: *Quod myſterium primordiis Eccleſiæ non tam frequenter, ut nunc, celebrabatur: tamen quanto rarius, tanto religioſius agebatur; at nunc valde quidem, valde frequenter, ſed quod nimis dolendum eſt, negligentius frequentatur.* Denique ad experientiam provocant, quæ demonſtrat eos Sacerdotes, qui rarius celebrant, ſenſibili compunctione cordis, & multis cum lacrymis Sacrificium offerre; nec illud prætermittunt, quod pii prudenteſque animarum Rectores conſilium dant Sacerdotibus, ut aliquoties Miſſam omittant, nec quotidie celebrent.

Ea rationes everſantur.

3. Qua oratione plura capita continentur. Primo illud pretioſius eſſe ajunt, quod rarius. Sed hoc nihil ad hanc rem, de qua agimus. Sacrificii enim pretium ex iis ſpiritualibus bonis; quæ ſupra memoravimus, æſtimandum eſt; quæ bona eo ſunt majora, quo frequentius fit Sacrificium. Secundo ajunt, e conſuetudine homines in negligentiam & indifferentiam labi; atque id quoque ad rem hanc nihil pertinet, cum enim dicimus, melius eſſe quotidie, vel quam frequentiſſime celebrare, illud certe volumus, eum qui celebret, bene eſſe diſpoſitum. Tertium ad veteris Eccleſiæ conſuetudinem pertinet, de qua paullo poſt diſſeremus. Quartum eſt de majori compunctione, ſenſibili devotione, & lacrymis eorum, qui celebrant rarius; ubi quædam latet ambiguitas. Neque enim quod ſenſibili cordis compunctione & lacrymarum dono careamus, aut quod defectu aliquo laboremus, quotidiana propterea intermittenda eſt Miſſæ celebratio. Satis enim eſt, quo Sacerdos Miſſam digne celebret, ſi indignus non ſit, omnemque moralem, & quæ in hominem cadere poteſt, diligentiam adhibeat. Ita S. Antoninus loco citato: *Si quis autem illam diſpoſitionem* (celebrandi Miſſam) *in ſe judicare voluerit ex ſenſibili cordis compunctione, profuſione lacrymarum, fervore mentis, & ſimilibus ſentimentis, ita quod tunc credat ſe diſpoſitum, quando tale quid ſentit, & quando non percipit, indiſpoſitum, valde incaute ambulat, & ſæpiſſime decipitur. Multoties qui nil talium habent, ſunt in magno ſtatu gratiæ, & qui habent, ſunt omnino extra gratiam gratum facientem. Sæpe enim contingit, hominem ab hujuſmodi fervoris affectibus impediri ſine omni ſua culpa, immo cum magno merito.* Et Suarez loc. cit. *Dummodo indignus non ſit, & moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis ſit imperfectus, non debet ab hoc ſacro munere ceſſare.* Joannes Gerſon celebris Doctor & rerum uſu peritus Theologus tract. præparat. ad Miſſam conſiderat. 2. ſatis eſſe docet ad Miſſam digne celebrandam, ſi Sacerdos poſt diſcuſſam diligenti examine ſuam ipſius conſcientiam, moraliter certus ſit ſe eſſe in ſtatu gratiæ; & conſiderat. 3. ait, non omnem fervoris, aut attentionis defectum obſtare, quominus Miſſa digne celebretur. Id enim ſæpenumero ex inferioris partis rebellione fieri, quæ non pendet ab arbitrio noſtro. Conſideratione vero 21. docet, ſatius eſſe Miſſam celebrare, quam propter fervoris defectum ab ea celebranda abſtinere: *Sed frigidus ſum, dicis, aut tepidus. Sæpe ſuſcipit initium celebrationis hominem parum devotum, & frigidum, quem in fine caleſcentem dimittit, & fervidum.*

Frequens celebratio laudatur, & inculcatur a piis animarum magiſtris.

4. Conſentiunt cum his Taulerus, & Ludovicus Bleſenſis, magni regendarum in via perfectionis animarum magiſtri, quos ſequitur Petavius Theolog. Dogmat. lib. 4. cap. 1. Antonius Molina Carthuſianus Monachus in lib. de Inſtructione Sacerdot. tractatu 7. cap. 8. magna ſane pietate & devotis ſenſibus oſtendit, Sacerdotibus, qui ſatis diſpoſiti ſunt ad celebrandum, non prætermittendum eſſe Sacrificium ex cauſa humilitatis & reverentiæ: tum eos etiam eſſe reprehendendos, qui propter occupationes & temporales curas celebrare omittunt. Poſtremum caput, quod objiciebant, conſilia continet, quæ ab animarum rectoribus dantur Sacerdotibus, ne quotidie celebrent, ſed aliquoties ab offerendo Sacrificio abſtineant. Verum hæc eſt generalis regulæ limitatio; regula autem a limitatione non poteſt everti. S. Philippum Nerium tradit Baccius in ejus vita lib. 2. cap. 1. omnibus Sacerdotibus, quorum Confeſſiones audiebat, conſilium dare conſueviſſe, ut quotidie celebrarent, etiamſi tum temporis haud ita frequenter Sacerdotes Sacrificium facere ſolerent: quidam vero ne quotidie celebrarent, vetaſſe, idque, ut eos mortificatione ſubigeret, eiſque majoris meriti occaſionem præberet. In libro cui titulus: *S. Franciſci Saleſii Spiritus*, typis editus Lutetiæ anno 1727. par. 2. cap. 20. proditum eſt, quo pacto Sanctus ille Epiſcopus Sacerdoti cuidam ætate florenti, probis tamen & incorruptis moribus perſuaſerit, ut quotidie Miſſam celebraret, quam in Dominicis tantum & Feſtis diebus celebrare ſolitus erat, tum propter juvenilem ætatem, tum propter defectum mortificationis, tum etiam quod metueret, ne tanto abuteretur myſterio, diceretque ſe non eam vitam vivere, quam poſtularet quotidiana Miſſæ celebratio. Cui Sanctus Franciſcus oſtendit, nullius eſſe roboris rationes, quas afferret. Sancto enim frequentique uſu futurum fuiſſe, ut ejus juvenilis ætas confirmaretur, tentationum impetus refringerentur, ejus infirmitas ſtabiliretur, & aſperæ viæ complanarentur; quod ſi humilitatis cauſa in animum induceret a celebranda Miſſa abſtinere, de Eccleſia, ejuſque neceſſitatibus, & de leniendis Defunctorum purgatoriis pœnis cogitaret, tum ne Deum augmento gloriæ ſuæ, Angelos gaudio, reliquoſque Sanctos peculiari voluptate cœleſti fraudaret; quibus conſiliis Sacerdos ille conquievit, reſponditque: *Fiat, fiat*; ac triginta annorum ſpatio, quo ex eo tempore vixit, nunquam ſine legitima cauſa Miſſam celebrare omiſit.

Teſtimonia ex Eccleſiaſtica Hiſtoria, quibus celebrandæ Miſſæ raritas comprobari videtur.

193

5. Vetus modo eſt examinanda diſciplina, unde adverſus id, quod hactenus ſtatuimus, argumenta erui poſſe videntur. Petrus Bleſenſis epiſt. 86. ad Alexandrum Monachum Carthuſianum, qui a ſuo Ordine abire cogitabat, quod in eo Miſſa non quotidie celebraretur, ait: *Petrus & Paulus Apoſtoli, atque ceteri, quorum laus eſt in Evangelio, non leguntur ſingulis diebus ſalutis Hoſtiam immolaſſe. Frequentia contemtum parit, & ex ipſa raritate creſcit reverentia Sacramenti.* Veriſimile eſt etiam, eos qui Apoſtolis proxime ſucceſſerunt, idem feciſſe, & cæteros qui ſequentibus ſeculis vixere, Sacerdotes probos ad eundem modum ſe geſſiſſe; tum quia Sacerdotes non niſi permittente Epiſcopo Miſſam celebrare poterant; tum quod plerumque non niſi eodem Epiſcopo celebrante ipſi celebrabant; tum denique quia, cum celebraret Epiſcopus, ipſi ab ejus manibus Euchariſtiam percipiebant, ac plerumque Miſſam non celebrabant, juxta vetera monumenta, quæ in lucem extulit Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. cap. 3. art. 8. Huc accedit quod habetur in libro Pontificali in vita Pontificis Deuſdedit: *Conſtituit ſecundam Miſſam in Clero*: unde infert Petrus Urbevetanus, ante non niſi unam celebrari conſueviſſe Miſſam; *quia tunc ad inſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia niſi forſitan una Miſſa, quod magis ædificabat ſecundum antiquos.* Conſentit Vicecomes lib. 3. de antiquis Miſſæ Ritibus cap. 29. ubi, poſtquam produxit ea verba e libro Pontificali, ait: *Ex*

Auctо-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Auctoris ergo ſententia Deuſdedit Papa duplicis Miſſæ auctor fuit. Proditum eſt in vitis Patrum, fuiſſe aliquem, qui Sacerdotio initiatus, prima celebrata Miſſa, nullam deinde voluit amplius celebrare; quemdam etiam Sacerdotem creatum nunquam feciſſe Sacrificium, juxta id quod habetur apud D. Thomam in 4. ſentent. diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 1. Ex S. Epiphanii epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum nonnemo conjicit, S. Hieronymum Presbyterum Sacrificium nunquam obtuliſſe. Ac ne id peculiare cujuſpiam inſtitutum videatur eſſe, Guigues quintus Carthuſianorum Generalis cap. 14. num. 5. ſuorum Statutorum ait: *Raro hic Miſſa canitur; quoniam præcipue ſtudium & propoſitum noſtrum eſt ſilentio & ſolitudini Cellæ vacare.*

Alia afferuntur teſtimonia ad idem comprobandum.

6. Sanctus Anſelmus Epiſcopus Bellovacenſis ad eam aſſumtus fuit Eccleſiam ex Ordine Carthuſianorum; & in ejus vita legitur, creatum Epiſcopum non remiſiſſe, ſed auxiſſe auſteritatem, & fere quotidie Miſſam celebrare conſueviſſe, quod antea cum Carthuſianus eſſet, non faciebat, nam in eo Ordine tum non niſi die Dominico Miſſa celebrabatur, ut notat etiam Fleury Hiſt. Eccleſiaſt. tom. 15. lib. 63. ad ann. Chriſt. 1168. num. 14. pag. 398. Quod ſi quis vocem *cantare*, quæ in veteribus eſt Carthuſianorum Statutis, ita interpretari velit, ut non Miſſam privatam, ſed ſolemnem ſignificet, is falli ſe ſciat. Nam Mabillonius Præfatione ad ſæculum II. Ord. S. Benedicti Obſervat. 1. num. 36. aperte demonſtrat, juxta eorum temporum idiotiſmum *Miſſam cantare* idem eſſe ac *recitare*. Satis celebris eſt S. Franciſci Aſſiſiatis epiſtola, ſeu teſtamentum, in quo per modum conſilii Fratribus ſuis injungit, ut non niſi unica Miſſa quotidie in Conventibus celebretur, licet in iis plures eſſent Sacerdotes, quibus ſatis eſſe debet, ſi Miſſæ interſint, hanc eſſe Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem: *Moneo præterea & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum Miſſa celebretur in die ſecundum formam S. Romanæ Eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius*; ad quam Epiſtolam notat Fleury tom. 16. Hiſt. Eccl. lib. 79. ad ann. Chriſt. 1226. num. 26. id S. Franciſcum juſſiſſe in majorem Miſſæ venerationem, quod etiam conſideravit Alexander de Ales in Epiſt. ad Jacobum Scotiæ Regem apud Eſpencæum *de Miſſa privata & publica*. Denique etiam nunc in Eccleſiis Græcorum non niſi unica per diem Miſſa celebratur, ut videre eſt apud Thiers tom. 1. de ſuperſtitione cap. 7. pag. 96. quod etiam confirmat Georginyts in libello de Ritibus Græcorum, ubi hæc ſcribit: *In magno numero Sacerdotum non niſi unus in eadem Eccleſia Sacra Miſſarum obit; reliqui ſe pro Miniſtris gerunt*. Non abſimilis eſt Maronitarum diſciplina, ut teſtatur Dandinus Societatis Jeſus Presbyter in ſuo ad Libanum Montem itinere. Cumque multa de Græcis Ritibus ad Abiſſinos permanaverint, noſtrates Europæi, qui in eas regiones pervenerunt, unam tantum per diem compererunt apud illam nationem celebrari Miſſam, ut videre eſt apud Cardinalem de Lugo de Sacram. Euchar. diſput. 20. ſect. 1. num. 12. Sigiſmundus Liber de rebus Moſcovit. hæc ſcribit: *In ſingulis autem templis unicum eſt Altare, & in dies ſingulos unicum quoque Sacrificium faciendum putant.*

Reſpondetur ad ea teſtimonia, & vindicatur frequens celebratio.

7. Atque hæc omnia ſunt, quæ ex Eccleſiaſtica Hiſtoria licuit depromere ad hanc quæſtionem pertinentia. Sed ſua cuique vel facto vel auctoritati præſto eſt appoſita reſponſio. Vicecomes tractatu de Miſſæ Ritibus lib. 1. cap. 11. & ſeq. eruditiſſime oſtendit, Apoſtolos, eoſque qui Apoſtolis proxime ſucceſſerunt, toto terrarum Orbe Miſſam celebraſſe. Walfridus ex binis Actorum Apoſtolicorum locis, quorum alter, *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*; alter, *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem ſumebant cibum cum exultatione*, infert Apoſtolos quotidie Miſſam celebraſſe. In Actis S. Andreæ, quæ ſincera eſſe exiſtimant Baronius, & Natalis Alexander, ſaltem nihil non verum continere fatetur Tillemontius, Beatus ille Apoſtolus ad Proconſulem, a quo ad inania ſimulacra adoranda compellebatur, *Ego*, inquit, *Omnipotenti Deo, qui unus & verus eſt, immolo quotidie non taurorum carnem, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat & vivus*. Conſonant cum his monumenta primorum Eccleſiæ ſæculorum, quibus oſtenditur quotidiana Miſſæ celebratio. S. Cyprianus ep. 54. ad Cornelium ita ſcribit: *Epiſcopatus noſtri honor grandis & gloria eſt pacem dediſſe Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, Hoſtias Deo & victimas præparemus*. Et Amphilochius Baſilium magnum teſtatur in ejus vita quotidie Miſſam celebraſſe; idem ait Baronius de S. Ambroſio. Et Innocentius I. epiſt. 1. ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum probat, pudicitiam a Sacerdotibus cuſtodiendam, quod nullus dies illuceſcat, quo non offerant Sacrificium. Ac iiſdem illis temporibus, cum Presbyteri vel non niſi permittente Epiſcopo Miſſam celebrabant, vel cum eo celebrabant, vel denique non celebrabant, ſed ab ejus manibus Euchariſtiam accipiebant, narrat S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 56. S. Caſſium Narnienſem Epiſcopum quotidie magna cum devotione Miſſam celebraſſe: *Vir vitæ venerabilis Caſſius Narnienſis Epiſcopus quotidie offerre conſueverat Deo ſacrificium, ſeque in lacrymis inter ipſa ſacrificiorum arcana mactabat*. De S. Goar Anachoreta, & S. Geremaro Abbate proditum eſt, Miſſam quotidie eos celebraſſe. Et Beda in Hiſtoria Abbatum ſui Monaſterii loquens de itinere, quo Ceolfridus Abbas profectus eſt Romam, ſcribit: *Ex die, quo de Monaſterio ſuo profectus abiit, uſque ad diem quo defunctus eſt, quotidie Miſſa cantata ſalutaris Hoſtiæ Deo munus offerebat*.

Eliditur difficultas petita ex libro Pontificali.

8. Quod affertur ex libro Pontificali de Pontifice Deuſdedit, omnino evertitur ex eo, quod compertum habeamus, S. Leonem Magnum providiſſe, ut multiplicarentur Miſſæ, & Populi neceſſitati ſatisfieret; ut videre eſt in Can. *Neceſſe* de Conſecrat. diſt. 1. idque bene advertit Vignolius in Notis ad Librum Pontificalem in Vita illius Pontificis. Exempla vero eorum, qui Sacerdotio initiati vel nunquam, vel ſemel tantum tota vita Miſſam celebrarunt, nihil habent momenti, ea enim e ſingulari quodam Dei inſtinctu traxere originem, nec propterea poſſunt generalem ſtatuere regulam, ut advertit Durandus diſt. 13. Quæſt. 2. num. 2. quocum conſentit Victoria quæſt. 94. de Euchariſtia. De B. Hieronymo nihil aliud ex Epiſtola S. Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum evincitur, quam noluiſſe S. Doctorem in Monaſterio Bethlehemitico Miſſam celebrare, ne in ipſius Joannis offenſionem incurreret, a quo non erat Sacerdotio initiatus, quique Monaſterium illud ſuæ juriſdictioni ſubditum eſſe contendebat. Sanctum vero Hieronymum nunquam Miſſam celebraſſe vel tribus illis annis cum fuit Romæ, vel cum Roma ſe

Sanctorum virorum Exempla qui vel nunquam vel vero ſemel modum celebrarunt nihil habent momenti.

Con-

Constantinopolim contulit, ut a S. Gregorio Nazianzeno sacras perdisceret litteras, vel cum varias regiones peragravit, ut Hebraicæ, Chaldaicæ, & Syriacæ linguæ peritiam sibi compararet, vel denique cum in eremo quatuor est annos commoratus pœnitentiam agens, non *videtur* affirmari posse; ut ostendit Tournely tom. 2. de Sacram. Eucharistiæ edit. Parisien. anni 1729. pag. 383. Quod si qua reperiantur proborum hominum exempla, qui raro Sacrificium fecerint, opponenda illis sunt innumera prope ceterorum exempla, qui Sanctitate clari, nunquam nisi in morbum impliciti Missam celebrare omiserunt, ut videre est in nostro de Canonizat. Sanctor. lib. 3. cap. 27. num. 3.

Ad veterem Carthusianorum consuetudinem refragatio.

9. E veteri Carthusianorum consuetudine nihil consequitur, utpote quæ eorum solitudini, aliisque singularibus circumstantiis erat innixa, quæ tamen etiam juxta eorum Ordinis principia non erat ejusmodi, ut non potuisset remitti; quod luculenter apparet ex allata Petri Blesensis epistola; qui postquam Alexandrum Monachum reprehendit Institutum & Ordinem deserere cogitantem, quod in eo non liceret quotidie celebrare, *Hoc*, inquit, *in Ordine Carthusiensi causaris, & arguis, quod singulis diebus Missas non faciunt, atque hujus Religionis seu potius superstitionis obtentu tuum machinaris egressum. Tuæ literæ faciunt te insanum.* Eumque hortatur, ne abeat, illi enim esse indultum, ut quotidie Missam celebrare posset: *Tamen, ne in domo tua fieres scandali generalis occasio, ut obstrueretur os loquentium iniqua, tibi fraterna charitas singulis diebus offerre Hostiam specialis devotione indulsit.* De qua dispensatione ita scribit Lupus tom. 4. primæ edit. pag. 321. *Carthusianus Ordo semper ignoravit Monastici rigoris dispensationes. Quare hæc Fratri Alexandro facta gratia demonstrat, quotidianam celebrationem fuisse etiam tunc admodum favorabilem.* Quod ad S. Francisci Epistolam attinet, Wadingus existimat,

S. Francisci Assisiatis Epistola incerta, ac dubiæ auctoritatis.

ibi de Missa publica seu Conventuali, non de privata, sermonem haberi. Quidam putant, S. Franciscum non de omnibus anni diebus loqui, sed de Feria V. in Cœna Domini. Nonnulli etiam epistolam tanquam spuriam rejiciunt. Vicecomes de Antiquis Missæ Ritibus lib. 3. cap. 29. putat, in multis Diœcesibus ante S. Francisci ætatem plures quotidie Missas celebrari consuevisse; sed ætate S. Francisci in templis Regularium morem fuisse unam tantummodo Missam celebrandi; idcirco S. Franciscum Fratribus suis inculcasse, ut unica tantum Missa singulis diebus celebraretur. Alii sic eam epistolam interpretantur, ut cum Seraphicus Pater Sacerdotio nunquam voluerit propter humilitatem suam initiari, opportunum existimaverit non quidem jubere, sed cohortari Fratres suos, ut unica tantum Missa singulis diebus essent contenti, cui ceteri Sacerdotes adessent, idque tantum humilitatis gratia; singularem vero ejus opinionem cum communi universalis Ecclesiæ consensu non posse conferri, quæ adeo ad quotidianam & quam frequentissimam Missæ celebrationem propensa est. Vide Sylvium in 3. par. quæst. 83. art. 5. & Card. Bonam Rerum Liturgicar. lib. 1. cap. 14. num. 6.

De Consuetudine Ecclesiæ Romanæ.

10. Et quia in ea Epistola habentur illa: *Una tantum Missa celebretur in die secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, ex quibus verbis posset quispiam conjicere, non nisi unicam Romæ Missam celebrari consuevisse, cui ceteri Sacerdotes adessent, observat Lupus tom. 4. Edit. primæ pag. 318. in Pontificio Sacello unicam tantum, in aliis vero Romæ Basilicis magnam Missarum copiam celebrari consuevisse; tum quia ad Pontificium Sacellum Populus non conveniebat; tum etiam quia sepænumero in eo Sacello aderant Episcoporum Græcorum aliqui, cum quibus in eo saltem loco æquum esse existimabatur ut unitas appareret. Sed concinnior esse videtur Card. Bonæ loc. cit. responsio, qui primo statuit, nunquam Romæ fuisse consuetudinem, ut una tantum Missa singulis diebus celebraretur, ideoque incredibile esse, S. Franciscum aut nescium fuisse Romanæ disciplinæ, aut mentiri voluisse. Itaque ait, illum Fratres suos cohortatum esse, ut unicam in Conventibus Missam singulis diebus, eamque *secundum formam Romanæ Ecclesiæ celebrarent*, idest juxta Romanum Ritum, ut forma Romanæ Ecclesiæ non ad singularem Missam, sed ad Romanum Ritum referatur. Denique de Ecclesiæ Græcæ Ritu patet, illum ex eo ortum, quod Sacerdotes uxores habeant, a quibus cum multo ante tempore debeant secubare, quam Missam celebrent, idcirco non possunt quotidie sacrificare; & sane qui Sacerdotes Græci uxorem non habent, ut Monachi, quibus non licet uxores ducere, quotidie Missam celebrant, ut advertit Lupus loc. cit. pag. 319. Bocquillot tractatu historico de sacra Liturgia lib. 2. cap. 7. pag. 396. & seq. affert vetera aliquot monumenta, quibus antiquam Monachorum disciplinam probat non celebrandi quotidie Missam. Fatetur non defuisse, qui quotidie celebrarent ex devotione: fuisse tamen, & nunc etiam esse, qui quotidie eleemosynæ gratia Missam celebrent. Verum *id nihil* repugnat iis, quæ diximus, semper enim verissimum est, magis consentaneam esse Jesu Christi & Ecclesiæ sensui quotidianam Missæ celebrationem, modo cum iis, quibus æquum est, dispositionibus celebretur, quod bene advertit etiam Grancolas in veteri Sacramentario Ecclesiæ par. 1. pag. 671.

CAPUT III.

Quibusnam teneatur diebus celebrare Parochus: Quibus itidem diebus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis Missa cantanda sit. Quando celebrare Missam teneantur qui Beneficium, vel Capellaniam habent cum onere Missæ quotidianæ. Quibus diebus Missam celebrare non liceat.

Quibus diebus teneatur Parochus celebrare.

1. HActenus demonstravimus, cum Ecclesiæ sensu magis convenire quotidianam & quam frequentissimam Missæ celebrationem; nunc vero ad alteram propositi nostri partem accedimus pertractandam, quibus scilicet diebus teneatur Parochus celebrare; ut deinceps ea prosequamur, de quibus diserere instituimus.

Tridentina Synodi verba, quæ huc respicere videntur.

2. Qui arbitrantur, Fideles in sua quemque Parochia diebus Dominicis aliisque Festis diebus adesse debere Missæ, facile possunt evincere, Parochum illis diebus ad Missæ celebrationem obligari, aut legitime impeditum per alium Sacerdotem curare debere, ut Missa celebretur. Idem perquam facile itidem iis erit, qui putant, Parochum teneri Missam diebus Festis e præcepto celebrare pro Populo. Nos ab hac secunda quæstione, quam inferius tractabimus, nunc abstinere volumus. Quod attinet ad primam, ita monet S. Tridentina Synodus sess. 22. in Decreto *de Observandis & evitandis in Celebratione Missæ*: *Moneant* (Ordinarii) *etiam eundem Populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant.* Et cap. 4. sess. 24. de Reformat. *Moneatque Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Verbum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bum vero divinum declarari Populo vult ab ipso Parocho *inter Missarum celebrationem*, ut videre est cap. 8. sess. 22. & cap. 7. sess. 24. de Reformatione.

Parochus tenetur festis diebus celebrare Missam, quia Populus tenetur eam audire.

3. Admonitio facienda Populo, ut in Dominicis Festisque majoribus ad suam quisque Parochiam accedat, & ubi commode potest, sciat se teneri ad audiendum verbum Dei, a Parocho inter Missarum celebrationem exponendum, certum evincit, Parochum obligari ad Missam celebrandam in Dominicis aliisque Festis diebus. Id tamen nunc prætermittentes dicimus, in quibusdam Diœcesibus Parochos Synodalibus Decretis obligari ad tres Missas in singulis hebdomadis celebrandas, ut videre est in 1. Provinciali Concilio Mediolanensi S. Caroli Borromæi: *Curatis vero, ut præterea ter in hebdomada, aut eo etiam sæpius, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini Sacrificii usum postulabit.* Generatim Parochi, etiamsi ponere velimus, eos non teneri ad offerendum & sacrificandum pro Populo diebus festis ex præcepto, tamen his diebus tenentur Missam celebrare, vel si legitime sint impediti, munus hoc alteri Sacerdoti committere, ut docet Sylvius in 3. par. D. Thomæ Quæst. 83. art. 1. quæst. 17. *Tenentur quidem omnibus Festis & Dominicis, ac pro locorum consuetudine etiam quibusdam aliis diebus, Missam in Ecclesia Parochiali facere. Sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut Parochiani possint illam audire, aliud vero ad offerendum particulariter pro ipsis. Si vel infirmitate, vel alia quapiam justa causa impediantur a celebrando, certum est, quod tenentur providere, ut per alium celebretur, ita ut Parochiani possint Missam audire.* Id enim oritur ex Parochianorum obligatione audiendi Missam diebus Festis ex præcepto, & ex jure quod habent illius audiendæ in templo Parochiali, & ex ea etiam convenientia, quam commendat Tridentina Synodus, ut in eo ipso diebus festis audiant, quemadmodum recte arguit Sotus in 4. sentent. Dist. 13. quæst. 2. art. 2. *Parochi, qui Curam habent animarum, sacrum facere tenentur, quoties Populus audire obligatur. Nam iniqua esset conditio ejus, qui audire cogeretur, ubi nemo dicere perstringitur. Quod & in aliorum Sacramentorum administratione eandem retinet veritatem. Tenentur enim Parochi Sacramenta administrare, quæ populus tenetur suscipere. Quare saltem diebus festis eadem obligatione perstringuntur, nisi legitime fuerint impediti.*

Etiam aliis diebus præter festos potest contingere ut Parochus teneatur celebrare.

4. Plures quoque alii casus possunt contingere, quibus Parochi obligentur etiam aliis diebus, qui Festi non sint, Missam celebrare; puta si cui opus esset infirmo Viaticum ministrare, nec Sacramenti esset copia. Quod attinet ad Canonicos aliosque Sacerdotes Cathedralibus seu Collegiatis Ecclesiis addictos, eorumque obligationem cantandi Missam, item ad eos, qui Beneficium, seu Capellaniam habent cum onere Missæ quotidie celebrandæ, apertissimæ sunt Canonum sanctiones. Honorius Tertius in cap. *Cum Creatura* de celebrat. Missar. jussit in omnibus Cathedralibus, & & Collegiatis quotidie cantari Missam Conventualem: *Mandamus, quatenus in vos nullum torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniversariis Defunctorum, & pro Festo vel Feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Videatur Clericatus decis. 38. de Sacrific. Missæ num. 11. & seqq. ubi loquitur de obligatione, quam habent juxta Rubricas Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum cantandi Missam Conventualem, & aliquando etiam duas, quemadmodum præscribit Rubrica Missalis par. 1. tit. 3. num. 1.

In Cathedralibus & Collegiatis Canonici tenentur cantare Missam Conventualem atque adeo etiam duas, si Rubrica

duas Conventuales præscribat.

Quapropter in Synodo Provinciali Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo, quam Sedes Apostolica approbavit, ita statuitur: *Quibus diebus ex Missalis Romani Rubricarum præscripto in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis duas Missas Conventuales celebrare oportet, ea ambæ cantentur. Quod si Capitulum præstare omiserit, neglexeritve, non solum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum etiam alterius diei distributionibus mulctetur.* Videndus etiam Meratus in egregio ejus Opere ad Gavantum par. 2. tom. 2. pag. 783. ubi abunde ostendit, stricte obligari Canonicos Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum ad cantandas duas Missas Conventuales, quando præscribitur a Rubrica. Clemens V. in sua Clement. 1. de Celebrat. Missar. statuit, ut quotidie in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horæ Canonicæ recitentur: *Necnon ut Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis Ecclesiis devote psallatur.* Et quamquam Missa sub horarum Canonicarum nomine non continetur per textum in cap. *Presbyter* de celebrat. Miss. *Septenarius numerus a nobis impletur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus:* tamen sub Divini Officii nomine continetur, ut probat textus in can. *De iis* dist. 12. *Cetera officia publica, idest Vesperas, Matutinum, sive Missam aliter quam in principali Ecclesia celebrare non liceat;* atque inde illud manat, quod cum in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis obligatio sit Divini Officii quotidie celebrandi, non modo Cathedrales, sed etiam Collegiatæ ad Missam Conventualem quotidie celebrandam obligentur. *Canonici Cathedralium & Collegiatarum accipiunt fructus suorum Canonicatuum sub onere inserviendi Ecclesiæ in celebratione Divinorum officiorum, quæ celebratio non importat solum Horas Canonicas, sed etiam Missam Conventualem tanquam præcipuam partem:* verba sunt Merati par. 2. tom. 1. ad Gavantum pag. 796. num. 30. Diximus de obligatione celebrandi; nam de onere offerendi inferius sermonem habebimus.

Decretalis Alexandri III.

5. Alexander Tertius rogatus, ut institutionem Beneficii, approbaret, in qua institutor onus imposuerat Sacerdoti quotidie inserviendi Ecclesiæ, nisi impediret infirmitas, & celebrandi Missam singulis diebus, ita respondit: *Quam quidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quanto frequentius potest salva honestate sua, & debita devotione, Missarum solemnia celebrare, nec sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo.*

Sacerdos qui tenetur per se ipsum celebrare, justa ex causa potest interdum omittere Missæ celebrationem; an vero teneatur per alium supplere, sub judice lis est.

6. Ex hac Decretali vulgo Auctores docent, distinguendum inter Sacerdotes, qui ob Beneficium vel Capellaniam tenentur quotidie *per se ipsos*, & eos, qui non *per se ipsos* tenentur celebrare. Ac de his, qui non tenentur per se ipsos celebrare communis opinio est, si ipsi non possint, eos debere curare, ut per alium Sacerdotem Missa celebretur: Eos vero, qui tenentur per se ipsos celebrare, putant ex legitima causa posse interdum Missam omittere. Nonnulli arbitrantur, Sacerdotem posse semel in hebdomada Sacrificium omittere: sed sunt id qui negent; quia cum accipiat quotidianam eleemosynam, bis, & quinquagies per annum Sacrificium omitteret. Sunt qui putant, posse Sacerdotem non celebrare, sed onus illi esse supplendi per alium; & sunt qui eum liberant etiam ab hoc onere. Nos vero rebus judicatis innixi dicimus, eos Sacerdotes,

tes, qui habent onus celebrandi per se ipsos posse interdum omittere celebrationem Missæ, si legitima intervenerit causa, neque tamen eo die, quo omittunt sacrificium facere pro institutore, Missam pro alio celebrare posse, multoque minus eleemosynam accipere: quæstionem autem illam, an omittens celebrare debeat supplere per alium, sub Judice relinquimus. Afferendis huc Doctorum auctoritatibus abstinebimus: satis enim fuerit resolutionem sacræ Congregationis Concilii adducere die 18. Septembris 1683. super aliquot dubiis ab Episcopo Collensi propositis, quibus diu multumque discussis prodiit Decretum ut infra.

Decretum ex dc. S. Congregat. Concilii.

7. Proposita dubia sunt: *Modernus Episcopus Collen. Diœcesim visitando comperiit, non sine maximo conscientiarum periculo plures irrepsisse abusus in adimplendo mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos discutiendum ac resolvendum videtur.*

Primo, an Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniæ, legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare; & quatenus affirmative.

Secundo, quando & quoties a dicta celebratione vacare possint.

Tertio, an diebus licitæ vacationis possint Missam pro se ipsis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebrare, & quatenus affirmative.

Quarto, an pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione recipere.

Quinto, an illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum.

Sexto, an Sacerdotes ut supra obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare.

Ad superiora dubia ita responsum est:

Ad primum affirmative, concurrente aliqua legitima causa.

Ad Secundum, ut ad proximum.

Ad Tertium, negative.

Ad Quartum, negative.

Ad Quintum, distulit resolutionem.

Ad Sextum, negative.

Quibus diebus Sacerdotibus non licet Missam celebrare.

8. Reliquum est de diebus dicere, quibus non possunt Sacerdotes privatas Missas celebrare: hi sunt Feria V. in Cœna Domini, & quæ eam consequitur Feria VI. & Sabatum; quibus diebus non nisi solemnem Missam Conventualem celebrare licet; de qua in opere de Festis Domini differimus, cum de sacris agimus Cæremoniis, quæ per eos dies ab Ecclesia peraguntur. Statuitur in can. *Visum* de Consecrat. dist. 1. generalis regula, ut Missa quotidie celebretur: *Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominum deprecemur; ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus Fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundantur.* Et consonat textus in can. *Iteratur* de Consecrat. dist. 5. *Quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mystice immolatur.* Verum in can. *Sabato* de Consecr. dist. 3. hæc habentur: *Ut Traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari*: ubi bene advertit Glossa. regulam generalem supra allatam restringi in his diebus.

Quidam putant licere Sacerdotibus privatas Missas celebrare feria V. in Cœna Domini & Sabato Sancto.

9. Non desunt graves Auctores, qui, Feria sexta in Parasceve excepta, cum non conficitur Sacramentum Eucharistiæ, propter quod eo die *Passio Domini eccolitur, prout realiter gesta est*, ut ait D. Thomas 3. part. qu. 83. art. 2. ad 2., Missas privatas a Sacerdotibus celebrari posse arbitrantur etiam Feria V. & Sabbato, modo secreto celebrent, & sine Populi concursu, ne pusillis scandalum creetur. Quin etiam Bellotte in Commentariis ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis pag. 801. & seq. fidenter docet, licere Feria V. in Cœna Domini Sacerdotibus Missas celebrare, dummodo eas absolvant ante Missam solemnem, cui adesse debent; atque itidem iis licere in Sabbato Sancto Missas celebrare, dummodo Conventualis Missa sit absoluta. Ita Suarez cit. sect. 2. post Sotum, aliosque plures. Rupertus Abbas lib. 6. de Divinis Offic. cap. 12. quærit, quamobrem Sacerdotes Feria VI. majoris Hebdomadæ non celebrent, docente Apostolo, gloriari nos oportere in Cruce Domini nostri Jesu Christi; & respondet, eundem Paulum Apostolum dicere, *proprio Filio suo Deum non pepercisse*, sed pro nobis omnibus *illum tradidisse*: quapropter in mœroris signum Ecclesiam statuisse, ne eo die Missa celebretur. *Non enim ita gaudere debemus de gratia tradentis, vel de Charitate morientis, ut non etiam doleamus, quod tanto Domino tormentorum, & mortis causa fuimus. Siquidem non gaudere ingratitudinis, non dolere autem crudelitatis est.* Excepta Feria sexta, putat Cardinalis de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 20. sect. 1. num. 14. de Missa celebranda Feria 5. & Sabbato nullam esse prohibitionem; si enim juxta Micrologum cap. 53. Missæ quondam principio nostis Sabbati Sancti poterant celebrari, cum solemnis Missa absoluta esset; nunc cum, anticipato tempore, solemnis Missa celebretur Sabbato ab ipso mane, videtur saltem post eam licere Missas privatas celebrari.

Sed id dissuetum est Decretis Apostolicis, etiamsi in eos dies incidat Festum Annuntiationis B. Mariæ.

10. Verum non intelligimus, quid causæ esse possit, cur Decretis non pareamus Sacræ Congregationis Rituum Apostolica auctoritate confirmatis, quæ disertissime vetant, ne quis diebus illis tribus privatas Missas celebret. Vide Edictum nostrum 38. Meratus quoque legendus par. 2. tom. 1. ad Gavantum, qui pag. 1041. profert Pontificia Decreta, quæ prohibent, ne quis Missas privatas Feria V. celebret, & si contingat, ut Festivitas vel S. Josephi, vel Annuntiationis B. Mariæ Virginis in illam incidat Feriam, jubent locorum Ordinarios curare, ut eo die quædam privatæ Missæ celebrentur ante Missam Conventualem, ut præcepto audiendi Missam Fideles possint satisfacere. Idem Auctor pag. 1186. n. 64. quædam refert Decreta, quæ vetant, ne quis Sacerdos privatam Missam celebret Sabbato Sancto, etiamsi in eum diem cadat Festivitas Annuntiationis B. Virginis. *In Sabbato Sancto etiamsi occurat Festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, celebratio Missarum privatarum omnino prohibetur in quibuscumque Ecclesiis & Oratoriis tam publicis, quam privatis, non obstante quacumque consuetudine, sed unica tantum Missa Conventualis una cum Officio ejus diei celebretur*: verba sunt Resolutionis S. Rituum Congregationis sub die 11. Februarii, ab Alexandro Octavo sub die 11. Martii approbatæ anno 1690. quam refert idem Meratus loc. cit. pag. 1404. Quod autem ad veram attinet disciplinam non celebrandi Missas privatas Feria V. VI. & Sabbato majoris Hebdomadæ, vide Thiers Tom. 1. de superstit. cap. 5.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT IV.

An juxta, quæ nunc viget, disciplinam, possit plures in eodem die Sacerdos Missas celebrare.

Casus practicus pertinens ad celebrationem trium Missarum in Nativitate Domini.

1. IN decimo nostrorum operum tomo, qui in aliis editionibus prima hujus Operis pars fuerat, cum de Nativitate Christi Domini ageremus, diximus eo die Festo juxta veterem disciplinam, quæ etiamnum viget toto Orbe Catholico, ternas posse Sacerdotem Missas celebrare. Nunc practicum quemdam casum, qui ad trium harum Missarum celebrationem attinet, proponemus.

Proponitur idem casus ortus ex Pontificio Indulto celebrandi in privato Oratorio.

2. Solet Summus Pontifex Brevia expedire Oratorii privati, quibus potestatem facit unicam in eo Missam celebrandi singulis diebus; excipit tamen quosdam dies, ac præsertim Natalem Christi Domini, in quibus vetitum est, ne in privato Oratorio Missa celebretur. Alia etiam expedire solet Brevia, quibus in gratiam eorum, qui morbo impliciti domo pedem efferre non possunt, concedit potestatem celebrandi Missam in privato Oratorio etiam diebus solemnibus, atque etiam in Natali Domini Jesu, orta inde controversia est, num ternæ in die Nativitatis Christi Domini Missæ in privato Oratorio celebrari possint, an vero unica tantum. Ea de re actum est in Sacra Congregatione Concilii, cum in ea Nos Secretarii munere fungeremur.

Propositus in Sac. Congregatione Concilii.

3. Itaque opportunum, nostrique esse muneris existimavimus casum referre in Folio Congregationis habitæ die 2. Decembris anni 1724. ac typis impressum sermonem quemdam nostrum edere, quo rem totam studuimus illustrare.

Verba Brevis Apostolici.

4. Brevis formulam expendimus, quæ est ejusmodi: *Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, alias tibi asserenti te nobilem existere, auctoritate Apostolica sub certis modo & forma tunc expressis indultum fuerit, ut in privatis domorum tuæ habitationis Oratoriis &c. unam Missam pro unoquoque die, Paschatis tamen, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini &c. festis diebus exceptis, in tua ac familiæ tuæ præsentia celebrari facere libere & licite posses, & valeres &c. tu vero quibusdam corporis infirmitatibus labores, propter quas domo, etiam diebus supra exceptis, Missam audiendi causa egredi non potes &c. Nos te specialibus volentes &c. tibi &c., ut durantibus infirmitatibus hujusmodi, prædictam unicam Missam in privatis Oratoriis, supradictis etiam diebus, uti supra, exceptuatis, si in illis propter corporis infirmitatem domo Missam audiendi causa egredi non potes, ut præfertur, in tua ac unius personæ servitiis tuis necessariæ duntaxat præsentia celebrari facere libere & licite possis &c. tenore præsentium concedimus & indulgemus.*

Expenditur Brevis.

5. In eo Sermone observavimus, Pontificem favore infirmi exceptum illum die Natalis Domini ceteris diebus quodammodo coæquare; ac propterea quemadmodum diebus illis licebat in privato Oratorio unam Missam duntaxat celebrare, videbatur respondendum esse, itidem in Natali unam solummodo Missam celebrari posse; præsertim cum in priori Brevi facultatem concesserit Pontifex celebrandi *unam Missam pro unoquoque die*, exceptis diebus Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini; in posteriori autem Brevi propter infirmitatem potestatem fecerit etiam in illis diebus quos in priori exceperat, celebrandi *prædictam unicam Missam*. Itaque concludi posse videbatur, Pontificem nihil aliud concedere, quam ut in die Natali Christi Domini una Missa in privato Oratorio celebrari posset. Eam etiam rationem tetigimus, non alia de causa id a Pontifice permissum, quam ut in Natali Christi Domini, aliisque diebus exceptis posset infirmus præcepto satisfacere Missam audiendi; cui quidem præcepto satisfit etiam in Natali, si una tantum Missa audiatur. Neque enim Sacerdos eo die præcepto ternas Missas celebrare, nec ceteri ternas Missas audire, ut concludunt Navarrus consil. 1. de Celebratione Missarum, Bonacina tom. 1. Oper. Moral. de Sacram. Euchar. disput. 4. q. ult. puncto 11. propos. 1. n. 10. Castropalaus tom. 4. Oper. moral. tract. 22. disput. unic. punct. 7. n. 7. & Salmanticenses in Cursu morali tom. 1. tract. 5. de Missæ Sacrificio cap. 4. puncto 1. n. 9.

Non videtur trium Missarum celebratio in illo Oratorio.

Rationes, cur in eo casu licere

6. In eodem sermone nostro rursus quædam animadvertimus, quibus suaderi posset licere juxta Breve in privato Oratorio tres Missas in die Natali Christi Domini celebrare: neque enim Pontificis gratias, & concessiones nimis arcte interpretari oportet; nec existimandum est, Pontificem, qui potestatem facit infirmo in Natali Jesu Christi audiendi Missam in Oratorio privato, voluisse illum spiritali consolatione fraudare, quam si integris fuisset viribus, tribus eo die Missis audiendis suscepisset; cum præsertim in Brevi mentio quidem fiat etiam in Natali *unius*, & *unicæ Missæ*, sed sine particula *duntaxat*, qua Pontifex usus est, cum in diebus exceptis unam tantum personam servitio addictam permittit una cum infirmo Missam audire in privato Oratorio: *In tua ac unius personæ servitiis tuis necessariæ duntaxat præsentia*.

Rursus rationes quæ suadent licere.

7. Postremis hujusmodi permota rationibus respondit Sac. Congregatio, licere in Natali Domini tres Missas in Oratorio privato celebrare ex Brevi supra allato a summo Pontifice in favorem infirmi concesso.

Sacra Congregatio respondit licere.

Verba quibus propositus fuit Sac. Congregationi ille Casus, & Decretum.

8. Casum Sacræ Congregationi die 16. Decembris anni 1724. ita exposuimus: *Licet in Indultis Oratorii privati, quæ a Sede Apostolica conceduntur, excipiantur nonnulli dies, & signanter dies Nativitatis Domini, quibus non est permissum Missam in eis celebrare, aut audire, in nonnullis nihilominus Sedis Apostolicæ Indultis, quæ dantur infirmis qui domo egredi non possunt, non solum dicti dies non excipiuntur, sed expresse permittitur ut ipsis diebus exceptis, & signanter in die Nativitatis Domini, Missa in prædictis Oratoriis privatis celebrari possit; cumque exorta fuerit dubitatio, ejusque examen fuerit ad hanc Sacram Congregationem remissum, an stante antiqua consuetudine a temporibus Telesphori Papæ introducta, juxta quam quilibet Sacerdos die Nativitatis Domini tres Missas celebrare potest, possint eædem tres Missæ ab eodem Sacerdote celebrari in Oratorio, quod est a Sede Apostolica concessum infirmo, nec aliquod adsit in Secretaria Brevium monumentum ad hujus Dubii resolutionem pertinens, Secretarius hujusce Sacræ Congregationis, ne suo muneri deesset, Discursum exaravit ad calcem Folii impressum, eoque benigne perlecto, reliquum erit, ut EE. VV. decernere dignentur.*

An in Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur, ut Missa in die Nativitatis Domini celebretur, tres Missæ ab eodem Sacerdote celebrari possint, vel unica tantum Missa sit celebranda.

Sacra Congregatio die 20. Januarii an. 1725. ita respondit, ad primam Dubii partem affirmative; & ad secundam negative.

9. In

In Aragoniæ Regno Sacerdos secularis binas, Regularis ternas Missas celebrat in die Commemorationis omnium Defunctorum.

9. In Aragoniæ Regno, quo Aragonia, Valentia, & Catalaunia continentur, in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos secularis binas, Regularis ternas Missas celebrat, ut videre est apud Frances variar. Resolut. cap. 30. Idem usurpatur in Regno Majoricæ, quod est quasi quædam ad Aragoniæ Regnum appendix, ut testatur Henno par. 3. disp. 28. sect. 21. n. 318. eademque est consuetudo apud Patres Dominicanos Conventus S. Jacobi Civitatis Pampelonensis, qui Conventus quondam Provinciæ Valentinæ subjectus erat, ut videre est apud Marcum de Huertos de Sacrificio Missæ q. 13. Hæc consuetudo secularium Sacerdotum ex alia quadam vetusta consuetudine traxisse originem dicitur; Regulares vero, ut ait Angelus Espin Consult. 11. n. 998. & Antonius a Spiritu Sancto Consult. 101. n. 16. hac utuntur consuetudine ex vivæ vocis oraculo Julii Tertii.

Rogatus sæpe Summus Pontifex ut ad alia Regna indultu suo extenderet eam consuetudinem, Postulationes semper rejecit.

10. Sæpe postulatum fuit ut hujusmodi facultas ad alia Regna protenderetur: eam petiit Dux de Alcalà ab Urbano Octavo pro omnibus Regnis Hispaniarum, nec voti compos fuit, teste Hurtado Resolut. Moral. par. 1. disput. 2. cass. 7. Resol. ult. n. 416. & sequen. Pro omnibus Regularibus Lusitaniæ eandem facultatem postulavit Dux Alencastri a Clemente IX. sed eo Pontifice defuncto, nihil ea de re actum est, teste Antonio a Spiritu Sancto consult. 101. n. 101. Clemens XI. rogatus fuit ab Archiepiscopo Bracharensi, ut potestatem faceret in ejus Diœcesi Sacerdotibus ternas celebrandi Missas in die Commemorationis omnium Defunctorum, quo ad hunc modum Fidelium satisfieret pietati, qui multas eo die eleemosynas pro Missarum celebratione conferebant. Eam rem Pontifex Sacræ Congregationi Concilii commisit examinandam, quæ die 14. Martii anno 1711. Archiepiscopi postulata rejecit. Dum Nos ipsi ejus Congregationis Secretarii munere fungeremur, propositum fuit, an concedendum esset Indultum, ut Sacerdotes Regni Castellæ binas, tres vero Regulares celebrare possent Missas in die Commemorationis omnium Defunctorum. In eo folio, quod una cum aliis in lucem edemus, plura congesta fuerunt, quæ ad hanc rem pertinebant; & die 2. Maji anni 1722. cum perspectum esset, quantum difficultatis ejusmodi contineret postulatio, in ejus honorem, cujus jussu postulata ad Sedem Apostolicam delata fuerant, captum fuit consilium, ut nihil responderetur, atque in hunc modum modeste ea petitio rejiceretur. Episcopus Orichuellæ in Regno Valentiæ Sacræ Congregationi Concilii Ecclesiæ suæ referens statum, exposuit, Presbyteros sæculares in sua Diœcesi in die Commemorationis omnium Sanctorum duas Missas; in die vero Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum sæculares itidem duas, Regulares vero ternas celebrare solitos. In folio, quod Secretarius solet componere, interrogata fuit Congregatio quid esset responsendum; & die 30. Augusti 1722. captum est consilium responsendi: *Non proposita*; quod est indicium, veterem hanc tolerari quidem consuetudinem, sed ejus extensionem, aut novam introductionem improbari.

Eadem nuper facultas celebrandi tres Missas eo die pro Dominiis Regum Catholici, & Fidelissimi omnibus Sacerdotibus concessa est.

11. Cum vero carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandus VI. Hispaniarum Rex Catholicus, & Joannes V. Portugalliæ & Algarbiorum Rex Fidelissimus preces suas ad Sanctam Sedem nuper iteràssent, & nova rationum momenta ad ipsam petitionem magis juvandam adducerentur, peculiarem Congregationem super hoc decrevimus, atque injunximus hujusce gratiæ postulatori, ut quæ insuper reperta fuerant, justo volumine comprehensa typis ederet, & Consultoribus distribueret, eosque de omnibus quæ Causæ favere possent informatos redderet: quæ omnia ipse diligentissime fecit edito opere *de Ecclesiæ Catholicæ pietate erga animas in Purgatorio degentes*. Nos ipsi aliorum laboribus laborem nostrum, privataque studia nostra eorum studiis adjunximus, & inspectis librisque tum novis documentis, tum Consultorum suffragiis optatam diu gratiam duximus esse concedendam. Quapropter omnibus & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus quam Regularibus in utriusque Regis Dominiis existentibus facultatem perpetuo concessimus, ut die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Missas celebrare possent, ita tamen ut Missæ ex vi novi privilegii dicendæ pro omnibus Fidelibus Defunctis, & sine eleemosyna quocunque prætextu sive etiam sponte oblata applicandæ forent. Insuper permisimus ut præfatæ tres Missæ etiam duabus post meridiem horis celebrari possent. Hæc omnia fusius continentur in libro cui titulus est: *Privilegia concessa Hispaniæ & Lusitaniæ Regnis atque dominiis pro animabus in Purgatorio detentis* a pag. 9. ad 28. Et deinde a pag. 2. ad 32., litteræ Apostolicæ super hoc Privilegio emanatæ afferuntur; in laudatis locis omnia rationum momenta quæ nos ad annuendum precibus piissimorum Regum impulerunt, uberius videri possunt; eaque ad calcem inter hujus Operis Appendices collocabimus.

Leo III. plures Missas eadem die, S. Bonifacius unam tantum celebrabant.

12. Vetera alibi exempla retulimus plurium Missarum, quas Sacerdos uno eodemque die celebravit. Ut Rupertus Archidiaconus narrat, S. Albertus Monachus *factus Presbyter duas in die celebravit Missas, pro vivis alteram, alteram pro Defunctis*. Nunc satis erit innuere, quod proditum est a Walfrido Strabone, qui IX. vixit sæculo, *De Rebus Ecclesiasticis* cap. 21. Testatur Leonem Tertium qui vixit labente sæculo VIII. septem die, interdum etiam novem Missas celebrare consuevisse: S. vero Bonifacium, qui vixit ante Leonem Tertium, sed eodem tamen sæculo, unam tantum Missam celebrare eodem die solitum fuisse. Rationes affert Strabo, quibus utramque consuetudinem confirmet; sed propensior esse videtur ad plurium eodem die Missarum celebrationem, tandemque ita concludit: *Itaque unusquisque in sensu suo abundet, dum Fides concordet, ut nec sæpius offerentes æstiment, Deum aliter petitiones non posse discernere, nec semel Hostias per diem immolantes suæ Fidei subtilitatem potius, quam superiorum devotionem Divinis acceptam.*

Walfridus Strabo utramque consuetudinem probat.

Regula est, unam tantum a Sacerdote eodem die Missam celebrandam, excepto die Nativitatis Domini, dummodo in prima, & secunda Missa non sumat Sacerdos purificationem.

13. Alexander II. in Can. *Sufficit* de Consecrat. dist. 1. interroganti num plures eodem die Missas liceat Sacerdoti celebrare, respondit: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest.* In eundem modum loquitur Honorius Tertius in cap. *Te referente* de Celebrat. Missar. ex quo illa sunt: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat; nam & valde est felix, qui celebrat digne unam.* Et Innocentius Tertius in cap. *Consuluisti* de Celebrat. Missar. *Respondemus quod excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Itaque ea statuatur regula, excepto die Nativitatis Domini, & nisi aliter urgeat necessitas, non licere Sacerdoti nisi unam tantum eodem die Missam celebrare, dummodo in die Nativitatis Domini in duabus primis Missis purificationem non sumserit; aliter enim Sacramentum non jejunus susciperet. *De celebrandis vero Missarum solemniis*

nos

nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesiis & didicimus & tenemus, ut Calicem differamus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die Sacrificium denuo speramus offerre; verba sunt S. Petri Damiani Epist. 28. lib. 5.

Casus in quibus visum est licere plures Missas Sacerdoti eodem die celebrare.

14. Glossa Canonica in textum Innocentii Tertii verbo *necessitatis*, ait, posse Sacerdotem, qui Missam celebraverit, secundam etiam Missam celebrare, si quis defunctus sepeliendus esset, nec quisquam esset Sacerdos qui sacrificium faceret. *Sed quam dicit necessitatem? Respondeo, si celebravit de die, & postea etiam moriatur aliquis &c. unde potest unam celebrare de die, & aliam pro Defuncto.* De hac opinione diximus Edicto 36. circa medium, S. Raymundus in Summa lib. 3. pag. 471. edit. Avenionen. anni 1715. quosdam alios casus affert, in quibus secundam Missam celebrare licet, cujusmodi sunt, si iter facientes, aut hospites aliter Missa careant. Quidam casum illum ponunt, si quis infirmus peteret Viaticum, & deesset Sacramentum, nec quisquam alius esset Sacerdos, qui Sacramentum conficeret. Nonnulli etiam affirmant posse Sacerdotem secundam Missam celebrare, id si peteretur ab aliquo Principe, vel a suo Episcopo, qui Missam non audissent, cum audire tenerentur; *itidemque si nuptiæ in alium diem rejici non possent, nec quisquam alius esset Sacerdos, quam qui antea unam Missam celebrasset.* Toletus *in summa* lib. 1. cap. 3. n. 5. & seq. Casalius de Veteribus sacris Christianor. Ritibus cap. 9. §. Ante cibum.

CAPUT V.

Parochus etiam num duas Missas celebrare aliquando potest; in Orientali vero Ecclesia duæ Missæ in eodem Altari non celebrabantur.

Prudens animadversio Soti.

1. PRudenter observat Sotus in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 2. plures ejusmodi casus tunc expendi potuisse, cum tanta Sacerdotum copia non esset; nunc vero non item, cum eorum abundet numerus: *Attamen ex his omnibus antiquis casibus, qui dum Ecclesia Sacerdotum raritate laborabat, frequentes erant, quibus unus posset plures celebrare Missas, non est jam in usu præter diem Nativitatis, nisi ille, dum quis propter Parociarum paupertatem curam duarum habet.* Itaque concedit Sotus etiamnum Parochum, qui duas habeat Parochias, duas posse Missas eodem die celebrare; quod intelligendum, si in alterutram Parochiam non possit Populus convenire, nec alius Sacerdos quam Parochus sit, qui Missam celebrare possit. Huic casui congruit exemplum S. Leonis Tertii qui Walfrido Strabone teste cap. 21. de Rebus Ecclesiast. aliquando septem, ut diximus, interdum novem Missas celebrabat: nam quidam id ita intelligunt, ut S. Pontifex plures celebraret Missas, cum tanta esset Populi, qui ad Ecclesiam conveniret frequentia, ut eodem die opus esset sæpius Missam iterare; devotionis enim causa S. Pontifex omnia illa voluit facere sacrificia, nec aliorum uti opera Sacerdotum. Ita Fleury tom. 1. Hist. Eccl. pag. 158. Sed utcumque sit de ejusmodi interpretatione, consentiunt cum Soto communiter alii, Gonzalez in cap. *Consuluisti* de Celebrat. Missar. num. 2. Pirhing in lib. 3. Decretal. tit. 41. n. 3. Pasqualigus de sacrificio novæ legis tom. 1. q. 386. Barbosa ad Concil. sect. 22. cap. 8. n. 27. de Sacrificio Missæ. Fragosus de Regim. Christ. Reipub. lib. 10. disput. 21. §. 7. n. 6. tom. 2. Belletus Disquisit. Clerical. par. 2. §. 29. n. 3. Hicoll. Lucubrat. Jur. tom. 2. lib. 3. tit. 41. n. 2. Pax Jordan. tom. 1. lib. 4. tit. 1. n. 79. Card. de Lugo de Eucharistia disput. 20. sect. 1. n. 46.

Parochus duas Missas potest celebrare qui duas habet Parochias, nec in alterutram potest omnis Populus convenire.

An Parochus duas habens Parochias, teneatur, si duas velit Missas celebrare, licentiam petere ab Episcopo.

2. Est quædam inter Auctores quæstio, an Parochus duas habens Parochias, si duas Missas celebrare velit, facultatem debeat ab Episcopo obtinere. Quidam eam facultatem petunt, ut videre est in auctoritatibus supra jam allatis; quidam eam non petunt, utpote quæ concedatur a Jure communi. Quapropter Sylvius 3. part. quæst. 83. quæsit. 18. art. 2. ita scribit: *Casus autem illi* (quos supra indicavimus, & in quibus poterat Sacerdos juxta quorumdam opinionem duas eodem die Missas celebrare) *sic exoleverunt, ut vix inveniatur, alius, in qui citra specialem Episcopi concessionem id liceat, quam is, quando unus habet plures Ecclesias Parochiales, quo casu potest celebrare bis.* Sed hæc componi posse videtur controversia, si animadvertamus, sive sit necessaria Episcopi licentia, sive non, id certe necessarium esse, ut ille rem cognoscat, ac perspiciat, num revera necessitas urgeat, ut Sacerdos duas Ecclesias Parochiales habens duas Missas cogatur celebrare: nonnumquam enim accidit, ut cum non alium esse Sacerdotem existimaretur, qui in alterutra Parochia celebraret, tamen repertus sit. S. Turribius Archiepiscopus Limanus in sua Diœcesana Synodo anno 1592. cap. 3. in tom. 4. Concil. Hispaniæ apud Cardinalem Aguirre pag. 687. ita statuit: *Licentiam concedimus omnibus Indorum Hispanorumque Parochis nostri Districtus, ut diebus Dominicis & festivis de præcepto servandis possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius Ecclesiæ assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera; cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque, sed unam tantum Missam in una, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius Populi. Nec item poterit idem Parochus celebrare duas Missas in eodem Oppido, quamvis non sit alias Sacerdos, qui dicat secundam in eodem:* quod etiam confirmavit in 8. Synodo Diœcesan. an. 1594. habita cap. 38. in eadem Collect. Card. de Aguirre tom. 4. pag. 705.

Plures casus in quibus veteres Theologi putabant locum esse celebrationi plurium Missarum, qui tamen non continentur sub voce necessitatis, quam diserte vult Innocentius III.

3. Ut autem ad alios redeamus casus, in quibus veteres Theologi putabant, posse Sacerdotem plures eodem die Missas celebrare, quilibet potest intelligere eos nullo modo contineri sub necessitatis voce, quam diserte exprimit Innocentius Tertius in allata Decretali. Ejusmodi est casus hospitum, & eorum qui iter faciunt; atque itidem ille de Principe, aut Episcopo, qui die Festo Missam non audierint, nec alius quisquam Sacerdos sit, qui possit Missam celebrare. *Quod enim inconveniens est, si Episcopus, vel alia Persona nobilis Missam non audiat, quia nullus adest Sacerdos, qui jure possit illam dicere;* ait Suarez in 3. par. D. Thom. tom. 3. q. 73. art. 2. disput. 80. sect. 3. Ejusmodi est etiam casus de Nuptiis, quæ differri non possint: nam quid incommodi inde sequeretur, si cum nuptiæ differri non possint, Matrimonium condicta die celebraretur; cumque non esset qui Missam celebraret, die proxime sequenti sacrificium fieret, & Nuptiæ benedicerentur? *Adde parum referre, quod differatur in diem sequentem benedictio:* sunt verba Card. de Lugo loc. cit. n. 47. Quod vero attinet ad casum, quo moribundus viaticum petit, neque Sacramenti copia est, nec Sacerdos ullus Sacramentum potest conficere, nisi qui jam Missam celebravit, si quis rem bene consideret, facile intelligat non esse verisimile, posse id usuvenire: nam aut

Sacer-

Sacerdos, qui de moribundo Viaticum petente certior fit, jam Sacramentum sumsit & ablutionem, & tunc non potest amplius secundam celebrare Missam, quod non sit jejunus, nec possit propterea particulam ad infirmum deferendam consecrare; aut de eo certior fit antequam Eucharistiam perceperit, & tunc non est opus secundam celebrare Missam, sed satis est particulam abruptam ex hostia servare, & ad infirmum deferre. Itaque, ut revera necessarium sit alteram Missam celebrare, oportet notitiam ad Sacerdotem pervenire inter pauca illa temporis momenta, quæ inter Communionem & ablutionem interjiciuntur; quod satis est ut intelligamus casum fere esse impossibilem. Ita nonnulli hac de re disputant. Sed tamen, ut verum fateamur, casus non est metaphysicus; potest enim accidere, ut Sacerdos summo mane Missam celebraverit, nulla sit Sacramenti Particula, urgeat necessitas circa meridiem ministrandi Viaticum, nec sit Sacerdos qui Missam celebrare possit; quo casu qui jam celebravit cum jam jejunus non sit, ei non licet rursus celebrare; nullus enim, qui non sit jejunus, potest Missam, ut infra videbimus, celebrare, etiam ut Viaticum moribundo ministret. In Concilio Mediolanensi I. facultates omnes abolitæ sunt, quas dederant Episcopi plures Missas uno eodemque die celebrandi. Et in Concilio Mediolanensi V. nullius roboris esse declarantur causæ celebrandi uno, eodemque die plures Missas, quas causas jam memoravimus; idque observavit etiam Grancolas in veteri Sacramentario Ecclesiæ par. 1. pag. 638.

Qui casus revera contingant, cum Sacerdos possit duas Missas celebrare.

4. Itaque concludendum, casum qui revera contingit, eum esse cum Parochus duas habet Parochias, de quo supra fumus loquuti; neque tamen quidquam præjudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est, concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die, ut videre est apud Verricellium de Apostolicis Missionibus lib. 4. quæst. 48. dub. 19. itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem Sacerdotum, aut hæreticorum aut infidelium persequutionem, ne Fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari. In Concilio Nemausensi habito anno 1284. sub Martino IV. in Collect. Labbeana tom. 11. par. 1. pag. 1213. hæc habentur; *Si omnes Parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab Ecclesia & remotis, sicut est in montanis, nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes, & dicta prima Missa, postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa post receptionem Corporis Christi & Sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam Missam in prædictis casibus celebrare.* De celebratione plurium in eodem die Missarum eruditissime duo ætatis nostræ Auctores scripsere, Sambovius tom. 3. Resolut. Casuum conscientiæ casu 8. & Pontas Dictionar. Casuum conscientiæ verbo *Missa*, casu 15. Est apud Fagnanum in cap. *In Ordinando* de Simonia num. 37. Resolutio quædam S. Congregationis Episcoporum & Regularium, qua regulæ præscribuntur ab Episcopis servandæ in concedenda facultate alicui Sacerdoti plures eodem die Missas celebrandi, vel ob locorum naturam, vel ob Sacerdotum paucitatem, vel ob infidelium persequutionem, ut paulo ante dictum est. In Concilio Burdigalensi habito anno 1583. cap. 5. hæc habentur: *Ne hujusmodi facultatem Episcopi largiantur nisi Sacerdoti spectatæ probitatis, idque gravissimis de causis, quæ facultas brevi etiam tempore circumscribatur, nec ad plures dies, quam ad Dominicos & festos, in diversis tantum Ecclesiis protrahatur.* Consonant verba S. Congregationis Episcoporum in citata Resolutione: *Nec concedi potest hæc licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicujus Sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Episcopo examinanda.*

Regulæ præscriptæ Episcopis in concedenda facultate plures Missas celebrandi.

5. Denique Sylvius 3. part. quæst. 83. quæsit. 18. prudenter monet, Parocho, qui in iis, quas indicavimus, circumstantiis duas Missas potest celebrare, alteram in una, in alia Parochia alteram, non licere Feriæ sextæ Officium Majoris Hebdomadæ mane facere in una Ecclesia, illudque iterare in altera; nam sumenda illi est eo die particula Hostiæ consecratæ una cum vino non consecrato; ideoque ei non licet, cum non sit jejunus, alteram Missam celebrare, & si sumeret speciem panis sine Calice & vino, sane id esset novum, & a regula alienum; cum præsertim nullo Fideles præcepto urgeantur, ut Officio ejus diei intersint. *Feria tamen sexta Parasceves non potest nisi semel Officium facere, quia pars Hostiæ consecratæ sumi debet cum vino, & sic definit esse jejunus. Neque putandum est, quod in priori Ecclesia possit sumere speciem Panis absque Calice & Vino, ut in posteriori denuo peragat officium; quia nulla est necessitas iterandi istius diei Officii, cum ad illud audiendum Fideles non obligentur præcepto Ecclesiastico. Deinde talis praxis non est a Romano Pontifice unquam probata vel recepta. Deinde prorsus insolens videtur, ut Officium ad Altare totum peragatur sine Calice, quod hic contingeret. Nam in priori Ecclesia Calix aut non esset, aut foret superfluus.* Idem Sylvius tom. 5. Operum suorum editionis Antuerpiensis in prima sua Oratione, quæ sola est *de Officio Parasceves*, materiam hanc retractat, & quæ loco paulo ante citato docuerat, ulteriori doctrina confirmat, atque iterum ait Parochum, qui simul cum vino sumat Hostiam die, qui præcesserit, consecratam, non esse jejunum: *Sacramentum enim Eucharistiæ non nisi a jejunis sumendum est: qui vero Calicem seu vinum Calici infusum, tametsi speciem Corporis Domini contingens, sumsit, non est jejunus: ergo non potest, sive eodem sive diverso in loco, Sacramentum Corporis Domini sumere, ideoque nec Officium, in quo Sacramentum illud sumendum est, peragere.* Quod si prætermittat Sacerdos vinum sumere, sumatque tantummodo speciem panis, quando in prima Parochia Officium celebrat, quo sibi liceat jejuno idem Officium in alia Parochia peragere, Ecclesiastico ritui adversatur, quem & Ordo Romanus, & Sacramentarium S. Gregorii præscribunt, & adhibet universalis Ecclesia, idque nulla urgente necessitate; Populus enim nullo tenetur præcepto audiendi eo die Officium; & S. Tridentina Synodus jubet, eos ritus & cæremonias in Missa a Sacerdotibus tantummodo adhiberi, quas adhiberi jubet Ecclesia, ac frequenti & laudabili usu commendavit. Suarez loco citato cum Silvio plane consentit; sed illud addit, quod si per incogitantiam Parochus in utraque Parochiali Ecclesia Sacramentum in Sepulcro condidisset, posset in eo casu in priori Missa a vino abstinere, solamque Hostiam sumere, ut secundum Officium in altera Ecclesia celebraret. Quod tamen nos minime intelligere possumus; nam illud perdifficile nobis videtur, Parochum ita esse incogitantem, ut in priori Missa vel Officio Ecclesiasticum Ritum non observet; quamobrem consultius eo in casu putaremus, ut in altera Ecclesia Officium omitteret, & Sacramentum reconderet in Tabernaculo.

Non potest Parochus Feria VI. in Parasceve duas Missas celebrare.

6. In

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Est ubi duæ Missæ eodem Altari non celebrantur.

6. In Orientali Ecclesia nullum reperire licuit monumentum, quo appareat Sacerdotem uno eodemque die plures Missas celebrasse; quin immo regulam apud Orientales esse novimus, ne quisquam eodem die Sacerdos Missam celebret ad Altare, in quo alius antea celebraverit, dummodo non aliter gravis quædam necessitas fieri postulet. *Quæris an pluries in die super idem Altare, ut Latinis mos est, Missa celebretur. Respondeo, semel tantum Missam celebrari in die super idem Altare, nisi vel adsit, urgeatque necessitas aliqua, vel id Episcopi obtineatur auctoritate;* verba sunt celebris Maronitæ Ekellensis in Epistola ad Morinum scripta anno 1654. De rebus Melchitarum jussu Summi Pontificis singularis quædam habita fuit Congregatio anno 1729. in qua instante Cyrillo quodam Patriarcha proposita fuit quæstio; an ad idem Altare plures eodem die Missas celebrare liceret; cumque ea Congregatio cognovisset, rescriptum antea fuisse anno 1716. id non esse permittendum; etiamsi nonnemo falsa de causa putaret ideo non licere, quod Altare, Calix, Planeta, ceteraque sacra indumenta ad primam Missam adhibita, si ad secundam adhiberentur, rumpant jejunium; censuit unam tantum Missam ad idem Altare eodem die celebrandam; Episcoporum vero esse omnem curam adhibere, ut vel in templis plura essent Altaria, vel Sacerdotes juxta morem, quem alibi memoravimus, concelebrarent, & interim ex animis hominum errorem evellere niterentur, rumpi jejunium per secundam Missæ ad idem Altare celebrationem; atque idem semper Sedes Apostolica censuit non modo anno 1729. sed etiam in eodem sensu temporibus, quæ consequuta sunt, constantissima fuit.

Thomas Franciscus Roverus Barnabita laudatur.

7. Postquam de celebratione duarum Missarum hæc scripsimus, forte fortuna incidimus in III. tomum Theologiæ moralis Regularium Thomæ Franciscì Roveri Clerici Regularis Barnabitæ, & lib. 1. ejus tomi cap. 2. puncto 1. hoc argumentum deprehendimus abunde discussum magnaque animi voluptate comperimus, quæ ab eo sunt scripta de re hac, cum nostra sententia omnino congruere; quod hic declarare voluimus, tum quod egregium virum, & de Congregatione sua, quam Præpositus Generalis sapientissime gubernavit, optime meritum, & in litteraria Republica tot editis Operibus clarum magni semper fecimus; tum quod in Bononiensi Diœcesi Metropolitanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius multos sane labores plurium annorum spatio pertulit; tum etiam quod, licet provectiore jam ætate, pluribusque curis ad ejusdem Ecclesiæ bonum distentus, Opus hoc nostrum non gravatus sit recognoscere & emendare. Postulabant igitur in nos egregia Viri merita, ut in hanc grati nostri animi declarationem digrederemur. Nunc vero examinabimus, an contingere possit, ut celebrare liceat Missam extra templa, & publica vel privata Oratoria.

CAPUT VI.

De Oratorio privato, atque an possit contingere, ut Sacerdoti extra Ecclesias, & publica, vel privata Oratoria liceat sacrificium facere.

Celebrari potest Missa etiam in Oratoriis privatis ex privilegio.

1. CAnonica Regula est, Missam in templis consecratis esse celebrandam, ut videre est in can. *Sicut* de consecrat. dist. 1. vel in locis ubi Episcopus potestatem fecerit celebrandi. *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus*, sunt verba can. *Missarum* de Consecrat. dist. 1. Atque juxta eam, quæ nunc viget, disciplinam celebrari potest Missa *in templis* ab Episcopo consecratis, aut ejus permissu ab aliquo Sacerdote benedictis, aut ex privilegio in Oratoriis privatis, domesticisque Sacellis, ut videte est apud Tournely de Euchar. tom. 2. pag. 361. S. Tridentina Synodus Sess. 22. in Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ* jubet, ne Episcopi *patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*. Gilbertus Consulationum Canonicar. consulat. 5. *de Sacrificio Missæ* negat, per ea S. Concilii verba auctoritatem ademtam Episcopis concedendi facultatem celebrandi in privatarum domorum Oratoriis, & auctoritatem confundit Episcopi, qua jubet domi suæ Missam celebrari, cum auctoritate concedendi potestatem, ut in aliorum domibus Missa celebretur; atque ulterius progressus ait, Episcopum, etiamsi a S. Synodo ea sibi auctoritas esset ademta, ea tamen uti posse per viam dispensationis in casibus particularibus. Sed hæc prorsus absona sunt, & a veritate non modo, quam ab universali omnium Diœcesium usu aliena.

Facultas concedendi Oratorium Episcopis ademta per Tridentinum.

Tridentina Synodus non ademit Episcopis facultatem habendi in suis domibus Oratorium.

2. Sancta Tridentina Synodus illis, quæ attulimus verbis Episcopis facultatem adimit, qua olim erant præditi concedendi suis Diœcesanis Oratorium in domo privatum, ubi Missa celebrari posset, juxta ea, quæ per Encyclicas literas Episcopis significavit Sac. Congregatio sac. illius Concilii interpres anno 1615. jussu Pauli V. ut videre est apud Passerinum de statibus hominum tom. 3. quæst. 189. num. 979. *Tametsi sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum optimis innixa rationibus sæpissime responderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis non nisi a Sede Apostolica esse concedendas &c. Illustrissimi Patres &c. Sanctissimi Domini Nostri jussu signandum duxerunt, facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii Decreto unicuique ademtam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam*. Nihil tamen de privilegio Episcoporum detractum est, quo possunt in suis domibus privatum Oratorium habere, & in eo Missas celebrare, & aliis Sacerdotibus permittere ut celebrent, quemadmodum eadem Sac. Congregatio explicans ea, quæ Pauli V. jussu in Epistola Episcopis edixerat, disertissime declaravit anno 1623. atque illud etiam addidit, ne privilegium quidem Episcopis a Tridentina Synodo ademtum intelligi, ut suo loco dicemus, habendi Altare mobile: *Proindeque Capellas, & Oratoria ad illorum usum ubique locorum extructa minime comprehendi in prohibitione Constitutionis jussu sanctæ memoriæ Pauli V. jampridem edita de non celebrando in privatis Oratoriis*.

Privilegium Fratrum Prædicatorum & Minorum in Jure Canonico insertum; & privilegium pro Episcopis habendi Altare mobile.

3. In Jus Canonicum insertum est Privilegium, quo Fratres Prædicatores, & Minores Altari uti mobili, & Missam ubique celebrare possunt, ideoque extra Templa, & Oratoria vel privata vel publica, ab Ordinariis destinanda & approbanda, ut in iis Missa celebrari possit, quod videre est in cap. *In hit* De privilegiis. In Jure Canonico item extat Privilegium Episcoporum, ut, cum maxime deceat eos quotidie Missam celebrare, aut saltem audire, ubique in hunc usum Altare mobile, seu, quod idem est, Petram consecratam secum habeant: ut est in cap. *Quoniam* de Privilegiis in 6.

Privilegium hoc Fratribus Prædicatoribus & Minoribus sublatum a Tridentina Synodo.

4. Hujusmodi Privilegium Regularibus ademit sancta Tridentina Synodus, quod sæpe S. ejus inter-

interpres Congregatio declaravit, ut videre est apud Pasqualigum decis. 54. num. 1. & Pacem Jordan. Elucubrationum tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 40. idemque etiam evincitur ex S. Congregationis judicio in Causa Toletana die 4. Junii 1672. in Responsione ad 8. dubium. Propterea Gregorius XIII. cum Patribus Societatis Jesu Missionariis privilegium concessit Altaris mobilis, Tridentinæ Synodi decreto derogavit, ut videre est apud Vericellium de Apostolicis Missionibus quæst. 131. num. 1. In Decreto autem Clementis XI. die 15. Decembris ann. 1703. de quo nobis paullo post erit sermo, hæc habentur. *Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap.* In his *de Privilegiis, & per alios Summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne iis utantur.*

Privilegium Altaris mobilis non est sublatum Episcopis a Tridentino.

5. S. Tridentina Synodus privilegium Episcoporum non sustulit, ut sæpe declaravit S. Congregatio apud Barbosam de Episcopo allegat. 13. num. 1. & constat ex libro Decretorum 12. pag. 120. ubi sic ea respondit: *Sacra Congregatio &c. censuit, Cardinales non secus ac Episcopos sine ulla Episcopi Diœcesani licentia uti posse privilegio Altaris portatilis ad præscriptum Constitutionis felicis recordationis Bonifacii VIII. quæ incipit: Quoniam Episcopi; nec hujusmodi privilegium sublatum fuisse Concilii Decreto cap. unic. sess. 22.* Verum Clemens XI. in allato Decreto die 15. Decemb. 1703. edito in ejus Bullario, & in Appendice Romanæ Synodi sub Bened. XIII. cum videret eo privilegio quosdam abuti, statuit ne quis extra suam domum, nec propterea in Laicorum domibus, sive in Diœcesi, sive extra Diœcesim ejusmodi privilegio uteretur: *Ad abusus ejusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem trèmendo Mysterio debitam Sanctissimus Dominus Noster unanimi Voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus neque sub prætextu privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigi Altare; ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrare facere.*

Vel Clemens XI. vetuit, ne quis Episcopus extra suum Oratorium celebraret.

Quibus rationibus impulsus Clem. XI. Decretum illud condiderit.

6. Ratio quæ Pontificem ad illud condendum Decretum impulit, ea fuit, quod resciverat, nonneminem Episcoporum tam in sua, quam in aliena Diœcesi domo sua egredi consuevisse, & ut primario cuipiam viro laico gratum faceret, qui non haberet privati Oratorii privilegium, ad illius domum sese conferre, ibique vel ab aliquo Missam celebrare facere, aut etiam plures, si vir ille habuisset Oratorium privatum, ubi non nisi unicam Missam eodem die liceret celebrari. *Episcopi etiam in aliena Diœcesi extra domum propriæ habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum aut plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolari.* Idcirco opus fuit, Decretum Clementis XI. declarari sub Innocentio XIII. qui in Bulla *Apostolici Ministerii* de Regulari Disciplina pro Hispaniarum Regnis, quam Benedictus XIII. confirmavit, Decreto Clementino declaravit locum non esse, si Episcopus tanquam hospes in alicujus Laici domo moretur, aut Diœcesim visitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apostolicæ habitando in domo aliena extra Diœcesim: *Declaramus tamen, quod cum in prædicto decreto statueretur, non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, & nec etiam quando Episcopi in casibus a Jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes a domo propria ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita eis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.* Privilegio Altaris mobilis, quod habent Episcopi, gaudent Eminentissimi Cardinales, etiam qui Episcopi non sint. Quod vero attinet ad Oratoria seu Capellas privatas, quibus certus fixusque assignatus est locus, in domibus tam Episcoporum, quam Cardinalium, possunt plures quotidie Missæ celebrari etiam a Sacerdotibus, qui non sint ex familia, licet Episcopus vel Cardinalis absit; quique, etiamsi ex familia non sit, diebus festis ibi Missam audiat, Ecclesiastico præcepto satisfacit. De Cardinalium Capellis videatur Cardinalis Brancacii Dissertatio de Privilegiis Capell. Cardinal. De Capellis vero Episcoporum vide Clericatum de Sacrament. Eucharist. decis. 8. num. 20.

Si necessitas poscat, licet celebrare Missam etiam extra Templa & Oratoria, dummodo locus mundus sit.

7. Lex quæ prohibet, ne quis Missam alibi celebret, quam in Templis aut Oratoriis publicis privatisque, præcipuam quandam restrictionem habet, si Missa, quæ omnino celebranda sit, non possit in ejusmodi locis celebrari: nam eo in casu licet Sacrificium ubique facere, dummodo locus, in quo fit, nihil indecori habeat, juxta Can. *Concedimus* de Consecrat. Dist. 1. *In itinere vero positis si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si Tabula Altaris consecrata, ceteraque sacra ministeria ad id Officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus: Aliter omnino interdicimus.* Et juxta Can. *Sicut* de Consecrat. dist. 1. *Satius ergo est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas non habet legem.* S. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 3. in respons. *ad secundum*, duobus illis textibus Canonicis utitur, ut ostendat, etiam extra templa posse, si necessitas urgeat, Missam celebrari. Suarez in 3. par. disput. 81. sect. 3. notat, haud ita fidendum illis textibus, qui neque ex Constitutionibus Summorum Pontificum, neque ex Decretis Conciliorum generalium desumti sint; quo significare voluit iis non propterea auctoritatem legis accedere, quod a Gratiano in Decretum suum conjecti sint, sed tantum iis esse auctoritatis, quantum habeant apud Auctores suos. Eos tamen ait communi consuetudine esse receptos, & æquum esse Missam, si legitima causa interveniat, extra Templa etiam & Capellas celebrari posse. Exemplum afferunt Auctores Capellanorum in exercitibus Sacramenta administrantium, quibus licet celebrare Missam in castris: quamobrem in Capitularibus incerti cujusdam, sed gravis Auctoris apud Labbæum tom. 9. Concilior. pag. 1011. hæc leguntur: *Missarum solemnia nequaquam alibi, nisi in Ecclesia celebranda sunt, non in quibusdam domibus, & in vilibus locis, sed in loco,*

quem elegerit Dominus, juxta illud quod ſcriptum eſt: Vide ne offeras holocauſta in omni loco, quem videris, ſed in loco, quem elegerit Dominus, ut ponat nomen ſuum ibi: exempta ratione eorum, qui in exercitu pergentes ad hoc opus habent tentoria, & Altaria dedicata, in quibus Miſſarum ſolemnia expleantur. Et Durandus lib. 4. Rationalis Divinorum Officiorum cap. 1. num. 41. ita ſcripſit: *Poteſt autem eſſe neceſſitas, ut Miſſa dicatur in navi, vel in exercitu ſub papilione.* Exemplum afferunt etiam navigantium, qui diu Miſſa caruerunt; nam dicunt Sacerdotem poſſe in maris littore celebrare. Denique exemplum afferunt eorum, qui per infidelium regiones iter faciunt, in quibus Catholicæ Religionis uſus prohibetur; & dicunt, licere in quovis honeſto loco Miſſam celebrare, ſemper tamen ſuper Petra conſecrata: *Non debet cantari Miſſa, niſi in Eccleſia conſecrata, ſi fieri poteſt, vel ſaltem in Altari conſecrato, vel ſi hoc non habetur, habeatur ad minus ſemper parva Tabula conſecrata: In neceſſitate etiam poteſt Miſſa celebrari ſub dio, vel in tentoriis, in itinere videlicet, vel in exercitu, vel ſimili honeſto loco, dum tamen habeatur ſemper Tabula, ut dictum eſt, & cetera ornamenta neceſſaria.* verba ſunt S. Raymundi lib. 3. Summæ pag. 470. §. 11. Quæſtio itaque eo redigitur, an in mari vel flumine, ideſt in navi ſeu triremi liceat Miſſam celebrare.

8. In Sacerdotali Romano cap. 47. generalis hæc regula habetur. *In loco fluctuanti, ut in mari vel fluminibus celebrare non licet alicui.* Generalis hæc regula reſtringitur, ſeu potius explicatur quoad Miſſam ſiccam: *Conſuevit tamen in mari pro populorum devotione abſque Conſecratione Miſſa (quam ſiccam vocant) dici per Sacerdotem.* Adeundus Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. cap. 3. art. 1. num. 16. & ſeq. ubi magna eruditionis copia fere omnia congeſſit, quæ Miſſæ ſiccæ favent, vel ei adverſantur. Ejuſmodi Miſſa, quæ etiam nautica dicitur, introducta fuit, ne navigantes Miſſa omnino carerent in longis navigationibus, neve in Miſſa, quæ in mari celebraretur, periculum eſſet effuſionis Sanguinis dum navigium jactaretur. Georgius Caſſander in Opere Liturgico cap. 34. hæc ſcribit: *Hæc Miſſa ſicca, ideſt ſine Conſecratione & Communicatione, etiam Navalis ſeu nautica dicitur, eo quod in loco fluctuante & vacillante, ut in mari & fluminibus, quibus in locis plenam Miſſam celebrandam non putant, ad hunc tantum modum Miſſam dici poſſe tradunt.* Durandus in Rationali lib. 4. cap. 1. præſcribit quomodo ejuſmodi Miſſa ſit celebranda: ait enim Sacerdoti induendas eſſe ſacras omnes veſtes, Miſſam legendam uſque ad Offertorium; recitandam Præfationem, omittendum Canonem, dicendam Orationem Dominicam, omittendas Secretas omnes, nihil dicendum eorum faciendumve, quæ fiunt, dicuturve ſuper Calicem & Hoſtiam, quorum neutrum debet eſſe ſuper Altare. S. Ludovicum Galliarum Regem teſtatur in ejus vita Gaufridus, cum captivus apud Saracenos eſſet, conſueviſſe coram ſe Miſſam ſiccam celebrari curare. Olim dicebatur in Triremibus Melitenſibus, ut teſtatur Macrus in Vocabulario Eccleſiaſt. verbo *Miſſa ſicca*. Auctores vero, qui ad res ampliandas ſunt procliviores, non dubitant affirmare, etiam coram infirmo, cui non liceat Eccleſiam accedere, præſertim de Epiſcopi licentia poſſe ejuſmodi Miſſam celebrari, ut videre eſt apud Quartum ad Rubricas Miſſal. par. 1. tit. 14. dub. 4. §. *Dico tertio*. Idque multo antea probaverat Epiſcopus Prudentius in ſuo Pontificali manuſcripto. ante octingentos eoque amplius annos, quod refert Boucat tom. 5. Theologiæ diſſert. 2. par. 4. §. *de Miſſa ſicca ſeu nautica*. Et Guido de Monte Rocherii, qui ſcripſit circa annum 1333. tract. 4. in Enchiridio Sacerdotum cap. 7. probat conſuetudinem, quæ in quibuſdam locis invaluit Miſſam ſiccam celebrandi, ne peregrini, qui jam peracta Miſſa ad Eccleſiam veniunt, Miſſa omnino careant: *Approbo iſtam conſuetudinem, quæ ſervatur in aliquibus Eccleſiis Gallicanis, quando ſcilicet dicta Miſſa veniunt aliqui peregrini ad aliquam Eccleſiam, ſi non ſit aliquis Sacerdos paratus celebrare, Sacerdos induit ſe, ſicut deberet dicere Miſſam; & dicit eis Miſſam de Beata Virgine Maria, vel de Spiritu Sancto, vel de Trinitate, vel de illo Sancto, pro quo ſit peregrinatio. Non tamen dicit Canonem, nec conſecrat, ſed oſtendit ei reliquias alias loco elevationis Corporis Chriſti; & iſta Miſſa vocatur ſicca.* Quidam nomine Moleon Pariſiis opus quoddam edidit anno 1718. cui titulus, *Iter Liturgicum per Gallias*, ubi pag. 76. narrat, etiam nunc in Diœceſi Claromontana, ſi quis meridie extremum diem obierit, nec ad eum qui proxime conſequitur diem cadaver ejus incorruptum ſervari poſſit, conſuetudinem eſſe poſt prandium Miſſam ſiccam celebrandi, ne ſine Miſſa terræ detur Chriſtiani hominis cadaver. Miſſæ ſiccæ fautor eſſe videtur Clericatus, ſi agatur de ea celebranda in mari, vel coram infirmo, dec. 31. n. 36. & ſeq. de Sacrificio Miſſæ. Verum Eſtius Orat. 13. Theologica adverſus eam graviter clamat, illamque improbat, quod veram ſacrificandi & celebrandi ſimulationem contineat, ubi nec ſacrificatur, nec celebratur. Ob eaſdem rationes eam improbat Sylvius 3. par. quæſt. 83. art. 2. Natalis Alexander Theolog. Dogmat. & Moral. lib. 2. cap. 6. art. 5. de Sacram. Euchariſtiæ Regula 6. earum quæ ad praxim pertinent; Lupus in cap. 52. Concilii Trullani tom. 2. primæ edit. pag. 951. & Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 15. num. 6., quorum ſapienti ſententiæ libenter ipſi ſubſcribimus, & ad eam quæſtionem aggredimur pertractandam, utrum in mari veram, non ſiccam Miſſam liceat celebrare.

In navigio non licet Miſſam celebrare, niſi ſiccam.

Quid ſit Miſſa ſicca.

Eſtius improbat.

9. Hac de re vulgo fere omnes rerum harum ſcriptores diſſeruere, inter quos legi poſſunt Paſqualigus de Sacrificio novæ legis tom. 1. tract. 1. quæſt. 472. Verricellus de Apoſtolicis Miſſionibus quæſt. 133. Cardinalis de Lugo de Sacram. Euch. diſput. 20. ſect. 3. Schiara Theologia Bellica tom. 2. lib. 7. difficult. 3. Rotarius Theologia Regularium tom. 3. lib. 1. cap. 1. num. 9. Cardinalis Albizius de Inconſtantia in fide cap. 34. num. 130. & ſeq. Monacellus in Formulario legali tom. 4. in ſupplemento ad 2. tomum pag. 32. num. 1. ſeq. Edit. Romanæ anno 1713. Eminentiſſimus Cardinalis Petra in Comment. ad Conſtitut. Apoſtolic. tom. 4. pag. 273. & ſeq. Meratus ad Gavantum tom. 1. par. 1. pag. 298. & ſeq.

An liceat Miſſam veram celebrare in mari. Qui de ea quæſtione ſcripſerunt.

10. Omnis, ut ſupra innuimus, difficultas ſita eſt in periculo, ne ſi Miſſa dicatur in navigio, Chriſti Sanguis effundatur; quamobrem quidam obfirmate negant celebrari poſſe Miſſam in mari; alii vero celebrari quidem poſſe affirmant, tranquillo tamen Cœlo, pacatis undis, & tuto navigio. S. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 4. ita loquitur: *In nulla neceſſitate licet celebrare in mari vel ſupra fluvium, ubi probabiliter timetur de effuſione Sanguinis propter agitationem navis.* Joannes Major in 4. ſentent. diſt. 13. quæſt. 2. in princ. poſtquam ſtatuit non licere Miſſam in mari celebrare, addit: *Cum autem non patet acceſſus rationabilis ad terram, tales excuſantur ab auditione Miſſæ; eſſet enim periculum effuſionis Sanguinis Chriſti,*

Negant quidam propter periculum effuſionis Sanguinis, quidam affirmant, modo maris ſit tranquillum.

Cur, & quando introducta.

sti, a quo ubi caveretur, posset celebrari. Atque illud est fama celebratum quod narrat Surius tom. 2. ad diem 20. Martii de S. Vulfrano Archiepiscopo Senonensi, qui cum in navi in altum Oceani devectus Missam celebraret, elapsa est Patena e manu Ministri in mare; & a Deo vir Sanctus impetravit, ut e fundo maris in manus Ministri Patena rediret; qua de re scribit Baronius ad ann. Chr. 700. num. 3. *Ex quibus præter insignis miraculi virtutem intelligis, lector, non destitisse sanctos viros in mari etiam, cum tranquillitas esset, religata anchoris navi, celebrare ibi sacrosanctum Sacrificium Missæ Deo maxime gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefecit.* Qua Baronii observatione, importuna de medio tollitur admiratio, de qua loquitur Matthæus Paris ad ann. Chr. 1247. ubi de Cardinali quodam Legato Pontificis ita scribit: *Cum navem ascensurus esset, jussit cuidam Fratri de Ordine Prædicatorum in ipsa Missam celebrare: quod & factum est non sine multorum, qui hoc non providerant, admiratione.*

Elenchus Paris notatus.

Hoc tempore non licet celebrare Missam in mari sine Apostolico indulto.

11. Sed per Sedis Apostolicæ, quæ nunc invaluit, praxim sublata est omnis Disputatio. Scribunt enim viri Sacrarum Congregationum Romæ peritissimi, ut videre est apud Eminentissimum Cardinalem Petram loc. cit. & Meratum loc. cit. Apostolico opus esse privilegio, ut in mari Missa celebrari possit; neque satis esse privilegium Altaris mobilis, quo continetur clausula, *in loco honesto ac tuto*, quæ mari non convenit; ideoque peculiare privilegium oportere a Pontifice impetrare, quod, non nisi sub illis conceditur conditionibus, ut tutum navigium sit, ac longe absit a littore, tranquillumque sit mare, & Celebranti adsit etiam alter vel Sacerdos, vel Diaconus, qui, si quis cooriretur motus, quo periculum esset ne Calix everteretur, possit manu Calicem ab ejusmodi periculo eripere. Videatur Indultum, quod militari Ordini Hierosolymitano concessit Clemens XI. in ejus Bullario ordine undecimum, pag. 51. cui post accuratam S. Congregationis ea de re disceptationem eæ appositæ sunt conditiones.

Conditiones quas exigit illud Indultum.

CAPUT VII.

An celebrare liceat sine Planeta, sine Sacris indumentis, sine luminibus aut Ministro, an denique in pluribus Ecclesiis; & qua hora Missam liceat celebrare.

An liceat celebrare Missam sine sacris indumentis.

1. NUnc vero examinandum, num aliquando sine Planeta ceteriisque sacris indumentis, num sine luminibus, num sine Ministro Missa celebrari possit. Huic quæstioni enodandæ duo textus ex Jure Canonico appositè possunt afferri; alter ex can. *Ecclesiastica* dist. 23. quo prohibetur Sacerdos, qui stolam in sua Ordinatione acceperit, Missam sine Stola celebrare: *Modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat in oblatione, vel perceptione suæ salutis: si quis autem aliter egerit, excommunicationi subjaceat.* Alter est ex can. *Vestimenta* de consecr. dist. 1. *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta: quibus &c. aliis in usibus non debent frui, quam in Ecclesiasticis & Deo dignis Officiis.* Ex hoc duplici textu, vulgo deducunt Auctores, præceptum esse Ecclesiasticum Missam cum omnibus sacris vestibus celebrandi; ita ut graviter peccet Sacerdos, non solum si sciens & prudens nullas adhibeat sacras vestes, sed etiamsi earum omittat aliquam. Videatur Persicus de Officio Sacerdotis lib. 1. dub. 5. num. 52. & seq. Pulcre Sotus in 4. sentent. dist. 13. quæst. 2. art. 4. postquam vestes Sacerdotales descripsit, hæc addit: *Ecce quibus sacratis vestibus vestitus Sacerdos ad sacrum Altare accedit. Nam si aliquam illarum consulto prætermitteret, tanquam mysteriorum contemtor mortaliter delinqueret. Secus si ex oblivione, vel aliqua negligentia id faceret.* Cum eo consentit Biel. in Lect. 14. super Canone Missæ, qui postquam de sacris vestibus, ceteriisque omnibus mentionem fecit, quæ si non ad validam, certe ad licitam Missæ celebrationem pertinent, concludit: *Nihil autem dubium, quin omittens aliquid prædictorum ex contemtu, vel scienter, peccet mortaliter, faciens in hoc temere contra Constitutionem, aut consuetudinem generalem Romanæ Ecclesiæ.* Videatur etiam Renaudotius in Collect. Liturgiar. Orientalium tom. 2. pag. 56. qui testatur, Syris & Coptis & omnibus Christianis Orientalibus, cujuscumque sectæ aut linguæ, sacrilegium esse sine sacris vestibus ad Altaris ministerium accedere; & ejusmodi temeritatem etiam pœna depositionis coerceri. Quibus præmissis proponitur ejusmodi casus: Parochus ab infirmo accersitus, ut sibi ministret Viaticum, copiam non habet sacræ supellectilis, quæ in armario est occlusa, cujus clavem ejus Minister imprudens secum inconsulto detulit & abiit; nec quisquam novit ubi Minister reperiri possit: respondetur, nullo modo posse Parochum sine sacris vestibus Missam celebrare; scandalum enim id crearet, & gravis esset irreverentia in sanctissimum Sacramentum; præceptum vero, quo urgetur infirmus ad accipiendum Viaticum, eum adstringit, si Sacramentum possit suscipere eo modo, quo suscipi decet, atque ea reverentia, quæ tanto debetur Sacramento. Ita post Sylvium respondet Pontas in Dictionar. Casuum Conscientiæ verbo *Missa* cas. 7. ubi integrum Sylvii locum affert.

2. De illo autem qui sine luminibus Missam celebret, sic respondit Honorius III. in cap. *Literas* de Celebrat. Missar. *Inquisitionis Officium iterans ex ejus confessionibus* (loquitur de quodam Presbytero *inveniste, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probatur, mandamus, quatenus Officio, & Beneficio perpetuo ipsum privetes.* Ex quo loco Pontas cas. 8. verbo Missa post Sylvium eruit, nefas esse Missam sine luminibus celebrare, etiam urgente periculo, ne Populus die Festo Missa careat, aut ne moribundus sine Viatico ex hac vita migret, quemadmodum docent graves Scriptores, quos refert & sequitur Quartus ad Rubricas Missalis par. 1. tit. 20. num. 11. & Meratus ad Gavantum tom. 1. par. 1. pag. 298. num. 9. Addit idem Pontas Sylvii auctoritatem sequutus, lumina esse oportere vel ex cera, vel ex oleo, aut si desint ejusmodi, e sevo, urgente necessitate: quod etiam animadvertit Auctor Collationum Lucionensium tom. 5. pag. 549. Et si lumen alterum e cera reperiri non possit, & necessitas urgeat celebrandi Missam, unicum tantum lumen adhiberi potest, ut advertit Gavantus ad Rubr. 20. de Præparatione Altaris. S. Antoninus 3. par. Summæ tit. 13. cap. 6. ita monet: *Nota ergo, quod si aliquod eorum defuerit, quæ requiruntur ad ritum celebrationis sollemnitate, ut Calix consecratus, Palla, Altare, vel lumen, vel aliqua vestis sacra, ut Manipulus, Stola, & hujusmodi, debet potius dimittere Missam etiam die Festo, quam sic celebrare, quia sic celebrando advertenter, quamvis sine dubio conficeret, existentibus aliis, quæ sunt de substantia Consecrationis, tamen peccaret mortaliter; & idem credo*

An sine luminibus liceat celebrare Missam.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

credo celebrando sine Missali seu libro, in quo sit saltem Canon, alias mente retentus dicendo; nam talis se exponit periculo errandi in verbis Canonis, immo & Consecrationis, cum & optimæ memoriæ viros aliquando fallat memoria, tum etiam quia facit contra generalem Ecclesiæ consuetudinem.

An sine Ministro.

3. Denique etsi generalis ea regula est, non posse Missam sine Ministro celebrari juxta Decretalem Alexandri Tertii in cap. *Præposuit* de Filiis Presbyterorum, ubi legitur: *Non enim solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina Officia potest sine Ministri suffragio celebrare;* tamen potest Sacerdos etiam sine Ministro Missam celebrare, sibique ipse respondere, si Viaticum opus sit infirmo ministrare, ut docet Sylvius 3. par. q. 83. art. 5. qui etiam censet Sacerdotem, cui die festo non sit copia Missæ audiendæ, meliore consilio Missam prætermittere, quam sine ministro celebrare; quamquam negat, illum peccare, si sine ministro celebret: *In casu tamen gravis necessitatis boni Auctores existimant, Sacerdotem non male facturum si solus celebret, sibique respondeat, ac ministret, ut si alioquin aut ipse Sacerdos, aut alius sit sine viatico moriturus. Addunt etiam nonnulli, si sit Festum solemne, neque Sacerdos possit Missam audire: sed mallem eo casu dicere, ipsum ab auditione Missæ excusari, quam consulere, ut solus celebraret, quamquam nec Celebrantem damnarem.* Gilbertus Consultat. Canonicar. de Sacramentis consult. 7. de Sacrificio Missæ narrat, Sacerdotem quemdam onus habuisse quotidie Missam celebrandi in Oratorio Campestri ab hominum frequentia longe remoto; Oratoriumque illud in honorem S. Blasii fuisse Deo dedicatum, ubi etiam Sacerdos ille panem benedicebat, qui plurimum prodesse existimabatur miseris illis agricolis, qui faucibus laborarent. Ibi porro quotidie Sacerdotem illum, cui ministri non esset copia, solum sibique respondentem celebrare Missam consuevisse. Quærit igitur Gilbertus, an illi licitum id fuerit facere, & Canones quidem affert, qui vetant, ne quisquam sine ministro Missam celebret; nec casum, quem alibi attigimus, omittit de Missis solitariis: sed concludit denique, Sacerdoti illi licitum non fuisse Missam celebrare sine ministro, sed illum debuisse ab Episcopo facultatem petere celebrandi in alia Ecclesia, ubi ministri sibi copia esset; & si aliquo impedimento detentus non potuisset ad locum, qui sibi destinatus esset, sese conferre, debuisse a Missæ celebratione abstinere, ne Missam sine ministro celebraret. Suarez in 3. par. disput. 82. sect. 3. qui Missam celebret sine aliqua e sacris vestibus, cum a peccato mortali non excusat, omnemque excludit parvitatem materiæ; qui tamen vel oblivione captus, vel per imprudentiam aliquod e sacris indumentis omiserit, cum ne venialiter quidem peccare existimat. Cardinalis Gottus Theolog. tom. 14. q. 2. de Sacrific. Missæ dub. 4. §. 2. docet graviter peccaturum Sacerdotem, qui vel Viatici ad infirmum in limine mortis positum deferendi gratia, vel ne Populus die Festo Missa careat, Missam sine sacris vestibus celebret. Mitius sentit de eo, qui gravi premente necessitate, puta ad evitandum scandalum & susurrum, qui oriretur in Populo, si sibi die Festo Missæ non esset copia, Missam celebraret cum Amictu, Alba, & Planeta, omissis Stola, vel Manipulo, aut Cingulo benedicto, quæ reperire non potuisset. Cajetanus Cardinalis in 1. 2. q. 96. negat, sine peccato Sacerdotem posse, omissis vestibus sacris, Missam celebrare, etiam metu mortis deterritum; idque propter gravem irreverentiam. Eum sequitur Sylvius 3. par. q. 83. art. 6. quod durum videtur Baldello, nisi Ecclesiæ contemtus existeret, tom. 1. lib. 1. disput. 15. n. 10.

Qui celebrat in templo polluto, peccat graviter, non tamen incurrit in Censuras, ac ne in irregularitatem quidem.

4. Jam vero de celebratione Missæ in templo violato, seu polluto reliquum est ut pauca quædam attingamus. Templum multipliciter potest pollui. Primo, si in eo homicidium voluntarium perpetretur, cap. *Proposuisti*, de Consecrat. Ecclesiarum. Secundo, si in eo magna vis humani sanguinis effundatur, Can. *Ecclesiis* de Consecrat. dist. 1. & cap. *Si Ecclesia* de Consecrat. Ecclesiar. Tertio, si in eo sponte effundatur semen humanum, ut videre est in allatis textibus, *sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam alias licitam, sive per illicitam*, juxta communem sententiam. Quarto si excommunicatus vitandus in eo sepeliatur, cap. *Consuluisti* de Consecrat. Ecclesiar. Quinto, si in eo itidem sepeliatur Ethnicus, vel infidelis, Can. *Ecclesiam* de Consecrat. dist. 1. Si quis in templo polluto seu violato Missam celebret, nullam pœnam incurrit, non suspensionem, non excommunicationem, non irregularitatem, cap. *Is qui*. de sentent. excommunicat. in 6. Irregularitatem enim, cujus Romano Pontifici reservatur dispensatio, incurrit, qui in loco interdicto celebraret, ut statuit Bonifacius Octavus eod. cap. *Is qui*. Etsi autem qui in templo polluto seu violato celebret, nullam ex illis pœnis incurrit, expers tamen peccati non est; cum textus allatus dicat, eum *temerarie agere;* ad quæ verba notat Sylvius in 3. par. q. 83. art. 3. Sacerdotem hunc *facere contra justam Ecclesiæ prohibitionem in re gravi:* ex quo infert, si Episcopi consensus accedat, eum non peccare in templo polluto Missam celebrando. Cum eo consentit Persicus de Sacerdotis Officio lib. 1. dub. 12. Fuse id tractatum reperias in collat. 16. Lucionen. tom. 5. q. 1. pag. 160. & seq. edit. anni 1685.

Tempus celebrandi Missam ab Aurora ad meridiem: ex æquitate potest celebrari horæ tribus ante auroram, & post meridiem.

5. Nihil opus est hic de hora celebrandæ Missæ disputare: nam Rubrica Missalis diserte ait: *Quacumque hora ab aurora;* & alibi: *Missa privata saltem post Matutinum & Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Universalis Ecclesiæ consuetudo est, in Pervigilio Nativitatis Jesu Christi, ut post mediam noctem Missa Conventualis celebretur. S. Pius V. edita Bulla 4. tom. 2. Bullarii antiqua omnia sustulit Privilegia, quorum vi quidam Missam ante mediam noctem in eodem Pervigilio celebrabant. Æquitate quadam, juxta eam quæ etiam Romæ viget praxim, tolerari solet, ut Missa horæ triente ante Auroram, & post Meridiem celebretur, ut videre est in Edicto nostro 13. editionis latinæ atque etiam in nostro Edicto 68. ubi Epistolam retulimus nobis a S. Congregatione Concilii Clementis XII. jussu scriptam, in qua improbatur malus usus Missam occasione cujusdam solemnitatis multas horas celebrandi ante auroram, multasque itidem horas post meridiem. D. Thomas 3. par. q. 83. art. 2. *ad quartum* hæc eadem confirmat. *Ad quartum dicendum quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte* &c. *ita tamen quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu solis, idest quando substantia solis apparet super terram; sed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, linquantum claritas radiorum ejus apparet* &c. *specialiter tamen in Nocte Natalis Domini Missa celebratur propter hoc quod Dominus in nocte natus est.* Et Sotus in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 2. prope finem: *Jam vero nunc temporis statum tempus Missis celebrandis decurrit ab initio auroræ quocumque tempore anni usque ad meridiem.* Nonnullos tamen ait ex Privilegio

Litteræ ex de ra S. Congregat. Concil.

legio Apostolico posse Missam celebrare, aut celebrandam curare ante auroram, & post meridiem; ac deinde invehitur adversus abusum celebrandi post elapsum tempus quod præfinitum est. *Attamen quod hoc fiat ad inserviendum deliciis eorum, qui noctes aleis & crapulis vacando in dies vertunt, diesque dormiendo in noctes, non potest non esse vituperio dignum.*

CAPUT VIII.

De fructus medii applicatione ex ipso munere.

De Missæ fructu. Missæ fructus triplex.

1. DOcet Scotus quodlibet. 20. art. 2. & 3. cujus doctrinam communiter sequuntur ceteri Theologi, atque ipsa etiam recipit Ecclesia, ut videre est apud Sotum de Justitia & Jure lib. 3. q. 2. art. 2. Cordubam lib. 1. q. 3. Notab. 4. & Navarrum cap. 25. num. 92. triplicem esse Missæ fructum; primum generalissimum, cujus Fideles omnes fiunt participes; alterum specialissimum, quo fruitur Sacerdos; tertium, qui dicitur medius, quemque iis Sacerdos applicat, pro quibus Sacrificium offert, quod etiam optime explicavit Cardinalis Bona in Tract. Ascetico de Sacrific. Missæ cap. 1. §. 4. Et quoniam multis nominibus potest aliquis teneri ad offerendum pro aliis Sacrificium Missæ, seu fructum medium, vel ratione Officii, vel oneris Beneficio quod possidet adjecti, vel præcepti Superioris, vel eleemosynæ, quam acceperit singula hæc capita percurremus, sacrarum Romæ Congregationum vestigia secuti, præsertim ejus, quæ S. Tridentinæ Synodi est interpres, cujus Decretis debetur ab omnibus veneratio: sola enim hæc Congregatio potestatem habet Concilii illius mentem interpretandi, ejusque Decreta, si generalia sint, vim legis obtinent; siquidem ad eam pertinet disciplinæ præcepta statuere, ut sæpissime docuimus in nostris Edictis.

Qui curam animarum habet, tenetur afferre Sacrificium pro Populo sibi dictis.

2. S. Tridentina Synodus sess. 23. cap. 1. loquens de iis, qui curam habent animarum, *Cum præcepto*, inquit, *divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre.* Qui de morali scribunt Theologia, quæstionem illam excitarunt, an verbis illis, *pro his Sacrificium offerre*, teneantur, qui curam habent animarum, Missam tantummodo celebrare, an etiam onus habeant applicandi Sacrificium Populo sibi commisso: in qua quæstione S. Congregationis semper ea fuit sententia, eum, qui curam animarum habet, teneri Missam applicare Populo omnibus diebus Dominicis, & festis diebus ex præcepto, sive Parochus Sæcularis sit, sive Regularis, sive amovibilis, sive non, (nam & qui amovibilis est, animarum curam habet) sive congruam habeat, sive non habeat; illudque duntaxat S. Congregatio concedit Parocho, si pauper sit, ut etiam die festo applicare possit Missam ei, qui sibi eleemosynam dederit, dummodo celebret in Parochia, ne Populus Missa careat, & alio die per hebdomadam Missam celebret, & populo applicet loco ejus, quam applicare debuerat festo illo die cum eleemosynam accepit, ut docuimus Edict. 10. tom. 1. quo vetera & recentia S. Congregationis Decreta a Summis Pontificibus confirmata congessimus.

Quid concedere soleat S. Congreg. Concilii, si Parochus pauper sit.

In Cathedralibus & Collegiatis Missa Conventualis applicanda est non benefactori singulari, sed benefactoribus in genere.

3. In Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis Missa Conventualis, quæ ut diximus, quotidie celebranda est, applicari debet Benefactoribus generatim; ita ut ille hanc de applicanda Missa obligationem non impleat, qui eam cuipiam singulari Benefactori applicet. Quod si Cathedrali vel Collegiatæ Ecclesiæ juncta sit etiam animarum cura, duplex omnibus Dominicis festisque diebus ex præcepto celebranda est Missa, quarum Conventualis Benefactoribus generatim, Parochialis Populo applicetur, nec ulla contraria consuetudo ab hoc onere excusat; cujusmodi consuetudo siqua sit, malus usus est & corruptela, ut videre est apud Meratum ad Gavantem par. 2. tom. 1. pag. 808. qui disertissima & apertissima profert S. Congregationis Responsa & Decreta. Ab hoc autem onere applicandi quotidie Missam Conventualem eæ tantum Ecclesiæ immunes sunt, in quibus non omnia concurrunt, quæ Collegiatam constituunt, quamvis & divina Officia quotidie celebrentur, & Missa cantetur. Quarum Cathedralium vel Collegiatarum tenues opes sunt, eæ possunt implorare facultatem non applicandi Benefactoribus generatim Missam Conventualem diebus feriatis, nunquam tamen obligatione sublata applicandi pro iisdem cunctis diebus festis ex præcepto.

Si Ecclesiæ juncta sit Cura, debet festis diebus alia Missa Populo applicari.

S. Congregatio Concilii, si Canonicatuum præbendæ tenues sint, remittere solet onus applicandi Conventualem, non tamen festis diebus.

4. Atque hæ sunt regulæ, quibus utitur Sacra Congregatio Concilii, earumque executionem semper Episcopis commendat, cum respondet relationibus, quas ad eam mittunt de statu suarum Ecclesiarum. Cum sacræ hujus Congregationis nos Secretarii munere fungeremur, Capitulum & Canonici Cathedralis, nunc Metropolitanæ, Ecclesiæ Ferrariensis contendebant, se ad Missam Conventualem applicandam minime teneri; tum quod *ab immemorabili* nunquam Missam applicaverant; tum quod primo cujuslibet mensis die non impedito Nocturnum Defunctorum cum Laudibus recitabant, & Missam mortuorum pro Benefactoribus generatim celebrabant. In Congregatione habita die 4. Martii 1719. eam Causam proposuimus, & in Folio, quod componi & typis vulgari solet a Secretario, veteres S. Congregationis resolutiones attulimus, quæ jubent, Canonicos Cathedralium quotidie Missam Conventualem Benefactoribus generatim applicare. S. Congregatio die 18. Martii ejusdem anni respondit, teneri Canonicos Conventualem Missam quotidie Benefactoribus generatim applicare, omni exceptione rejecta. Item, cum eodem munere fungeremur, respondit S. Congregatio, petitionem rejiciendam Archipresbyteri & Canonicorum Collegiatæ S. Euphemiæ Diœcesis Comensis, qui contendebant non teneri se ad ejusmodi quotidianam Conventualis Missæ applicationem, ut videre est in resolutione diei 11. Maji 1720. Contra Bonaventura Episcopus Montis Flasconis, cum Diœcesim visitaret, veritus est, ne Sacerdotes quidam Parochiali Ecclesiæ Martæ, quam ipse etiam Collegiatam esse credebat, sub Canonicorum nomine inservientes suo muneri deessent, propterea quod Missam quidem Parochialem Populo festis diebus applicabant, non tamen Missam Conventualem pro Benefatoribus generatim offerebant. Causam S. Congregationi proposuimus die 29. Januar. anno 1718. & rationes exposuimus, quamobrem ea Ecclesia non esset censenda inter Collegiatas; S. autem Congregatio die 12. Februarii ejusdem anni respondit, cum illa Ecclesia non esset vere Collegiata, nullum esse onus celebrandi & applicandi Missam Benefactoribus generatim. Cardinalis Tanarius S. Collegii Decanus & Episcopus Veliternus in Oppido Core, cum Diœcesim visitaret, Canonicos ejus Collegiatæ, quos non applicare comperit quotidie Missam Conventualem pro Benefactoribus generatim, Decreto suo applicare coegit. Confugerunt Canonici ad S. Congregationem, contendentes, non teneri se ad hujusmodi applicationem; factum id nunquam fuisse; inopes esse

Cano-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Canonicatus vix Canonicis sustentandis pares. Causam in S. Congregatione die 14. Martii ann. 1722. retulimus, & exempla quædam adduximus aliarum Collegiatarum, in quibus propter Præbendarum tenuitatem onus applicandi Missam Conventualem ad dies festos ex præcepto contractum fuit: S. Congregatio propterea respondit, teneri quidem Canonicos applicare Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus generatim, sed iis remitti posse ejusmodi onus propter tenuitatem Præbendarum, dummodo eam applicarent diebus omnibus festis ex præcepto.

Regula statuitur, quam sequitur Sac. Congregatio Concil.

5. Ex his, quæ hactenus exposuimus patet, eam esse S. Congregationis Concilii regulam, ut Missa Conventualis quotidie Benefactoribus generatim applicetur in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis; is vero, qui præest, possit onus remittere, atque contrahere ad solos dies festos in iis Cathedralibus & Collegiatis, quarum Præbendæ inopes sint: quibus etiam nunc regulis utitur eadem Sac. Congregatio. Exposuit Archiepiscopus Spalatensis in Relatione de suæ Ecclesiæ statu, Canonicos suæ Metropolitanæ solitos esse quotidie Missam Conventualem cantare, sed non applicare Benefactoribus generatim. Nos Congregationis nomine illi respondimus, *juberet* Missam Conventualem quotidie applicari; quod si Præbendæ inopes essent, Canonici ad S. Congregationem postulationes suas converterent. Igitur cum jam Secretarii munere defuncti, & ad Cardinalatum fuissemus evecti, supplices libellos ad S. Congregationem miserunt, eorumque causa proposita, & præcedentibus S. Congregationis Resolutionibus ea de re per Secretarium expositis, respondit S. Congregatio die 22. Julii ejusdem anni, Canonicos debere quidem Benefactoribus generatim Missam Conventualem applicare, sed posse iis permitti propter Præbendarum tenuitatem, ut eam applicarent solum diebus festis ex præcepto.

Controversia omnis sublata per Apostolicas litteras.

6. Ceterum, ad ambiguitates omnes & effugia tollenda, litteras Apostolicas dedimus de re hac sub die 19. Augusti 1744. quas integras in appendicibus hujus operis inseremus, quamvis aliud quiddam præterea contineant, quod ipsum tamen non inutile fore speramus.

CAPUT IX.

De obligatione applicandi ex Beneficio, vel ex præcepto Superioris, vel ex accepta eleemosyna.

1. HActenus de obligatione loquuti sumus applicandi Missam ex ipso munere; nunc vero de eadem obligatione differemus, quæ oritur vel ex onere ipsi Beneficio seu Capellaniæ impositio, vel ex præcepto Superioris, vel ex eo quod Sacerdos pro Missæ applicatione acceperit eleemosynam. Quod ad primum caput attinet, oritur quæstio, an si Fundator, qui Beneficio vel Capellaniæ onus imposuit celebrandi Missam, de applicatione ejusdem pro anima sua ne verbum quidem adjecerit, intelligi debeat imposuisse etiam onus applicandi sibi Missam.

Regula Sac. Congregationis Concilii in fundatione Capellaniæ, etsi fatur appositum onus applicandi Missam Fundatori.

2. Sac. Congregationis Concilii regula est, intelligendum esse appositum etiam onus applicandi Missam animæ Institutoris seu Fundatoris Beneficii, seu Capellaniæ. Nam etsi juxta Regulam 57. de Regulis Jur. in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda*; tamen juxta 45. Regulam eod. tit. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius*. Porro verisimilius est, eum qui Beneficium seu Capellaniam fundaverit, & onus celebrandi Missam imposuerit, voluisse eamdem etiam sibi applicari. Notissima est Sacræ Congregationis Resolutio *in Causa Tinen. Applicationis Sacrificii* die 18. Augusti 1668. in lib. Decretorum fol. 61. ubi hæc habentur: *Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio Testatore reperitur fundata quædam Capellania cum onere Capellano pro tempore Sacrum faciendi singulis Dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium. Ideo Episcopus Tinen. supplicat, per S. Congregationem declarari, an ejusmodi Sacrificium applicandum sit pro anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum esse comperiit. Die 18. Augusti 1668. S. Congregatio Concilii respondit, applicandum esse Sacrificium pro anima Testatoris* In privata quidem causa ita S. Congregatio respondit; sed regula est generalis, præsumi, eum qui Beneficium seu Capellaniam instituerit, & onus celebrandi Missam adjecerit, nulla mentione facta applicationis, voluisse Missam applicari animæ suæ. Quamobrem ad eumdem modum semper Sacra Congregatio respondit ad ejusdem generis supplicationes, quod ipsi ostendimus in scripto pro Congregatione habita die 12. Februari 1718. in causa Ferrarien si, in qua & de eadem re agebatur, & ad eumdem modum Sac. Congregatio respondit die 26. Martii ejusdem anni.

Quid si quasdam Missas jussit applicari, quasdam celebrari?

3. Diximus præsumi, eum qui Beneficium vel Capellaniam fundaverit cum onere Missam celebrandi, nec verbum ullum de applicatione ejusdem adjecerit, voluisse Missam applicari animæ suæ. Cum autem Juris regula sit, præsumtionem a validiore præsumtione vinci, ideirco si Fundator jusserit, certum sibi Missarum numerum applicari, de aliis vero nihil amplius dixerit, quam ut eæ celebrentur, ex hoc diverso loquendi modo diversa oritur ratio: quamobrem aliquando Sac. Congregatio respondit nullam obligationem esse applicandi eas Missas, quas Fundator dumtaxat jusserit celebrari, nec quidquam dixerit de earum applicatione. Nam præsumitur, eum quemadmodum in iis, quas voluit sibi applicari diserte id ipsum jussit, ita reliquarum, de quarum applicatione nihil declaravit, voluisse Sacerdoti liberam applicationem relinquere. Orta est etiam dubitatio, an si Fundator jusserit Beneficiatum seu Capellanum pro ipso orare in Missa quam celebraverit, verbum illud *orare* importet onus applicandi Missam Fundatori. Sac. Congregatio, dum nos a Secretis essemus, affirmando respondit in causa Ventimilien. die 27. Aprilis 1700. *Gubernatores humiliter supplicant pro declaratione, an Sacerdos ad celebrationem Missæ eligendus teneatur illam applicare attentis verbis Testatoris, & in ea orare pro anima ipsius Testatoris, nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud Missam applicare*; & Sac. Congregatio respondit, *Sacerdotem teneri ad applicationem Missæ*. Si vero Fundator Capellanias aliquot instituisset cum onere sibi applicandæ Missæ, aut suis consanguineis defunctis, aliud autem Beneficium seu Capellaniam instituerit, ubi onus Beneficiato seu Capellano imposuerit orandi pro anima sua, tum locus fit argumento desumto e diverso modo loquendi, ac dicendum, Fundatorem, ubi jusserit pro se orari, non imposuisse onus applicandi, sed voluisse dumtaxat, Sacerdotem ad *Memento* commemorationem facere sui; quemadmodum respondit Sac. Congregatio Concilii in causa Ferrarien si die 11. Junii 1700.

Quid si Fundator injunxerit tantum, ut Sacerdos oret pro anima sua?

Si Sacerdos jussus a Superiore Missam applicare certæ personæ applicet alteri, quæritur cujnam proficiat applicatio.

4. Potest Sacerdoti sibi subjecto Superior præcipere, ut Missam, quam celebraverit, applicet huic vel illi personæ. Si Sacerdos Missam alii applicet, inobedientiæ se alligat: sed quæstio est, cuinam applicatio prosit, illine cui Sacerdos applica-

plicavit, an ei cui ex Superioris præcepto applicare debuisset. Quæstionem hanc tractat Pasqualigus de Sacrif. Missæ q. 183. ubi Scriptorum utrique sententiæ suffragantium auctoritates congerit; sed communis ea videtur esse, applicationem ei prodesse, cui Sacerdos intendit applicare: non enim Sacerdos Sacrificii dumtaxat Minister est, sed etiam Dispensator vi suæ Ordinationis; itaque ut in conficiendo Sacramento ab auctoritate non pendet Superioris, ita potestatem habet ei Sacrificium applicandi, cui voluerit. Vide Clericatum decis. 36. n. 25. de Sacrif. Missæ. Eamdem quæstionem accurate discutit etiam Cardinalis de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 19. sect. 10. n. 210. & seq. qui docet, Deum ad intentionem respicere, quam Sacerdos habuerit, non quam habere debuisset vel ex præcepto Superioris, vel ratione eleemosynæ.

De Missa applicanda propter acceptam eleemosynam sin regulæ statuuntur.

5. Frequentior est obligatio applicandi, quæ oritur ex accepta eleemosyna, quam Sacerdos pro applicatione acceperit. Atque multa sane hanc in rem dicenda essent; sed cum de hoc argumento abunde loquuti simus Edicto 56. editionis latinæ, juvabit illinc pauca quædam repetere, atque in hunc locum conferre. Ac primo non est immunis ab applicanda Missa is, qui eleemosynam acceperit minorem etiam, quam quæ sit Taxa Diœcesana. Secundo. Qui a pluribus plures exiguas acceperit eleemosynas pro Missarum celebratione & applicatione, tot tenetur celebrare & applicare Missas, quot eleemosynas juxta taxam Diœcesanam cumulus ille exiguarum eleemosynarum suppeditaverit. Tertio. Qui eleemosynam acceperit taxa Diœcesana majorem pro una Missa, si ab aliis Missam celebrari curet, tenetur quidquid acceperit, tradere Sacerdoti celebranti; etiamsi hunc moneret, se pinguiorem eleemosynam accepisse, volentique & consentienti minorem eleemosynam offerret. Quarto. Etsi fructus medius Sacrificii, quem Sacerdos potest, cui velit, applicare, satisfactorius sit & impetratorius, non licet duplicem eleemosynam accipere, alteram ut applicetur fructus satisfactorius puta alicui defuncto, alteram ut applicetur fructus impetratorius exempli causa alicui infirmo. Quinto. Non potest Sacerdos accipere eleemosynam, ut alicui applicet fructum specialissimum, qui sibi ut sacrificanti debetur. Postremo Sacerdos, qui quoquo modo teneatur certis diebus applicare Missam, non potest eleemosynam ab aliis accipere pro celebranda & applicanda iis Missa iisdem diebus. Vide etiam Tournely Prælection. Theologic. de Sacram. Euchar. par 2. pag. 349. & sequen. edit. Parisien. anni 1729.

Qui habet onus tantum celebrandi, potest accipere eleemosynam pro Missa applicanda.

6. Eam etiam eodem Edicto nostro quæstionem pertractavimus, an qui habet onus solummodo celebrandi, pro quo eleemosynam consequitur, possit aliam eleemosynam accipere pro applicanda Missa. Nos illuc Lectorem nostrum amandamus. Monere tamen non prætermittimus, quasdam reperiri Resolutiones S. Congregationis, quæ declaravit posse Sacerdotem, cui celebrandi onus dumtaxat impositum est, aliam pro applicatione eleemosynam accipere, ut videre est in causa Tridentina 13. Julii 1630. *Ad primum respondit, non posse eleemosynam recipere, & duabus Oblationibus unica Missa satisfacere, nisi in fundatione cautum sit, quod non teneatur Sacrificium applicare.* Cum ea consonant Resolutiones aliæ in causa Pientina die 14. Maji 1639. in causa Perusiana die 12. Novembris 1640. & Vicentina 23. Augusti 1642. Duo vero huc adjicienda existimavimus: primum est qui eleemosynam acceperit pro Missæ applicatione, eum teneri non modo eleemosynam offerenti Missam applicare, sed etiam applicare eodem tempore, quo offerens sibi applicari pro rerum suarum conditione petit; ita ut, si Sacerdos Missam celebret & applicet extra illud tempus, & extra offerentis opportunitatem, teneatur eleemosynam restituere. Fingi potest casus in hunc modum: Quidam eleemosynam præbet, uti sibi Missa celebretur & applicetur, ut Deus Judicem lumine suo illustret, qui in quadam ipsius offerentis causa ferre debet sententiam: si post latam sententiam Sacerdos celebraverit, profecto obligationi defuit suæ, & tenetur eleemosynam reddere. Vide Cabassutium in Theoria & Praxi Juris Canonici, lib. 6. cap. 14. n. 18.

Missa applicari debet eo tempore, quo offerens vult applicari.

De applicatione Missæ ex eleemosyna.

7. Alterum, quod adjicimus, est, Sacerdotem, qui non habet onus applicandi Missam, non posse eam celebrare & applicare juxta ejus intentionem, qui sibi primus eleemosynam præbuerit. Quæ quidem quæstio quondam inter Doctores in utramque sententiam, ut fieri solet, abeuntes diu disputata, tandem post maturum examen a Sac. Congregatione Concilii decisa est. Pronuntiavit enim, non licere Missam celebrare cum intentione ei applicandi, qui primus obtulerit eleemosynam, idque Decretum approbavit Clemens Octavus atque edidit Paulus V. ut nullus jam ejusmodi sit locus controversiæ. Videantur Habert Theolog. dogmat. & moral. tom. 5. de Sacram. Euchar. cap. 16. q. 9. Natalis Alexander Theolog. dogmat. & moral. lib. 2. de Sacram. Euchar. art. 6. Regula 2. earum, quæ ad praxim pertinent, Clericatus cit. decis. 36. n. 21. Integrum vero Decretum refert Marchinus de Ordine tract. 3. par. 2. cap. 31. n. 9. & Pasqualigus de Sacrif. Missæ quæst. 168.

Non potest applicari Missa ei, qui primus eleemosynam præbuerit, suspenso interim fructu Sacrificii.

8. Franciscus Sylvius, quem sæpiuscule citavimus, tom. 5. suorum operum editionis Antuerpien. Oratione 11. & 12. hanc fuse & erudite suo more tractat materiam. Atque ille quidem non negat, quin Sacerdos, qui ratione Beneficii tenetur duas vel tres Missas celebrare in singulis Hebdomadis, possit anticipatione quadam temporis in hac Hebdomada duas vel tres celebrare Missas, quæ illi celebrandæ essent in Hebdomada proxime sequenti. Quis enim gratior esse potest debitor, quam qui argentum prævertit solvere? Quod tamen ita intelligendum est, ut si ex Beneficii vel Capellaniæ institutione appareret, voluisse institutionem in qualibet Hebdomada duas vel tres Missas celebrari, vel ut quædam Altaria Missa non carerent, vel ne cui Vico aut Pago certis quibusdam diebus Missa deesset, ex his similibusve circumstantiis conjiciendum sit, institutoris voluntatem anticipatæ satisfactioni Missarum adversari. Casum deinde Sylvius expendit ejus Sacerdotis, qui nulla obligatione obstrictus applicandi Missam, tamen eam celebrat, Sacrificii effectum suspendens, quem possit illi applicare, a quo oblata eleemosyna rogatus fuerit celebrare, & sibi applicare; vel celebrat & actu applicat Missam ei, quem Deus probe novit ab illo petiturum celebrationem, & applicationem Missæ. Solidissimis autem Theologiæ rationibus probat, in neutro casu licere Sacerdoti eleemosynam accipere; ob id maxime, quod nescio quid sordidum in ea re appareat, & nonnihil suboleat avaritiæ, quam in sancto Sacrificio tantopere detestatur Ecclesia. Quia verum Decretum illud, quod superius attulimus, nonnemo arbitratur conditum pro Hispania, nec ad Belgium propterea attinere, sic ait: *Neque locus respondendi est, Bullam istam pro Hispaniis latam esse, & non pro Belgio: considerandum quippe est, eam idcirco prædictam consuetudinem improbasse, & abolen-*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

abolendam præcepisse, quia multis nominibus est periculosa, quia Fidelium scandalis & offensionibus obnoxia, quia nova, & a vetusto Ecclesiæ more abhorrens. Cum igitur istæ rationes non sint pro Hispania particulares, sed toti Ecclesiæ per universum Orbem dispersæ communes, in omnibus fidelium regionibus vigere debet ipsa Bulla, immo (etiam ea secluſa) id quod in ea mandatur.

Qui habet onus applicandi, non tenetur in Nativitate Domini applicare nisi unam Missam; & in Commemoratione Defunctorum tenetur libet ab obligatione applicandi.

9. Quæritur, utrum is qui onus habet Missam quotidianam applicandi, teneatur in die Natali Christi Domini etiam secundam & tertiam Missam applicare; & an in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum teneatur Missam illi applicare, cui debet applicare quotidie. Prima quæstio solvitur respondendo, eum qui habet onus Missæ quotidianæ teneri unam duntaxat applicare in Festo Nativitatis Jesu Christi, nisi forte institutor diferte jusserit, tres Missas sibi eo die applicari. Fraxinellus de Sacerdot. Obligatione ad Missam sect. 4. concil. 4. §. 21. Diana edit. Coordinatæ tom. 2. tract. 1. resolut. 64. num. 2. Pasqualigus de Sacrif. novæ Legis tom. 2. q. 1033. num. 2. & 3. Quod vero ad secundam quæstionem attinet, Aversa q. 11. de Euchar. sect. 18. putat, eo die cessare onus Capellaniæ quotidianæ, ideoque Capellano licere Missam eo die applicare vel omnibus Defunctis, quod esset optimum, vel privato cuidam defuncto. Pasqualigus qu. 1134. contendit, eo die quotidianæ Capellaniæ obligationem non cessare; addit tamen, licere Capellano Missam vel alicui Defuncto, vel Defunctis omnibus applicare; præsumendum enim, voluisse institutorem eo die Capellano Missam sibi applicandam remittere. Quæstionem apud Auctores pertractatam deprehendimus, an Parochus in Nativitate Domini teneatur tres Missas celebrare; ac firmior nobis visa est eorum sententia, qui statuunt, teneri illum ad Populi utilitatem & devotionem tres Missas celebrare, ut existimat Persicus de Sacerdot. Officio lib. 1. dub. 15. num. 128. nam plane commentitium est quod ait Leander par. 2. Oper. moral. tract. 8. disput. 5. q. 30. non teneri Parochum, secluso scandalo, nisi unam tantum Missam celebrare: si enim tres Missas potest celebrare, & unam tantummodo celebrat, certum est scandalum; aut si non nisi unam Missam celebrare potest; profecto non tenetur duas reliquas celebrare. Eam vero quæstionem nunquam a S. Congregatione nec examinatam reperimus, neque decisam, utrum Parochus, qui diebus Festis ex præcepto tenetur populo Missam applicare, teneatur etiam tres Missas applicare eidem populo in Nativitate Domini, an vero si unam tantum applicet, suo muneri satisfaciat. Neque illud itidem in S. Congregatione judicatum deprehendimus, utrum in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, quibus impositum est onus applicandi quotidie Missam Benefactoribus generatim, etiam plures illas Missas Canonici teneantur applicare, quas celebrare jubentur certis quibusdam diebus ex lege Rubricæ.

Parochus tenetur in Nativitate tres Missas celebrare, an vero ab ipso, ut etiam in Cathedralibus tres Missæ sint applicandæ, adhuc incertum.

CAPUT X.

Quid requiratur, ut valide Sacrificium fiat.

Ad validitatem Sacrificii primum oportet ut Celebrans sit rite ordinatus.

1. SAcrificium & Sacerdotium ita inter se nexa & copulata esse Deus voluit, ut alterum ab altero nunquam fuerit sejunctum. Itaque cum Catholica Ecclesia in novo Testamento ex divina institutione sanctum Eucharistiæ acceperit Sacrificium, fateri necesse est, in ea novum esse, visibile, & æternum Sacerdotium, in quod vetus Sacerdotium migravit. Id autem novum, visibile, æternumque Sacerdotium a Christo Domino institutum, & ab Apostolis per validam & legitime riteque factam Ordinationem eorum Successoribus traditum potestatem habet consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem Jesu Christi, & peccata retinendi & remittendi. Ex hac Catholica doctrina manifesto constat, ad validitatem Sacrificii illud primo necessarium esse, ut Sacerdos, qui Missam celebrat, rite, legitime, & valide sit ordinatus.

Disputatio suscipitur de intentione Ordinantis & Ordinati.

2. Neque vero hic de valida Ordinatione aggredimur ad differendum; tum quod argumentum hoc apud sexcentos reperias Auctores abunde tractatum; tum quod longissime digredi cogeremur, & serius, quam par est, ad institutum reverti. Illud unice monere volumus, ad Sacrificii validitatem necessarium esse, ut valida præcesserit Ordinatio. Eorum autem, quæ ad Ordinationis validitatem pertinent, intentionem duntaxat Ordinantis & Ordinati suscipimus discutiendam, de qua sæpissime disputandi sese offert occasio. In Pontificali Romano extat allocutio, qua ante Ordinationem Archidiaconus nomine Episcopi jubet, sub pœna Excommunicationis, ne qui Canonico aliquo defectu laborant, ad suscipiendos Ordines accedant; quamobrem si quis aliquo Canonico irretitus defectu accedens Sacerdotalem Ordinem suscipiat, quæri solet an hic valide fuerit ordinatus.

Allocutio Episcopi ad Ordinandos ex Pontificali Romano.

Quæstio de validitate Ordinis, si Episcopus declaraverit, non esse sibi intentionem ordinandi Canonico defectu implicitos.

3. Si allocutio fiat ad eum, quem diximus, modum juxta Pontificale, patet Ordinationem validam esse. Difficultas tunc oritur, cum Episcopus Pontificalis prætergressus limites, vel per edictum publicum, vel quovis alio modo declaret, sibi non esse intentionem ordinandi eum, qui aliquo Canonico defectu sit implicitus, ut bene advertit Cardinalis de Lugo de Sacram. in genere disp. 8. sect. 7. n. 119.

Quidam putant Ordinem eo casu valide collatum esse.

4. Quidam existimarunt, Ordinationem validam esse, vel quod Edictum intelligendum sit non alia de causa editum esse, quam ut terror incutatur, ut putat Serry in Dissert. *De necessaria intentione in Sacramentis conficiendis*, pag. 26. vel quod existimandus sit Episcopus, qui post Edictum ordinaverit Canonico defectu implicitum, contrariam revocasse intentionem; nec unquam credi debeat, illum materiam formæ Sacramenti applicando voluisse nihil agere, seu nullum facere Sacramentum; atque ad hunc modum disputat cum aliis pluribus scriptoribus Cabassutius in Theoria & Praxi Jur. Canonici lib. 3. cap. 16. n. 15.

Sac. Congregatio Concilii putavit eam Ordinationem invalidam.

5. Quæstio hæc versata est, & accurato subjecta examini in Sac. Congregatione Concilii, quæ propensior semper fuit in eam sententiam, ut invalida esset Ordinatio ejus, qui cum Canonico impedimento Ordinem suscepisset ab Episcopo, qui declarasset, sibi intentionem non esse ordinandi accedentes cum ejusmodi impedimento; ut videre est in Addit. ad Navarrum Consil. 1. *De eo qui furtive Ordines suscepit*: & quamquam nonnemo dubitat, an revera extet ejusmodi S. Congregationis Resolutio, ut est apud Bossium tom. 2. moral. tit. 3. §. 18. n. 160. tamen qui de ea dubitandum censet, vehementer fallitur; eam enim resolutionem refert celebris Fagnanus, qui tot annos Secretarii munere obeundo inclaruit, in cap. *Tuæ Litteræ* n. 15. De Clerico per saltum promoto: atque ipsi nos eam reperimus in veteri manuscripto. Est autem ejusmodi: *Quæsitum fuit, an ordinati ante ætatem legitimam ab Episcopo, qui ante Ordinationem in Ecclesia publico Edicto protestatus est, quod non intendebat Ordines conferre, nisi iis, qui in ætate legitima*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tima erant constituti, receperint vacuam manus impositionem. Responsum fuit ex communi sententia, recepisse vacuam manus impositionem. Quæ resolutio fuit in Congregatione habita die 23. Januarii 1586.

Ejus resolutio celebris in causa Americana Episcopi Charchiensis.

6. Ad hanc rem Edictum promulgavit ante ordinationem Episcopus Charchiensis in America, quod tantas excitavit turbas, ut opus fuerit in Sac. Congregatione causam proponere sub titulo *Charchien. Ordinationis*, quæ causa ab Altovito tum Secretario in hunc modum relata est: *In supplici libello a Sanctiss. Domino nostro remisso exponitur, Fratrem Antonium Gonzalez de Acuna Episcopum Civitatis Charchiensis in Indiis Occidentalibus sub dominio Regis Catholici, sacras Ordinationes habiturum Edicto cavisse, ne quis trahens originem ab Indis, seu, ut vocant Mulatis intra quartum gradum, auderet accedere ad sacros Ordines suscipiendos, quia ipsius mens & intentio erat hujusmodi personis Sacramentum Ordinis non conferre: quam protestationem denuo atque expressius ore proprio emisit in actu Ordinationis, jurejurando affirmans, se neque actualem, neque virtualem intentionem habere, aut habiturum fore ordinandi dictas personas, sed habere duntaxat intentionem ordinandi sanguine puros; quod & postea confirmavit, dum interrogatus a Guardiano Conventus S. Francisci, an quidam comprehensus intra gradus ab eo prohibitos esset valide ordinatus, absque ulla hæsitatione respondit negative ex defectu intentionis. Plura hinc scandala & inconvenientia orta sunt. Multi enim originem trahentes ab Indis, seu ut vocant Mulatis (cum inibi pauci sint sanguine puri) Ordines susceperunt, & subinde Missas celebrarunt, Confessiones audierunt, aliaque susceptis Ordinibus congruentia munera exercuerunt: & e contra non desunt in Populo qui sic Ordinatos effugiunt, ac uti male promotos digito ostendunt.* Dubia vero tum proposita ad examinandum hæc sunt: *Primo an hujusmodi personarum ordinatio fuerit valida: Secundo an actus ab illis vigore susceptorum Ordinum exerciti fuerint validi: & quatenus negative. Tertio quonam remedio hisce malis consuli debeat.* Responsum S. Congregationis habitæ die 13. Februarii 1682. fuit hujusmodi: *Ad primum, & secundum negative: ad tertium ad mentem; & mens est, supplicandum esse Sanctissimo, quatenus jubeat omnibus Indiarum Episcopis, ne deinceps præsumant in Ordinatione conditionalem intentionem habere, eosque animadvertat, Indos & nigros omnesque ab eis per paternam vel maternam lineam descendentes, nullo jure ab Ordinum aliorumque Sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo cetera per Sacros Canones requisita habeant & observent.*

Exploranda Ordinantis intentio, & si non liquet, tentandus est Ordo sub conditione.

7. Itaque res omnis in eo est, ut Ordinantis exploretur intentio: nam si Episcopus non habuerit intentionem ordinandi, & in actu Ordinationis non revocaverit contrariam intentionem adversus eum, qui cum canonico defectu ad Ordinem suscipiendum accessit, inficiari nemo potest, Ordinationem fuisse nullam. Idcirco vetus resolutio anni 1586. approbata fuit a Summo Pontifice in Consistorio, qui etiam jussit antequam exequutioni mandaretur, scribi ad Episcopum, ut Edicti a se promulgati formam mitteret, quo cognosci posset, num Episcopus revera intentionem habuerit non ordinandi eum, qui cum defectu Canonico ad suscipiendos Ordines accessisset. Et Card. de Lugo loc. citato ita scribit: *Non debet res adeo gravis dubiis exponi; unde si casus accideret, ego Sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento consulerem, ut, si commode potest, adeat eundem Episcopum, ejusque intentionem exploret, qualis fuerit. Quod si hoc fieri non possit, recipiat iterum sub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio cum periculo invaliditatis aliorum Sacramentorum, quæ ex Sacerdotio dependent.* Hanc autem esse S. Pœnitentiariæ praxim testatur Thesaurus de Pœnis Ecclesiasticis par. 2. verbo *Ordines* cap. 7. num. 2. quod ipsi quoque observavimus Edict. 6. numer. 17. tom. 2. Quod si vel clara defuit probatio contrariæ intentionis in Ordinante, vel dubitari potuit, num aliquo modo fuerit revocata, S. Congregatio censuit iterandos esse Ordines *sub conditione*, ut apparet ex aliquibus Decretis in Causa Aprutina Ordinum 11. Januarii 1710. & in Ugentina Ordinum 3. Aprilis 1743.

Triplex apud Theologos intentio.

8. Sed de Ordinationis validitate hactenus satis. Nobis satis est monuisse, ad validitatem Sacrificii Missæ oportere, ut qui illud offerat, rite sit & legitime ordinatus, nec illum valide ordinatum censeri posse, qui susceperit Ordinem ab eo, qui intentionem non habuerit illum conferendi. Vulgo triplex est apud Theologos intentio. Prima est habitualis, quæ voluntas quædam est ad operandum propensa, sed quæ nullo modo influit in actum, quem is qui facit, plerumque incogitans est, eumque ne mente quidem tenet, ut ebriis contingit, qui ea faciunt insci, quæ facere consuescunt. Actualis est altera, quæ est præsens quædam applicatio & attentio animi ad id quod fit. Tertia denique dicitur virtualis, quæ perseverat vi proxime præcedentis actualis intentionis, nec umquam est interrupta per contrariam intentionem, neque intermissa diuturno temporis tractu post actualem elapsi.

Quæ nunc appellatur a Theologis intentio virtualis a D. Thoma vocatur habitualis.

9. Communis etiam Theologorum Sententia, omnium esse optimam in Sacramentis, ideoque in Ordinatione, actualem intentionem, virtualem sufficere, habitualem vero non item. Et quamquam D. Thomas 3. par. quæst. 64. art. 8. *ad tertium* ait, *intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti*; tamen illud probe notandum est, nondum ea ætate excogitatam fuisse a Theologis distinctionem triplicis intentionis: nam intentio tum dividebatur in actualem, & habitualem; habitualis autem nomine Theologi illorum temporum eam intelligebant, quam modo nos virtualem appellamus; proinde ipse quoque D. Thomas loco citato de habituali intentione loquitur in eumdem modum. Sic enim de illa scribit: *Virtute primæ intentionis influit in Sacramentum.* Scilicet quod nos de virtuali dicimus.

Est de Fide ut intentio Ordinantis sit faciendi quod facit Ecclesia.

10. Est autem dogma Fidei oportere, ut intentio, sive actualis illa sit, seu virtualis, sit intentio faciendi quod facit Ecclesia, juxta id quod definivit Tridentina Synodus sess. 7. can. 11. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Illud unice Theologi disputant, num satis sit intentio faciendi extrinsecus, quod facit Ecclesia, adhibendo materiam & formam a Christo Domino institutam, & ab Ecclesia adhibitam, sed sine interiori animo & intentione conficiendi Sacramentum, immo cum intentione interna jocandi, dummodo ejusmodi intentio extrinsecus non appareat. Ambrosius Catharinus in libro de Intentione Ministri putavit, ejusmodi intentionem sufficere. Quidam ejus sententiæ subscripsere: nuperrime eandem sententiam propugnavit Serry, diluitque criminationes adversus Catharinum intentatas. Sed ipsemet fatetur, sententiam, quæ statuit ejusmodi intentionem non sufficere, tutiorem esse & in praxi omnino tenendam; quam propterea nos sequimur & amplexamur, præsertim cum Innoc. XI. hanc condemnaverit Propositionem: *Non*

An qui solo externum ritum exequitur sine intentione interna, conficiat Sacramentum.

est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Huc referri etiam potest Propositio illa ab Alexandro VIII. proscripta: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque Baptismi observat, intus vero in corde suo resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia*. Videtur enim in ea condemnatione non illum comprehendi tantummodo, qui extrinsecus se jocari ostendit, nec internam habet intentionem, sed eum etiam, qui serio externum ritum exequitur, sed intrinsecus nullam habet intentionem faciendi rem sacram, neque conferendi Sacramentum, neque faciendi quod facit Ecclesia, sed joculariter quidpiam agendi. Videatur Cardinalis Gottus tom. 13. Theolog. quæst. 7. dub. 4.

In Ordinato eadem opus est intentio, quæ in ordinante.

11. Quæ in Ordinante intentio requiritur, ut valide Ordinem conferat, eadem debet esse etiam in Ordinando, ut illum valide suscipiat, eademque opus est Sacerdoti, ut valide Missam celebret. Ideoque si Ordinando opus est intentio, saltem virtualis, faciendi quod facit Ecclesia, nec satis est hanc intentionem esse externam; ita Ordinato itidem oportet esse intentionem suscipiendi, quod Ecclesia intendit ab eo *suscipi; idemque* Ordinatus pariter necesse est ut habeat saltem virtualem intentionem externam & internam, dum Missam celebrat, faciendi quod facit Ecclesia, ut validæ sint Ordinatio, & Missæ celebratio. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*; Verba sunt Eugenii IV. in ejus Decreto.

De eo qui metus causa Ordinem suscipit.

12. Sed quod attinet ad Ordinatum, cum iis quæ hactenus diximus illud pugnare videtur, quod qui cujuspiam gravis mali metu adducitur ad suscipiendum Ordinem, valide illum suscipit, ut videre est in 1. & 2. decis. Cæsaris de Grassis tit. *De his quæ vi metusve causa fiunt*. Sed casus a casu distinguendus est. Valida est ejus Ordinatio, qui antea nolebat Ordinem suscipere, quem deinde suscipere induxit animum, ut illud effugeret malum, quod sibi minis intentabatur: non enim negare possumus, quin sit in eo voluntas saltem illa, quam vocant conditionatam. Contra invalida est ejus Ordinatio, qui non obstante metu, obfirmato animo negat, se velle suscipere Ordinem, & vi raptus ad Ordinationem, accipit applicationem illam materiæ ad formam, sed vel extrinsecus vel intrinsecus contradicit. Hæc responsio eruitur a Decretali Innocenti III. in cap. *Majores* de Baptismo, ubi Pontifex loquens de eo, qui vi metusque causa Baptismo abluitur, ita ait: *Is, qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur, ac ne detrimentum capiat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam Religionis Christianæ*. De eo autem, qui nunquam suum consensum præbuit, nec intentionem habuit suscipiendi Sacramentum, ait: *Ille qui nunquam consentit susceptioni Baptismatis, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*. Illud tantum inter se Theologi disputant, an ad validitatem satis sit, si qui Baptismum, vel Ordinem suscepit, indifferens fuerit, idest nec habuerit voluntatem eum suscipiendi, neque non suscipiendi; & hoc in casu videtur in praxi recepta opinio eorum, qui putant actum esse invalidum; certissimum autem illud remanet, ei, qui reipsa contradixerit, nullum characterem fuisse impressum, actumque totum invalidum esse, ut respondit etiam Sac. Concilii Congregatio in Causa *Nullius susceptionis Presbyteratus*, die 26. Decembris 1665. lib. 24. Decretor. pag. 621.

Qui raptus ad Ordinem suscipiendum, & expresse vel externe vel interne dissensu contradicit, vera non suscipit.

Suscipit Ordinem, qui metus causa flectus animum ad illum suscipiendum.

13. Eidem Sac. Congregationi nunciavit Episcopus Brixiensis, sibi contigisse, ut clericus quidam initiandus Subdiaconatu minorum Ordinum Testimonialem falsaverit, quos Ordines revera susceperat. Cum autem ad generalem Ordinationem accessisset, & comminationem intellexisset Censurarum adversus eos, qui ad suscipiendos Ordines accederent', neque muniti essent iis, quæ Canones postulant, cogitavit illinc abire; sed veritus, ne id scandalum pareret, consilium cœpit, accedendi ad Ordinem suscipiendum, sed sine intentione illum suscipiendi, putans hoc pacto se subduci Censuris: quamobrem Episcopus scisitabatur a Sac. Congregatione, an illum Clericum rursus ordinare deberet. Relatum id fuit in S. Congregatione habita die 31. Martii 1685. quæ respondit, Ordinatus interea suspensus remaneret; curaret autem Episcopus, ut defectus intentionis sibi fieret exploratior. Rescripsit Episcopus, se id percunctatum a Clerico, qui candide fassus sit, se conscientiæ stimulis incitatum, ante Ordinationem internum actum expressum & positivum edidisse non suscipiendi Ordinis, nec umquam hujusmodi intentionem revocasse. Id iterum relatum in Sac. Congregatione habita die 24. Augusti ejusdem anni; quæ considerans, non admodum esse fidendum attestationibus ejus, qui dicebat, perturbato animo se illum exeruisse internum actum, respondit: *Esse iterum ordinandum sub conditione privatim, & dummodo aliud non obstet Canonicum impedimentum*.

Materia & forma debita usi oportet ad validitatem Sacramenti.

14. Juxta Decretum Eugenii IV. præter validitatem suscepti Ordinis, & intentionem in Sacerdote Missam celebrante faciendi quod facit Ecclesia, requiritur etiam, ut Sacrificium valide fiat, materia & forma. De materia Decretum illud hæc habet: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite*. Proponitur quæstio, an panis ex tritico cum hordeo & spelta permixto sit materia apta & sufficiens ad Consecrationem. D. Thomas 3. par. quæst. 74. art. 3. *ad tertium* docet, inspiciendum an tritici quantitas major sit quantitate hordei & speltæ; si enim minor esset, materiam rejiciendam esse tanquam non aptam: *Modica permixtio non solvit speciem, quia id, quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo. Et ideo si sit modica permixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, quia est materia hujus Sacramenti. Si vero sit magna permixtio (puta ex æquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti*. Idem S. Doctor in responsione ad secundum ostendit, non esse materiam validam panem ex hordeo, ex spelta, ex farre; atque adeo ne panem quidem ex amido: *Et quia amidum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi, quamvis quidam contrarium dicant*: quæ verba sunt S. Doctoris in responsione *ad quartum*. Pulcre illud convenit cum hac re, de qua agimus, quod in Actis legitur Concilii Chalcedonensis. Lybia tanta sterilitate laborat, ut frumentum non ferat; quamobrem Imperatores illuc tantum frumenti comportari jubebant, quantum conficiendo Sacramento satis esset, & egenis peregrinisque sustentandis. Vetuit Dioscorus Alexandrinus Episcopus, ne suæ Provinciæ Episcopi hac Imperatorum largitate fruerentur; quapropter Ischyrion ejus Diaconus, ut habetur Actione 3. ejus Concilii, gravem adversus illum accusationem insti-

De materia panis D. Thomæ doctrina.

instituit, criminando, quod ejus culpa neque Missæ fuissent celebratæ, neque ceteri eo auxilio essent recreati: *Ex hoc neque terribile & incruentum Sacrificium celebratum est, neque, sicut dixi, Peregrini, aut Provinciales eo solatio fruiti sunt.*

Vinum ad Missam optimum adhibendum.

15. De vino nihil hic dicendum esse arbitramur, qui satis de eo verba fecimus in Edicto 10. tom. 4. ubi demonstravimus quam indecorum sit ad Missam deterius adhiberi vinum, quam quod ad profanas mensas adhibetur. Adversus hunc abusum omnino non ferendum inclamat Bocquillot tractatu Historico de Sacra Liturgia lib. 1. cap. 12. num. 293. In tractatu quodam Arabice scripto, quo multa continentur e Dionysio Barsalibi depromta de modo celebrandi Missam, & suscipiendi Eucharistiam, hæc habentur: *Ut uvæ mundæ seligantur ad vinum conficiendum, illæque manibus exprimantur, non pedibus conculcentur*: quod etsi non est præceptum, sed merum consilium, ut observat Renaudotius tom. 1. Collect. Liturgiar. Oriental. pag. 193. declarat tamen quam accurate quantaque munditia parandum vinum sit, quod ad Missæ Sacrificium destinatur. Nunc monuisse satis erit, Angelicum Doctorem, quemadmodum statuit non esse debitam Sacramenti materiam panem illum, in quo magna est permixtio farinæ ex aliis frugibus quam e tritico, ita docere non esse materiam aptam vinum, in quo tanta esset aqua immixta, cujus quantitas vini quantitatem superaret, ut videre est art. 8. cit. quæst. 74. *Semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile; quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum*: quod etiam antea scripserat in 4. sentent. dist. 11. quæst. 2. art. 4. quæst. 4. in corpore. Huic malo olim ut occurrerent, parvo cochleari Sacerdotes utebantur, quo aquam in Calicem immittebant, ut videre est apud Martene lib. 2. cap. 4. §. 21. de antiquis Monachorum Ritib. eaque consuetudo etiam nunc retinetur a Carthusianis, pluribusque Ecclesiis in Germania, ut testatur Meratus tom. 1. par. 1. pag. 748.

Abusus adhibendi vinum deterius.

De non commiscendo alio liquore in Calicem consecratum doctrina D. Thomæ.

16. Loquitur Angelicus Doctor in locis citatis de aqua, seu alio liquore, qui ante consecrationem infundatur in Calicem; de aqua, seu alio liquore, qui post consecrationem immittatur in Calicem, loquitur in 3. par. quæst. 83. art. 6. *ad quartum;* & quidem generalem statuit regulam, nullum post consecrationem infundendum esse liquorem in Calicem, præsertim aquam: *Nullo autem modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte.* Utcumque sit de ea ratione, quam affert Angelicus Doctor, regula optima quidem est pro Occidentali Ecclesia. Sed cum Græci, ut alibi dictum est, post Consecrationem vini aquam calidam in Calicem immittant, & in Concilio Florentino eas de hoc ritu rationes attulerint, quibus Eugenius IV. conquieverit, idcirco Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 9. num. 5. putat eam Angelicum Doctorem statuisse regulam, ejusque rationem attulisse, nescium illiusmodi Ritus Græcorum. Innocentius III. in cap. Cum *Marthæ* §. *Quæsivisti* de Celebrat. Missar. de vino non consecrato, quod cum consecrato misceatur, ait: *Si post Calicis Consecrationem aliud vinum mittatur in Calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, Corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur non madidans circumfusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere; quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit*: quam doctrinam patet adversari iis, quæ scripsit D. Thomas de corruptione Sacramenti, quæ contingeret, si in vinum consecratum liquor aliquis infunderetur. Id autem præviderat S. Doctor eadem 3. par. quæst. 77. art. 8. ubi docet, Innocentii textum locum habere, ubi tantula sit aquæ seu alterius liquoris permixti quantitas, ut non in partes omnes possit diffundi; non autem ubi tanta sit, ut omne vinum consecratum tangat, atque ex eo mixtum unum cum aqua seu liquore illo confletur; neque enim fieri posse ut in hoc casu sanguis Christi remaneat.

Disputatur an remaneat Sacramentum, si magna vis aquæ infundatur in Calicem consecratum.

17. Quidam vero affirmant, si magna vis aquæ vino consecrato immisceatur, ita ut species non amplius pares sint conservandæ vini substantiæ, Sacramentum esse desinere; sed tamen putant, si vino consecrato addatur vinum aliud, sive majori sive minori mensura, sive fortius sive æque forte, non cessare Sacramentum, sed remanere ut antea sub specie vini Sanguinem Jesu Christi. Videantur Mastrius in 4. sent. disput. 3. num. 389. Cardinalis de Lauræa disput. 23. de Eucharist. num. 185. Clericatus decis. 25. Quæst. 2. de Sacram. Eucharist. Putant Salmanticenses Cursu Theolog. tom. 11. tract. 23. de Eucharist. disput. 8. dub. 5. num. 69. & 70. cum Angelico Doctore eum convenire, qui sentiat, Corpus Christi remanere, si post Consecrationem infundatur eadem species & qualitas vini, quæ erat vini illius, quod consecratum est. Sed in his Scholasticorum Disputationibus nolumus partes suscipere: illud tamen innuere juvat veterem disciplinam, quod alibi monuimus, cum populo in Calicibus ministerialibus sub specie vini exhibebatur Eucharistia, vinum non consecratum identidem, ut postulabat numerus eorum, qui essent communicandi, in Calicem infundi consuevisse, nec ullum unquam veritum esse, ne Fideles Christi sanguinem non susciperent. Gibertus Consultat. Canonicar. de Sacramentis Consultat. 3. *de sacrificio Missæ* Casum proponit, si Clericus ex ædituis, qui sacrario inserviunt, partem hauserit vini, quod ad Missas paratum erat, & pro vino absumto substituerit aquam, quæ fiat ut Presbyter accepto Calice sentiat plus inesse aquæ quam vini; quæritur, utrum quæ facta est Consecratio valida sit, an vero opus sit, novo accepto vino exigua aqua diluto, Consecrationem iterare; & respondet, in Sacramentis mutationem materiæ non esse substantialem, nisi pro materia, quam Christus instituit, alia prorsus materia adhibeatur, aut ad materiam a Christo institutam alia addatur materia, quæ illam destruat. Cum itaque vinum propria Calicis materia sit, negat mutationem esse substantialem, nisi pro vino adhibeatur aqua, aut tantum aquæ in vinum infundatur, ut destruatur vini natura. Porro & illud advertit, ad inducendam substantialem mutationem, ad quam, ubi de validitate disceptatur, unice respiciendum est, non satis esse, quod plus aquæ quam vini in Calicem sit infusum; ejusmodi enim esse potest vinum, ut robore suo resistat, & propriam servet naturam, quamvis aquæ mensura longe major sit; palatum autem verius, quam oculos posse judicare, suamne naturam vinum retinuerit, licet plus aquæ infusum sit.

Olim infundebatur vinum, quo, ne ullo tempore communicantium sanguis supperesset.

Materia in Sacramentis apta est, si non ejus fiat substantialis mutatio.

18. De Consecrationis forma jam superius docuimus, formam Consecrationis panis esse: *Hoc est Corpus meum;* & formam Consecrationis vini: *Hic est Calix sanguinis mei.* Itaque ea persequendo, quæ ad praxim pertinent, quærimus an ad essentiam Sacrificii necessaria sit Consecratio utriusque rei, scilicet panis & vini; & necessariam esse dicimus divino jure & præcepto, a quo nullus facultatem habet dispensandi. Favet huic sententiæ S. Tridentina Synodus sess. 22. cap. 1. quæ docet, Corpus suum & Sanguinem æterno Patri

Consecratio utriusque speciei est de jure Divino.

suo Christum obtulisse sub speciebus panis, & vini, & sub iisdem Symbolis utrumque exhibuisse Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes creabat, iisque, & eorum successoribus imperasse, ut utrumque offerrent: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quapropter quemadmodum Christus panem & vinum consecravit, & jussit Sacerdotes omnes id facere, quod ipse fecerat tanquam Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sequitur inde, ad Sacrificii naturam & essentiam omnino speciem utramque necessariam esse, & quidem jure & præcepto divino. Ex quo perspicuum est, nemini permitti ullo modo posse, ut sub una tantum specie celebret Missam; nam in eas regiones, quæ neque frumentum, neque vinum ferunt, facile tantum vini & panis comportari potest, quantum Missis celebrandis satis esse possit, ut notat Sanctus Thomas 3. par. quæst. 74. art. 1. ad secundum: *Licet non in omnibus terris nascatur triticum, & vinum, tamen ad omnes terras de facili transferri potest, quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti*. Quod enim narratur de Innocentio IV. & Innocentio VIII. eos dispensasse, & permisisse, ut in aliquibus locis Missa sub specie panis duntaxat celebraretur, fabulosum & commentitium esse alibi ostendimus.

Si quis alterutram sine altera consecret, peccat gravissime, & conficit quidem Sacramentum, sed non Sacrificium.

19. Neque tamen inde consequitur, si Sacerdos solum panem consecraret, non confici Sacramentum; forma enim Consecrationis panis neque quoad significatum, neque quoad efficaciam pendet a forma Consecrationis vini: proindeque Hostia consecrata Populo ostenditur adoranda antequam Calix consecretur. Itaque valide Sacerdos consecraret, sed magno se peccato adstringeret, ut abunde ostendunt Salmanticenses Cursu Moral. tom. 1. tract. 4. De Sacram. Eucharistiæ cap. 4. punct. 3. Missa tamen, in qua Sacerdos alterutram sine altera speciem consecraret, vere & proprie non esset Sacrificium, *prout*, quemadmodum loquuntur Theologi, *Missa est tale Sacrificium a Christo Domino institutum*: quod fuse probatum reperias in Decisionibus Cleri Patavini de venerabili Eucharistiæ Sacramento anni 1708. quas collegit Andreas Zuccherius Societatis Jesu Presbyter, ac Theologus pag. 180. & seq. & apud Suarez in 3. par. tom. 3. quæst. 83. art. 1. disput. 75. sect. 6. ubi ait: *Dico ergo secundo, ut hoc mysterium absolute sit verum Sacrificium, prout a Christo est institutum, essentialiter requiri utriusque speciei consecrationem. Ita videtur mihi sentire divus Thomas*. Et Clericatus, qui ante Zuccherium Cleri Patavini Moralibus studiis præfuit, & Decisiones collegit, in decis. 32. de Sacrific. Missæ num. 22. sapienter monet, in Consecratione unius speciei Sacramentum quidem, sed non Sacrificium constare: Eucharistiam enim Christus instituit, ut Sacramentum per modum cibi; sed ut Sacrificium, instituit per modum victimæ mactatæ, qui modus non habetur nisi utriusque speciei consecratione: ponitur enim *vi verborum*, ut loquuntur Theologi, in consecratione panis Corpus separatum a Sanguine, & in consecratione vini Sanguis separatus a Corpore, atque in hunc modum Sacrificium cruentum repræsentatur, quod in Cruce fecit Christus Jesus per Sacratissimi sui Sanguinis effusionem, ejusque separationem a Corpore. Quod doctrinæ D. Thomæ innititur, qui etsi art. 1. quæst. 74. in responsione *ad secundum* dicit, non esse alterutram speciem sine altera consecrandam, quia Sacramentum non esset integrum, *nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum*: id tamen intelligendum de licita consecratione, non de valida, & de Eucharistia quatenus Sacrificium est, non quatenus proprie Sacramentum; quamobrem quæst. 80. art. 11. in respons. *ad tertium* ita disputat: *Repræsentatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa Consecratione hujus Sacramenti, in qua non debet Corpus sine Sanguine consecrari*. Videatur Sylvius 3. par. quæst. 84. quæsit. 3. ubi sibi ipse objicit alterutrius speciei consecratione Passionem Christi repræsentari, & respondet eam repræsentationem esse solum implicitam, quia in Cruce non fuit solum Corpus, aut solus Sanguis, sed utrumque, alterum tamen ab altero separatum; ideoque oportere utrumque esse in Eucharistia, & vi verborum Consecrationis alterum ab altero separatum: quapropter concludit, si una duntaxat consecretur species, *Sacrificium dici posse inchoatum, sed non perfectum essentialiter*. Videatur etiam Cardinalis Gottus loc. cit. *De Sacrificio Missæ* quæst. 1. dub. 3. §. 1. & seq. & Natalis Alexander Theolog. Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacramento Eucharist. art. 3. in regula 2. & 3. earum, quæ ad praxim pertinent. Quod autem ad Consecrationis validitatem pertinet, Epistolam 69. afferemus D. Bernardi, de qua videmus Scriptores siluisse. Abbas Trium Fontium Guido panem in Missa consecraverat, non autem vinum, quod in Calicem Minister non infuderat. Quid fecerit Guido, quid S. Bernardus factum oportuisse dixerit, alibi referemus; nunc satis nobis est innuere, D. Bernardum dixisse, validam fuisse, sed illicitam panis consecrationem. *Puto enim, quod si Domino post factum de pane suum Corpus, vini Consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certe penitus omittere; nihilominus Corpus mansisset quod fecerat, nec factis facienda præscriberent. Nec nego panem & vinum aqua quidem mixtum simul debere apponi; quin potius asfero, haud aliter debere fieri. Sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, est quod causamus non bene quidpiam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri.*

CAPUT XI.

Quid requiratur, ut licite fiat Sacrificium; ac primo oportere Sacerdotem esse ab omni lethali peccato expiatum.

De eo quod licet in Missa celebranda: qui celebrat, eum oportet esse in gratia.

1. JAm vero de eo, quod liceat in Missa celebranda, dicendum est. Ac primo Sacerdotem esse oportet in gratia, & ab omni lethali peccato expiatum. De eo quod liceat loquimur: nam si sermo sit de validitate, Sacerdos valide profecto consecrat, etiamsi lethalis criminis reus sit, excommunicatus, vel hæreticus, vel schismaticus, aut etiam degradatus; quod definivit Concilium Constantiense sess. 8. cap. 15. adversus Wicleffum, & Joannem Hus, qui dicebant: *Sacerdos, si est in peccato mortali, non consecrat;* & contra Waldenses, qui propugnabant, *Sacerdotes vitæ & legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus presos, non posse Ecclesiastica conficere Sacramenta*. Probat id D. Thomas 3. par. q. 83. art. 5. Considerat enim, Sacerdotem non propria virtute Sacramentum conficere, sed tanquam Christi Ministrum, ex cujus persona consecrat; nec desinere servum esse Christi, si malus sit: siquidem Christus servos habet & bonos & malos. Idem probat de Sacerdotibus schismaticis, hæreticis, excommunicatis, & suspensis ead. quæst. art. 8. Atque idem docet de degradatis: potestas enim consecrandi pendet a Charactere, qui indelebilis est. Videatur Collatio 9.

Wicleffi error, qui Sacerdotem peccati sibi conscium invalide consecrare existimabat.

Lucio-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Lucionenſis quæſt. 2. tom. 5. ubi accuratiſſime tractatur hoc argumentum.

Utrum qui indigne celebrat, unum, an plura peccata committat.

2. Itaque hi quidem omnes indigni Sacerdotes valide conſecrant, ſed illicite; nec quiſquam eſt qui neſciat, eos nefario ſcelere horribilis ſacrilegii ſeſe alligare. Illud diſputant Theologi, unumne duntaxat peccatum perpetrent, ut nonnulli arbitrantur, propterea quod utriuſque ſpeciei conſecratio, oblatio, conſumtio, re quidem ipſa diſtinguantur, moraliter vero unum ſint, & divina inſtitutione ordinentur ad unum totum conſtituendum, ſcilicet Sacrificium Miſſæ, ut exiſtimat Azorius part. 1. lib. 2. cap. 31. quæſt. 11. an vero plura peccata committant, ut probabilius contendit Suarez diſput. 67. ſect. 1. §. *Quæret aliquis*. Duo enim præcepta inter ſe admodum diſtincta violantur, alterum ſuſcipiendi digne Sacramentum, quod præceptum commune eſt omnium Fidelium; alterum fideliter & prudenter diſpenſandi, quod præceptum ad Miniſtrum pertinet. Biel Lect. 7. ſuper Canone Miſſæ duo peccata diſtincta putat Sacerdotem committere, qui mortalis peccati reus Miſſam celebret: *Peccat duobus mortalibus peccatis diſtinctis: uno quia indigne conſecrat; alio quia indigne manducat &c. quia manducare & conſecrare ſunt duo actus diſtincti, & in qualibet indigna executione committitur peccatum mortale*.

Tridentini verba de confeſſione Sacramentali facienda Sacerdoti antequam celebret.

3. S. Tridentina Synodus ſeſſ. 13. cap. 7. de Euchariſtia poſtquam tremenda illa Apoſtoli verba præmiſit, *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*; & illa, *probet autem ſe ipſum homo*; vetat, ne quis niſi ſacramentali Confeſſione expiatus, etiamſi contritus ſibi videatur, ad celebrandam Miſſam accedat: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*: atque idem ait can. 11. *Statuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem*.

Laicis præceptum ne communicent, quin antea peccata ſua in Sacramento Pœnitentiæ confeſſi ſint: Solis Sacerdotibus permiſſum, urgente neceſſitate, celebrare contritionis actu elicito.

4. Item ſacrum Concilium declarat, obligationem, qua Laici, ſi ſibi lethalis culpæ conſcii ſint, tenentur præcedenti Confeſſione ſe expiare, ad Sacerdotes etiam extendi, qui ex officio Miſſam debent celebrare, ac ſolum Sacerdotibus permittit celebrare, prævio tantum actu contritionis abſque Sacramentali Confeſſione, dummodo tamen gravis neceſſitas urgeat, nec copia ſit Confeſſoris; ſed præſcribit, ut Sacerdos, qui ita celebraverit, quamprimum confiteatur; inquit enim citato cap. 7. *Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*.

Præceptum illud non eſt Eccleſiaſticum, ſed divinum, præmittendi Sacramentalem Confeſſionem.

5. Commemorat S. Synodus Eccleſiaſticam conſuetudinem, ut ſi quis ſibi peccati mortalis conſcius communicare velit, quantumvis ſibi videatur contritus, Confeſſionem præmittat Communioni, non ut innuat id ab Eccleſiaſtico jure provenire, ſed ut oſtendat conſuetudinem & Traditiones ita eſſe divinum illud præceptum interpretatas, de quo loquitur Apoſtolus, *Probet autem ſe ipſum homo*, ut bene advertit Sotus in 4. Sentent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 4. *Adnotandum eſt, Eccleſiaſticam conſuetudinem non in medium afferri tanquam potiſſimum & primum fundamentum hujus ritus, quaſi ſit de jure tantum Eccleſiaſtico, ſed quaſi declaratoriam divini præcepti, quod Paulus inſinuat. Ex illo enim ſic intellecto præcepto mos univerſalis Eccleſiæ ortus eſt, in qua nemo ad ſacroſanctam Communionem abſque prævia Confeſſione accedere fuit auſus*. Paullo ante diximus, Sacerdotem, qui gravi neceſſitate ad celebrandum impellitur, ſi deſit Sacerdos cui confiteatur, per actum contritionis ſe parare debere, & quamprimum confiteri: temeraria enim ea eſt propoſitio, quæ ſtatuit, ſatis eſſe attritionem, etiam quæ talis cognoſcitur. Scilicet neceſſaria eſt contritio, aut ſaltem attritio, quam Sacerdos ſine culpa probabiliter exiſtimaverit contritionem. Videatur Perſicus de Sacerdotis Officio lib. 1. dub. 11. & dub. 12. Alii interpretantur, conſilium eſſe, non præceptum, ut Sacerdos *quamprimum* confiteatur; ſed eam propoſitionem proſcripſit Alexander VII. quæ eſt inter damnatas 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum eſt conſilium, non præceptum*. Nonnemo vocem illam *quamprimum* intelligendam dixit, cum primum Sacerdos rurſus celebraturus confitebitur, quæ eſt propoſitio 39. inter eas, quas idem Pontifex condemnavit: *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*.

Celebrans ex gravi neceſſitate ſine confeſſione non ſufficit attritio, ſaltem ut talis cognita.

De præcepto confitendi quamprimum. Propoſitiones damnatæ.

6. Urgentem autem neceſſitatem, qua poteſtas fit Sacerdoti ſine prævia Confeſſione accedendi ad Altare, eam eſſe putant Auctores, ſi Sacerdos Miſſam omittens aut ceteris offenſioni eſſet, aut infamiam incurreret; ſi Populus die Feſto Miſſam audire non poſſet; ſi particula conſecranda eſſet, ut deferri poſſet viaticum ad moribundum. Silveſter verbo *Euchariſtia*, 2. quæſt. 7. vult, eam eſſe urgentem neceſſitatem, *ſi nuper deceſſit anima indigens Sacrificio probabiliter, aut ſi imminet ſolemnitas magna, in qua valde utile ſit animæ celebrare*: quod tamen rejicit Suarez diſput. 66. ſect. 4. §. *Alii caſus*, & doctus Clerus Patavinus in ſuis Reſolutionibus anni 1708. quas typis vulgavit Zuccherius, ut videre eſt pag. 9. E naturali enim vel divino præcepto celebrandi fluere debet urgens neceſſitas. At ſi eam cenſeamus urgentem neceſſitatem, quoties ſuffragiis adjuvanda ſit anima Defuncti, cum tam multæ in Purgatorio animæ detineantur, quibus ſuffragia opus ſunt, facile quilibet Sacerdos ſine prævia Sacramentali Confeſſione poterit celebrare, ac paullatim Tridentini Concilii præceptum de non celebrando ſine Confeſſione, niſi deſit Confeſſarii copia, aut gravis neceſſitas urgeat, ad *nihilum* redigetur. Biel Lectione 7. *ſuper Canone Miſſæ* tres conſiderat caſus, quibus poteſt quis Euchariſtiam ſuſcipere, ſolo contritionis actu elicito, ſine prævia confeſſione. Primus eſt, ſi Sacerdos eo die non celebrans offenſioni eſſet & ſcandalo. Alter, ſi aliquis vel inſtituto, vel conſuetudine omnium ſibi æqualium ad communicandum adigitur. Tertius eſt, ſi Curam animarum habens celebrare debeat, ut moribundo deferre poſſit Euchariſtiam. In his tribus qui verſetur caſibus, eum putat, ſolo contritionis actu elicito, cum propoſito confitendi, poſſe ſine Sacramentali Confeſſione celebrare, vel Sacramentum percipere, dummodo Confeſſarii copia deſit.

In quibus caſibus poſſit Sacerdos, ſolo contritionis actu elicito, ſine confeſſione celebrare.

7. Nemo eſt qui neſciat, Regulares Præſidibus ſuis, quos communi nomine Superiores vocant, in foro ſacramentali eſſe ſubjectos; Superiores autem auctoritate abſolvendi ſibi ſubjectos plerumque non uti, niſi in caſibus reſervatis; aut ſi quis ex iis cupiat apud Superiorem peccata confiteri; ac propterea Religioſis aliquibus munus demandare excipiendi ſodalium Religioſorum Confeſſio-

Regulares non poſſunt abſolvi niſi a Superiore ſuo.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fessiones. Accidit interdum, ut Religiosus aliquis vel in itinere sit, vel in aliquo moretur loco cum bona Superiorum venia, puta quadragesimali tempore cum sacras habet conciones, ubi copia non est Confessarii sui Ordinis. Hic porro videtur in ea versari necessitate, si quod gravius peccatum commiserit, ut vel omittat celebrationem Missæ, quæ omissio aliquando scandalum parere potest, vel celebret Missam sine prævia confessione, elicito tamen Contritionis actu. Hoc enim in casu illi revera deest copia Confessarii. Suarez tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 17. ait, Religioso viro in itinere negari non posse facultatem confitendi peccata sua alicui Sacerdoti, qui non sit ejusdem Ordinis.

Plures Ordines Religiosi habent privilegium extra claustra si sint, exhibendi quemlibet Confessarium.

8. Plures Religiosi Ordines eo gaudent privilegio, ut videre est apud Clericatum *de Pœnitentia* decis. 39. n. 4. Vetitum id erat Cappuccinis, qui & privilegio carebant, & Constitutione quadam Capituli Generalis impediebantur. Nos autem, cum comperissemus in quantis nonnunquam versarentur angustiis, ubi primum ad summam Apostolatus dignitatem evecti sumus, litteris nostris sub forma Brevis die 30. Martii 1742. cuilibet eorum, sive Sacerdoti, sive Conversis, dum extra Claustra moratur cum bona venia, & in locis, ubi non alius quisquam ex eorum Ordine reperiatur, facultatem concessimus confitendi peccata, & absolutionem accipiendi a quocumque Sacerdote, qui vel sæcularis a suo Ordinario, vel Regularis a suo Superiore ad confessiones audiendas sit approbatus. Quam facultatem etiam ad casus extendimus juxta constitutionem Ordinis reservatos, & ad Censuras, in quas inciderint; addita obligatione tamen, ubi primum potuerint, coram Superiore sese sistendi, & novam ab illis Casibus & Censuris absolutionem impetrandi. Sane ejusmodi onus sese sistendi coram Superiore, & confitendi iterum casus reservatos, in quos inciderint, quosque jam alii Confessario confessi fuerint, num illis imponeremus, diu multumque dubitavimus: firma enim regula est, non posse quemquam obligari ad iterationem confessionis eorum peccatorum, quæ jam confessus fuerit, & quorum absolutionem reportaverit, ut videre est in Extravag. Benedicti XI. *Inter cunctas*, *de Privilegiis*; & docet S. Thomas quæst. Quodlibetali artic. 12. ad primum. Sed omnem ex animo nostro difficultatem illud exemit, quod reputavimus, Religiosis perfectionem profitentibus posse onus illud imponi. Et sane multorum Ordinum Religiosorum Constitutiones præscribunt certis quibusdam temporibus Confessionem generalem: & celebris illa est Carthusianorum Constitutio, quæ jubebat Monachos quotannis ea peccata Abbati confiteri, quæ jam aliis Confessariis confessi fuissent. Vid. Suarez loc. cit. n. 10. & Card. de Lugo de Pœnitentia disput. 15. sect. 6. n. 93. & seq.

Novissime concessum Cappuccinis a Benedicto XIV. addito onere munus confitendi peccata servata, & censuras Superiori suo.

De eo qui inter celebrandum recordatur, peccato aliquo se esse implicitum.

9. Antequam materiam hanc dimittamus, duos alios casus juvabit exponere. Primus est, si Sacerdos, cœpta jam Missa recordetur, se peccatum mortale commisisse, neque eo se per Sacramentalem Confessionem expiasse; sive etiam illi in memoriam veniat, se non esse jejunum, vel aliqua esse Censura implicitum, quæ forte sibi animo exciderat. S. Thomas 3. par. q. 83. art. 6. *ad secundum* docet, si Sacerdoti in memoriam hæc subeant ante Consecrationem, recedendum illi ab Altari, si tamen absit metus scandali: *Si ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem (maxime in casu manducationis & excommunicationis) quod Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.* Quod si ejusmodi memoria tangatur post Consecrationem, omnino eum debere ait Sacrificium perficere; *Et ideo si Sacerdos post Consecrationem inceptam recordetur, se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum:* idque ait procedere, etiamsi recordetur, se vel grave delictum perpetrasse, vel in aliquam Censuram incidisse, elicito contritionis actu. *Similiter si recordetur, se peccatum aliquod commisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi, & sic non indigne, sed fructuose sumet Sacramentum. Et eadem ratio est, si meminerit se excommunicationi cuicumque subjacere: debet enim assumere cum proposito humiliter absolutionem petendi, & sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur, quantum ad hunc effectum quod peragat divina mysteria.* Ex hac Divi Thomæ doctrina manavit Rubrica Missalis, quæ sic habet: *Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi & satisfaciendi. Si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante Consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.* Quærit Sotus, an Sacerdos, qui in Missæ principio recordetur se peccatum grave commisisse, atque eo ita sit irretitus, ut ejus pœnitere non possit, debeat Missam dimittere, etiamsi intelligat scandalum oriturum; & respondet illum debere omnino, quodcumque timeatur scandalum, Missam dimittere: *Si autem est in culpa lethali, etiamsi in Introitu Missæ, quando est in Altari, sit memor, satis est contritione & proposito confitendi, ut possit inceptum perficere. Quia autem si illa culpa adeo illi cordi inhæreat, ut pœnitere nequeat, cujus certe si memor fuisset antea, non cogitasset celebrare; Respondetur quod omnino potius debet dare summum scandalum, quam sumere Sacramentum in peccato: quia sic illud est intrinsece malum, ut nulla de causa excusari possit: & ideo si non eum pœnitet, postquam in sua est potestate, necessaria consequentia peccabit tam sumendo, quam relinquendo Sacramentum, maxime si est jam consecratum.* Ita Sotus in 4. sentent. dist. 13. q. 2. art. 6. Diximus supra cum D. Thoma, Sacerdotem, qui peccati mortalis recordetur ante Consecrationem, debere Missam dimittere, nisi timeat scandalum: itaque quæritur, an dici possit oriri scandalum, si Sacerdos Missam in remoto aliquo loco celebraret vel in privato Oratorio, vel ubi nullus adesset Missæ nisi Minister. Pontas Dictionar. casuum conscien. verbo *Missa* cas. 22. ait, etiam in hoc casu futurum scandalum Ministri, idque satis esse, ut contritionis actu elicito possit Sacerdos Missam perficere. Sed Clerus Patavinus in citatis Decisionibus ann. 1707. quæsito 2. Mensis Maji contrariam tuetur sententiam, præsertim si Minister puer sit, vel Celebrantis servus, aut amicus.

De eo, qui eodem die, qui peccatum commiserit, & Sacramentali pœnitentia se expiaverit, celebrare velit.

10. Alter casus est, num Sacerdos eodem die, quo commisit lethale peccatum, & per Sacramentalem Confessionem se expiavit, possit accedere ad Altare, etiamsi nulla necessitate urgeatur; an vero ob reverentiam teneatur Missæ celebrationem in posterum diem differre. Diximus, etiamsi nulla necessitate urgeatur; si enim necessitas urgeat, puta si eo die Missæ celebrationem omittendo pareret scandalum, nemo est qui neget, posse illum celebrare juxta D. Thomæ doctrinam in 4. sentent. dist. 9. q. 1. art. 4. q. 2. ubi ait: *Non est consulendum, quod statim post peccatum mortale etiam contritus & confessus ad Eucharistiam accedat: sed deberet, nisi magna necessitas ar-*

urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. Quæstio igitur est de Sacerdote, quem nulla cogat necessitas ad Missam celebrandam. Cardinalis Toletus eximius Theologus affirmate negat lib. 2. cap. 1. n. 13. *Aliquando non sufficit Confessio ad celebrandum; cum enim peccatum parvo tempore antecessit, non debet celebrare, sed expectare diem alium. Unde qui se accusant, quod nocte proxima peccatum carnis commiserunt, quamvis cum dolore accedant, & absolvantur, sunt tamen a celebratione arcendi.* Cum eo sentit Covarruvias egregius Canonista in Clementina *Si Furiosus* par. 3. cap. 7. ubi ait, *ex contraria sententia sequi, posse Sacerdotem, qui nocte præterita dormierit cum femina, statim celebrare, præmissa confessione, & contritione, quod impium censeri solet, & jure censetur.*

Dicit, cui sine voluntate pollutio contigit.

11. Similis est casus de eo, cui præter voluntatem, & citra peccatum pollutio contigit; decet enim ipsum Eucharistia se abstinere, si quod turpe phantasma illi adhuc animo obversetur, si mentem distractam gerat, & si nulla causa sit, quamobrem debeat celebrare, ut videre est apud Sylvium 3. par. q. 80. art. 8. Innocentius Tertius in Cap. *Cum olim* de Clericis conjugatis non improbat in Ecclesia Græca consuetudinem, ut Clerici in minoribus Ordinibus constituti uxorem ducant, eamque apud se habeant, etiam postquam ad majores Ordines, & ad Sacerdotium promoti sunt, at Clemens Octavus in Instructione super aliquibus Græcorum Ritibus, quæ incipit *Presbyteri Græci*, ita ait: *Presbyter Græcus conjugatus ante Sacrum Sacrificium seu sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab uxore.* Ex quo colligitur, si Sacerdoti Græco non permittitur Missam celebrare, si nocte proxima cum uxore concubuerit, multo minus licere aliis Sacerdotibus, nisi gravis urgeat causa, celebrare Missam, si præcedenti nocte peccatum aliquod grave commiserint, etiamsi per Sacramentalem Confessionem peccatum illud expiaverint.

In quibus casibus etiam pœnitentia Sacramentali expiatum detur non accipere Eucharistiam.

12. D. Thomas 3. par. 4. 80. art. 7. repetit hanc materiam, & ait solum peccatum impedimentum esse necessarium, quominus quis ad Eucharistiam suscipiendam accedat; per Contritionem autem, & Sacramentalem Confessionem deleri quidem reatum culpæ, non tamen corporis immunditiem, ac propterea decere, ut qui peccatum aliquod carnis paullo ante commiserit, se ab accipiendo Sacramento abstineat. Et Sotus in 4. sentent. dist. 12. q. 1. art. 7. post allatam D. Thomæ doctrinam concludit, reum fore irreverentiæ culpabilis, quæ etiam ad peccatum mortale posset pertingere, Sacerdotem illum, qui præcedenti nocte peccato carnis commisso, etsi confessus, Missam celebraret, si qui Missæ adessent, qui ejus peccati essent conscii: & addit, id non in peccatis carnis tantummodo, sed etiam in reliquis peccatis procedere: *Hæc propositio non est singularis de pollutione, sed generalis de quocumque peccato; tanta enim esset irreverentia homicidam cruentis manibus, aut blasphemum polluto ore illico ad Eucharistiam accedere; tametsi Veneris sordes peculiarem quandam indecentiam ad Sacramentum præ aliis sceleribus afferant.* Et Sylvius in 7. articulum q. 80. 3. par. D. Thomæ bene factum arbitratur, atque optime consultum putat, si quis Missam celebrare omittat eo die, quo delictum aliquod commiserit, etiamsi confessus fuerit, & in crastinum differat: & consentit Rubrica Missalis, ubi agit de defectibus ex dispositione corporis. Videantur Natalis Alexander Theolog. Dogm. & Moral. lib. 2. de Sacram. Euchar. cap. 5. art. 2. §. 2. n. 11. Habert Theologiæ Dogmat. & Moral. de Euchar. cap. 20. tom 5. pag. 571. edit. Venetæ. Has omnes sententias amplexus est Patavinus Clerus anno 1708. dub. 1. cas. 1. mensis Februar. in sæpius citato Opere P. Zuccherii: & in speculo Monachorum, auctore Arnulpho Monacho, inter opera D. Bernardi nuperrimæ editionis tom. 2. pag. 818. severiora hæc traducuntur a celebrante Missam ad inservientem: *Si per noctem illusio tibi acciderit, ne contristeris, sed in crastinum confitere, & aliquo te invitante ut Missæ inservias, caute coram omnibus te excusa.* Abulensis in cap. 5. Matthæi q. 226. ait, Diabolum interdum, ut pium hominem a sumenda Eucharistia, vel a Missa retrahat celebranda, per simplicem vasorum seminalium motum, qui ullam excitet tentationem, pollutionem illi procicere. Idem ante Abulensem dixerat Abbas Theonas apud Cassianum: *Absque ullo quidem carnis pruritu, mentisque consensu, nec per illusionem phantasmatis alicujus, sed tamen simplici fluxus illius egestione nos polluit, ut a Sacrosancta Communione deterreat.* Et D. Thomas cit. art. 7. docet, non idcirco omittendam Communionem, aut celebrationem Missæ. Consonat Cardinalis Turrecremata in Can. *Testamentum* dist. 6. ubi hæc scribit: *Si nobis causa non præcesserit, immo magis causa contraria, & hoc frequenter accidit, & præcipue in diebus, in quibus communicari debet, signum est, quod Diabolus homini fructum Eucharistiæ recipiendæ auferre conatur: unde in tali casu consultum fuit cuidam Monacho, ut in Collationibus Patrum legitur, quod communicaret; & sic Diabolus videns, se non posse consequi intentum, ab illusione cessavit.*

Si pollutio involuntaria præcesserit, nulla data causa, non est abstinendum Eucharistia.

CAPUT XII.

De Jejunio naturali ad licite celebrandum.

Ad licite celebrandum requiritur naturale jejunium, quod computatur a media nocte.

1. PORro reliqua persequamur, quæ ad Missam licite celebrandam requiruntur. Nemo nescius est Sanctos Apostolos tunc jejunos non fuisse, cum Eucharistiam acceperunt (*Liquido appareret, quando primum acceperunt Discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos*) tamen ob tanti Sacramenti reverentiam ab Apostolicis usque temporibus statutum fuit, semperque in Ecclesia observatum, ne quisquam nisi jejunus Eucharistiam sumeret. *Numquid tamen propterea calumniandum est toti Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam ceteri cibi; nam ideo per universum Orbem mos iste servatur.* Verba sunt D. Augustini relata in Can. *Liquido* de Consecr. dist. 2. Propterea ad Missam celebrandam opus est Sacerdoti ut jejunus sit. Jejunium vero illud satis est, quod inter mediam noctem & horam illam interjicitur, qua Sacerdos celebrat Missam. Observatione dignum est, quod ineunte sæculo XI. cum nondum consuetudo invaluisset, ut per horologia nocturnæ horæ indicarentur, statuit Synodus Salegunstadiensis, ne quisquam, qui bibisset post galli cantum, Missam celebraret tum per æstatem, tum etiam per hyemem, etiamsi hiberno tempore galli cantus mediam noctem non recte indicet, idque ob reverentiam erga tantum Mysterium. Vide Longueval tom. 7. pag. 168.

Quid si Sacerdos jejunus non dormierit?

2. Potest autem Sacerdos celebrare, licet cibo ante mediam noctem sumto non dormierit, nec cibum concoxerit, dummodo inde non extiterit aliqua perturbatio: nam si mens turbata sit, Sacer-

cerdoti a celebranda Missa est abstinendum, juxta D. Thomæ doctrinam 3. par. qu. 80. art. 8. ad 5. *Nec refert, utrum post cibum vel potum assumtum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomneitatem, vel indigestionem; ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumtionem hujus Sacramenti.* Cum hac doctrina consentit Rubrica Missalis: nam quod Alexander Tertius in cap. *Si constiterit* de Accusationibus approbaverit Sacerdotem quemdam ab Ecclesia illi commendata fuisse amotum, non ea tantum causa fuit quod nullo capto somno Missam celebrasset, sed quod nondum vinum obdormivisset, atque adhuc ebrius celebrasset, quod ex ea Pontificis epistola colligitur, quemadmodum advertit Natal. Alexander Theolog. Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacram. Euchar. cap. 5. §. 2. n. 3. & consentit Theophilus Raynaudus tom. 16. pag. 14. n. 33.

Præceptum de jejunio ante Eucharistiæ sumtionem non admittit materiæ parvitatem.

3. Naturale appellatur hujusmodi jejunium. Pasqualigus in Praxi jejunii decis. 440. in eam videtur esse opinionem propensus, ut in jejunio naturali locus esse possit parvitati materiæ, ita ut non nisi venialiter peccet qui post mediam noctem sciens prudens pauxillulum comederit, & postero die ad Communionem suscipiendam accedat, aut Missam celebret. Mirati vehementer sumus eum Pasqualigo concordare Gibertum Consultat. Canonic. de Sacramentis, Consultat. 14. de Eucharistia. Singularem hanc sententiam plerique omnes rejiciunt, ut videre est in Collat. 16. Lucionensi q. 6. pag. 590. & seq. tom. 5. & apud Quartum ad Rubricas Missalis par. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 1. & dub. 4. Sane Rubrica Missalis ita præscribit: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumtionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi per modum etiam medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare*: & in Can. *Nihil* 7. q. 1. ita statuitur: *Nullus post cibum potumve quantumlibet minimum sumtum Missas facere præsumat* &c. *Si quis hæc temerarie præsumserit, excommunicationis sententiam sustinebit*. Præterea docet S. Thomas 3. par. q. 80. art. 8. ad quartum: *Neque post assumtionem aquæ, vel potus, vel etiam medicinæ in quantacumque parva quantitate licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, aut non nutriat, aut per se, aut cum aliis*. Quænam igitur esse potest ratio, quamobrem admittatur in naturali jejunio parvitas materiæ, cum præsertim Canon etiam in casu parvitatis materiæ excommunicationis pœnam irroget, quæ pœna non nisi peccato gravi infligitur? graviter autem peccare eum, qui vel minimum cibi, vel potus sumserit post mediam noctem, & die sequenti communicet, communi sensu omnes Fideles existimant.

Qui in die Nativitatis Domini in prima Missa ablutionem sumserit imprudens, non potest reliquas Missas celebrare. Falsa quorundam interpretatio doctrinæ S. Thomæ rejicitur.

4. Excusa ab hoc præcepto parvitate materiæ, sunt qui putant, Sacerdotem, & multo magis eum, qui animarum curam habet, posse die Nativitatis Christi Domini, si in prima Missa ablutionem imprudens sumserit, duas reliquas celebrare. Hanc qui tuentur sententiam, doctrinæ Divi Thomæ paulo ante a nobis allatæ se dicunt inniti, qui docet Sacerdotem, cui post Consecrationem in mentem veniat, se non esse jejunum, debere Missam perficere; neque silent scandalum, quod oriretur in Populo, si Sacerdos duas reliquas prætermitteret. Sed eum valde confidentem esse oportet, qui S. Thomæ doctrinam, quæ est de eo, qui Missam inceperit, ad eum extendat, qui duas vult celebrare: ac jejunii naturalis hostem jure illum existimaveris, qui affirmet, vitandi scandali causa posse Sacerdotem, sumta ablutione, jam non jejunum secundam celebrare Missam, & tertiam. Nemo enim esse potest, qui scandalum patiatur, gnarus Sacerdotem ideo reliquas duas Missas non celebrare, quod imprudens in prima Missa jejunium fregerit, ut bene monet Pontas loc. cit. cas. 3. Innocentius Tertius in cap. *Ex parte* de Celebrat. Missar. præcipit, ut Sacerdos post Communionem sumat ablutionem, nisi tamen alia sit ei Missa celebranda, quam non debet celebrare, si in prima Missa ablutionem hauserit: *Semper Sacerdos vino* (manus) *perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum; nisi eadem die aliam Missam deberet celebrare, ne si forte vinum perfusionis accideret, celebrationem aliam impediret*.

Reliquiis quæ dentibus vel gutturi inhæserint, jejunium non rumpitur.

5. Statuendum igitur, id non licere; neque quod supra dictum est, in jejunio naturali parvitati materiæ esse locum. Illud tantummodo detur, non frangi naturale jejunium, si exiguæ aliquot cibi reliquiæ dentibus vel gutturi hærentes, post mediam noctem forte deglutiantur; quia tunc non cibi, sed salivæ modum & rationem habent; vel si cui mane, dum sibi os lavat, per imprudentiam gutta aliqua aquæ in stomachum prolabatur. *Si reliquiæ cibi remanentes* (sunt verba Rubricæ Missalis) *in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendo si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem*.

Ea de re Rubricæ verba.

Ea Rubrica nititur doctrinæ S. Thomæ.

6. Hæc rubrica nititur doctrinæ S. Thomæ, cujus ea sunt verba 3. par. q. 80. art. 8. *ad quartum: Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumtionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest*. Et cum eo sentit S. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 8. Digna sunt quæ observentur ea Rubricæ verba, *cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ*; eaque D. Thomæ verba etiam consideranda, *si casualiter transglutiantur*. Cardinalis de Lugo de Sacram. Eucharist. disput. 15. sect. 2. n. 36. docet, jejunium solvere, qui e dentibus lingua aliquid extraheret reliquiarum, nec expueret, sed voluntarie deglutiret; quæ opinio sane melius cum ea reverentia congruit, quam tantum Sacramentum postulat, & cum D. Thomæ doctrina; neque tamen desunt, qui negent hoc modo frangi naturale jejunium, ea ratione, quia id, quod deglutitur, est antecedentis cœnæ complementum, non nova comestio. Qui vero, antequam se somno dederit, aliquid sacchari sibi in os injiceret, quod paullatim liquescens in stomachum delaberetur, is profecto jejunium solveret. Vide Quartum ad Rubricas Missal. par. 3. tit. 9. sect. 1. difficultat. 2. Contra jejunium non frangeret, qui lingua aliquid degustaret, ut saporem probaret, nec deglutiret, sed statim expueret, ut docet S. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 7. §. 8. *De his etiam, quæ sumuntur per modum gustationis, sicut tabernarii & coqui faciunt, qui cibum & potum supra linguam ponunt ad probandum, & statim projiciunt, videtur, quod non impediat Communionem* &c. *Ex decentia tamen debet quis a talibus abstinere, qui vult communicare*. Sylvius 3. par. q. 80. art. 8. ea omnia quæ supra diximus confirmat; ac de eo, qui aliquid degustet probandi saporis gratia, hæc scribit: *Idem judicium est* (scilicet non rumpere jejunium) *de vino, vel de condimen-*

Alii casus afferuntur quibus naturale jejunium non rumpitur.

mento, quod ad percipiendum saporem gustatur, & statim expuitur: quamvis enim contingat aliquid ejus permixtum salivæ cum ea deglutiri, non solvit jejunium: solvitur tamen, si ex proposito sumeretur, etiamsi is qui sumpsisset, mox evomeret, quia esset vera comestio, vel bibitio, scilicet, trajectio cibi, vel potus in stomachum propria & per se actione vitali. Si vero solum intrasset in asperam arteriam, & statim expueretur, hoc non esset deglutire, neque pertineret ad comestionem, cum ex eo non nutritio, sed potius suffocatio sequi nata sit; & propterea non solveret jejunium.

An possit Eucharistiam sumere, qui dubius est, an sit jejunus.

7. Disputant Theologi Casuistæ, an possint Eucharistiam sumere qui sunt in dubio, num fregerint jejunium. Quidam inspiciendum docent cujusmodi illa sit dubitatio: nam si quis certo sciat, se comedisse, sed dubitet, an post mediam noctem comederit, non potest Sacramentum sumere, vel Missam celebrare: secus vero, si non dubitet de tempore, sed duntaxat num comederit. Alii ajunt in neutro casu licere Eucharistiam sumere, vel celebrare. Contra in utroque casu nonnulli arbitrantur licere. Harum opinionum sua cuique est ratio; neque id inficiari possumus. Sed illud prætermittere nolumus, harum opinionum examini locum esse postquam sumta sit Eucharistia, non vero ubi suscipienda sit: puta, si quis Sacramentum acceperit, aut Missam celebraverit, deinde suam ipsius conscientiam explorando in eam incidat dubitationem, comederit nec ne, vel utrum comederit media nocte jam exacta; hoc casu est locus examini, quænam ex iis opinionibus vera sit. Ubi vero nec Eucharistiam sumserit, nec Missam celebraverit, sed in eo sit, ut communicet, vel celebret, si subeat dubitatio, an comederit, vel an media nox prætergressa fuerit, quando comedit, tunc in utroque casu a sumendo Sacramento, & Missa celebranda debet abstinere: ut optime rem hanc decidit Patavinus Clerus in Resolutionibus anni 1708. de Sacram. Euchar. quæst. 2. num. 13.

An ut minister moriendo Viaticum, possit Sacerdos celebrare qui scit, se non esse jejunum.

8. Sed quid dicendum de Sacerdote, qui conscius se non esse jejunum, ad Missam accersitur celebrandam, ut infirmo Viaticum possit ministrari? Eine licebit Missam celebrare? Quæstioni propositæ fidendum respondendum negando: neque enim infirmus præcepto urgetur ad Eucharistiam suscipiendam, quando illi Eucharistiæ copia desit. Deesse autem illii Sacramenti copiam in hoc casu omnino possumus dicere, quo eam non potest cum debita Sacramento reverentia suscipere, & juxta Ritum Ecclesiæ. Quod si quis objiciat posse Sacerdotem gravis peccati reum sine prævia Confessione Missam celebrare, solo elicito contritionis actu, ut possit infirmo præberi Viaticum; respondemus præcepto se expiandi per Sacramentalem Confessionem tunc Sacerdotem obligari, cum ei copia sit Confessarii, & itidem præcepto percipiendi Eucharistiam teneri infirmum, cum eam potest suscipere eo modo, quo decet; præceptum vero jejunii indiscriminatim obligat Sacerdotem, nisi si Pontifex eum dispensaverit ob gravissimam causam vitandi scandalum, quod jure naturæ vitandum sit, ut post Biel, Navarrum, Paludanum, & Victoriam ostendit Sylvius 3. par. q. 80. art. 8. & cum eo consentit Cabassutius Jur. Canon. lib. 3. cap. 5. n. 11.

CAPUT XIII.

De reliquis, quæ servare oportet, ut licite Missa celebretur.

Reliqua ad licitam Missæ celebrationem.

1. SAcerdos, ut licite possit Sacrificium facere, non solum debet esse in gratia & jejunus, sed etiam ab omni censura liber & irregularitate ex defectu, seu delicto: oportet etiam, ut, si Latinus sit, in azymo consecret: Ritum enim tenetur observare Ecclesiæ suæ juxta doctrinam D. Thomæ 3. par. qu. 74. art. 4. idque etiam eruitur ex Decretali Honorii III. in cap. *Litteras* de celebrat. Missarum. Cum enim Pontifex casum Brixiensis cujusdam Presbyteri examinasset, qui, cum nec Hostiæ, neque Calicis haberet copiam, consecraverat in fermentato, & ligneum poculum in Missa adhibuerat, hanc adversus illum tulit sententiam: *Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus, quatenus Officio & beneficio perpetuo ipsum privies.* Præterea ad licite celebrandum, Sacerdos habeat oportet sacras vestes, Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam, & Calicem insuper cum Patena, & Missale; oportet item eum celebrare in Ecclesia, vel in Oratorio ab Ordinario approbato, nisi forte in iis versetur casibus, in quibus diximus supra licere Missam celebrare etiam extra Ecclesiam, vel Oratorium. Necesse est etiam, ut Altare consecratum sit, aut saltem in eo sit Petra sacra, neque ornamenta absint Altaris, Lintea, Crux, Candelæ, & Missam celebret intra præscriptum tempus, hoc est ab aurora usque ad meridiem, juxta ea quæ superius docuimus. Opus est etiam Ministro, nisi forte in iis versetur circumstantiis, in quibus diximus posse etiam sine Ministro celebrari: & si exterus Sacerdos sit, non celebret nisi facta sibi potestate ab Ordinario, in cujus Diœcesi vult celebrare; ac denique observet ea omnia, quæ in Rubricis Missalis præscribuntur. Quæstio est inter Auctores, mortaliterne, an venialiter peccaret, qui in Altari, unde Crux abesset, Missam celebraret. Aversa de Sacrificio Missæ qu. 11. sect. 3. putat, illum graviter peccare. Sed communis opinio est, non nisi venialem culpam illum committere, ut videre est apud Meratum tom. 1. pag. 297.

Sacerdos illicite, sed valide consecraret panem & vinum menſæ apposita sine vestibus sacris &c.

2. Has conditiones omnes requiri, ut Sacerdos licite celebret, docent Cardinalis Lauræa disput. 24. de Sacram. Euchar. art. 2. Tamburinus in toto lib. 1. de Sacrific. Missæ, Clericatus dec. 37. q. 2. sub eodem tit. de Sacrificio Missæ: & in Sacerdotali Romano hæc leguntur: *Sciendum est, quod secundum S. Thomam, & Albertum, & alios Theologos, si omittatur aliquid de his, quæ ad Ritum celebrationis pertinent, quilibet dimittens aliquid tale, puta tempus debitum, Altare tribus mappis coopertum, vestes, & hujusmodi, graviter peccat: nihilominus consecrat, si sit ordinatus, & adsit ejus intentio, & debita materia, & debita forma, sed gravissime peccat, si scienter hoc faciat &c. Etiam sine lumine non debet aliquis celebrare.* Quærit P. Orsi, quem supra laudavimus, dissert. *De Invocat. Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum & Orientalium* pag. 184. num. 6. an valide consecraret Sacerdos, qui super panem & vinum communi mensæ apposita Consecrationis verba pronunciaret nullis indutus sacris vestibus, nullis cæremoniis, nullis precationibus adhibitis, serio tamen agens cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. De illicita Consecratione nulla esse potest controversia: tota difficultas eo redit, an valide con-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

secret. Combefisius, le Quien, & Tutèe statuunt, Consecrationem esse invalidam, eorum opinionem sequuti, qui non Christi tantum verbis, sed Ecclesiæ etiam precationibus panem, & vinum existimant consecrari. Quam sententiam cum idem P. Orsi, ut superius innuimus, everterit, & ipsi cum eo sentiamus, Consecrationis formam in Christi verbis consistere; idcirco statuimus cum eo, ejusmodi Consecrationem illicitam quidem fore, sed validam.

Quomodo recitanda sit Missa.

3. Nos porro etiam Edicto nostro 34. fuse de decentia disseruimus & devotione, qua celebranda est Missa, de temporis spatio, quod in Sacrificio consumi oportet, de licentia Ordinarii, ubi Sacerdotes celebrant, & testimonialibus sui Episcopi; quæ duo si absint, non est illis permittendum ad Altare accedere. Huc itaque illud tantummodo addimus, quod Sacerdos eas preces, quæ dicuntur elata voce, debet recitare *distincte & apposite, non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tum temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit; sed mediocri & gravi, quæ devotionem moveat, & audientibus ita sit accomodata, ut quæ leguntur intelligant; ac Secretas ita debet exprimere, ut & ipsemet se audiat, & a circumstantibus non audiatur:* Sunt verba Rubricæ. Qui legerit cap. 12. par. 2. de studiis Monasticis Mabillonii, is intelliget, quam graviter peccent Sacerdotes, qui preces Missæ aliter recitent. De obligatione observandi Rubricas Missalis fuse scripsit Quartus in Quæstionibus proœmialibus, ubi ostendit vehementer eos falli, qui Rubricas putant esse meras Instructiones & Consilia: diserte enim S. Pius V. in Bulla in principio Missalis posita ait: *Mandantes & districte omnibus & singulis præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut Missam juxta Ritum, modum & normam quæ per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent, ac legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.* Et ipsa communis omnium sententia docet, Rubricas esse leges præceptivas, quæ obligant sub mortali *ex genere suo*, ut loquuntur Theologi: ita tamen ut immunis sit a mortali, qui eas non servet per invincibilem omnimodam imprudentiam, & aliquando etiam propter parvitatem materiæ; ut videre est apud Quartum. Consonant Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 83. sect. 3. & Aversa de Sacrificio quæst. 11. sect. 12. In Rubrica sub titulo *De Ritu servando in Celebratione Missæ* cap. 1. præscribitur, ne Sacerdos Missam prius celebret, quam *saltem Matutino cum Laudibus absoluto*; & in Rubrica de *Defectibus in Celebratione Missar. occurrentib.* inter defectus qui occurrunt recensetur ille: *Si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit*; & in Sacerdotali Romano cap. 80. *Missa privata saltem post Matutinum quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.*

An peccet qui celebrat, non dicto prius Matutino cum Laudibus.

4. Super his Rubricis oritur controversia, utrum qui, quod in iis præscribitur, non servaverit, peccet mortaliter; an vero venialiter: alii in alias abiere sententias, sive quia nonnulli falsum illud sequuntur principium, Rubricas meras instructiones esse & consilia, sive quia alii, etsi eam sequuntur sententiam, Rubricas habere vim legum, ut transgressio *ex genere suo* sit peccatum mortale, tamen partim materiam gravem celebrare Missam non dicto Matutino & Laudibus, partim levem esse arbitrantur. Prima igitur opinio est eorum, qui putant Sacerdotem celebrando Missam antequam Matutinum & Laudes recitet, peccare mortaliter; hanc tuetur opinionem S. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 6. *Missa non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet possit audiri, alias dicendo esset peccatum mortale, quia contra consuetudinem generalem Ecclesiæ.* Favet huic sententiæ Innocentii IV. responsio in causa, quam ad eum retulit Otho Cardinalis Episcopus Tiburtinus inter Archiepiscopum Nicosiæ cum suis Suffraganeis Latinis Episcopis ex una parte, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera: *Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquam Officium matutinale compleverint, non præsumant.* Altera est eorum opinio, qui nullum hic neque mortale neque veniale peccatum deprehendunt. Tertia est eorum, qui non nisi veniale peccatum committi putant. Clericatus decis. 50. de Sacrificio Missæ primam sequitur opinionem, & quinque ac quinquaginta Auctores affert, qui graviter peccare eum existimant, qui perpetuo & quasi ex habituali consuetudine semper Missam celebret, quin unquam Matutinum & Laudes recitaverit. Si sermo sit de Missa Conventuali, videtur peccatum esse mortale eam ante Matutinum & Laudes celebrare; id enim est contra generalem Ecclesiæ consuetudinem. In Missis vero privatis, si qua sit legitima causa, puta si Princeps aut Prælatus Missam expeteret, videri posset a peccato etiam veniali immunis, qui eam celebraret, non recitato Matutino & Laudibus. Si vero absit causa, perdifficile videtur, ne veniali quidem peccato non esse locum, ut observat Meratus ad Gavantum tom. 1. par. 2. pag. 799. Quod si quis nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo, nunquam celebrare, dicto Matutino & Laudibus, tum cum illis quinque & quinquaginta Auctoribus, quos sententiæ suæ suffragatores affert Clericatus, & ex rationibus ab ipso adductis concludi posset, hujusmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Natalis Alexander Theolog. Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacram. Euchar. cap. 8. art. 4. S. Antonini sequitur sententiam, sed declarat, se non reprobare contrariam: profitetur etiam, se nullius peccati reum credere, qui gravibus & necessariis charitatis officiis impeditus, puta administratione Sacramentorum, antequam Matutinum & Laudes Missam celebraret. Grancolas in veter. Sacramentar. Ecclesiæ par. 1. pag. 739. Concilia profert aliquot Provincialia, quæ excommunicationis pœna sancita vetant, ne quis Sacerdos, non recitatis Matutino & Laudibus, Missam celebret. Ea vero sanctione non nisi ille tenetur, qui Synodis illis est subjectus; neque ea potest illud everti quod superius generatim statuimus, & ad singulares circumstantias accommodavimus.

CAPUT XIV.

De defectibus quibusdam, qui interdum occurrunt in celebratione Missæ, & remediis quæ adhiberi debent: ac primo de casibus, quibus Missa intermittitur.

Sanari sufficienter possunt defectus qui occurrunt in Missa. D. Thomæ doctrina.

1. DIvus Thomas 3. par. q. 83. art. 6. proponit examinandum: *Utrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem hujus Sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ observando*; & respondet affirmando, indicans quibus modis occurri iis defectibus possit juxta ea, quæ statuit Ecclesia. Nos S. Doctoris vestigia libenter sectabimur; & quædam alia afferemus, quæ in

Ru-

Rubricis Missalis, & apud moralis Theologiæ Scriptores reperimus.

Qui cœptam Missam aut Consecrationem dimisit, puniendus ab Episcopo: qui potest Consecrationem, incidit in excommunicationem, non tamen ipso jure.

2. Nemini licet cœpta Missa ab Altari recedere, & alii Sacerdoti committere Missam absolvendam. Apertissime id vetat canon *Nullus Episcopus*, de Consecrat. dist. 1. ubi hæc habentur: *Cum vero ingressus fuerit Episcopus aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur; sed qui initium ponit, suppleat usque ad finem; quia scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et can. *Nihil*, 7. q. 1. *Nullus Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere.* Priore canone pœna suspensionis imponitur: *Si quis vero præsumpserit præter quod posuimus, agere, a sacro Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi sit suspensus.* Posteriore pœnæ Excommunicationis: *Si quis hæc temerarie præsumserit, excommunicationis pœnam sustinebit.* Utrum autem impositæ sint hujusmodi pœnæ *ipso jure*, an latam esse sententiam oporteat, ut quis in eas incurrat; & utrum iis pœnis sit locus, quando Sacerdos recedit ab Altari post Consecrationem, an vero etiam si recedat ante Consecrationem, Doctores disputant. Sac. Congregatio semel atque iterum respondit, eas pœnas non esse impositas *ipso jure*, nec locum iis esse, si Sacerdos ante Consecrationem ab Altari sine legitima causa recesserit, ut si recesserit ex impatientia, quod sæpe contigit, ut videre est in resolutione Sac. Congregationis die 16. Decembris 1719. lib. 69. Decretorum pag. 604. in causa Placentina, & in Juvenacensi die 3. Decembris 1735.

S. Congregationis Concilii resolutiones.

Si quis ob deliquium, vel ob mortem Missam abrumpat, continuanda Missa per alium, & facta fuerit Consecratio, ex D. Thoma.

3. Contigit aliquando, & rursus contingere potest, ut Sacerdos, dum Missam celebrat, vel nec opinata morte concidat, vel repentino morbo perculsus animo deficiat, & impediatur quominus Sacrificium possit perficere: quæritur, quid facto opus sit in ejusmodi casibus. D. Thomas loco cit. ait, si hoc ante Consecrationem contingat, non oportere Missam ab alio continuari; si vero facta sit Consecratio Corporis tantum, aut Corporis & Sanguinis, perficiendam esse Missam ab alio; neque relinquendum esse Sacrificium imperfectum.

Sacerdoti qui consimilis, quid præscribat Rubrica.

4. Consonat Rubrica Missalis, quæ ad uberiorem addit explicationem, debere Sacerdotem Missam supplere initio inde sumto, ubi primus Sacerdos desierit; ac si Sacerdos infirmus adhuc vivat, & Communionis sit capax, nec alia adsit Hostia consecrata, debere eum, qui Missam supplet, Hostiam dividere, cujus alteram partem sibi sumat, alteram infirmo tribuat. Doctrina S. Thomæ, & Rubricæ præscriptum innititur can. *Nihil*, 7. q. 1. ubi hæc habentur: *Censuimus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta Mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat Consecrationis expleri Mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri Consecrationem exequi officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis Mysteriis competit, quam aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis; quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur.*

Expenditur Canon Nihil 7. q. 1.

5. Verba textus non videntur obligationem Missæ perficiendæ inducere; qui tamen ea bene expendat, & rationem consideret, perspiciet, præceptum imponi Missæ perficiendæ sub gravi peccato. Ait quidem textus *liberum*; sed ea vox non significat posse, vel non posse, sed potestatem supplendi & perficiendi, etiamsi non una sed personæ duæ sint, quæ actum faciant & perficiant; cum omnes simus unum in Christo propter Fidei unitatem, ut ait textus: *Cum etiam simus omnes unum in Christo, nihil contrarium diversitas personarum format, ubi efficaciam prosperitatis unitas Fidei repræsentat.* Quilibet vero virtute Religionis & zelo divini honoris tenetur quidvis facere, ne gravis adversus Dei honorem & Sacrificium inferatur injuria; magna autem esset irreverentia, si Sacrificium in sua substantia cœptum non perficeretur: quæ sane ratio satis persuadet, gravem & præcisam esse obligationem, ut compleatur Missa, quam qui incœperit, is unam aut utramque speciem consecraverit. Textus Canonici interpretationem dedit Suarez 3. par. tom. 3. q. 83. art. 6. disput. 85. sect. 1. in fine. Ea autem ratio, quam modo innuimus, communis est omnium Casuistarum, ut videre est apud Quartum ad Rubricas Missalis par. 3. tit. 10. sect. 1. n. 1.

Missa morte vel deliquio celebrantis interrupta omnino perficienda.

Quis ille sit, qui teneatur Missam perficere. Primum Sacerdos, qui adest, deinde is qui abest, nec impeditus est; postea etiam impeditus.

6. Cum igitur cœptum Sacrificium supplere & perficere oporteat; examinandum, quis ille tandem sit, cui ejusmodi onus perficiendi incumbat. Certe onus ejusmodi est Sacerdotum; ita ut si Sacerdos reperiri non posset, & adest Laicus, quantumvis paratus & bene dispositus ad suscipiendam Eucharistiam, non posset sumere Hostiam consecratam, multoque minus Sanguinem, nam eo casu Hostia & Calix in Tabernaculo essent condenda, ut bene ostendit Sotus in 4. sentent. dist. 14. q. 1. art. 6. §. *Circa hoc notandum*. Ex Sacerdotibus verò primum illi hoc onus incumbit, qui adest; deinde ei qui abest: primum ei, qui nullo, deinde ei qui aliquo detinetur impedimento; ut fuse differit Pasqualigus de Sacrificio novæ legis qu. 331. & sequen.

An censeatur impeditus, qui non est jejunus.

7. Inter impeditos numerandus Sacerdos, jejunus qui non sit: sed tenetur Sacrificium perficere, si nullus alius existat, qui suppleat; quemadmodum ipsa Rubrica Missalis præscribit: *Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum*: nam major vis est præcepti sive Divini sive naturalis, quo jubentur Sacerdotes servare integritatem Sacrificii, quam præcepti Ecclesiastici de jejunio, ut etiam statuit Concilium Toletanum VII. can. 2. & bene observavit Vuitasse par. 2. de Sacram. Eucharist. q. 9. art. 1. quæsito 5. Canon II. Concilii Toletani VII. refertur a Gratiano in can. *Nihil*, 7. q. 1. quem textum simul, & id quod ipsa præcipit Rubrica, cum expendisset Sylvius 3. par. q. 80. art. 8. hæc scribit: *Si Sacerdos subita ægritudine correptus non potest inchoatam Missam perficere, nec reperitur alius jejunus, non jejunus potest illud absolvere & communicare, si vel una species erat per alterum consecrata.*

De eo disputatur, qui impeditus sit, quod non sit in gratia.

8. Inter impeditos censendus est etiam Sacerdos, qui non est in gratia. Ac de eo duo sunt quæ quæruntur: primum, an teneatur Confessarium quærere, cui peccata confiteatur; & siquidem eum non repererit, debeat contritionis actum elicere, ut possit Missam perficere: alterum, utrum si Confessarium non reperiat, atque actum contritionis elicere frustra connitatur, possit tamen Missam supplere. Sotus, qui putat, nullam esse obligationem Missæ continuandæ, ait, nullum Sacerdotem, qui peccato gravi alligatur, urgeri præcepto vel sese expiandi per Sacramentalem Confessionem, vel actum Contritionis eliciendi, non quod ei ad Altare liceat accedere, & Missam perficere, qui sese peccatis expiaverit, sed quia nullo tenetur præcepto Missæ continuandæ. Nos vero, qui censemus omnino perficiendam esse Missam, contrariæ opinioni subscribimus, quæ statuit, Sacerdotem, qui peccato mortali implicitum animum gerat, teneri Confessarium quærere, & si

non reperiat, contritionis actum elicere, ut Missam suppleat; ut videre est Pasqualigum de Sacrificio Missæ q. 332. Idem Pasqualigus eadem quæstione ulterius progreditur, ac propugnat, debere Missam continuare etiam illum Sacerdotem, qui gravi peccato commaculatum habeat animum, & cum sibi Confessarii copia non sit, frustra studuit contritionis actum elicere: non enim voluntariam inhabilitatem ejus esse, sed involuntariam. Nos vero sententiæ P. Soti subscribimus, qui loco citato scribere non dubitavit: *Faciamus non adesse nisi Sacerdotem concubinarium, qui exiſtit in peccato mortali, qui procul dubio si in peccato Sacramentum sumeret, mortaliter peccaret. Quare nullatenus tenetur in peccato sumere, quia ad peccandum nemo obligatur.* Itaque, nisi quis alius reperiatur Sacerdos, qui ante meridiem possit Missam perficere, putamus posse Hostiam & Calicem condi in Tabernaculo, ut postero die Sacerdos, qui Missam celebret, ea sumat ante ablutionem.

Non est supplenda Missa prætermissa a Sacerdote ante perfectam Consecrationem Hostiæ.

9. Rubrica etiam ita præscribit: *Si Sacerdos ante Consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa.* Ex quibus verbis illud eruitur, quod si Sacerdos aut morbo corripitur, aut moritur, etiamsi Canonem incœperit, Missa prætermittenda est, nec ab alio Sacerdote supplenda, non enim perfici debet Missa, nisi quando Sacrificium substantialiter incœptum sit: præsertim quia in Rubrica sequuntur illa: *Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta Consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur.* Non enim prima verba formæ prolata satis sunt, ut sacrificium dici possit substantialiter incœptum, ut bene super hac re disputat Pasqualigus q. 324. Quod si Sacerdos obierit post consecrationem Corporis, antequam integram protulerit formam consecrationis Sanguinis, Rubrica præcipit, ut alius Sacerdos Missam perficiat, vel super eumdem Calicem proferens integram formam, sumto initio ab illis verbis, *Simili modo postquam cenatum est;* vel proferens integram formam super alium Calicem iis, quæ opus sunt instructum; dein sumat Hostiam, quam primus Sacerdos consecraverit, & Sanguinem quem ipsemet consecerit, subindeque semiconsecratum Calicem bibat, quem Sacerdos morbo correptus semiconsecratum reliquit. *Si vero obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco:* Simili modo postquam cœnatum est; *vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.*

Quid si Hostia tantum consecrata fuerit?

Non est opus ex D. Thoma consecratam Hostiam separare, & rursus alium hostiam deinde Calicem consecrare, ut volebat Innocentius III.

10. Quibus verbis e medio tollitur controversia a quibusdam excitata, qui contendebant, oportere, Sacerdotem, qui supplet, non solum vinum, sed etiam Hostiam consecrare, si Sacerdos, qui Missam incepit, obeat post consecrationem panis, & post non integre prolatam formam consecrationis vini. D. Thomas in 4. sent. dist. 8. q. 2. art. 4. in eam videtur opinionem esse propensus, quæ statuit, in eo casu Sacerdotem debere vinum consecrare, deinde Hostiam jam ab illo primo Sacerdote consecratam sumere & vinum quod ipse consecrarit. Sed tamen nihil detrahit S. Doctor de probabilitate contrariæ sententiæ, in obsequium fortasse Innocentii III. qui lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 22. dubium existimavit, validane, an non esset Consecratio unius speciei sine Consecratione alterius. Angelicis Doctoris verba hæc sunt: *Si Sacerdos impeditur, ut cœptum Missarum officium explere non possit, alius Sacerdos debet explere, quod ille inchoavit &c. Nec aliquid per hoc derogatur unitati Sacramenti, quia omnes unum sumus in Christo propter Fidei unitatem. Secundum tamen Innocentium consultius est, ut illa Hostia jam consecrata seorsum posita, super aliam deinceps totum officium iteretur.* Et cum D. Thoma consentiunt tum Rubrica, tum communiter Doctores omnes, Suarez in 3. par. tom. 3. quæst. 83. art. 6. disp. 85. §. *Tertia Regula;* Franciscus de Lugo lib. 5. de Sacramentis cap. 10. q. 3. n. 48. Quartus ad Rubricas Missalis par. 3. tit. 10. num. 3. sect. 1. dub. 3. §. *Colligitur Secundo*; Pasqualigus de Sacrificio novæ Legis quæst. 324. §. *Secundo colligitur*; & sane ratio est optima. Nam ubi agitur de supplemento, nihil aliud opus est supplere, quam quod defuerit in Sacrificio.

In eandem sententiam D. Thomæ abiit Clerus Patavinus.

11. Res hæc discussa etiam fuit in conventu Cleri Patavini anno 1708. præsertim in eo, qui habitus est mense Julio ejusdem anni, cum secundus examinaretur casus. In eam porro abiit sententiam, quam supra amplexi sumus, scilicet oportere solum Calicem consecrare, si forte Sacerdos, qui celebrabat, post consecrationem panis repentino morbo perculsus est, nec rursus aliam ab eo, qui supplet, hostiam esse consecrandam. Addit autem ibidem, quod cum præscribat Rubrica, *Missam explendam esse ab eo loco, ubi prior Sacerdos desiit*, nisi certum & exploratum habeatur Hostiam esse consecratam, non satis est proferre formam consecrationis, sed incipiendum ab iis verbis, *Qui pridie quam pateretur;* tametsi negari non possit consultius esse ab initio Canonis incipere. In consecratione autem Calicis si Sacerdos e vita sublatus fuerit antequam integram formam protulerit, monet incipiendum esse ab illo loco, *Simili modo*, quemadmodum etiam jubet Rubrica. Si denique constet, utramque speciem fuisse consecratam, sed incertum quanam in parte Missæ Sacerdos morbo fuerit correptus, debere eum ait, qui supplet, incipere ab iis verbis: *Unde & memores Domine.*

Alii casus præter mortem aut deliquium Celebrantis, quibus Missa intermittitur.

12. Præter casum mortis aut inopinati morbi, ex quo qui celebrat Missam perficere non potest, alii etiam afferuntur in Rubricis, alii ab Auctoribus, in quibus cœpta Missa vel imperfecta relinquitur, vel intermittitur. In Rubricis casus proponitur templi, quod vel violatur, vel polluitur, dum Sacerdos celebrat Missam. Alius etiam casus proponitur, cum Sacerdoti celebranti nunciatur prope esse hostes, a quibus immineat Sacerdoti cædis periculum, vel alluvionem, vel templi, seu Oratorii ruinam imminere. Jubent Rubricæ, si templum violetur, vel polluatur ante Canonem, Missam intermitti; si vero post Canonem, perfici: in casu vero vel hostium irruentium, vel imminentis alluvionis, vel ruinæ, ajunt relinquendam esse Missam, nisi facta sit consecratio; post consecrationem vero Sacerdotem debere, ceteris omissis, Corpus & Sanguinem sumere. Videantur Suarez in 3. par. tom 3. q. 83. art. 6. disput. 85. sect. 1. §. *Quarto accidere potest*, Sylvius in 3. par. D. Thomæ q. 83. art. 6. quæsito 2. Cardinalis Toletus Instruct. Sacerdot. lib. 2. cap. 9. n. 9. Quartus ad Rubricas Missal. par. 2. Tit. 3. sect. 2. dub. 6. Pontas in Dictionar. Cas. Consc. verbo *Missa* casu 23. Collat. Lucionen. 16. qu. 3. tom. 5. Qui Auctores nihil amplius afferunt, quam quod præscribit Rubrica; monent tamen Sacerdotem, si non possit sumere Sacramentum, ut secum illud tectum asportet clanculum, qui casus sane videtur commentitius, minus enim opus est temporis absumendo Sacramento, ceteris omnibus vel precibus

Casus violatæ Ecclesiæ, imminentis ruinæ, alluvionis, hostium jamjam irruentium.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bus vel cæremoniis omissis, quam contegendo, & ea, qua æquum est, decentia asportando.

Quid si consecrata hostia, nondum tamen Calice superveniat Sacerdoti mortis periculum ex caribus supra expositis?

13. Ille vero casus non est profecto commentitius, si Sacerdoti, qui consecravit Hostiam, tempus non suppetat Sanguinis consecrandi; ac quæri potest, an ille, nisi periculo prematur vel ingruentium hostium, vel imminentis ruinæ, debeat consecratam Hostiam sumere, & abire; an vero teneatur consecrare etiam Sanguinem, eumque sumere, ne Sacrificium imperfectum remaneat. Durum videtur Quarto, Sacerdotem in ejusmodi occasione teneri etiam Calicem consecrare: neque enim Sacerdos voluit imperfectum facere sacrificium, quod quidem esset intrinsecus & per se malum, sed principio quidem in animo habuit Sacrificium perficere, quamvis gravi & inopinato impedimento detentus non potuerit complere. Cum eo consentit Cardinalis Toletus loco citato; qui tamen monet, Sacerdotem teneri Missam continuare etiam vitæ periculum subeundo, sive consecraverit, sive non consecraverit, si quis Christianæ Religionis hostis in ejus contemtum mortem Sacerdoti minitaretur, nisi Missam relinqueret. Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 3. q. 74. art. 2. disput. 43. sect. 4. §. *Dico ergo primo*, diserte ait, Sacerdotem, qui hostiam consecraverit, nec ipsi tempus suppetat vini consecrandi, posse, sese ut subripiat a periculo mortis, Hostiam sumere; dummodo tamen nullum scandalum oriturum sit, nec Religio in contemtum cadat: in his enim circumstantiis vult Sacerdotem teneri Missam continuare, & Sanguinem consecrare, non modo ex præcepto integritatis sacrificii, sed etiam ex obligatione profitendæ Fidei, & vitandi scandali. Abbas Uspergensis narrat, scelestum hominem Cincium Præfectum Romæ nocte Nativitatis Christi Domini Basilicam Liberianam ingressum, ut erat Henrici Regis fautor, S. Pontificem Gregorium VII. Missam cum Clero celebrantem in capite percussisse; attamen magnum illum Pontificem, licet ita male multatum, ab Altari non recessisse, nisi, quam incœperat, Missa peracta: *Prius tamen Missa ad Altare percantata, quam prius incœperat, sed nondum finierat.* Quod tamen aliter narrat Paulus Berniedrensis cap. 49. & seq. qui refert, non potuisse S. Pontificem Missam explere, vi a satellitibus ab Altari abreptum: *Percussum graviter in fronte graviterque vulneratum, de Missa nondum finita violentis manibus abstraxerunt.*

Quid si templum, dum celebratur Missa, ingrediatur excommunicatus?

14. Si quis superveniat excommunicatus, non qui toleretur, sed qui jam talis declaratus sit, vel notorius Clerici percussor, cum coram eo Missa celebrari non possit, quod diserte prohibetur in Can. *Is qui* de sent. Excommunicat. in 6. & Missa jam incœpta sit, admonendus excommunicatus, ut Ecclesia abeat; ac si fieri potest, etiam pellendus, quod expresse jubet Clement. II. de Sentent. Excommunicat. & si quidem ejici non possit, aut nondum perventum est ad Canonem, seu, ut quidam volunt, ad consecrationem, tunc relinquenda est Missa; aut eo perventum est, & continuanda est Missa, ut docet Sotus in 4. Sentent. dist. 22. q. 1. art. 4. *Hic autem interroget quis forte, quid, si, dum Sacerdos celebrat, hujusmodi excommunicatus ingrederetur Ecclesiam, faciendum esset? Respondetur, cessandum esse, quousque exeat: quod si exire noluerit, expellatur, sine scandalo tamen & percussione; si tamen id fieri non potuerit, & Canon non fuerit incœptus, cessandum omnino. Immo forsan, ut Innocentius insinuat in cap. Nuper, nisi Consecratio incœpta fuerit, cessandum est, quia illic incipit Sacrificium. Facta autem Consecratione, necesse est usque ad sumtionem procedere; quia strictius præceptum est integritatis Sacramenti, quam Excommunicatos excludendi.* Facta autem Communione, reliquum Missæ, si excommunicatus non abierit, continuandum est in Sacristia, aut in alio decenti loco, ut communiter docent Auctores, & quemadmodum videre est apud Suarez de Censuris disput. 2. sect. 1. n. 16.

De quibusdam Missæ interruptionibus, quæ fiunt, & fieri debent.

15. Quædam etiam laudabiliter fiunt, & fieri debent incœptæ Missæ interruptiones, ut cum lecto Evangelio fit Concio, vel cum inter Missarum solemnia quædam populo edicenda sunt ex præscripto Canonum. Sylvius 3. par. quæst. 83. art. 6. quæsit. 3. ait, posse Missam intermitti, si occasio ferat, moriturus ut infans baptizetur: *Ex causa etiam legitima potest Missa interrumpi, seu discontinuari notabiliter, velut ad baptizandum infantem moribundum.* Casum etiam addit, cum quis sine confessione esset moriturus: *Vel ad excipiendam Confessionem infirmi: quorum ille alioquin sine Baptismo, iste sine Sacramento Pœnitentiæ esset moriturus:* & cum extrema unctio opus esset infirmo, cui nullum aliud Sacramentum administrari posset: *Idem judicium est, si extrema unctio foret administranda infirmo, qui aliud Sacramentum non potest recipere*; idemque iterat in Resolutionibus verbo *Missæ interruptio:* quæ omnia ceteri omnes admittunt, ut videre est in citatis Collationibus Lucionensibus. De ejusmodi casibus practice tractat Quartus ad Rubricas Missalis par. 2. tit. 3. sect. 3. cap. 3. qui, si gravis urgeat necessitas administrandi ea Sacramenta, docet Missam sive ante, sive post Consecrationem posse interrumpi; & si quidem facta sit Consecratio, debere Sacerdotem diligentissime curare, ut Sacramentum custodiatur, nisi forte consultum melius existimaverit illud in Tabernaculo occludere; & postquam redierit, Missam inde, ubi eam intermiserat, repetere.

An qui pervenerit ad Offertorium, possit ab initio Missam repetere, populi gratia, vel Prælati, qui Missam non audierit, nec ab alio audire possit.

16. Disputant nonnulli, an Sacerdos qui pervenerit ad Offertorium, possit incœptam Missam rursus ab initio repetere, si aliter Missa careret vel populus, vel Princeps, aut Prælatus aliquis dignitate præstans, nec alia esset Missa, quam quæ incœpta est. Azorius Instit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 32. quæst. 3. putat, intermitti posse Missam, & a principio repeti, id si vir prima rius postulet. Negant alii, propterea quod existimant, id præseferre irreverentiam quamdam erga sacrificium: proinde optime observat Pontas loc. cit. cas. 24. si primam opinionem sequi placeat, superveniente Cardinali, aut Episcopo, aut Principe Civitatis, seu Oppidi, ubi celebratur Missa, ad nullam aliam quamlibet personam id esse trahendum: graves enim hinc orirentur & in personis & in Ecclesiis turbæ & scandala. Natal. Alexander Theolog. Dogmat. & Moral. lib 2. de Sacramen. Euchar. cap. 7. art. 4. omnia quæ hactenus attulimus de intermittenda Missa admittit capita; deinde proponit, *An Missa possit interrumpi, si Episcopus, aut eo major, vel Princeps aliquis adveniat, qui Missam die Festo audire non poterunt, nisi Sacerdos qui eam incœpit, & Evangelium forte, ac Symbolum recitavit, illam ab Introitu incipiat*; & respondet negando: *quia Ordo Sacrificii potior esse debet, quam hominum quavis dignitate conspicuorum commoda, tum quia via pateret abusui*; & provocat ad Mediolanense Concilium, ubi vetitum est, *neve ob eamdem causam* (quæ ea est, quam supra innuerat Natalis Alexander) *Missa inchoata* (Sacerdotes) *subsistant, aut ejus initium repetant.*

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT XV.

De Defectibus qui possunt occurrere vel in pane, vel in vino, vel in forma consecrationis.

De defectibus qui in Missa occurrunt, eorumque remediis.

1. JAm vero de defectibus dicendum, qui in Missa celebranda possunt occurrere, ac de remediis, quæ occasio postulat ut adhibeantur. Itaque defectus possunt occurrere vel in pane tantum, qui consecrandus est, vel in vino duntaxat, quod itidem consecrari debet, vel in utroque simul, vel in aqua quæ vino immiscenda est, si non propter validam, saltem propter licitam Calicis Consecrationem, juxta ea quæ supra dicta sunt, & juxta id quod statuit Tridentina Synodus sess. 22. cap. 7. de sacrificio Missæ, & can. 9. ejusdem sessionis. Potest defectus occurrere in pane, puta si hostia consecranda vel corrupta sit, vel non sit e frumento; quod si accidat, Rubrica regulas proponit, quas oportet adhibere: aut enim Sacerdos ante Consecrationem ejusmodi comperit defectum, nec aliud quidquam opus est facto, quam ut aliam Hostiam triticeam & incorruptam capiat, eamque saltem mente offerat, & Missam continuet: *Si celebrans ante Consecrationem adverterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit:* Aut Sacerdos id advertit post Consecrationem, atque etiam postquam eam ore sumsit, & in eo casu debet aliam Hostiam sumere, offerre, & consecrare, incipiens ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*. Quod si primam illam Hostiam non absumpserit, eam assumat post sumtum Corpus & Sanguinem; si vero priorem hostiam absumpserit, ne prætermittat secundam hostiam sumere quam valide consecravit: major enim vis est præcepti de perficiendo Sacrificio, quam de jejunio: *Si id advertit post Consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumtionem, posita alia, faciat oblationem ut supra, & a Consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, Qui pridie quam pateretur, & illam priorem si non sumsit, sumat post sumtionem Corporis & Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet.*

Si Sacerdos adverat, Hostiam non esse triticeam post sumtionem Hostiæ, aliam consecrat.

Si post sumptionem Sanguinis, iterum novam Hostiam, & novum vinum consecret.

Si autem sumserat, nihilominus sumat eam, quam consecravit, quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur. Aut denique Sacerdos post sumtionem Sanguinis advertit Hostiam vel non fuisse triticeam, vel fuisse corruptam, & tum oportet novum parare panem & vinum cum aqua, utrumque ut supra offerre, & utrumque consecrare, sumto initio ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*; & panem & vinum ita consecratum sumere, ac Missam prosequi. *Quod si hoc contingat post sumtionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis & vinum cum aqua, & facta prius oblatione ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie; ac statim sumat utrumque, & prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo.*

Rejicitur eorum sententia, qui putant, non esse opus novam Hostiam, & novum vinum consecrare, si deprehensa fuerit hostia indebita materiæ post sumtionem sanguinis.

2. Sed quamquam apertissime Rubrica præcipiat quid facto opus sit, nonnemo tamen existimat, cum post sumptionem Sanguinis Sacerdos adverterit, panem non esse ex idonea materia, vel esse corruptum, satis esse si novum consecret panem, quin novum consecret vinum: agi enim de Sacrificio supplendo; ad supplendum autem satis esse præstare, quod defuit. Nos vero non ita fidenti animo sumus, ut a Rubrica recedamus. Duabus de causis decernit Rubrica, apponendum esse novum panem & vinum novum; quarum altera est, *ne Sacramentum remaneat imperfectum*: altera, ut *debitus servetur ordo*. Si non denuo panis & vinum, sed novus duntaxat panis apponeretur, consecraretur, & sumeretur, quis assereret, debitum ordinem fuisse servatum? Ordo enim postulat, prius ut consecretur panis, deinde vinum: quod si non apponatur novus panis, & vinum novum, sed panis duntaxat; Sanguis prius consecratus erit, quam Corpus; & Sanguis prius, quam corpus, itidem sumptus erit, ut bene observat Suarez in 3. par. tom. 3. quæst. 83. art. 6. disp. 85. sect. 1. §. *Atque ex his constat*.

De defectibus qui occurrunt in vino.

3. Potest etiam in vino defectus occurrere, puta si acetum in Calicem pro vino infusum sit, seu quivis alius liquor, qui consecrari non possit. Si quidem Sacerdos id ante Sanguinis Consecrationem adverterit, novum vinum sibi jubeat afferri, idque offerat, & consecret incipiens ab illis verbis: *Simili modo. Debet statim apponere novum vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare incipiendo ab illis verbis, Simili modo*. Hæc sunt verba Rubricæ, quæ jubet idem fieri, si Sacerdos defectum adverterit, postquam consecrationis verba super indebitam & ineptam materiam protulerit. Sed difficultas in eo versatur, si id Sacerdos adverterit *post sumptionem Corporis, vel post sumptionem materiæ ineptæ*. Disputant enim Theologi, num Sacerdos novam Hostiam novumque vinum debeat consecrare incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*; an vero satis sit, si novum sibi vinum apponi jubeat, & consecret incipiens ab illis verbis, *Simili modo*. Atque ut probe intelligatur quid illud sit, de quo disputant, advertendum est, eos, qui sentiunt, Sacerdotem, qui *post sumptionem Corporis*, vel *post sumtionem materiæ ineptæ* ejusmodi defectum compererit, debere novam Hostiam novumque vinum consecrare, nec satis esse si novum consecret vinum incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, omne sententiæ suæ robur ponere in iis precibus, quæ post illa verba, *Simili modo*, consequuntur, quæ preces supponunt præsentiam utriusque speciei consecratæ, *Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ*, & paullo post, *Corpus & Sanguinem sumserimus*: quibus addi possunt etiam quædam actiones, puta signa Crucis, quæ Sacerdos ducit super Calicem dicens, *Per ipsum* &c. & particulæ ex hostia detractæ in Calicem ipsum injectio per ea verba, *Hæc commixtio* &c. Nec quidquam roboris habet ea responsio, scilicet, cum Sacerdos vini defectum adverterit, non proxime post Consecrationem, sed prope sumtionem, jam esse facta Crucis signa ad illa verba: *Per ipsum* &c. & particulam Hostiæ immissam esse in Calicem. Nam præterquamquod hujusmodi responsio locum non habet, ubi Sacerdos vini defectum advertit proxime post Consecrationem panis; id omne quod antea factum est, legitimum haberi non potest: Crucis enim signa ducta sunt cum Hostia valide consecrata super Calicis materiam invalide consecratam. Signa autem omittere non videtur bene consultum.

Quid si Sacerdos advertit defectum post sumtionem Corporis, vel post sumtionem etiam materiæ ineptæ? Rationes ut videantur Sacerdotem debere novam Hostiam & novum vinum consecrare.

Novam Hostiam & novum vinum consecrandum putat in eo casu D. Thomas.

4. D. Thomas, cui, ut supra dictum est, videtur esse satis, Sacerdote morte prærepto post consecrationem Hostiæ, si Sacerdos, qui supplet, Calicem consecret, Missamque prosequatur; in casu de quo nunc agimus, cum Sacerdos vini defectum advertit post sumtionem materiæ ineptæ, quæ continebatur in Calice, diserte docet non satis esse novum vinum consecrare, sed opus esse novam quoque consecrare Hostiam. Ejus verba sunt 3. par. quæst. 83. art. 6. ad quartum: *Si vero hoc perceperit* (ineptam scilicet materiam in

Ca-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Calicem esse immissam) *post sumtionem Corporis, aliam Hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine; quod ideo dico, quia si diceret sola verba Consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi, & sicut dicitur in Canone Toletani Concilii, perfecta videri non possunt Sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a Consecratione Sanguinis, & repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset Hostia consecrata; cum in verbis illis occurrant quædam dicenda & fienda non solum circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Et debet in fine iterum sumere Hostiam consecratam & sanguinem, non obstante etiam si prius sumserit aquam, quæ erat in Calice: quia præceptum de perfectione, vel de perceptione hujus Sacramenti majoris est ponderis, quam præceptum, quod hoc Sacramentum a jejunis sumatur.*

Sententia Soti ac plurium aliorum non nisi novum vinum consecrandum.

5. Scotus, qui non attingit casum, dum defectus occurrit in pane, casum tamen tractat, cum defectus occurrit in vino; ac docet, novam non esse Hostiam consecrandam; sed satis esse si novum vinum consecretur: nullum enim esse textum, rationem nullam, quamobrem nova Hostia consecranda sit, & satis provisum, si suppleatur, quod deest, vinum autem duntaxat id esse quod deest; Ita in 4. sentent. dist. 8. quæst. 3. suæque sententiæ multos sectatores habet. Consentit Suarez loc. cit. sect. 1. §. *Sed circa hanc regulam*; & consentiunt alii, quos refert Palqualigus de Sacrific. novæ Legis quæst. 229. Favet huic sententiæ epistola D. Bernardi 69. quam supra retulimus, nec tamen ulli ex prædictis Scriptoribus commemorarunt. Panem consecraverat, quod supra narravimus, Guido Abbas trium Fontium, cum postea advertit non fuisse vinum a Ministro infusum in Calicem. Ea re perculsus est Guido; ea nihil quidquam aliud quod consilii caperet, ipsi in mentem venit, quam ut infuso vino in Calicem, illuc particulam consecratæ hostiæ immitteret, eamque una cum vino hausto deglutiret. Factum quidem non improbavit S. Bernardus, non quod ad hunc modum consecrari vinum existimaverit, sed quod certe sanctificatum condiderit. Sed tamen non prætermisit S. Doctor innuere, potuisse novum vinum consecrari incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*. Verba illius Epistolæ sunt hæc: *Vinum fudisti in Calicem super Hostiæ sacratæ particulam: laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes, liquorem etsi non ex consecratione propria, atque solemni in Sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu Corporis Sacri &c. Ego autem pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset, quod tibi, vellem ad remedium mali unum e duobus egisse, aut ipsum quod fecisti, aut certe ab illo loco, ubi dicitur, Simili modo postquam cœnatum est, verba sacra iterasse, & sic complesse, quod restabat de Sacrificio.*

Favet huic sententiæ D. Bernardi.

Sotus sententiam D. Thomæ propugnat.

6. Sotus D. Thomæ fidus discipulus in 4. sentent. dist. 13. quæst. 2. art. 6. observat, multa consequi absurda, nisi Sacerdos qui defectum vini adverterit vel post consumtionem Hostiæ valide consecratæ, vel etiam post sumptionem materiæ ineptæ, quæ erat in Calice, novam Hostiam accipiat, eamque simul cum novo vino consecret: aut enim vult sanguinem duntaxat consecrare, & statim sumere, omnibus illis signis Crucis & verbis prætermissis, quæ fiunt & dicuntur a Consecratione Calicis usque ad sumtionem; aut ea omnia vult iterare. Si prætermittenda putet, cum jam antea ea Crucis signa & verba facta & dicta sint, commemoratis Corpore & Sanguine, nemo non videt, quidquid dictum gestumve sit, non fuisse legitimum, ideoque iterandum. Si vero signa & verba, ut æquum esse videtur, iterare velit, cum non amplius præsens sit Hostia consecrata, cujus tamen itidem & Calicis fit mentio: *Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ, &, Quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem sumserimus*, quod denuo geritur aut dicitur, itidem illegitimum est, nisi alia sit Hostia simul cum novo vino consecranda: *Si tamen hoc perceperit post sumtionem Corporis, debet Sacerdos aliam apponere Hostiam iterum consecrandam simul cum Sanguine. Et ratio est, quia vel sufficeret tunc Sanguinem consecrare, & iterum sumere, prætermissis signis & verbis, quæ fiunt a Consecratione Calicis usque ad sumtionem: & hoc non; quia cum in illis tam mentio fiat sanguinis quam Corporis, sequitur, ut quæ illuc usque facta fuerunt, non fuerint legitima, atque iterum sint repetenda. Sin autem repetantur omnia, tum quia Hostia nulla est, pari ratione non fient legitime, quia fieri debent simul super Corpus, & sanguinem, ut vere dicatur, Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutaris perpetuæ, &, Quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumserimus.*

Idem Soti sunt plures adsint, ad evitandum scandalum satis esse novum vinum tantum consecrare.

7. In hunc modum Sotus paraphrasi quadam S. Thomæ doctrinam exponit, quam innuit etiam S. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 6. §. 1. Addit porro Sotus, novam hostiam simul cum novo vino apponere & consecrare, rem esse quidem facilem ei, qui coram uno vel duobus Missam celebret, non tamen si publice celebret, vel coram aliquo inter Primores viro; quo in casu recte posset novum infundere vinum, consecrare, & sumere, idque ad evitandum scandalum: *His tamen non obstantibus, licet, ubi homo privatim coram uno vel duobus celebrat, consultius sit D. Thomæ opinionem servare; tamen ubi in publico, & præsertim coram aliquo Magnate celebraretur, ad evitandum scandalum, & turbationem populi, forte non esset absurdum, ut Sacerdos secreto fingens lotionem sumere, vinum tunc infunderet, & consecraret, & sumeret, nam scandalum excusaret, præsertim cum jam facta fuerint signa super Hostiam, licet non legitime super Calicem.*

Doctrina Soti incerta est in Rubricam a Clemente Octavo.

8. Quæ explicatio magno excepta est plausu, ut videre est apud Azorium tom. 1. Instit. moral. lib. 10. cap. 23. §. *Secunda opinio*. Et Rubrica Missalis, quæ tempore S. Pii V. D. Thomæ opinionem fuerat amplexa, *Si hoc advertat post sumtionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in Calice: offerat utrumque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus*, eandem tempore Clementis VIII. doctrinam retinuit, ea tamen addita Soti explicatione: *Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut supra, consecrare, & statim sumere, ac prosequi cetera*: ea vero verba, *statim sumere*, ostendunt omittendas esse preces, quæ præsentem Hostiam indicant, quæ multos impulerunt ut docerent, non satis esse vinum duntaxat denuo apponere, sed novam hostiam novumque vinum apponi oportere. Silvester doctrinæ D. Thomæ sectator, qui scripsit ante Clementis VIII. tempora, in Summa verbo *Eucharistia*, secundo, num. 14. sine dubitatione ulla docet, Sacerdotem, qui post sumtionem Hostiæ defectum vini adverterit, debere novam Hostiam, itemque novum vinum apponere & consecrare, iisdem adductus, quas supra attulimus, rationibus e D. Thoma depromtis. Verum Sylvius D. Tho-

Thomæ item assecla, qui post Clementis VIII. tempora scripsit, 3. par. quæst. 80. art. 8. alterum ab altero casum distinguit, ut constat ex his verbis: *Si Sacerdos post sumtionem aquæ advertat, Calici non infusum fuisse vinum, sed aquam; tunc etiamsi hoc advertat post sumtionem hujusmodi aquæ, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua; & facta oblatione consecrare, & statim sumere, ac prosequi cetera:* &c. *Si autem Sacerdos secreto celebraret, ubi nullum foret scandali periculum apponenda esset alia Hostia & vinum cum aqua, quæ primum offerri, tum consecrari, ac deinde sumi deberet:* & addit, in priore casu incipiendum esse ab illis verbis, *Simili modo*, & prosequendum usque ad ea; *Unde & memores*; in posteriore autem ab illis: *Qui pridie quam pateretur*.

Si defectus reperiantur in utraque materia panis & vini, dimittenda est Missa.

9. Possunt etiam defectus occurrere in pane & vino, puta si panis non esset triticeus, & vinum vel non esset e genimine vitis, aut esset acetum; quod si accidat, alia via est ineunda. Nam si Sacerdos id advertit ante Consecrationem, afferri sibi jubeat materias idoneas; quæ si non reperiantur, Missam omittat; si vero id advertit post prolata Consecrationis verba, quia invalida est Consecratio, omittat pariter Missam; nihil enim egit, nec quidquam propterea est, quod suppleri oporteat, ut bene observat Aversa quæst. 10. sect. 16. §. 4. Si autem id adverterit post sumptionem utriusque materiæ invalide consecratæ, cum jam jejunus non sit, neque necessitate urgeatur ad Missam celebrandam, recitet ad vitandum scandalum Orationes, quæ Communionem consequuntur, omissis iis verbis, quæ Sacramenti perceptionem significant, ac facta Benedictione ad Populum, legat Evangelium S. Joannis, ut docet Quartus ad Rubricas Missalis par. 3. sect. 2. dub. 4. Sed id quia Sacerdoti multum negotii faceseret, & magis magisque augeretur confusio, consultius esset Missam omittere, nisi forte multitudo adesset Missæ audiendæ: quo casu posset submissa voce Sacerdos preces aliquas recitare, quæ ad illam partem Missæ non pertinerent, & Benedictionem populo impertiri, quæ immista extraneis precibus non amplius esset pars Missæ, ut recte advertit Pasqualigus de Sacrific. Missæ quæst. 300.

Si Sacerdos post Consecrationem advertat, aquam non esse immissam in Calicem, Missam prosequatur.

10. Denique defectus potest occurrere in aqua duntaxat, quæ in Calicem infusa non sit; atque id si advertat Sacerdos ante Consecrationem Calicis, statim eam in Calicem infundat; si vero id advertat post Consecrationem, nihil amplius opus est facto, & Missam prosequatur; aqua enim non est *de necessitate*, nec pertinet ad essentiam Sacrificii. Ita statuunt Rubricæ Missalis, ita docet S. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 6. *ad quartum*, & post D. Thomam Sotus in 4. sent. dist. 13. quæst. 1. art. 6. §. *Quarto contingit*: Gabriel Biel Lect. 88. super Canone vers. *Si vero deprehenderit*: Persicus de Sacerdotis Officio lib. 1. dub. 7. num. 64.

Quid si vinum Sacerdos deprehenderit, vel musca aut aranea in Calicem ceciderit? D. Thomæ doctrina.

11. Monet Cardinalis Gottus loc. cit. quæst. 1. de Sacrificio Missæ dub. 4. §. 3. in fine, Sacerdotibus attente legendum D. Thomam, ut promtum habeant remedium in singulis, qui sibi casus in Missa possunt occurrere, adhibendum. Ejusmodi nos probantes consilium, quæ docet facienda quibusdam aliis casibus S. Doctor, hinc abesse non patimur, ipsiusque verba afferemus 3. par. quæst. 83. art. 6. *ad tertium*: *Si musca vel aranea in Calicem ante Consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, & abluto Calice, denuo aliud vinum poni & consecrandum. Si vero aliquid horum post Consecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in Sacrarium mitti. Si vero venenum ibi deprehenderit esse immissum, nullo modo debet sumere, nec alii dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem, sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari. Et ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in Calicem, & denuo resumere a Consecratione Sanguinis, & Sacrificium perficere.*

Consentit cum D. Thoma S. Antoninus.

12. Consentit S. Antoninus 3. part. tit. 16. cap. 6. §. 3. circa medium; & idem præscribunt Rubricæ Missalis. *Si post Consecrationem ceciderit musca, vel aliquid simile, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finita Missa comburat, & combustio ac lotio ejusmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.* In casu vero infusi veneni Rubrica distinguit, ac jubet Sacerdotem, id si ante Consecrationem deprehenderit, in locum decentem venenatum vinum projicere; si vero id adverterit post Consecrationem, novum vinum debet Sacerdos consecrare, venenatam autem speciem in alium Calicem lino vel stuppa oppletum infundere; ubi tamdiu servanda est venenata species, donec exsiccetur; stuppa vero comburatur, & cineres in Sacrarium demittantur: *Si aliquod venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum, & finita Missa, sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, & tunc stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium projiciatur.* S. Gregorius Turonensis Historiæ lib. 3. cap. 31. scribit, diabolum in hæreticorum mysteriis potestatem habere, in nostris autem ne venenum quidem nocere: quod cujusmodi sit, & quo sensu intelligendum, quæritur; & respondetur, S. Gregorium ad eos respicere, qui in Hostia seu in Calice hausto veneno, ne antidotum quidem voluerunt suscipere, Dei misericordia freti, qui eos a veneno servavit incolumes. Sed hæc exempla sunt, quæ demirari possumus magis, quam imitari: neque enim tentandus est Deus, multique Sanctitate præclari viri, cum se vel in Hostia vel in Calice venenum suscepisse deprehendissent, ea quæ opus sunt adhibuere remedia. Vide Lupum ad Concilium Florentinum sub Victore II. tom. 4. pag. 4. primæ editionis.

S. Gregorius Turonensis explicatur.

D. Thomas asseritur a Soto sibi consentiens in diversis duorum resolutione.

13. Si cui fortasse mirum videatur, docere D. Thomam, si Sacerdos post consecrationem deprehendat esse aquam in Calice, non satis esse, eum novum vinum apponere, sed etiam debere novam hostiam accipere, & utrumque consecrare; in casu vero, quo Sacerdos post consecrationem Calicis advertat venenum vino immixtum, satis esse novum vinum consecrare, nec aliam consecrare Hostiam; is mirari desinat, omnemque sibi eximat difficultatem, si consideret in primo casu supponi validam fuisse consecrationem panis, & invalidam consecrationem vini; in posteriore casu utramque speciem supponi valide consecratam; ac proinde in primo casu opus esse Crucis signa & verba iterare, quod fieri non potest, nisi nova hostia consecretur; illis autem signis & verbis iterandis nihil opus esse in secundo casu, in quo, cum utraque species valide consecrata fuerit, signa & verba suum significatum obtinuerunt: quæ doctrina est Soti in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 6. *Quod si arguas*: *in solutione proxima dictum est, quod si venenum in Calice*

lice

lice deprehenditur etiam sumto Corpore, satis est vinum iterum consecrare, & statim sumere: ergo pari modo dum reperitur esse meram aquam: negatur consequentia, quia ubi erat venenum, erat legitima consecratio: quare verba, & Cruces non erant repetenda, quia legitime fuerant facta. Ubi vero est mera aqua, nunquam fuit Sanguis cum Corpore. Scotus ait, satis tunc esse vinum tantum consecrare & sumere sine signis & verbis; quia illa non sunt de essentia Sacramenti. Respondetur autem, quod licet non sint de essentia, sunt tamen de præcepto Ecclesiæ, & plurimum habentia significationis & mysterii: & ideo dum commode servari possunt, servanda sunt.

Alii practici casus habet Rubrita, ad quam remittitur Lector.

14. Quidam alii casus practici habentur explicati in Rubricis, ut si ante consecrationem, vel ante oblationem Hostia deprehendatur fracta, si hostia vel e Sacerdotis manu frigore rigente, vel ob ejus imprudentiam delabatur in Calicem, si per hiemem sanguis reperiatur in Calice gelu concretus, si Sacerdos Sanctissimam Eucharistiam evomuerit; quibus casibus suum cuique consilium est, quod capi oportet, ut videre licet in Rubricis, quo Lectores remittimus. Nunc vero eos defectus persequemur, qui occurrere possunt in forma Consecrationis, & in applicatione Sacrificii, & quid in unoquoque casu remedii sit adhibendum,

Non anxie laborandum in quibusdam casibus resolvendis.

docebimus. Sed antequam eo veniamus, sedulo illud monendos censemus, qui hæc legerint, quemadmodum laudabile consilium est prospicere casibus, qui in Missæ Sacrificio possunt occurrere, & animo præparatum habere, quid in illis facto opus sit, præsertim in iis, quæ ad panem & vinum & ad species Sacramentales pertinent, quod egregie præstiterunt Rubricæ; ita periculosissimum esse, casus sibi comminisci, & de iis longos instituere sermones: res enim est gravissima, quæque fenestram impiorum irrisionibus in tremendum Mysterium aperuit. Satis ea sunto, quæ scripsimus; iisque responsionibus quisque acquiescat, quibus viri doctissimi excitatas ab impiis difficultates sustulerunt. Origenes in Matthæum eos increpat, qui Christi corpus in os nostrum immissum inde exire putabant, unde ceteri corporales cibi. Fuere, qui Græcis, ut eorum disciplinam impugnarent per quadragesimam non consecrantium, Stercoranistarum errorem exprobrarunt, quasi existiment Græci, sumto pane consecrato rumpi jejunium: perspectum est enim, idcirco eos in diebus jejunii Præsanctificatum panem sumere, nec panem consecrare, quia magnum festum est Sacrificium facere, summumque in Ecclesia gaudium significat, quod tempore luctus & tristitiæ minime convenire arbitrantur. Vid. Grancolas in Veter. Sacramentar. Ecclesiæ par. 2. edit. Parisien. ann. 1699. pag. 195. ubi agit de Stercoranistarum errore. Sed hæc hactenus. Vir probus & pius contentus esto verbis Innocentii III. lib. 4. Myster. Missæ cap. 16. *Ne scias ultra quam oportet; sed sapias ad sobrietatem.* Nunc vero ad ea, quæ proposuimus, deveniamus.

De defectibus qui occurrunt in forma consecrationis.

15. Quod attinet ad formam, repetendo ea quæ supra dicta sunt, formam videlicet Consecrationis panis in illis verbis consistere: *Hoc est Corpus meum*, & formam Consecrationis Calicis in illis: *Hic est Calix sanguinis mei*, dicimus cum Theologis, si Sacerdos vocem illam *enim*, quæ in utriusque speciei Consecratione profertur, omittat, eum non quidem invalide, sed illicite consecrare; si quidem illam sciens & prudens omitteret: ea enim vox continuat verba Consecrationis cum præcedentibus verbis, & ex antiqua Romanæ Ecclesiæ consuetudine in Consecrationis formam injecta est, juxta D. Thomæ doctrinam 3. par. q. 78. art. 2. *ad quintum*. Idem dicendum de voce, *est*; ea enim subintelligi potest, quantum ad consecrationis validitatem pertinet. Si loco vocis, *Hoc*, dicatur *Istud*, valida quidem, sed illicita erit Consecratio: secus vero si diceretur *illud*; non solum enim illicita esset Consecratio, sed etiam invalida: nam *istud* rem præsentem significat, secus vero *illud*. Item invalida esset Consecratio, si quis diceret, *Hic est Corpus meum*, ut *Hic* esset adverbium: non enim exprimeretur Transubstantiatio; secus autem si per Grammaticæ errorem diceretur *Hic* pro *Hoc*. Supra disputavimus, an verba, quæ consequuntur ea, *Hic est Calix sanguinis mei*, usque ad illa, *Hæc quotiescumque feceritis &c.* pertineant ad essentiam, ac nos propensos declaravimus in eorum sententiam, qui statuunt, essentiam consistere in illis, *Hic est Calix Sanguinis mei*, cetera ad integritatem pertinere. Si quis autem Sacerdos proferat verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, ac ceteris omissis, continuet orationem cum illis, *Hæc quotiescumque &c.* certissimum quidem est illum gravissimum peccatum committere: non est autem ita exploratum, propter gravem, quæ adhuc viget inter Theologos, controversiam, consecrata ne sit, an non, vini species. Quapropter Natalis Alexander Theologiæ Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacram. Eucharist. cap. 1. art. 4. regula 3. docet, super novum vinum iteranda fore *sub conditione* Consecrationis verba omnia & singula, ut sunt in Canone Missæ; ceterum religiosa veneratione Sacerdoti sumendam esse speciem, super quam protulerit sola verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*: majus enim esse periculum in contemtu & abjectione speciei consecratæ, quam in veneratione speciei non consecratæ, quæ tamen bona fide consecrata existimatur.

Prudens D. Thomæ doctrina adversus metum & scrupulos Sacerdotis, qui se aliquid dubitet omisisse.

16. D. Thomas 3. par. q. 83. art. 6. *ad quintum*, ut omnes evellat scrupulos, qui interdum Sacerdotis animo obortuntur, cum scilicet dubitat, an aliquid omiserit, monet eum qui attente persequitur animo ea quæ dicit, etiamsi non recordetur se dixisse quæ dicenda sunt, ne turbetur animo, sed Missam prosequatur. Monet etiam illum, si probabiliter sciat, se aliquid omisisse, ut idem faciat: dummodo quod sibi videtur omisisse, non sit *de necessitate Sacramenti*: quod si exploratum sibi fiat, se aliquid eorum omisisse, quæ sunt *de necessitate Sacramenti*, cujusmodi est forma Consecrationis, debet illud proferre, ac reliqua omnia juxta ordinem iterare, ne Sacrificii ordo immutetur. Et Suarez 3. par. tom. 3. q. 83. art. 6. disp. 85. Sect. 1. omnem hanc doctrinam in hæc verba satis bene compegit: *Si omissum est aliquod verbum essentiale, vel talis facta mutatio, quæ necessarium formæ sensum abstulerit, iteranda est consecratio vel in utraque forma, si in ambabus talis defectus acciderit, vel solum in una, si in ea tantum inventus fuerit defectus.*

CAPUT XVI.

De concelebratione cum Episcopo ordinante vel consecrante; ubi etiam de applicatione Sacrificii.

De concelebratione Presbyteri recens ordinati cum Episcopo ordinante, & Episcopi consecrati cum Episcopo consecrante, & omnium Sacerdotum apud Græcos cum Episcopo.

1. IN Pontificali Romano, ubi agitur de Ordinatione Presbyteri, præscribitur Episcopo, ut lente & voce paullulum sublata recitet Secretas, ut is, qui initiandus est, eadem verba cum Episcopo proferat, præsertim verba Consecrationis, *quæ dici debent eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem*. Postquam vero Episcopus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sumsit Corpus, & Sanguinem, Sacerdoti recens Ordinato præbet Corpus: & in eodem Pontificali, ubi agitur de Consecratione electi in Episcopum, præscribitur, ut Episcopus consecrans duas Hostias consecret, quarum alteram ipse sumit, alteram præbet Episcopo consecrando, qui Consecrationis verba eodem tempore profert, quo Episcopus consecrans, a quo suscipit Hostiam, atque etiam partem Sanguinis, qui est in Calice. Apud Græcos in iis Civitatibus, in quibus est unum duntaxat templum, Sacerdotes, quotcumque ii sint, circumstant Episcopum consecrantem, cum eo omnem recitant Missam, & ab eo accipiunt Eucharistiam sub utraque specie, quam consuetudinem Morinus lib. de Ordinat. Ecclesiastic. par. 3. exercit. 8. refert ad tempora Concilii Nicæni. Idem Morinus loc. cit. n. 7. ait, verba Consecrationis solum a principali Celebrante recitari; quod quidem admitti potest, si intelligat principalem celebrantem esse solum, qui elata voce Consecrationis verba proferat; minime tamen, si intelligat a ceteris Concelebrantibus non pronunciari. Quamobrem Juvenin. de Sacramentis dissert. 5. de Eucha. Sacrific. qu. 4. art. 3. propositа quæstione: An Plures Presbyteri Eucharistiam simul consecrare possint: Respondet affirmando, idque probat producta Græcorum consuetudine, quæ etiamnum viget, quamque describit his verbis: *In Urbibus, ubi unum duntaxat est Templum, Sacerdotes, quantus sit eorum numerus, Episcopum celebrantem hinc & inde cingunt, unaque cum ipso totam Liturgiam recitant, ac tandem Communionem sub utraque specie ab ipso recipiunt.*

Plures Presbyteri possunt eandem Hostiam consecrare.

2. De hujusmodi concelebratione & prolatione verborum Consecrationis varias harum rerum Scriptores excitarunt quæstiones, an valida sit, an licita: qui tolli possint, quæ forte oriantur absurda: potest enim contingere, ut quis materiam jam consecratam consecret; vel consecret Corpus, non Sanguinem; ut Ordinatus in prolatione formæ Episcopum Ordinantem prævertat, ideoque Episcopus Ordinans proferendo formam nihil agat; ac propterea suscipiens sub utraque specie Eucharistiam peccet contra præceptum Ecclesiæ.

Quæstiones aliquot super ejusmodi concelebratione.

3. Verum nos ab ejusmodi tractandis quæstionibus abstinemus: nimis enim temerarium eum esse oportet, qui dubitet utrum licita sint, utrum valida, quæ fiunt in ejusmodi disciplina, quam in Ordinatione Presbyteri, & Consecratione Episcopi approbavit Ecclesia. Quod luculentius patebit, si non modo ad eam respiciamus disciplinam, quam etiamnum retinet Græcorum Ecclesia, de qua paullo ante loquuti sumus, sed etiam ad disciplinam Ecclesiæ Occidentalis, quæ temporibus haud ita abætate nostra remotis tum in Ordinatione Presbyteri, & Consecratione Episcopi, tum etiam in majoribus solemnitatibus, & cum Episcopus celebraret, postulabat, ut Presbyteri una cum Episcopo celebrarent. Vide Morinum cit. exercit. 8. cap. 1. & Lupum in Appendice ad Synodum Chalcedonen. tom. 1. pag. 995. primæ Edit. Testatur Innocentius III. lib. 4. de Sacrif. Missæ cap. 25. ætate sua Cardinales Missam cum Papa celebrare consuevisse. Id adeo absurdum Durando visum est, ut in 4. Dist. 13. q. 3. scripserit, non esse acquiescendum judicio Innocentii, qui eam probaverit consuetudinem; id enim scripsisse non ut Pontificem, sed ut privatum Doctorem. Verum his verbis Capreolus Durandi censuram retudit: *Ad ea vero, quæ dicit contra Innocentium & Ecclesiam Romanam, non oportet respondere: quia temere, & detractorie dicta sunt.* Et Cardinalis Bona Rerum Liturgicar. lib. 1. cap. 18. n. 9. ita de Durando loquitur: *Improbat audacter ac temere hanc consuetudinem Durandus, quem multi e Scholasticis sequuti sunt, rem clarissimam intricatissimis difficultatibus implicantes, quorum aliqui multa fingunt in ea incommoda & pericula, alii negant unquam fuisse ab Ecclesia Romana usurpatam, & quæ prolata sunt priscorum Patrum testimonia, alio detorquent, ac si in Ecclesia nihil unquam factum sit, nisi quod fieri nunc vident. Illos nimirum in varia absurda præcipites egit antiqui Ritus desuetudo, & ex desuetudine ignorantia. Hic ego non disputo, sed constanter affero hunc fuisse morem* (scilicet ut Sacerdotes una cum Episcopo Missam celebrarent) *per plura sæcula, qui in Ecclesia Orientali adhuc viget.* D. Thomas 3. par. q. 82. art. 2. proponit, *An plures Sacerdotes possint unam & eandem hostiam consecrare*: & respondet affirmando, *quia secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum Sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant Episcopo Ordinanti.* Illud etiam S. Doctor observat, Apostolos *Christo cænanti concœnavisse*; & ideo recens Ordinati Missam celebrant una cum Episcopo Ordinante: cum enim Sacerdos operetur & consecret ex persona Christi, nihil interest, unus ne, an plures Sacerdotes Sacramentum consecrent, *quia Sacerdos non consecrat nisi ex persona Christi: multi autem sunt unum in Christo; ideo non refert utrum per unum, aut per multos hoc Sacramentum consecretur.* Et Porrecta ad hunc D. Thomæ articulum observat, non dixisse Angelicum Doctorem Apostolos concelebrasse, sed concœnasse cum Christo: neque enim creati sunt a Christo Sacerdotes, nisi post Consecrationem panis, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: ideoque ait, nullum alium tribui posse sensum D. Thomæ verbis, quam hunc, scilicet novos Sacerdotes ad Apostolorum exemplum, qui cœnavere cum Christo, Missam celebrare, & una cum Episcopo consecrare.

De validitate eorum, quæ fiunt in præsenti disciplina, temerarium esset dubitare. Eadem fuit in Occidente disciplina, quæ est apud Græcos concelebrationis cum Episcopo.

Durandus eum improbans acriter a Capreolo reprehensus.

4. Ricardus in 4. sentent. dist. 13. art. 2. qu. 1. refert quorumdam opinionem, qui statuebant non debere novos Sacerdotes cum Episcopo concelebrantes intentionem habere consecrandi, sed tantum proferre materialiter ac veluti recitando verba Consecrationis in signum acceptæ potestatis, & in memoriam Cœnæ, in qua Christus Apostolis simul discumbentibus eam tribuit potestatem. Cajetanus hujus sententiæ sectator observat, in quodam veteri Pontificali præscribi iis, qui ordinantur, ut *dicant omnia, quæ sunt in Missali, sicut si celebrarent:* ubi vox *sicut* indicat non factum, sed ipsius facti similitudinem; cum præsertim si revera celebrarent, deberent Eucharistiam sub utraque specie suscipere.

Quidam putarunt novos Sacerdotes materialiter tantum debere proferre cum Episcopo Consecrationis verba sine intentione consecrandi.

5. Ad hunc modum fortasse quis crediderit, se ab iis expeditum esse difficultatibus, quas paullo ante attigimus; sed adhuc ea difficultate retinetur implicitus, quæ petita est ex Consecratione Episcopi, qui revera cum Episcopo consecrante celebrat Missam, cum eo utramque speciem consecrat, & sub utraque percipit Sacramentum. Verum licet hanc etiam difficultatem dissimulemus, nihil valet ratio superius allata. Nam in Pontificali præscribitur, ut Episcopus lente & paullum elata voce verba Canonis recitet, ac præsertim verba Consecrationis, ut recens Ordinati possint una cum eo eadem verba proferre; id vero satis indicat, Consecrationis verba non materialiter & *recitative* ab Ordinatis proferenda esse, sed *significative*, ut loquuntur Theologi. *Huic autem monitioni* (Pontificalis) *locus non est, si per eos verba dicantur solum recitative*: sunt verba Sylvii ad art. 2. q. 82. D. Thomæ: quod Sotum etiam vehementer movet in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 2. §.

Refutatur eorum sententia.

Et

Et fateor. Præterea idem Sylvius ait, ex eo quod Ordinati non percipiant Sacramentum ſub utraque ſpecie, non bene inferri, eos non debere veram intentionem habere conſecrandi: ideo enim non recipere Sacramentum ſub utraque ſpecie, *quia ſolum ſunt ſecundarii concelebrantes*. Quod autem etſi ſecundarii, tamen vere celebrantes ſint, ex ipſo ritu probatur: neque enim, antequam novi iſti Presbyteri Sacramentum percipiant, recitatur *Confiteor*, nec *Miſereatur*, nec *Indulgentiam*, ut notat Caſtaldus in Praxi ſacrarum Cæremoniarum lib. 2. ſect. 15. cap. 5. num. 10.

Intentio nonnullorum Sacerdotum dirigenda ad idem conſecrationis momentum.

6. Itaque ſtatuendum eſt, ab recens Ordinatis Conſecrationis verba non materialiter & *recitative*, ſed *ſignificative* proferri debere; ita ut omnium intentio ad idem dirigatur Conſecrationis momentum. Quod non ita intelligendum eſt, ut intentionem habere debeant conſecrandi eodem momento, quo Epiſcopus extrema formæ verba protulerit, ſive ipſi ante, ſive poſtea formam compleverint; formæ enim effectus ſuſpendi non poteſt; ſed intelligendum, eos oportere omne ſtudium adhibere, ut ultima formæ verba proferant una cum Epiſcopo, ea intentione, ut in hunc modum formam conſecrationis perficientes, una cum Epiſcopo conſecrent: ex quo fit, ut ſi ante vel poſt Epiſcopum formam abſolvant, non conſecrent, eo quod non habuerint intentionem conſecrandi, hoc modo abſolventes.

Cajetani tuiſſima ſententia de intentione habenda a recens ordinatis, dum conſecrant ſimul cum Epiſcopo.

7. Id eſt, quod docet Sylvius loc. cit. Sed tutiſſima videtur eſſe Cajetani ſententia, qui monet, ut Ordinati intentionem habeant proferendi verba eo modo quam poſſunt accommodatiſſimo, omne ſtudium & diligentiam adhibentes, ne ea proferant ante Epiſcopum. Et Paſqualigus deciſ. Moral. 422. monet Ordinatos, ut quam poſſunt diligentiſſime proferant Conſecrationis verba cum Epiſcopo, expreſſam intentionem habentes conſecrandi eamdem Hoſtiam, eumdemque Calicem ſimul cum Epiſcopo; idque ſatis eſſe, nec anxie laborandum

Summovenţur abſurda, quæ hinc videtur exiſtere.

de abſurdis, quæ proponunt Doctores: ea enim ſatis ſublata eſſe videri, ſi conſideremus Epiſcopum eſſe præcipuum conſecrantem, Sacerdotes vero ad eandem conſecrationem tanquam acceſſorios concurrere; ac formam, quam ipſi proferunt cum Epiſcopo, moraliter eſſe cum ea conjunctam, quam ipſe profert Epiſcopus: ex quo fit, ut etiamſi Sacerdotes vel paullo ante, vel paullo poſt Epiſcopum formam expleverint, ea tamen cenſenda ſit tanquam prolata moraliter una cum Epiſcopo, ac unam eamdemque conſtituat conſecrationem. Et Innocentius III. lib. 4. de Myſteriis Miſſæ cap. 25. ita rem explanat: *Cum interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, ſi forte non omnes ſimul conſecratoria verba pronuntiant, quæritur, an ille ſolus conficiat, qui primus pronuntiat. Quid ergo ceteri faciunt? An iterant Sacramentum? Poterit ergo contingere, quod ille non conficit, qui celebrat principaliter, & ille conficiet, qui ſecundario celebravit, & ſic pia celebrantis intentio fruſtrabitur. Sane dici & reſponderi probabiliter poteſt, quod ſive prius, ſive poſterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad inſtans prolationis Epiſcopi, cui concelebrant*. Vaſquez tom. 3. in 3. par. D. Thom. q. 82. art. 2. diſput. 219. cap. 4. egregie de hac re diſputat; aitque: *Sacerdotes recens ordinatos & Presbyteros cum Epiſcopo in Eccleſia Græca, & Epiſcopum recens conſecratum cum Conſecrante verba Conſecrationis cum ſufficienti intentione ad conſecrandum proferre debere*; additque omnem diligentiam eſſe adhibendam, *ne Epiſcopum præcipue celebrantem in prolatione præveniant*: demum concludit, ſi forte quiſpiam ante Epiſcopum Conſecrationis ultima verba pronuntiaverit, *nihil fieri contra debitam reverentiam Sacramenti*.

De applicatione Sacrificii.

8. Reliquum eſt, ut quædam dicamus, quæ ad Sacrificii applicationem pertinent. Quæſtio eſt inter Theologos, an applicatio Sacrificii poni poſſint in Dei voluntate, qui ejus fructum applicet, ut ſibi libuerit. In qua quæſtione, ut plerumque fit, alii in alias abeunt ſententias. Sed tutiſſima regula eſt, ut Sacerdos antequam ad Altare accedat, eas perſonas determinet, pro quibus intendit orare, ut illis Miſſæ ſacrificium applicetur. Cum de intentione ſcripſimus, quam Sacerdotem habere oportet Miſſam celebraturum faciendi id, quod Eccleſia facere intendit, optimam docuimus eſſe intentionem actualem; virtualem tamen ſufficere; minime vero habitualem. At intentionem applicandi ſacrificium vulgatior ſententia ſtatuit ſufficere habitualem; applicatio enim eſt quaſi quædam donatio, ſeu translatio fructus, qui e Miſſa percipiendus eſt; quæ donatio ſeu fructus translatio valida eſt; etiamſi multo tempore ante facta ſit, & multis actibus interrupta, dummodo revocata non fuerit.

Intentio applicandi ſufficit habitualis.

In qua Miſſæ parte debeat eam applicare.

9. Denique quæritur, in qua Miſſæ parte applicatio facienda ſit. Quidam putant fieri eam poſſe etiam poſt Conſecrationem, ſed ante ſumtionem. Cujus quæſtionis enodatio pendet ex celebris illius quæſtionis deciſione, in quanam Miſſæ actione ſita ſit Sacrificii vis & eſſentia; quod argumentum ſuperius pertractavimus. Sane Suarez, qui Sacrificii eſſentiam ponit in Conſecratione, monet Sacerdotem, ut Miſſam applicet ante Conſecrationem. Contra Salmanticenſes, qui non in Conſecratione tantum, ſed etiam in ſumtione ſtatuunt Sacrificii eſſentiam, docent, poſſe Sacerdotem etiam poſt conſecrationem Miſſam applicare, quam nondum applicaverit; ut videre eſt tom. 11. Tract. 23. de Euchariſt. diſp. 13. §. 3. n. 35. Verum Sacerdos, ſe ut omnibus expediat difficultatibus, in præparatione ad Miſſam antequam ſacris ſe veſtibus induat, e omittat Sacrificii fructum applicare, ut bene advertit Clericatus de Sacrif. Miſſæ Deciſ. 36. nu. 17. Utiliſſimus eſt Cardinalis Bonæ tractatus aſceticus de Sacrif. Miſſæ; in cujus cap. 1. §. 5. quædam docet, quæ ad applicationem Miſſæ pertinent, præſertim illa: *Optimum quoque aliquibus viſum eſt, quod Sacerdos qui pro pluribus offerre intendit, eos ſpecialiter & nominatim exprimat, non generaliter, & in confuſo, quia ſingulis minus prodeſſet; ſuum enim effectum producit ſecundum modum, quo applicatur: perfectior autem applicatio eſt, cum omnes ſingillatim nominantur*. Docet etiam ad arcendos ſcrupulos, primo debere Sacerdotem fructum ei applicare, pro quo tenetur celebrare vel Beneficii, vel eleemoſynæ, vel promiſſionis, vel alicujus præcipuæ obligationis ratione, deinde ſine illius præjudicio fructum Sacrificii ceteris applicare in charitate ſibi conjunctis, ſeu quovis nomine ſibi commendatis, ſuam ipſius intentionem Chriſti ſummi Sacerdotis intentioni ſubjiciens.

Utrum Sacerdotes cum Epiſcopo celebrantes poſſint accipere eleemoſynam, & Miſſam applicare.

10. De Sacerdotibus Græcis cum Epiſcopo celebrantibus, item de Sacerdotibus Latinis, qui, cum ſuſcipiunt Ordinem, aut conſecrantur Epiſcopi, pariter concelebrant, dudum verba fecimus. Excitatam nuperrime intelleximus quæſtionem, an Sacerdotes Miſſam cum Epiſcopo celebrantes eleemoſynam poſſint accipere, Miſſam ei applicando qui eleemoſynam præbet. Cardinalis de Lugo tract. de Sacramentis diſput. 19. ſect. 12. n. 252. diſerte docet: *quod ſi duo Sacerdotes ſimul conſecrarent unam Hoſtiam, eſſent duæ oblationes, & ſinguli poſſent applicare Miſſam pro diverſis*. Huic ſententiæ ſubſcribere videtur Suarez tom. 3. in 3. par.

par. D. Thomæ q. 83. art. 1. disput. 79. sect. 12. §. *Hic vero potest*. P. la Croix tom. 2. Edit. Venetæ ann. 1722. pag. 137. n. 219. postquam sententiam eorum exposuit, qui putant recens ordinatos Missam juxta intentionem Episcopi, qui celebrans est præcipuus applicare debere, ab hac discedit opinione, aitque Ordinatum quidem non esse celebrantem præceptum, sed tamen revera celebrare, nec ullam esse causam, quamobrem illi adimi possit auctoritas applicandi Missam cui sibi libitum fuerit. Verum pag. 356. §. 3. n. 2323. rursus existimat, non licere Sacerdoti accipere eleemosynam; tum quia qui eleemosynam præbet, Missam solitam ad Altare postulat celebrari, tum quia in controversia positum est, an Sacerdos concelebrans consecret, cum contingere possit, ut ultima Consecrationis verba pronunciet, postquam Episcopus eadem verba omnia pronunciaverit. Sed postremam hanc rationem nullius esse roboris dudum demonstravimus. Primæ vero rationi similitudo inest aliqua veritatis: sed ex ea tamen inferri non potest, Sacerdotes in Ecclesia Græca concelebrantes non posse eleemosynam accipere, & Missam ei applicare, qui eleemosynam præbet; præsertim vero si sacerdotalibus induti vestibus integram recitent Missam, consecrent, & consumant. Difficultas in eo tantum esse potest, an eleemosyna iis liceat accipere, qui usitatis induti vestibus Missæ tantummodo adsunt, & Eucharistiam accipiunt, ut ex quodam Responso intelligitur Gregorii XIII. quod commemorat P. Thomas a Jesu *de Conversione omnium gentium promovenda* pag. 485. & 486. quo casu prohiberi non possunt ab eleemosyna accipienda, modo eam non accipiant titulo applicationis Missæ. In Ecclesia Occidentali, quando Sacerdotes cum Episcopo celebrabant, oblationum erant participes; oblationibus vero cum successerit eleemosyna, facile intelligi potest, ubi etiamnum viget ritus concelebrationis, non posse concelebrantem privari jure suo accipiendi eleemosynam pro Missa ei applicanda, qui eleemosynam præbet, quique præsertim probe est conscius, Sacerdotem eo modo Missam Episcopo concelebrare. Quod si aliter dicamus, Orientalis Ecclesiæ Presbyteri eleemosyna plerumque carebunt.

CAPUT XVII.

Series quorundam casuum, qui Sacerdoti possunt occurrere, cum vel in Missa, vel extra Missam Eucharistiam suscipit.

Particula emittenda in Calicem abrumpi debet ex inferiori parte.

1. NOtum est ante sumtionem frangi hostiam in duas partes, & inde abrumpi a Sacerdote particulam, quæ in Sanguinem immittitur. In ea porro quæstione, in qua quæritur, utrum ea particula abrumpenda sit ex inferiore, an ex superiore Hostiæ parte, opinio tuta & recepta in praxi est, abrumpendam esse particulam ex inferiore parte Hostiæ, ut in fractione minima fragmenta, si qua extiterint, in Calicem decidant, ut bene advertunt Niger in Additionibus ad Ruiz part. 2. §. 8. cap. 12. & Gavantus ad Rubricas Missalis par. 2. tit. 10. cap. 2. Frequenter accidit, ut, Sanguine hausto, particula remaneat fundo Calicis adhærescens: Rubrica autem utrum velint, Sacerdotibus præscribit, ut vel digito particulam trahant usque ad oram Calicis, eamque sumant ante purificationem, vel novum vinum infundant, quod cum particula sumant; qui posterior modus videtur decentior, & usurpatur frequentius: etsi enim potest contingere, ut Sacerdos guttam aliquam vini hauriat, antequam particulam deglutiat; & rumpatur naturale jejunium; tamen Sacerdos jejunus ad Altare accessit, nec nisi coactus reverentia erga Sacramentum, & obligatione illud perficiendi, eo modo utitur ad exrahendam particulam e fundo Calicis, ut observant Averta de Euchar. q. 8. sect. 9. Cardinalis de Lugo de Eucharist. disput. 15. sect. 4. nu. 78. Quartus ad Rubricas Missalis par. 2. tit. 10. sect. 1. num. 7.

Si in sumtione remanent adhærent calici, infundatur novum vinum & cum eo hauriatur.

Quid facto opus sit, ubi Sacerdos advertat reliquias esse post sumptionem fragmenta hostiæ.

2. Nemo etiam est qui nesciat Sacerdotem, sumta Hostia, antequam bibat Sanguinem, cum Patena diligenter fragmenta, si qua sint super Corporale, colligere, & pollice & indice Patenam abstergere, tum ipsos quoque digitos, ne quod iis fragmentum hærens remaneat; idque præscribit Rubrica. Potest accidere, & aliquando sane contigit, ut Sacerdos, sumta purificatione, advertat aliqua esse fragmenta in corporali, vel in Patena: quæritur, quid hac in re Sacerdotem facere oporteat. Cardinalis Cajetanus quodlibet 1. 17. qu. 17. ubi expresse de hac re agit, docet Sacerdoti ea fragmenta esse absumenda. Consentit Sotus cum Cajetano in 4. Senten. dist. 12. q. 1. art. 7. in fine: *Quia totum reputatur unum Sacramentum, nec censetur perfectum, quousque omnes reliquiæ insumantur.* Nec quidquam ex eo commovetur, quod Sacerdos jejunus non sit. Communis enim mos est, ut Sacerdos, si forte palato particula sibi hæreat, paullulum vini absorbeat, quod probabiliter citius trajicitur in stomachum, quam particula. Atque idem Sotus addit, hanc doctrinam locum habere, ubi de parvis fragmentis agatur, secus vero si notabilis esset Hostiæ pars; quam docet non esse absumendam, sed in Tabernacula condendam: *Quare si magnam partem Hostiæ in linteolis post lotionem inveniret, consilium esset eam in Pyxide reservare in crastinum.*

Vel advertit Sacerdos, reliqua esse fragmenta minima, vel non ita parva, vel integram Hostiam.

3. Sed ut rem hanc dilucide pertractemus, distinguendi sunt casus. Nam aut remansere fragmenta minima, vel non ita parva, aut integra superfuit Hostia; qui casus neque commentitius est, nec impossibilis: non enim semel tantum contigit, ut Sacerdos Hostiam unam existimans se consecrasse, deprehenderit se consecrasse duas, idque postquam alteram sumsit & Sanguinem, atque etiam ipsam ablutionem. Si fragmenta remanserint, sive parva, sive magna, etiamsi id adverterit post sumtam ablutionem, ea Sacerdos absumat, ut docet Sylvius 3. par. q. 80. art. 8. ubi ait: *Quando reliquiæ Sacramenti post ablutionem reperiuntur in altari, illæ sive parvæ sint sive magnæ, sumi possunt a Celebrante, quia ad idem Sacrificium spectant, & tota Sacerdotis actio habetur tamquam integra:* atque idem docet de fragmentis, quæ remanent, postquam Eucharistiam in fine Missæ adstantibus ministraverit. *Eadem ratione si post finem Missæ manet in Altari, communicans Fideles, quidam existimant, quod illis communicatis possit eas particulas ex isto Sacrificio restantes sumere, quæ non possunt commode reservari.* Cum qua Sylvii doctrina consentit Rubrica his verbis: *Quod si deprehendat post sumtionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post ablutionem reliquias alias relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.*

In singulis casibus præscribitur quid illi faciendum.

4. Si vero non fragmenta remanserint, sed integra Hostia, consecrata una cum ea, quam Sacerdos jam consumserit, distinguendum est: Aut enim deprehendit Hostiam consecratam antequam Corpus & Sanguinem sumserit, & utramque Hostiam debet sumere, ut præscribit Rubrica: *Si Sacerdos putans se tenere unam hostiam,*

post

post Consecrationem invenerit esse duas simul junctas, in sumtione sumat utramque; Aut id advertit, sumto jam Corpore & Sanguine, atque etiam ablutione, & tunc Hostiam condere debet in Tabernaculo; aut id si facere non possit, eam in Corporali decenter coopertam relinquat, a Sacerdote, qui postea Missam celebraverit, sumendam; aut eam immittat in Calicem, vel ponat in Patena, ut condi possit in Tabernaculo, vel ab alio Sacerdote sumi. Quod si nihil horum illi facere liceat, eam sumat. *Si vero sit relicta Hostia, debet in Tabernaculo reservari, aut in Patena vel Corporali Sacerdoti postea celebraturo sumenda relinqui. Quod si non habeat, quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere, quamvis absumtionem sumserit.* Consentit Rubrica Missalis: *Si vero relicta sit Hostia integra, eam in Tabernaculo cum aliis reponat. Si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo in altari super Corporali decenter opertam sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat. Vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice seu Patena decenter conservet, quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur. Quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipse sumere.* Atque hæc de fragmentis, & de hostia integra: quid autem de parvi moduli Hostiis, quæ integræ sint? Veniuntne sub nomine fragmentorum, an sub nomine Hostiæ? Eorum probamus opinionem, qui statuunt, eas Hostiæ nomine contineri; ita ut si parvi moduli Hostia remaneat, non adhibenda sit regula, quam tradidimus de fragmentis, sed ea quam proposuimus de Hostia integra & consecrata, quam Sacerdos deprehendit post Consecrationem, sumta jam altera, & Sanguine, atque ipsa etiam ablutione. Vide Quartum ad Rubr. Miss. par. 2. tit. 10. sect. 2. dub. 3.

Quid si supersse fragmenta advertat Sacerdos, postquam abiit ab Altari?

5. Casus hactenus expositi pertinent ad Sacerdotem, qui advertat, fragmenta, seu hostiam superesse, antequam abeat ab Altari, ubi Missam celebrat. Quid si advertat, cum jam recessit ab Altari, & jam ad Sacristiam venit; Ea absumere fragmenta non videtur bene consultum; sacrificium enim jam perfectum est; præsertim si Sacerdos id adverterit postquam sacris se exuerit vestibus. Consultius esset ea in Tabernaculo condere, aut Sacerdoti postea Missam celebraturo sumenda reservare; sed hujusmodi remedium interdum non licebit adhibere, vel quod in loco, in quo celebravit Sacerdos, nullum sit Tabernaculum: (nam sacra fragmenta, vel hostiam deferre ad templum, ubi sit Tabernaculum, excitare posset rumusculos in populo); vel quia nemo præsto sit Sacerdos Missam celebraturus. Quid igitur opus est facto? Pontas Diction. Cas. Conscien. verbo *Missa* cas. 4. docet, hostiam, vel fragmenta Sacerdoti esse absumenda, si quod sit irreverentiæ periculum in iis vel reservandis, vel ad Tabernaculum transferendis. Casum hunc expendit Patavinus Clerus in Resolutionibus Moralibus anni 1708. dub. 2. cas. 1. Mensis Decembris, ut videre est apud Zuccherium in ejus sæpe citato opere. Prudenter sapiens ille Clerus, ut solet, Casum hunc resolvit hac adhibita distinctione: Aut Sacerdos id advertit, postquam rediit in Sacristiam, ac nondum sacras exuit vestes, & tunc sumere debet quod ex Sacrificio superfuit: *Sumtio* (sunt ipsius Resolutionis verba) *harum reliquiarum post Missam relictarum est complementum ipsius actionis & Sacrificii, quod moraliter censetur durare, donec concurrant hæc duo, & quod adsint talia fragmenta ex ipso inadvertenter relicta, & nondum sacris vestibus Sacerdos exutus sit, dummodo non studiose, aut aliquo impedimento detentus diu distulerit eas exuere, sed unico contextu, ut fieri solet, ab Altari ad Sacristiam recta perrexerit, & ibi sacræ mensæ reliquias, Paramenta Missæ depositurus, inveniat*: Aut id advertit Sacerdos postquam sacris se vestibus exuit; & tunc si in templo sit Tabernaculum, aut Sacerdos aliquis existat, qui Missam celebraturus sit, quicquid superfuit e Sacrificio reliquiarum, in Tabernaculo est recondendum, aut decenter reservandum, ut ab eo qui Missam celebrabit, absumatur. Si vero Tabernaculum ibi non sit, nec ullus Sacerdos Missam celebraturus, quicquid e Sacrificio superfuit, absumendum est; idque etiam faciendum, licet ibi sit Tabernaculum, si prudentum virorum judicio periculosum esset a Sacristia ad Altare Sacramentum asportare.

In Constantinopolitana Ecclesia, quod consecrati panis superarat, pueris dispertiebatur.

6. Favet huic resolutioni vetus Constantinopolitanæ Ecclesiæ disciplina, quæ commemoratur ab Evagrio lib. 4. cap. 36. ubi tradit, absoluta Populi Communione, si multum consecrati panis superfuisset, morem fuisse ut e Schola innocentes pueri accerserentur, quibus ille panis dispertiebatur comedendus; qui mos etiam tempore Nicephori retinebatur, ut videre est Hist. Eccl. lib. 17. cap. 25. & in Gallias etiam traductus est, ut colligitur ex Can. 6. Concilii II. Matisconensis. Si enim ad arcendum omne periculum irreverentiæ, Eucharistia, quæ superfuisset, ab innocentibus pueris sumebatur, multo potiori ratione reliquias Sacrificii sumere poterit Sacerdos, licet sacris depositis vestibus, ubi nisi absumerentur, periculum esset irreverentiæ.

Guttæ Calici internæ, non vero extrinsecus hærentes, si supersint, consumendæ ut consecratæ.

7. Ut in Corporali & in Patena Hostiæ fragmenta, ita in Calicis cuppa hærere possunt guttæ vini in eum immissi; idque fieri potest, ut Sacerdos advertat, sumta jam purificatione: quid igitur facere oportet? Si guttæ hæreant extrinsecus cuppæ Calicis, habendæ sunt tanquam non consecratæ, & purificatorio abstergendæ; si vero intrinsecus adhærentes reperiantur, etsi quidam putant habendas esse tanquam non consecratas, & extergi posse purificatorio; utpote separatas a Sanguine, qui in fundo Calicis, nec cum eo facientes unum quid; tamen tutius est eas considerare tanquam consecratas, atque absumere per secundam purificationem, ut sentit Pontas loco citato casu 5. & Boucat tom. 5. Theologiæ par. 4. pag. 97. cas. 3.

Non potest Sacerdos Hostiam in Missa consecratam reservare ad Processionem SS. Sacramenti faciendam post Miss. & sumere, quæ conditur in Tabernaculo.

8. Post Missam aliquando fit Processio SS. Sacramenti. Itaque si Sacerdos ad Altare recordetur, Hostiam, quæ est in Tabernaculo, quæque in processione gestanda est, ante duos, exempli causa, menses fuisse consecratam, ac propterea esse renovandam, quæritur, an possit eam quæ est in Tabernaculo sumere, & Hostiam recens a se consecratam recondere in Tabernaculo in Processione gestandam, & negando respondetur cum Sylvio 3. par. q. 83. art. 4. *Peccat autem graviter Sacerdos, qui Hostiam seu formulam unicam in sua Missa consecratam servaret pro Processione, & ejus loco sumeret veterem; quia sic agens non participaret de utraque specie tunc consecrata, ac per consequens non integre compleret sacrificium.* Textus est apertissimus in can. *Relatum* de Consecrat. dist. 2. ubi habetur, non solum de hoc Sacramento, sed etiam de hoc Sacrificio Sacerdotem in Missa fieri debere participem. *Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscitur?* Quid autem Celebranti faciendum sit, dum versatur in ejusmodi casibus, docet idem Sylvius q. 76. art. 1. quæst. 2. *Observandum, quod dum Sacerdos celebrando renovat Sacram Hostiam, non potest reservare eam, quam consecrat,*

fecrat, & illam ſolam ſumere, quæ prius conſecrata fuerat, & reſervata; ſed debet conſecrare duas, quarum unam reſervet, aliam ſumat; quia Celebrans ſemper tenetur ſumere utramque ſpeciem tunc conſecratam, eo quod ſumtio maxime ad integritatem Sacrificii pertineat. Vide Pontas loc. cit. caſu 16. & Cardinalem de Lugo diſput. 19. de Sacramen. Euchar. ſect. 5. nu. 76. ubi imperitos increpat Sacerdotes, qui ſecus faciunt. Et ſane cum Rubrica Miſſalis jubeat, ſi in pane jam conſecrato venenum deprehendatur, novam conſecrari hoſtiam; quiſque intelligit, haud ita bene per Rubricam fore conſultum, ſi liceret ſumere Hoſtiam in alia Miſſa conſecratam. Debuiſſet enim Rubrica præſcribere (ſi liceret Sacerdoti Hoſtiam ab alio Sacerdote conſecratam ſumere) non ut abſolute alia apponeretur Hoſtia, ſed ut inſpiceretur Tabernaculum, ſi forte ibi eſſet Hoſtia jam conſecrata, & ſumeretur.

An Sacerdos, qui in Miſſa non habet hoſtiam juſtæ magnitudinis, poſſit in elevatione oſtendere hoſtiam conſecratam, quæ reſervatur ad Proceſſionem.

9. Et quoniam de Proceſſione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ incidit mentio, proponitur caſus de Sacerdote, qui Miſſam celebrans non habet Hoſtiam juſtæ magnitudinis, ſed Hoſtiam parvi moduli; quæritur autem, an conſecrata ejuſmodi parvæ formulæ Hoſtia, poſſit Sacerdos, ne nova re populum ſuſpendat, ad elevationem populo oſtendere Hoſtiam juſtæ magnitudinis, quæ aſſervatur geſtanda in Proceſſione. Placet quibuſdam, ut utraque Hoſtia tum magna tum parva ſimul junctæ eleventur. Sed conſultius eſt, ut Sacerdos populum inſtruat, doceatque, cum neceſſitas urgeat celebrandi Miſſam, nec ſuppetat niſi parvæ formæ Hoſtia, licere eam conſecrare; ſe in hoc caſu verſari; idque omnibus prædictum velle, ne quiſquam miretur, ſi ad elevationem videat oſtendi parvam Hoſtiam. Qua prævia inſtructione, omnis removetur occaſio ſuſurri, qui ſuboriri poſſet in populo, ſi Sacerdos priori illo modo vellet uti: opus enim illi eſſet Tabernaculum inopportune aperire, & ab Oſtenſorio Hoſtiam amovere; quod ipſe quoque animadvertit Patavinus Clerus dub. 2. caſ. 2. menſis Novembr. ann. 1708. apud Zuccherium in cit. Opere.

Sacerdoti, qui celebrare non poteſt, licet, remoto ſcandalo, ſe ipſum communicare, ſi non ſit alius Sacerdos.

10. De Sacerdotibus extra Miſſam Euchariſtiam ſuſcipientibus perpauca ſunt dicenda. Nam duo tantum quæri ſolent; quorum primum eſt, an extra Miſſam poſſint ſuis manibus ſe ipſi communicare; alterum, an ſacram percipientes Euchariſtiam a Sacerdote celebrante Stolam e collo pendentem deferre debeant. Docet Sylvius, Sacerdotem, qui celebrare non poſſit, ſi nullus alius Sacerdos ſit, qui Euchariſtiam illi exhibeat, poſſe ſuis manibus ſe communicare, dummodo abſit ſcandalum, & præcipua quædam ratio ſit quamobrem Sacramentum percipiat. Idem docent Gonet. tom. 5. de Euchar. diſput. 10. n. 19. Clericatus de Sacram. Euchar. deciſ. 19. Coton. lib. 2. de Sacramentis Controverſia 4. de Euchar. n. 156. & ſeq. Cardinalis de Lugo de Sacr. Euchar. diſp. 18. ſect. 1. n. 28. & ſeq. ubi n. 35. inter juſtas cauſas ponit etiam, ne in ſolemni aliqua Feſtivitate careat Euchariſtia; & conſentit Quartus ad Rubricas Miſſalis par. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 1. ſub titulo: *An poſſit quis aliquando communicare ſe ipſum.* De Cleri Communione Feria V. in Cœna Domini ſcripſimus Inſtituit. 38. edit. Lat. ubi fuſe diſſeruimus de obligatione Sacerdotum ſuſcipiendi a Sacerdote celebrante Euchariſtiam in ea Eccleſia, cui ſunt addicti, ſtolam habentes e collo pendentem. Et Rituale Romanum titulo *de ordine miniſtrandi ſacram Euchariſtiam* ita præcipit: *Sacerdotes vero cum Stola communicent.* Ex quo facile intelligitur, Sacerdotem, qui Miſſam non celebrat, & vult Euchariſtiam ſuſcipere ab alio Sacerdote, ſtolam debere induere; quod nunc uſurpant probi pique Sacerdotes, ut videre eſt apud Clericatum loc. cit. in expoſitione caſus Prudentialis n. 32. & ſeq.

Ceterum debet cum Stola accipere ab alio Sacerdote Euchariſtiam.

CAPUT XVIII.

De Sacerdote, qui in Miſſa adſtantes communicat.

Sacerdos, qui in Miſſa communicare vult adſtantes, ad primum Offertorium Hoſtias parvi moduli locatas in Corporali aut Pyxide offerat cum Hoſtia, quam ſuſtinet in patena.

1. NUnc de Sacerdote dicendum, qui adſtantes in Miſſa communicat; deinde caſus attingemus, cum Euchariſtiam miniſtrat extra Miſſam. Rubricæ Miſſalis præſcribunt ad primum Offertorium, ut Sacerdos ſublata Patena cum hoſtia recitet Orationem, *Suſcipe Sancte Pater*, & ſi quæ ſint aliæ Hoſtiæ parvæ formæ, quæ Populo ſint diſtribuendæ, ponantur non ſuper Patenam, ſed ſuper Corporale, ſeu in Pyxide, quam Sacerdos aperiat, intentionem habens eas etiam hoſtias offerendi, ac deinde pyxidem occludat. Caſtaldus in Praxi lib. 2. ſect. 4. cap. 7. ſingillatim minima quæque perſequitur, quæ in hoc caſu facienda ſunt; quæ huc redeunt, ut hæ quoque parvi moduli Hoſtiæ, quæ vera ſunt materia Sacrificii, offerantur, ponanturque aut ſuper Corporale, aut in Pyxide, nunquam tamen ſuper Patenam, præſertim ſi multæ ſint, ne forte e Patena cum in Offertorio elevatur, delabantur; Pyxis vero, antequam fiat prima oblatio, ſuper Corporale locari debet proxime poſt Calicem; eaſque Sacerdos offerendi & conſecrandi intentionem habere debet: vis enim oblationis & conſecrationis tota, ut alibi diximus, in intentione conſiſtit.

An Sacerdos, ſi Pyxidem Offertorium non aperuerit, Hoſtias ſibi clauſas conſecraſſe cenſendus ſit.

2. Quibus præmiſſis, ſi forte Sacerdoti ante primam oblationem materiæ conſecrandæ Pyxis afferatur Hoſtiarum parvæ formæ plena, quæ populo ſint diſtribuendæ, ut ejuſmodi Hoſtiæ a Sacerdote offerantur, & conſecrentur, quæritur, an qui Sacerdos Pyxidem non aperuerit, intentionem tamen habuerit eas hoſtias offerendi, & ſuo tempore conſecrandi, valide eas conſecraverit: reſpondetur affirmando validam fuiſſe conſecrationem; non tamen licitam: ſiquidem Sacerdos vel per negligentiam, vel per ignorationem earum rerum, quæ ad ejus miniſterium pertinent, omiſit Pyxidem aperire ante Oblationem & Conſecrationem. Et quod ad validitatem pertinet, eo res redit, ut examinemus, an materia conſecranda præſens fuiſſe dici poſſit. Sed de hoc dubitari non poteſt; nam præſens fuit moraliter; ad præſentiam vero moralem non opus eſt, ut tota materia conſpicua ſit, ut cum plures conſecrantur particulæ, quarum Sacerdos ſingulas non videt, ut advertit *Genet. Theolog. Moral. tom. 3. caſu 6.* ſuper Sacrificio Miſſæ. Eodem modo Caſum hunc decidit Sambovius tom. 4. poſtremæ edit. caſu 168. qui notat Sacerdotem ſaltem virtualem habuiſſe intentionem, quæ ſufficit ad validitatem, nam prope Calicem poſuit Pyxidem, etiamſi eam poſtea non aperuerit, neque actu de particulis cogitaverit, quæ in ea continebantur, quando verba conſecrationis protulit.

Quando materia eſſe præſens intelligatur.

Moralis præſentia cognoſcitur, cum verificari poſſunt verba illa, Hoc, & Hic.

3. De præſentia morali materiæ neceſſaria ad validitatem Conſecrationis Theologi diſputant, & docent moralem præſentiam cognoſci, cum verificari poſſunt verba illa formæ vel *Hoc*, vel *Hic*; ex quo negant, poſſe conſecrari materiam, quæ poſita eſſet poſt tergum Sacerdotis, vel quæ abeſſet, ſed menti Sacerdotis eſſet præſens, vel quæ haud ita parum, ſed longe a Conſecrante abeſſet, vel quæ ſejungeretur a Conſecrante per corpus interjectum, quod revera ſeparat, veluti paries, aut quid ſimile. D. Thomas in 4. ſentent. diſt.

dist. 11. q. 2. art. 1. hæc docet: *Non dico quod Sacerdos posset consecrare totum panem, qui est in Civitate simul, vel qui est in foro, quia ipsa forma pronomine demonstrativo utens ostendit, quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote. Unde Sacerdos existens in domo sua non posset consecrare panem, qui est in Altari. Quod etiam non potest de toto pane, qui est in foro, neque de toto vino, quod est in cellario. Sed quantacumque sit quantitas panis & vini, quæ coram Sacerdote proponitur, credo quod possit consecrari ab ipso.* Consentiunt cum D. Thoma ceteri Theologi. Estius in 4. dist. 8. par. 6. *Requiritur*, inquit, *ut materia sit præsens Consecranti. Præsens, inquam, humano more, quo videlicet id præsens dicitur, quod velut in usum humanum assumendum demonstrari possit dicendo: hic est*, Sylvius in 3. par. q. 74. art. 2. *Habenda*, inquit, *tamen est ratio consuetudinis humanæ & judicandum id esse præsens, quod more & usu hominum, seu judicio prudentis viri taliter est positum, ut pronominis demonstrativi prolatione possit demonstrari.* Et Philippus Gamachæus in 3. par. qu. 74. cap. 4. huic principio innixus refellit nostrorum temporum hæreticos, qui calumniantur, juxta nostram doctrinam posse Sacerdotem panem omnem consecrare, qui venali prostet in foro: *Itaque ex superioribus refellitur impia hæreticorum calumnia, Sacerdotem ex mente Catholicorum consecrare simul posse omnes panes, qui sunt in foro, refellitur, inquam, manifeste; non enim homo in foro existens habet moraliter omnia illa sibi propinqua & præsentia, quæcumque in foro sunt, alioqui nec opus ei esset ire de loco ad locum, ut, quod quærit, inveniret.*

An allatæ Particulæ præfatione in ara incepta consecrari possint. An consecrandæ sint consecratæ, si allatæ sint in Pyxide super Altare ante Offertorium, quas non advertens Sacerdos, qui tamen declaraverat in Sacristia se eas consecraturum.

4. Major occurrit difficultas in duobus aliis casibus; quorum primus est, an Sacerdoti Particulas consecrandas & populo distribuendas, Præfatione Missæ jam incepta, sibi allatas liceat consecrare. Alter est, cum Sacerdos Ædituo declaravit in Sacristia, se particulas populo distribuendas consecraturum, & Ædituus Pyxidem attulerit, cum Sacerdos legeret Evangelium, eamque posuerit ad partem Epistolæ, neque id Sacerdos adverterit, quæritur an particulæ censendæ sint consecratæ, & populo sint distribuendæ.

In primo casu, non nisi gravi urgente causa, offerenda sunt mente.

5. Quod attinet ad primum casum scribunt Auctores, posse particulas consecrari, etiamsi allatæ fuerint post primam oblationem, dummodo earum mente fiat oblatio. Quidam affirmant, accipi posse particulas consecrandas, antequam incepta sit Præfatio. Alii idem sentiunt de particulis, quæ afferuntur ante Consecrationem. Sed communis sententia est, & plerorumque firmata consensu, non posse particulas consecrari cum Canon recitari inceperit, etiamsi ageretur de consecranda particula, quæ afferenda esset pro viatico ad infirmum: eo enim casu parva quædam detrahi posset particula ex Hostia Missæ, & reservari pro infirmo. Si Particulæ consecrandæ sint, ut Populo distribuantur, prius offerendæ sunt, ut diximus, saltem mente: cumque earum facienda sit oblatio, cum offertur Hostia Missæ, facile quivis intelligit, Missæ ordinem perverti, si particulæ accipiantur consecrandæ, Præfatione incepta: id porro siquando faciendum est, fieri non debet sine legitima causa, cujusmodi ea esset, si magna multitudo parata ad recipiendam Eucharistiam sacramento careret. Ita Tamburinus in methodo celebrandi lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 8. cujus doctrinam amplexus est Clerus Patavinus in resolutione primi casus mensis Februarii anni 1708. apud Zuccherium.

In secundo casu particula non censenda sunt consecratæ.

6. Quod ad secundum casum attinet de Pyxide, quæ ponitur ad partem Epistolæ, interea dum Sacerdos legit Evangelium, neque id advertit, ubi quæritur; an ex verbis, quæ profert Sacerdos super Hostiam, censendæ sint consecratæ etiam particulæ, quæ sunt in Pyxide, memoria repetendum est, Consecrationem esse faciendam super Petra sacra, ac Sacerdotem valide quidem, sed illicite consecrare particulas positas extra Petram Sacram, si quidem eas consecrandi intentionem haberet. Itaque eo res redit, ut videamus, an præsumi possit Sacerdotem habuisse intentionem particulas consecrandi. Quidam negant posse præsumi Sacerdotem voluisse illicite consecrare materiam locatam extra petram sacram, ut videre est apud Dianam Edit. Coord. tom. 2. lib. 1. resolut. 118. & seq. Aliis contra haud ita durum videtur præsumere eam intentionem consecrandi; etsi enim illicita est intentio consecrandi materiam, quam Sacerdos novit esse extra petram Sacram, non tamen illicita est intentio consecrandi materiam omnem, quæ præsens est, etiamsi incaute in eo loco posita non fuerit, quo eam locatam oportuit. Atque ea est Gamachæi Doctoris Sorbonici sententia 3. par. qu. 75. art. 4. Verum cum Innocentius XI. propositionem illam condemnaverit, *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, quantumcumque ponderis ei sententiæ tribuas, quæ statuit eas particulas esse consecratas, ac Populo eas posse distribui, nihil aliud assequare, quam ut probes eam sententiam esse *speculative* probabilem, quod non satis est in hac re, in qua debemus tutiore uti sententia. Quapropter concludendum est, Particulas non esse Populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia Missa consecrentur, quod prudenter advertit Patavinus Clerus in appendice ad Resolutiones casuum anni 1708.

Si undecim particulæ ex. gr. & Sacerdos decem consecrare intendat, nec has decem determinet, nullæ consecrantur; contra si in eo errore numeri intendat consecrare materiam omnem præsentem, omnes consecrantur.

7. Casus proponitur ejus, qui undecim parvæ formæ Hostias coram se habeat, & decem dumtaxat consecrare intendat, neque tamen determinet decem illas, quas velit consecrare: hic Rubrica advertit deesse intentionem, nullamque ex illis hostiis censendam esse consecratam: *Si quis habeat coram se undecim Hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Quod si Sacerdos hostias, quæ undecim sunt, putat esse decem, sed consecrare intendit materiam omnem, quæ sibi præsens sit, tunc omnes undecim hostiæ consecratæ esse censentur, ut ait Rubrica: *Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratæ.* Quamobrem Rubrica Sacerdotem sedulo monet, ut semper intentionem habeat consecrandi omnes particulas, quas coram se habet: *Atque ita ille Sacerdos talem intentionem semper deberet habere, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.* Doctrinam hujus Rubricæ citat, & sequitur Natalis Alexander Theologiæ Dogmaticæ & Moralis lib. 2. de Sacram. Euchar. art. 3. regula 6. & consonat Senonense Concilium anni 1524. ubi ita decernitur; *Sacerdos plures Hostias consecraturus, intentionem consecrandi referat, super omnes, non se referendo ad certum numerum Hostiarum.* Idem dicendum est, cum Sacerdos insçius duas consecrat Hostias, putans se unam tantummodo consecrare; nam si eam intentionem habet, quam habere debet, consecrandi quidquid habet in manibus, ambas consecrat. Sed si eam intentionem habeat, quam quidem non habere oportet, illam tantum Hostiam consecrandi, quam oculis videt, tunc illa tantum Hostia consecratur. Vid. Salmaticenses

tom. 1. Cursu Morali tract. 5. de Sacramento Eucha. cap. 4. punct. 7. n. 128.

P. Serry subtilitates adversus eam Rubricam contendentis etiam non determinanti decem illis Hostiis, omnes undecim consecratas.

8. Quam supra attulimus, Rubrica parum probata fuit P. Serry in Vindiciis Ambrosii Catharini cap. 14. num. 2. Nam ex ea eruitur argumentum adversus ejus opinionem, quæ decernit, satis esse ad validitatem Sacramenti seriam intentionem externam, etiamsi desit interna, faciendi quod facit Ecclesia; quæ quidem interna intentio tantum deest ad validitatem consecrationis decem Particularum, cum Sacerdos decem consecrat, non determinans ex undecim ante se positis quas consecrare intendat. Quapropter respondet, Rubricas non esse definitiones Ecclesiæ, sed regulas e Theologorum Moralium scriptis depromtas; nec mirandum positam fuisse in Rubricis opinionem in scholis magis receptam; omnes autem undecim Hostias, supra quas serio Sacerdos formam consecrationis protulerit, ex Catharini sententia consecratas esse censeri oportere, etiamsi intentionem habuerit decem tantum consecrandi; Rubricam denique posse ita intelligi, ut non censeantur consecratæ, si externo aliquo signo Sacerdos declaraverit, se non plures quam decem consecrare velle. Sed non est nostrum hujusmodi tricis implicari, qui superius statuimus, ut par erat, necessitatem internæ intentionis ad validitatem Sacramenti. Atque ad ea quæ docuimus confirmanda, pulcram Durandi doctrinam afferemus expositam in Sacerdotali Romano cap. 54. Casum proponit Durandus Sacerdotis, qui decem Hostias consecrare vult, sed intendit omnem materiam, quam coram se habet, consecrare, omnes undecim Hostias consecratas esse, propterea quod consecratio ab intentione, non ab opinione pendeat. Quod si Sacerdos non plures, quam decem intendat consecrare, sive sciat, sive nesciat, Hostias esse undecim, decem esse consecratas, siquidem determinatam habuerit intentionem consecrandi decem determinatas, & non undecimam; nullam vero consecratam esse, nisi undecimam intentione separaverit ab aliis decem.

Distribuenda adstantibus Eucharistia post Communionem Sacerdotis.

9. Ne autem a proposito recedamus de Communione adstantium, quibus Eucharistiam præbeat Sacerdos celebrans Missam, quæritur utrum distribuere debeat Eucharistiam, statim ac ipse eam sumsit, an vero absoluta Missa. Rubrica Missalis præscribit, ut non in fine Missæ, sed proxime post Communionem Sacerdotis fiat Communio adstantium. Consonat Rituale Romanum, dummodo non aliqua interveniat causa, quamobrem ad finem Missæ eadem Communio differenda sit: *Communio autem Populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet; nisi quandoque ex rationabili causa post Missam fit facienda; cum orationes, quæ post Communionem in Missa dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicandos spectent.*

Ex rationabili tamen causa potest distribui etiam post Missam.

Est autem apud Auctores rationabilis & justa causa, si plurimi adessent Missæ, & suspicari possemus, ne aliqui eorum tædio caperentur finem Missæ expectantes, qui finis longe abesse posset, si multi ad Eucharistiam suscipiendam accederent. Ita Gavantus ad Rubricam Missalis par. 2. tit. 10. Quartus ad eumdem locum pag. 345. Clericatus de Sacram. Eucharistiæ decis. 20. Baruffaldus in notis ad Rituale Romanum tit. 24. §. 19. n. 78. & seq. Est igitur regula, ut Communio fiat adstantium post Communionem Sacerdotis; cujus regulæ limitatio est, si justa interveniat causa eam differendi ad finem Missæ. Ex quo apparet, eos errare, qui nullo discrimine post finem Missæ sacram præbent Eucharistiam, ut bene advertit Cardinalis Brancatius in Opusculo de sacro Viatico pag. 157. ubi hæc scribit: *Damnandi nostra sententia videntur Sacerdotes, qui contra Ritualis præscriptum in tit. de Communione, præbent absque necessitate populo Eucharistiam in fine Missæ: privant enim Fideles iis precibus, quas post Communionem Ecclesia recitari jubet, quæque non solum ad Celebrantem, sed etiam ad ceteros Communicantes aperte spectare noscuntur.* Consentit Natal. Alexander Theol. Dog. & Moral. lib. 2. de Sacr. Eucar. cap. 4. Regula 6.; & Thiers tom. 1. tract. de Superstitione cap. 2. num. 8. & seq. Macrus in Vocabulario Ecclesiast. verbo *Communio: Reprehensione*, inquit, *digni sunt ii Sacerdotes, qui Populi Communionem ad finem Missæ differunt: hujusmodi enim abusus est Rubricæ manifesto contrarius; iis enim precibus privant Fideles, quæ dicuntur non solum pro celebrante, sed etiam pro ceteris communicantibus, ut monemur Rituali Romano.* Legi potest Catechismus Montis Pessulani pag. 633. & Pouget tom. 2. Instit. Catholicar. pag. 886. qui eorum Episcoporum zelum collaudant, qui vehementer Sacerdotes hortantur, ut Communionem adstantibus præbeant, postquam ipsi communicaverint, nec ad finem Missæ differant. Quibus & ipsi nos assentimur; & in Actis Ecclesiæ Mediolanensis habentur: *Hoc institutum Parochus servare studeat, ut quod antiquissimi juris est, intra Missarum solemnia post Sanguinis sumtionem præbeat sacram Eucharistiam*: dummodo tamen, quod supra dictum est, admittatur, posse Communionem ad Missæ finem differri, si magna vis hominum communicare velit, ut observat etiam Le Brun tom. 1. pag. 641.

Potest ministrari adstantibus Eucharistia in Missis Defunctorum.

10. Decreto Sacræ Rituum Congregationis anno 1701. vetitum fuit ex Gavanti sententia, ne cuiquam adstantium in Missis Defunctorum Eucharistia præberetur, cujus ea ratio fuit, quod Sacerdos in fine Missæ communicatis intra Missam dat benedictionem, quæ cum non detur in Missis defunctorum, satis movit, ut decerneretur, non esse dandam Communionem adstantibus a Sacerdote Defunctorum Missam celebrante. Sed ea re iterum subjecta examini in eadem Congregatione die 21. Martii 1711. cui nos adfuimus Promotoris Fidei munus obeuntes, Cardinalis Ferrarius graves difficultates voto suo exposuit, quæ in illo decreto occurrebant, ut S. Congregatio vetuerit, ne Decretum illud anni 1701. vulgaretur, aut ejus exemplar aliquod ederetur: quamobrem non est quod tuto quisquam eo Decreto uti possit. Idcirco Cardinalis Fliscus Episcopus Genuensis, qui Secretarii Sacræ Rituum Congregationis munus obierat, in Directorio suæ Diœcesis typis edito anno 1715. ita scripsit: *Proposito dubio in Sacrorum Rituum Congregatione, An liceat in Missis Defunctorum Fidelibus sacram Communionem ministrare: Eadem Sacrorum Rituum Congregatio de anno 1701. respondit negative. Verum quia prædicti Decreti copiam extra dari prohibuit dicta Sacra Congregatio ex notis motivis, & cum constet ex personis de fide dignis, & ex attestatione plurimorum sacrarum Cæremoniarum Magistrorum Romæ degentium, ibi prædictum Decretum non observari; ideo ne Fideles tam salutari & fructifero Sacramento priventur, & attentis præfata suspensione, & prædictis attestationibus, declaratur, quod in Missis Defunctorum Sacra Communio licite ministretur.*

Decretum Sac. Rituum Congreg. an. 1701. inditum, & revocatum an. 1715.

Tridentina Synodus nullo discrimine adstantes declarat se optare ut adstantes communicent.

11. Et sane cum Tridentina Synodus sess. 22. cap. 6. nullo discrimine posito inter Missas vivorum & defunctorum declaret, se vehementer optare, ut adstantes Sacramentaliter communicent; & in Canone, qui recitatur etiam in Missis Defun-

functorum, dicat Sacerdos: *ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumſerimus &c. Hæc commixtio & conſecratio &c. fiat accipientibus nobis in vitam æternam &c.* cumque in Miſſis Defunctorum recitetur Poſtcommunio, & in ipſis Rubricis Miſſalis defunctorum Urbanus VIII. eam addiderit: *Si qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet*, quis negaverit poſſe & debere Miſſæ Defunctorum adſtantibus Euchariſtiam miniſtrari, etiamſi communicantibus dari non poſſit benedictio? quibus profecto uberrima benedictio eſt auctorem omnium benedictionum excepiſſe.

P. Abbas Benvenuti, & P. Meratus hanc quæſtionem pertractarunt.

12. Quæſtionem hanc egregii duo Scriptores Romæ nuperrimæ pertractarunt, quorum altes Abbas Benvenuti Canonicus Lateranenſis anno 1726. Opuſculum edidit, cui titulus, *Sacerdos ad Altare celebrans in Miſſa privata*, ubi Caſum hunc proponit: *An Fideles queant communicare in Miſſis Defunctorum;* & reſpondet ex modo allatis rationibus affirmando, dummodo tamen iis exhibeatur Euchariſtia, quæ conſecrata ſit in Miſſa quam Sacerdos celebrat, non quæ ab alio Sacerdote conſecrata ſit in alia Miſſa, & in Tabernaculo, ſeu in Pyxide recondita; tunc enim ſupponit communicatis dandam eſſe benedictionem, quæ dari non poteſt in nigris indumentis, & in Miſſis Defunctorum. Alter eſt Meratus in egregio Opere ad Gavantum par. 1. tom. 1. pag. 602. & ſeq. ubi ex iiſdem alliiſque rationibus demonſtrat, in Miſſa Defunctorum poſſe ſacram adſtantibus Euchariſtiam diſtribui, nullumque Decretum eſſe Sacræ Rituum Congregationis, cujus habenda ratio ſit. Declarat tamen ſe neſcire, cur in Miſſa Defunctorum diſtribui poſſit adſtantibus Euchariſtia, quæ in eadem Miſſa conſecrata ſit, non tamen quæ in alia Miſſa ab alio Sacerdote conſecrata ſit, & in Tabernaculo, ſive in Pyxide recondita; inter utrumque enim caſum nullam eſſe diſparitatem, novamque omnino eſſe ejuſmodi diſtinctionem nullo fundamento ſuffultam. Videatur idem Auctor loc. cit. cum quo concludendum eſt, poſſe in Miſſis Defunctorum Euchariſtiam, ſive in eadem, ſive in alia Miſſa conſecratam diſtribui, dummodo id nec fiat ante, vel poſt Miſſam, ſed intra eandem Miſſam poſt ipſius Sacerdotis Communionem; præſcribit enim Rituale Romanum, ut extra Miſſam miniſtretur Euchariſtiam cum ſuperpelliceo & ſtola coloris, qui Officio ejus diei, vel coloris albi, ut aliqui cenſent, qui color convenit Sacramento Euchariſtiæ. *Cum requiratur* (ſunt verba Merati) *ſemper vel color conveniens diei, ut præſcribit Rituale Romanum, vel color albus valde conveniens Sacramento Euchariſtiæ, ut multi cenſent Doctores.*

An miniſtrari poſſit in Miſſa nocte Nativitatis Domini Euchariſtia.

13. Tractationem hanc de Euchariſtia adminiſtranda abſolvamus duobus proponendis quæſitis. Primum eſt, an adminiſtrari poſſit in Miſſa, quæ celebratur poſt mediam noctem Nativitatis Domini, an Feria ſexta in Paraſceve, an Sabbato Sancto. Alterum eſt, an adminiſtrari poſſit in privatarum domorum Oratoriis. In Baſilica Vaticana, in cujus Canonicorum numero plures annos fuimus, e manibus Sacerdotis celebrantis nocte Nativitatis Domini recipiunt Euchariſtiam non modo Diaconus & Subdiaconus, ſed etiam omnes Canonici, & Beneficiati, ceterique omnes e Clero, qui non ſunt Sacerdotes. Sed parendum eſt Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quæ vetant, ne ea nocte aliæ duæ Miſſæ celebrentur, neque adſtantibus Euchariſtia tribuatur, propter gravia quæ inde oriebantur abſurda. Vide Clericatum deciſ. 13. caſ. 1. de Sacram. Euchar. Decreta autem ſunt: *Cum ſuperioribus diebus conſulta hac S. Rituum Congregatione, an eſſet permittendum celebrare in media nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis ſacram Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus, reſpondit non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & Sacrorum Rituum Congregatio ipſius auditis cum Procuratoribus & Advocatis, ad relationem Eminentiſſimi Pallotti ſtetit in decretis, & reſpondit iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus. Ita decrevit & ſervari mandavit die 7. Decembris ann. 1641.* Hoc decretum relatum eſt in indice Decretorum num. 282. typis edito poſt par. 2. tom. Operis P. Merati, quem Indicem valde accuratum concinnavit Auctor adhibitis Regeſtis Sacræ Rituum Congregationis. Idem Meratus loc. cit. pag. 853. num. 13. pluribus aliis auctoritatibus & Decretis allatis id ipſum probat.

An miniſtrari poſſit Euchariſtia Feria VI. in Paraſceve, an Sabbato Sancto.

14. Feria ſexta in Paraſceve ne cuiquam, exceptis infirmis, Euchariſtia tribuatur, vetitum eſt Decreto Sacræ Congregationis Rituum die 19. Februarii 1622. quod tamen Decretum in Regeſtis non reperiri teſtatur idem Meratus loc. cit. pag. 1122. num. 78. Certum tamen eſt, non niſi infirmis eo die tribuendam Euchariſtiam, etiamſi in illum diem caderet Feſtivitas Annunciationis B. Virginis, ut loc. cit. obſervat idem Auctor. Celebre tamen eſt Decretum Congregationis Concilii de quotidiana Communione paſſim edito in pluribus libris, quod emanavit die 12. Februarii 1679. quo mandatur Ordinariis, *ut curent, ut circa Communionem in Feria VI. in Paraſceve Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſervetur.* Quod quidem abunde probat prohibitam eo die Communionem, tum quia Rubrica Miſſalis jubet in Miſſa Feriæ quintæ in Cœna Domini aſſervari aliquot particulas pro infirmis, *ſi opus fuerit*, ex quo intelligitur non aſſervari pro ſanis, tum quia juxta Romanam conſuetudinem Feria ſexta non tribuitur Euchariſtia, ut bene obſervat Eminentiſſimus Cardinalis Petra ad Conſtitutionem 20. Eugenii IV. tom. 4. num. 11. Quod autem attinet ad Sabbatum Sanctum, etſi Clericatus deciſ. 15. de Sacram. Euchariſt. conatur probare, nihil eſſe, quo prohibeatur Euchariſtiam eo die miniſtrari; communem tamen exiſtimamus ſervandam eſſe conſuetudinem nullis niſi infirmis Euchariſtiam miniſtrandi: quamobrem Macrus in Vocabulario Eccleſiaſt. Verbo *Communio in Miſſa*, inquit, *Sabbati Sancti non dicitur ea Antiphona, quæ appellatur Communio, quia non fiebat Populi Communio, quæ ne nunc quidem facienda eſſet; quapropter abuſum puto earum Eccleſiarum, ubi Sabbato ſancto miniſtratur Euchariſtia; pluris enim facienda eſt Eccleſia, quam privata Fidelium devotio.* De altero quæſito, an Sacerdos in privato alicujus domus Oratorio poſſit Euchariſtiam miniſtrare, jam diu eſt cum Edicto 14. §. 11. tom. 2. demonſtravimus ex communi ſententia, opus eſſe ſpeciali licentia Ordinarii.

An in privatorum domorum Oratoriis.

CAPUT XIX.

De uſu miniſtrandi Euchariſtiam extra Miſſam.

Uſus miniſtrandi Euchariſtiam extra Miſſam unde & quo tempore profectus.

1. THiers de ſuperſtitione tom. 3. cap. 2. num. 8. etſi candide fatetur; tempore Miſſæ miniſtrandam Euchariſtiam poſt Sacerdotis Communionem, tamen nimium ſuperſtitioſe ſacræ antiquitati eum addictum putat, qui Euchariſtiam

UAB Biblioteca de Ciències Socials

administrari non posse arbitraretur extra Missam. Usus administrandi Eucharistiam extra Missam cæpit Hierosolymæ a S. Cyrilli temporibus: confluente enim magna advenarum multitudine sacram deposcentium Eucharistiam, in Ecclesia Orientali fieri minime poterat, ut quoties distribuendum esset Sacramentum, Missa celebraretur, ut ostendit Mabillonius in Liturg. Gallicana lib. 1. cap. 9. num. 26. & in Commentar. ad Ord. Romanum num. 9. Ab Ecclesia Orientali in Occidentalem ea consuetudo manavit: nec sane potest improbari: publice enim id fieri videmus, & Rituale Romanum tit. *de Ordine ministrandi sacram Communionem* regulas proponit servandas in administratione Sacramenti extra Missam; inter quas ea est regula, quam superius attigimus, ut Sacerdos indutus sit superpelliceo, & Stola ejus coloris, qui conveniens sit Officio ejus dici; & S. Carolus Borromæus I. Concilio Provinciali par. 1. jubet Sacerdotem indui Stola alba, Stola vero rubra, ubi servatur Ambrosianus Ritus: *Superpelliceo, & Stola alba, & ubi Ritus Ambrosianus est, rubra utatur.*

Sacerdos ministrat cum superpelliceo & Stola.

Qui extra Missam in peccato mortali ministrat Eucharistiam, peccat mortaliter.

2. De Sacerdote extra Missam Eucharistiam ministrante proponitur ea etiam quæstio, an Sacramentum ministrans in peccato mortali lethaliter peccet: & quamvis nonnemo contendat, eum non committere peccatum mortale, quia neque Sacramentum conficit, nec quemquam sanctificat, sed tantum applicat Sacramentum, ut gratiam operetur, ut videre est apud Dianam Edit. Coord. tom. 1. tract. 2. resolut. 5. retinenda tamen est contraria sententia, quæ propter summam, quæ tanto debetur Sacramento, reverentiam statuit reum esse gravis Peccati Sacerdotem ministrantem in peccato mortali Eucharistiam; quia, ut eruitur ex can. ultimo 15. quæst. 8. *Mali bona administrando se lædant, & unde aliis commodum exhibent, in se sibi dispendium præbent.* Et sane haud magno mentis opus est acumine, ut quis videat quantopere peccet, quantamque irreverentiam declaret quisquis Deo invisus audet Sanctissimum Christi Corpus temeratis manibus contrectare, ut optime advertit Card. de Lugo de Sacramentis in communi disput. 8. num. 155. D. Thomas 3. par. quæst. 64. art. 6. proponit quæstionem, *utrum mali ministrantes Sacramenta peccent*, & in hunc modum respondet: *Dicendum &c. quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius ministratoris, licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint: consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.* In responsione autem ad tertium illum duntaxat excusat a novo peccato, qui urgente necessitate, administrat in peccato mortali Sacramentum Baptismi: *Sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti: secus autem est in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus.* Idem quæst. 82. art. 9. quærens; an liceat a Schismaticis Sacerdotibus, excommunicatis, aut peccatoribus Communionem suscipere, vel eorum Missæ adesse; docet hujusmodi Sacerdotes non eo modo, quo æquum est, sua potestate uti, eaque abutentes peccatum committere; eum autem qui eum alterius peccato communicat, ejusdem peccati participem fieri: sibi deinde objicit, Sacerdotes licet peccatores, vere Sacramentum conficere; & respondet, quod si refugimus ab iis Sacramentum suscipere, vel eorum Missæ adesse, *non refugimus Dei Sacramenta, quin potius ea veneramur (unde Hostia a talibus Sacerdotibus consecrata est adoranda, & si reservetur, licite potest sumi a Sacerdote legitimo) sed refugimus culpam indigne ministrantium.*

3. Culpam igitur eamque lethalem agnoscit D. Thomas in eo, qui gravis peccati sibi conscius sacram Eucharistiam ministrat, quod confirmat etiam in 4. sentent. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. *ad secundum*, ubi hæc scribit: *Est de jure naturali ut homo sancta sancte tractet:* quamobrem legitur in Levitico: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Sylvius in 3. par. quæst. 64. art. 6. suo more egregie de hac re disputat, & quæst. 1. statuit *primo*, eum, qui Sacramentum aliquod solemniter in peccato mortali administret, peccare mortaliter, utpote qui operetur tanquam minister, & magnam committat irreverentiam. *Secundo*, eum, qui, premente necessitate, privatim aliquem baptizet, etiamsi in peccato mortali sit, non nisi venialiter peccare, qui non operetur ut Minister *ex officio*, sed necessitati occurrat. *Tertio*, qui in peccato quodvis aliud administret Sacramentum, graviter peccare; nec a necessitate excusari, dum operatur tanquam publicus Ecclesiæ minister. *Quarto*, graviter peccare, qui Eucharistiam in peccato mortali ministret; neque enim Sacerdotis est tantum eam consecrare, sed etiam distribuere. *Quinto*, in hoc casu non duo committi peccata, alterum commissionis scilicet irreverentiæ, alterum omissionis, scilicet pœnitentiæ, sed unum tantum grave peccatum sacrilegii committi; pœnitentia enim tum non cadit *per se* sub præcepto, sed ratione præcepti Religionis, quo jubemur digne tractare Sacramenta: quamobrem in omissione pœnitentiæ non reperitur præcipua malitia. Aliam controversiam tractant rerum moralium scriptores, an tot peccata mortalia perpetret Sacerdos, quot ii sunt, quibus administrat in peccato Eucharistiam, an vero unum tantum peccatum committat, licet pluribus Sacramentum distribuat. Quidam putant unum tantum peccatum committi; omnes enim ejusmodi actus ejusdem esse generis, & continuari sine ulla morali interruptione. Alii contra statuunt, tot peccata mortalia committi, quot sunt ii, quibus Sacerdos exhibet Sacramentum: ajunt enim, actus, licet continuatos, ejus tamen esse naturæ, ut ad unum definitum terminum referantur, in quo integre singuli perficiuntur; atque exemplum afferunt fornicationis, quæ si bis, aut ter etiam per actus continuatos cum eadem persona committitur, tot peccata perpetrantur, quot fornicationes, ob eandem quam supra innuimus rationem.

Item peccat qui sciens & prudens Eucharistiam sumit a Schismatico Sacerdote, vel excommunicato, &c.

4. Sacerdos extra Missam Eucharistiam ministrans interdum eam exhibet per modum Viatici; de quo argumento quædam breviter perstringemus. Olim si moribundus sanctam non posset particulam deglutire, mos erat, ut in ejus solatium vel particula non consecrata deferretur, vel etiam consecrata, ut eam ipse adoraret, non tamen sumeret. Narrat Cæsarius lib. 9. illustrium miraculorum cap. 43. Mauritium Parisiensem Episcopum Viaticum vehementer flagitasse; cumque dubitaretur, satisne illi sana esset mens, delatam illi esse a Sacerdote particulam non consecratam, qua visa, Mauritium exclamasse: *Tolle, tolle, non est Dominus Deus;* Sacerdotem propterea ad Ecclesiam reversum, consecratam inde particulam ad eum attulisse, quam summa animi pietate ipse Mauritius accepit. D. Antoninus in Chronic. 3. par. tit. 18. cap. 1. narrat, Hugonem de S. Victore gravi morbo implicitum, Viaticum postulasse; cumque periculum esset de vomitu, allata ad eum particula non consecrata, id Hugonem subodoratum dixisse: *Quid est quod facere voluistis fratres mei? Quare me decipere voluistis? istud non est corpus Domi-*

De Viatico.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Domini mei: allata deinde sibi particula consecrata, cum agnovisset, se illam non posse sumere, dixisse: *Ascendat Filius ad Patrem suum, & servus ad Dominum suum;* statimque particulam ab omnium oculis evanuisse, illum autem extremum spiritum exhalasse. Nunc vero nil quidquam tale faciendum, ut videre est apud Thiers loc. c. num. 18. Vetuit autem S. Pius V. ne ad moribundos, qui non possunt Eucharistiam deglutire, sacra particula deferatur; ut videre est apud Macrum in vocabular. Ecclesiast. verbo *Eucharistia;* & in Regestis S. Congregat. Concilii extant hæc verba: *Non licet Sanctam Eucharistiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti eam sumere non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit.* Quibus autem rationibus id vetitum fuerit, eæ videantur apud Cardinalem de Lugo Respons. Moral. lib. 1. dub. 11. qui illud etiam monet, in Ecclesia Latina Laicis non licere Sanctam Eucharistiam tangere, nisi lingua & ore dum eam suscipiunt; vanamque & inanem appellat cum S. Bonaventura quorundam Sacerdotum devotionem, qui post consecrationis verba statim Sanctam Eucharistiam deosculabantur; eique post elevationem iterum osculum dabant, ut videre est apud Thiers tract. de superstit. tom. 1. cap. 2. n. 5. In quibusdam tamen Ecclesiæ Belgicæ Ritualibus admittitur, non quidem ut ad eum Viaticum deferatur adorandum, quem constat illud non posse suscipere, sed ad ægrotum, qui si forte reperiatur non posse Sacramentum suscipere, possit Parochus Pyxidem aperire, atque illi Eucharistiam ostendere, quam æger adoret, non tamen deosculetur: Van Espen Jur. Eccl. par. 2. tit. 4. cap. 4. num. 14.

Qui non potuit æger deglutire Hostiam, ei ne asseratur, ut mos erat, sacra particula adoranda, vetuit Sanctus Pius V.

6. Alias orta est dubitatio an moribundo, qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non posset, liceret eam præbere sub specie vini, seu sub specie panis vino consecrato intincti; qui respondebat licere, Concil. Toletano XI. habito ann. 675. sententiam suam fulcire poterat; ea enim Synodus can. 11. statuit, si æger sacram non possit particulam deglutire, ut ei præbeatur Eucharistia sub specie vini: sunt etiam alia monumenta Ecclesiasticæ Historiæ; ex quibus intelligitur, Eucharistiam exhibitam fuisse sub specie panis vino consecrato intincti, ut ostendunt Martene lib. 1. de sacr. Eccl. Ritibus cap. 4. art. 10. num. 13. Card. Bona lib. 2. rer. Liturgic. cap. 18. num. 3. & Mabillonius 1. præfat. in sæculum III. Ordinis Benedictini num. 75. observat. 10. Vera tamen opinio est, id fieri non posse: præceptum enim suscipiendi Viaticum non obligat, cum illud gravibus de causis ab Ecclesia negatur: compertum autem est Ecclesiam usum Calicis Laicis & Sacerdotibus Missam non celebrantibus prohibuisse, non modo propter plures irreverentias, quæ identidem committebantur, sed etiam propter hæresim eorum, qui garriebant, sub specie panis non contineri Corpus Christi, vel præceptum esse Christi, ut Eucharistia sub utraque specie sumatur. Ita respondent Suarez in 3. par. tom. 3. disput. 71. sect. 3. circa fin. Cardinalis de Lugo Respons. moral. lib. 2. dub. 10. num. 2. & 8. Clericatus decis. 14. cas. 2. num. 16. & seq. de Sacram. Euchar. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 34. mortet, in ejusmodi casu posse moribundo sacram exhiberi particulam aqua vel vino non consecrato intinctam, ut eam æger possit deglutire; lex enim de naturali jejunio servando eum non obligat, qui Viaticum sumit. Nec sane ad hujus Auctoris sententiam confirmandam desunt ex Ecclesiastica Historia argumenta. Eusebius enim lib. 6. Eccl. Hist. cap. 44. narrat, Serapionem quemdam decrepita ætate senem in limine mortis constitutum, puerum misisse Sacerdotem accersitum, qui sibi Eucharistiam afferret; illum autem Sacerdotem, quod ægritudine impediretur, puero Eucharistiam tradidisse, eique imperasse, ut aqua madefactam in os ægri injiceret: *In aqua intinctam seni in os instillaret, qua ille paullatim absorpta, continuo animam exhalavit:* verba sunt Eusebii ex versione Valesii; & S. Uldaricus lib. 3. antiquarum consuetudinem Cluniacensium cap. 28. tom. 4. Spicilegii testatur, consuevisse Monachis infirmis præberi Eucharistiam sub specie panis vino non consecrato intincti.

Infirmo non potest Eucharistia præberi sub specie vini, si eam deglutire non possit sub specie panis.

Potest tamen præberi sub specie panis Sacramentum aqua vel vino intinctum.

CAPUT XX.

Alia quæ in sacra Eucharistia administranda observari debent.

1. PLura alia sunt scitu digna, quæ ad sacram Eucharistiam pertinent ministrandam. Primum est non licere ad fallam confovendam devotionem, uni vel plures particulas, vel majoris moduli Hostiam præbere: *Episcopi, Parochi, seu Confessarii insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas; neque grandiores, sed consuetas:* verba sunt Decreti S. Congregat. Concilii de quotidiana Communione, quod approbavit Ven. Dei Servus Innocentius XI. die 12. Februar. 1679. atque ad hanc rem mirifice faciunt verba Canonis *Ubi pars* dist. 2. de Consecrat. *Ubi pars est Corporis, est & totum. Eadem ratio est in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius; neque qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.* Consentit S. Thomas 3. par. quæst. 79. art. 7. *ad tertium.* Legendus est etiam Thiers tom. 2. tract. de superstit. edit. 3. lib. 3. cap. 2. num. 14. qui multis rationibus & auctoritatibus morem illum improbat, qui in illustrioribus Galliarum Monasteriis quarumdam Sanctimonialium invaluerat, ut majoris devotionis gratia plures acciperent particulas; quam consuetudinem testatur sibi licuisse omnino abolere.

Non licet uni eidemque personæ plures particulas, aut majoris moduli Hostiam præbere.

2. Alterum est, olim juxta veterem disciplinam licuisse, ad aliquod delictum detegendum, ei qui suspicione ejusmodi premeretur, Eucharistiam offerre, ut videre est in veteri purgatione vulgari *per aquam frigidam*; in qua purgatione, antequam in aquam dejicerentur ii, qui alicujus delicti laborarent infamia, Missa a Sacerdote celebrabatur (*Missam judicii* appellabant). Sacerdos autem priusquam eos communicaret, admonebat, ne Sacramentum susciperent, si objecti criminis sibi essent conscii; quod si tacerent, communicabat illis verbis, *Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad probationem hodie*; ut videre est apud Baluzium tom. 2. Capitular. Regum Franciæ inter veteres formulas Exorcismorum cap. 2. Verum cum ceteris omnibus vulgaribus purgationibus ea etiam, de qua loquimur, a Sacris Canonibus est sublata. Non enim hoc Sacramentum Christus instituit, ut fontium reatus reperiretur; neque id fieri potest, quin ipse tentetur Deus: præterquam quod occasio offertur Sacramentum indigne suscipiendi iis, qui ne fontes deprehendantur, sacram Eucharistiam sumere non perhorrescant. Neque enim omnes essent S. Gregorio VII. similes, qui teste Lamberto, cum coram Hen-

Purgatio per aquam frigidam cum aliis similibus sublata per sacros Canones, propter occasionem indigne suscipiendi Eucharistiam.

S. Gregorii VII. & Henrici Regis Historia.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Henrico Rege Missam celebraret, posseque multorum testimoniis objectas sibi criminationes diluere, ait: *Ego tamen, ne humano potius, quam divino niti videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum, quod sumturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus.* Neque itidem omnes sunt, cujusmodi fuit Henricus Rex qui invitatus ad suscipiendam Eucharistiam, ut, si, innocens esset, hac ratione se a criminationibus, quibus premebatur, liberaret, cum ipse sibi male conscius esset, oblatam renuit conditionem, causatus nullam hujusmodi purgationi vim futuram, quod abessent accusatores; oravitque Pontificem, ut rem omnem Concilio Generali committeret, in quo accusatores adessent, quemadmodum factum est. Estius in 5. Sentent. dist. 9. §. 4. in fine ita ait: *Ejusmodi dispensatio non fit sine tentatione Dei: item per hoc manifeste datur occasio indignæ sumtionis Eucharistiæ, dum ille, qui crimen commisit, nolens se prodere, cum ceteris accedit ad mensam Domini.*

Doctrina Vasquez de eusmodi purgationibus.

3. Sed materiam hanc optime tractavit Vasquez tom. 3. in 3. par. D. Thomæ disput. 210. cap. 1. 2. & 3. Duos enim expendit Canones, quos refert Gratianus in causa 2. quæst. 5. eorum alter est Can. *Si Episcopo*, alter Can. *Sæpe*, quibus admittitur purgatio per Eucharistiam, atque, nusquam eos textus aliis Canonibus posteriori tempore conditis emendatos reperiri. Itaque declarat, rationem illam sibi non probari, qua freti nonnulli licere negant ejusmodi purgationem adhibere. Ea enim ratio huc redit, quod vel per ipsam tentatur Deus, vel nefas est illi Eucharistiam tribuere, quem gravi adstrictum crimine suspicamur. Verum cum nullum petatur signum, quo potentiæ divinæ periculum fiat, idcirco omne abest peccatum tentationis Dei. Et quemadmodum vetitum non est, ab eo, qui de gravi sit suspectus crimine, jusjurandum exigere (is enim qui jusjurandum defert, veritatem explorat, ac præstumit eum, cui defertur, verum malle dicere, quam perjurii se adstringere: hic porro etiamsi pejeret, culpa non potest in eum conferri, qui juramentum exegerit) ita qui ei offert Eucharistiam, qui de commisso gravi crimine sit suspectus, nullum videtur peccatum in se admittere, cum eam offerat veritatis comperiendæ gratia; credit enim, atque etiam credere debet, eum, qui sibi male conscius sit, Eucharistiam non suscepturum: quod si quis gravi crimine obstrictus, ne peccatum suum palam faciat, Eucharistiam susceperit, ei culpa omnis tribuenda est, nec qui offerat, ullo modo culpandus. Denique concludit Vasquez, licet ejusmodi suis speculationibus videatur inesse aliquid veritatis, non tamen licere hoc tempore eam purgationem offerre, quæ jam exoleverit; neque enim in consuetudinem revocandum, quod usu fuerit abrogatum, per text. in cap. *Ex tuarum*, de purgatione Canonica.

Non licet Hostiam non consecratam pro consecrata peccatori indigne sumenti præbere.

4. Tertium est, non licere Hostiam non consecratam pro consecrata peccatori offerre, qui paratus sit Sacramentum in peccato suscipere, præsertim propter periculum Idolatriæ, cui obnoxius est tum qui Eucharistiam suscipit, tum alii qui adsunt. Celebris est Innocentii III. Decretalis in cap. *de Homine* de Celebrat. Missarum ubi hæc habentur: *Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumserit simulare: cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se adstringat.* Idem docet D. Thomas 3. par. quæst. 80. art. 6. *ad secundum*, & quodlibet 5. quæst. 6. art. 2. *ad tertium*, ubi hæc scribit; *Stultus esset Medicus, qui cum majori suo periculo minus periculum infirmi vellet impedire, puta si vellet ipse venenum bibere, ne infirmus biberet vinum. Multo autem magis peccat Sacerdos fictionem faciens in Sacramento Christi, quam peccator indigne sumens; unde stultus esset Sacerdos, si ut vitaret peccatum subditi, ipse gravius peccaret fictionem faciens in Sacramento veritatis.* Vigesima nona est propositio inter eas, quas condemnavit Venerab. Dei Servus Innocentius XI. *Urgens metus gravius est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi;* quo Pontificis decreto sublata est omnis cavillandi ratio eorum, qui quoquo modo sententiam suam tueri nitebantur, posse non consecratam particulam exhiberi pro consecrata peccatori homini, ne publica aspergatur infamia, ut videre est apud Vivam in Commentar. ad eam propositi. condemnatam.

Regulæ ex D. Thoma a Sacerdote servandæ, si publicus peccator ad Mensam Eucharistiæ accedat.

5. Ceterum certæ ac firmæ præstituræ sunt regulæ, quas adhiberi oportet, ubi publici peccatores Eucharistiam postulant. Has proponit D. Thomas 3. par. qnæst. 80. art. 6. Vel enim peccator manifestus est; eique Sacerdos Eucharistiam negare debet, sive ille Sacramentum publice petat, sive privatim. Manifestus autem peccator ille censendus est, de cujus gravibus sceleribus compertum est vel ex sententia Judicis, vel ex illius Confessione in judicio, vel ipsius facti evidentia, quæ omnino dissimulari non possit. Vel peccator occultus est, qui si publice Eucharistiam petat, exhibendum est ei Sacramentum, ne respergatur infamia; si vero eam privatim postulet vel a Parocho, vel alio Sacerdote, deneganda est illi Eucharistia, admonendusque, ne eam publice petat. Videatur Sylvius in 3. par. quæst. 80. art. 6. q. 1. & 2. ubi casum proponit Sacerdotis, qui ex Sacramentali Confessione peccatum occultum compertum habet, quæritque an peccatorem privatim postulantem Sacramentum a Communione possit rejicere; atque explicans ea quæ scripserunt D. Thomas, Durandus, aliique in 4. sentent. dist. 9. docet, Sacerdotem non posse peccatorem ejusmodi rejicere, nisi alia causa sit præter peccatum in Sacramentali confessione cognitum. Huc referri potest Decretalis in cap. *Si Sacerdos*, de Officio Judic. Ordinarii, ubi hæc de Judice præscribuntur: *Si ille cui damnum allatum est, petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confessus sit; sed tamen non nominatim potest eum removere a Communione, licet sciat eum esse reum; quia non ut Judex scit, sed ut Deus.*

In quibusdam Regnis fontibus reis ultima supplicio puniendis non exhibetur Eucharistia, ut apud Gallos.

6. In quibusdam olim Regnis fontibus reis, morti deditis, propter aliquod perpetratum scelus, Eucharistia etiam eam postulantibus negabatur. Ea consuetudo fortasse ex Concilio Illiberitano traxit originem: *Placuit inter eos, ut qui post Fidem Baptismi salutaris, adulta ætate ad Templum Idoli idolatraturus accesserit, & fecerit quod est crimen principale, nec in fine eum Communionem suscipere.* Mendoza in notis ad illud Concilium apud Card. de Aguirre tom. 1. Concil. Hispaniæ pag. 340. textum illum docet intelligendum esse de Eucharistia, multaque alia congerit statuta Canonum, præsertim Ecclesiæ Hispanæ, & contendit, nunquam quamtumvis sceleste peccatori negatam fuisse in mortis articulo sacramentalem absolutionem; Eucharistiam vero negatam fuisse peccatori-

toribus ejusmodi etiam petentibus. Juveninus de Sacram. dissert. 4. de Euchar. q. 6. ait, in Gallia & Hispania Eucharistiam negari iis, qui capite sunt damnati, multasque affert rationes ad hanc disciplinam tuendam. Apud Indos miseris hisce hominibus exhibetur Eucharistia, ut constat ex I. Concilio Limano sub S. Turribio anno 1582. habito, quod approbavit Apostolica Sedes, ut videre est cap. 22. apud Cardinalem de Aguirre tom. 4. Concil. Hisp. pag. 238. *Ii qui propter facinora commissa capitis damnati sunt, pridie quam ad patibula a Magistratu ducantur, Communione Christi Corporis muniantur, quo patienter, & cum salute animæ pœnas corpori debitas ferant.* Nobis eorum Regnorum consuetudinem neque probare est animus, neque refellere. Illud non dissimulamus, egregiis pluribus viris eam minime probari, ut videre est in Quodlibeto Joannis Molani edito post Tractatum *de Picturis & Imaginibus sacris*. Apud Italos & Germanos capite plectendis præbetur Eucharistia, dummodo pœnitentiam suorum peccatorum præseferant, Eucharistiam petant, eaque non indigni ab iis existimentur, quorum est de ea re judicare: atque ejusmodi consuetudinem, ubi ea invaluit, retinendam putamus cum Merbesio in 3. par. Summæ Christianæ qu. 17. De ea re scripsit etiam Grancolas in Vet. Ecclesiæ Sacramentario par. 1. pag. 290. eam enim ait esse apud Gallos consuetudinem, ut capite plectendi Eucharistia prive[n]tur. Et Comiti Stabuli S. Pauli morti jam addicto anno 1745. postquam Sacramentali se confessione expiasset, flagitanti Eucharistiam, ac repulsam passo, pro Sacramento panem benedictum oblatum narrat. Robertus Pullus Cardinalis, qui vixit ætate S. Bernardi, in lib. sentent. cap. 53. contendit, non esse morte plectendis administrandam Eucharistiam, neque decorandam, aut privandam jure liberandi damnatos: cum enim illud jus Ecclesiæ materiali competat, multo magis debetur Eucharistiæ. Sed hanc rationem evertit Glossa in Can. *Quæsitum* 13. q. 2. quæ ait: *Corpus Christi est cibus animæ, & non corporis: ergo animam liberat, & non corpus.* In Mechlinensi quadam Synodo ann. 1607. ita statutum est: *Ultimo quoque supplicio afficiendis tempestive de sacra Eucharistia provideatur.* Expendenda illa vox *tempestive*, ut Communionem inter & mortem spatium aliquod temporis interjiciatur, quo species Eucharisticæ consumantur.

Card. Pulli cautio multius laboris ad tuendam eam disciplinam.

7. Non prius Operi huic nostro finem imponemus, quam Sacerdotes sedulo, moneamus, ut omni studio & diligentia caveant, Missam celebrando, & Eucharistiam ministrando, ne qua particula, aut consecrati vini gutta in Altare, aut in terram decidat: quod si forte contigerit, regulas servent, quæ præscribuntur in Rubricis. Pœnæ in eum, cujus negligentia gutta sanguinis extra Calicem efflueret, statuuntur in can. *Si per negligentiam*, de Consecr. dist. 2. Etsi autem pœnæ illæ obsoleverunt, tamen Ecclesiæ moderatoribus reservata est facultas alias infligendi, ne impune sit iis, qui in tanto mysterio negligentes sint. Contigit aliquando, ut sacra particula, vel ejus fragmentum in fœminæ pectus delaberetur: quo casu decet, ut non Sacerdos, sed ipsa fœmina particulam, vel fragmentum quærat; & suis ipsa manibus sibi in os injiciat. Ita docet Quartus ad Rubricas Missalis par. 3. tit. 10. n. 15. in text. Rubricæ dub. 1.

Monentur Sacerdotes, ut caveant ne qua particula, aut gutta Sanguinis in Altare decidat.

Pœnæ adversus negligentes.

Quid si particula delapsa sit in pectus fœminæ.

CAPUT XXI.

De Missarum eleemosyna.

1. MOs fuit in Ecclesia, plurium sæculorum intervallo, sancte retentus, ut quotquot ad Missarum solemnia convenirent Fideles, suam unusquisque sacrificii partem, hoc est panem & vinum consecrandum offerrent: ad quem alludens Cyprianus *lib. de oper. & eleemos.*, divitem fœminam hoc nomine increpat, quod nihil offerens alienæ oblationis partem sumeret: *Locuples* (inquit) *& dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine sacrificio, venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis:* eumdemque respexit Augustinus (seu quisquis est Auctor *sermonis olim* 215. *de tempore nunc* 265. *in app. tom. 5. n. 2.*) dicens: *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit:* atque inde etiam factum est, ut Tertullianus *lib. de exort. castitat. cap. 7.* omnes Christianos, Sacerdotes dixerit, non quod omnes potestatem haberent consecrandi, sed quia omnes panem, & vinum ad Dei altare offerebant, sicuti egregie explicat Petavius *in diatriba de potestate consecrandi cap. 1.* (*tom. 4. Theol. dogm.*). Tanta porro illius ritus fuit apud Majores nostros religio, ut cum Patres Concilii Matisconensis II. anni 595. deprehendissent, eum pedetentim obsolescere, statim restitui curaverint, can. 4. decernentes: *Residentibus nobis in sancto Concilio, cognovimus quosdam Christiano, relicto Fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini: ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris juste offerentibus promereantur esse consortes. Omnes autem, qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur* (*collect. Hard. tom. 3. col. 461.*). Neque vero quod a singulis Fidelibus offerebatur, modicum quid erat panis, & vini, quæ postea per Sacerdotem consecrata, atque in Christi corpus, & sanguinem conversa, ipsimet offerentes percipierent, sed quilibet, pro sua facultate, plures offerebat panes, cum larga vini amphora, quorum exigua pars consecraretur, & reliqua massa Sacerdotibus, & Clericis cederet, quemadmodum, pluribus allatis monumentis, ostendit Christianus Lupus *dissert. 2., proœm. ad decret. & canon. Concil. tom. 3. primæ edit. pag.* 183.

Antiquitus offerebatur in Missarum solemnitis panis & vinum, ut consecrarentur.

2. Præter panem, & vinum, quæ sacrificio usui erant, aliud ad altare offerre prohibuit canon 3. Apostolorum: *Si quis Episcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat super altare, idest mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra Constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Et quamvis sequens canon 4. ejusmodi prohibitionem temperans, offerri etiam permittat oleum, incensum, novas spicas, & uvas; ceteros tamen fructus non ad altare offerri, sed ad Episcopum mitti jubet, Presbyteris, Diaconis, & Clericis distribuendos: *Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, præter novas spicas & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama tempore, quo sancta celebratur oblatio. Omnis autem alius fructus domum mittatur primitiæ Episcopo,*

Quandonam, & quonam modo liceat aliud præter panem & vinum offerre ad altare.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

copo, & Presbyteris. Clarum autem est, quod Episcopus, & Presbyteri, Diaconis, & Clericis distribuunt. Concilium vero Carthaginense III. anni 397. *can.* 24., qui est 37. in codice canonum Ecclesiæ Africanæ (*tom.* 1. *collect. Hard. col.* 883.) mel, & lac offerri permittit in die Paschalis festivitatis, quo solemne Baptisma celebrari, & egressis e sacro fonte mel, & lac dari consueverat, de quo ritu plura Cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 3. *Ut in Sacramentis* (ait cit. Concilium) *corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ vero, seu lac, & mel, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici corporis, & sanguinis distinguantur: nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, & frumentis.* Verum posteriori ætate usus obtinuit, ut nihil quidem, præter panem, & vinum, juxta prisca Patrum decreta, Offertorii tempore exhiberetur, sed vel ante Missam, aut ante Evangelium, sive statim post Evangelium, liceret Fidelibus, quidquid vellent, in Sacerdotum commodum ad Altare offerre, quod ex Reginone *lib.* 1. *de Ecclesiast. discipl.* recte colligit Martene *de antiquis Eccles. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 6. Duo pariter oblationum genera commemorant Capitularia Caroli Magni lib. 6. cap. 30., & magis aperte antiquissima Liturgia Æthiopum, quam ad hunc ritum comprobandum adducit Honoratus a Sancta Maria in suis animadvers. in regulas, & usum Criticos tom. 2. lib. 4. dissert. 4. art. 6., oblationes factas ante Offertorium ab illis distinguit, quæ fiebant, dum Offertorium canebatur.

Incertum an prioribus seculis ad Altare offerretur pecunia.

3. Sed num inter cetera, etiam pecunia sive ante Missam, sive ante Offertorium prioribus seculis ad Altare offerri soleret, ignoramus. Scimus enimvero ab Ecclesiæ incunabulis in singulis Christianorum Ecclesiis expositam fuisse Arcam, quam Baronius ad an. 44. n. 69. *Gazophylacium* appellat, in quam pecuniæ a Fidelibus inferebantur: ejusmodi arcæ meminit Tertullianus apol. cap. 39., inquiens: *Si quid arcæ genus est; non de ordinaria* (al. honoraria) *summa quasi redemptæ religionis congregatur, modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Et Justinus apolog. 1. ad Antoninum Pium n. 67. quasi rationem reddens pecuniæ, quæ in Ecclesiæ Gazophylacium conjiciebatur ait: *Qui abundant, & volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, & quod colligitur apud eum, qui præest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis & viduis, & iis, qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis, qui in vinculis sunt, & advenientibus peregre hospitibus; uno verbo, omnium indigentium curam suscipit.* Ubi *indigentium* nomine etiam Ecclesiæ Ministros Justinum comprehendisse minime dubitamus. Illi siquidem ex Fidelium oblationibus alebantur, & incredibile videtur, quod ex solo pane, & vino ad Altare oblatis potuerint omnia sibi ad vitæ sustentationem necessaria comparare. Eumdem morem deponendi pecuniam in Gazophylacio commemorant Augustinus *serm.* 356. (*tom.* 5. *oper.*) *num.* 13., & Paulinus *epist.* 34. *sive sermone de Gazophylacio*, quorum proinde testimonio constat, labente sæculo IV. & decurrente V., illum perseveravisse.

Incertum quoque tempus, a quo cœpit pecunia ad Altare offerri.

4. Sed quandonam non in Gazophylacium immitti, sed ad ipsum altare cœperit pecunia offerri, certo definire non possumus. Habemus quippe ex Augustino epist. 22. num. 5. tom. 2. oper. quæ est ad Aurelium Primatem, tempore oblationis, seu Missæ pro Defunctis fuisse simul denarios oblatos, sed cum istos ab ipsismet offerentibus in pauperes erogari idem præcipiat, non videtur approbare, ut in Diaconorum manibus ad Altare deponerentur: *Oblationes pro spiritibus Dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus, sine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget.* Honorius Augustodunensis Scriptor XII. sæculi, *in gemma animæ lib.* 1. *cap.* 58. tunc in Ecclesiam morem invectum asserit, pecuniam loco panis ad Altare offerendi, cum desierunt Fideles Sacrificio assistentes sacra participare mysteria, quod ceteroquin ante fas non erat prætermittere: *Postquam autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur propter carnales, statutum est, ut qui possent, singulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel summis festivitatibus, vel ter in anno communicarent; ne ante Confessionem, & pœnitentiam pro aliquo crimine judicium sibi sumerent. Et quia, populo non communicante, non erat necesse tam magnum panem fieri, statutum est, eum in modum denarii formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret:* tempus tamen, quo id acciderit, Honorius non designat.

Quo tempore inductus fuit mos eleemosynam Sacerdoti elargiendi pro Sacrificii applicatione.

5. Verum, utut hæc res se habeat, & quid quid sit de initio usus offerendi ad Altare pecuniam, indubitatum est, quod asserit Thomassinus de vet. & nov. Eccles. discipl. par. 3. lib. 1. c. 7. n. 8. juxta primigeniam nascentis, & adolescentis Ecclesiæ disciplinam, sive panem, sive denarium oblatum fuisse Ecclesiæ, & Clericis in commune, non vero datum cuipiam peculiari Sacerdoti, ut Missam privatim faceret, quæ uni eleemosynam offerenti prodesset. Morem autem stipem elargiendi Sacerdoti, ut exuberantem Sacrificii fructum stipis largitor in se, proximos, aut amicos sive vitæ compotes, sive defunctos derivaret, non ante Sæculum VIII. inductum, neque passim ubique ante XII. receptum, asserit Mabillonius in præfat. ad par. 1. Sæculi III. Benedictini num. 62. cui tamen contradicit Pater Franciscus Berlendi Clericus Regularis Theatinus in dissert. Historico-theologica de oblationibus par. 2. §. 2. illum longe antiquiorem affirmans. Enimvero quod in fine sæculi 8. jam invaluisset, fidem facit Chrodegangus Episcopus Metensis in Regula, quam, eo sæculo labente, vel nono ineunte, suis Canonicis præscripsit: in ea quippe *cap.* 32. *de eleemosynis* cuique Canonicorum liberam potestatem fecit accipiendi, & in quos vellet usus expendendi eleemosynam, quæ pro sua sibi Missa offerebatur: *De eleemosynis accipiendis* (inquit) *ita constituimus, ut si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro Confessione, aut infirmitate, seu pro quolibet caro suo aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & exinde, quod voluerit, faciat* (*collect. Harduin. tom.* 4. *col.* 1196.). Sæculo vero 11. eumdem morem adeo longe lateque propagatum scimus, ut etiam pueris notus esset. Etenim Joannes Monachus in vita S. Petri Damiani cap. 2. de eo adhuc puerulo narrat: *Petrus quadam die nummum reperit, & tamquam subito dives effectus, gratulabundus quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere cœpit, divinitus tandem inspiratus, ait: melius est, ut tradam Presbytero, qui Deo Sacrificium offerat pro patre meo defuncto.*

6. Spe-

Revinctur Walafridus illam eleemosynæ erogationem improbans.

6. Specialem hanc Sacrificii applicationem illi qui eleemosynam largitus fuerat, visus est improbare Walafridus Strabo, qui sæculo IX. floruit, existimans illud non plus prodesse uni, pro quo speciatim offeratur, quam universo cœtui Fidelium; libro enim de reb. Ecclesiast. cap. 22. ait: *Sed & in hoc error non modicus videtur quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis, & defunctis non simul æstimant immolandum, cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse, & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod, si cui placet, pro singulis singulatim offerre; pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum declaratione id faciat, non autem pro stulta opinatione, qua patet, unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum.* At non animadvertit Walafridus, quod, etsi Sacrificium ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, scilicet Christi, sit infinitæ virtutis, non tamen, ita ejus institutore Christo volente, infinitos producit effectus: secus, si finem excipias colendi Deum, & supremum latriæ actum, qui sane ex qualibet, quatumvis crebro repetita Divinæ Victimæ immolatione, semper Deo exhibetur, quoad cetera, quæ ex Sacrificio reportare intendimus, superflua esset ejusdem iteratio; semel autem posito, quod effectus Sacrificii finitus sit, perspicuum jam est, illud plus ei prodesse, cui applicatur, quam aliis; uti enim ratiocinatur Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 78. sect. 1. & disp. 79. sect. 12.: aut consideratur tanquam propitiatorium, seu satisfactorium, & certe pro illo speciatim satisfacit, in cujus debiti solutionem Deo exhibetur; aut consideratur tamquam impetratorium, & profecto ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim Sacerdos Divinam Hostiam immolans, Deum exorat. Rem totam explicat D. Thomas in 4. dist. 45. art. 4. q. 1. & 2.

Renovatur Hæresiarchæ.

7. Quod visus est improbare Walafridus, alio nomine sunt aperte insectati Wiclefistæ, hodieque insectantur Lutherani, & Calviniſtæ, dictitantes pecuniam Sacerdoti celebraturo in Missæ pretium dari, eamque propterea, veluti aperte Simoniacam damnantes. At in primis ad eorum fallaciam refellendam, satis abunde foret illud adducere, quod ad rem ajebat Gerson *in opusc. de solicitudine Ecclesiasticorum* (*t. 2. par. 3.*) *partic. 19.* inquiens: *Sufficere in primis debet ad consensum hujus veritatis usus totius communis Ecclesiæ, qui sic habet, & recipit; cui si quis detrahit, imprudenter se decipit.* Et partic. 6. *Nihil æquius, secundum omnem legem esse, deducit Apostolus prima ad Corint. 9. quam qui Altario servit, de Altario & vivat.* Præstat nihilominus audire D. Thomam, qui hanc ipsam Hæreticorum calumniam jampridem anteverterat, & diluerat 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 2. inquiens: *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ; hoc enim esset Simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis;* Et in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. ad 4. *Facere pactionem de Missa celebranda, est Simonia.... Si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.*

Abusus, qui ex eleemosynæ largitione irrepserant, damnati.

8. At, quamvis res ita se habeat, nihilominus fatendum quorumdam improborum Sacerdotum sordidam avaritiam quandoque dehonestasse, quod ceteroqui in se licitum, & sanctum erat: nonulli quippe visi sunt Missas quodammodo venditare, ac turpissimum quæstum de illis facere. Et primo quidem, cum nondum Missæ eadem die iteratio erat severa lege prohibita, nonnulli ad solum finem plures eleemosynas captandi sæpius in die Sacris operebantur, quos acriter perstringit Auctor vitæ S. Thomæ Cantuariensis cap. 11. his verbis: *Illos autem in præsentiarum nec memoratu dignos, non Christi, sed mammonæ Sacerdotes prætereo, qui, propter oblationum quæstum, unam Christi, & semel oblatam Hostiam quotidie, non semel, sed libentius iterum non tam conficerant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes.* Postquam vero & Alexander II. can. 53. de consecratione, dist. 1. & Innocentius III. in cap. *Te referente*, eod. tit. districte vetuerunt, Sacrificium eadem die, sola excepta solemnitate Nativitatis Domini, ab eodem Sacerdote iterari, alias nequiores artes excogitarunt, quibus plures eleemosynas, unius Missæ celebratione, lucrarentur. Aliqui enim tot Hostias in eadem Missa consecrabant, quot illi fuerant, a quibus eleemosynam acceperant, autumantes se hac ratione omnibus satisfacere: Alii plures Missas in unam congerebant: Missam quippe diei usque ad Offertorium legebant; tum aliam incipiebant, usque ad eundem locum; deinde tertiam, & quartam, eodem modo: postea tot Secretas dicebant, quot Missas inceperant; Demum sub uno Canone Sacrum perficiebant; totidem additis in fine Collectis, quot initio recitaverant; has autem Missas *bifaciatas* & *trifaciatas* nuncupabant, quasi duplicem, & triplicem haberent faciem, quæ solæ satis illi esse videbantur ad plures eleemosynas pro earum numero assequendas. Hæc aliaque hujus generis Missarum monstra recensent Petrus Cantor in Opere, quod inscripsit: *Verbum abbreviatum* cap. 29. & Cardinalis Bona rer. liturgic. lib. 1. cap. 15.

Eliminatur Sacerdotum avaritia in acceptatione eleemosynæ pro Missa.

9. Quibus ab Ecclesia eliminatis, non idcirco improba Sacerdotum cupiditas fuit radicitus evulsa; adhuc enim iidem ingens lucrum ex Missa aucupantes de unica eleemosyna, quam accipere poterant, quasi de mercis cujuspiam pretio pacisebantur, & nisi ad eorum votum augeretur, Missam facere renuebant, quos proinde Robertus Cardinalis Pullus, natione Angulus, in Summa Theolog., quam medio sæculo XII. concinnavit par. 7. cap. 17. ita objurgavit: *Quid est Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tanto nequius, quanto resurgendo est sublimatus?* Quamobrem, ut glisscentem hanc pestem tandem ab Ecclesia prorsus propellerent, & insatiabilem Sacerdotum aviditatem perpetuo freno coercerent, Patres Concilii Toletani anni 1324. cap. 6. vetuerunt, ne ullus Sacerdos quidquam, vel minimum, pro Missa ex pacto exigeret, sed eleemosyna contentus esset, quæ ei sponte daretur: *Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui Presbyteri, detestanda, & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc, ac si vellent vendere rem profanam, imprudenter mercantur... Verum cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum sit, liberaliter, sicut cetera Sacramenta, celebrandum; districtius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed grate accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi charitative fuerit, absque pacto, & conventione quacumque* (*collect. Harduin. tom. 7. col.* 1484.).

Episcopi Missarum ripem sanare debent.

10. Ac demum Concilium Tridentinum cum animadverterit, nondum Sacerdotes profano illo mer-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mercimonio cessasse, quod Patres Toletani fuerant detestati, *sess. 22. in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, injunxit Episcopis, ut de medio tollant, quidquid avaritia contra reverentiam Sacrificii Missæ induxit, utque in primis *Cujuvis generis mercedum, conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant*. Ut itaque Episcopi Tridentino obtemperent, atque importunas, & immoderatas eleemosynarum pro Missis exactiones impediant, debent, in sua quisque diœcesi, Missarum stipem taxare, ultra quam nemo quidquam exigere valeat; quod etiam ante Tridentinum factum legimus a Wilhelmo Archiepiscopo Eboracensis, cujus Constitutionem renovavit Joannes ejusdem Successor in Concilio Provinciali Eboracensi anni 1367. c. 3. *Universis Rectoribus, & singulis Ecclesiarum Prælatis, Vicariis, & aliis quibuscumque personis Ecclesiæ Capellas, Cantarias, Oratoria, Hospitalia, seu Beneficia Ecclesiastica quæcumque infra nostram diœcesim obtinentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna quadraginta solidorum eleemosynæ nostræ applicandorum, similiter inhibemus, ne in Ecclesiis, Capellis, Cantariis, Hospitalibus, seu aliis Beneficiis suis, hujusmodi quemquam Capellanum stipendiarum Divina celebrare permittant, nisi nomine stipendii sui annualis de summa sex marcarum sit contentus*. Concilior. Britanniæ tom. 3. pag. 69.

Hæc est etiam sententia Sacræ Congregationis.

11. Quamvis autem eleemosynæ taxatio & a consuetudine induci, & ab Episcopo extra Synodum fieri queat, attamen, ut stabilior sit, ac Sacerdotibus commodius significetur, & innotescat, plerumque in Synodo fieri consuevit, ac proinde *Taxa Synodalis* communiter appellatur. Quocirca Sacra Congregatio Concilii interrogata: Primo, *Quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium*. Secundo, *Quanta esse debeat pro perpetuis, non taxatis a Fundatore*; die 15. Novembris 1698. respondit: *Ad primum, & secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio*. Lib. 48. decretor. pag. 584.

Taxatio eleemosynæ pro Missa debet correspondere locorum, & temporum circumstantiis.

12. Uti mox visum est, Sacra Congregatio arbitrio Episcopi commisit, quod eleemosynam competentem statuat vel in Synodo, vel extra Synodum, si in Synodo taxatio facta non sit pro Missa. Sed in eo, quod spectat ad quantitatem eleemosinæ, ab Episcopo præscribendæ, non potest certa, & universalis regula ubique custodienda statui, cum alicubi majorem, alibi minorem eam esse deceat, habito respectu ad locorum, & temporum circumstantias, & præcipue ad annonæ penuriam, vel copiam. Unum tamen advertendum existimamus, nimirum necesse non esse, ut eleemosyna tanta sit, quæ integram sustentationem Sacerdoti, ea die, qua celebrat, suppeditet. Etenim, sicuti optime perpendit Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 83. art. 6. sect. 2. concluf. 3., actio sacrificandi non requirit integrum diem, neque majorem ejus partem, unde non est, cur Sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo, pro quo Sacrificium offert. Accedit, neminem Sæcularem ad sacros Ordines promoveri, qui sufficiens Beneficium, aut patrimonium non habeat; nec ullum ad Religionem admitti, qui ex Monasterii redditibus, aut consuetis eleemosynis alii nequeat, ex quo fit, ut nullus cogatur victum sibi comparare ex solo Missarum stipendio, quemadmodum argumentatur Giballinus *de Simonia* q. 18. consect. 7. n. 4. Diana in edit. Coordin. tom. 2. tract. 1. resolut. 22. n. 17. & Juvenin de Sacram. dissert. 5. q. 7. art. 5. ubi ait: *Sed monitum velim lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quæ illud stipendium definit ex summa, quæ satis sit Sacerdotis in unam diem sustentationi. Ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram Presbyteri sustentationem, sed ad illius adminiculum; nec mirum, quippe quod Sæculares Sacerdotes fruantur aut titulis patrimonialibus, aut Beneficiis, quæ teneant eorum locum; vetant nempe Canones, ne Sæculares ordinentur, quin sufficiens ad vitam titulo: Mendicantes vero a populo Fideli supponuntur recipere eleemosynas, quibus vescantur, nec enim ad Monasterium admitti debent plures, quam consuetæ eleemosynæ sustentare valeant*.

Sæcularis, & Regularis Sacerdos eleemosynam ab Episcopo taxatam pro Missa exigere nequeunt.

13. Porro, si ultra eleemosynam ab Episcopo taxatam, plus Sacerdos celebraturus exigat, non solum delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit. Etenim, uti argumentatur Suarez cit. loc. concluf. 1., quamvis Missæ stipendium non habeat rationem pretii, nihilominus exposcit justitia, ut aliqua proportio servetur inter illud, & opus, ad quod subeundum subministratur, eamque proportionem definire, inspecta natura rei, de qua agitur, ad solum spectat Episcopum. Ob eandem rationem judicio Episcopi Missarum eleemosynam taxantis stare debent etiam Regulares, quibus, suorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet stipem exigere illa majorem, quam Episcopus præscripsit: quemadmodum enim ipsi, veluti membra Communitatis, obstringuntur, in contractibus servare æqualitatem statutam a legibus loci, ubi degunt, ita & in hoc quasi contractu non possunt proportionem prætergredi, quam loci Ordinarius determinavit. Quocirca Sacra Congregatio Concilii in una Romana 15. Januarii 1639. lib. 16. decretor. p. 138. dixit: *Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum Ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis*. Nec Regulares tamen, nec Sæculares prohibentur uberiorem stipem a sponte dantibus accipere, dummodo absit dolus, & quodcumque pactum etiam implicitum, quod docuerunt Suarez cit. concluf. 1. Cardinalis de Lugo respons. moral. lib. 5. dub. 18., ac censuit Sacra Congregatio Concilii 16. Januarii 1649. (*lib. 18. decretor. pag. 575. a tergo*) quæ interrogata, *An possit Episcopus prohibere sub pœna censurarum Laicis, ne pinguius stipendium taxæ solvant Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus Missam celebrantibus, & quod iidem Sacerdotes illud acceptare non possint, etiam a sponte dantibus*, Respondit: *Prohiberi non posse:* Si tamen qui manualem eleemosynam consueta pinguiorem accepit, alteri Sacerdoti Missam celebrandam committat, non potest illius partem sibi retinere, sed totam, quam accepit, erogare debet Sacerdoti celebranti, quod ab Urbano VIII. statutum, & opposita opinio ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. proscripta fuit; inter propositiones enim ab eodem Pontifice damnatas una, quæ est nona, sic sonat: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*. Neque, solo jure spectato, prohiberentur Sacerdotes, minori accepta eleemosyna, ad Missam celebrandam se obligare: siquidem quilibet potest cedere juri suo, & etiam sine ullo stipendio celebrandi onus in se suscipere; quia tamen aliquando illa consuetæ elemosynæ remis-

sio

sio deprehensa est noxia aliis Sacerdotibus, qui ob fraudulentam aliorum liberalitatem debita sibi stipe privabantur: idcirco Sac. Congregatio Concilii prædictam remissionem quandoque fieri vetuit, quemadmodum contigit in una S. Severini, in qua Episcopo ad hunc modum interroganti: *Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynæ dimidii julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri julii pro qualibet Missa, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate*: die 16. Julii 1689. eadem respondit *Affirmative, quoad eleemosynam manualem*.

Qui pinguiorem consueta accepit eleemosynam, debet vel illam totam alteri Sacerdoti tradere, vel ipse Missam celebrare.

14. Quia vero recta ratio non patitur ex eleemosyna ab Episcopo taxata, quæ exigua esse solet, aliquid detrahi in commodum Ecclesiæ submINistrantis Sacerdoti sacra indumenta, aliaque utensilia ad Missæ celebrationem necessaria, hac de causa Urbanus VIII. decrevit, nihil ex eleemosynis manualibus esse eo nomine detrahendum; ex stipendiis vero pro Missis perpetuis relictis tunc solum Ecclesias, ubi sunt celebrandæ, aliquid percipere permisit, cum alios reditus non habent, quibus onus sustineant sacra utensilia præstandi: quæ omnia a Nobis adducta, & fuse pertractata fuere Nostra Instit. Eccles. 56. & in dissertatione, quam, dum munus obiremus Secretarii Sacræ Congregationis Concilii, exaravimus, quæ extat in Thesaur. Resolut. tom. 3. pag. 307.

Ex solis stipendiis pro Missis perpetuis relictis detrahi quidquam potest in commodum Ecclesiæ, indumenta Sacra, atque utensilia Ministrantis.

15. Quis non crederet tot salubres Constitutiones Sacerdotum avaritiam refrænasse? Et nihilominus scimus sufficientes haud fuisse ad eam cohibendam: aliqui enim suffulti plurium Theologorum opinione, qui, etsi Sacrificii fructum quoad effectum, & in actu secundo, uti ajunt, finitum esse fateantur; attamen opinantur illud pluribus applicatum, æque singulis prodesse, ac si uni tantum applicaretur, instar radii solaris, qui quamvis finitus sit, æque tamen in unum, ac in multos se effundit: post acceptam a pluribus consuetam eleemosynam se omnibus satisfacere arbitrantur, unicum Sacrificium singulis, qui sibi stipem contulerunt, nominatim, & expresse applicando. Alii considerantes, tres esse Sacrificii fructus, generalem videlicet, qui in universam Ecclesiam redundat; specialem, seu medium, quem ille solus participat, pro quo nominatim a Sacerdote Sacrificium offertur; & specialissimum, quem ipsemet celebrans in se derivat; putarunt se posse hunc tertium fructum, qui ceteroquin est veluti actio immanens, quæ nequit ab agente in alium transire, alteri cedere, atque hac ratione novam eleemosynam accipere. Ejusmodi opiniones, & subdolæ artes, unice ab avaritia excogitatæ, jam a Sæculo XIII. in Ecclesiam irrepserant, iisque obviam ierat Concilium Lambethense celebratum anno 1282. cap. 2. decernens: *Nec credat Celebrans, se dicendo Missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter, & in solidum celebrare.... Absit enim, ne a quoquam Catholico credatur tantum intentione prodesse Missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille Missæ pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum Sacrificium, quod est Christus, sit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio suæ immensitatis summam plenitudinem operatur: Alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam Missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit*. Collect. Harduin. tom. 7. col. 862. Et nihilominus Sæculi XVI. initio nondum abolitæ fuerant. Siquidem Norimbergensis Germanorum Principum conventus apud Adrianum VI. summum Pontificem de hoc eodem abusu conquestus est: *Sacerdotes unius diei Missas, ad quas fundationis, seu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non semel, sed quater, quinquies, pluriesque venundant, unaque Missa duobus, tribus aut pluribus Ecclesiasticis Beneficiis satisfacere præsumunt*. Quamobrem eam pestilentem corruptelam iterum totis viribus eradicare studuerunt, cum Urbanus VIII. in suis decretis anno 1625. promulgatis, tum Sacra Congregatio Concilii, aliis decretis editis die 25. Januarii 1659. & 13. Decembris ejusdem anni, quæ referuntur a Fagnano in cap. *Fraternitatem*, de sepulturis, n. 96. & 97. ac postremo illam omnino profligavit Alexander VII. cum anno 1665. has damnavit Propositiones: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.: Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem; etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram*.

CAPUT XXII.

Variæ perpenduntur ac resolvuntur quæstiones circa stipendium Missæ.

Stipendium pro Missa exogatum multis olim corruptelis obnoxium.

1. ILlud stipendium, quod ex communi Ecclesiæ disciplina Sacerdotibus traditur pro comparando fructu medio Sacrificii, & loco panis, ac vini, quæ antiquitus offerebantur, sufficit fuit, ut præcedenti capite exposuimus, multas curas, ac sollicitudines in Ecclesia concitavit, vel ad coercendam Sacerdotum avaritiam, vel ad aliquam normam statuendam, ne ipsi detrimentum caperent ob aliorum libidinem; & ne hoc necessario subsidio destituerentur; vel denique, ne Fidelium voluntas fraudetur, qui stipendium offerunt, ut res divina pro ipsis, vel pro aliis adhuc vitam agentibus, aut pro Defunctis conficiatur. Quamobrem S. Franciscus, uti Alvarus Pelagius testatur, pro his corruptelis evitandis constituit, ut sui Ordinis Alumni quocunque in loco degerent, semel tantum in die celebrarent. Circa tamen S. Francisci mentem videndum supra Cap. 2. n. 6. 9. & 10. S. quoque Ignatius Societatis Jesu Fundator parte 6. suarum Constitutionum cavit, ne aliquis ex suis Sacerdotibus stipendium pro Missæ Sacrificio perciperet.

Eas penitus submovendas Sancti Franciscus Assisiensis, & Ignatius Constitutionibus suis caverunt.

Sacerdotes lucri causa celebrantes, Judæ proditori comparantur.

2. Petrus Cantor in Ecclesia Parisiensi, qui Sæculo XII. inter mortales agebat, has corruptelas gravissime redarguit in opere, cui titulus: *Verbum abbreviatum* cap. 37. & Sacerdotes ejusmodi Juda deteriores affirmavit: *Turpius Christum vendimus, quam Judas, eo quod deteriores fumus: Ille enim*, inquit, *quem purum hominem credebat, cum Familia etiam ejus indigeret, vendidit; nos vero, quem scimus verum Deum, & Hominem vendimus*; postea superaddit: *Ille pro triginta argenteis, nos pro denario, & pretio vilissimo*: Ignoramus quodnam pretium triginta denariis, quos proditor Judas accepit, Petrus Cantor tribuerit. Nam discrimen inter siclos Sanctuarii, & argenteos communes intercedit: hi enim novem scutata Romana pretio adæquabant; illi vero summam duplo majorem continebant; uti præstantes eruditione viri tradiderunt: esto

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tamen de minoribus ſiclis res intelligenda ſit, Petri Cantoris argumentum aptiſſimum ſemper judicabitur: quod etiam his verbis magis confirmat: *Ille pœnitens, licet non vere retulit, & rejecit triginta argenteos: in Eccleſia autem inter nos non eſt, qui turpiter acquiſita rejiciat.*

Eccleſiæ mos, qui permittit ſtipendium dari pro Sacro ad vitæ ſuſtentationem nequaquam damnandus.

3. Supervacaneum decreta recenſere Conciliorum, ac Pontificum, quibus hæ corruptelæ vehementer improbantur. Qui tamen ea cupiant intueri, Chriſtianum Lupum in notis Conc. Roman. habiti ſub Alexandro II. tom. 5. novæ editionis ſuorum operum pag. 150., Cardinalem Bonam Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 15. n. 7., Thiertium tom. 3. Superſtitionum cap. 13., ac Patrem Berlendum Diſſertatione ſuperius allata Hiſtorico-Theologica de oblatione Altaris par. 2. percurrant, qui eadem decreta fuſe commemorant: ſatis erit innuere receptam quidem ab univerſa Eccleſia conſuetudinem, ut pro Sacro dentur, & accipiantur ſtipendia, cum ex Altari vitæ ſuſtentationem merito deſumere Miniſter Altaris debeat; ideoque non ſine impudentia mos ejuſmodi damnari poteſt: *Sufficere debet*, inquit Gerſon in ſuo tractatu de ſolitudine Eccleſiarum particularium, *ad conſenſum hujus veritatis uſus totius communis Eccleſiæ, qui ſic habet, & recepit; cui ſi quis detrahit, impudenter ſe decipit &c. Nihil æquius ſecundum omnem legem eſſe deducit Apoſtolus* 1. *ad Corinth.* 9. *quam, qui Altari ſervit, de Altari vivat*: tamen proculdubio avaritiæ crimen, & ſpeciem quamdam ſimoniæ admitteret, qui pro Miſſæ ſtipendio pactiones aliquas, aut conditiones faceret, quemadmodum ex Tridentina Synodo deprehenditur Seſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in Celebratione Miſſæ: *Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeat.* Nam uti docet S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad ſecundum: *Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium Conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ, hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis.* Inſuper alio loco 4. ſentent. diſt. 25. q. 3. art. 2. q. 1. ad quartum, eandem confirmat ſententiam his verbis: *Facere pactionem de Miſſa celebranda, eſt ſimonia &c. ſi tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios, ſicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ.*

Laxæ Theologorum opiniones de modis quibus multiplicari poſſet ſtipendium pro Miſſa.

4. Sublatis ob legum ſeveritatem his corruptelis, aliæ rationes excogitatæ ſunt, ut aditus liber pateret avaritiæ, ac turpi lucro, quod juxta Concilium Tridentinum a ſimoniaca labe parum abeſſe videtur. Incredibilis librorum copia in vulgus emanavit, quibus variæ de Theologia Morali quæſtiones in examen adducebantur. In illis autem dirimendis cauſa potiſſima omiſſa fuit, ob quam S. Mater Eccleſia pro Miſſæ Sacrificio ſtipendium permittit, nempe, ut Sacerdotes ad vitam ſuſtentandam aliquod ex ipſo ſtipendio levamen ſuſcipiant, non vero ut divitiis cumulentur, quod Nos paulo ante explicavimus; ideoque ſordidos quæſtus augeri Eccleſia ſemper improbavit. Itaque diſputari cœpit, an Sacerdos, qui eleemoſynam accepit minorem illa, quæ in diœceſi conſtituta fuit, Sacrum tamen facere pro illo debeat, qui ſtipendium largius eſt. Inſuper, an Sacerdos collatis ſibi per diverſos fideles pluribus exiguis ſtipendiis rem Divinam conficere, illiſque fructum attribuere teneatur; nec ſane deſuerunt Theologi, qui Sacerdotem in utraque quæſtione ab onere celebrandi prorſus immunem judicarunt. Falſo pariter exiſtimatum fuit, Sacerdotem, qui ſtipendio conſueto majus invenerit, poſſe alium Sacerdotem ad Sacrum faciendum ſubrogare, ipſique ſolitam tantum eleemoſynam impertiri, ac reliquum, quod ſupereſt, ſibi retinere. Nonnulli etiam perpendentes *fructum medium* Sacrificii, qui in Sacerdotis poteſtate, atque arbitrio relinquitur, in ſatisfactorium, atque impetratorium diſtingui, plures eleemoſynas pro eodem Sacrificio comparari poſſe cenſuerunt, ſi videlicet Sacerdos fructum ſatisfactorium, exempli cauſa, pro aliquo defuncto, & ſimul pro ægroto impetratorium fructum attribuat. Sed alia quoque pro congerenda pecunia propoſita fuerunt: *Fructum ſpecialiſſimum*, qui Sacerdoti ſolum convenit, in Miſſa contineri excogitatum fuit; ideoque plures inquiſierunt, an Sacerdos, qui pro fructu medio jam ſtipendium accepit, fructum ſpecialiſſimum alteri pariter attribuere poſſit, ac pro illo novum ſtipendium exigere, quod facile ſatis adfirmarunt. Illud ſolum cavendum monuerunt, fructum ſpecialiſſimum trium Miſſarum fructui medio unius Sacrificii tantum adæquari. Quamobrem ſuſcepto jam ſtipendio ob fructum medium, tertiam quoque partem alterius ſtipendii pro fructu ſpecialiſſimo percipi poſſe docuerunt. Cognitum perſpectumque omnibus eſt, quod capite *ſignificatum de Præbendis* conceditur, nempe ut Sacerdos, qui Sacrum facere quotidie *per ſe ipſum* debet, illud aliquando prætermittere poſſit, vel quia a voluntate Fundatoris id minime alienum putatur, qui adeo rudis judicandus non eſt, ut Sacerdoti ad celebrandum deſignato tam grave onus conſtituere voluerit; vel quia ad Sacrum majori pietate, ac religione peragendum plurimum confert, ſi Sacerdos a re Divina aliquando abſtinuerit. Nam evenire poteſt, ut ipſe non ſemel eo pietatis ſtudio minime incendatur, quod neceſſario requiritur, ut Sacrum Deo rite operetur. Nunc nova quæſtio excitata fuit, an Sacerdos, quo die immunis a re Divina conficienda cenſetur, ſi tamen Sacrum perficiat, ipſiuſque fructum alicui attribuat, an, inquam, ſtipendium ab eo ſumendum videatur; idque Scriptores aliqui rationi conſentaneum putaverunt. Inſuper interpoſito diſcrimine inter Miſſæ celebrationem, ejuſque applicationem, inquirendi locus oblatus fuit, an Sacerdos, qui in aliquo peculiari templo, atque Altari peculiariter expreſſis rem Divinam facere, non tamen applicare debeat, duo ſimul ſtipendia percipere poſſit, videlicet unum pro celebratione, alterum pro applicatione, quod aliqui pariter non improbarunt. Poſtremo eam conſuetudinem in aliquas diœceſes invectam, qua novi Sacerdotes, cum primo Sacrum conficiunt, Eccleſiam circumeunt, ut eleemoſynas congerant, omnino probandam nonnulli cenſuerunt.

Præfatæ Theologorum opiniones ab Apoſtolica Sede damnatæ.

5. His ſententiis ad Apoſtolicam Sedem delatis, quid ſtatuendum eſſet, ipſa indicavit per Sacram Concilii Congregationem, quæ non modo ad explicandam Tridentinam Synodum inſtituta fuit, ſed etiam, ut Eccleſiæ diſciplinam per univerſum orbem integre ſancteque tueretur. Plura igitur decreta promulgata fuerunt, cum Urbanus Octavus Pontificatum gereret, qui primum Apoſtolica Conſtitut. 43. in Bull. Rom. tom. 4. ac deinde Innocentius Duodecimus peculiaribus litteris eadem decreta confirmarunt. Ipſa quidem variis locis edita ſunt, ac præſertim poſt Synodum diœceſanam Card. Jacobi Boncompagni in Bononienſi Archiepiſcopatu Deceſſoris noſtri præclariſſimi. In his ſancitum fuit, ut qui eleemoſynam pro Sacro acceperit,

perit, licet ſtipendium in diœceſi conſtitutum non exæquet, ad ipſum Sacrum conficiendum teneatur, fructumque illi attribuere debeat, qui eleemoſynam impertivit. Qui vero plura exigua ſtipendia a diverſis Fidelibus congeſſerit, tot Miſſas celebret, quot pro ratione ſuſceptæ pecuniæ celebrari queant. Qui ſtipendium ſolito majus conſequutus fuerit, ſi alium Sacerdotem ſuo loco ad celebrandum ſufficiat, integram pecuniam in illum conferat, ſibique nihil omnino retineat. Id quoque ſervanda Sacra Congregatio in Romana Eccleſia die 23. Auguſti anni 1664. lib. 24. Decretor. pag. 246. decrevit, licet Sacerdos ad faciendum Sacrum ſubrogatus rem totam plane noverit, & tamen ſe minori ſtipendio contentum fateatur. Alexander VII. ad eandem Sacram Congregationem dijudicandum rejecit, an duplex ſtipendium pro fructu ſatisfactorio, atque impetratorio ſumi liceret: Quare die 13. Decembris anno 1659. reſponſum fuit, id minime permitti poſſe. Ita Fagnanus, qui tunc Secretarii munere fungebatur, in Comment. ad cap. Fraternitatem nu. 97. de ſepulturis. Idem Pontifex has duas ſententias per S. Officii Congregationem inter proſcriptas adnumeravit n. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſemet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani Octavi n. 9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Inſuper, cum Tridentina Synodus lib. 1. pag. 1. & 3. juxta ſuperius allata verba nihil accipiendum ſanxerit, cum novi Sacerdotes primo Sacrificium offerunt, diſputari cœpit, an novus Sacerdos in medio Altari ſe ad Populum convertere poſſet, & oblata munera ſuſcipere; & utrum caveretur ſolum a Concilio, ne ob hanc cauſam Eccleſiam circumiret. Hinc Gregorius XIII. anno 1573. audita prius Sac. Congregationis Concilii opinione, ita ſtatuit: *Sanctiſſimus Dominus Noſter, audita relatione Congregationis Concilii, decrevit, licere ſe vertere in medio Altaris ad Populum, & accipere oblationes, non autem circumire Eccleſiam.* Itaque illud ſolum examinandum ſupereſt; an poſſit duplex ſtipendium accipere: unum nempe pro celebratione, alterum pro Miſſæ applicatione, qui ad ipſam celebrationem ſolum adſtringitur.

An Sacerdoti ad celebrandum unico addicto liceat duplex ſtipendium pertinere pro celebratione atque applicatione.

6. Paſſerinus quidem Ordinis S. Dominici Procurator olim Generalis tom. 2. de ſtatibus Hominum qu. 187. art. 4. n. 187. art. 4. n. 981., qui Romæ plures annos exegit, duplex ſtipendium probavit; Cardinalis etiam de Lugo Diſput. 21. de Euchar. n. 19. qui poſt Urbani Octavi decreta ſcripſit, eandem ſequitur opinionem; eam pariter amplectitur Auctor præclari libelli pro novis Confeſſariis inſtituendis Romæ nuper editi Part. 2. c. 17. nu. 411. Bartholomæus autem Gavantus, qui Sac. Rituum Congregationis munere Conſultoris egregie functus eſt, lib. 3. cap. 12. nu. 5. de Rubric. Miſſ. Decretum Sac. Congregationis Concilii die 13. Julii anno 1630. promulgatum affert, cujus hæc ſunt verba: *Quod, quando in fundatione Beneficii, ſeu Capellæ expreſſe cautum eſt, non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo caſu poterit Celebrans accipere novum ſtipendium, & unica Miſſa ſatisfacere obligationi Beneficii, ſeu Capellæ, & item danti novum ſtipendium.* Attamen contrariam ſententiam P. Diana magis approbavit in ſuis Operib. & in Cot. in ſuis Controverſiis lib. 3. Controverſ. 5. nu. 55. pro qua aliud Sac. Congregationis Concilii Decretum in medium profertur his verbis confectum die 9. Januarii, & 6. Februarii anno 1627. *An Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus, vel Monaſteriis Monialium celebrant, quam pro ornatu Eccleſiæ, vel ut Confratres, vel Moniales ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam, poſſint ultra ſtipendium, quod recipiunt a Confraternitatibus, vel Monialibus aliud ſtipendium recipere. Sacra Concilii Congregatio 9. Januarii, & 6. Februarii 1627. in Tragurienſi reſpondit: non poſſe.* Decretum ejuſmodi litteris etiam Senioris Cardinalis Paulucci ad Epiſcopum Comacli magis confirmatur, quæ datæ fuerunt die 30. Martii anno 1661.; *Abrogata non fuit ſententia prolata in cauſa Tragurienſi; ſiquidem Capellani duplex ſtipendium accipere nequeunt pro Miſſarum celebratione, quamvis ad applicationem Sacrificii minime teneantur: Quare iiſdem ſignificave poteris &c.*

Quæſtio nan dirempta relinquitur.

7. Decretum, ac litteræ, quas modo commemoravimus, a multis Scriptoribus afferuntur, ac potiſſimum in Appendice Synodi Diœceſanæ, quam Battiſtelius Fulginas Epiſcopus pag. 251. celebravit, ubi Virorum quoque præſtantium auctoritates congeruntur. Attamen experientia compertum habemus, in errorem non ſemel eos adduci, qui Sacrarum Congregationum ſententias uſurpant; eos pariter plane novimus, qui in hoc negotio periti ſatis exiſtimari debent. Quamobrem cum tot annis, quibus Sac. Congregationis Concilii Secretarium egimus, nulla umquam nobis occurrerit ſententia ex iis, quæ ab utraque parte feruntur, ut pateat an Sacerdoti ad celebrandum unice addicto liceat duplex ſtipendium percipere pro celebratione, atque applicatione; cum nullum pariter hujus rei documentum habeatur in notis, ac decretis, quæ Nos maximo ſtudio, diligentia, & incredibili labore collegimus, hanc quæſtionem non diremptam relinquemus, donec magis tuta monumenta deprehendantur. Neque enim res ita facilis ad judicandum videri poteſt. Nam pro Sacrificii applicatione obtinenda ſatis eſt, ut ipſius Celebratio indicatur. Si quis autem ſe applicationis onere prorſus immunem eſſe contendat, apertiſſime docere debet, a pio Teſtatore Miſſæ celebrationem unice requiri, & Sacerdotis arbitrio permitti, ut fructum Sacrificii, cui libuerit, attribuat. Hoc pacto conſtituit Sacr. Congregatio Concil. die 18. Martii anno 1668. in Cauſa Tinen. applicationis Sacrificii lib. 27. Decretorum fol. 61., eandemque ſententiam perpetuo ſequuta fuit, cum ſimile aliquid evenit: *Ex diſpoſitione teſtamentaria antiquitus facta a pio Teſtatore reperitur fundata quædam Capellania cum onere Capellano pro tempore Sacrum faciendi ſingulis Dominicis, aliiſque feſtivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus ſuffragium applicandum eſſet Sacrificium. Ideo Epiſcopus Tinen. ſupplicat, per Sacram Congregationem declarari, an hujuſmodi Sacrificium applicandum ſit pro anima ipſius Teſtatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum eſſe comperit. Sacra Congregatio Concilii reſpondit, applicandum eſſe Sacrificium pro Anima Teſtatoris.*

Poteſt offerri pinguius ſtipendium pro Miſſa, quam fuerit taxa ſtatutum.

8. His peractis plures quæſtiones excitatæ fuerunt, ut (ſi fieri poſſet) decreta ejuſmodi labefactarentur. Ac primum, an hæres præſcribere poſſet eleemoſynam, cum Teſtator nullum certum ſtipendium pro centum Miſſis celebrandis explicavit. Verum in decretis generalibus Urbani, quæ ſuperius commemoravimus, ita decernitur: *Cenſuit ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam Eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum ſecundum morem civitatis, vel provinciæ.* Aliqui falſo quodam ſtudio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ob-

& observantia erga Episcopos ducti libere asseruerunt, nullum stipendium a laicis tribui posse, quod summam ab Episcopo perscriptam excedat, nec illud jure a Sacerdotibus accipi posse, licet nulla conventione interposita, sed ultro concedatur. Aliquis etiam Episcopus hanc sententiam amplexus est, & Censuras in eos minatus est, qui stipendia ejusmodi conferrent; verum id communi omnium opinione improbatum fuit: sicuti superiori capite ex responsione Sacræ Congregationis compertum fecimus. Accedit quod quum Episcopus Septempedanus hæc proposuisset Sacræ Congregationi examinanda: *Episcopus narrat, sacrosanctum Missæ Sacrificium quodammodo vilescere, dum Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynæ dimidii julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri julii pro qualibet Missa imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate.* Ei Dubio Sacra Congregatio ita responsum fecit: *Sacra &c. respondit affirmative quoad eleemosynam manualem.*

Sacrificium pro eleemosyna tenuissima.

Sors Missæ Perpetuæ.

9. Cum autem Card. Boncompagnus statuerit in Synod. lib. 1. c. 5. ut sors pro Missa perpetua 112. scutatis Romanis constaret, Nos hanc summam ad 60. Romana olim Bononiæ scutata redegimus, cujus rei causam hic subjicimus. In Pontificatu Innocentii XIII. omnes fere Regularium Ordines summo studio petiverunt, ut onera pro Missis perpetuis imminuerentur. Tradita nobis fuit hujus negotii cura, habitisque cum Præfectis Regularium pluribus colloquiis, postremo sancitum fuit, ut onera pro singulis Missis perpetuis ad 60. Romana scutata redigerentur, eaque summa perpetuo in ejusmodi Missis excipiendis servaretur. Id Summus Pontifex sua auctoritate probavit, ac per omnes Regularium cœtus decretum eo modo confectum fuit, uti paulo ante explicavimus. Coacto Romano Concilio per Benedictum XIII., in quo locum inter Canonum interpretes Nos ipsi tenuimus, Facultas Episcopis permissa fuit, ut in suis diœcesibus 90. Rom. scutata pro singulis perpetuis Missis decernerent, uti Pontifex Innocentius XIII. Præfectis Regularium ante præscripserat. Insuper ea conditio adjecta fuit, ne majorem, aut minorem pecuniæ summam pro Missis perpetuis in posterum statui paterentur. Eadem ratione Sanctissimus Pontifex, qui Ecclesiam universam feliciter moderabatur, Nobis potestatem fecit, eamque prorogavit, ut in peragenda Pastorali Visitatione perpetuas Missas ad præscriptam normam redigeremus. Quare, si hac auctoritate præditi pro iisdem Missis 113. Romana scutata ad 60. solum scutata reduximus, quisquis consilii nostri rationem facile perspicere potest. Monendum quoque est perpetuas Missas excipi non posse juxta decreta Urbani VIII., atque Innocentii XIII., nisi facultas nostra, aut Vicarii nostri generalis intercesserit.

10. In celebrandis & applicandis Missis quasdam corruptelas inductas esse aliquando percepimus. Plures enim, qui sacrum facere absque stipendio nolunt, si illud desit aliquando, rem Divinam conficiunt pro illo, qui primus deinde stipendium erit collaturus, licet ipse Sacerdotis consilium, ac voluntatem ejusmodi penitus ignoret. Accedit etiam, quod aliqui Confessarii sibi Missarum stipendia congerant ab iis, quibus pœnitentiæ Sacramentum administrant. Quapropter Pontificatum quum gereret Clemens VIII., illud in Sac. Congregatione Concilii propositum, & examinatum fuit: *Superioribus diebus significatum fuit Sanctissimo D. N., paucis ab hinc annis in Hispania novam consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinioni nixam, sensim receptam in dies magis invaluisse, ut Sacerdotes Missam celebrantes, ejus valorem applicent his, qui postea Missæ celebrationem postulaturi, ac pro ea eleemosynam præbituri sint, tametsi, antequam Missæ Sacrificium perageretur, neque a Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam præstitissent.* Sacra autem Congregatio post accuratam rei disquisitionem his verbis respondit: *Quam rem cum Sanctitas Sua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejecisset, in Sacra Congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, qua ex ejusdem Congregationis sententia hujusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, Fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem, explosit, ac improbavit.* Clemens VIII. uti modo dictum est, rem totam Sacræ Congregationi examinandam commisit. Paulus autem V. peracto diligenti examine, Sacræ Congregationis sententiam auctoritate sua comprobavit, eamque datis ad universos Episcopos litteris promulgavit, uti refert Pasqualigus de Sacrific. novæ Legis quæst. 168.

Sacrificium pro eleemosyna tenuissima.

Explicitur sententia, quæ tuenda sit offerri posse Missa pro eleemosyna tenuissima.

11. Perpauca de Confessariis verba faciamus, qui a fidelibus, quos ad Pœnitentiæ Sacramentum excipiunt, stipendia sibi comparant pro Missis, quibus in eadem Ecclesia, ubi Confessiones audiunt, sive in alia deinde satisfaciunt. Non ignoramus licere Confessariis Missas aliquas celebrandas Laicis indicere pro criminum expiatione. Id enim inter opera satisfacientia merito recensetur, eo quod crimina sua confitentes aliquam pecuniæ summam impendunt, & tanquam Sacrificii cooperatores, peculiari quodam modo participes fiunt ejus fructus, qui *satisfactorius* appellatur. Attamen non ignoramus, quæ S. Carolus Borromæus admonuit, & Confessariis præcepit in Instruct. ad Confes. parte 4. Act. Ecclesiæ Mediolanen. *Non modo petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamve rem pro suscepti in Confessione laboris munere, immo verbis, vel potius factis ab his omnibus abhorrere demonstret. Cum pro pœnitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat. Quod idem servabitur in restitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliisque hujusmodi. Nec ipse pecuniæ, aliusve rei restituendæ provinciam assumat, nisi necessitas ad id cum adegerit, ne scilicet Pœnitens dignoscatur; eumque apocham recipiat ab eo, cui restitutionem contulerit, quam postea Pœnitenti tradet: ita denique se gerat, ut minimam avaritiæ labis suspicionem contrahat:* cum hæc ita se habeant, sub pœna *suspensionis a Divinis ipso facto* Sacerdotibus olim Bononiæ interdiximus Sacrum facere, illudque applicare pro iis, qui stipendium præbituri sint, & qui a Sacerdote minime id postulaverint, antequam Missæ Sacrificium conficiatur; qui vero peccata confitentibus Missas celebrandas irrogarent *sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto tunc simul* præcepimus, ne stipendia, sibi vel Ecclesiis suis tribuenda caperent pro Missis, quibus ipsi, vel alii Sacerdotes in iisdem Ecclesiis satisfacerent.

Confessarii non debent a pœnitentibus sibi vel Ecclesiis suis stipendia comparare.

12. In Rituali Romano, cum de exequiis agitur, hæc leguntur: *Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.* Merito quidem vetustissimus hic ritus nuncupatur, cum in codice Abbatis Ratoldi, ubi sepulturæ officium describitur, hæc habeantur: *In Ecclesia autem requiescat corpus defuncti, quousque pro ejus anima Missa canatur, & offe-*

Missa præsente corpore celebrari debet antequam sepultura tradatur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

offeratur ab omnibus, quibus fuerit visum. Idem codex Sæculo decimo exaratus fuit, quem Hugo Menardus adducit in Commentariis, quibus Sancti Gregorii Sacramentarium illustravit editionis Parisiensis anno 1642. pag. 363. Is vero Ritus tanti a pluribus æstimatur, ut, post decretum Innocentii III., in quo statuitur cap. *Consuluisti* de celebrat. Missarum: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare*; Interpretes illud verbum *necessitatis* explicantes ita declaraverint: *Sed quam dicit necessitatem? respondeo, si celebravit de die, & postea etiam moriatur aliquis. Unde unam potest celebrare de die, & aliam pro defuncto.* Huic vero opinioni certos limites, modumque imponendum alii censuerunt, quemadmodum auctoritate Benedicti XIII. de nobis optime meriti deprehendimus serm. 6. secundi trigesimi de Purgatorio: *Obsoletam quidem* (inquit) *hanc opinionem existimo, habita tamen ratione, si cadaver die festo sepulturæ tradendum sit in aliqua Parochia, quæ per unicum Sacerdotem administretur: Tunc enim Canone ductus Innocentii III. & illis præsertim verbis* nisi causa necessitatis suadeat *audacter sentio duo Sacrificia per Sacerdotem celebranda, unum nempe de Festo ejusdem diei, alterum vero pro defunctis pro expiatione præsentis defuncti, cum præsertim in mea diœcesi in usum converterim vitum vetustissimum, ne cadaver ullum sine Missæ Sacrificio tumulo mandetur.*

Vota suppositantur media, quibus Missæ Sacrificium celebrari possit pro egenis decedentibus.

13. Prudentibus quorundam Parochorum consiliis admoniti minime præcepimus dum Bononiæ moraremur, ne cadavera tumulo inferrentur, nisi prius res divina coram ipsis peracta fuisset: monuimus tamen, ne id prætermitteretur, ne, quæ a Rituali Romano, veterique Ecclesiæ consuetudine perscripta sunt, contemni viderentur. Ut res Divina semel pro egenis, dum gratuito sepeliuntur, saltem conficeretur, varias rationes Parochis subjecimus, quibus uti deberent, ut rem consequerentur. Quippe ad hoc Parochos ipsos obstringere noluimus, qui singulis diebus festis Sacrum pro populo offerre tenentur, quemadmodum ex sacris sanctionibus constituitur. Primum diligenter inquirendum est, an in Parochia Sacerdotes versentur qui pietate ducti Missæ Sacrificium pro egeno defuncto celebrare velint. Id nos libenter polliciti sumus Parocho nostro Sancti Petri, quoties egenum aliquem gratis sepulturæ tradendum admoneret, modo tamen die festo id minime contingeret, quo Sacrum pro nostro populo facere nos etiam consueveramus, sed tunc alium Sacerdotem, qui idem præstaret, loco nostro sufficiebamus. Insuper videndum, si forte aliquis in Parochia magis opulentus, expetens, ut *oratio sua in sinum convertatur*, stipendium conferre non recuset, quo eadem pro egenis Sacrificia peragantur. Tandem cum in quibusdam templis capsulæ ad excipiendas pro defunctis eleemosynas, in aliis vero ad augendos S. Eucharistiæ honores positæ erant, quas libenter (si fortasse deerant) nostra auctoritate permisimus, in iis capsulis inscriberent, desumendum esse ex ea pecunia stipendium, quo Sacrum pro quolibet egeno gratis in Parochia sepeliendo indiceretur. Quæ cum ita se habeant, Parochus sine ullo incommodo per se, vel per alium Sacerdotem rem divinam persolvet. In Nosocomiis etiam nonnulli in tanta inopia decedunt, ut gratis efferri debeant; quare Præfectos hortati sumus magnopere, ut idem, quod modo exposuimus, perficerent: nam ex pecunia, quæ pro sublevandis defunctis congeritur, stipendium facile deduci potest, quo pro iisdem egenis Missæ Sacrificium statuatur.

Suffragium pro uno Defuncto magis illi prosit pro quo fit, quam aliis.

14. Sanctus Thomas jam allato art. 12. quæsivit: *Utrum suffragia, quæ fiunt pro uno defuncto magis illi prosint pro quo fiunt, quam aliis?* dum partes affirmantium tuetur, uti superius dictum est, tertio loco hoc argumentum sibi solvendum proponit: *Pro pauperibus non fiunt tot suffragia, sicut pro divitibus. Si ergo suffragia facta pro aliquibus, his solum, vel magis, quam aliis, valerent, pauperes essent pejoris conditionis, quod est contra sententiam Domini*, Lucæ 6. *Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei*: Deinde hanc subdit responsionem: *Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet divites quantum ad aliquid esse melioris conditionis, quam pauperes, sicut quantum ad expiationem pœnæ; sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni Regni Cælorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur per auctoritatem inductam.* Eandem sententiam Sotus his verbis complectitur loco superius allato: *Respondetur cum D. Thoma, nihil obstare, quominus divites hac parte melioris sint conditionis, ut scilicet cumulationibus eleemosynis magis subleventur a pœna Purgatorii, sed multo pretiosius est, quod pauperes cum minori periculo, & majori cumulo charitatis ad ampliorem gloriam acceptentur: cum divitibus neque tam facilis sit ingressus, nec ad tantam gloriam.* Si tamen divites suis fortunis bene utantur, & in sublevandam vivorum inopiam, & defunctorum cruciatus convertant; impedimentum, ne tam facile inter Beatos recipiantur, sine ullo negotio superabunt.

Taxa Missæ Adventitiæ.

15. Circa Missas adventitias in Pontificatu Benedicti XIII. magno apparatu, magnoque studio propositum fuit, ut idem stipendium augeretur, cum Romæ ad decem Romanos asses solum pertingeret: Sacræ Congregationi Concilii res examinanda tradita fuit, cum Nos ipsi Secretarii munus ageremus. Quare dissertationem in lucem edidimus, in qua rationes pro utraque sententia continebantur. Die vero 13. Aprilis anno 1727. petitum fuit: *An, & in qua quantitate Eleemosyna manualis Missæ augenda esset in Urbe.* Responsum his verbis datum: *Nihil esse innovandum, & ad mentem: Mens est, ut agatur cum Eminentissimo Vicario super observantia decretorum pertinentium ad utensilia, & non ad transmissionem Missarum extra Urbem.* Plures quoque alios abusus prorsus intolerabiles circa Missarum eleemosynam his litteris nostris eliminare curavimus, quas ad complementum hujus argumenti de Missarum Eleemosyna integras hic subjicimus. Ad eos pariter abusus respeximus in Brevi encyclico ad Episcopos Provinciæ Pedemontanæ dato eodem die, quod extat in Bullario nostro pag. 51. tom. 1.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.

A Missarum celebratione qualibet turpis quæstus species arcenda.

QUanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones

nes potius, quam poſtulationes, aliaque ejuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, e medio tollantur, nemo eſt ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret.

Abuſus in hac materia invecti.

§. 1. Verum eouſque tandem progreſſa eſt, ſicut non ſine ingenti cordis noſtri mœrore undique accepimus, nonnullorum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Laicorum virorum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut eleemoſynas quidem ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem, juxta locorum conſuetudines, vel Diœceſanarum Synodorum Sanctiones, in ſubſidium alimentorum uniuſcujuſque Sacerdotis duntaxat, pro regionum opportunitatibus præſcripta, colligant; Miſſas vero celebrari curent alibi, ubi eleemoſynæ, ſeu ſtipendia, vel conſuetudine, vel Synodali lege, pro ſingulis Miſſis attributa ſunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

Quibus fruſtratur offerentium voluntas.

§. 2. Id quam abſonum ſit, atque alienum ab ipſa, ſive expreſſa, ſive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter exiſtimandum; in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas quiſque vult, ad quam, religionis & pietatis ſtimulis ductus, eleemoſynas confert; aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota. Quod ſane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate ductum, non ſolum ab avaritiæ ſuſpicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune; in cauſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi, ab eleemoſynis ad celebrandas Miſſas amplius offerendis ſeſe abſtineant.

Idem aliis a Summis Pontificibus damnati.

§. 3. Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, de conſilio tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, ſtipendio, ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium, ſeu eleemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti, ſe majoris pretii ſtipendium, ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet.

Adhortatio ad Epiſcopos pro extirpanda avaritiæ labe.

§. 4. Ea propter Vos, Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii, & ſollicitudinis Noſtræ partem adſcitos, rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes vigilias ſuper gregibus veſtris, enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant; quam quidem appetentes, erraverunt a Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum poſthabere ac ſervire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti, & Dei. Quod ſi hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque ideo legibus coercenda; quid in Eccleſiaſticis Viris, qui terrenis rebus nuntium miſerunt, qui in ſortem Domini vocati, qui Deo mancipati ſunt? Quid, quod non per mundana lucra, ſed per Altaris miniſterium, tam ſordide, & cum ſanctiſſimarum legum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore, in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Chriſti ovium cura demandata eſt, non ſolum ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde populi veſtigia veſtra ſequantur; verum etiam ut Eccleſiaſticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum paſcuis avertentes per viam mandatorum Dei ad Cæleſte ovile currere doceatis.

Injungitur publicatio Edictorum contra illicitos quæſtus, cum pœna Excommunicationis a Laicis, & ſuſpenſionis a Sacerdotibus ipſo facto incurrenda, & Summo Pontifici reſervate.

§. 5. Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur: per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum affigendumque, univerſis notum facite, quemcumque, qui eleemoſynas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earundem eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſibi alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem ſeu Sæcularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem, pœnam Suſpenſionis ipſo facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit. Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ, poſthac bene conſultum velit animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges cenſuraſque Eccleſiaſticas parvipendat. Interea Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam Benedictionem, in populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam, peramanter impertimur.

Præſentium tranſumptis fides præſtari ſancitur.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. menſis Junii, anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Data die 30. Junii 1741.

D. Cardinalis Paſſionei.

CAPUT XXIII.

De Celebratione quarundam Miſſarum.

Presbyteri ſæculares uti non poſſunt Regularium Miſſali.

1. NOn ſemel Presbyteri Sæculares in Eccleſias Regularium ſe conferunt, ubi cum Feſtum duplex eo die per ipſos celebretur, peculiaris Miſſæ forma proponitur, quæ in Romano Miſſali non continetur; quæ licet Sæculari Clero, & Sacerdotibus in illud templum confluentibus minime permittatur, eam tamen Sacerdos ſibi tribuit, dum in eadem Eccleſia Sacrum Deo operatur: quod ſane vetitum eſt, cum nemo poteſtatem habeat, ut privilegii limites prætergrediatur. Clericatus in unione earundem ante ſuas deciſiones de Sacrificio Miſſæ n. 16. & Biſs. lit. M. n. 216. §. 4., omnia, quæ Sacra Congregatio ſuper hac re conſtituit, plene commemorant. Magrius vero in notitia Eccleſiaſt. verb. *Miſſa* Presbyteros Sæculares uti poſſe Regularium Miſſali cenſet, ſi in ipſorum Eccleſia Romanum haberi nequeat. Attamen, ut ſacri Ritus obſerventur, Præfectos Regularium, qui Miſſali Romano non utuntur, admonemus, ut pro exteris Sacerdotibus illud in Sacrario retineant, ne aliam, ac debent, Miſſam celebrent, ſed eam potiſſimum, quæ in Miſſali Romano præſcribitur; ſi in eo propria illius Sancti, de quo celebritas agitur, Miſſa deſignetur; aliter vero

vero de communi ejusdem Sancti Missam eligant, quæ pariter in Romano Missali adnotatur. Ita per Sacram Rituum Congregationem die 19. Novembris anno 1622., ac die 9. Junii anno 1668. sancitum fuit: *Qui celebrat Missam in aliqua Ecclesia Regularium, aut etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de Festo, sed cum Missali Romano.* Idem Scriptores fere omnes testantur, Gavantus tom. 1. par. 3. tit. 10. n. 16., Bisi. lit. M. nu. 116. §. 4., Tonell. Sacr. Enchirid. lib. 1. cap. 2. §. 8., Sporer Theol. Moral. tom. 3. par. 2. cap. 6. sect. 4. §. 3. n. 430., La Croix tom. 6. lib. 6. par. 2. n. 372. & 376. quod magis etiam decreto generali probatur per eandem Congregationem die 20. Novembris 1717. promulgato, quod deinde Clemens XI. sua auctoritate confirmavit; insertumque est Bullario pag. 576., in quo ejusdem Pontificis constitutiones colliguntur. *Licere in posterum tum Confessario, tum Cappellanis quarumcumque Monialium servitio addictis Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Communi, non vero Missas propias eorundem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione concessas: & ita decrevit, & servari mandavit die 20. Novembris 1717.*

Decreta S. Rituum Congreg.

2. Ex veteribus testamentis deprehendimus, nonnullos pietate ductos præcepisse, ut Missæ Sancti Gregorii pro ipsorum expiatione celebrarentur. Hic mos obsolevit; idque tribuendum est Sacrorum Rituum Congregationi, quæ Missas ejusmodi penitus abrogavit. Verum in hac re multi decipiuntur, quos ab errore liberandos existimamus, ut prisca religio, ac pietas restauretur. Igitur tradit Sanctus Gregorius lib. 4. cap. 5. de Dialogis, defuncto quodam Justo monacho, se Pretioso pariter monacho hæc demandasse: *Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium; stude, ut nullus prætermittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur.* Absoluto Missarum numero Justus monacho Copioso apparuit, cui se Purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nunciavit: *Fratres vero* (inquit S. Gregorius loco citato) *sollicite computaverunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta.* Hinc Missarum usus dimanavit, quæ a Sancto Gregorio nuncupantur. Illum deinde Cluniacense Monasterium inter suas consuetudines adscivit, quas Uldericus Regularis Benedictinus lib. 3. cap. 29. complexus est; Fideles omni sæculo eandem consuetudinem pariter receperunt.

Quæ occasio induxerit Missas S. Gregorii nuncupatas.

3. Interjecto aliquo tempore triginta Missas prorsus ineptas, & rebus haud convenientibus refertas quidam sine ulla facultate temere confecit, easque a S. Gregorio appellavit, quas etiam diligenter expendit Thyers in suo tract. Superstition. tom. 2. lib. 4. cap. 4. Sacra igitur Rituum Congregatio easdem Missas celebrari omnino veruit, non vero piam consuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione, qui e vivis decedit. Cavendum tamen est, si eo dierum spatio pro defunctis sacrum fieri nequeat, eam Missam, quæ tunc ab Ecclesia præscribitur, pro defuncto peragendam, cum præsertim Sanctus Gregorius Missas, quæ pro defunctis agi solent, minime indixerit. Quod si intra trigesimum dierum numerum postremi tres dies Majoris Hebdomadæ occurrant; diebus insequentibus numerus absolvatur. Idem per consuetudines allatas Cluniacensis Monasterii indicatur. Inter eruditos, qui de hac re agunt Patres Bollandistæ tom. 7. Maji in Paralipomenis pag. 54. n. 11. locum habere possunt. Inter alios vero, qui scripserunt post decretum Sac. Congregationis Missas S. Gregorii, ut dictum est, prohibentis, Clericatus de Sacrific. Missæ decis. 14. num. 19. adnumeratur, qui reliquos omnes ejusdem sententiæ complectitur. Item Gavellus, in Opusc. de casib. conscientiæ casu 16. ac præsertim Benedictus XIII. de nobis optime meritus, qui supra cæteros erudite accurateque hoc argumentum pertractavit Serm. 20. de Purgatorio.

Quæ sensu Sac. Rituum Congreg. tas celebrari voluerit.

4. S. Thomas docuit, in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1. quod *ex parte Sacrificii Missa æqualiter prodest Defuncto, de quocumque dicatur; ex parte tamen orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ:* ob hanc causam de quibusdam piis hominibus traditur, qui Missam pro Defunctis quotidie celebrare voluerunt, quemadmodum S. Petrus Damianus testatur Opusc. 34. cap. 5. Illis tamen omissis, quæ instinctu divino, afflatuque facta fuisse putandum est, atque ideo nostris oculis cum admiratione suscipienda, non vero imitanda subjiciuntur, illis, inquam omissis, certi dies, quibus Missa pro Defunctis agi nequit, ab Ecclesia statuuntur, quos hoc loco enumerabimus, ut non pauca in futurum impediantur, quæ in Civitatibus, ac diœcesibus contra has leges committi deprehendimus.

Non licet imitari eos, qui Missam quotidie pro Defunctis celebrare voluerunt.

5. Solemnes pro Defunctis Missæ haberi possunt, cum privatæ pro iisdem conceduntur. Idem permittitur, etiamsi duplex aliquod officium majus, vel minus agitur, si tamen solemnia pro defunctis supremis alicujus tabulis instituta fuerint, iisque diebus peragantur quotannis, quibus illi e vita migrarunt: hæc enim Sacrorum Rituum Congregatio simul deposcit *& quod sint a testatore præscriptæ, & quod dies, in qua celebrantur, sit vere dies illius obitus annua.* Decret. die 22. Nov. 1664. confirmatum die 23. Sept. an. 1669. Diebus autem Dominicis, aut Festis ex præcepto, vel quibus *de Festo duplici* nullum officium instituti potest, annuæ Missæ ejusmodi pro Defunctis celebrari nequeunt.

Quibus diebus permittuntur solemnes Missæ pro Defunctis.

6. At vero, *Siquis die Festo sit sepeliendus, Missa propria pro Defunctis, præsente corpore celebrari poterit*, juxta rit. Rom. *nisi obstet magna diei solemnitas.* Per hæc sane verba Duplicia primæ Classis secluſa videntur; & Sacra quoque Rituum Congregatio die 5. Julii anno 1698., cum petitum fuisset octavo loco: *An in duplicibus primæ classis possit cantari Missa Defunctorum præsente corpore:* respondit, *negative.* Attamen disputandi locus adhuc superest, an Sac. Congregatio omnia duplicia primæ classis, juxta Quartum ad Rub. Missal. par. 1. tit. 5. dub. 1. n. 7., an magis solemnia, secundum Pasqualigum de Sacrificio novæ Legis tom. 1. qu. 285. complectatur, in quibus, licet præsente Corpore, Sacrum pro Defunctis confici non potest? Id sane judicio nostro dirimendum non est. Quare solum admonebimus in Missali quidem post Missam *in die obitus*, seu *depositionis Defuncti*, diem pariter tertium, septimum, & trigesimum cum propria oratione ad expiandas Defunctorum animas designari, tamen illis diebus ejusmodi Missæ tantum celebrari possunt, quibus privatim pro Defunctis sacrum facere licet, non vero illis etiam diebus Festo aliquo, ut dictum est, impeditis, licet *die anniversario, aut præsente corpore*, solemnia pro Defunctis tunc permittantur.

Quandonam Missa Defunctorum non possit cantari præsente corpore.

7. Juxta Missalis Rubricas, *Missæ privatæ pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis duplicibus, & Dominicis diebus.* Item qui-

Quibus diebus permittantur Missæ privatæ pro Defunctis.

quibus diebus *de festo duplici* nullum officium institui potest, Missæ pariter votivæ, ac pro Defunctis omittuntur. Id observandum contingit in Octiduis Epiphaniæ Domini, Paschatis, ac Pentecostes. Licet autem in Octiduis Corporis Domini, ac Natali ejusdem *de Festo duplici* celebritas agatur; Sacra tamen Rituum Congregatio annis 1670., ac 1700. vetuit, ne solemnia pro Defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino præcipitur, cum sacrosancta Mysteria palam exposita adorantur.

Acquiritur Indulgentia pro Defunctis celebrato sacro de Festo currenti ad Altare privilegiatum, quoties Missa de Requiem dici non potest.

8. In Litteris Apostolicis, quibus olim Altaria privilegiata declarabantur, cautum non fuit, utrum Missa ad eadem Altaria celebranda pro Defunctis, statueretur. Hinc locum habuit disputatio, an pro comparandis Indulgentiis Missa pro Defunctis, an alia quælibet requiratur; hanc postremam sententiam Fagnanus defendit, Cap. *quidem* n. 13. & seqq. de celebr. Missar. Diana in editione coordinata par. 9. tract. 2. resolut. 8., Pasqualigus de Sacrif. novæ Legis qu. 732. Tamburin. in methodo celebr. Missæ lib. 2. c. 7. §. 7. Nunc omnis dubitandi causa sublata videtur, cum iisdem litteris, quibus Altare privilegiatum conceditur, Missa quoque pro Defunctis decernatur juxta Bordon. de Legatis cap. 7. n. 48. & seq., Amost. de causis piis tom. 1. lib. 2. c. 5. n. 47. Aliud tamen inquirendum supereſt, an, si testatores Missas ad Altare privilegiarium pro Defunctis quidem præceperint, idem onus impleri valeat diebus per Rubricas, ut supra dictum est, impeditis? Sacra Rituum Congregatio Anno 1662. sacrum de *Festo currenti*, pro expiatione Defuncti jussit offerri, si tunc celebrandæ pro Defunctis Missæ contigerint. Alexander VII. id confirmavit, & servandum omnino voluit, licet per testatores ad Altare privilegiarium Missæ decernantur. Ex hoc decreto non satis conjicitur, utrum Pontifex Altaria privilegiaria non quidem in perpetuum, sed ad septennium, & certis solum per hebdomadam diebus complectatur; quæ deinde Clemens IX. complexus est. Cum Innocentius XI. Pontificatum gereret, animadversum fuit litteras Apostolicas Alexandri VII. & Clementis IX. de Missis solum pro Defunctis agere, quæ ex testamento celebrandæ sunt diebus ob aliquod Festum duplex impeditis. Hinc propositum, ac diligenter examinatum fuit, an, quæ cauta fuerunt decretis Alexandri VII. & Clementis IX., quoties impedimentum Festi duplicis obtingit, eadem servari deberent reliquis etiam diebus, quibus, licet Festum duplex haud celebretur, Missæ tamen pro Defunctis prohibentur? Innocentius Pontifex sententiam probavit; & anno 1714. Decretum super eadem re promulgatum fuit, quod Clemens XI. confirmavit. Habetur in Bullar. pag. 571. & in Missali excuso in Coll. de Propag. Fide, aliisque Missalibus.

CAPUT XXIV.

De Pietate, ac Religione in Sacro celebrando necessariis, ac de tempore, quod illis impendi debet.

Abusus, in quos prolabuntur Sacerdotes plurimi sacrum facientes indecore, & festinanter.

1. QUemadmodum lætitia maxima perfusi sumus, cum multos Sacerdotes Regulares, ac Sæculares vidimus summa pietate sacrum facere, & in ipso peragendo debitum tempus insumere, ita profecto gravissimum dolorem accepimus, cum aliquos nos ipsi deprehendimus, qui adeo festinanter, indecore, linguaque præcipiti rem divinam conficiebant, ut quæ tunc legerent, nullo modo percipere potuerimus. Plurimi sane inter Sacerdotes non exiguam temporis partem mane conterunt in foro, vel inanibus colloquiis, vel etiam negotiis ipsorum dignitati parum accommodatis, donec celebrandi tempus accesserit: tunc ad Sacrarium properant & sacris vestibus induti, vix limen Altaris contigerunt, fere intra momentum, Missa jam absoluta, Sacrarium repetunt, depositisque sacris indumentis, ad forum, publicasque officinas revertuntur. Utinam hæc falsa essent! Populus in quasdam Ecclesias magna frequentia convenit eam ob causam, quod ibi Missarum Sacrificia brevissimo temporis spatio conficiuntur. Perpauci in alia templa confluunt, in quibus non eadem celeritate Missas agi suspicantur. Illud quoque non sine quodam horrore a probissimis viris audivimus, aliquos Sacerdotes, ut cæteris omnibus ad celebrandum in privatis nobilium Sacellis Sacrificium præferrentur, pro quodam merito protulisse, quod citissime rem Divinam expedirent. Illud igitur certissimum est, non deesse, qui sacrum negligentissime faciunt, verba cum festinatione proferentes, intempestive, quæ agenda sunt, properantes, vel ea simul cum verbis conjungentes, cum tamen verba pronuncianda non sint, nisi quilibet actus prius absolvatur. Ad Altare tamen exiguo tempore, adeoque incomposite detinentur, ut nullam animo religionem, nullam verbis, ac precibus, quæ ad Sacrificium pertinent, attentionem habere procul dubio videantur. Sacerdotibus ejusmodi illud aptissime convenire potest, quod olim Tertullianus, cum diversam rem pertractaret, postulavit: *Sacrificat, an insultat?*

Sacerdos ad meliorem frugem reversus correptione Joannis Abulensis.

2. Si eodem pietatis studio, quo famulus Dei Joannes Abulensis, incenderemur, singulis hebdomadæ diebus libentissime Ecclesias mane percurreremus, ejusque exemplum sequeremur; cum ille, uti Pater Segneri commemorat, in sua Pastorali Instit. cap. 14. §. 1. Missæ sacrificio adesset, in quo Sacerdos, Christi Corpus tanquam oſellam manibus versabat; ad Altare accessit, ut decidentem candelam suo loco restitueret, & voce quidem demissa; vultu tamen inflammato ad Sacerdotem conversus, dum Hostiam e manibus deponeret: *Age*, inquit, *decenter cum hoc Puero, nam optimos habet Parentes.* Quibus verbis adeo commotus fuit Sacerdos, ut ad meliorem deinde frugem traductus fuerit. Quoniam vero imperfecti nos ipsi sumus, & sacrum qua par est religione, ac diligentia minime facimus, ita ut supremo die per Divinum Judicem nos vehementer arguentios merito timeamus; hinc aliqua solum afferemus, quibus nos ipsi, ac reliqui Sacerdotes, quibus opus est, recte instituantur. Deinde, nostra interposita auctoritate nonnulla prohibenda duximus, quæ pravum exemplum simul, & horrorem piis Fidelibus excitabunt.

Temporis spatium, quod in Missæ celebratione impenditur, duplex: alterius, & exterius.

3. In Missalis Rubrica hæc leguntur: *Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distincte, & apposite proferat; non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat.* Cardinalis etiam Bona in eo libello, quo Sacerdotem pro sacro rite faciendo instituit, hæc tradit, §. 3. *omnia verba, quæ sive elata, sive submissa voce proferentur, clare, distincte, ferventer, & absque ulla festinatione pronunciabis; nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum & sanctum videatur, quod a propria, & litterali verborum significatione alienum sit, ut te menti Ecclesiæ conformes, quæ omnes Missæ preces, lectiones, & sententias magno cum delectu ad Sacerdotis, & adstantium institutionem, & devotionem selegit.* Scriptores autem juxta Rubricam temporis spatium, quod

quod in Missæ celebratione impenditur, duplex constituunt; videlicet interius, & exterius. Primum quidem in recta, integraque verborum pronuntiatione, in precibus, cæterisque rebus, quæ a Sacris ritibus præscribuntur, attente decenterque absolvendis collocatur; alterum vero illud est, quod pietati Sacerdotis liberum relinquitur. Admonent tamen, ut hanc secundam prolixitatem quo possunt studio singuli evitent, ne fastidium populo afferatur; primam vero non sine gravi culpa omitti posse fatentur. De illa sane sermonem habebat S. Philippus Nerius, in ejus vita a Baccio scripta lib. 1. cap. 19. n. 9. cum Sacerdotes, qui in sacro peragendo cœlesti voluptate supra modum cumularentur, hortari solebat, ut diceret: *Non palam has delicias, sed clam in cubiculo magis optarem.* Hoc pacto innuebat sacrum religiose quidem fieri debere, cavendum tamen, ne tædio populus afficiatur; in cubiculo autem pietatis habenas laxandas esse. Itaque, si spatium temporis interius, quod requiritur in iis omnibus rite perficiendis, quæ modo explicavimus, sedulo perpendatur, non ita brevi tempore, ut multi existimant, sacrum expediri potest, sed ex unanimi Scriptorum opinione ad tertiam horæ partem saltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere. Quartus in comment. ad Rubric. Miss. Rom. par. 1. tit. 16. dub. 6., Gobat. in Theol. experiment. tract. 3. casu 23. n. 812. & seq., Biss. in sua Hierurgia tom. 1. l. B. verbo, *Brevis* n. 135., Coton. in suis Controver. lib. 2. controver. 5. num. 104., Clericat. in suis discord. Forens. Crimin. discord. 49. Roncaglia in sua Theolog. Moral. tract. 18. cap. 3. q. 2. resp. 2.

Præcludunt effugia Sacerdotum, & Fidelium quibus prolixæ Missæ fastidium gignunt.

4. Hæc sententia pariter continetur in illa institutione, quæ in Appendice postremi Romani Concil. excusa fuit pag. 246. Igitur parvi faciendi sunt inepti quorumdam sermones, qui nulla pietate præditi pravam consuetudinem tueri contendunt, ob quam nulla habita honoris ratione rem Divinam conficiunt, & præcipiti lingua omnia perturbant. Jactant igitur in populum, Missas prolixas fastidium gignere: Agnum Paschalem, qui Christum Dominum experimebat, ea lege fuisse Judæis propositum, ut comederent festinanter; *Exod. cap.* 12. S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum in sacro peragendo valde expeditum; postremo satis esse, si omnia legantur, & nihil eorum, quæ præscriptà sunt, omittatur; nullo autem pacto constitui debere tempus, quod sacro absolvendo insumatur. Attamen in primis, si quis tempus, quod superius exposuimus, impendere negligat, nunquam satis attente, ac decenter percurrere, atque agere potest universa, quæ in Rubricis continentur, quemadmodum docet Gobatus in Theol. experimentali tract. 2, c. 23. sect. 3. n. 814., cum illam conditionem *breviter* in celebranda Missa necessariam, his verbis explanat: *Breviter ac non festinanter, perinde ac si esset a tergo, qui scutica urgeret &c. breviter, id est, circa dimidiam horam; vix enim breviori spatio possunt omnia in communibus Missis peragi cum debito decore, ac devotione, cum tamen sit necessario tanta mora tribuenda Sacrificio, quanta necessaria est ad rite, ac devote omnia peragenda &c. Nec facile quis mihi persuadebit, se communiter cum sensu pietatis, & sine multis imperfectionibus, intra horæ quadrantem finire sacrum.* Insuper nihil ducendæ sunt inustæ illorum querimoniæ, ac fastidium, qui Missæ Sacrificium celerrime absolutum expeterent. Plurimi enim numerantur, qui pietate insignes ob ejusmodi brevitatem graviter animo commoventur, eosque Sacerdotes summopere commendant, qui pie, & eo temporis spatio, quod supra definitum fuit, sacrum conficiunt. Præ cæteris tradit Cardinalis Baronius ad annum Christi 418. sub n. 35. S. Augustinum inter alia mala, quæ vehementer arguere solebat, illud præsertim quorumdam extitisse, *qui queruntur de prolixitate Missarum.* Qui illam Exodi auctoritatem afferunt, *comedetis festinanter*, ut pravam consuetudinem corroborent, Sacras litteras nefarie interpretantur. Pater quidem Theophilus Raynaudus hanc sententiam ita explicat tom. 16. suor. Oper. pag. 10. n. 19. & seq. *Esto vero, admitti possit vulgaris notio festinationis illius pro celeri, & prompta comestione, nihil tamen inde ad rem præsentem. Nam quoad significationem transitus quam celerrimi, Ægyptiis urgentibus, brevissime confecti, necessaria erat ea festinatio in Sacrificio Agni consumendo; quæ ratio properandi cessat in hoc negotio.* Errant quoque apertissime, qui ad excusandam Missæ brevitatem S. Thomæ Cantuariensis exemplo utuntur. Petrus enim Rugerius, seu Gregorius XI., qui illius vitam scripsit, quam deinde Christianus Lupus in lucem promulgavit tom. 10. cap. 11. ultimæ editionis ipsius operum Venet. impressorum, hæc ita tradit: *Comedebat itaque festinanter propter emissiones per Angelos malos, pernicioſum scilicet vanarum cogitationum superventum in Sacramentali Dominici Corporis perceptione; non tardus, non morosus, non nova, præterquam quæ in Canone constituta sunt, adjungens: verum ea præsertim hora profundissimas, tamquam ex intimis pietatis visceribus, lacrymas profundebat, & singultus, tamquam attacta Christi vulnera, tota intima cordis excutiens viscera, & effundens.* Quare exemplum S. Thomæ, quod gravissimi Scriptoris auctoritate firmatum commemoravimus, illis procul dubio adversatur, qui in Missæ Sacrificio brevitatem, ac negligentiam tutantur. Ipsorum oculis subjici potius deberet exemplum Rogerii Salisbyrensis Episcopi, qui misere vitam absolvit, uti refert Guillelmus Neubricensis, cum sacrum nimis festinanter, & sine debita pietate celebraret, qua arte sibi gratiam Henrici I. Angliæ Regis conciliaverat. Insuper inter cætera, quæ in Concilio Constantiensi contra Joannem XII. prolata sunt, illud quoque locum habuit: *Quod Missam raro, currenter, sine devotione celebraret.* Lupus eod. loco pag. 373. tradit tom. 9. Non semel etiam improvisa morte aliquos Sacerdotes oppressos fuisse, quod probissimi homines divino sane judicio contigisse putaverunt ob indignam festinationem, qua rem Divinam conficiebant, quemadmodum Pius Settala Dertonensis Episcopus testatur in opere, cui titulus: *Mysteria, & sensus Mystici Sacrific.* cap. 50. n. 14.

Admonitio ad Sacerdotes.

5. Tandem quo possumus majori studio juxta infirmitatem nostram Sacerdotes obtestamur, ut, quæ nos hucusque declaravimus, sedulo perpendant. Idem nos ipsi diligenter præstabimus, ut, quæ olim negligenter commisimus, in Missæ celebratione corrigamus. Parato, mœrentique per pœnitentiam animo ad sacrum faciendum accedamus, ita ut per exteriora pietas interior indicetur, rectumque populus exemplum a Nobis desumat: quæ legenda sunt, clara voce exprimantur, omnis linguæ festinatio prorsus impediatur; quidquid vel agendum, vel ore proferendum est cum seria mentis consideratione jungatur; & tunc *tertiæ partis*, vel etiam *dimidiæ horæ spatium* pro Missæ Sacrificio constitutum nimis prolixum non videbitur. Deo juvante fore confidimus, ut Sacerdotes universi sibi pro muneris ratione, ac di-

gnitate satisfaciant; nec in forum, aut publicas Urbis officinas in posterum simul convenient, ut vanis rebus detineantur, ac deinde ex foro ad Sacrarium properantes Missæ Sacrificium instituant. Hoc etiam Tridentina Synodus præcepit Episcopis, ut in Sacrificio Missæ diligenter accurateque omnem irreverentiam impediant, *quæ ab impietate vix sejuncta esse potest* (Sess. 22. de Sacrif. Missæ, in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ) Clemens XI. in iis litteris, quas die 16. Martii anno 1703. ad universos Episcopos dedit, eandem rem plurimum his verbis commendavit: *Majori super omnem dicendi modum diligentia, ac studio curare debes, ut Missæ Sacrificium, quo nihil sanctius, nihil divinius excogitari potest, per solos Presbyteros celebretur, non tantum ea morum puritate, quæ ipsos decet, qui singulis diebus Deo Patri cæleste Holocaustum offerunt unigeniti Filii, qui nostram immortalitatem induit, verum etiam, ut sacras cæremonias in rubricis præscriptas sedulo, pieque observent: Id enim necessario requiritur, ne Sacerdos inter homines, Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter, immodestèque suo munere fungatur, Deum magis irritet.*

FINIS.

AD LIBROS DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO APPENDICES.

APPENDIX I.

AD LIB. I. CAP. III. NUM. 1. EX SECUNDO TOMO BULLARII PAG. 123.

De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam & visibiliter exposita super Altaribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Causa scribendi desumitur ex consuetudine, quæ licet pia, Ecclesiæ tamen disciplinæ adversatur.

Accepimus præstantium Virorum testimoniis jampridem in quibusdam Pontificiæ Ditionis Civitatibus inductam esse consuetudinem, quæ licet pietatem, ac religionem præseferat, Ecclesiæ tamen institutis, ac disciplinæ plurimum adversatur. Idem nos ipsi deprehendimus in aliquibus Ecclesiis hujus nostræ Romanæ Urbis, & aliis pariter, quæ Episcopis Suburbicariis subjiciuntur. Quapropter muneri Nostro deesse magnopere videremur, nisi de hac re monerentur illi, qui pro spirituali hujus Civitatis regimine Ministri a Nobis constituti sunt, & alii, qui Suburbicarios Episcopatus, vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia sedem obtinentes curam gerunt animarum.

In Altaribus præter majorem Tabulam, alia minor collocatur, & Crux inter Candelabra posita auferatur, & illius loco parva Crux minori Tabulæ superadditur.

In Altaribus, quæ per Ecclesias erecta sunt, & in quibus Sacrum fieri consuevit, præter majorem Tabulam, quæ vel depictam, vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam Altare consecratum est, adjungi cœpit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur Effigies alterius Sancti, ita ut Crux auferatur, quæ, juxta Rubricas, inter Candelabra collocari debet: Cum vero neminem lateat, rem Divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super Altari constituatur, hinc minori Tabulæ superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distingui ferme possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super Altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit.

Pont. improbare non intendit, ut plures Sancti in uno Altari Fidelium venerationi proponantur.

Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen, ac memoriam dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantum, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus, vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis & Populi assistentis oculos pene effugiat: Id enim alienum est a legibus, & Institutis Ecclesiæ, quæ in Rubricis aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus continentur: Id etiam maxime contrarium est Sacræ antiquitati, & Ecclesiarum, etiam Orientalium, consuetudini; ita ut certissimum sit violari Leges Ecclesiæ, si exigua solum Imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel Statuæ Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.

Sed ad Missæ Sacrificium celebrandum non permittit, ut parva Crux super Altari ponatur.

Præceptum Rubricæ Missalis in hac parte.

In Rubricis Missalis *tit. de præparatione Altaris, & ornamentorum ejusdem*, hæc leguntur: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere*. In Romano Pontificali *titul. de Consecratione electi in Episcopum*; cum sermo est de Altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto Missæ Sacrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem Divinam facit; in eo, inquam, Pontificali hæc habentur: *In Capella vero minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, addatur Altare cum Cruce, & duobus Candelabris*. Cæremoniale autem Episcoporum postquam *lib. 1. cap. 12.* commemoravit Candelabra, & Candelas, hæc addit: *In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo, & opere, præalta, ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum Candelabrorum, & Crux ipsa tota Candelabris superemineat, cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem.*

Item Pontificalis Romani.

Item Cæremonialis Episcoporum.

Sententia Pontificis in ejus Opere de Sacrificio Missæ.

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandæ Crucis in Altari, cum Sacrum peragitur, in nostris Commentariis *De Sacrificio Missæ*, quæ Italico sermone a Nobis confecta fuerunt *par. 4. sect. 1. num. 17. ac sequentibus*: Plura deinde addidimus *sect. 1. §. 18. & 19.*, cum ipsa latine reddita lucem iterum publicam adspexerunt. His etiam adjungimus, ob vetustatem præsertim hujusce Ritus, tantam venerationem, cultumque semper exhibitum fuisse Cruci, quæ in medio Altari collocatur, cum Missæ Sacrificium conficitur, ut Novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre pertimuerint, cum suam Cœnam instituunt; hæc testatur Gretserus *in suo Tractatu de Cruce cap. 23. tom. 1.* ejus editionis, quæ postremo typis vulgata fuit.

Condendus Ritus Orientalium.

Si vero disciplinam Orientalium inspiciamus, Græcis in more positum est, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini, ac Beatæ Virginis, & super Altari Crucem una cum Libro Sanctorum Evangeliorum constituant: In Lyturgia vero Copto-Arabica, quæ desumpta ex manuscriptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736. in Collegio Urbano de Propaganda Fide *pag. 33.* indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem cum Cruce Populo

impertiat, eam deinde osculetur, ac Diacono tradat, qui ipsam super Altari collocat:] Postremo Ritus Syriacus Maronitarum eadem prorsus decernit, quæ in Rubricis Romani Missalis præscribi superius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 3. tract. 2. sect. 4.* ita scriptum reliquit: *Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferæ Crucis vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quæ coacta fuit *anno 1736.* in Monte Libano, quam Litteris Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *par. 2. cap. 13. de Sacrosancto Missæ Sacrificio can. 8.* ita sancitum est: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.*

De quæstione, an sufficiat super Altari Crux nuda, vel debeat esse cum Crucifixo.

Scriptores, qui Sacros Ritus explicarunt, nonnullas disputationes instituunt; ac primo, utrum satis sit nudam Crucem in Altari statuere, an Imago Crucifixi addenda simul videatur. Equidem Rubricæ Missalis solam Crucem commemorant. Cum tamen Cæremoniale Episcoporum Crucem una, & Crucifixum nominet, idque communi Ecclesiæ consuetudini consentaneum sit, hanc ideo sententiam probandam nemo sapiens dubitat. Ita sentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6. par. 2. de Sacrificio Missæ num. 318.* fatetur, ob veterem communemque usum, sine imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce, rem Divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit. Et profecto initio Ecclesiæ, cum Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, si Christum Crucifixum publice adorandum proponerent; Crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque incisum, vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo saltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent: Id conspicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Ecclesiis, & testimonio etiam Magrii comprobatur *in ejus Hierolexico, in vocabulo* CRUX.

De alia quæstione, an poni debeat Crux, quando in Tabula Altaris est depictus Crucifixus.

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens a Cruce debeat in Altari constitui, etiamsi Salvator noster Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii vero necessarium id minime arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur. Ita censent Pasqualigus *de Sacrificio Missæ quæst. 716.* Quartus *ad Rubricas Missalis par. 1. tit. 20. dub. 10.*, & Gribaldus *de Sacramentis in tract. 5. de Sacrificio Missæ cap. 9. dub. 2. num. 20.* Huic pariter sententiæ se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione, quam ipsa promulgavit anno *1663.*, & quam Meratus recenset *tom. 1. par. 1. tit. 20. de præparatione Altaris num. 6.*, & in Indice Decretorum *eodem tomo par. 2.*

Item, an poni debeat Crux, quando adest Tabernaculum cum Sanctissima Eucharistia.

Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Missæ in eo conficitur Altari, ubi positum est Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præsertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi semper præfigatur. Equidem in Cæremoniali Episcoporum hæc habentur: *Non incongruum, sed maxime decens est, ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramentum est, Missæ non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus:* in veteri Cæremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur, *quod antiquitus observatum esse videmus.* Attamen id prorsus difficile nonnullis videtur, ob eam causam, quod, ut ipsi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui soleret, aut Divina Eucharistia in eis conservata non fuisset, aut nullum Missæ Sacrificium in eis esset institutum: Aliter vero sentiunt ii, quibus cognitum perspectumque est, eum morem fuisse antiquitus, ut Sacra Eucharistia in Ecclesiæ Sacrario servaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perspicimus in Basilica Sanctæ Crucis in Jerusalem: Idem perpendit Mabillon. *in Musæo Italico tom. 1. pag. 89., ac tom. 2. pag. 139.* At quod in præsenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propositæ controversiæ liberum facit, illud est, quod, juxta vigentem disciplinam, Sacra Eucharistia conservatur in Tabernaculo, quod est positum super uno ex Altaribus Ecclesiæ, & quod in eo passim Missa celebratur; cum, sedulo perpenso Cæremoniali textu deprehensum sit, eum prædictæ celebrationi absolute non obstare; uti Christianus Lupus expendit *tom. 11.* recentioris editionis in Dissertatione *de Sacris Processionibus pag. 356.* Hanc itaque controversiam quum alias Nos ipsi expenderemus in supra citatis Commentariis *de Sacrificio Missæ par. 4. sess. 1. num. 18.*; illorum sententiam probavimus, qui existimant Crucifixum inter Candelabra statui debere: neque parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, satis esse, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferius explicabimus. Idemque censuit Congregatio Sacrorum Rituum anno *1663.* uti perspicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *part. 2. tom. 1. num. 400.*, ubi hæc leguntur verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum Sanctissimum Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.*

Item an poni debeat Crux, quando est expositum SS. Sacramentum.

Quarto loco disputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi Divina Eucharistia non includitur Tabernaculo, sed publice Fidelium venerationi exponitur. Id necessarium esse putavit Sacrorum Rituum Congregatio *die 14. Maji anno 1707.* Hoc enim petitum fuerat: *An super Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat.* Sic autem responsum est: *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appositæ collocationem.* Porro quum Nos ipsi tunc in minoribus constituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco eidem Congregationi præsentes adfuerimus, adhuc memoria retinemus, in illa sententia ferenda varia fuisse ac discrepantia suffragia, eautumque deinde fuisse, ne ipsa sententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta est in examen initio Pontificatus Nostri *die 2. Septembris anno 1741.* in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quæ postquam omnia diligenter accurateque perpendit, decrevit, ut quælibet Ecclesia morem & institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Missa in eo celebratur, & super eo publicæ venerationi Eucharistia exposita est, parum urget, quod nonnulli asserunt, indecens esse, ut Christi Imago in eo loco sit, in quo Christus ipse sub specie panis realiter præsens est, & ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe prorsus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens, materiam Eucharistiæ consecravit; nec enim Ecclesia unquam decernendum putavit, ut peracta Consecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec asserentibus Crucem necessario esse

debe-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

debere in Altari, in quo expositum est Sacramentum publicæ venerationi, si in eo Missa celebretur, quidquam prodesse potest, quod in publica Eucharistiæ expositione significetur triumphus, & gloria Salvatoris, in Missæ autem Sacrificio ejusdem mors repræsentetur; cum Ecclesia, tam in actione Missæ, in qua Eucharistia consecratur, quam in conclusione precum, quæ coram eadem jam consecrata & Fidelium venerationi palam exposita recitantur, una eademque Collecta æque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus, qui Nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui Sacra Mysteria venerari; ut redemptionis tuæ* (hoc est passionis, ac mortis) *fructum in nobis jugiter sentiamus*. Quæ cum ita se habeant, Rituumque Interpretes & Scriptores, ob ea, quæ mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quæ prudenter, sapienterque decreta fuerunt a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Ecclesia vel Diœcesis suam retineat consuetudinem: ita ut nihil immutetur in ea Diœcesi, ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet: neque nova disciplina excitetur in ea Diœcesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit.

Pontifex omnia super hac re proposuit, ut perspectum sit consuetudinem, quæ invaluit aliquam esse a Sacro Ritu.

Hæc omnia diligenter expositimus, non quidem, ut hac de re plenum justumque tractatum adornaremus, sed ut ex eis cognitum esset atque perspectum, quam alienum sit a Sacris Ritibus id, quod plures temere & inconsulto peregerunt, nempe ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra, sed exiguus tantum Crucifixus præfigatur Tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaris adjungi consuevit.

Si enim, juxta Rubricas Missalis, Crux inter Candelabra statuenda est; si, juxta cæremoniale Episcoporum, Crux ipsa cum Imagine Crucifixi Candelabris supereminere debet; si, juxta sensum Congregationis Sacrorum Rituum, non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Missa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum sacris Particulis in Tabernaculo includitur; si in præsenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur; nec minus de Altari, in quo Sacra Eucharistia publice adoranda proposita sit; nemo est, qui non videat, praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam, ex supradictis dicendam esse omnino improbatam; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea profecto utilitas non consequatur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re præclarissimus Vir Cardinalis Bona ita scriptum reliquit *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8.: Ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocatur, cujus Passionis viva Imago, & realis repræsentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tanquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur:* His postremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 2.*

Adhortatio Pont. ad Episcopos, ne irrepat consuetudo adversus Sac. Ritus.

Itaque, Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apostolica scripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne vestras in Diœceses irrepat consuetudo, quam superius explicavimus; quod si jam ipsa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde severitatem, si opus fuerit, adhibentes, illam penitus convellite. De Sacrificio Missæ res agitur, ideoque nemo vestrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episcopis, & ordinariis Locorum, ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quæ Ritui Missæ celebrandæ adversantur; Ita clare desumitur *sess. 22.* in Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*. Neque vos latet, nullum esse privilegium, aut immunitatem, quæ deliquentibus in hac re suffragari possit, ut vestra ab auctoritate, pœnisque per Vos irrogatis vindicentur; Idem sæpius confirmavit Sacra Congregat. Tridentini Concilii interpres, Decreto inhærens ejusdem Synodi, quod paulo ante memoravimus: Id Fagnanus testatur ad *Cap. Grave, num. 46. de officio Ordinarii*, his verbis: *Et generaliter hoc Decretum* (de quo superius dictum est) *censuit Sacra Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quæ ab Ordinariis Locorum circa observanda, & evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint omnino servare teneri, ad idque etiam pœnis, & censuris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi & compelli posse.* Nos quidem his Litteris eandem auctoritatem, qua jam prædíti estis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum superest, eam Nobis mentem haud esse, ut Imagines Sanctorum, quæ majori Tabulæ Altaris superadditæ sunt, de medio auferatis, cum fortasse defuturi non essent invidi, qui ut pietati vestræ maculam inurerent, in vulgus disseminarent, Vos nulla duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium veneratíoni subducitis: Illud Vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini, rem Divinam fieri ad hujusmodi Altaria, nisi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans, ac Populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum facile, & commode intueri possint; quod evenire nequit, si exigua solum Crux minori Tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. Si ejusmodi corruptela in Diœcesim non valde propagata est, facile extingui poterit, si privatim Regulares, aut Sæculares Ecclesiarum Superiores de hac re moneantur: sin autem late per Diœcesim invaluerint, tunc a Vobis Edictum necessario promulgandum erit, quod his nostris litteris conformetur. Plura scribere Vobis prætermittimus, quos prudentiæ, ac doctrinæ laude satis præstantes existimamus: Auctoritatem nostram, ut rem perficiatis, & quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim Fraternitatibus Vestris, & Populis curæ vestræ commendatis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Die 16. Julii 1746.

A P-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX II.

Ad Lib. I. Cap. VIII. Num. 15. Ex Institutionibus Ecclesiasticis, Pag. 90. Institutio XXI.

De Benedictione, quæ Sacris Indumentis, & Vasis tribuitur, sive Sacra Unctio sit necessaria, sive minime requiratur. Origo ejusdem Benedictionis; quo pacto administrari debeat.

Christus in novissima Cœna Sacrificium & Sacerdotium instituit.

UNiversi Patres, ac Theologi consentiunt, Christum Dominum novissima cœna, in qua Sacrificium sui Corporis, & Sanguinis instituit, Sacerdotii ordinem, ac dignitatem cunctis Apostolis contulisse, cum potestatem eisdem consecrandi per illa verba tradidisset: *Hoc facite in meam commemorationem*. Neque sane hoc in dubium revocari potest, cum Tridentina Synodus apertissime decernat: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum, anathema sit* (1).

An triduo post Salvatoris mortem celebrari potuerit Sacrificium.

Ut omittamus eam controversiam, quæ inter Theologos agitur de Missæ Sacrificio, quod ab Apostolis vertente triduo post Salvatoris mortem celebrari poterat; qua in re unanimi assensu conveniunt Corpus Christi sub speciebus panis futurum fuisse vita destitutum, nec animam ulla *concomitantiæ* ratione conunctam; deinde nonnullas alias quæstiones instit unt, an Missa per illud triduum peracta rationem ejus Sacrificii habuisset, quod Salvator obtulit. Item, an hostiæ tunc consecratæ, si postquam Dominus resurrexerit, servatæ fuissent; an ipsius Corpus exanime, vel animæ restitutum continuissent; his omissis illud certum est, illorum dierum spatio Apostolos Sacrum non fecisse, & viri doctrina, atque eruditione præstantes inter se disputant quonam tempore Sacrificium Missæ primo iidem Apostoli celebraverint.

Quonam tempore Apostoli primo Sacrificium celebraverint.

Inter argumenta, quæ a P. Theophilo Raynaudo afferuntur, illud postremum non est, quod inscribitur: *De prima Missa* (2). Postquam ibi asseruit Apostolos ob amantissimi Præceptoris mortem mœrore pene confectos, &, velut oves interfecto Pastore, dispersos, per illud triduum Sacrificio abstinuisse, ipsos deinde revocato ad vitam Domino incredibili voluptate excitatos primum Deo Sacrificium obtulisse decernit, ut supremum ipsi cultum persolverent, vel ut gratias agerent pro redivivo Præceptore, vel ut memoriam acerbissimæ ejusdem Passionis recolerent, vel denique, ut Fideles, ac se ipsos singulari lætitia recrearent. E contrario Cardinalis Bona (3) in tractatu rerum Liturgicarum, quem nemo satis commendaverit, primum Sacrificium in Pentecostem usque prorogatum existimat, cum super eos de cœlo Paraclitus immissus fuit; idque affert argumentum, quod lex vetus usque ad Pentecostem vim suam retinuerit, cum nova nondum satis promulgata esset, ideoque *non decebat novum offerri Sacrificium Sacerdotio nondum translato*. Huic quidem sententiæ congruit sacrarum Litterarum auctoritas (4), in quibus describuntur *perseverantes unanimiter in oratione* Apostoli simul in Cœnaculo coacti ante illapsum Paracliti (5). Deinde cum dies Pentecostes complerentur, & sub variis linguis in illos Spiritus Sanctus descendisset, tunc quoque, *erant perseverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*.

Apostoli peculiaribus indumentis Missæ Sacrificium peregerunt.

Hac disputatione absoluta de tempore primi Sacrificii, qui res Ecclesiæ magis accurato studio persequuntur, illud inquirunt, utrum Apostoli Sacrum in communi, & quotidiana veste confecerint, an Sacrificii religione ducti peculiarem adhibuerint, uti postea novæ Legis Sacerdotes in more positum habuerunt. Hugo a S. Victore, & Walfridus Strabo primam opinionem tuentur; Nicolaus autem Alemanus (6) irridet eos, qui aliter sentire non dubitent, ea potissimum ratione adductus, quod tunc Apostoli in summa egestate versarentur. Ab illa tamen dissentiunt Valdensis, Democharcs, Baronius, Stapletonius, Suaslajus, Bona, Raynaudus, qui pari eruditione celebrantur. Quidam etiam ex illis nimia Alemanni confidentia graviter commoventur. Ac primum ii concedunt Christum Dominum usitatis vestibus indutum divinum Sacramentum instituisse; contendunt tamen Apostolos peculiaribus indumentis usos fuisse, cum primum Sacrificium, ac deinceps cætera peregerunt. Id enim rei dignitate maxime convenit, quod etiam Judæorum, Ethnicorumque exemplis ante oculos propositis suadebatur. Et quemadmodum, qui Christi fidem suscipiebant, uti ex Apostolicis actibus deprehendimus, bonis omnibus divenditis, pretium Apostolis offerebant, hinc a veritate dissonum non videtur, quod Apostoli egenorum calamitatibus facile consulere possent, vestesque idoneas, & alia ad Sacrificium pro ejus majestate celebrandum sibi compararent.

Quod ad exemplo D. Pauli comprobatur et medio relinquitur.

S. Paulus Apostolus, (uti ex sacris Litteris conjicimus) Troade Asiæ Civitate, quam decennalis Græcorum obsidio celebrem effecit, ter substitit. De primo in illam adventu actus Apostolici capite 16.; de secundo Paulus ipse epistola 3. ad Corinthios; de ultimo tandem iidem actus Apostolorum cap. 20. palam commemorant. Carpus, cujus nomen die 13. Octob. in Martyrologiis commendatur, Apostolum hospitio recepit, cum novissime ad illam Urbem veniisset; discedens Paulus *Penulam* forte apud eum reliquit. Anni spatio interjecto, cum secundam ad Timotheum epistolam scriberet, hæc habet: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens effer tecum*.

Quod si probanda videretur eorum opinio, qui Penulam idem, ac Sacerdotis casulam arbitrantur, satis constaret, Apostolos sacris indumentis, cum rem divinam facerent, usos fuisse. Præclarus Doctor Guillelmus Estius in commentariis ad eandem Pauli epistolam Penulæ nomine libros veteris Testamenti intelligi affirmat, non vero casulam, qua nunc Sacerdotes utuntur; *Quod vero quidam Penulam interpretantur vestem sacram, quam Latini Planetam vocant, non est, unde solide probetur*. Joseph Vicecomes e contrario (7) casulam sub eadem Penula significari contendit. Cardinalis Baronius (8) ingenio, ac virtute magnus, cum utramque sententiam in medium protulisset, hæc tradit: *Verum ex his duabus recitatis sententiis, vel de volumine, vel de sacra veste, alterutram, quam velit, lector sequatur, sed magis placet, ut volumen Sacræ Legis intelligi debeat*. Maximæ diligentiæ vir Cardinalis Bona (9) eorum opinionem amplecti videtur, qui Penulam pro quodam vestis genere interpretantur. Idem sentit Cal-

(1) *Cap. 1. de Sacrificio Missæ, & cap. 2. sub eod. tit.* (2) *Tom. 6.* (3) *Lib. 1. cap. 5.* (4) *Act. Apost. cap. 1.* (5) *Cap. 2.* (6) *Dissert. de parietinis Lateranensibus.* (7) *Lib. 2. de Missæ apparatu cap. 28.* (8) *Anno Christi 58. n. 67. 68.* (9) *Oper. cit. lib. 1. c. 24. n. 8.*

Calmet (1), & Senator Philippus Buonaroti (2). Cum ipſe peculiare vitrum accurato ſtudio explanaret, in quo effigies SS. Petri, Pauli, & Laurentii expreſſæ conſpiciuntur, Penulam vulgarem, & brevem pro veſte in itineribus adhibitam fuiſſe comprobat; quæ deinde a viris illuſtribus adſcita formam quoque mutavit, lautioremque ſuſcepit; itaut ad talos uſque defflueret; caſulas autem Eccleſiaſticas ab iis poſtremis Penulis tantum originem deſumpſiſſe.

Apoſtoli ſuper Altare rem divinam fecerunt.

Nos hanc difficilem controverſiam prætermittimus, illudque libere adfirmamus Apoſtolos ſuper Altare rem divinam feciſſe, uti ex verbis S. Pauli Apoſtoli colligitur: (3): *habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*; quæ ſane juxta Doctores Catholicos referenda ſunt ad Altare, in quo Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, & Fidelibus adminiſtratur. Illud quoque aſſerimus, neminem, qui Evangelii legem ſequatur, inficiari poſſe, quin Chriſtus Dominus in noviſſima cœna Calicem accipiens Apoſtolis præceperit, ut omnes ex eo ſuum Sanguinem biberent, qui paulo poſt in remiſſionem peccatorum pro ipſis, & pro multis effundi debebat; quæ a Domino præcepta Fidelibus inde ſe tradidiſſe Apoſtolus teſtatur; *Quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate: hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit, dicens: hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Ob eam cauſam feria V. majoris Hebdomadæ, quæ ejuſdem Sacrificii inſtitutioni celebrandæ propoſita eſt, ab antiquis Patribus *Natalis Calicis* nuncupatur. Tunc enim Calix profanus in ſacrum uſum Chriſti Domini poteſtate converſus fuit. En verba S. Eligii Epiſcopi, qui Sæculo VII. ſcripſit (4): *Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & Natalis Calicis, quia hac, eademque die myſticum Paſcha Dominus cum Diſcipulis celebrans Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.* Dicemus etiam nullo Evangeliſtarum teſtimonio, Panem conſecratum in Patena a Chriſto Domino fuiſſe poſitum, de qua cum S. Jacobus in Liturgia meminerit, ipſius uſus ad Apoſtolorum tempora commode referendus eſt, uti tradit Cardinalis Bona (5): *An Chriſtus conſecratum Panem in diſco, ſeu Patena poſuerit, non exprimunt Evangeliſtæ; ejus tamen uſum ævi Apoſtolici eſſe Liturgia Jacobi oſtendit.* Dicemus veritati omnino conſentaneum, quod Apoſtoli Sacrum facientes indumentis a communi uſu remotis uterentur: *Habet Religio Divina* (inquit S. Hieronymus) (6) *alterum habitum in miniſterio Altaris, alterum uſu, vitamque communi.* Poſtremo dicemus jure, ac merito traditioni Apoſtolicæ concedendam earum veſtium conſuetudinem, quæ in Sacrificio Miſſæ adhibentur, pro quibus fere ſingulis ex quarto Sæculo argumenta ſuppetunt. Tenenda quippe eſt doctrina, quæ a S. Auguſtino præclare traditur (7): *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

Altare, Vaſa, Veſteſque ad Sacrificium neceſſaria benedictionis conſecrari debent.

Maxime autem decet, ut Altare, Vaſa, Veſteſque ad Sacrificium neceſſariæ conſecratione, ac benedictione prius in uſum ſacrum convertantur, uti docet S. Thomas (8): *Conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in uſum hujus Sacramenti tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repræſentandum effectum Sacramenti, qui ex Paſſione Chriſti provenit, ſecundum illud Hebr. ult. Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum &c.* Hinc in ordine Romano conſecrationem Calicis, & Patenæ cum unctione Chriſmatis, certiſque precibus deſcriptam intuemur; legimuſque in jure Canonico decretum, quod Hormiſdæ Pontifici adſcribitur (9), ubi de Altaris Conſecratione ſermo agitur. De Patena & Calice conſecrando Innocentius Tertius; (10) de Sacrarum veſtium benedictione Canon *Veſtimenta de Conſecrat. diſt.* 1. aperte mentionem, ac teſtimonium faciunt; & licet Hæreticus Hoſpinianus (11) hunc Sacrum benedictionis ritum Sæculo tantum IX. invectum aſſerere non dubitaverit; tamen ex Sæculo IV. certiſſima hujus rei monumenta proferuntur. Nam uti refert Sozomenus, cum Imperator Conſtantinus regali munificentia Templum Jeroſolymis condidiſſet: *Epiſcopi Jeroſolymam delati Eccleſiam conſecrarunt, ſimulque ornamenta, & donaria ab Imperatore tranſmiſſa.* Quæ ſane pia conſuetudo ex veteri Teſtamento, in novam Eccleſiam prioribus Sæculis dimanavit, uti aſſerit idem Cardinalis Bona per hæc verba: (12) *Quem ritum e veteri Teſtamento ad novum profluxiſſe reor.* Id pariter Innocentius Tertius loco ſuperius allato palam indicavit: *Cum conſecratur Altare, cum dedicatur Templum, cum benedicitur Calix, non ſolum ex mandato Legis Divinæ, verum etiam exemplo B. Silveſtri, qui cum conſecrabat Altare, illud Chriſmate perungebat. Præcepit enim Dominus Moyſi, ut faceret oleum Unctionis, de quo ungeret Teſtimonii Tabernaculum, & Arcam Teſtamenti, menſamque cum vaſis.*

A quo poſſint templa, & Altaria dedicari, ac Veſtes ad Sacrificium neceſſariæ benedici.

De vetuſtate hujuſmodi conſecrationum, ac benedictionum erudite diſſerit Dominicus Georgius (13). Veſtis cujuslibet ſignificatum Sotus plene complectitur (14). Accedunt alii plurimi ſacrorum Rituum Interpretes, qui unanimi conſenſione ad Epiſcoporum ditionem pertinere adfirmant non modo templa dedicare, Altaria, & vaſa, quæ ſacram unctionem requirunt, ſed etiam veſtium benedictionem, in qua ſacrum Chriſma prætermittitur. Hinc ſolius Epiſcopi partes eſſe hæc in ſua diœceſi perficere. Nam teſtimonia ex jure prolata id ſatis clare comprobant, ac fuſius auctoritate Anacleti (15), Engel (16), Schmalzgrueber (17), Paſqualig. (18), Card. de Lugo confirmatur (19). Illud ſolum in controverſiam vocatur, an Epiſcopus pro benedictione veſtium, licet ſacrum Chriſma non adhibeatur, ſimplici Sacerdoti facultatem impertiri poſſit, quam nonnulli a Summo tantum Pontifice, alii vero etiam ab Epiſcopo tradi poſſe contendunt, uti Paſqualig. (20), & Quartus aperte declarant (21).

Ut

(1) *In ſuo diction. hiſt. Sac. Script. tom.* 2. (2) *In animadverſionibus ad quædam vitrea fragmenta figuris diſtincta ex Cœmeteriis Rom. effoſſa Tab.* 16. *figur.* 2. (3) *Epiſt. ad Judæos cap.* 13.
(4) *In ſua Homil.* 19. *tom.* 2. *edit.* 2. *Bibl. Patrum.* (5) *Lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 3. (6) *Super cap.* 44. *Ezechiel.* (7) *Lib.* 4. *de Baptiſmo cap.* 24. (8) *Par.* 3. *q.* 83. *art.* 3. *in corp.* (9) *Nullus de conſecrat. diſt.* 1. (10) *Cap. unico* §. *ungitur de Sacra Unctione.* (11) *In ſuo lib. de origine Dedicationum c.* 3. 4. (12) *Loco cit.* (13) *Tom.* 1. *de Liturg. Rom. Pont. l.* 2. *cap.* 14. (14) *In* 4. *Sententiarum diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 4. (15) *Tom.* 3. *de conſecr. Eccl.* §. 2. *n.* 32. *n.* 442. *& n.* 49. (16) *Eod. tit.* §. 7. *n.* 9.
(17) *Eod. tit. lib.* 3. *tom.* 2. *pag.* 566. *n.* 37. (18) *De Sacrif. novæ Legis q.* 801. *n.* 1. *& ſeq.* (19) *De Sacramentis diſput.* 20. *de Sacramento Euchar. ſect.* 4. *num.* 91. *&* 98. (20) *De Sacrificio novæ Legis q.* 801.
(21) *Ad Rubr. Miſſal. ſect.* 4. *par.* 2. *tit.* 1. *dub.* 3.

Vestium benedictio a simplici Sacerdote fieri potest.

Ut omnem dubitationem exuamus; & cum amplius viginti annis Sacræ Rituum Congregationi interfuerimus, ac supplices Episcoporum libellos audiverimus, ut simplices Sacerdotes pro hujusmodi vestium benedictione deligere sibi fas esset, die 17. Januarii hujus anni nos quoque ad ipsam confugimus, ac delegandi facultatem satis amplam obtinuimus, quæ ad quinquennium protrahitur, novoque privilegio diutius prorogari potest.

Imo & cujuscumque supellectilis, quæ Sacro Chrismate non obliniturs si facultatem obtinuerit.

Quamobrem juxta acceptam facultatem eorum benedictionem, & consecrationem nobis reservamus, quæ Sacram unctionem exigunt, uti Sacra Congregatio præcipit, quæ facultatem tantum elargita est subrogandi alium Sacerdotem pro benedictione illius supellectilis, quæ Sacro Chrismate non oblinitur. Ac ut ritus ejusmodi integre servetur non solum in Urbe, sed in diœcesi, ubi eum neglectum non sine magno dolore percepimus, Vicario nostro Generali, quatuor dignitatibus, & senioribus Canonicis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ potestatem facimus consecrandi eam Supellectilem, pro qua Sacrum Chrisma necessarium non habeatur. Idem per nos liceat quinque dignitatibus, tribusque etiam Canonicis seniоribus Collegiatæ S. Petronii. Item Priori, & quatuor Canonicis S. Mariæ Majoris; qui omnes non suis tantum Ecclesiis, sed aliis quoque Urbanis, & Suburbanis prospicere possint, dummodo nullo Vicario Foraneo subjiciantur. Idem concedimus Archipresbyteris, ac duobus Canonicis trium Collegiatarum nostræ Diœcesis pro suis Ecclesiis illorum locorum; in quibus Collegiatæ ipsæ sitæ sunt. Tandem hanc facultatem Commissario nostro Catensi, Vicario Foraneo pro Ecclesiis Centensibus, cæterisque, quæ ipsius ditioni adscribuntur. Item cuilibet Vicario Foraneo, qui in Diœcesi versatur pro Ecclesiis sibi subjectis, omnibus postremo urbanis Parochis pro suis Ecclesiis.

An Pluviale, & Cingulum, & Pyxis benedictione indigeant.

Hoc pacto satis consultum putamus, ne desint ullo tempore, qui in Urbe, ac Diœcesi vasa consecrent, & indumentis ad rem divinam necessariis benedictionem rite impertiantur. Præterea, licet magnus lapidum numerus a Nobis consecratus jam fuerit, tamen si novi afferantur, ad eorum consecrationem nos paratos fatemur. Idem quoque præstabimus, si pro campanis benedicendis, sacrandisque occasio nobis offeratur. Singulis autem notum facimus, si in pervigilio cujuslibet Festi, Calicem, aut Patenam deferant, consecrationem in sequenti die non esse defuturam. Cum igitur tot delegati numerentur pro earum rerum benedictione, quæ Sacro Chrismate non indigent, nullus excusationis locus diœcesanis supereſt; si ea supellectili ad Sacrificium utantur, quæ benedictionem antea non acceperit. Ritus, & preces pro his benedictionibus adhibendæ, in Rituali, ac Missali Romano continentur; alias autem preces, aliumque ritum inducere penitus interdicitur. Insuper Doctores opinionum varietate inter se disputant, utrum cingolum, pluviale, & pyxis etiam benedictione indigeant. Pro cingulo eam minime necessariam quidam judicant, cum Can. *Vestimenta de Consecrat. dist.* 1. de vestibus loquatur, & cingulo nomen vestis distribui non debeat. Aliqui pro pluviali consuetudinem nullam benedictionis esse testantur, uti ex Gavanto (1) satis deprehenditur. Nonnulli quoque inter recentiores tradiderunt non opus esse, ut pro pyxide benedictio adhibeatur, sed vasculum ligneum intus aptandum ea benedictione sacratum, quæ Corporali convenit. Attamen cingulum sacris vestibus omnino necessarium est, de cujus etiam benedictione in Pontificali Romano mentionem habemus. (2) Illud solum interest discrimen, quod in Pontificalibus ante Clementem Octavum cinctorium, in aliis vero, qui posteriori tempore excusi sunt, cingulum nuncupatur. Item pluviale inter vestes Sacras adnumeratur, quod in profanos usus converti nefas est; quod etiam Romæ sacrari consuevit. In Rituali, ac Missali Romano benedictio *Tabernaculi, seu Vasculi pro Sacra Eucharistia conservanda* expresse continetur. Cardinalis autem de Lugo (3) acerrime contra P. Vasquez disserit, qui ritum innuit consecrandi lignei vasculi, de quo superius dictum est: *Pater Vasquez dicit, ex consuetudine esse necessarium, ut intra pyxidem, in qua Sacramentum servatur, sit vas aliquod ex ligno, quod benedictione Corporalis benedictum sit. Verum hoc est vitium commune Scholasticis, ut consuetudine judicent ex eo, quod in illa Civitate, aut Provincia, ubi versantur, fieri viderunt. Scimus quippe consuetudinem esse contrariam, quam ego non solum de Roma, sed de aliis Ecclesiæ Provinciis testari possum.* Hinc nos ut magis probabilem, ideoque tenendam eorum sententiam proponimus, qui pro cingulo, pluviali, ac pyxide benedictionem non omittendam fatentur, inter quos Bissius (4), Quartus, (5) Pasqualigus, (6) aliique numerantur. Illud quoque advertendum est, quod non modo pro novis indumentis benedictio necessario requiritur, sed tunc etiam, cum detrita pristinam formam amittunt, & ad suos usus apta non ducuntur, ideoque ex iis vestibus antea sacratis nova aliqua perficitur alterius generis; veluti, si ex pluribus manipulis stola, sive alba ex multis amictibus, aut e contrario plures amictus ex alba conficiantur. Ita Scriptores, qui super hac re monimenta aliqua reliquerunt.

Priusquam hanc declarationem nostram absolvamus, pauca dicenda sunt de iis, qui præter delegatos a nobis pro rerum Sacrarum benedictione, se facultate prædictos jure suo arbitrantur. Hujusmodi sunt Episcopi Titulares, qui forte in hac Civitate versentur, seu per illam transeant, Præsides Ordinum Regularium, iique Abbates Regulares, quibus insignia Pontificalia permissa sunt, quive Sacerdotio initiati, postquam a nobis benedictionem acceperint, vel etiam sine ulla Episcopi benedictione tali privilegio decorantur, ut Pontificalibus ornamentis uti, primamque tonsuram, & Ordines minores conferre possint (7).

Injussu S. Sedis Consecratio Vasorum, & Vasorum non potest committi simplici Sacerdoti, nec debet Abbatibus Regularibus.

Itaque, cum illud certum teneamus, injussu Sedis Apostolicæ benedictionem vestium, & vasorum consecrationem simplici Sacerdoti committi non posse; & cum in responsione Sacræ Congregationis nonnisi ii nominentur, quos superius declaravimus, hinc nullum inter Delegatos nostros constituimus ex Præsidibus Regularibus, neque ex Abbatibus, quibus insignia Pontificalia, aliaque ornamenta conveniunt. Et quamvis aliqui contendant, posse Abbates ad hujusmodi benedictio-

(1) *De Rubrica Missalis par.* 1. *tit.* 19. *n.* 3. *litt.* 1. (2) *Sub Rubr. Specialis benedictio cujuslibet indumenti.* (3) *Disp.* 20. *sect.* 4. *de Sacram. Euchar. n.* 97. (4) *In sua Hierurgia litt. B. sub n.* 51. §. 8. *tom.* 1. *litt. P. tom.* 2. *n.* 274. (5) *Ad Rubricas Missalis par.* 2. *tit.* 1. *sect.* 4. *dub.* 2.

(6) *De Sacrific. novæ Legis q.* 800. *a num.* 9. *& seqq.* (7) *Can.* Quoniam *dist.* 69. *cap. cum contingat de ætate, & qualitate, cap. statuimus de suppl. neglig. Prælat. & cap. Abbates de Privilegio in sexto.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ctionem, & consecrationem ab Episcopo jure suo delegari, (1) quod etiam exemplo confirmant, nempe posse Abbates etiam Clericis sæcularibus primam tonsuram, & Ordines minores tradere, si litteræ Episcopi accedant, quibus id permittatur: Id tamen nos minime probamus. Quippe quum Tridentinum Concilium (2) facultatem Abbatum pro conferendis prima tonsura, & minoribus Ordinibus certis limitibus concluserit, & ad Regulares ipsis subjectos unice definiverit; hinc sequitur, eam nullo modo proferri posse, vel ad Regularem alterius Ordinis, vel ad Clericum Episcopo subjectum, licet per litteras suorum Præsidum id Abbatibus mandaretur. Ita statuit Congregatio Concilii, ejusque Decreta a Fagnano fuse memorantur. (3) Ita pariter Alexander Septimus die 27. Septembris 1659. constituit, qui Pontificalium usum Abbatibus decernens: (4) *Reliqua Pontificalia* (inquit) *extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum, & similium, in quibus Sacra adhibetur Unctio, necnon minorum Ordinum collationes.*

Titulares Episcopi possunt de licentia Ordinarii Vasa & Vestes sacras.

Aliter de Episcopis Titularibus dicendum est. Licet enim ægerrime defendi possit, ipsis licere in aliena diœcesi benedictionem vestibus impertiri, Altaria, ac Vasa sacrare, pro quibus Chrismatis unctio necessaria est, eo quod pro re gerenda Pontificiis insignibus uti debeant, Baculo scilicet, ac Mitra, quod quidem Tridentina Synodus (5) apertissime cuilibet Episcopo interdicit, cum in aliena Diœcesi versatur, nisi Ordinarii facultas accesserit; tamen cum ipsi Episcopali dignitate præditi sint, Vasa, ac Altaria dedicare, & Sacris indumentis benedictionem elargiri poterunt, si Ordinarius id permittat: eodem pacto, quo de ejusdem licentia Ordines conferre possunt. Ita disserit præclare P. Hieronymus Andreuccius Societatis Jesu (6).

Quare præstantibus his sententiis adducti; ratione etiam dignitatis, quam in ipsis Titularibus Episcopis omni veneratione prosequimur, nos paratos declaramus, si aliqua occasio ferat, potestatem facere, quoties eam requirant, ut Indumenta, Vasa, & Altaria, dedicent, & insignibus Pontificiis libere utantur.

Novimus etiam quosdam Regularium Ordinum Præsides id sibi tribuere, ut non modo pro suis Ecclesiis, verum etiam pro alienis supellectilem benedictione consecrent; Abbates autem nonnulli Altaria, Calices, ac Patenas dedicare se posse prædicant cum in suis Ecclesiis, tum in aliis, quæ ad ipsos nulla ratione pertineant. Fuse de hac re agunt Pasqualigus, (7) Quartus, (8) & alii, qui contrarias sententias tuentur, uti solet contingere, cum Scriptores rerum fontes, & originem minime perscrutantur.

Si Regulares Præfecti pro hujusmodi benedictionibus Apostolicæ Sedis privilegia certo obtinuerint, nostro etiam patrocinio eadem confirmabimus. Verum in Synodo præclarissimi Decessoris nostri Cardinalis Jacobi Boncompagni, (9) cum de Abbatibus Regularibus agitur, hæc statuuntur: *Pontificalia extra propriam Ecclesiam non exerceant, nec paramenta benedicant, neque Campanas, aut Calices consecrent, nisi pro sua Ecclesia.*

Abbates Regulares supellectilem pro suis solis Ecclesiis consecrare possunt.

In Decreto Alexandri Septimi quod supra memoravimus, Regularibus Abbatibus pro suis tantum Ecclesiis Campanas, & Calices consecrare permittitur. Idem paragrapho superiori nempe 18. pro benedictione sacrarum vestium a Pontifice præcipitur: *Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicunt.* Cum vero Monachi Congregationis Cassinensis ad eumdem Pontificem confugissent, iis privilegiis se præditos affirmantes, quibus eas benedictiones tam pro suis, quam pro aliorum Ecclesiis se exercere posse profitebantur, Sacra Congregatio habita coram eodem Alexandro Septimo die 20. Julii anno 1660. hoc responsum dedit: *Ad Paragraphum decimum nonum, quo vetita est Abbatibus benedictio Sacræ supellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum, afferentibus Monachis, etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico Indulto eis licitum esse Ecclesiasticam supellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, ac interim abstineri.* Ignoramus, an tale Indultum in lucem unquam productum fuerit; si id constaret, huic nostræ declarationi jungeretur.

APPENDIX III.

Libro 2. Cap. 2. incidit agendi locus de idiomate, quo Missa celebrenda est; Capite autem 3. a numero 23. agitur de antiquis Liturgiis SS. Jacobi, & Marci, & de Ritu Ambrosiano, & Mozarabico; hinc opportunum visum est aliqua ex Bullario hic transcribere, quæ ab Itaol-Græcis, & Græcis Melchitis in Missæ Sacrificio servanda Summus Pontifex præscripsit.

Ex Tomo 1. Bullarii Pag. 167. num. 57.

§. I.

De azymo & fermentato.

Num. 2. ITem profiteri tenentur, tam in azymo, quam in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici: & Sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

§. VI.

De Sacramento Eucharistiæ, & Missæ Sacrificio

Sacerdotes ad Sacramentum Pœnitentiæ frequenter accedant; cum præsertim Divinum Sacrificium sunt peracturi.

1. Sacerdotes ad pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedant, ut cum Divinum Mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii; sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum: indignum enim, ac auribus plane horrendum est, ut qui animum habet aliquo scelere fœdatum, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, & placare Deum attentet, qui in peccatis existens, ipsius Dei furorem & iracundiam provocat.

Permittitur etiam, ut aquam fervorem in Calicem infundant. Interdicitur abusus tundendi, vel exsiccandi species Sacramenti Eucharistiæ.

2. Item permittitur eisdem, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta ritum in Liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in Sacrum Calicem infundere.

3. Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi Sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Sacramenti Sacræ Eucharistiæ Feria V. Cœnæ Domini, ut deinde illud asservent.

4. SS.

(1) *P. Schmalzgrueber ad tit. decretal. de consecrat. Eccles. vel Altaris §. 2. n. 39.* (2) *Sess. 23. cap. 10. de reformat.* (3) *Cap. Aqua, sub n. 19. de Consecr. Eccles. & Altar.* (4) §. 19. (5) *Sess. 6. cap. 5. de Reform.* (6) *Tract. de Episcopo Titulari, seu in partibus Infidelium.*
(7) *De Sacrificio novæ Legis qu.* 803. (8) *Ad Rubr. Miss. part. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 3.*
(9) *Lib. 4. cap. 1.*

Eucharistia pro infirmis renovanda singulis octo, aut quindecim diebus.

4. SS. Eucharistiæ Sacramentum, quod pro Infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur.

Non asservanda toto anno.

5. Non asservetur idem Sacramentum toto anno: Si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

Servandus Græcorum ritus in celebratione Missarum sub certis conditionibus.

6. In celebratione Solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum a Domino expressam, & traditam observent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur: ita tamen, ut jejunii lex de unica comestione in die religiose servetur; & si alicubi viget consuetudo producendi jejunium cum Missa usque ad Vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore, ac firmitate permaneat.

Ne Monachi iter agentes Eucharistiam secum ferant.

7. Si inter Græcos, qui in Italia, & Insulis adjacentibus degunt, viget abusus, quem in Orientalibus regionibus vigere perhibent, ut Monachi Eucharistiæ particulam suspensam ad collum, vel aliter secum deferant, necnon in privatis Domibus, ubi eos commorari contingat, retinent, ut eo auxilio freti, liberi a quibuscumque periculis evadant; vel cum in longiora itinera se committunt, ea refici valeant; eum omnino aboleri volumus, & expresse mandamus: præfatisque Monachis ne id in posterum facere audeant, severissime prohibemus. Obsequium enim, ac reverentia, qua singuli Fideles Augustissimum hoc Sacramentum prosequi debent, non patitur ut privatim ac latenter, cujuscumque arbitrio, & voluntate, domi illud retineatur, aut in itineribus, ac peregrinationibus asportetur.

Permittuntur Græci Presbyteri suum servare ritum, nonnisi semel in die super uno, eodemque Altari Missam celebrandi, & prohibentur Sacerdotes Latini in Parochialib. ipsorum Græcorum Ecclesiis Missas, & Divina Officia celebrare.

8. Cum in Parochialibus Ecclesiis ipsorum Græcorum, ex antiquissimo, & hactenus servato ritu, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem Presbyteris Græcis suum, si velint, morem hac in parte servare: interdicitur autem Latinis Sacerdotibus, ne Missas, & alia Divina Officia in dictis Græcorum Ecclesiis, & super eorum Altaribus Majoribus, extra casum alicujus necessitatis, & aliorum Altarium, Ecclesiarumque defectus, & nisi ex Parochi Græci consensu, quem nullatenus hujusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Conceditur Presbyteris Græcis, & Albanensibus, ut in Ecclesiis suis præter Altare majus, alia quoque Altaria erigant, in quibus ipsi Græci, vel Latini Missas celebrare possint.

9. Quia tamen ipsi Græci, & Albanenses Presbyteri Nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die suis in Ecclesiis Missas celebrare: Nos ipsorum precibus annuere volentes, per præsentes nostras concedimus, ac indulgemus, ut in suis Parochialibus, vel aliis Ecclesiis, præter Altare Majus, alia etiam minora Altaria, seu Cappellas, Sacris Indumentis Græcorum, seu Latinorum more ornata, seu ornatas, erigant, in quibus Latini, vel Græci Presbyteri respective suo quisque ritu celebrare valeant.

Prohibentur Græci celebrare ritu Latino, & Latini ritu Græco.

10. Cum in Sacro Generali Florentino Concilio præscriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ, in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; districtius inhibemus etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, & facultatum Missas, & alia Divina Officia, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, Missas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.

Prohibet ne Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, aut Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum retineant.

11. Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duæ Parochiæ, Latina altera, altera Græca, quam in una eademque Parochiali Latinorum, vel etiam Græcorum Ecclesia, in qua, ut præmittitur, præter Altare majus, quod pro solis Græcis Sacerdotibus erectum est, minora quoque Altaria pro Latinorum Sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus, & decernimus, ne neque Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, neque Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocumque Ecclesiæ suæ Altari retineat; sed unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive Græco, sive Latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigere debeat.

Præcipit Laicis Latinis, ne usquam sub specie fermentati communicent.

12. Ne Laici autem Latini communionem a Græcis Presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino, & interdicimus.

Permittit Græcis Laicis, ut ubi propriam Parochiam non habent, possint communicare in Ecclesia Latina sub specie azymi. Contrariam consuetudinem curent Ordinarii Locorum suavissimis modis tollere.

13. Græcis tamen Laicis permittimus, ut ubi Parochiam Græcam non habent, possint, si velint in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi a Latinis Sacerdotibus sumere.

14. Quod si in locis, in quibus Græci, & Latini simul moram trahunt, & sunt utriusque ritus Ecclesiæ, Latini quidem in fermentato, & Græci in azymo Sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant; siquidem hæc consuetudo sine Populi offensione, animorumque commotione removeri non potest; Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in azymo, Græci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent.

Communio sub utraque specie permittitur in illis duntaxat locis, in quibus hactenus fuit introducta.

15. Ut autem iidem Laici Græci Eucharistica sub utraque specie communione refici valeant, permittimus, in illis duntaxat Locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est, ad præsentem usque diem servatur, ac viget: ita tamen, ut sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero præfatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum jurisdictioni Græci subjiciuntur, curæ sit, ne in posterum admittatur.

Indulget Presbyteris Græcis, seu Albanensibus, ut præter Dominicas, & Sabbata, in reliquis Feriis Quadragesimæ excepto ultimo triduo ante Pascha possint Miss. celebrare; sic tamen, ut ab Hebdomadario, seu Parocho Missa Præsanctificatorum non omittatur.

16. Volentes autem specialem ipsis Græcis, & Albanensibus Presbyteris gratiam facere, tenore præsentium, ut tempore jejunii quadragesimalis, quo, exceptis Dominicis, Sabbatis, & nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more, nonnisi Missa Præsanctificatorum celebratur, Græci, & Albanenses prædicti, servato tamen, nec prætermisso in Parochialibus Ecclesiis Præsanctificatorum ritu, in aliis Altaribus, seu Ecclesiis, sive Cappellis, pro sua, ac fidelium populorum devotione, Missas integras quibuslibet hebdomadæ diebus, ac præsertim cum dies Festi de præcepto Latinæ Ecclesiæ occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadæ triduo, celebrare possint, & valeant, concedimus, & indulgemus.

Possunt, si velint, Græci Altaria portatilia a Latinis accipere.

17. Si Græci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia, sive Throni, super Altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Græci Thronis pro corporalibus uti possunt.

18. Corporalia ut Latini habeant, nisi Thronis etiam pro corporalibus utantur.

Presbyteris Latinis non licet super Antimensio Græcorum Sacrum facere, si careant proprio Altari lapideo portatili.

19. Latinis Presbyteris Latino ritu in Græcorum Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio Altari portatili lapideo, super Antimensiis, seu Thronis Græcorum Sacrum facere non licet.

20. U-

De Vestibus, & aliis Sacris.

20. Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stamneo Calice sacrificet, habens Thronos, seu Corporale de lino, candidum, & nitidum, & Altare mundis vestimentis opertum, vel decenti paratu ornatum.

De Mulierum servitio ad Altare.

21. Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

§. IX.

Ut Græci in Missis, & Divinis Officiis ritus suos observare valeant nec super his a quoquam molestentur.

1. Quoniam Orientalis Ecclesiæ ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti, vel a majoribus traditi, sic animis Græcorum, aliorumque insederunt, ut Prædecessores nostri Romani Pontifices satius, consultiusque duxerint, ritus hujusmodi, qua in parte nec fidei Catholicæ adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticæ derogant honestati, approbare, seu permittere, quam illos ad Romanarum cæremoniarum normam reducere; idcirco Græcis ipsis, & Albanensibus ritus Græci inter Latinos degentibus, tam Prælatis, Parochis, & Presbyteris Sæcularibus, quam Regularibus, & Laicis, ut suis ritibus, atque observantiis, sive consuetudinibus uti, ac illos, & illas observare, Missasque, & alia Divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere, ac licite possint, concedimus, & indulgemus; nec super his a quoquam Latino Ordinario illos, vel illorum quemlibet molestari, vel inquietari permittimus: Inhibentes omnibus, & singulis Prælatis, aliisque, ne quis ritus, & cæremonias Græcorum in Concilio Florentino, vel alias approbatas blasphemare, aut reprobare, seu improbare ausit.

In quibus debeant Italo-Græci ritum Latinum sequi.

2. Sic vero dictis Græcis, & Albanensibus in suis ritibus permanere concessum esse, atque indultum declaramus, ut quæ a Fidelibus in Diœcesi, ubi ipsi habitant, universim, & sine ullo Personarum, ac rituum discrimine, juxta Sacros Canones servanda sunt; ad eadem etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.

Kalendarium Gregorianum, quod Pascha, servare teneantur.

3. Cujusmodi sunt in primis Kalendarii Gregoriani observatio, juxta quod iidem Græci, & Albanenses tenentur universalis Ecclesiæ jejunia, & Festa celebrare, ut, puta, jejunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, & cætera hujusmodi, quæ in Latina, & Græca Ecclesia æque celebrantur.

Item Romani Pontificis, & Ordinarii Loci nomen in Missis, & Divinis Officiis commemorare; non autem Antistitum Orientalium.

4. Deinde Summi Romani Pontificis, & Ordinarii Loci in Missis, ac Divinis Officiis commemoratio; non Patriarcharum, neque Antistitum Orientalium, quibus nulla est in Italia, & adjacentibus Insulis jurisdictio: ubi tamen Græco-Catholico Antistiti, ex licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii Loci, Pontificalia exercere permittitur, ejus quoque nomen juxta Græcorum morem post Summum Romanum Pontificem, & Ordinarium Loci commemorare liceat.

Presbyteri Latini, nisi vocati, non se immisceant Græcorum functionibus.

5. Cæterum ad tollendam omnem rituum commixtionem, & confusionem, Presbyteri, & Clerici Latini in Ecclesiis Græcorum neque Missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac Baptismis, & aliis Græcorum actibus publicis, & privatis interesse, aut sese immiscere, nisi ad hæc specialiter per ipsos Græcos vocati fuerint, audeant, vel præsumant.

Presbyteri, & Clerici Græci Missas, & Divina Officia in Ecclesiis Latinorum, &c.

6. Nec Presbyteri, & Clerici Græci in Ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illæ subjiciuntur, vel ejus in Spiritualibus Vicario Generali, Missas, & alia Divina Officia cum solemnitatibus, & cantu celebrent. Ut autem præfatus Episcopus, sive Vicarius Generalis, præfatam licentiam rite concedere valeant, nulla præcisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est, ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

Latinorum cum solemnitatibus, & cantu celebrare prohibentur absque Episcopi licentia.

APPENDIX IV.

Cum Lib. III. Cap. IV. num. 11. mentio fieret de Concessione trium Missarum die Commemorationis Defunctorum pro omnibus Regum Catholici, & Fidelissimi Dominiis, ea, quæ tunc quamvis incompte & festinanter edidimus, hic dabimus una cum Apostolicis litteris, omissis tamen iis quæ ex operibus Sanctissimi Domini Nostri ibidem subjunximus, quæ pleraque jam in hoc tomo continentur.

Privilegia a Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV. P. O. M.

concessa Hispaniæ, & Lusitaniæ Regnis, atque Dominiis, pro Animabus in Purgatorio detentis.

CATHOLICÆ MAJESTATI MARIÆ BARBARÆ DE PORTUGAL HISPANIARUM REGINÆ.

Emmanuel de Azevedo Societatis JESU.

CUM eæ, quas subjecturus sum, Litteræ Apostolicæ nuper prodierint, Typisque commissæ in publicam lucem late promanaturæ sint, operæ pretium duxi eas Majestatis Tuæ Nomini nuncupare, atque adjicere; nam sive beneficium in ipsis contentum evolvamus, certe Tu maximo semper illius desiderio flagrasti, sive eos, qui in eodem beneficio afficiendi sunt, consideremus, Tu Paternæ pietatis æmulatrix nullius unquam studium erga Animas Purgatorio igne cruciatas tantum extitisse passa es, quantum extitit Tuum. Huc etiam accedit, quod cum hujusmodi beneficium multo ampliſſimum sanctæ illæ Animæ Patri Tuo, ac Regi meo potissimum debeant, erit profecto Filiæ amantissimæ Paternam in illo religionem venerari, atque deligere; sive amplissima Regna, quæ idem beneficium complectitur, spectemus, ea sunt Lusitania, atque Hispania; quarum Tibi altera ut Potentissimi Regis Filiæ, & Civi; altera, ut Potentissimi Regis Conjugi, ac Reginæ, devincta est. Possem addere tantam in Majestate tua Regiarum omnium virtutum complexionem esse, tantam animi Tui in summa dignitate moderationem, tantam in Deum pietatem, in egenos misericordiam, in omne hominum genus humanitatem, atque beneficentiam, ut non modo Lusitaniæ, Hispaniæque universæ in deliciis quodammodo sis, verum etiam nationum omnium in Te admirationem converteris; ut omnes Te velut Reginam aliquam Cælo delapsam suscipiant, ut in Te celebris illa Judithæ prædicatio cadere videatur: *Tu gloria... Tu lætitia... Tu honorificentia Populi nostri.*

Hæc tamen omnia invitus omitto, cum potius laudabilem Te, quam laudatam esse studeas, ne modestiæ tuæ molestus sim, dum tuam mihi clementiam demereri cupio. Est enim Reginarum terrena hæc despicientium, atque humano fastigio celsiorum ita in recte factis se gerere, ut quemadmodum ipsam veræ virtutis pulcritudinem sequuntur; sic omnia inanis gloriæ blandimenta repudient. Illud igitur unum oro, atque obsecro,

ut munus hoc ea, quam omnes experiuntur, benignitate, Majestas tua accipiat, meque tenuitatis meæ conscium tuo patrocinio tueatur; præsertim cum huic muneri accessuri sunt veluti Appendix duo libri *De Ecclesiæ Catholicæ pietate erga Animas in Purgatorio degentes*, quos secundis curis recognitos, & in lucem paulo post edendos peculiari ad te nomine spectare jamdudum intelligis.

PIO, ATQUE ERUDITO LECTORI.

Quid in causa fuerit, ut plura in Libro de Ecclesiæ Catholicæ pietate erga Animas in Purgatorio degentes *festinanter, & tumultuario opere collegerim, atque amicorum studiis adjutus prout temporis angustiæ postulabant, publicæ luce donaverim, per te ipsum conjectare facile poteris, Erudite Lector, si tibi Decretum Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. Pontificis Maximi in manus venerit; Decretum, inquam, quo singulis Sacerdotibus in Dominiis Regum tum Hispaniæ, tum Lusitaniæ atque Algarbiorum commorantibus facultatem concedit tres Missas celebrandi die qua singulis annis solemnis Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum recurrit; & quod deinde Litteris Apostolicis confirmavit, quas tibi nunc exhibeo cum epistola a me hac occasione in obsequium & grati animi testimonium erga Pontificiam beneficentiam conscripta; Librum vero, qui Decretum præcessit, secundis curis in meliorem formam redactum, auctumque tibi deinceps exhibebo.*

Licet vero sanctissimus Pontifex eo esset animo, quo libens, ut ego prænovi, pius Regum precibus, ac desideriis satisfaceret; (*verba ejusdem sunt in litteris datis die 7. Junii*) *quia tamen Sacramentum Regis abscondere bonum est, hoc Pontificiæ voluntatis propositum non aliis, quam quibuscum colloquendi facultas erat, significavi; neque ille aliquid, sine aliorum consilio & matura deliberatione decernere statuerat, ut suffragiis serio perpensis sententiam suam firmius stabiliret. A viris ergo omni exceptione majoribus piorum Regum & Populorum indulgendum esse votis, omnium, si duos excipias, consensione unanimi constitutum est. Qua in re neminem latere volo quod maxime fuisset admirationi, nisi de hoc ipso pluries repetitum experimentum jam antea habuissem. Quatuordecim fuerant suffragatores viri doctissimi, & in Ecclesiasticæ disciplinæ studiis versatissimi, qui ad diem usque 15. Julii proxime elapsi nihil penitus sese inter communicaverant, nihil alter de alterius sententia resciverat, atque cum nullo (præter duos) Summus Pontifex de hoc negotio paucis locutus fuerat; nullius sententiam, judicium, aliquidve, quo erudiri aut informari posset, audiverat. Et tamen vix primum ad pedum oscula accessi, sapientissimum Pontificem in argumento, de quo agebatur, adeo versatum deprehendi, ut nihil ipsi juris, vel facti, nihil quod ad Theologiam tum Moralem aut positivam, tum speculativam quam dicunt, nihil quod ad Sacros Canones, aut Historiam Ecclesiasticam spectaret, asserve potuerim, in quo ille dicentem me non præveniret, nihilque ab aliis audivi, quod ab eo prius non audiverim. Noluit tamen, quæ ipsius moderatio est, decretum suum mente concipere, & scripto tradere, nisi postquam die 4. Augusti omnium Consultorum sententias perlegit, atque perpendit; tum ipsemet Decretum condidit, quod ad majorem dignationis Pontificiæ, atque in gentem nostram amoris significationem diei Coronationis suæ voluit subscribere.*

Illud etiam summa clementia, atque humanitate dignatus est ad me mittere: quod vix acceptum, illico avidissimis oculis perlegi. Sciebam enim recentem esse fœtum feracissimæ mentis, & omnigena litteratura refertæ; sed enim si quisnam esset antea ignorassem, ex mira eruditione, acutissima perspicacia, prudentia plane singulari, quæ in illo mirifice elucebant, Auctorem illico agnovissem; cum legerem, non semel miratus sum Pontificem Maximum plurimis distentum curis, & Ecclesiæ universæ negotiis impeditum, ita huic Decreto operam dedisse, ut nisi augustæ mentis amplitudinem perspectam haberem, mihi totus in eo fuisse videri potuisset. Sed, ut alia præteream, eo temperamento communibus votis indulsit, ut quidquid concessionem, vel nimis indulgentem, vel abusibus obnoxiam reddere poterat, solertissime præcaverit. Unum in eo Decreto tantummodo desiderari videbatur, quod oculatissimum Principem nullatenus fugisse arbitror, se iteratis precibus rogari voluisse, ut novam de Hispana, ac Lusitana gente benemerendi occasionem haberet; obvium enim erat, & rationi consentaneum, ut tempus Sacris operandi post meridiem protraheretur; aliter tria Sacra, quibus liberalitas Pontificia Animas in Purgatorio detentas sublevari concesserat, ob temporis angustias sæpius fuissent omissa. Sed hoc etiam Clementissimus Pontifex beneficium addidit, seu potius hoc ultimo veluti additamento beneficium jam concessum perfecit, atque cumulavit.

Non sine ergo ingenti animi gaudio sub initium Septembris proxime elapsi tam Potentissimo Regi Domino meo, quam Augustissimæ Hispaniarum Reginæ Pontificiorum Decretorum, quibus concedebatur facultas tria Sacra celebrandi die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & dilatio temporis ad duas horas post meridiem exemplaria mitti, & offerri curavi. Postquam tamen hæc officia, atque obsequia persolvi, illico de publica utilitate mecum ipse cogitabam. Animos addidit Sanctissimus Dominus Noster, & pene dixerim Auctor fuit, ut quæ illi privatim exposueram, aliis etiam, lucis publicæ beneficio, communicarem. Igitur Pontificio Decreto Appendices ab eodem Auctore desumptas subjungam, ut videas, qua eruditione, qua doctrinæ excellentia, vel in eo, quod nil tale præcogitanti e re nata subortum est, argumento disseruerit. Jam quæ de Pontificio Decreto mea fuerit sententia, quæ futura omnium Lusitanorum lætitia, tibi Lector, ex subjecta epistola prius quidem a me festinanter exarata, nunc vero paululum aucta perspectum erit.

BEATISSIME PATER,

INter plura a Te, Beatissime Pater, sapientissime constituta illud sane conspicuum locum obtinet, quod Sacerdotibus singulis in ditionibus Hispaniæ, & Lusitaniæ Regum commorantibus facultatem concesseris ter sacris operandi ea die, qua Commemoratio Fidelium omnium Defunctorum quotannis recurrit. Enim vero hoc uno Decreto, quod ad me mittere perhumaniter dignatus es, & animum Tuum paterna benevolentia plenum erga Ferdinandum VI, & Joannem V. Dominum meum, Hispaniæ, atque Lusitaniæ Reges Maximos Sanctitas Tua præclare significavit, cum, eorum petitionibus annuens, gentibus, quibus illi in utroque Orbe late imperant, singulare beneficium a prædecessoribus Tuis Romanis Pontificibus frustra expetitum, liberaliter fueris impertitus; & sacrorum rituum uniformitati, sublata pristina varietate, & Animarum utilitati, & Sacerdotalis ordinis dignitati prospexeris. Quæ quidem ab alio, quam a magnanimo Pontifice nobiliorum artium studiis, & prudentiæ dotibus mirifice ornato fieri potuisse inficiabitur nemo,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nemo. Habent profecto Hiſpani, atque Luſitani, quod Pontificis Maximi Benedicti XIV. Paternam eamque cumulatiſſimam Beneficentiam extollant, a qua ſingulis annis tot ſacrificiorum millia ad ſublevandos Fideles Defunctos, parentes, cognatos, & amicos ſuos, ſine ullo ſuo diſpendio ſibi concedi ſentiunt; Sacerdotibus ſiquidem & nihil temporalis emolumenti, quo antea fruebantur, detractum eſt; & ad præcludendum avaritiei aditum omnem, nihil auctum.

Ex iis primis prudentia, qua conditum fuit, reipſius mature examinata, & Rituum uniformitate ſtudiſſe.

Quod ſingulare beneficium ut conſulto concederes, quæcunque extabant monumenta, te diligenter perquiſiviſſe fateris, conſilium exemplumque ſecutus Magni Gregorii (Lib. 7. Epiſt. 116.) ita ſcribentis: *in perquirendis chartis curam diligentius impendite, & ſi qua exinde ſcripta inveniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ veſtræ ſit tranſmittere.* Scripta vero huc pertinentia, quæ Tu perquiſita, & inventa ſignificas, vix aliquid continent, quod in eruditiſſimis Sanctitatis Tuæ libris non legatur, omnia tamen humaniter legiſti, non quia hoſpes in hujuſmodi argumento eſſes, ut Sanctitatis Tuæ verbis utar: nec quia informari valeres, ut utar verbis S. Gregorii; ſed quia aliorum libros humaniter excipis, & inter ſacroſancti Apoſtolatus curas, horis plerumque ſomno, & quieti demptis, perlegere non dedignaris; qua ratione humanitatis Tuæ documenta præbes, & litterarum ſtudia in omni diſciplinarum genere promoves, eruditionis Eccleſiaſticæ amorem in aliis accendis, & de aliis loquendi honorifice occaſionem arripis. Si quæ profecto, Beatiſſime Pater, ex opuſculo a me feſtinanter collecto, ſuppeditata Tibi ſunt, ea quidem pauca, atque tenuia fuiſſe fateor. At quam multa, quam præclara, quam gravia, & ſolida Sanctitas Tua rependit, quæ ſimul fundamentum & ratio ſunt conceſſionis! Proh quæ in definiendo æquitas! Quæ prudentia eſt adhibita! Enimvero qua dexteritate & prudentia Hiſpano Clero, apud quem rituum diverſitas inducta fuerat, pari gratia privilegium impertitur! Minus ille quidem beneficium prius expetiverat, ſed additis ſpe animis, & mentem Tuam præcognoſcens Luſitaniæ precibus ſuas preces conformavit; dum ſiquidem Sanctitas Tua ſupplicum vota ſuperat, prudentiſſime rituum uniformitatem in Regionibus conterminis corroborat, & Regularem Clerum, atque Sæcularem eadem amplectitur Indulgentia; ut qui ſibi mutuo in ſacrarum functionum perfectione ſtimulus eſſe debent, quoſque pari dignitatis gradu Dei gloriæ, & hominum ſaluti addici oportet, eodem pariter privilegio fruantur, eiſdem decorentur prærogativis; *Sancti enim Patres valde ſtuduerunt ut in Obſervationibus Eccleſiaſticis concordia obſervaretur, & omnis diſſonantia vitaretur;* Verba ſunt Roduſf. de Rivo de Can. Obſervantia. Idem ſtatuit Concil. Agathenſe celebratum ann. 506. *Convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri.* Quæ quidem rituum uniformitas in univerſa Eccleſia ſervari ſemper non poteſt, *ſed multa pro locorum, & hominum diverſitate variantur, nec tamen per hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate diſceſſum eſt:* Verba ſunt S. Firmiliani Epiſt. ad Cyprianum; & ut bene ait Auguſtinus Epiſt. 36. *Fidei unitas quibuſdam diverſis obſervationibus celebratur.* Hoc etiam ex Hiſtoria Eccleſiaſtica paſſim eruitur: illud nempe ſemper Eccleſiæ ſtudium fuiſſe, ut conterminæ provinciæ, vel nationes ſingulæ eodem ritu uterentur, in præcipuis vero omnes ubique Eccleſiæ convenirent; ita enim Eccleſia ipſa ſimul ornata varietate, & ſimul ubique eadem conſpiceretur.

Gratum id accidit Luſitano, & Hiſpano Clero, & ideo gratias agunt Sanctitati ſuæ.

At cum aliquid operæ in hanc rem contulerim, meæ præſertim partes ſunt, ut tam Hiſpani, quam Luſitani Cleri, meæque præſertim Patriæ communem lætitiam acceptique beneficii memoriam nulla oblivione delendas teſtificer. Clerus itaque Luſitanus, Beatiſſime Pater, quem plurimi Te facere (quæ Tua humanitas eſt) non ſolum verbis, ſed etiam factis oſtendis; Tibi jure merito, ac majori, qua poteſt, devincti animi ſignificatione gratias quammaximas agit. Quod tamen in accepto beneficio majori in pretio habet, eſt quod ita ejus pietatem promoveris, ut ſimul ſiniſtrarum oblocutionum occaſionem omnem removens, illius æſtimationi conſultum eſſe volueris: Concedis enim ut die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Miſſas Sacerdos quilibet celebrare poſſit, hac lege tamen, ut pro ſecunda & tertia eleemoſynam accipere nemini liceat. Quippe ſolent ſacerdotes fere omnes Miſſam ſine ullo ſtipendio ea die celebrare, ut erga Sanctas illas animas charitatis officium ex ſolo pietatis affectu exerceant, & ex iis aliqui parentum ſuorum, & vel ſanguine vel neceſſitudinis vinculo conjunctorum animas impenſius adjuvant; alii ut ſpiritui S. Eccleſiæ ſe, ut par eſt, conforment, omnes quæ luſtrali igne purgantur animas Deo ferventer commendant, reſervatis ad ſequentem diem precibus pro illarum ſublidio, quas ſpeciali amore proſequuntur. Unde quam apte, quam prudenter, quam noſtris votis & ingenio accomodate Clero Luſitano benefacis! Videris mihi, Beatiſſime Pater, in Defunctorum omnium ſuffragium eadem decernere, quæ Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus teſtamento ſancivit (videndus Baluz. Miſcel. tom. 3. pag. 51.) *Miſſam unam decantent, & ſi amplius voluerint, in eorum erit poteſtate.... & miſericordia ſine retributione.* Tres Miſſas etiam poſt contractum earum numerum permiſerunt Epiſcopi, & Concilia. Concilium Salingeſtadienſe præcepit, *ut unuſquiſque Sacerdos in die non amplius quam tres Miſſas celebrare præſumat.* Canones Anglicanæ Eccleſiæ circa annum 960. promulgari decreverunt, ut *Nullus Sacerdos Miſſam ſæpius una die celebret, quam ter ad ſummum.* Hanc legem ad unam Miſſam contraxit in univerſa Eccleſia Alexander Secundus Cap. *ſufficit*, ſed Lupus tom. 5. in Alexand. II. hoc Decretum mature perpendens potius ad avaritiam coercendam, quam ad omnimodam Miſſarum iterationem prohibendam conditum fuiſſe exiſtimat; ita ut dici poſſint *ex neceſſitate, ſed non pro pecunia.* Quod ipſum quoque Decretum ſatis aperte declarat.

Recte ac ſapienter ſtipendium pro conceſſis Miſſis interdictum.

Per Te, Beatiſſime Pater, Luſitano Clero poteſtas facta eſt ut miſericordiam ſuam exerceat ſine temporali quidem retributione, ſed magno cum ſpirituali fœnore; ſiquidem nihil magis decet Sacerdotalem dignitatem quam ab omni avaritiæ umbra alienam eſſe. Hinc optime Ciſtercienſes in ſuo Capitulo Generali anno 1182. apud Martene: *Pro pacto certo nulla fiat Miſſarum promiſſio, quia ſimoniacum eſt.* Cujus ſanctionis ſenſum juxta illius ſæculi diſciplinam non eſt hujus loci expendere. Idem ſtatuit non eo fundamento, ſed certa quadam Sacerdotalis dignitatis innixum decentia Concilium Eboraci habitum anno 1194. ſevere præcipiens: *Ne Sacerdos aliquis pro celebratione Miſſarum pretio conſtituto pactum ineat.* Abuſus qui olim in Hiſpania irrepſerant jam Patres ſexti Concilii Toletani omni ſtudio ſupprimere conati ſunt; quod ſi verbis plus æquo, ut videtur, acerbis aliquando utuntur, attendendus eſt ſenſus juxta uſum Sæculi in quo loquuntur; Nos plerumque ſententias perquiſivimus in quibus vividius,

vidius, & majori in lumine res exprimantur, neque ad rigorosam trutinam omnia revocare intendimus. Verba Concilii Toletani subjicimus: *Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui Presbyteri, detestanda, & abominabili ambitione cæcati, pro Missis celebrandis pecunias exigunt, & supra hoc, ac si vellent vendere rem profanam, mercantur, quandoque & publice, cum his, qui eas faciunt celebrare, existimantes, ut eorum fructu pernicioso videtur, gratiam Dei, quæ in Sacrificio Missæ confertur, vel verius ipsum Deum, qui nobis sub specie dicti Sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi: verum cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum sit, liberaliter, sicut cætera Sacramenta Ecclesiæ, celebrandum: districtius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliquam temporalem, sed gratis accipiat, si quid per facientes Missas celebrari oblatum sibi charitative fuerit, absque pacto, & conventione quacumque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Missæ per omnia noverit se suspensum, & alias pro tam gravi excessu ad arbitrium proprii Episcopi puniendum.* Ex his omnibus perspicuum fit quam ægre ferrent retroactis Sæculis Patres, aliquam Sacerdotibus vel veræ vel fallæ cupiditatis notam inuri; ut si periculum immineret celebrandi Missam solo amore lucri temporalis, omittendam potius esse sæpe censuerint. Faxit Deus, ne tales sint hodie Sacerdotes, quales olim fuisse Thomassinus deplorat (in Vet. & Nov. Eccles. disc. par. 3. lib. 1. cap. 73.) *Segnitia illos & stupor ab altaribus abducebat, admovebat pecuniæ cupiditas.* Unde merito Auctores qui de valore Missæ differunt, vel de propositione damnata, quæ falso asserebat posse pro una Missa plura stipendia accipi, unanimi consensu Sacerdotum avaritiam execrantur.

Carpitur nonnullorum paucorum Sacerdotum in Eleemosynis perquirendis avaritia, & moderatio commendatur.

Minime hoc loco damnare volumus determinatæ, atque stabilitæ eleemosynæ conventionem, quam potest Sacerdos jure repetere, siquidem ne turpis egestas, malesana fames, & avaritia pejores abusus introduceret, stabilita est eleemosyna ab Episcopis, & Conciliaribus Sanctionibus. Minime ergo improbari potest usus accipiendi eleemosynam pro Missa, ut notum est; dummodo Sacerdotes debitæ moderationis limites non excedant. Quod si exclusio pacti de eleemosyna præcepta non sit, valde tamen commendabilis est. Eam jam olim prudentissime Concilium Lingonense anno 1404. his verbis commendavit: *Si quis dicat Sacerdoti, celebretis unam Missam, & promitto vobis dare tantam pecuniam: si Sacerdos velit dicere Missam prædictam, respondeat: Ego pro amore Dei, & honore, & animarum salute libenter celebrabo: non tamen intendo pro pecunia celebrare, & postea si aliquid dederitis mihi, recipiam in eleemosynam pro intentione vestra.* Si ita Sacerdos se gereret, dici non posset cum Juvenali: *O nummi, vobis hunc præstat honorem.* Et certe Sacerdotalis dignitas plurimi apud omnes haberetur, obstrueretur os loquentium iniqua, & non ubique piis vitiis causa præberetur lugendi abusus, qui jam ætate Doctoris Seraphici irrepserant: *Væ, væ, væ,* ita exclamat in Libro de præpar. ad Missam cap. 18. Sacerdotum avaritiam deplorans: *Væ, væ, væ, Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros Ordines accedunt! & Divina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes; non spiritum, sed lucrum, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum.*

Laudatur quotidiana Missæ celebratio.

Sentio mihi aliquem succensere; quasi usum quotidie celebrandi improbare videar, quæ olim fuit aliquorum sanctimonia & eruditione præclarissimorum Virorum sententia, quam amplectitur Alvarus de Planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 5. ita exclamans: *Tot hodie dicuntur Missæ quasi quæstuariæ, vel consuetudinariæ, vel ad complacentiam, vel ad scelera cooperienda, vel propriam justificationem: quare apud Populum, vel Clerum Corpus Domini jam vilescit.* Abst ut hujusmodi sententiæ adhæream, quæ etsi retroactis Sæculis aliquos habuit fautores, eam S. Ignatius de Loyola penitus abolevit, atque *Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepere:* Utilissima quippe est sacrificandi frequentia, dummodo nec ipsam devotionem, nec usus minuat reverentiam. Hoc argumentum adeo pie, docte, dilucide, Beatissime Pater, discutis in Tractatu de Sacrificio Missæ, ut ibi quæ dicis hic transcribere animus esset, non ut ea quidem tibi revocem in memoriam, sed ut impolitam rudemque epistolam tua eruditione ornatam, omnibusque optabilem reddere possim. Quidquid igitur in hoc argumento refers, Lectorem rogo, atque obtestor, ut mature perpendat: Te enim evidenter frequentiam celebrandi probare intelliget, atque celebrantis dispositionem & mores simul exoptare, quales tanti mysterii dignitati & Sanctitati respondeant, *abstque sordibus quæstus & lex consuetudinis, quæ in trivialem usum degenerat:* ut etiam optime notat Mabillon. Præf. 1. in Sæc. 3. S. Benedicti §. 6. n. 52.

Præfatur Indultum in quod conditur, quo in eo, quod prohibet Spiritui Ecclesiæ maxime conforme est.

Certum est, ut, Sanctissime Domine, in tuo decreto sapientissime disseris, Ecclesiam ad fovendam fidelium pietatem semper fuisse propensam etiam Missæ iterationem indulgendo; certum etiam deinde est, dictam Missæ iterationem penitus abolevisse ad eradicandam in Sacerdotibus cupiditatem lucri: unde nullo meliori modo Sanctissimum Tuum decretum se spiritui Ecclesiæ, cujus caput es, conformare potuit, quam una eademque concessione pietatem promovendo, avaritiam vero amovendo, Fidelium Defunctorum provocando levamen, & omnem a Sacerdotibus infamiæ suspicionem propulsando.

Concessio præfata absque strictiori manavit posset a quibus casso est avaritia

Nec omittendum est, eo magis prudentiam Sanctissimi Legislatoris affulgere, quo facilius in trium Missarum celebratione nuper concessa majus dabatur avaritiæ periculum. Nota est omnium Christifidelium devotio erga sanctas animas, unde vix aliquis foret, qui suæ devotionis zelo impulsus beneficii in eas collati participem se fieri non exoptasset. Cum enim majoris devotionis causam Laici viri nanciscuntur, majorem quoque eleemosynam pro celebrandis Missis non raro parant; quod eo laudabilius in ipsis commendari debet, quo dignius censura est, quoties ambitionis non pietatis impulsu Sacerdotes hujusmodi eleemosynas requirunt. Videmus quippe aliquando in funeribus præcipue divitum quo impetu Sacerdotes accurrunt, ut pinguiori fruantur eleemosyna, quod jam olim Guillelmus Major in Andegavensi Ecclesia deplorabat: *Sicut corvi, & vultures de longe cadavera sentientes catervatim adstunt ad funera mortuorum, & quandoque cum gravi scandalo populi, quæstus prædicti gratia verbis contendunt, quis celebrabit? & interdum unus alteri excutit ornamenta.* Posset etiam addi eos sine ulla animi dispositione accedere, turbato animo, ob metum ne serius adventanti alter locum præripiat; & celebrare festinanter ne pecunia aliis eleemosynis imminuta sibi deficiat, & finito sacro novum jurgium sacrilega cupiditate renovari, perinde ac si irreligiositas, cupiditas, atque scandalum pluris æstimanda essent, & Missa hoc modo celebrata majori stipendio compensanda. Unde Præsul vigilantissimus in sua quarta Synodo ut obsisteret

cupi-

cupiditati effrænatæ talium Sacerdotum, qui se contra suæ dignitatis honorem venales exponunt, omnibus Sacerdotibus interdixit, ne: *Pro Missis celebrandis ab eis in hujusmodi funeribus, præter voluntatem, & requisitionem expressam defunctorum, aut hæredum, aut executorum ipsorum, aliquid petant, exigant, vel recipiant*. Nescio an hujusmodi Sacerdotes majori horrore contemplari debeam, an illos qui æquali ambitione in loco ubi laicis obvii fiant, *sedentes munera expectant, atque omne vitæ genus quasi mercede corruptum habent, dum quasi venalem præseferunt sanctitatem*. (Apud Sulp. Sev. Histor. Sac. lib. 1.). Certe de hujusmodi Sacerdotibus qui Sacerdotium in fœnore ponentes, Missas tanquam in aliorum necessitatibus opportunum remedium, venales exponunt, & ut ait S. Gregorius Magnus (lib. 7. epist. 56. *De alieno facere lucru compendium* curant, merito asserimus quæ de Medicis cecinit celebris Epigrammatum sctiptor: *Ulceribus Galene vales tantummodo nostris*.

Fit etiam ab avaritia excogitatæ penitus extinctus esse. Duo alii abusus, & providentia utriusque prohibita.

Hæc nonnullorum Sacerdotum cupiditas effrænata plures excogitavit artes, ut novis semper lucris aditum expiscaretur; omitto abusum intolerabilem accipiendi plures eleemosynas, & deinde unam Missam pro omnibus applicandi, quem Urbanus Octavus hanc sententiam damnando compescuit; omitto illa Missarum monstra, ut plurimi Auctores vocant, in quibus sub uno Canone plurimi introitus, seu repetitæ orationes juxta eleemosynarum numerum confundebantur. Duos abusus qui tolerabiliores videntur, & ideo forsan nondum penitus extincti sunt, recensebo, ut pateat ex cura Præsulum, qui eos evellere pro viribus conati sunt, quo studio semper Ecclesia suorum avaritiam abhorruerit. Hi porro abusus sunt. Primus, quod nonnulli Sacerdotes, stipendiis prius acceptis, pluribus se obstringunt Missarum oneribus, quam quæ intra breve tempus adimplere valeant. Secundus, quod Confessariorum aliqui, ut stipendia pro Missis frequentiora sint, pœnitentibus in Confessione injungunt, ut Missas pro piaculari pœnitentia celebrari faciant; & sic illi redimant pœnitentes peccata, ipsi vero Confessarii peccata populi comedant. Utrumque abusum Joannes Episcopus Nannetensis Constitutione propulsavit edita anno 1389. (Vide Mart. Thes. Nov. Anecd. tom. 4. pag. 983.) ubi sic: *Missis per hebdomadam nullis se oneret Sacerdos, ultra numerum dierum hebdomadæ*. Et num. 12. *Nec injungat pro pœnitentiis Missas celebrandas, nisi volentibus divitibus, & tunc non per illos Cappellanos qui confessiones audierint, sed per alios &c.* Primum abusum jam Richaldus Poore Episcopus Sarisburiæ in Anglia in Constitutionibus suis propulsavit: *Prohibemus etiam, ne superflua multitudine talium annualium quandoque se onerent Sacerdotes, ad quæ explenda honeste sufficere non possint; & propter quæ oportet, certo pretio, conductos habere Sacerdotes, vel ea vendere aliis facienda, ut se exonerent; quæ de cetero fieri sub pœna suspensionis prohibemus*. Secundus etiam in aliquibus Conciliis Parisien., & Londinen., & ab eodem Ricardo eliminatus est: *nullus Sacerdos in nomine Pœnitentiæ totalis, vel partialis Missas præsumat injungere*.

Obviam itur insufficientiæ stipendii pro abusum.

Ut se ab hac avaritiæ nota plurimi Sacerdotes excusent, non raro Sacerdotum paupertatem exaggerant, & fidelium pietatem, qui suis eleemosynis de animabus Defunctorum bene merentes sibi etiam meritum apud Deum cumulant. Breviter vero ad primum responsurus fateor, rationi minime consentaneum esse, ut Sacerdotes inopia laborent; unde in cap. 2. Concil. Aquisgranensis legimus: *Necessarium esse, ut Clericorum ordo ampliori faveatur stipendiorum copia, ut occasione temporalium subsidiorum sanctarum non depereat institutio rerum*. Quod ipsum Rotbertus Francorum Rex in syngrapha donationis asserit, dum quædam bona sacris Ministris attribuit: Videndus Mabillon de re diplom. lib. 6. pag. 582. edit. Paris. *Ut tanto liberius cultores Christianæ Religionis & Ecclesiastici Ordinis Divinis inserviant mandatis, quanto amplius fuerint ab omni necessitatis impedimento absoluti*. Licet tamen valde congruum sit, ut Sacerdotes inopia minime laborent, tamen potius hæc cura ad Episcopos attinere debet, quorum est ad Sacerdotium non promovere, qui temporalis vitæ subsidiis carent; omnes etenim artes, quibus Sacerdotes ceteroquin non adeo divites se exercent, ne temporalibus commodis deficiant, ab omnibus Ecclesiasticis viris severissime reprehenduntur. Mitto obvia Patrum testimonia, frequentes Conciliorum sententias, quæ Sacerdotum negotia ceteroquin aliis non illicita severissime prohibent. Passim hos Negotiatores Sacri Canones, Patrum sententiæ, Auctorum dicta execrantur; quid vero de illis, qui temporalibus rebus non suis, sed aliorum etiam incumbunt? Hinc Nicolaus Primus ridiculum appellat quod quidam *Clericus cujusdam Comitis* a proprio Episcopo diceretur, (Vide Hug. de Fleury in Chronicis): & plenos temeritate, atque arrogante vanitate vocat Concilium Parisiense sextum illos Prælatos, qui Presbyteros *Suos* appellant; quæ omnia eo collimant, ut ostendant Sacerdotes Dei ab omni humana ratione, & lucro alienos esse oportere. Concilium Carthaginiense tertium non modo Procuratores esse vetat Sacerdotes, sed omnem in sæcularibus curis etiam pro victu comparando occupationem. *Quam hoc Canone* (ut apud quemdam Canonistam legimus) *feriantur Sacerdotes, qui victus parandi causa de celebratione Missarum faciunt artem de pane lucrando, nemo non videt*. Quæ sequuntur verba utinam omnes Sacerdotes attente considerarent! *Nemo non videt, qui infame, & sacrilegum modernum Missarum commercium vel leviter expendit*. Sciant Sacerdotes Dei, rem esse ab Ecclesiastica circumspectione alienam, quod Missarum eleemosynæ undique perquirantur, si ita id fiat, ut nihil nisi ambitus, & lucri cupiditas in Sacerdote appareat; similia quidem sæpe videmus non sine scandalo populi commercia, de quibus (in cund.) Zonaras testatur: *Quamvis ea inopiæ redigantur sacris initiati homines, ut alimenta quoque deficiant, ne tunc quidem eos turpi aut sordido artificii genere vitæ subsidia comparare oportet*. Neque pro turpi & sordido artificii genere aliud Zonaras intelligit, nisi illud idem, quod ceteroquin sæculares deceret, qui in suis utique rebus emendis, vendendis, permutandis, & longe perquirendis multa licite exequi possunt, quæ in Sacerdotibus *infame* & *sacrilegum* forent *commercium*. Jure merito hos Sacerdotes Oseas deploravit, quod multiplicaverunt *Altaria ad peccatum, facta sunt eis Aræ in delictum*. Hinc est etiam quod nonnulli Sacerdotes adeo imperiti fuerint, ut *Miserere pro Canone*; *Attendite pro Passione* legerint, quorum meminit P. Hensir S. J. in Germ. Sac. tom. 1. n. 27. pag. 246. qui nempe non spiritu Dei permoti, non terrenarum rerum cupiditate abjecta, sed ut *de celebratione Missarum faciant artem de pane lucrando* ad Sacerdotalem dignitatem promoveri curant.

Ita dolebat Petrus Blesensis: *Video hodie, quod & flens dico, innumeros illitteratos, aut potius idiotas usurpare tanti Officii gradum*. Causam vero tantæ infelicitatis ex illo Presbytero, de quo loquitur

Finis aliquorum, qui statum Sacerdotalem quærunt, non rebus.

quitur Damianus cognoſcere poſſumus: *Tam parvam & tenuem in litterarum habet doctrina notitiam, ut apertæ quoque ſcriptionis articulum ſyllabatim vix valeat legere; nimia tamen paupertate conſtrictus utcumque Miſſarum cogitur ſolemnia celebrare.* Quales hujuſmodi Sacerdotes ſint pronum eſt conjicere, quos non devotio ad recte celebrandum ſed paupertas *ad utcunque* celebrandum ſtimolat, & quam melius his foret a tanto Sacrificio abſtinere, nemo eſt qui ignoret. Merito tales Sacerdotes, qui *turmatim veniunt ad Altaria Domini ſola quærentes ſtipendia corporis* (ut ait Rupertus Tuitz lib. 4. Div. Offic.) graviſſimis verbis S. Bernardus deplorat. *Vereor iſtos* (ait in lib. Conſ. cap. 5.) *non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Ita etiam in Pſal. 10. *Ipſa quoque Eccleſiaſticæ dignitatis Officia in turpem quæſtum & tenebrarum negotium tranſeunt, nec in his ſalus animarum ſed luxuria quæritur divitiarum; propter hæc tondentur, propter hæc frequentant Eccleſias, Miſſas celebrant.* Audiant hujuſmodi Sacerdotes Robertum Pullum S. R. E. Card. Primum Theologum Scholaſticum a P. Mathoud appellatum part. 7. cap. 17. *Quid eſt Miſſarum ſolemnia contuitu temporalis commodi celebrare, niſi eum Juda Chriſtum vendere? tanto nequius quanto reſurgendo eſt ſublimatus.*

Pietati ſæcularium, qui non dictis Miſſis eleemoſynas non tradunt, multis aliis modis poteſt abunde conſuli.

Unum ſupereſt, ut ſæcularium pietati ſatisfaciamus; ii quippe ita ſunt in ſubſidium Animarum propenſi, ut certe in trium Miſſarum celebratione, ſtipendium Sacerdoti elargiendo, partem aliquam habere plurimi exoptent. Sed plures alios habent dies, in quibus hanc pietatem exercere poſſunt. Illud etiam accedit, quod prima trium Miſſarum pro ſolita eleemoſyna dici poteſt. Sed ſi eo die, quo Sacerdotes omnium Fidelium Defunctorum levamen a Deo quærunt, comitari volunt Sacerdotum pietatem, Miſſis ipſis inſerviant, vel interſint, Sacram Euchariſtiam ſumant, Indulgentiarum theſauros applicent, & eleemoſynas demum Chriſti pauperibus diſtribuant. Quod optime, Beatiſſime Pater, in Tuo Decreto inſinuas: *Hi enim* (qui eleemoſynam offerunt) *poterunt per alia pia opera, ſive per alias eleemoſynas... Defunctorum animabus ſuffragari.* Quapropter juxta ſui temporis uſum S. Joannes Chryſoſtomus homil. 32. in Matth. ait: *Cur poſt mortem tuorum Pauperes vocas? non ignoro te reſponſurum: Ut defunctus requiem adipiſcatur, & propitium Judicem inveniat.* Et prudentiſſime Jonas Aurelian. Epiſcopus in lib. de Laicorum Inſt. 3. c. 15. *Nullatenus audiendi ſunt illi qui dicunt, quod nullæ aliæ eleemoſynæ opitulari poſſunt Defunctis, niſi ſolummodo, quæ Sacerdotibus dantur, & ſacrificia, quæ per eos offeruntur. Hoc qui credunt, aut ignorantia, aut certe aliorum perſuaſione falluntur. Credibile ſane eſt, quod hæc perſuaſio, qua ſimplices id credere, & dicere videntur, ex fonte avaritiæ proceſſerit. Sancta quippe Mater Eccleſia pro defunctis ſuis non ſolum Sacrificia Altaris, ſed etiam quaſcumque alias eleemoſynas offerre conſuevit.* Unde eidem ſententiæ adhærentes dicere non dubitamus cum Dominico Soto viro doctiſſimo in 4. diſt. 45. q. 2. *Quoniam dictum eſt Sacrificium Miſſæ omnium ſuffragiorum eſſe potiſſimum, admonitione hic opus eſt: quod quamquam id veriſſimum ſit ex objecto, ex genere ſuo, quia Chriſtus ibi offertur, nihilominus ratione neceſſitatis pauperum, quos nobis Chriſtus tantopere commendavit, poteſt eleemoſyna quandoque eſſe Deo gratior, & acceptior in ſatisfactionem pro Defunctis, quam longa Miſſarum celebratio. Abſit ut quis negaverit, Miſſas in primis eſſe pro Defunctis offerendas; verumtamen poſtquam aliquo numero, pro ratione qualitatis perſonæ, offeruntur, melius eſt longiſſimas eleemoſynas in pauperes profundere quam centenas & millenas Miſſas accumulare.* Hæc obiter dicta ſint, ut conſtet vel ipſa pietatis, & Religionis officia prudenter impendenda eſſe. Neque tamen nos latet quod omnium Fidelium animis alte infixum eſt, nempe Sacrificium Miſſæ multis aliis piis operibus longe præſtare; videmus enim antiquos Canones unam Miſſam pro duodecim jejuniorum pœnitentia ſupplere ſtatuentes, ut notat *de Berlendis de Oblationibus ad Altare pag.* 335. Ex quo Auctore plurima hactenus dicta tranſcripſimus; hujuſmodi enim argumentum prolixius tractat; quod nos etiam concludimus cum Petro Bleſſenſi, cum quo fatemur procul dubio & aſſerimus, *Magnum hoc eſſe Sacramentum ſupra omnem intelligentiam, ſupra omnem eminentiam, in quo ſalus eſt Mundi, pretium ſæculi, pretium ſine pretio, pretium impretiabile.*

Sacrificium tamen Miſſæ præſtantius ſuffragium eſſe aſſeritur.

Ut vero ad ſingulare beneficium, quo Sanctitas Tua, & Regum precibus, & Cleri votis, & populorum expectationi clementiſſime ſatisfecit, ſermonem iterum convertam, nemo erit, Beatiſſime Pater, qui prudentiam tuam non admiretur: ſiquidem vivida illa & oculatiſſima perſpicacia, qua omnia prævides, noviſti homines ſemper in malum proclives plurima avaritiæ ſuæ ſubterfugia quæſituros, ideoque omnia ita decernis, ut nulli penitus malo non proviſum eſſe videatur.

Nunquam ſatis laudanda prudentia, qua in præfato Indulto elucet.

Neque aliquis dum tot Sacerdotum artes ad avaritiam ſuam protegendam mature perpendit, dumque Præſulum, & Summorum Pontificum ſtudia ad eam eradicandam contemplatus fuerit, Sacerdotalem ordinem contemnere audeat: ea enim eſt humanarum rerum conditio, ut paulatim obſoleſcant, & a primigenia integritate deflectant. Unde prudenter Lupus Ferrar. Epiſt. 29. *Compatiendum vobis eſt, ſi multos experti ſitis a ſua profeſſione deteſtabiliter deviare: quum & natura humana prona ſit ad malum, & hoſtis noſter bono ſemini ſuperſeminare ſemper geſtiat zizania.* Prudenter etiam notat Aug. in Pſal. 132. *Tam ſunt Monachi falſi, quam Clerici falſi & Fideles falſi, ſed non perit fraternitas pia propter eos, qui profitentur quod non ſunt.* Neque vero ex Præſulum vigilantia, qui Eccleſiaſticorum crimina meritis puniunt ſuppliciis, vel ex Scriptorum ſtudio quo eadem execrantur, omnes ejuſdem ordinis viros aliquis audeat arguere; ſiquidem optime notat Doctor Seraphicus, non ideo Religioſos Ordines minus æſtimandos eſſe, quod in eis aliqua detegantur vitia, quæ ideo omnium oculos in ſe convertunt, quia Religioſi viri, & quicunque alii ſectandæ pietatis profeſſionem faciunt *ſpectaculum ſiunt* (ut cum Aſcetico celebri loquar) *Deo ut remuneret, Angelis ut adjuvent, & hominibus ut detrahant*; eo enim clarius vitia, ſi quæ ſunt, cognoſcuntur in viro perfectioni dedito, quo magis in eo virtutes florent, tanquam *oppoſita oppoſitis*. Videmus quippe, & paſſim videmus noſtris hiſce temporibus, ſi quis ſe Deo ſtrictius conjungere ſtudet, illico in ejus culpas, quamvis levitſimas plurimos lynceis oculis rimari, & multa in eo reprehendi, quæ in aliis omnium oculos effugiunt; qua in re optime monet S. Thereſia, ut prius laudanda imitemur, deinde animadverſione digna notemus. Quamobrem contra Religioſos illos Ordines obtrectantium livor maxime invehitur, qui Regulari Obſervantia præ aliis florent, & ut ſuo etiam tempore adnotavit Angelicus Doctor Opuſc. 19. c. 20. *Extendunt crimina Religioſorum, ut ſcilicet quod ab uno, vel duobus geritur, toti Religioni imponere præſumant.* Quod

Minime contemnendus Sacerdotalis Ordo ob delicta nonnullorum, ſed ſemper colendus.

Qua major eſt in aliquo Ordine obſervantia, eo nociores ſiunt veri defectus.

ſi Re-

si Religiosus Ordo a disciplina Regulari penitus discesserit, vel vir aliquis arctioris vitæ professioni nuntium remiserit, liber ab omni livore, & obtrectationibus erit; immo si quid de eo minus recte dicatur, illico: *Nemo malus nisi probetur*, reponitur. *Cum autem de aliquibus, qui Sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* Verba sunt S. Augustini Epist. 78. In quibus observanda sunt illa, *Vel falsi sonuerit*; per quæ verba indicatur, non raro Religiosis viris falsa crimina imputari, tota quidem invidentium pietati & obtrectantium (ut bonos ad se trahant, aut saltem frigescere cogant in arrepta perfectionis via) cura est festucam in aliorum oculis videre, obscurare quod lucidum est, quod candidum est denigrare. Huc optime spectant Christi Domini verba: *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini*: Matth. 11. Demum hoc argumentum concludo verbis S. Hieronymi Epist. 83. *Obsecro, ne quis me in fugillationem istius temporis Sacerdotum scripsisse, quæ scripsi, existimet, sed in Ecclesiæ utilitatem.*

Hæc omnia Tu, Beatissime Pater, mirum in modum concilias, siquidem *Parcere personis, dicere de vitiis* prudentissime soles; *Nam dos innata benignum Te gerere; orta simul tecum clementia, tecum perstitit, in solioque sedet comitata Supremo.* Quæ quidem humanitas ita celsissimum Dignitatis Tuæ thronum reddit amabilem, ut omnes ad te accedere vereantur, sed non timeant; & quæ Te loquente omnium oculos atque admirationem capit, non minus Te scribente corda pariter, atque animos conciliat. Quoties enim de aliquibus Auctoribus Tuis in libris mentionem facis, benignitatis Tuæ specimen exhibes plane egregium; laudas quæ digna sunt laude, & si aliquid cogeris oppugnare, ea animi moderatione & verborum cautela id facis: ut præter ea, quæ ad argumentum pertinent, ne latum quidem unguem excurras. Quamobrem in quodam carmine extemporaneo, cui materiam præbuisti, atque audire non es dedignatus, ita Tua in omnes humanitas exprimitur.

Non ego Te novi, nisi postquam in sceptra vocatus
Jura dabas populis solio sublimis ab alto;
Te noviſſime tamen, tua scripta legendo, putabam.
Jure quidem; cum sint victuris tradita chartis
Scripta animi vera effigies, manifesta latentis
Indolis indicia, & secreti cordis imago.
Ipse tuos mores, & cor dulcedine plenum
In scriptis BENEDICTE tuis, te denique totum
Depingis, clarum nec tantum effulget in illis
Ingenium, vastæque ostentas mentis acumen;
Quam bene de reliquis sentis Auctoribus, ultro
Funderis in laudes, & eorum scripta libenter
Commendas, siqua occurrunt damnanda, modeste
Arguis, & rationum apte momenta recensens
Dicta probanda probas, & contemnenda refellis.
Siquid in hoste tamen cernis laudabile, laudas
Non verbis dire objiciens, sed testibus apte
Adductis, certe maturo examine pensa
Historiæ monumenta refers; artesque dolosas
Agnoscens, retegis cooperta sophismata rerum
Pondere, & ignoscens facile ad convitia nunquam
Declinas nimio vincendi raptus amore.

Jam vero, ut eo redeam, unde discesseram, clarissime ex dictis palam fit, qua prudentia, qua dexteritate omnes abusus, qui ex nova concessione irrepere poterant, non solum prævideris, sed etiam sapientissime declinaveris, atque omnia ita fortiter & suaviter disposueris, ut quidquid optatum fuerat concederes, quidquid concessionem vel abusibus obnoxiam, vel oblocutionibus perviam facere poterat, præcluso omni & abusibus & oblocutionibus aditu, perspexeris. Unum supereſt, Beatissime Pater, quod ad faciliorem, commodioremque accepti beneficii usum viam aperiat; ut nempe Sacerdotibus Hispanis, & Lusitanis (qui ex sola in omnium Fidelium Defunctorum animas commiseratione permoti, tres Missas celebrandi iis diebus, quibus solemnis eorum Commemoratio recurrit, facultatem petierunt) iisdem commodum, & opportunum tempus ad illarum celebrationem concedere non dedigneris; aliter fiet, ut qui ob temporis angustias accepto beneficio uti non poterunt, oblocutoribus susurrandi ansam præbeant, ipsosque dictabitur ob temporalis lucri defectum, a secundo, & tertio sacrificio abstinere. Neque audaciæ tribuas velim, si post recens acceptum beneficium, novum exoptem; enimvero aliorum erit illud a Sanctitate Tua exorare, meum sit rationes, quæ novæ petitionis æquitatem fulciunt, expendere. Quibus fretus futurum esse non dubito, ut in funebri illa solemnitate ad horam secundam pomeridianam tempus rite sacrificandi protrahas, quod plane non tam erit novum beneficium, quam jam accepti veluti cumulus, & novum liberalitatis tuæ, atque in gentem nostram amoris, Paternæque dignationis argumentum. Animos ad id sperandum mihi addunt, quam omnes experiuntur, Sanctitatis Tuæ clementia plane singularis, & ipsius petitionis æquitas; solent enim, quemadmodum sunt Dei, ita & Dei Vicarii beneficia esse completa & numeris omnibus absoluta. At si tempus Sacerdotibus ter eodem die celebrantibus desit, erit profecto, quod in Sanctitatis Tuæ beneficio desiderari possit, erit quod Tuæ munificentiæ possit addi. Est & illud etiam incommodi, quod mense Novembri dies breves sint, & nuper recepta apud Lusitanos disciplina vetat, ne Ecclesiæ longo tempore pateant aut ante auroram, aut post Solis occasum, quem morem ad præcavendos varios abusus, a Sanctitate Tua in Epistola ad Thomam Cardinalem Patriarcham Lisbonensem clementissime laudatum, in ipsis etiam Majoris Hebdomadæ noctibus Lusitania constanter retinet: atque ob hanc maxime causam expedire videtur, ut post meridiem potius per duas horas Sacra fieri permittantur, quam ut ante auroram fieri incipiant. Neque est singulare quod opto; priscos enim fideles non modo a meridie, sed noctu etiam ad Sacra peragenda convenisse Sanctitatem Tuam minime latere scio. D. Paulus Troade noctu mysteria celebravit, ut est in Actis cap. 20. Tertullianus ad Uxorem lib. 2. cap. 4. nocturnas convocationes commemorat. Disciplinam quoque sui temporis repræsentat Walfridus Strabo de rebus Eccles. cap. 23. cum dicit: *Tempus Missæ celebrandæ secundum naturam solemnitatum diversum esse, interdum enim ante meridiem, interdum hora nona, interdum noctu celebrabatur.* Fronto in Præn. ad Kal. §. 10. *Initio Ecclesiæ Synaxes Christianorum bis in die fiebant; summo mane, & vespere.* Quod etiam videmus in Theodoreti Cyri Epistola ad Monachos Constantinopolis: *Lyturgias in Ecclesia obimus, tam ineunte die, quam desinente.* Et plura similia apud Dn. de Vert. *Explicatio Historico-litteralis Cæremoniarum Miss. tom.* 4.

Mos etiam erat apud Ægyptios, ut post prandium ad Templa convenirent; hunc vero usum a Sozomeno lib. 7. cap. 19. & Socrate lib. 5. c. 22. com-

Imo ex livore sæpe defectus veri nequiter ultra modum extolluntur; & nequissime falsis appinguntur.

Hæc omnia hactenus dicta sunt contra vitia, non contra personas.

Ita Pontifex, cujus humanitas mirabiliter in ejus scriptis elucet.

In laudato Indulto omnibus prudentissime provisum est. Solum deesse videtur tempus pro celebratione trium Missarum, nisi protrahatur ad horam secundam post meridiem.

Momenta pro eo postulato attinguntur.

Olim in Ecclesia post meridiem longius protrahebatur tempus celebrandi.

Solemque interdicebatur Missam celebrari a nona jejunii Vespera.

22. commemoratum damnavit Concil. Carthaginense 3. Canone 29. *Etiam si aliquorum postmeridiano tempore defunctorum Commemoratio facienda est; quia tunc* (addit) *solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, pransi inveniantur;* unde non Missam postmeridianis horis, sed solum a non jejunis celebrari prohibet. Hoc idem Concilium Bracharense secundum Canone 10. meminit damnans Presbyteros, qui *in Missa Mortuorum post acceptum merum oblationem ausi sunt consecrare.*

Usus celebrandi post meridiem frequentior erat, quam ante auroram.

Frequentius profecto novimus ex Historia Ecclesiastica viguisse usum sacris operandi post meridiem, quam ante auroram; hoc enim factum legimus persecutionum tempore, necessitate suadente, ut noctu peragerentur Officia; illud vero non necessitate ulla, sed sapienti Ecclesiæ consilio constitutum tot Sæculorum spatio perseveraſſe compertum, atque exploratum est. Em. Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 21. n. 5. & seq. late hac de re disserit. Nobis erunt satis quæ affert de jejuniorum diebus. Ivo Carnotensis *apud eum* loquens de jejunio Quatuor temporum pag. 4. cap. 35. hæc affert ex Concilio Moguntino, *Quarta, & Sexta feria, & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum Litaniis ad Missarum solemnia.* En Missæ Sacrum rite factum horis tribus post meridiem. Multo vero tardius in Quadragesimali jejunio celebrabantur Missæ: ad Vesperam namque protrahebatur Officium. Cujus rei testis est Theodulphus ex eodem Card. Bona seu Concil. Cabillonen. ex Gratiano (de Consecr. d. 1. cap. *Solent*) sive Amalarius ex Dacherio Spicil. tom. 7. p. 173. Verba autem ipsa, cujuscumque sint, in medium affero: *Solent plures, qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt, ad nonam manducare; qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemniis, sive vespertinis officiis, largitis prius eleemosynis, ad cibum accedendum est.* Sermo hic est de Jejunio juxta priscum illius temporis Ecclesiæ morem. His vero aliisque allatis, doctissimus Cardinalis, *Unde*, inquit, *colligitur, etiam in aliis jejuniis extra Quadragesimam dilatum quandoque sacrum usque ad vesperam.*

Immo hodie alicubi viget usus celebrandi Vesperi.

Hac super re plurima congessit Martene (de Eccles. Rit. lib. 1. cap. 3. art. 4. num. 3., & seqq.) tam ex Patribus, quam ex Conciliis, quæ per otium videri possunt. Nobis enim satis est eruditissimi hujus Scriptoris sententiam afferre, qua exploratis tot gravissimis hujus rei testibus, quæcumque iidem docent, ita complectitur (ibid. num. 10.): *Ex his patet, omni hora privatas Missas cantare licitum fuisse, mane scilicet, hora secunda, meridie, post dictam nonam, vespere, & post Completorium. Quin etiam hodie in percelebri S. Dionysii in Francia templo, cum solemnes Regum celebrantur exequiæ, Episcopus offerens sacrificium, non nisi vespere absolvit. In Ecclesia quoque Rotomagensi die Ascensionis Domini sacro persæpe ad vesperam Missa celebratur pro publica rei alicujus absolutione.* Quamobrem non modo jejuniorum diebus post Nonam, seu tribus horis post meridiem, & Quadragesimali tempore ad Vesperam Missæ celebrabantur; utriusque enim ritus memoriam servat Ecclesia nostris etiam temporibus; anticipatione Divinorum Officiorum; sed aliis etiam diebus pomeridiano tempore celebrari Missas consueviſſe certum exploratumque est, quod nescio an de tempore ante auroram luculenter adeo monstrari possit. Enimvero liquido constat, septies minimum offerri consueviſſe Sacrificium noctu annis singulis: id est, in Natali Domini, Sabbato Sancto, in festo S. Joannis Baptistæ, & in collatione Sacrorum Ordinum, quæ Sabbatis Quatuor temporum peragebatur. Ac perinde patet, mane, sive sub Auroram multoties celebrari solitam Missam, quam matutinalem vocat Martene. Ad vespertinas autem Missas quod attinet, opportune Cardinalis Bona (ubi supra num. 4.) nos admonet quarundam Ecclesiarum consuetudinis, quæ in vigiliis festivitatum aliquot vesperi sacrum faciebant. *Has autem*, inquit, *& alias quascumque ejusdem generis sustulit Pius V. Constitutione quarta, revocatis omnibus privilegiis, & apposita pœna suspensionis.*

Usus celebrandi ab ortu, usque ad occasum Solis, viguit per aliquot sæcula.

Invaluit retroactis proxime Sæculis non lege aliqua, sed praxi tantum consuetudo nunquam Missas neque ante auroram, neque post occasum Solis, nisi ex peculiari quadam causa celebrandi; toto tamen die antiquitus ab aurora usque ad Solis occasum fas erat celebrare, cujus rei cum multi ac magni nominis testes sint, duos tantum appello clarissimarum scholarum auctores Divum Thomam, & Joannem Duns Scotum. Doctor Angelicus 3. part. quæst. 83. art. 2. in corp.: *Quia vero Dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc Sacramentum in Ecclesia celebrabatur.* Ita de Missis solemnibus; at de privatis ibid. *Ad quartum: Dicendum quod Missa regulariter celebrari debet de die, non de nocte:* Scotus vero in 4. sentent. dist. 13. q. 1. *Ad tertium principale ex parte temporis breviter teneas, quod a principio diei usque ad horam nonam Missa* congrue *celebratur.* Subtilis Doctor loquitur de Missis solemnibus, quæ in Ecclesiis Collegiatis celebrabantur, uti ex iis, quæ ibidem subjungit, manifestum est. Ex his autem (& cum his consentiunt Alexander de Hales in summa part. 4. quæst. 10. Mem. 5. art. 5. §. 3. Durandus Meldensis Episcopus in 4. Sent. dist. 13. q. 2. n. 7., aliique passim antiquiores Scholastici) plane consequitur, quod Sæculo XIII., quo vixere Divus Thomas, & Halensis, & Sæculo XIV., quo Scotus, & Durandus floruere, Missa solemnis dicebatur hora nona (tertia pomeridiana) saltem diebus jejunii, & quando ordinationes fiebant, circa vesperas. Si igitur Sanctitas Tua concesserit, ut secunda post meridiem hora sacrum rite fiat, nihil exinde sequetur contra priscam, aut medii ævi Ecclesiæ disciplinam.

Hodie viget pro aliqua speciali casu necessitatis, aut privilegii.

Fateor quidem, Beatissime Pater, hodiernam Ecclesiæ disciplinam prohibere, ne Missa fiat aut ante auroram, aut post meridiem, atque Theologos passim apud Rosignolum *de Eucharistia*, aliosque docere, Sacerdotem graviter peccaturum, qui sacris operatus fuerit ante auroram, aut post meridiem, nisi adsit specialis aliqua ratio, quæ immunem reddat a peccato. At ii ipsi fateri coguntur (apud eundem Rosignolum *de Eucharistia* q. 8. art. 16.) plures esse casus, qui ab hac lege universali excipiuntur; inter quos unus est *Privilegium* concessum a Sede Apostolica celebrandi, aut ante auroram, aut post meridiem. Tale est illud concessum ab Eugenio IV. Abbati S. Mariæ de Pratulo Ordinis S. Benedicti Diœcesis Patavinæ, *quo ex aliqua causa* subsistente, facultas data est celebrandi duas horas ante diem, & post meridiem usque ad horam nonam inclusive, ut habetur in Bullario Cassinensi tom. 2. Constitut. 332. num. 6. Tale est etiam illud, quo gaudet Sanctuarium Lauretanum celebrandi Missas usque ad Vesperas, idque ad satisfaciendum devotioni populorum, & ut facilius queat oneri Missarum satisfieri. Omitto recensere Privilegia, quæ Principibus Viris, Cardinalibus, Præsulibus, atque Missionariis concedi solent, utpote

te omnibus notiſſima. Si igitur ſalva diſciplina, tum antiqua, tum recenti Eccleſiæ, apud omnes conſtet Pontificem Romanum rationabili ex cauſa diſpenſare poſſe, non utique repugnare arbitror diſciplinæ Eccleſiaſticæ, nec quidquam ſingulare eſſe diſpenſationem a Sanctitate Tua impertiendam, cum notum ſit multos ſemper petiiſſe, multoſque impetraſſe. Neque deeſt *cauſa rationabilis*, nam ut omittam populorum concurſum ad Eccleſias, qui maximus eſſe ſolet in Commemoratione Defunctorum, ſane inficiabitur nemo, eſſe maxime conſonum rationi, ut beneficium a Sanctitate Tua piiſſimis Regibus, & populis ſemper de Apoſtolica Sede optime meritis conceſſum, ſit undique expletum, atque perfectum, quod fieri nequit, niſi ſinguli Sacerdotes queant tria ſacra commode facere eodem die. Neque huic petitioni refragatur Conſtitutio S. Pii V. Pontificis quæ incipit *Sanctiſſimus*, quamque ſuperius innui; illa enim præclare oſtendit XV. Sæculo ad finem vergente non defuiſſe plures, quibus conſuetudo vetus erat Miſſas noctu celebrandi certis quibuſdam anni temporibus; has tantummodo, pœna ſuſpenſionis interpoſita, vetuit celebrari nocturnas Miſſas Sanctiſſimus Pontifex, ſed nihil de Miſſis ſtatuit, quæ poſt meridiem ante noctem celebrabantur, ut ex ipſa Conſtitutione apparet, quæ anno 1560. die 9. Martii Romæ affixa eſt: quare hodierna circa horam diurnam celebrandæ Miſſæ diſciplina non lege aliqua poſitiva nititur, ſed ſolo uſu & praxi Eccleſiæ, ut Schmalzgrueber in l. 3. Decret. tit. 41., & Canoniſtæ, Scholaſticique Recentiores, cum de hac re tractant, paſſim loquuntur. In Hiſpania autem uſitatum, & fere quotidianum eſt, Sacerdotes Miſſam celebrare poſt meridiem, cum Bulla Cruciatæ id per unam horam tum poſt meridiem, tum ante auroram fieri permittat.

Privilegium Cruciatæ pro ſingulis diebus non multum diſtat ab eo, quod pro una die in anno petitur.

Non itaque multum a Privilegio Cruciatæ diſtare videtur: imo recenti Eccleſiæ diſciplinæ conformius, quod duas horas, quarum alteram ante auroram, alteram poſt meridiem Bulla Cruciatæ concedit, ſimul conjunctas poſt meridiem ad commodiorem Miſſarum celebrationem Sanctitas Tua Clero tam Hiſpano, quam Luſitano concedat. Quod & rationi, & æquitati conſonum eſt, & ad Beneficii jam collati commodiorem, atque adeo frequentiorem uſum conducit. Verum, aliorum, ad quos attinet, munus erit ſupplices pro hac gratia Sanctitati Tuæ preces deferre: ego interim mihimetipſi Apoſtolicam Benedictionem ad Pedum oſcula provolutus expoſco.

Gratiæ conceſſæ in Decreti Trium Miſſarum complementum ad ipſis executionem pertinent, quod utriuſque Regis Miniſtri a Sanctiſſimo D. N. obtinuerunt.

EManato decreto ſuper conceſſione trium Miſſarum die 21. Auguſti ann. 1748., & Apoſtolicis Litteris in forma Brevis confirmato die 26., demum cum dies Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ſit una ex brevibus anni diebus, & dicta die ſolemnes exequiæ cum Officio, & Reſponſoriis ab Eccleſia præſcriptis in ſuffragium Animarum omnium Fidelium Defunctorum ulterius protrahi, ac immorari plerunque ſoleant, Sanctitas Sua benigne dignata eſt (1) *omnibus Sacerdotibus ad quos Indultum extenditur*, nempe tam Sæcularibus, quam Regularibus in Regnis & dominiis Regum, tam Hiſpaniæ, quam Portugalliæ, & Algarbiorum exiſtentibus concedere, & indulgere, ut ipſi dicta die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum præfatas tres Miſſas etiam duabus poſt meridiem horis libere, & licite celebrare poſſint, & valeant; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

IN FORMA BREVIS

SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV.

Quibus confirmatur Decretum ab ipſomet Sanctiſſimo D. N. conditum ſuper facultate Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus conceſſa in Hiſpaniarum, necnon Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, atque Dominiis celebrandi Tres Miſſas die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ad utriuſque Regis inſtantiam.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

QUod *expenſis omnium rationum momentis, & graviſſimis ſuffragiis virorum dignitate, pietate, ac ſapientia inſignium concurrentibus, alias a Nobis decretum eſt, id, ut ſolemnioribus Apoſtolicæ auctoritatis noſtræ documentis confirmatum, quemadmodum eſt hoc in more poſitum, laudabilique Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum inſtituto commendatum, majori cum obſervantia debitæ executioni mandetur: novo Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communire exoptamus. Sane nuper edidimus Decretum tenoris ſequentis*: BENEDICTUS PAPA XIV. Cum Nobis Cariſſimus in Chriſto Filius noſter Ferdinandus VI. Hiſpaniarum Rex Catholicus enixam piamque petitionem exhiberi feciſſet, ut quæ diſciplina viget in ſuo Aragoniæ Regno, (cujus appellatione tum ipſa Aragonia, tum etiam Valentiæ, Cataloniæ, & Majoricæ Ditiones comprehenduntur) ut ſcilicet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos *Sæcularis* duas, Regularis autem tres Miſſas celebrare poſſit; eadem ad cætera quoque Regna, & Dominia eidem Ferdinando Regi ſubjecta, auctoritate noſtra extenderetur; Cumque eodem fere tempore Cariſſimus quoque in Chriſto filius noſter Joannes V. Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illuſtris ſimilem Inſtantiam apud Nos promoveri feciſſet, ut nempe in omnibus Regnis, atque Dominiis ſibi ſubjectis cuilibet Sacerdoti tam Sæculari, quam Regulari facultas per Nos fieret tres Miſſas præfato die celebrandi; Nos quidem hujuſmodi petitionum gravitatem penſantes, ac memores ſimilium poſtulationum, quæ aliis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris parum felici exitu exhibitæ fuerunt, neceſſarium omnino putavimus totam rei ſummam maturo examini ſubjicere, quamvis minime hoſpites in ea Nos reputare poſſemus; ſiquidem olim ipſius momenta pro Officio, quod tunc gerebamus, Secretarii Congregationis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini executioni, & interpretationi propoſitæ diligenter Nobis expendenda fuerunt; cum-

Inſtantiæ Regis Catholici pro extenſione conſuetudinis in Aragonia jam vigentis.

Inſtantiæ Regis Portugalliæ.

Res alias agitatæ, & a Sanctiſſimo Domino Noſtro rataſſatæ.

(1) *Verba ſunt latine reddita unius ſupplicis Libelli, alter vero Latine ſcriptus idem omnino continet; nos utrumque hic omiſimus, quia diverſis verbis concepti eandem omnino facultatem expoſcunt, & eodem juxta petita reſcripto donantur.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cumque etiam hac de re plura scripserimus in nostro Opere *de Festis Domini part. 1. pag. 247.* item in Tractatu *de Sacrificio Missæ sect. 2. pag. 169.* juxta Editionem Patavinam, & in una ex Institutionibus Pastoralibus pro nostro Bononiensi Clero, Populoque editis, quæ est *XXXVI.* in Latina versione Romæ impressa *pag. 185. & 186.*, ac demum in nostris litteris ad Episcopum Oscensem datis die XVI. Martii anni MDCCXLVI., quæ jam seorsim typis vulgatæ, in Bullarii nostri Tomo II. propediem edendo locum habebunt.

Futuri Causa in Congregat. Concilii anno 1732.

Sane quum Nos in minoribus constituti, præfatæ Congregationi Concilii, ut supra diximus, a secretis essemus, oblatusque fuisset supplex Libellus, in quo ex parte cl. mem. Philippi V. Hispaniarum Regis id ipsum studiosissime petebatur, quod nunc a Ferdinando Rege ipsius filio iterum petitur; officii nostri esse putavimus, instantiam hujusmodi majori cum apparatu, quemadmodum Catholici Regis dignitas postulabat, Congregationi repræsentare. Idcirco peculiaris Dissertatio a Nobis elucubrata fuit, quæ inserta est in consueto folio Relationis Causarum, quod a Secretario confici, & singulis Cardinalibus tradi consuevit. In qua primum Dissertatione rem ipsam accuratissime pro viribus exposuimus, neque omisimus originem investigare illius disciplinæ, quam diximus in Aragoniæ Regno vigere; deinde nonnullas in contrarium indicavimus resolutiones, quæ alias ad hujusmodi postulata prodierant; tum aliam memoravimus petitionem, quæ olim pro Portugalliæ Regnis facta fuerat Prædecessori nostro Clementi PP. XI. ut trinas liceret Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus addidimus, quod, quum hoc idem ab Hispaniarum quondam Rege Philippo IV. pro omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus Regnorum suorum Sacerdotibus postulatum fuerit, vel saltem postulandum fuisse non ignoraretur; ideoque plura rationum, factorumve monumenta pro hujusmodi concessione impetranda collecta tunc fuisse constaret; Nobis datum non fuerat hujusmodi Collectiones ad causam maxime opportunas reperire, ut videre est in folio pro Congregatione die II. Maji anni MDCCXXII. a Nobis conscripto, quod nunc in Thesauro resolutionum præfatæ Congregationis Concilii *tom. II. pag. 169. & seq.* impressum reperitur. Quum autem bon. mem. Ludovicus Cardinalis Belluga Congregationi prædicta die habitæ interfuisset, meminimus ipsum de nostra Dissertatione favorabiliter loquutum, in nostram quoque sententiam deveniisse, ut necessarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV. adornatas inspicere, ipsumque in se recepisse, ut ipsas diligentissime conquiri curaret. Quapropter Rescriptum prodiit; *Non proposita*: eoque Rescripto factum est, ut Instantia tunc quidem pro rerum circumstantiis minime admissa censeretur, non tamen omnino, & perpetuo rejecta; quin potius relictus fuerit locus ulteriori rationum, atque factorum examini, si quæ aliquando ad ipsam petitionem magis juvandam deducerentur.

Novum examen hac occasione institutum.

Quum itaque nunc ad Nos ipsos in Apostolica Sede, inscrutabili Dei judicio, collocatos præfatæ petitiones jamdudum desertæ, instantibus præfatis Carissimis in Christo Filiis nostris, delatæ fuerint, omnia, quæ ad plenam rei cognitionem quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quæque olim desiderata sunt, in lucem proferri. Ut autem nihil sine aliorum prudenti consilio statueremus, peculiarem delectorum Virorum Congregationem ad negotii hujus examen deputavimus; in qua adscriptos voluimus Venerabilem Fratrem nostrum Antonium Xaverium Episcopum Prænestinum S. R. E. Cardinalem *Gentili* nuncupatum prædictæ Congregationis Concilii Præfectum, Dilectosque Filios nostros ejusdem S. R. E. Cardinales Presbyteros Silvium *Valenti* Congregationis de propaganda Fide Præfectum, Carolum Albertum *Cavalchini* Præfectum item Congregationis super negotiis & Consultationibus Episcoporum & Regularium, Fortunatum *Tamburinum* Præfectum Congregationis Sacrorum Rituum, & Joachimum *Besozzi* Majorem Pœnitentiarium; ac præterea Ven. Fratrem *Silvestrum Merani* Episcopum Porphyriensem Apostolici Sacrarii Præfectum, quem peculiari hujusce Congregationis Secretarium declaravimus, ac Dilectos Filios Magistrum *Ludovicum Valenti* in utraque Signatura nostra Referendarium, Protonotarium Apostolicum, & Fidei Promotorem, Fratrem *Michaelem a Sancto Joseph* Priorem Generalem Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, *Cælestinum Orlandi* Procuratorem Generalem Congregationis Monachorum Cælestinorum, *Joannem Andream Onofrii* Ordinis Eremitani S. Augustini Procuratorem Generalem, *Thomam Sergium* Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, Sanctæ Inquisitionis Consultorem, & Præfectum Studiorum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, Fratrem *Joachimum Pucci* Ord. Prædicatorum Magistrum, Episcoporum, & Cleri Romani Examinatorem, *Dominicum Turanum* Societ. Jesu Presbyterum, Apostolicæ Pœnitentiariæ Consultorem Theologum, & *Ægidium Giulj* ejusdem Societatis Presbyterum, alterum Examinatorem Episcoporum, & sacrorum Canonum Professorem in Collegio Germanico Hungarico ad S. Apollinarem. His omnibus, & singulis exhiberi mandavimus quæcumque ad causam pertinebant, eaque potissimum, quæ nuper reperta sunt, sed in præcedentibus propositionibus exhibita non fuerant; quæ omnia justo volumine comprehensa, typis edita sunt Romæ hoc anno MDCCXLVIII. datoque aliquot mensium spatio, quo res accurate perpenderetur, jussimus, ut singuli sententiam suam scripto traditam, ac sigillo obsignatam ad nos transmitterent, quæ omnia diligentissime sunt peracta.

Nomina Cardinalium, & Consultorum.

Denique Nos ipsi aliorum laboribus laborem nostrum, privataque studia nostra eorum studiis adjunximus, & inspectis, libratisque tum novis documentis, tum ipsorum Consultorum suffragiis (ex quibus, cum quatuordecim numero fuerint, duo duntaxat petitionem rejiciendam esse, reliqui vero duodecim Indultum concedi posse censuerunt) omnibus rite, ac mature pensatis, invocato etiam Divini Luminis adjutorio, piis, ac religiosis precibus dictorum Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Ferdinandi VI. Hispaniarum Catholici, & Joannis V. Portugalliæ & Algarbiorum Regum Illustrium libenter annuentes, omnibus & singulis in eorum Regnis, atque Dominiis actu commorantibus, tam secularibus, quam Regularibus Sacerdotibus nunc existentibus, ac pro tempore futuris, quamdiu in prædictis Regnis, atque Dominiis moram traxerint, & non alias, facultatem perpetuo futuris temporibus duraturam concedimus, & impertimur, ut singulis annis die secunda Novembris, seu die sequenti, juxta Rubricas Missalis Romani, qua nempe Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint & valeant; contrariis qui-

Indultum conceditur pro tribus Missis Commemor. omnium Fidelium Defunctorum, ab omnibus in Dominiis dictorum Regum celebrandis, in perpetuum.

quibuscumque Constitutionibus, litteris, regulis, ritibus, & consuetudinibus minime obstantibus.

Nihil innovatur, quoad applicationem primæ Missæ, & aliarum antea in Aragoniæ Regno permissarum.

Novimus sane inter Scriptores rerum moralium non satis convenire, an Sacerdotibus celebrantibus Missam pro Defunctis juxta prædictas Rubricas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum liceat hujusmodi Missæ fructum medium, quem vocant, alicui peculiari defuncto applicare, an vero pro omnibus omnino Defunctis Fidelibus illum applicare teneantur. Utcumque autem se res habeat de hac controversia, Nos eos quidem, quibus in Aragoniæ Regno licitum erat ante hoc nostrum Indultum duas vel tres respective Missas prædicta die celebrare, hortamur in Domino, ut earum fructum medium omnibus in Christo quiescentibus applicent; His vero qui in posterum hujus Indulti vi, aut tertiam in eodem Regno Missam, aut secundam & tertiam in aliis Regionibus, ad quas hoc idem Indultum extenditur, celebraturi sunt, districte jubemus atque præcipimus, ut earum fructum medium non quidem alicui peculiari defuncto, sed in suffragium omnium Fidelium Defunctorum omnino applicent; expresse declarantes hanc esse nostram mentem, & voluntatem, neque Nos alias absque hujusmodi lege, & conditione hoc ipsum Indultum unquam concessuros fuisse.

Sed Missæ hoc Indulto concessæ applicari jubentur omnibus Fidelibus Defunctis.

Quoad perceptionem eleemosynæ, pari modo statuitur.

Scimus etiam antiquis, justisque titulis innixum esse usum, quo solent Presbyteri eleemosynam accipere pro celebrandis, sive pro applicandis Missis juxta offerentium mentem; qua de re late disseruimus in nostra *Institutione Ecclesiastica LVI.*, fusius autem in Opere nuperrime vulgato *de Synodo Diœcesana lib. 5. cap. 8. & 9.* An vero quum retroactis temporibus in Regno Aragoniæ duæ Missæ a Sacerdotibus Secularibus, tres autem a Regularibus in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis, seu respective triplex eleemosyna acciperetur, id ignoramus, sed facile credimus id usitatum fuisse, quum ubique fere receptum sit, ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur caritativa stipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniæ Regno duas vel tres respective Missas prædicta die celebrantes, duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus. Iis vero, qui in posterum in eodem Regno tertiam Missam vigore præsentis Indulti celebrabunt, justis de causis, ac sub pœnis inferius dicendis districte prohibemus, ne pro ipsa Missa ullam eleemosynam accipere præsumant, sicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehensis, secundam tertiamque Missam celebrabunt, simili ratione, ac sub iisdem pœnis præcipimus atque jubemus, ut nonnisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima Missa duntaxat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter præfinita fuerit. Decernentes, nullam omnino causam, nullumque prætextum, aut obtentum ad declinandam hujus præcepti nostri observantiam suffragari posse, ne voluntariam quidem Fidelium oblationem; nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus, nec alium quemcumque colorem, quod nempe eleemosyna detur pro celebratione, non autem pro applicatione Missæ; aut quod applicatio facienda sit pro omnibus Fidelibus Defunctis, sive quod offerentes cupiant ipso duntaxat oblationis merito Defunctos juvare; hi enim poterunt per alia pia opera, sive per alias eleemosynas in alios quoscumque, quam in Sacerdotem, eique conjunctos erogandas, Defunctorum animabus suffragari; Non item gravem indigentiam, aut paupertatem Sacerdotis celebrantis, aut Ecclesiæ, aut Cœnobii, quibus nimirum aliis quibuscumque rationibus subveniendum erit; nec magnam copiam eleemosynarum, quæ congestæ fuerint pro Missis celebrandis ipsa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibusque aliter satisfieri non possit, quum minime liceat eleemosynas accipere pro Missis, quæ celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus, aut a legibus præfinitum; neque porro Missarum onera non adimpleta, pro quibus eleemosynæ jam receptæ, aut attributi reditus jam percepti fuerint. Nos enim nolumus hujusmodi onera impleri per celebrationem Missarum, quæ Indulto nostro permittuntur, neque demum legem fundationis jam factæ, aut in posterum faciendæ cum augmento eleemosynæ pro secunda, & tertia Missa; quum Nos hujusmodi fundationes sive factas, sive faciendas, etiam ex nunc prout ex tunc, & e contra, hac in parte nullas & irritas esse, & fore decernamus. In summa volumus & statuimus hujusmodi Missas de novo concessas omnibus in communi Fidelium Defunctorum Animabus, absque ulla prorsus eleemosynæ perceptione, applicari; contrafacientes autem pœnam suspensionis a Divinis ipso facto incurrere decernimus, ejusque relaxandæ facultatem Nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse reservamus. Hanc vero facultatem communicamus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, sive aliis locorum Ordinariis, ut auctoritate nostra Apostolica, & tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, ubi sic expedire prudenter in Domino judicaverint, eadem canonice utantur erga quoscumque præcepti hujus nostri violatores, qui ad ipsos humiliter recursum habuerint, sive Seculares sint, sive Regulares, sive alio quocumque modo ab eorum Jurisdictione exemti; hac tamen apposita lege, ut incursam hujusmodi suspensionem nunquam relaxare valeant, nisi prius eleemosynas a delinquentibus ratione prædictarum Missarum perceptas ab ipsis reipsa receperint; quas ipsi Ordinarii in alios pios usus (non tamen in subventionem eorundem Sacerdotum, aut personarum ipsis vel sanguine vel necessitudine conjunctarum, aut in eorundem Cœnobiorum, Domorum, & Ecclesiarum utilitatem, quantumvis ipsi, aut personæ, Cœnobia, Domus, & Ecclesiæ hujusmodi notoria paupertate laborarent) arbitrio suo erogare debebunt. Sciant tamen, quod facultas hujusmodi, quam ad relaxationem suspensionis eo modo incursæ iisdem delegamus, nequaquam extenditur ad dispensationem ab irregularitate, in quam incideret, qui post suspensionem, ut præfertur, incursam in Sacro Altari ministrare præsumerent; hujus enim dispensationis concedendæ facultatem Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus privative & perpetuo reservamus.

Sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, & Pontif. reservatæ.

Quam Episcopi jure delegato, relaxare poterunt, salva tamen restitutione.

Iis pro Missis noviter indultis nihil accipiatur præter eleemosynam pro prima Missa juxta Taxam constitutam.

Super irregularitate ex celebratione post incursam suspensionem contracta, a solo Pontifice dispensatur.

Ac decernitur nullam ob causam, aut prætextum, quidquam percipi posse.

Ad hunc igitur solum & unicum finem, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, multiplicatis Ecclesiæ Militantis suffragiis, piorum Animæ in Purgatorio detentæ sublevantur, omnibus tam e Seculari, quam e Regulari Clero Sacerdotibus in Regnis, atque Dominiis duorum prædictorum Regum Ditioni subjectis, nunc, & in posterum pro tempore existentibus concedimus, & indulgemus, ut prædicta die tres Missas singuli celebrare possint & valeant. In quo sicuti prædictorum Consultorum concordibus tutere sententiis, consiliisque adhæsimus, ita a piæ Matris Ecclesiæ spiritu nequaquam discessisse Nos arbitramur. Siquidem animadvertimus minime alienam fuisse Ecclesiam a permittenda Sacerdotibus Missarum iteratione in unico die, ubi de juvandis Defunctorum Animabus ageretur, & quidem

Quid spectaverit Pontifex in concedendo Indulto.

Ecclesiæ studium suffragandi Fidelibus Defunctis.

dem etiam postquam desierat vetus illa disciplina, de qua infra sermo erit, qua scilicet Sacerdotibus licebat pluries in die rem Divinam peragere, ac post latam legem de unica tantum Missa, præterquam in die Natalis Domini, ab unoquoque Sacerdote celebranda.

I. Hujus exempla, etiam post vetitam Missa iteracionem in genere.

Nova hæc disciplina a Prædecessoribus nostris Innocentio Tertio & Honorio Tertio Romanis Pontificibus stabilita fuit, quorum hac de re leges exstant in libris Decretalium Titulo *de celebratione Missarum*; Innocentii quidem in Cap. *Consuluisti*; Honorii vero in Cap. *Te referente*. Quum autem Innocentius in citato Capitulo hæc verba posuisset: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat*; non solum Glossa Canonica eidem Capitulo apposita hujusmodi necessitatis causam tunc fore dicit, quum celebranda sit Missa pro aliquo recens defuncto, ibi: *Sed quam dicit necessitatem? Respondeo: si celebravit de die, & postea etiam moriatur aliquis*; Verum etiam in Synodo Oxoniensi post ipsius Innocentii obitum sedente jam Honorio Tertio celebrata, decretum videmus, ut si Defuncti corpus Ecclesiasticæ Sepulturæ mandandum existat, Sacerdos duas Missas eodem die celebret, unam de Officio diei, aliam pro Defunctis, ut videre est in Collectione Conciliorum Angliæ, Londini edita anno 1737. Tom. 1. pag. 586. n. 7. Idque etiam *distinctius in aliis* Conciliis traditum invenitur, a quibus præscriptum est, ut Sacerdos in prima Missa purificationem non sumat, utque tunc solum secunda Missa pro Defunctis ab eodem Sacerdote celebretur, quando cadaveris præsentia occurrat die Dominico, seu alio die festo, nec alius adsit Sacerdos, qui hujusmodi secundam Missam celebrare possit, quemadmodum habetur in Constitutionibus Sodorensibus ann. 1291. conditis cap. 36. in eadem Anglicana Collectione tom. 2. pag. 179. itidemque in Concilio Rothomagensi habito ann. 1231. n. 14. in Collectione Harduini tom. 7. pag. 186. & seqq. Qua de re Nos ipsi olim egimus in nostra Institutione Ecclesiastica 36. pag. 186. Neque vero hæc in præsenti a Nobis commemorantur, quasi nunc etiam, præsente cadavere, duæ Missæ ab eodem Sacerdote celebrari possint; quum juxta hodiernam disciplinam liceat Presbytero, relicta Missa de die, Missam pro Defuncto, si præsens sit Corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solemnitas, quæ Missam pro Defunctis omnimode excludat: sed ideo hæc dicta sunt, ut appareat, quam propensa fuerit Ecclesia ad permittendam Missarum iterationem quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis Fidelium Defunctorum suffragiis ageretur. Quo nempe spiritu Nos etiam adducti, Missarum Sacrificia in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum a singulis prædictorum Regnorum, atque Ditionum Sacerdotibus ter celebrari posse concessimus.

II. Uniformitatem Ritus inter Aragoniam, aliasque Hispaniæ Ditiones.

Sed duæ aliæ præterea causæ, eæque satis graves ad id concedendum Nos impulerunt. Prima est, quod quum antiquissima sit in Regno Aragoniæ consuetudo, ut prædicta die tres Missæ a Sacerdotibus Regularibus, duæque a Sæcularibus celebrentur, eaque non modo nunquam reprobata fuerit, sed etiam a Prædecessore nostro Julio Tertio, aut Paulo Tertio vivæ vocis oraculo confirmata asseratur (ut jam olim adnotavimus in folio pro Congregatione Concilii a nobis, ut supra diximus, exarato) utpote quæ nec Divino, nec Naturali juri contraria, sed solum a jure communi Ecclesiastico vetita dignoscitur: cumque constet, eandem consuetudinem non solum in Regno Aragoniæ proprie dicto, atque in alio Valentiæ, & in Comitatu Cataloniæ, sed etiam in Regno Majoricæ longius dissito, tanquam ipsius Aragoniæ Regni appendice, viguisse & vigere; utique nec novam omnino rem, nec in exemplum alibi trahendam Nos fecisse censemus, dum hujusmodi consuetudinem, sive ritum auctoritate nostra extendimus ad alia Regna, & Dominia eidem Hispaniarum Regi subjecta, atque insuper ad ea, quæ alteri quidem Principi, nimirum Lusitaniæ Regi parent; sed magna ex parte finitima & proxima sunt prædictis Hispanici Regis Ditionibus. Regula quippe Canonica est, ut in Regionibus conterminis, atque inter se proximis, Rituum, ac disciplinæ uniformitas statuatur, atque servetur. Unde etiam Prædecessor noster S. Siricius Pont. Max. quum ad Himerium Episcopum Tarraconensem scripsisset de variis Ecclesiasticæ Disciplinæ capitibus, de quibus ille S. Damasum ipsius Decessorem consuluerat, eidem mandavit, ut Apostolica Rescripta non solum cum Provincialibus suis communicaret, sed ea etiam transmitteret *ad Carthaginenses, ac Bæticos, Lusitanos, atque Gallæcos*.

Et interhas, & finitimum Lusitaniæ Regnum.

III. Pium studium duorum Regum, eumque in Ecclesiam promeritis.

Alteram vero causam, eamque plurimi apud Nos momenti cum magno paterni animi nostri gaudio Nobis suppeditavit enixum studium duorum carissimorum in Christo Filiorum nostrorum Hispaniæ & Lusitaniæ Regum tantis in Ecclesiam promeritis illustrium, qui unico & sincero devotionis instinctu acti, nec retardati ob parum felicem exitum similium petitionum, quas a Prædecessoribus suis propositas fuisse noverant, istorum pietatis heredes erga Fidelium animas Purgatorio igne cruciatas sese professi sunt, auctoresque se præstiterunt, ut in earum levamen, recurrente quotannis generali Fidelium Defunctorum Commemoratione in suis respective Regnis, atque Dominiis suffragia multiplicarentur. Quapropter Magni Prædecessoris nostri S. Gregorii Papæ verba, quæ is ad Brunichildem Francorum Reginam conscripsit (Epist. 50. lib. 6. ipsius Operum tom. 2. pag. 858.) jure, ac merito ad prædictos Reges transferre Nos posse censemus: *Epistolarum vestrarum series, quæ religiosum animum, & piæ mentis studium continebat, non solum voluntatis vestræ fecit Nos laudare propositum, sed etiam libenter invitavit postulata concedere*. Tum etiam ea, quæ alter rec. memor. Prædecessor noster Innocentius Papa Tertius ad Regem Castellæ scripsit (Epist. 154. l. 14.) *Cum personam tuam inter Catholicos Reges speciali diligamus in Domino caritate, in his quæ secundum Deum requiris a Nobis, favorem tibi Apostolicum libenti animo impertimur:* atque alia, quæ idem (Epist. 24. lib. 15.) scripsit ad Regem Lusitaniæ: *Æquum est autem, ut quos ad populi regimen & salutem dispensatio cælestis eligit, Apostolica Sedes sincero prosequatur affectu: & in justis postulationibus studeat efficaciter exaudire*: eadem sane præsentium Hispaniæ, ac Portugalliæ Regum pietati ac dignitati mirum in modum congruere videntur. Quorum præterea consimiles postulationes hac de re Nobis exhibitas, & parem pro Religione zelum, eximiumque Christianæ Fidei in remotissimis etiam regionibus propagandæ studium perspicuis argumentis Nobis assidue comprobatum, dum læti suspicimus, hæc etiam utrique simul aptanda censemus, quæ noster quoque Prædecessor S. Leo M. ad Theodosium Augustum scribebat, (Ep. 21. ipsius Operum tom. 1. pag. 238.) *Quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ clementiæ præparavit, his etiam litteris, quas ad me misistis, ostenditur; ut Vobis non solum Regium, sed etiam Sacerdotalem animum ineſſe gaudeamus.*

Si-

Siquidem præter Imperiales, & publicas curas, piiſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ Religionis habetis.

Ad unitatem Ritus ſervandam, nisi perutrumque Missæ concessio hac Indulto comprehensa.

Quamvis vero antehac in Regno Aragoniæ Sacerdotibus Regularibus prædicta die tres Miſſas celebrantibus, Sæculares Presbyteri duas tantum celebrarent, Nos tamen æquum judicavimus hos illis per omnia exæquare, ut esset inter ipſos Ritus uniformitas; quæ res in cauſa fuit, ut in Eccleſia Catholica aliæ quoque diverſitates ſublatæ fuerint, quantumvis tolerabiliores videri poſſent. Ita quum in Gallias, regnante Carolo Magno, induƈtus fuiſſet una cum Ordine Romano ritus celebrandi tres Miſſas in die natali D. N. Jeſu Chriſti, quum antea duæ tantum celebrari ſolerent, novum hunc Ritum ſoli primum Epiſcopi adoptarunt, ac ſibi ſuæque Dignitati proprium fecerunt; ſed poſtea ad evitandam deformitatem, hujuſmodi facultas ad omnes inferioris quoque Ordinis Sacerdotes extenſa fuit, quemadmodum a Nobis demonſtratum eſt in Tractatu *de Feſtis Domini par.* 1. *pag.* 248.

Applicatio pro omnibus Defunctis fidelibus, quæ Eccleſia nunc, & diſtorum Regum privilegio.

Applicationem autem Miſſarum hoc noſtro Indulto conceſſarum, tertiæ nimirum a Sacerdotibus Sæcularibus in Regno Aragoniæ, ſecundæ vero, ac tertiæ ab omnibus exiſtentibus in aliis Regionibus hoc Decreto comprehenſis, juſſimus fieri, non quidem pro aliquo peculiari Defuncto, ſed pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere, tum quia id magis conſentaneum viſum eſt piæ, ac religioſæ menti duorum Regum hujuſmodi Indultum expetentium; tum quia Eccleſiæ ſpiritus id maxime poſtulabat; ſiquidem conſtat generalem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum ſecundæ diei Menſis Novembris affixam jam uſque a Sæculo IX. ab Amalario Fortunato propoſitam, vertente autem Sæc. XI. a B. Odilone Abbate pro omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis receptam, atque ab his demum, Prædeceſſoris noſtri Joannis Papæ XIX. auƈtoritate ad univerſam Eccleſiam propagatam fuiſſe, ea potiſſimum de cauſa, ut poſt celebratam præcedenti die Feſtivitatem in honorem Sanƈtorum omnium cum Chriſto regnantium, omnium quoque Juſtorum Animæ in Purgatorio detentæ, ac cæleſtis gloriæ conſortium expectantes, generalibus Eccleſiæ ſuffragiis adjuventur. De hac re latius diſſeruimus in Opere, quod ſcripſimus in Acta nonnullorum Sanƈtorum, quorum Officia celebrantur in noſtra Bononienſi Civitate, ac Diœceſi *in Editione Patavina cap.* 22. Unde ſatis patet quam juſta de cauſa prædictas Miſſas non aliquibus peculiaribus Defunctis, ſed omnibus in communi Fidelibus in Chriſto dormientibus applicandas eſſe voluerimus.

Quam vere Nobis ſemper cordi fuerit, ut, juxta Sacrorum Canonum præſcriptum, a celebratione Sacroſanƈti Miſſæ Sacrificii omnem avaritiæ ſpeciem, omnemque ſordidi captandi lucri prætextum longiſſime arceremus, ſatis compertum eſſe putamus ex his, quæ tum in Archiepiſcopatus Bononienſis, tum in Supremi Pontificatus adminiſtratione in hunc finem præſtitimus. Etenim inter Paſtorales Inſtitutiones noſtras, præter quinquageſimam ſextam, in qua plures hac de re Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas demonſtravimus, & omnino obſervari præcepimus, adeſt etiam nonageſima ſecunda, in qua Sanƈtiſſimis Apoſtolicæ hujus Sedis Decretis inhærentes, pravam quamdam damnavimus conſuetudinem, qua contendebant nonnulli, licitum eſſe Miſſas ita celebrare, ut earum fruƈtum medium in anteceſſum applicarent pro iis, qui poſtea eleemoſynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter noſtras vero Apoſtolicas Conſtitutiones in Bullario Noſtri Tom. I. impreſſas extant *viceſima ſecunda, & viceſima tertia*, quibus ſeveriſſime vetitum per Nos eſt, ne eleemoſynæ pro Miſſarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus major eſt earum taxa Synodalis, ut deinde Miſſæ alibi celebrandæ committantur, ubi hujuſmodi taxa in minori quantitate ſtatuta eſt. In noviſſimo autem Tractatu noſtro *de Synodo Diœceſana lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 9. *&* 10. alia complura ad hanc rem pertinentia ſtudioſe collegimus.

Idque præcipua ratione, ubi eorum iteratio permittitur.

Ab hoc itaque tramite neutiquam recedendum Nobis eſſe judicantes, decrevimus ſupra atque ſtatuimus, ut pro celebratione, aut applicatione Miſſarum hoc noſtro Indulto conceſſarum nullum prorſus ſtipendium quocumque prætextu, aut colore accipi valeat; quod ut a Nobis in præſenti caſu decerneretur, ſpecialis quædam, & urgens ratio Nos impulit, præter generales haſce, quas paulo ante indicavimus. Perſpectum eſt enim omnibus in Eccleſiaſtica Hiſtoria paulum modo verſatis, plures olim fuiſſe dies polyliturgicos, quibus nimirum ſinguli Sacerdotes plus quam ſemel Miſſarum ſacrificia peragebant, ut erat, præter Natalem Domini, prima dies Menſis Januarii, Feria V. in Cœna Domini, Vigilia Aſcenſionis, tres dies jejunii infra Octavam Pentecoſtes, aliique dies Feſti nonnullorum Sanƈtorum memoriæ dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, & Natalitium SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, de quibus Nos ipſi monumenta protulimus in Opere *de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part.* 1. *pag.* 247.

Quæ ideo jam vetita fuit, ut turpi quæſtui tolleretur.

Ut autem hujuſmodi conſuetudo generaliter tolleretur, & facultas celebrandi plures Miſſas uno die, ad ſolum diem Natalis Domini coarƈtaretur, non alia de cauſa factum eſt, quam ut avaritiæ, & ſordidis quæſtibus adimeretur occaſio, vel ſaltem oblocutionibus ſilentium imponeretur; quæ ſcilicet ex eleemoſynis pro Miſſarum numero multiplicatis aut ortum habuerant, aut oriri poſſe videbantur. Hunc eſſe proprium ſenſum Canonis *Sufficit de Conſecr. diſt.* 1. jam demonſtratum per nos eſt in litteris ad Ven. Fratrem Epiſcopum Oſcenſem datis §. *Excepta, & ſeqq.* Ideo autem ſcripta noſtra in hoc Decreto frequenter in medium protulimus, ne quæ jam alibi a Nobis dicta ſunt, hic denuo explicare, & quæ alibi demonſtravimus, iterum rationibus comprobare cogeremur. Id vero, quod ſupra poſuimus, a duobus præterea Scriptoribus in Eccleſiaſticis rebus apprime verſatis aſſeritur. Eorum alter eſt Thomaſſinus in Opere *de veteri & nova Eccleſiæ diſciplina par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 74. *n.* 6. ubi poſt allatam Conſtitutionem Odonis Epiſcopi Pariſienſis, videlicet: *Nullus bis in die Miſſam audeat celebrare, aut cum duplici Introitu, niſi in magna neceſſitate*, hæc ſubdit: *Cum pecunia tunc ut plurimum ad Miſſam offerretur, hinc avaritiæ ſpecies, vel ſuſpicio quædam iterationi Miſſarum affricabatur.* Alter eſt Vicecomes in Tractatu *de antiquis Miſſæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 28. *circa fin.* ubi poſtquam antiquam expoſuit diſciplinam, qua permittebatur Sacerdoti plures Miſſas in die celebrare, de ipſius diſciplinæ mutatione deinde ſic ait: *Abrogationis autem cauſam quantum equidem divinare poſſum, dedere nundinatores quidam, qui majoris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non ſunt veriti, & fecerunt, ut libertas priſca ſaltem hiſce Regionibus erepta ſit, ac deſierit.*

Si igitur multiplicitas Miſſarum, quæ Sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebatur, ideo ſublata fuit, ut avaritiæ quæſtibus, aut obloquentium ſuſpicionibus obviam iretur, jure ac merito Nos Indultum hoc noſtrum, quo

Sacer-

Sacerdotibus in præfatis Regnis, atque Dominiis commorantibus tres Miſſas in in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare permiſimus, hujuſmodi expreſſa lege atque diſtricta ſanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro Miſſis de novo conceſſis ullum ſtipendii genus, quacumque de cauſa, & quolibet prætextu, aut colore recipere poſſet.

Atque in caſu etiam aliàs denegata fuit, ne avaritiæ via aperiretur.

His accedit, quod quum petitiones inſpexerimus, ab aliquibus peculiaribus Epiſcopis Apoſtolicæ Sedi olim oblatas pro conceſſione celebrationis duarum, aut trium Miſſarum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ſimulque contraria expenderimus Reſcripta tunc reſpective emanata, agnovimus prædictas petitiones huic potiſſimum rationi innixas fuiſſe, quod ſcilicet tanta eſſet eleemoſynarum copia, quæ ea die pro Miſſarum celebratione a piis Fidelibus offerebatur, ut aliter illis ſatisfieri non poſſe aſſererent, quam ſi facultas indulgeretur Sacerdotibus, ut plures Miſſas ea ipſa die celebrare poſſent: contra vero in rejiciendis iiſdem petitionibus, id maxime ſpectatum fuiſſe agnovimus, ne per hujuſmodi conceſſiones Ordo Sacerdotalis apud detractores in aviditatis ſuſpicionem, & infamiam adduceretur. Qua etiam de cauſa Nos hanc Conceſſionem noſtram, prædicta lege adjecta, ſuſpicionibus hujuſmodi nullum locum præbere poſſe voluimus.

Pontifex Decretum confirmat per Litteras Apoſtolicas cum clauſulis &c.

Hæc ſunt, quæ concedenda eſſe judicavimus, quæque de præmiſſorum conſilio, & Apoſtolica auctoritate noſtra conceſſimus; atque hæc ſunt, quæ in hujuſmodi Indulti conceſſione præ oculis habuimus, quæque omnia exponenda duximus præſenti Decreto, quod a Nobis conditum manu noſtra ſubſcripſimus hac die 21. Auguſti anni 1748. Anniverſario Coronationis noſtræ, ineunte Pontificatus Noſtri anno nono.

BENEDICTUS PP. XIV.

Porro præinſertum noſtrum Decretum, atque in eo omnia, & ſingula contenta, ac præſcripta, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, atque etiam quatenus opus ſit, auctoritate noſtra Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique, & omnibus, ac ſingulis contentis, & præſcriptis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, atque ita, ut præmittitur, omnino ſervari mandamus. Decernentes eaſdem præſentes firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective ſub irrogatis pœnis, & cenſuris inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur iiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum

Dat. Pont. A. 9. die 25. Aug. 1748.

Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 25. Auguſti 1748. Pontificatus Noſtri anno nono.

Cajetanus Amatus.

APPENDIX V.

In Lib. 3. Cap. 5. nu. 6. mentio fit de Eccleſiæ Orientalis uſu celebrandi unicam Miſſam in Altari, ex quo uſu falſa vulgi opinio nata eſt, quam ex hominum animis omnino evellendam Epiſcoporum curæ Summus Pontifex committit hoc loco, quemadmodum in Appendice III. pag. 384. idem cavetur. Cum autem in Altari Pontificio ob diverſas quidem rationes non niſi raro celebratur, idcirco Litteras Apoſtolicas hic adnectimus de Altari a Pontifice conſecrato, quod cum magnifico Sacello Romæ conſtructum fuit, & Lisbonæ in Templo D. Rochi Domus Profeſſæ PP. Societatis Jeſu collocatum eſt.

EX TOMO I. BULLARII PAG. 481. N. 16.

Altare a Pontifice conſecratum, ſuper quo Sacrum fecit, variis Privilegiis decoratur.

Cariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joanni, Portugalliæ & Algarbiorum Regi Illuſtri

BENEDICTUS PAPA XIV.

Cariſſime in Chriſto Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Luſitanis Regis pietas in augendo Eccleſiarum cultu.

Dilectus Filius Emmanuel Pereyra Sampajus Militiæ Ordinis Jeſu Chriſti Commendator negotiis Majeſtatis Tuæ apud Sanctam Sedem præpoſitus ſæpiſſime Nobis declaravit Regale prorſus conſilium ac pietatis plenum, excitandi magnificum Sacellum in Eccleſia, quæ in Civitate iſta Lisbonæ S. Rocho nuncupata eſt. Primam totius rei formam charta exaratam ac delineatam noſtris ſubjecit oculis, nempe opera ſive ex marmore, ſive ex ære ducenda, aptiſſimas & elegantes gemmarum conjunctiones, ac tabulas effingendas ex opere concinne teſſellato, quibus omnibus perficiendis peritiſſimi hujus Urbis Artifices ſedulam modo impendunt induſtriam, & quæ Nos ipſi (cum abſoluta penitus fuerint) inviſuros promiſimus, antequam Lisbonam tranſvehantur. Poſtremo idem Commendator Sampajus Nobis expoſuit, gratiſſimum fore Majeſtati Tuæ, ſi, perfecto jam lapide Altaris erigendi in Sacello, quod ſuperius innuimus, ad ipſum conſecrandum Nos ipſi deveniremus. Itaque cum jucundiſſimum Nobis ſit morem gerere voluntati Majeſtatis Tuæ, quæ Dei cultum augere ſemper expetit, & ſimul noſtri Apoſtolici muneris partibus ſatisfacere; hinc abſque ulla hæſitatione Nos paratiſſimos oſtendimus, ut hujuſmodi Conſecrationem ſuſciperemus in Eccleſia S. Antonii, quæ ad Luſitanos pertinet, die 15. menſis Decembris anni proximе elapſi, quo in Templo octiduum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ celebrabatur. Quapropter Venerabilem Fratrem Noſtrum Vincentium Epiſcopum Sabinenſem S. R. E. Cardinalem Bichium nuncupatum, olim Apoſtolicæ Sedis Nuntium apud Majeſtatem Tuam, deſignavimus, qui præcedenti veſpera ſacras Reliquias exponeret; & re integre peracta, juxta leges, quæ a ſacris Ritualibus præſcribuntur, Nos poſtera die ſolemni indicto comitatu ad eandem Eccleſiam S. Antonii venimus, eamque ſplendide magnificeque ornatam deprehendimus. Cardinales octo Nobis advenientibus in Eccleſiæ liminibus adfuerunt. Poſt hæc initium fecimus Conſecrationi totius lapidis, qui in parte ejuſdem Templi aptiſſi-

Altare ipſius juſſu Romæ extructum, a Pontifice conſecratur.

tissime collocatus ante fuerat. Postquam, Deo juvante, finem Consecrationi imposuimus, licet plurium horarum spatium requireret, eam facultatem Nobis haudquaquam tribuimus, quæ a Pontificali conceditur Episcopo consecranti, si debilitatus longo temporis incommodo fuerit, nempe ut alium suo loco substituat qui sacrum faciat; sed Nos ipsi super consecrato lapide Missæ Sacrificium celebravimus. Ritus ejusmodi pietatem incredibilem ac Religionem præsetulit, ad quem, præter Cardinales, quos jam memoravimus, omnes quoque Principum exterorum Oratores, Præsules, & Optimates magna frequentia convenerunt. Res universa decenter ordinateque peracta fuit, ob eximiam operam, studium, summamque diligentiam, qua idem Sampajus Majestatis Tuæ negotiis apud Sanctam Sedem præpositus maxime præcellit.

Prærogativæ Altarium Pontificum.

§. 1. Equidem cum Nos ipsi sacraverimus hoc Altare, & super ipso Deo operati Sacrum fecerimus, ob hanc causam Pontificium Altare appellandum est, nec ulli licet Sacerdoti ad ipsum accedere, ut Missæ Sacrificium peragat, nisi antea facultas nostra interceserit, juxta morem, & institutum S. Romanæ Ecclesiæ, quæ Mater, & Magistra cæterarum Ecclesiarum habenda est. Id aperte demonstratur exemplo Altarium, quæ sunt in Ecclesiis Lateranensi, Vaticana, aliisque Patriarchalibus hujus Urbis, in quibus Aris solus Romanus Pontifex Sacrum facere potest, aut etiam Cardinalis aliquis certis temporibus, facta tamen prius a Pontifice potestate, quæ per Apostolicum diploma declaratur. Anno 1588. Sixtus V. Decessor Noster S. Didacum solemni ritu inter Cælites adnumeravit, ac deinde Philippo Catholico Regi dono misit Altare, ad quod Sacrum fecerat, cum ritum ejusmodi Canonizationis perageret; Pontificium illud Altare pronuntiavit, permisitque Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus Thiara insignitis, & illis, qui primam dignitatem in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus obtinerent, demum Generali Ministro Ordinis Minorum S. Francisci, ac Priori in Monasterio S. Laurentii, Sacrificium Missæ super eodem Altari conficere diebus Festis Domini, Beatissimæ Virginis, Feria V. in Cœna Domini, in celebritate Sanctorum omnium, ac S. Didaci, uti constat ex ejus diplomate, quod die 20. Augusti promulgatum fuit eodem anno, quem paulo ante indicavimus.

Forma Privilegiorum hujus Altaris adnexorum.

§. 2. Nos quidem institutа Decessorum nostrorum retinere perpetuo volumus; sed quibusdam gravibus causis adducti, paululum declinabimus ab ea via, ac ratione, quam illi pro hujus rei exequutione tenuerunt. Ipsorum sententiæ constanter adhæremus, nemini licere ad Pontificias Aras Sacrum celebrare, nisi prius Apostolicam facultatem pro re gerenda consequutus fuerit; tamen pro eadem facultate tribuenda diversum consilium a Decessoribus nostris suscipiemus; etenim cum Romæ diploma Pontificis toties necessario requiratur, quoties ad Aras hujusmodi Romæ existentes Missæ Sacrificium indicendum est, & eadem facultas solis Cardinalibus conferatur, nempe cum dies quidam festi peculiares celebrantur; & cum Sixtus dies etiam illos designaverit, quibus liceret Sacrum facere super Altari, quod ad Catholicum Hispaniarum Regem Matritum transvehi jusserat; Nos pietate singulari Majestatis Tuæ permoti, & sperantes etiam ob singularem Dei bonitatem fore, ut reliqui omnes Lusitaniæ Reges eadem pietatis laude commendentur, absque ulla dierum, aut Sacerdotum limitatione, Majestatem tuam, & Reges Lusitaniæ pro tempore futuros constituimus, ut nostro nomine, & Sanctæ hujus Sedis, facultatem impertiant Sacrum faciendi ad Altare, quod a Nobis consecratum Lisbonam devehetur; pro certo habentes idipsum negotium tam caute, ac prudenter a Majestate Tua pertractandum esse, ut nihil unquam futurum sit, quod rationi parum consentaneum videatur. Insuper idem Altare perpetuo privilegiatum declaramus, quamvis in Ecclesia S. Rochi aliud Altare præditum simili jam privilegio existat: Regi autem Lusitaniæ pro tempore, item Reginis, cæterisque eorum Consanguineis, & Affinibus usque ad tertium gradum inclusive, plenariam Indulgentiam, & omnium delictorum remissionem elargimur, quoties Pœnitentiæ Sacramento expiati, & sacra Synaxi refecti, ante ipsum Altare preces ad Deum effundent, ut hæreses extinguat, Christianos Principes ad concordiam deducat, & S. Ecclesiam in altiorem gloriæ dignitatis locum efferat.

§. 3. Hæc a Nobis præstanda duximus, ut Majestas Tua benevolentiam nostram magis agnosceret, gratique animi studium pro tot beneficiis, quæ in Nos amantissime congessit. Illud quoque persuasum habeat optamus, hærere defixam animo Nostro Sui memoriam, & quoties Sacrum Deo facimus, enixe petere, ut Majestatem Tuam omni cumulet felicitate, cui Nos pariter Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Januarii 1745. Pontificatus Nostri Anno Quinto. *Dat. 15. Jan. 1745.*

Cajetanus Amatus.

APPENDIX VI.

Ad Lib. III. Cap. VI. Num. 11. Ex Tomo I. Bullarii Num. 41. Pag. 109.

Indultum pro celebratione Missarum super Triremibus Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Summarium precum & rationum.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Magnus Magister Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quod ipse, considerans tam fratres Milites, quam Officiales, Nautas, & Turmam Catholicam, qui super Classe Triremium Hospitalis præfati reperiuntur, tempore expeditionum, præsertim in Littore Maris Africi, & Lybici, aliisque partibus communi Christiani nominis hosti subjectis, longo tempore, & multoties in solemnioribus anni Festis diebus, prout etiam quando in oris maritimis Catholicorum Principum, & in illorum portubus existunt, tum propter anni tempestates sibi adversas, quæ minime permittunt tentorium in terra figere, & obtendere, sub quo sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrari possit, tum propter distantiam Terræ firmæ, Sacrosanctum Missæ Sacrificium hujusmodi audire non posse; ut incommodis & inconvenientibus hujusmodi, ne pietas, & devotio Fratrum, Subditorumque ejusdem Hospitalis minuatur, occurri possit, idem Missæ Sacrificium in Triremibus prædictis celebrari posse plurimum desiderat: Nobis propterea dictus Magnus Magister humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex annuit.

§. 1. Nos igitur piis dicti Magni Magistri votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favora-

vorabiliter annuere, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, moderno, ac pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro, & Dilectis Filiis Conſilio Hoſpitalis præfati, petitam facultatem celebrari faciendi ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi, tum tempore navigationis, quo Triremes hujuſmodi anchoratæ ſunt, in quibuſvis oris, litoribus, & portubus, habitatis, & non habitatis, & dummodo celebratio Miſſæ hujuſmodi eo tempore, quo mare tranquillum, & Cælum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi fiat; ita ut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Cum conditionibus expeditis.

Dat. die 15. Jan. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris *die 15. Januarii 1742.* Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

D. Cardinalis Paſſionens.

Idem Indultum habetur eodem tomo pag. 162. ad Pontificias Triremes extenſum, eodemque modo conceptum.

APPENDIX VII.

Ad Lib. III. Cap. VIII. Num. 6. Ex Tomo I. Bullarii Num. 103. Pag. 366.

Quæ inſerta eſt in Editione Latina Patavina Sect. 2. §. 60. pag. 183.

De Applicatione Miſſæ Parochialis pro Populo, Conventualis vero pro Benefactoribus Eccleſiæ, Item de Divinæ Pſalmodiæ cantu.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cunctiſque locorum Ordinariis per Italiam conſtitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Pontifex Paſtorales ſollicitudines cum Epiſcopis libenter communicat.

CUm ſemper oblatas Nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates Veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ Noſtræ erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum Veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini Veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati Noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere Nos poſſe confidimus, quam ſi Divini Cultus augmentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam, religioſæ vigilantium Paſtorum curæ identidem inculcando, commendemus.

De applicatione Miſſæ Parochialis & Conv. &c.

§. 1. Hujus porro Epiſtolæ ad Vos ſcribendæ occaſionem Nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo; tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a ſcriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa ac definita fuerit; quamvis earundem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum approbationem & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque Veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad Vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis ſententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat; & Fraternitatibus Veſtris quædam veluti norma ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque Veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem dum, *juxta ea*, quæ in præſentibus tenenda atque ſervanda præſcribimus, omni, qua decet, ſollicitudine ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Veſtrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recurſus ad hujus Noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus ac jubemus; quamobrem has ipſas Litteras Noſtras in ſingulorum Tribunalium Regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de Veſtris decretis, quæ ipſis præſentibus inhærentes edituri eſtis, judicia exigi, & conferri mandamus.

Plura decreta edita a Cong. Conc.

Quibus in havenda, præſentes Litteræ publicantur.

Appellatione remota exequenda.

Applicatio Miſſæ Parochialis pro populo Concilii Trid. & Sedis Ap. decretis ſancita.

§. 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Paſtoribus animarum applicari debere pro Populo ipſorum curæ commiſſo, id veluti ex Divino præcepto deſcendens, a Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba ſatis clara & perſpicua ſint, quumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita conſtanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe; quodve magis intereſt, quum hæc intelligentia a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, necnon illius

prom-

promptam executionem in Vestris respective Diœcesibus omni studio procurare debeatis.

Sed variis effugiis declinari solita.

§. 3. Neque Nos tamen, qui ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis, Patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

Etiam Vicarii amovibiles, & temporarii, ac Regulares ad id tenentur.

§. 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est *in sess. 6. cap. 2. sess. 7. cap. 5., & 7. sess. 21. cap. 6. sess. 25. cap. 16.*, non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess. 24. cap. 18. de Reform.*, nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem duntaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Missæ pro Populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens nostra & sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & singuli, qui Actu Animarum curam exercent, & non solum Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica, & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

Non obstante defectu Congruæ, aut quacumque contraria consuetudine.

§. 5. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem & confirmationem extendimus; & quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes congruis præfinitis redditibus destituantur, & quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

Diebus tamen Festis de præcepto duntaxat.

§. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missæ Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 14.* præcipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debere: eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri; quum tamen pariter nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia & gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tanquam plus æquo rigidum, excitatæ Nobis innotescant; idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de præcepto; quum prædicti Dominici, aliique Festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* quilibet animarum curæ præpositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, ut *moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*; & quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in cit. cap. 4. Episcopis præcipitur, ut nempe *saltem Dominicis & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri* curent.

Comprehensi illis, quibus tenetur Populus Missam audire.

§. 7. Et quia in nonnullis Diœcesibus numerus dierum Festorum de præcepto, de Apostolica nostra auctoritate & consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christifideles & Missam audire, & ab operibus servilibus abstinere debeant: in aliis vero Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium, Nos ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus Festis penitus eliminentur, statuimus, & declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus Populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare & applicare teneantur.

Facultas conceditur dispensandi Parochos pauperes ab applicatione pro Populo diebus Festis.

§. 8. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu Œconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum

mum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere: idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes & singuli prædicti teneantur diebus festis Missam pro Populo celebrare & applicare; attamen, quod pertinet ad Prædictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere & licite possint & valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis, infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

Modo in Eccl. Parochi. celebrent, & totidem Missas pro populo applicent.

Vicarii temporanei congruis reddi-tibus ad hunc effectum providendi.

§. 9. Quod autem spectat ad Vicarios, sive Œconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *cit. sess.* 24. *cap.* 18., cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi & constituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*; vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti *Vicario*, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, pauciscque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus Festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticæ Nostræ Ditionis, ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

Eaque de re cum Collectoribus Cam. Ap. agendum.

De Vicariis perpetuis, vel etiam amovib. servanda Constitutio Sancti Pii V.

§. 10. Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore Nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quæ incipit, *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni 1567. distincte statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, & signanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus Festis de præcepto; utendum vobis erit potestate quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 7., dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffraganibus.

II. *Missa Conventualis in Eccles. Collég. Cathedr. &c. quotidie celebranda, & pro Benefact. in genere applicanda.*

§. 11. Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, & Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum Horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, & per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica auctoritate nostra confirmamus & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum, pro earundem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus.

Nec suffragatur applicatio pro certo Benefactore.

§. 12. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus; quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

Nec pariter alterius generis preces, vel statuta anniversaria Sacrificia.

§. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ a Lege Ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

Ratio, & origo hujusmodi obligationis.

§. 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiæ Sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium, & singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorundem recordatio nunquam interierit, utque pro iis tum preces funderetur, tum etiam Missæ Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomi-

nomina. At non ideirco deſerere fas eſt uſum & diſciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem deſumit.

Cujus declinandæ plures cauſæ frustra afferuntur.

§. 15. Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus Feſtis de præcepto; ita pariter uſuvenit quoad applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem ſuperiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores, provide e medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini reſolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Noſtra approbamus & confirmamus.

Tollitur immemorabilis conſuetudo, etiam immemorabilis, non ſuffragari.

§. 16. Nonnulli ſiquidem obtentu contrariæ conſuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab hujuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt. Verum jam pluries reſponſum fuit, hujuſmodi conſuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abuſus & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari.

Peculiarem celebrantis diligentiam per aliam impendendam.

§. 17. Alii a Miſſa pro Benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent, ex eo quod alio quopiam Miſſarum onere obſtricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod inſimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali ſeu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem curam exerceant, dum Miſſam Conventualem canunt diebus feſtis de præcepto, debent pro Populo ſibi commiſſo eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Eccleſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre. Sed his quoque obviam itum eſt, jubendo ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituant, qui ipſorum loco Miſſam hujuſmodi celebret, applicetque.

Eleemoſynam quatenus ejus diſtributionibus ex maſſa diſtributionum.

§. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam a Beneficiatis aut Manſionariis; quos minus æquum videtur pro Miſſæ celebratione omni eleemoſyna carere, quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt, demandando, ut ea deſumatur ex maſſa diſtributionum.

Illi deficientibus, opportuna pauperibus eleemoſyna impertiatur.

§. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujuſmodi diſtributionum, quæ ob detractam eleemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi. Tridentina quidem Synodus *ſeſſ. 24. cap. 15.* opportunas rationes oſtendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero deſignatam a Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere; cujus erit, perſpecto ex Veſtris relationibus rerum ſtatu, auctoritate Apoſtolica a Prædeceſſoribus Noſtris eidem impartita, & a Nobis etiam præſentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Feſtos tantummodo dies reducere.

De ſecunda, & tertia Miſſa Conventuali.

§. 20. Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in eiſdem canatur, ſed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus Veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt, an earundem Eccleſiarum Capitula Juriſdictioni Veſtræ reſpectivæ ſubjecta adigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

Congregat. Concilii reſponſa.

§. 21. Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex Vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt. Jamque ante illius propoſitionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam & tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum & Beneficiorum tenuitate: ex quo inferri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur.

Pontifex abſolvit ab applicat. ſecundæ, & tertiæ Miſſæ, niſi aliud uſu receptum ſit.

§. 22. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper judicio Noſtro remittendam eſſe cenſuerit: Nos ita judicamus, *idque Vobis tenendum indicimus*; laudandos nempe & confirmandos eſſe, quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis imperandum, ut in ea conſuetudine perſeverent. Ubi vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem celebranti relinquendam eſſe, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

III. Commendat exactam in Choro pſallendi rationem.

§. 23. Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponentes, Fraternitates Veſtras enixe hortamur, ut maximam curam & vigilantiam in id conferatis, ut in Eccleſiarum Veſtrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Miſſæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, pauſa nempe interpoſita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur.

Declarat etiam Canonicos ubique teneri ad Pſallendum.

§. 24. Equidem ſcimus, in aliquibus Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis, inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis aut Manſionariis in cantu ſe adjungant. In hujuſce vero opinionis confirmationem adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, ut etiam prætenſa Eccleſiarum ſuarum privilegia. At quum Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 12. loquens de Dignitatibus & Canonicis, qui Choro intereſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat, *in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare*; quumque pauca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; quum inſuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præpoſita examinata ſit, quin ſtatim explosa fuerit, & improbata; quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis

tis & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus Nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis & confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiæ Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque Divinæ Psalmodiæ Cantu. Verum nisi illis præsto sit Apostolicum non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum ac vigens Privilegium sive Indultum; jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, Præbendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, & consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus & corruptelas, quas arguendo & increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Non suffragari præsumpta privilegia, aut consuetudines.

Dat. die 19. Aug. 1744.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 19. Augusti 1744. Pontificatus Nostri anno quinto.

APPENDIX VIII.

Ad Librum 3. Cap. 8. & 9. in quibus agitur de Applicatione Missæ: quod Argumentum iterum fusius discutitur Cap. 21. & 22. circa onus applicandi Missam ex accepta eleemosyna; in hoc vero Cap. 22. n. 9. agitur de sorte Missæ perpetuæ; unde hic subjiciemus ex libro 5. de Synodo Diœcesana. TU-88

CAPUT X.

De Missarum oneribus minuendis.

Concil. Trid. concessit Episcopis, & Generalibus facultatem conservandi Missarum onera.

1. CUM sapientissimi Concilii Tridentini Patres probe animadverterint, adeo ingentem esse numerum Missarum ex piorum Defunctorum legatis, in perpetuum celebrandarum, ut illum explere, & exæquare impossibile jam foret; cumque insuper perpenderint, ob decrementum reddituum, quos illi reliquerant, adeo tenuem supereſſe eleemosynam, singulis Missis respondentem, ut nullus reperiretur Sacerdos, qui onus subire vellet eas celebrandi: hisce de causis sess. 25. cap. 4. de reform. facultatem dederunt Episcopis, & superioribus Generalibus Ordinum Regularium, ut illi, in sua quisque Diœcesana Synodo, hi vero in Capitulis generalibus, pro ipsorum arbitrio & conscientia, Missarum onera contrahere, seu eorum numerum minuere possent.

Eam Urbanus VIII. revocavit, & ad Sedem Apostolicam avocavit.

2. Verum hanc facultatem, qua plerique Antistites, præsertim Archiepiscopus Valentinus in sua Diœcesana Synodo anni 1577. & in Synodo Provinciali anni 1584. atque in alia Synodo Diœsana habita anno 1590. apud Cardinalem de Aguirre tom. 4. Conciliorum Hispaniæ pag. 289. & pag. 459. usi fuerant, revocavit, & ad Sedem Apostolicam avocavit Urbanus Octavus in sua Constitutione 45. *Bullar. tom.* 5. cujus verba sunt: *Districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus probationis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.* Quare hodie integrum amplius non est Episcopis in suis Diœcesanis Synodis, virtute facultatis sibi olim a Tridentino concessæ, Missarum onera minuere, & moderari; ac proinde rescissæ hodie sunt pleræque quæstiones, quæ antea a Doctoribus versabantur, puta an solus Episcopus, etiam extra Synodum, possit Missarum onera minuere, an potius Synodi consensus ad id requiratur, aliæque similes, de quibus Hurtadus *resolut. moral. tom. 2. lib. 6. n.* 2125. Solumque disputari potest, an per prædictam Urbani Octavi Constitutionem adempta quoque eis sit potestas moderandi numerum Missarum, quarum celebrandarum obligationem nemo adhuc in se suscepit, & fortasse, ob tenuitatem eleemosynæ illarum numero respondentis, nemo reperitur, qui illam acceptare velit. Non esse ademptam, opinati sunt Pasqualigus *de Sacrificio novæ Legis q.* 1168. Passerin. *de statu hominum tom. 2. q.* 187. *n.* 1055. & alii: Quoniam Urbanus VIII. solum interdixit Episcopis, ne Missarum onera a Fundatoribus imposita imminuant; Onus autem, inquiunt, a Fundatore quidem relictum, sed nondum acceptatum, non potest dici ulli impositum, cum ante acceptationem nullus sit, qui eo gravetur; sed hac subtili ceteroquin ratiocinatione posthabita, prævaluit sententia opposita, quam tuetur Diana *in edit. coord. tom. 2. tract. 1. resol.* 14. *n.* 3. & 4. eique semper adstipulata est sacra Congregatio Concilii, a qua cum quæsitum fuisset, *An prohibitio facta Episcopis reducendi onera Missarum habeat locum etiam in casu, quo legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, &, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis.* Quamvis verba illa: *Ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire*, manifeste indicarent celebrationis onus nondum fuisse ab ullo acceptatum, nihilominus eadem Sacra Congregatio respondit: *Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam:* quod adnotatum legitur post prædictam Constitutionem Urbani Octavi *Bullar. t.* 5. Idemque iterum Sacra Congregatio declaravit in causa Lucen. Onerum Missarum, in qua disceptato sequenti articulo: *An Episcopus possit onera Missarum nondum acceptata reducere, absque beneplacito Sedis Apostolicæ, sive hujus sacræ Congregationis, quoties reductionem necessariam esse judicaverit, ex eo quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere: Die* 20. *Junii* 1681. *respondit Negative.* Secus vero esset, si is, qui legatum reliquit, expressam facultatem dedisset Episcopo, Missarum designatarum numerum minuendi; tunc enim licere Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, ea facultate uti, censuit eadem Sacra Congregatio, uti habetur *cit. tom.* 5. *Bullar.* post laudatam Urbani Octavi constitutionem.

Alii Summi Pontifices eam confirmarunt, nonnulli servari recusarunt: unde usus est Auctor cum Romæ fuit Archiep.

3. Attamen, post Urbanum VIII., alii Romani Pontifices, videlicet Alexander VII. Clemens X. Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. fere omnibus Religiosis Institutis privilegium concesserunt, ut Superiores Generales, adhi-

adhibito maturo consilio, ac nonnullis servatis regulis, in eorundem privilegiorum litteris expressis, possent, in sua quisque Religione, onera Missarum, antea relicta, & acceptata moderari: eademque facultas a san. mem. Benedicto XIII. facta fuit omnibus Episcopis, qui vel per se, vel per suos Procuratores interfuerant Concilio Romano, habito anno 1725. uti videre est in eodem Concilio tit. 15. cap. 8. Huic Concilio nos quoque interfuimus, tanquam Doctor in Decretis, non vero tanquam Archiepiscopus Theodosiæ, licet hujus Ecclesiæ titulo essemus exornati; Episcopis quippe mere Titularibus aditus ad illud non patuit; & nihilominus, postquam ab Ecclesia Anconitana ab eodem Benedicto XIII. nobis commissa, ad Bononiensem Metropolitanam, auctoritate Clementis XII. translati fuimus, ab eodem Clemente potestatem impetravimus, Missarum in perpetuum celebrandarum numerum, justis exigentibus causis, in nostra Bononiensi civitate, & diœcesi contrahendi; Qua tamen, summa cum moderatione, & cautela usi sumus, iisque in primis adhibitis regulis, quas semper præ oculis habuimus, cum Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus obeuntes, de Missarum numero a Fundatoribus præscripto minuendo, in eadem Sacra Congregatione agendum erat.

Item ex Synodo Diœcesana libro XII. Cap. 7. num. 4. & 5.

Si Missæ in una Ecclesia dici nequeant, habilitantur in alia celebrentur.

1. IN Diœcesi Toletana Ecclesiarum sacrariis Præfecti tot eleemosynas pro Missis in iisdem Ecclesiis celebrandis acceptabant, quot satisfieri impossibile foret: quare ne Fidelium pietas eleemosynam erogantium fraudaretur, Archiepiscopus in suis Synodalibus Constitutionibus jussit, ut singuli Ecclesiarum Præfecti, quolibet trimestri, & de perceptis eleemosynis, & de celebratis Missis exactam sibi rationem redderent; quod si Missæ numerum non exæquarent ab elargientibus eleemosynam præscriptum, liberum sibi esse voluit, earundem celebrationem alteri Ecclesiæ committere. Etiam ejusmodi Constitutio acriter impugnata est apud Sacræ Rotæ tribunal: plerisque enim videbatur Archiepiscopus suæ potestatis limites prætergressus, quasi sibi jus usurpasset, piam commutandi Fidelium voluntatem, qui in illa speciali Ecclesia Sacrificium pro se offerri voluerant, in quam consueram contulerant stipem. Verum Rotæ Auditorium cum ponderaverit, non fuisse ab Episcopo absolute sancitum, ut Missæ extra Ecclesiam celebrarentur, cui fuerant eleemosynæ oblatæ, sed duntaxat præscriptum, quid faciendum foret, quando in illa tot Missæ celebrari non poterant, quot oblatis eleemosynis responderent; cumque simul perpenderit, aliquod temperamentum necessario adhibendum fuisse, ne in prædicto casu, a jure communi non prævisо, prorsus eluderentur Fideles eleemosynam elargientes, utque iidem specialem fructum, quem erogata stipe exoptabant, e Sacrificio assequerentur, si non illa, quam designaverant, Ecclesia, alibi saltem oblato; idcirco laudatam Constitutionem commendavit, approbavitque *decis.* 1436. & *decis.* 1522. *coram Coccino*.

Non Altari designato celebrari nequeant, non ultra hebdomadam differuntur, sed dicantur in aliis ejusdem Templi Altaribus.

3. Haud absimilis quæstio sæpius delata est ad Sacram Congregationem Concilii, a qua petitum fuit, quid foret agendum, cum ingens eleemosynarum copia in unam conferebatur Ecclesiam, ut tot Missæ celebrarentur, in uno certo, & designato ejusdem Ecclesiæ sacello, quot tamen ibidem celebrare esset impossibile: Et Sacra Congregatio censuit, Missarum celebrationem non esse ultra hebdomadam differendam, sed in aliis saltem ejusdem Ecclesiæ sacellis explendam: Ne autem imponeretur Fidelibus eleemosynas erogantibus, præscriptam tabellam, in visibili Ecclesiæ loco exponendam, notificari jussit, suscipiendis in posterum Missarum oneribus satisfactum utique iri in Altari a Benefactoribus designato; si tamen intra unius hebdomadæ spatium fieri posset, sin minus in aliis ejusdem Ecclesiæ Altaribus juxta Sacræ Congregationis rescriptum.

APPENDIX IX.

Ad librum 3. Cap. 12. in quo differitur de jejunio naturali, quod utrum a pulvere Nicosiano frangatur, consulendum est caput 13. Synodi Diœcesanæ libri XI. n. 1. 2. & 3.

Aliqui prohibuerunt usum tabaci ante Missam.

1. IN superius citato Concilio Provinciali Mexicano habito anno 1585. (quod Cardinalis de Aguirre *in præfat. ad t. 4. n. 16.* a Sede Apostolica approbatum affirmat) *lib. 3. tit. 15. §. 13.* (*tom. 4. Concilior. Hispaniæ ejusd. Card. de Aguirre pag. 356.*) ita cautum legitur: *Ob reverentiam, quæ Eucharistiæ percipiendæ exhibenda est, præcipitur, ne ullus Sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quævis alia persona ante Communionem, quidquam Tabaci, Picietive, aut similium, medicamenti causa, per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat.* Haud absimile edictum anno 1640. promulgavit Cardinalis de Borgia Archiepiscopus Hispalensis, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ jussi sunt Sacerdotes a tabaci usu abstinere, una ante Missæ celebrationem, altera post eandem celebrationem hora.

Plurimæ orta sunt quæstiones utrum tabaci pulvis, vel fumus &c. frangat jejunium.

2. His suffulti auctoritatibus Clericatus *de Sacram. Eucharist. decis.* 54. *n.* 12. *cas.* 2. Natalis Alexander *in Theolog. dogmat. & moral. tom.* 1. *in append.* 1. *variar. Epistolar. Epist.* 45. Sarnelius Episcopus *tom.* 6. *Epistol. Ecclesiast. Epist.* 30. Hurtado *resolut. moral. to.* 2. *tract.* 11. *cap. ultim.* docuerunt, oportere, ac decere, ut Episcopi in suis Synodis edicant, ut a nemine ante Missæ celebrationem, aut SS. Eucharistiæ perceptionem, tabaci folium mandatur, quod a plerisque fit ad sputa & phlegmata ex ore projicienda, aut illius fumus attrahatur, vel in pulverem redactum naribus ingeratur; quia valde indecens illis visum est, ut quis, ore & naribus tabaco conspurcatis, ejusque rodolens graveolentiam, ad SS. accedat Eucharistiam. Fuerunt præterea, qui tabaci usum ante accessum ad Sacram Communionem jam omnibus ab Ecclesia vetitum putarunt; eo quod etiam illius fumus in os injectus, & pulvis naribus attractus jejunium frangat naturale: ita quippe opinati sunt Alphonsus de Leone in *in QQ. moral. de Chocolate part. 3. §. 4. n. 10. & seqq.* & Lezana *t. 3. verb. Eucharistia, n. 10.*: sed istorum opinio confutata est a Pasqualigo *in praxi jejunii decis.* 438. Diana *in edit. coord. tom. 2. tract. 1. resol. 121.* Hurtado *cit. loc. n.* 393. & Cardinali de Lugo *responsa. moral. lib. 1. dub. 9.* Siquidem nec tabaci fumus, nec pulvis naribus ingestus est vera comestio, aut potatio, quibus duntaxat naturale jejunium solvitur. Aliqua tamen difficultas adhuc remanet, de tabaci folii masticatione, qua naturale jejunium violari, si aliquid succi ex illo expressi in stomachum trajiciatur, tanquam certum asserit cit. de Leone, cui etiam Pasqualigus, & Diana consentiunt, dummodo non fortuito, & præter intentionem id contingat. Sed addit Hecquet *in suo tract. de dispensat. Quadragesim. tom. 2. par. 3. cap. 18.* nunquam

Non decidituir quæstio de Tabaci masticatione utrum jejunium frangat.

quam fortuito, sed necessario id evenire. Siquidem tabaci folium dentibus conterit, idipsum animo intendit, ut scilicet illius succo stomachus a pituita, & phlegmate abstergatur; exadverso autem Zacchias *quæst. medico-legal. lib. 9. tit. 7. q. unica n. 33.*, citatus Cardinalis de Lugo *n. 5. & seqq.* eoque teste, plures Theologi Neapolitani ab ipso interrogati censent, nulla ratione per tabaci masticationem frangi jejunium naturale, quia ejus succus, quanquam in stomachum dilabatur non est aptus ad nutriendum, sed duntaxat ad stomachi fibras irritandas.

Non prudenter interdicitur usus tabaci ante Missam &c.

3. Verum quidquid sit de hac quæstione, quam in medio relinquimus, de solo agentes tabaci fumo, aut pulvere naribus attracto, *illud* idem hic repetimus, quod jam in *libri 10. cap. 3. num. 2.* prænotavimus, nimirum nequaquam hodie expedire, ut ilius usus sub censurarum pœna interdicatur: etenim quanquam olim quamdam præseferret turpitudinem, atque indecentiam, propter quam Innocentius X. & Innocentius XI. excommunicatione perculerunt quotquot tabacum sumere auderent intra Vaticanam Basilicam: atque Urbanus VIII., sub eadem pœna, idem antea fieri vetuerat intra Ecclesias Diœcesis Hispalensis: hodie tamen cum a communi consuetudine sit adeo cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum præbeat, aut admirationem causet, quod bene perpendit Lazarus Benedictus Miglioruccius *instit. jur. Canonic. tom. 1. pag. 187.*, nimium profecto severum se præberet Episcopus, si Mexicanæ, aliarumque similium Synodorum vestigiis insistens, aut omnibus ante Sacræ Eucharistiæ perceptionem, aut solis Sacerdotibus ante Missæ celebrationem, tabacum interdiceret, adjecta præsertim in transgressores censuratum pœna. Quapropter cum Nos in minoribus constituti, Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus obiremus, semper Episcopis auctores fuimus, ut ejusmodi Constitutionem, jam aliquando formatam, a suis Synodis subtraherent, ne nimii rigoris notam incurrerent, aditumque aperirent Subditorum querelis, ad Sacram Congregationem Concilii deferendis; quod multo magis iisdem consulendum ducimus, postquam san. mem. Benedictus XIII. exploratum habens a tabaci usu omnem nunc abesse inhonestatem, atque indecentiam, illum sumere permisit intra Vaticanam Basilicam.

APPENDIX X.

AD LIB. 3. CAP. 18. NUM. 19. EX TOMO 1. BULLARII PAG. 212. NUM. 64.

Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Status controversiæ.

CErtiores effecti, pullulare in nonnullis Italiæ Diœcesibus controversiam de obligatione, qua Sacerdotes Missas celebrantes adstringantur Eucharistiam ministrare intra easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam paratos se exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri, Nostro proinde animo reputavimus, gliscenti malo Apostolicæ hujus paginæ documento obire, ne ulterius, haud absque fidelium eorundem scandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, sermonem Nostrum ad vos convertimus, ut ipsi quoque Pastoralis hac in re Officii partes minime negligatis.

Missæ, in quibus solus Sacerdos communicat, improbari nequeunt, ex Conc. Trid.

§. 1. Ac primo quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse, Missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti, & integri, Sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere, ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles, aut saltem facile edoceri possunt, Sacrosanctum Concil. Trident., innixum doctrinæ, quam perpetua Ecclesiæ traditio servavit, huic adversantem novam falsamque Lutheri sententiam damnasse sess. 22. cap. 6. & can. 8.: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anathema sit.*

Ejusdem Concilii, & Pontificis votum pro frequenti fidelium communione ad explendam Missæ celebrationem.

§. 2. Nihilominus, quandoquidem vetus Ecclesiæ praxis, & disciplina, juxta quam fideles Missis adstantes participare passim atque in publicis conventibus solebant Sacrosanctum Sacrificium, institutioni, & exemplo Christi Domini omnimode convenit, verba ejusdem Concilii eo ipso spiritu, quo ab eodem prolata sunt, iteramus: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Utinam autem eo ipso Christianæ pietatis fervore, quo primorum sæculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati, avide ad publicam sacram mensam advolare, sanctorumque Mysteriorum solemnitati non adesse tantum, sed religiose eorundem participationem exoptare conspicerentur. Nulla certe res est, qua utilius Episcopi, Parochi, Confessarii studium suum omne impendere valeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram Mensam accessu, & non spirituali tantum, sed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote, tanquam publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro ipsis, & pro ipsorum nomine offertur.

Laudatur mos participandi de Sacrificio Missæ.

§. 3. Et quamvis de eodem Sacrificio participent, præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa Missa portio Victimæ a se oblatæ, ii etiam, quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco aut vetuit unquam Ecclesia, aut modo vetat, satisfieri ab ipso Sacerdote pietati, & justæ eorum petitioni, qui Missæ adstantes, ad consortium admitti postulant ejusdem Sacrificii, quod & ipsi pariter offerunt ea ratione, quæ ipsos decere potest: immo probat atque cupit, ne id omittatur, eosque Sacerdotes increparet, quorum culpa, & negligentia fidelibus participatio illa denegaretur.

Ad antistitum tamen Pastoras pertinet, opportunitatem temporum, & locorum pro communione fidelium statuere.

§. 4. At quoniam in Ecclesia Christiana opus est cuncta ordinate, & congruenter disponi; Pastores vigilantiam & curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo accessu, eaque participatione; ex alia vero ita utrumque fortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam, & scandalum oriretur. Quare Pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacræ Mensæ, (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus, locum, & circumstantias nanciscl, quibus

& ipsi

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& ipſi juſtorum votorum ſuorum compotes evadant, nec inſtituta illa pietatis impediant. Hiſque Paſtorum ſuorum monitis fideles ſeſe dociles præbentes, cavebunt, ne ſibi injuriam factam quærantur, ſi quandoque pro tempore, loco, & perſonis, Epiſcopus minime opportunum cenſuerit, a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant; quibus ſcilicet eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eandem Menſam accedendi, pluribus aliis locis cuivis inſtructam.

Solliciti debent eſſe Paſtores, ut facilior ſit Euchariſtiæ participatio.

§. 5. Haud ægre Epiſcopi, & Parochi id fidelibus perſuadebunt, quoties ipſis ſignificent, ex Eccleſiæ diſciplina, quæ modo viget, non quidem difficiliorem, ſed faciliorem evaſiſſe iiſdem participationem, quam optant: Siquidem veteri more in ſingulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui fideles adſtabant, indeque participabant; quin a ſolis propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere valebant: hiſce vero temporibus, ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate patet cuilibet facile parabilis ſacra Menſa, & ad ſacrum Convivium admiſſio. Sin autem iidem fideles ita moniti, importune inſiſterent pro recipienda Euchariſtia in iis temporis, loci, & perſonarum circumſtantiis, quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus, Ritualis Romani auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote nec juſta nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonſtraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime compoſitum Euchariſtiæ, qua par eſt pietate, percipiendæ.

Qui, qui ſe ipſos reos, male diſpoſitos eſſe intelligunt.

Admittitur ad animorum concordiam.

§. 6. Dum Paſtores erga fideles ita ſe gerent, dumque fideles Paſtorum dictis pronas ita aures accommodabunt, orietur abſque ulla dubietate pax illa perfecta, atque concordia, qua capita invicem & membra magnopere colligari decet; deſinentque importunæ illæ controverſiæ, quæ eo tandem tendunt, ut turbas gignant ac ſcandalum, verique animarum fructus, quo nihil Paſtori carius eſſe debet, perniciem. Verbis itaque Apoſtoli Pauli ad Corinthios utimur: *Obſecro Vos, Fratres, per Nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum diſcatis omnes, & non ſint in Vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apoſtolica ſcripta nota eſſe volumus, in felicitatis auſpicium, & Paternæ dilectionis pignus, Apoſtolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 13. Novembris 1742. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Dat. die 13. Nov. 1742.

Cum de populi communione in hac ſua Conſtitutione Summus Pontifex egerit, non erit ab hoc loco alienum & aliam ſubjicere ejuſdem SS. Pontificis Conſtitutionem ex tom. 1. Bullarii num. 93. pag. 314.

Contra ſurripientes, vel aſportantes, aut apud ſe retinentes Sacras Hoſtias, vel particulas conſecratas.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad Perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AB Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, in quo Salvator Noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus ſe ipſum nobis, tanquam gratiarum omnium fontem uberrimum, atque pretioſum æternæ gloriæ pignus, amandum atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur; cui curvari convenit omne genu, omneſque gentes & populos & linguas perenne adorationis & honoris tributum offerre; ſceleratorum hominum audaciam, multoque magis ſacrilegas impiorum manus arcendas eſſe, in primilque a Nobis Apoſtolicæ auctoritatis clypeo, ac diſtricto pœnarum gladio, quantum cum Domino poſſumus, longius propulſandas, tum ipſo miniſterii Noſtri Officio, tum etiam Prædeceſſorum noſtrorum exemplis admonemur.

Epitome Conſtitutionis Innoc. XI.

§. 1. Et ſane, cum alias ven. mem. Prædeceſſor noſter Innocentius Papa XI. per ſuam Conſtitutionem datam 4. Idus Martii Anno Incarnationis Dominicæ 1676., ſtatuerit, ut omnes & ſinguli utriuſque ſexus, qui de execrabili furto Hoſtiæ conſecratæ, ſive unius vel plurium Particularum conſecratarum, cum ſacra Pyxide vel ſine illa, legitime & judicialiter confeſſi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius mandato Hoſtiam ejuſmodi, ſive unam, vel plures Particulas conſecratas ad malum finem apud ſe retinere, vel alio transferre ſeu aſportare præſumpſerint, condignis pœnis & animadverſionibus pro facinoris atrocitate plectantur, & pro prima etiam vice Curiæ ſæculari tradantur, non obſtante minori ætate, dummodo vigeſimum annum attigerint; eaſdemque pœnas conſtituerit etiam contra mandantes: Immediatus illius Succeſſor fel. pariter rec. Alexander Papa VIII. æquali zelo ad tam nefarium ſcelus eliminandum armatus prædictam Innocentii XI. Conſtitutionem confirmavit, per aliam in ſimili forma datam XI. Calendas Januarii Anni 1690.; in qua etiam illud addidit, ut ſub antedictæ Conſtitutionis diſpoſitione intelligi deberent comprehenſæ omnes & ſingulæ perſonæ tam ſæculares, quam Eccleſiaſticæ, etiam Regulares, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, & indultis munitæ, & quavis ſpeciali nota, aut individuatione dignæ, nulla prorſus excepta; eaſque omnes, ſiqua atrociſſimi hujus criminis, quocumque modo, etiam ſine qualitate furti, per ſe ipſas, vel per alios quoſcumque, aut de alterius mandato, commiſſi, reas eſſe conſtaret, omnibus, & ſingulis pœnis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Conſtitutione innovatis, etiam, quoad Eccleſiaſticos, degradationis realis, & traditionis brachio ſæculari, omnino & irremiſſibiliter obnoxias fuiſſe & eſſe, atque in poſterum fore, declaravit.

Epitome Conſtitutionis Alexand. VIII.

Confirmatio prædictarum Constitutionum.

§. 2. Nos igitur, quibus horrendæ hujusmodi impietatis magis magisque præcavendæ non minor cura pectori insidet, supradictas Prædecessorum nostrorum Innocentii XI. & Alexandri VIII. Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insertæ forent, haberi volumus), atque omnes, & singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, & extensiones in illis contentas prout jacent, Motu proprio, & ex certa scientia, & deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione confirmamus, approbamus & innovamus, easque inviolabiliter & inconcusse servari volumus & mandamus.

Referuntur Causæ novarum declarationum.

§. 3. Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes, in Romana atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in hujusmodi Causarum tractationibus, quæ coram Sacro prædictæ Inquisitionis Tribunali agitantur, hæ plerumque exceptiones a reis, atque reorum Advocatis proponi soleant; quod scilicet subreptarum Particularum sive Hostiarum consecratio, & surripientium sive asportantium, vel respective retinentium intentio ad malum finem directa minime a Fisco probentur: & propter hujusmodi exceptiones & deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, hujus generis causas in longum protrahi contingat, atque etiam ipsi aliquando rei delictorum suorum impunitatem, aut pœnarum minorationem pessimo exemplo obtinere tentaverint; cumque super relevantia istarum exceptionum, quæ ex prædictarum Innocentii XI. & Alexandri VIII. Constitutionum contextu oriri asseruntur, & super eo, an ipsis reis, vel Fisco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis, vel respective destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjungi desideraretur: Idcirco Nos volentes omnia sacrilegis hominibus adimere subterfugia, per quæ condignas tantæ impietatis pœnas declinare, vel earum minorationem & relaxationem prætendere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum sensui & consilio Nobis alias super hac re insinuato inhærentes, ea, quæ sequuntur, opportune statuenda & declaranda censuimus.

De probatione Consecrationis.

§. 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam vel Particulas a reo subreptas, sive alio modo asportatas atque retentas in Sacro prius Repositorio seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Ostensorio asservatas, indeque sacrilego ausu extractas, atque asportatas fuisse; vel eidem reo constituto, aut alteri personæ in actu Communionis a Sacerdote traditas, deindeque vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis & abunde fundatam præsumptionem Fisco suppetere declaramus pro asserenda earundem Hostiarum seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnisi claras & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum reum pertinere dubitandum non est: ac ne in posterum dubitari contingat, præsentis declarationis tenore statuimus.

De probatione pravæ intentionis.

§. 5. Inutiliter etiam a reis, vel ab eorum defensoribus proponeretur exceptio non probatæ pravæ intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus & juridicis probationibus adstruendis pariter ab ipsis reis, in quos tales onus præsentis declarationis vigore expresse refundimus, hujusmodi exceptio constabilita fuerit, & justa aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti plene comprobetur. Alias etenim Fisco semper assistet valida & legitima præsumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacræ Hostiæ vel Particulæ subreptionem, asportationem, aut retentionem; absque eo quod super malo vel sacrilego fine speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam, neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatæ non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quo minus omnibus & singulis pœnis, etiam pro prima vice, traditionis brachio sæculari, & quoad Ecclesiasticos degradationis realis, & traditionis pariter pro prima vice brachio sæculari, in præfatis & antiquioribus Prædecessorum Nostrorum, & juris sanctionibus contra hujusmodi nunquam satis detestandi facinoris reos juste ac sapienter constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur & puniantur.

Sequuntur Clausulæ confirmatoriæ in forma ampliſſima.

Hactenus Constitutio sapientiæ & prudentiæ plena; alia etiam Constitutio emanavit sequenti mense contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem Missam celebrantes, quæ ad capita de licita & valida celebratione aliqua ratione spectat; sed cum fere tota versetur in foro judiciali, eam duximus omittendam; quemadmodum & aliam, quæ extat in Bullario Tom. II. in Appendicibus pag. 46. contra sortilegia patrantes in Missæ Sacrificio, pariter non exscribimus, cum ferme tota forum judicialem respiciat.

Alia loca in quibus agitur de reous ad Missam petentibus.

In fine Capitis XVIII. citatur edictum 14. tomi 2. nempe XXXIV. editionis Latinæ in quo agitur §. III. de hora ac loco celebrandi, sed nihil præter ibi dicta necessario hic ducimus inferendum. Sicut etiam omittimus Edictum XII. de Tabella auroræ, orientis solis, meridiei & mediæ noctis.

APPENDIX XI.

Ad Caput XXIII. in quo agitur de diversis Missarum generibus; ubi locum haberent quæ Auctor scripsit in Opere de Festis, ubi de Azimo, & Fermentato in Feria V. in Cœna Domini *a*; de Missa Præsantificatorum in Feria VI.; de voce *Alleluja* in Sabbato Sancto *b*; de prima Missa an in die Pentecostes ab Apostolis fuerit celebrata *c*; de triplici Missa in Natali Domini *d*; de duabus Missis olim celebrari solitis in die Circumcisionis Domini, & aliis festivitatibus. De diversis Missarum generibus, ubi locus incidit, fuse & accurate disseritur; at vero cum Opus de Festis Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum &c. sequenti anno ad usum Scholæ Sacrorum Rituum vulgabitur, supervacaneum videtur aliquid ex eo libro huc adnectere; circa Missam, quæ occasione Synodi celebrari debet, agit Sapientissimus Auctor in Tomo I. de Synodo Diœcesana libro V. Cap. I. num. 1. 2. 3. 4. ubi ita scribit.

a De Hostia forma lib. 1. cap. 6. De ejus consecratione lib. 2. Cap. XV.
b Vide librum II. cap. V. pag. 80. & 81.
c Vide supra Appendicem II. pag. 373.
d Vide librum III. cap. IV. usque ad n. 8.

Missa de Spiritu Sancto, aut saltem Oratoria de eodem in Missa, quinta quaque feria per mensem ante Synodum celebranda.

1. CONstitutam ab Episcopo diem, qua suam Synodum celebrare vult, die Epiphaniorum,

rum, vel Calendarum Januarii Cathedrali in Ecclesia e suggestu indici & promulgari, atque Calendario, quod in singulos annos confici solet, adscribi statuit S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. *part.* 3 *pag.* 177. *part.* 1. *Act. Eccles. Mediolanen.*) & in Concilio Provinciali V. *part.* 3. (*ibid. pag.* 276.) Parochis præcipit, ut per mensem ante statam Synodi diem quinta quaque feria Missam celebrent de Spiritu Sancto, aut pro diversitate temporum orationem saltem de Spiritu Sancto in Missæ sacrificio recitent; populumque hortentur, ut die Dominico Synodi diem antecedente vere pœnitentes & confessi Sacram Communionem sumant; hoc præcipue precantes, ut quæ ad eorum salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia, per Episcopum in Synodo diligenter sancteque agantur. Hæc aliaque ante Synodum tam in civitate, quam in Diœcesi facienda magis adhuc accurate & minutim descripta leguntur in appendice ad Synodum Amerinam anno 1595., habitam a celebri ejus Urbis Episcopo Antonio Maria Gratiano *cap.* 171., & 172.

De Spiritu Sancto celebranda est solemniter ab Episcopo prima die Synodi ante vel post Processionem.

2. Synodali celebritati triduum veteri ritu præstitutum esse, idem Sanctus Carolus *cit. loc.* affirmat, & Pontificale Romanum *titul. de ordine ad Synodum*, tribus sessionibus illam absolvi solere ait; quamvis utrobique addatur, fas esse Episcopo pro rerum gerendarum ratione Synodum ultra triduum protrahere. Quid autem singulis diebus agendum sit, nostrum erit hic exponere. *Prima die Synodi Pontifex summo mane cappa indutus ab universo Clero cum superpelliciis comitatus ad Ecclesiam pergit; paratur in sede, celebrat Missam de Spiritu Sancto, & præbet Clero sacram Communionem*, verba sunt Pontificalis Romani *cit. loc.* Eodemque ritu post ultimam sessionem esse Episcopum a Clero associandum, cum ab Ecclesia se domum recipit, in eodem Pontificali inferius præscribitur: *Tunc omnes pariter surgentes Pontificem cappa indutum cum superpelliciis ad Domum reducunt*. Hic porro Clericorum Episcopum associantium comitatus speciem quamdam præsefert processionis, nec alicubi, ut in Diœcesi Neapolitana, alia fieri solet solemnis supplicatio seu processio, cum nulla reapse descripta appareat in Actis Synodi Diœcesanæ anno 1694. celebratæ a Jacobo Cardinali Cantelmo, neque in Actis alterius Synodi anno 1726. habitæ a Cardinali Francisco Pignatello Neapolitanis Archiepiscopis; nisi forte ideo non reperiatur descripta in Actis Synodalibus, quia pridie habita fuerit, quemadmodum in sua ætate fieri Neapoli consueviſſe asserit Gavantus *in prax. part.* 2. *sess.* 1. *annot.* 1. Ceterum quidquid sit de contraria consuetudine in hac aut illa peculiari Diœcesi vigente, communi usu receptum est, ut prima Synodi die ab Episcopo, & universo Clero publica instituatur supplicatio, seu processio per Urbem, quod faciendum præscripsit Sanctus Carolus Borromæus *cit. loc.*, & factum a Sancto Francisco Salesio *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 3. narravimus: quorum exempla satis superque sunt ad firmandam regulam, ad quam omnes conformare se debeant. Ejusmodi processionem instituendam post celebratam ab Episcopo Missam, ut dum ea celebratur, comodius possit Clerus in Ecclesia congregari, ait Gavantus *cit. loc.*; sed Sanctus Carolus Borromæus illam ante Missam peragendam dicit: *Primo Synodi die Episcopus processione solemni peracta Missæ Sacrificium celebret*. Quilibet quoad hoc suæ Ecclesiæ consuetudinem sectetur, modo Missa non omittatur, quam Synodalibus actionibus semper præmitti consueviſſe vel ex ipsis colligitur, quæ Sæculo VI. conficta creduntur, Gestis de Xysti Romani Pontificis purgatione, & Polycronii Hierosolymitani Episcopi accusatione, ubi *cap.* 8., cum Synodus Hierosolymis certe, prout moris erat, celebrata fingatur, dicitur: *Feria prima celebratæ sunt Missæ a Casto Episcopo, qui directus fuerat a Xysto Episcopo, & Coepiscopis suis, vel a Synodo* (apud Constant. *in appendic. ad tom.* 1. *epist. decretal. col.* 121.

3. Itaque sive ante, sive post processionem, debet Episcopus Missam facere de Spiritu Sancto, & porrigere Clero sacram Communionem, quam acceptis Stolis rubeis etiam Sacerdotes sument, qui forte ea die non celebraverint. In Pontificalibus editis ante Clementem VIII., uti observat Joseph Catalanus in *notis ad Pontificale Romanum tom.* 3. *titul.* 5. §. 2. *n.* 5. non legimus Missam celebrandam, sed audiendam ab Episcopo: *Prima autem die Concilii, seu Synodi mane conveniunt Sacerdotes, & Clerici universi in Ecclesia, in qua debet Concilium, seu Synodus celebrari, ubi Pontifex Missam audit*; sed quod ita olim fieret, non absolvit Episcopos ab obligatione per se ipsos celebrandi, quam illis imponit recens Pontificale, quod prodiit auctoritate Clementis VIII. ubi Episcopo & non alteri dicitur: *Paratur in sede, celebrat Missam de Spiritu Sancto*. Nec satis est, ut Episcopus Missam privatim faciat, sed omnino decet, ut solemni & Pontificali ritu celebret. Siquidem S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. *part.* 2. *titul. Quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ sacrificium pag.* 152. dies enumerans, quibus Episcopus *Patrum monimentis, & veteri, eoque comprobato, rituum cæremoniarumque Romanarum Codice*, Sacra Mysteria solemni celebritate, & Pontificio apparatu perficere debet, primam quoque Diœcesanæ Synodi diem inter illa recenset.

Pro defunctis, secunda die: de Trinitate cum collecta in gratiarum actionem, tertia die ab aliquo ex Canonicis.

4. Secunda Synodi die mos est, inquit Gavantus *citat. prax. pag.* 63., ut unus ex Canonicis Missam solemniter faciat pro Defunctis, cui Episcopus assistit, eaque peracta stolam, & pluviale nigri coloris assumit, & consuetas orationes recitat pro Defunctis, post quas, vestes nigras in rubeas mutat, & accepto Pastorali baculo ad Sedem Synodalem ascendit. Tertia demum die unus pariter ex Canonicis Missam celebrat de Sanctissima Trinitate, addita collecta in gratiarum actionem. Episcopus autem indutus Stola, & Pluviali albi coloris: Missa absoluta, rubea accipit indumenta, ad consuetam sedem se confert, ultimæ sessioni præsidet, & Synodo finem imponit.

In Tomo IV. de Beatificatione & Canonizatione &c. parte 2. Capite 1. agitur de concessione Officii & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione formali. Deinde Capite 3. idem argumentum recurrit circa Beatos Beatificatione æquipollenti. Cap. 5. differitur de Beatis qui sunt in antiqua cultus possessione. Capite 6. de concessione Missæ in honorem Sanctorum Canonizatorum; de Electione vero Sanctorum in Patronos agitur Cap. 14. Circa imminutionem festorum illud aliquoties in litteris Apostolicis præscriptum est, ut concessa facultate in aliquot diebus festis incumbendi operibus servilibus, remaneat audiendi Missam obligatio: hæc omnia fuse tractantur Capite 16. Et per totum Opus de cultu Sanctorum differitur, præcipue Cap. 31. recensentur aliquæ Concessiones Officii & Missæ, & rationes cur admissæ sunt; cur alia etiam postulata justis de causis rejecta, vel non proposita. Etiam libro 2.

Cap. 9. innuitur qua ratione Missa cultus publici appellatione veniat. De Missa in actu Canonizationis celebranda agitur lib. 1. Cap. 36. De frequenti & quotidiana Missæ celebratione, quæ nota est Sanctitatis, agitur lib. 3. Cap. 27, quod tamen argumentum disertissime pertractatur in Libro III. hujus Operis de Sacrificio Missæ Cap. 2.: etiam de Missæ Canone aliqua notantur lib. 1. Cap. 5. num. 6.: ubi etiam aliorum a Romano Rituum fit mentio. De Missa a Parocho celebranda pro Sponso & Sponsa agitur Institutione 80. n. 10. & 11. Hæc omnia satis fuit hic adnotare; necessarium autem ducimus subjicere quæ prædicto tomo IV. de Beatif. &c. Part. 2. Cap. 2. num. 1. 2. 3. 4. & 5. referuntur, ubi paulo post initium:

Quibus competat de Beatis Missam celebrare, &c.

1. QUæritur itaque, utrum Presbyteri sive Sæculares, sive Regulares, quibus in Brevi Beatificationis non est concessa facultas recitationis Officii & celebrationis Missæ, Missam aliquando in honorem Beati celebrare possint & Officium recitare? Respondent nonnulli, permissam esse tum Officii recitationem, tum Missæ celebrationem, cum loquimur de Officio votivo, & de Missa votiva: statim enim ac Pontifex permittit celebrari Missam & recitari Officium in honorem alicujus Beati Beatificatione formali, eum declarat tali cultu dignum; ea porro facta declaratione, non videtur esse prohibitum Presbyteris & Clericis sive Sæcularibus sive Regularibus, licet Brevi non comprehensis, Officium votivum recitare, Missamque votivam celebrare in honorem Beati. Ita sentiunt Castropal. *oper. moral. tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 1. *punct.* 5. §. 5. *num.* 5. *& seqq.* atque Del Bene *de Inquisit. tom.* 2. *dubit.* 255. Contrarium autem latissime probat Diana *in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 1. *resolut.* 81. & *tom.* 9. *tract.* 5. *resolut.* 21. cui opinioni subscribunt Amicus *in curs. Theolog. tom.* 5. *disput.* 4. *sect.* 4. *num.* 100. & Joannes a Sancto Thoma *in* 2. 2. *D. Thomæ disput.* 9. *art.* 1. non solum quia juxta decretum editum die 16. Decembris 1659. alibi relatum, non est permissum vel Sæcularibus vel Regularibus excedere limites verbales *Indulti* Beatificationis, neque est permissa Officii recitatio & Missæ celebratio, nisi illis, quibus Sedes Apostolica hoc concesserit; sed etiam quia privilegia non sunt extendenda de persona ad personam, atque adeo solummodo concessa censentur iis personis, quæ sunt in privilegio expressæ.

Non licet illis, qui in Brevi non sunt comprehensi.

2. Porro quæstio hæc triplici absolvitur propositione; quarum prima est, non esse permissum illis, qui Brevi Beatificationis non sunt comprehensi, Missam de Beato celebrare propter rationes modo allatas: quod sane procedit, etiamsi fermo sit de Missa votiva, cum Missa votiva de Beatificatis celebrari non possit, etiamsi adsit facultas celebrandi Missam in eorum honorem; celebratur enim Missa votiva de Sanctis tantummodo canonizatis, ut habet Guyet *de fest. propr. Sanctor. lib.* 2. *quæst.* 11. Et quod quidem attinet ad rem præsentem, cum Missæ votivæ celebratio sit cultus publicus qui fit nomine Ecclesiæ, is præstari nequit, nisi ab illis, quibus expresse in Brevi Beatificationis fuit concessa facultas; uti animadvertit Quartus *ad rubr. Missal. Rom. part.* 1. *tit.* 4. *de Missis votivis dub.* 6. §. *Ex qua doctrina* diximus Missam de Beatis votivam celebrari non posse, nimirum ex communi regula: nam ex privilegio potest. Idem enim ipse, qui legem tulit prohibentem, Alexander Papa VII. de factæ rituum Congregationis consilio non semel eam relaxavit. Ad preces namque Ferdinandi Gonzagæ Principis Castellionis in Brevi 22. Maji 1662. *de Venerabilium* (inquit) *Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum consilio, ut de Beato Aloysio* (Gonzaga) *in Matrice Ecclesia Collegiata oppidi Castellionis Missæ votivæ infra annum celebrari valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.* Et in similibus litteris 26. Septembris subsecuti hoc Indultum extendens, *De memoratorum* (ait) *Cardinalium consilio, ut de eodem Beato Aloysio etiam in Clericorum Regularium Societatis Jesu ecclesia Missæ votivæ infra annum diebus non impeditis, ad præscriptum Rubricarum, celebrari possint, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus.* Ac postmodum etiam Clemens Papa X. die 27. Augusti 1670. *Admissis Excellentissimi Domini Oratoris Marchionis de Asforga istantiis ex nomine Catholicæ Majestatis sibi porrectis, universo tam Sæculari, quam Regulari Clero per totum terrarum orbem benigne indulsit pro futuris perpetuis temporibus, quod de prædicta Beata Rosa* (Limana) *possit in ecclesiis quorumcumque tum Regularium tum Sæcularium celebrare Missam per anni circulum sive ex voto, sive ex libera devotione, juxta Rubricas ac dispositionem Missalis Romani, tametsi nondum prædicta Beata Rosa solemni Canonizationis ritu fuerit ab Ecclesia inter Sanctas relata.* Sed & antea Fratribus Prædicatoribus Conventus Forolivienſis Missam de Beato Jacobo Salomonio, *toties quoties devotio impulerit, infra annum,* fuisse a Clemente Papa VII. die 25. Junii 1526. concessam refert Cardinalis Numajus, vivæ vocis oraculum testatus apud Castellinum *de certit. glor. Sanctor. pag.* 140. Idemque Pontifex in alio simili oraculo pro Beata Catharina Bononiensi *in Summ. sup. dub. dand.* legitur concessisse: *Missam ipsius &c. in supradicta transitus tantummodo solemniter cantari & celebrari facere; infra annum vero submissa voce &c.* Quæ Indulta non alio quam ad Missam votivam referri posse videntur.

Neque iisdem licet officium recitare.

3. Secunda propositio est, non esse permissum Presbyteris & Clericis sive Sæcularibus, sive Regularibus Brevi non comprehensis recitare Officium Divinum votivum in honorem Beatorum. Non solum quippe urgent rationes modo allatæ, sed insuper accedit, quod dantur quidem Missæ votivæ, sed Officium votivum non datur. Quod cum ita sit, eorum propositio, qui dicunt licere Presbyteris & Clericis, sive Sæcularibus sive Regularibus Brevi non comprehensis recitare Officium Divinum votivum in honorem Beatorum, est, ut Scholæ loquuntur, *de subjecto non supponente.*

Licet tamen ex devotione.

4. Tertia propositio est, esse permissum illis etiam, qui non sunt Brevi comprehensi, Officium recitare in honorem Beati, non ad satisfaciendum obligationi, sed ex devotione. Utcunque enim senserit Granado *in* 2. 2. *controv.* 2. *tract.* 7. *disput.* 4. *sect.* 2. cultus hic non est cultus publicus sed privatus; qui, si ex alibi dictis exhiberi, potest etiam non Beatificatis, *a fortiori* præstari poterit illis, qui in canonem Beatorum relati sunt; uti prosequitur Quartus *loc. cit.* & ut est in decretis generalibus pro cultu Beatorum: *In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica hoc indulserit.*

An possint exteri Sacerdotes Missam de Beatis celebrare in Ecclesiis Regularium.

5. Item quæritur a Doctoribus, utrum, si in Brevi Beatificationis concessa sit statuta die celebratio Missæ in determinata ecclesia, quæ est alicujus Instituti Regularis, possit eadem die Missa celebrari a Sacerdotibus exteris, qui ad eandem

dem confluunt ecclesiam. *Affirmative* respondet Megalius *in prompt. Theolog. t. 1. in verb. Canonizatio Sanctorum, n. 1.* at negans opinio est retinenda non solum propter observantiam vel consuetudinem, sed etiam propter expressa sacræ Congregationis decreta. Quod enim attinet ad observantiam, res est expedita: primo quia quando Sedes Apostolica voluit indultum extendi ad confluentes, id expressit in decreto, aut litteris Apostolicis indulti, ut patet ex decreto in causa tunc Beati, nunc Sancti Aloysii Gonzagæ 7. Augusti 1621. *Congregatio sacrorum rituum, Præposito Generali Societatis Jesu enixe petente, censuit concedendum, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, ut de B. Aloysio Gonzaga die 21. Junii, quo ex hac vita migravit ad cælum, ab omnibus ejusdem Societatis Religiosis ubique terrarum existentibus juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani de Communi Conf. non Pontif. Officium recitari & Missa celebrari respective valeat, necnon & confluentibus eo die ad eorum ecclesias Missa in illis de eodem Beato, ut supra, celebrari:* & ex Brevi Gregorii Papæ XV. 2. Octobris 1621. *Necnon etiam confluentibus eo die ad eorundem Religiosorum ecclesias Missam in illis de eodem B. Aloysio Gonzaga, ut supra, celebrare liceat, Apostolica Auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus & indulgemus:* & quia cum in Brevi Beatificationis S. Francisci Borgiæ concessa fuisset Missæ celebratio omnibus Sacerdotibus Societatis Jesu, qui ubique essent, uti legitur *in Constit.* 49. Urbani VIII. *Bullarii tom.* 5. prædictum Breve fuit deinde extensum ad alios Sacerdotes confluentes ad ecclesias Patrum Societatis Jesu, & celebrantes Missam in ipsis die festo S. Francisci Borgiæ: *De eorundem Fratrum consilio concessionem & Indultum, de superque confectas litteras hujusmodi ad quoscumque Sacerdotes sæculares, seu cujusvis Ordinis, Congregationis, seu Instituti Regulares ad ecclesias, seu Domos Regulares dictæ societatis Jesu accedentes ... eadem auctoritate tenore præsentium extendimus ac concedimus pariter & indulgemus:* Secundo, quia id ipsum factum est in concessione Officii & Missæ de tribus Martyribus Paulo Micki, Joanne de Goto, & Didaco Quizai. Breve quippe Beatificationis facultatem prædictam concedebat Religiosis Societatis Jesu, quod deinde fuit extensum ad omnes Sacerdotes tum Regulares tum Sæculares confluentes ad ecclesias ejusdem Societatis; uti desumitur *ex Constit.* 83. Urbani Papæ VIII. *Bullarii tom.* 5. Quod autem attinet ad sacræ Congregationis decreta, res clarior esse non potest: tum quia die 19. Novembris 1622. sacra Congregatio sic censuit. *Missæ certis Regularibus concessæ non possunt ab aliis dici etiam in ipsorum quidem Regularium ecclesiis,* ut habetur apud Barbos. *de offic. & potest. Paroch. part. 1. cap. 11. n. 34.* tum quia in decretis generalibus supra relatis anni 1659. sic cautum fuit: *Missæ pariter, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus vel Sæcularibus alicujus loci, vel monasterii, seu Presbyteris alicujus ecclesiæ servitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis minime celebrentur.* Quia vero congruum non videtur, ut Sacerdotes exteri confluentes ad ecclesiam, in qua Missa in honorem Beati celebratur, aliam celebrent Missam, hac de causa consuetudo inolevit, ut in ipso Beatificationis Brevi, in quo celebratio Missæ conceditur, celebratio ipsa extendatur ad Sacerdotes exteros, qui ad ecclesiam confluunt; quemadmodum colligi potest ex Brevibus Beatificationum SS. Cajetani, Joannis de Deo, Rosæ Limanæ, Pii Papæ V., Joannis a Cruce, Francisci Solani, Turribii, Joannis Francisci Regis, Vincentii a Paulo, Fidelis a Sigmaringa, Beatorumque Petri de Arbues, Martyrum Gorcomiensium, Hyacinthæ de Marescottis, & Petri Forerii. Quod si in aliqua Regularium ecclesia festum duplex celebretur in honorem alicujus Sancti, & Regularibus ipsis concessa sit a Sede Apostolica Missa particularis non inserta in Missale Romanum, ceteri Sacerdotes Indulto non comprehensi, eademque die accedentes ad ipsam Regularium ecclesiam, eam Missam particularem celebrare non possunt, juxta sacræ Congregationis decreta apud Clericat. ante suas decisiones *de sacrif. Missæ* nu. 26. & apud Bissum *ad litter. M. num. 216. §. 4.* Attamen ad evitandam supradictam incongruentiam Missam quidem de Sancto celebrare possunt, sed de Communi, ac desumptam ex Missali Romano juxta resolutiones sacræ Congregationis rituum die 19. Novembris 1622. & die 9. Junii 1668. quarum verba sunt hæc: *Qui celebrat Missam in aliqua ecclesia Regularium, aut etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de festo, sed cum Missali Romano.* Id late explicant Gavant. *tom. 1. par. 3. tit. 10. nu. 16.* Bissus *litter. M. nu. 216. §. 4.* Tonell. *sacr. enchirid. lib. 1. cap. v. §. 8.* Sporer. *Theolog. moral. tom. 3. par. 2. cap. 6. sect. 4. §. 3. num. 430.* La Croix *tom. 2. part. 2. num. 372. & 376.* Accedit decretum generale ejusdem sacræ Congregationis die 20. Novembris 1717. approbatum a Clemente XI. ut *in suo Bullario pag. 576. Licere in posterum tum Confessario, tum Cappellanis tantum quarumcumque Monialium servitio addictis, Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant Officium, celebrare, sed cum Missal. Romano, & de Communi, non vero Missas proprias eorundem Sanctorum variis Ordinibus a sacra Congregatione concessas; & ita decrevit, & servari mandavit.*

APPENDIX XII.

Ad Caput 24. in quo agitur de pietate & Religione, qua Missa celebranda est: unde opportune statuitur non decere Sacerdotem celebrare Sacrum cum ascititia coma, ut habetur in lib. 11. Synodi Diœcesi. Cap. 90. num. 5. quem hic subjicimus. Hæc appendix attinet etiam ad librum 1. Cap. 9.

Non licet Missam celebrare cum ascititia coma, nec capite cooperto.

6. QUæ hactenus diximus, rationabilem, & juri conformem ostendunt Synodalem Constitutionem Clericis interdicentem usum comæ suppositiæ; sed quoniam non potest Legislator singulos prævidere peculiares casus, omnesque sua lege complecti, expedit profecto, ut in ipsamet Constitutione, seu edicto, facultatem, qua cæteroquin pollet, sibi expresse reservet, fictum capillitium illis permittendi, qui Medicorum judicio valetudinis causa eo indigent, quod prudenter factum animadvertimus in Diœcesana Synodo Bononiensi anni 1698. lib. 3. cap. 1. ubi similis Constitutio hac mitigatur limitatione: *Nisi ex causa nobis, vel Vicario nostro cognita, indulgendum ad tempus arbitrabimur.* Atque in Synodo Asculana anni 1719. cap. 20. *Nisi ex justa, & rationabili causa dispensationem impetraverint.* Caveat tamen Episcopus, ne hanc veniam elargiatur, nisi præter causam, etiam comam ipsam, quam Clerici gestare cupiunt, diligenter prius examinaverit. Non alia siquidem est iisdem, præcipue si sint in Sacris constituti, permittenda, nisi quæ nullam præseferat vanitatem; sed tanta

sit

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

sit moderatione, ac modestia concinnata, ut omnibus manifeste appareat, eam ob meram necessitatem, non ad luxum & pompam, ad capitis non ornamentum, sed tegumentum adhiberi. Cavebit præterea, ne ulli Sacerdoti licentiam concedat, Missæ sacrificium celebrandi cum ascititia coma; quamvis enim Theophilus Raynaudus *oper. tom. 12. de pileo, & ceteris capitis tegminibus, sect. 2. §. Nunc e contrario, circa finem*, & Pasqualig. *de Sacrif. nov. Leg. q. 83.* licere opinentur Sacerdoti Sacris operari cum ficto capillitio ita suo capiti aptato, ut a vera, & naturali coma internosci nequeat, atque insuper apud sæpe citatum Thiers cap. 20. exter licentia a Cardinali Hieronymo Grimaldi Archiepiscopo Aquensi cuidam Sacerdoti concessa, Missam celebrandi cum coma supposititia; attamen certum est, Rainaudum, & Pasqualigum fallí, ac Cardinalem Grimaldum suæ potestatis limites prætergressum. Etenim, uti bene ratiocinatur Reinffenstuel ad lib. 3. Decretal. tit. 1. n. 91., nemo sanæ mentis inficiari potest, per fictum capillitium Sacerdotis caput velari, & cooperiri, in Altari autem, cooperto capite ministrare, ne Episcopo quidem permittendum statuit Zacharias Papa in Concilio Romano anni 743. cap. 13. relato dist. 1. can. 57.: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad celebrandum Missarum solemnia præsumat cum baculo introire; aut velato capite Altario Dei assistere: quoniam & Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia: & si tamen præsumpserit, Communione privetur;* Cuilibet vero compertum est, non posse Episcopum relaxare legem a Superiore latam, neque alteri illam licentiam impertiri, quam sibimetipsi concedere nequit. Quocirca sacra rituum Congregatio die 31. Januar. 1626. & 24. April. ejusdem anni apud Gavantum *in comment. ad rubr. Missal. par. 2. tit. 2.*, decrevit: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque contraria consuetudine.* Cumque in Congregatione particulari ab Alexandro Octavo ann. 1690. deputata, fuerit speciatim discussus articulus, de quo in præsens tractamus, an scilicet *pileoli* nomine comprehendatur etiam coma supposititia, ita ut neque cum hac fas sit Sacerdoti sine dispensatione Papæ Missam facere, etiamsi illa decens & modesta sit, qualem Pasqualigus & Rainaudus permiserunt; responsum fuit, *Comprehendi*, sicut refert Ursaya *instit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51.*, in cujus quidem decreti sequelam Innocentius XII. per suos Apostolicos Nuntios locorum Ordinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent sine Apostolicæ Sedis privilegio cum adulterino capillitio sacrosanctum peragere Missæ Sacrificium, quemadmodum refert citatus Reinffenstuel. Quæ omnia uberius a Nobis expensa fuere *in cit. dissert. pro Sacra Congregatione Concilii exarata*, atque *in nostra Notificat. 34.*, & *Notificat. 96.*

Neque cum pileolo.

De obligatione audiendi Missam in propria Parochia, operæ pretium erit hic subjicere ex lib. 11. de Synodo Diœcesana Cap. 14. a num. 7. ad 10.

Populi tenebantur ad Missam in diebus Festis audiendam in propria Ecclesia Parochiali.

7. QUod vero alias spectat laudatas Constitutiones Mildenses, vetus pariter controversia est, sub finem præsertim XV. Sæculi, in Germania inter Parochos & Fratres Mendicantes summa contentione agitata, num Fideles teneantur diebus festis parochiali Missæ interesse. Causa delata est ad Sixtum IV., qui, rationibus utrinque allegatis serio expensis, tandem die 17. Junii anni 1478. illam definivit, edita Constitutione, quæ incipit: *Vices illius*, relata *in Extravag. 2. de tregua & pace*, ubi inter alia præcipit: *Ut Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum parochiis diebus festis & Dominicis, cum jure cautum sit illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum parochiali Ecclesia, nisi forsitan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia absentarent*: ex qua Decretali liquido constat, jure communi cautum esse, ut singuli Fideles diebus festis Missæ adsint parochiali. Inducta autem est ea obligatio ante Concilium Sardicense, in quo Osius Episcopus *can. 14.* (*tom. 1. collect. Hard. col. 648.*) inquit: *Memini superiore Concilio Fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea, qua commoratur civitate, tres Dominicas, idest per tres septimanas, non celebraret conventum, communione privaretur:* Nomine quippe *Conventus* designari Missam solemnem, in qua populus cum suo Pastore unum efficit cœtum, unamque repræsentat Ecclesiam, communiter adnotarunt Canonistæ. Sardicensem Canonem renovavit Concilium Quinisextum can. 80. decernens (*tom. 3. collect. Hard. col. 1690.*): ut si quis *in Civitate agens tribus diebus Dominicis in tribus septimanis una non conveniat, si sit quidem Clericus deponatur; si vero laicus, segregetur;* ut huic porro præcepto satisfieret, in Synodo Nannetensi *can. 1. relato in Decretales Gregorii IX. cap. 2. de Parochiis* statutum est, *Ut Dominicis & festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant* (*tom. 6. part. 1. collect. Hard. col. 457.*) & in ejusdem Concil. Can. 2. additur: *Nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.* Eandem legem, atque obligationem plures inculcarunt posteriores Synodi, quas adducit Natalis Alexander *tom. 1. Theolog. dogmat. & moral. lib. 2. de Sacram. Eucharist. art. 5. regul. 10.*

Qui sine contemptu proprii Sacerdotis audit in diebus festis Missam in alia Ecclesia Regulari non Parochiali, non peccat, & præcepto satisfacit.

8. Verum hisce sanctionibus derogatum nunc est non solum contraria consuetudine, quam jam sua ætate multis in locis inductam innuit S. Antoninus *Summ. Theolog. part. 2. tit. 9. cap. 10.* docens, non peccare, qui die festo Missam audit extra Parochiam, ubi consuetudo viget illam audiendi in qualibet Ecclesia; verum etiam posterioribus Summorum Pontificum Constitutionibus: siquidem Leo X. Constitutione edita die 13. Novembr. 1517. diserte ait: *Auctoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christifideles, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere:* S. Pius V. suis Apostolicis litteris, datis 17. Kalend. Septembr. 1567. definivit: *Christifideles audiendo Missas in Ecclesiis Fratrum hujusmodi diebus Dominicis aut festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfeciste censeantur:* Clemens Octavus in Brevi, quod incipit, *Significatum*, dato anno 1592. hæc statuit: *Præsenti nostro decreto sancimus, sæcularibus universis libere Missas diebus Dominicis & aliis majoribus festis audire in Ecclesia tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Societatis Jesu licite posse, dummodo in contemptum Parochialium Ecclesiarum non faciant.*

Refelluntur Auctores contrariam defendentes sententiam.

9. At nihilominus non desunt Auctores, inter quos Juenin. *de Sacram. dissert. 5. qu. 7. art. 2.* & Van-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Van-Espen *jur. Eccles. par. 2. tit. 5. cap. 2.*, propugnantes, ne hodie quidem citra grave peccatum fas esse Fidelibus, solemnioribus saltem diebus festis, rei Divinæ alibi, quam in propria Parochia, interesse; neque enim juri communi derogatum, ajunt, per præfatas Constitutiones, quibus potestas fit sæcularibus Missas audiendi in Ecclesiis Regularium, quoniam in illis hæc adjicitur limitatio, nimirum: *Dummodo non id faciant in contemptum Parochialium Ecclesiarum*: est autem impossibile (pergunt) contemptum abesse, cum iidem sine ulla rationabili causa a propria se subducunt Parochia. Verum hac explicatione, præfata summorum Pontificum Indulta penitus evertuntur; nullo etenim opus fuerat privilegio ad hoc ut Fideles, legitima urgente causa, alienam adirent Ecclesiam, ut ibi Missæ assisterent sacrificio, quod ex præfatis juris communis sanctionibus perspicuum est: Quare ne dicamus Leonem X. S. Pium V. & Clementem VIII. verbis lusisse, nec quidquam specialis privilegii Regularibus concessisse, necesse fateri debemus cum Azorio Instit. par. 1. lib. 7. cap. 6. qu. 4. in fin. Fagundez lib. 2. cap. 3. num. 9. aliisque ab his citatis, nomine *Contemptus* ab illis intelligi actum aliquem distinctum ab ipsa auditione Sacri extra Parochiam, quo quis, sive expresse, sive tacite, se a proprio Pastore aversum ostendat.

Etiam in Ecclesia quæ Regularium non sit, Missa in diebus festis audiri licite potest.

10. Sed quæ hactenus diximus solam adstruunt libertatem, rem Divinam qualibet anni die audiendi in Ecclesiis Regularium: quid autem dicendum quoad alias Ecclesias nullo privilegio hac in re a Sede Apostolica donatas? Integrum hodie omnibus esse in qualibet Ecclesia, modo non sit Capella, seu Oratorium privatum, sacris mysteriis interesse; quia contraria consuetudine in toto Christiano Orbe recepta derogatum est præcepto audiendi Missam Parochialem, docent Sylvester *verb. Missa 2. qu. 5.* Navarrus *manual. cap. 21. n. 5.* Trullench *in præcept. Decalog. to. 1. lib. 3. cap. 1. du. 6. num. 5.* pluribusque allegatis, Barbosa *in collectan. ad Trident. sess. 22. de observand. & evitan. in celebrat. Missæ nu. 21., & de offic. & potest. Parochi cap. 11. nu. 14. & seqq.* addentes insuper, non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis, ut se sistant Missæ Parochiali; quia non potest delere consuetudinem, quæ cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam juris communis. Et sane cum versemur in lege mere Ecclesiastica, etiam Juenin. cit. loc. in fin. §. 3. admittit potuisse legitima præscriptione abrogari; & Van-Espen quamvis eam in Belgio minime abrogatam contendat, *num.* tamen 15. fatetur, solere Episcopos monere quidem, atque hortari, non vero ullo judiciali actu populum compellere ad interveniendum Missæ Parochiali. Enimvero non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem, statuit Tridentinum *sess. 22. in decreto de observand. & evitan. in Sacrif. Miss.*, ubi Episcopos in hunc modum alloquitur: *Moneant eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedant*. Tridentino obsequens S. Carolus Borromæus in suo Concilio Provinciali Mediolanensi VI. (*Act. Eccl. Mediol. part. 1. pag. 302.*) ab omni abstinens præcepto plures adduxit rationes, quibus plebem ad Parochialem Missam suaviter adduceret: *Hac nostra monitione* (inquit) *eos universos, & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Jesu Christi obsecramus, atque obtestamur, ut quamvis in suis viciniis, oppidis, suburbiis oratoria, cappellas, aliasve Ecclesias habeant, ubi Sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint, frequenter tamen Dominicis saltem, aliisque solemnibus festis diebus, ad suam quique Parochialem Ecclesiam conveniant, ubi a Parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, Fidei Christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiose percipienda instruantur*. Hortationibus pariter, & suasionibus usi sunt Vener. Dei Servus Joannes de Ribera Archiepiscopus Valentinus in sua Diœcesana Synodo habita an. 1584. (*tom. 4. Conc. Hispan. pag. 285.* S. Torribius Archiepiscopus Limanus in sua Diœcesana Synodo 7. coacta anno 1592. *ibid. pag. 689.*) aliique plures Episcopi in suis Synodalibus Constitutionibus, apud Genettum *tom. 6. tract. 4. cap. 7. qu. 5.*

Institutione 44. agitur de illis Sacellis in quibus permitti potest Missæ Sacrificium antequam in Parochiali celebretur; idem argumentum breviter attingitur Libro 12. de Synodo Diœcesi. Cap. 7. n. 7.

Episcopus potest in Synodo prohibere ne Missæ in publicis Oratoriis, ante Parochialem celebrentur.

1. Denique opus est adnotare, aliqua interdum a sacris Urbis Congregationibus edi responsa, quæ licet juri communi sint conformia, non tamen labefactant contraria Synodorum statuta, quæ alicubi justis de causis vigeant, neque ab illis in posterum servandis quempiam excusant. Ita quamvis a sacra Congregatione Concilii sæpius decisum fuerit, *De rigore juris non posse a Parocho prohiberi, ne in publicis Oratoriis, sitis intra suæ Parochiæ fines, Missæ celebrentur ante Missam Parochialem*, quod totidem verbis legitur *lib. 16. decretor. pag. 331. & 543.*; nihilominus si Episcopus in Synodo, aut etiam extra Synodum contrarium jusserit, ne populus retrahatur a Missa Parochiali, & concione in ea per Parochum haberi solita, Episcopi præceptum prævalebit, eique erit obtemperandum, etiam ex ejusdem sacræ Congregationis sententia, quæ die 25. Maji 1652. respondit: *Constitutiones Synodales disponentes, ut diebus festis Missæ celebrari non debeant in aliis Ecclesiis, nisi celebrata Missa in Ecclesia Parochiali, esse observandas*, uti habetur *lib. 19. decretor. pag. 191.* & videri potest *in nostra Instit. 44.* Similiter a sacra rituum Congregatione anno 1703. plura emanarunt decreta ad dirimendas contentiones inter Parochos & Cappellanos Confraternitatum intra Paroeciæ ambitum existentium excitari consuetas: sed in iisdem decretis expresse cautum est ea locum non habere, ubi aliud ab Episcopo in suis Synodalibus Constitutionibus statutum fuerit, quod a Nobis pariter uberius explicatum est *Instit. 105.*

APPENDIX XIII.

EPISTOLA NUNCUPATORIA,

ET PRÆFATIO AD LECTOREM

Ex Editione Patavina, qua unico Volumine exhibentur

Commentarii duo de D. N. Jesu Christi Matrisque ejus Festis, & de Missæ Sacrificio, retractati atque aucti.

S. D. N. BENEDICTO XIV. P. O. M.

CAROLUS CARD. REZZONICUS EPISCOPUS PATAVINUS

F E L I C I T A T E M.

ECce, Beatissime Pater, egregium opus tuum *De D. N. Jesu Christi Matrisque ejus Festis, & de Missæ Sacrificio*, e Seminarii Patavini Typographia studiosissimæ ad Te delatum eadem manu, quæ illud alterum *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione* iisdem typis impressum haud ita pridem exhibuit. Venio igitur rursus ad Te, & eo sane alacrior, quia cum Volumine demum venio, non quod acceperim a Typographo, ut illud antea, aliena cura inchoatum absolutumque; sed quod accepit Typographus a me ipso, & me curante inchoavit pariter & absolvit. Totum porro Sanctitati tuæ non restituo, sed optimam hujus partem (nec feres iniquo animo) retineo mihi; amplam scilicet supellectilem sacræ eruditionis atque doctrinæ, quam pro varia temporum necessitate in mei Gregis utilitatem traducam. Spargam, Beatissime Pater, lumen sapientiæ tuæ, & qua privatis admonitionibus, qua publicis Pastoralibus litteris & decretis Divinarum rerum cultum & reverentiam, sacros ritus & ceremonias, priscum Ecclesiæ morem & disciplinam, studium denique veræ pietatis & religionis eo vehementius inculcare conabor, quo majora mihi ad hanc rem per hos Commentarios tuos adjumenta præstantur. Faxint propitii Superi, ut hujus laboris tui magnitudini & pretio par fructus respondeat; quem ego uberem, quemadmodum spero, dum passim colligam, mecum ipse recogitabo, quale illud & quantum sit, quod ego debeam Sanctitati tuæ, quæ cum me in maxima dignitate, sed curarum plenissima collocasset, miro consilio sapientiaque providit, ut ea, quæ pertinerent ad curam, minuerentur mihi, ampliarentur autem, quæ ad dignitatem spectarent. Quid enim dissimulem, & tam opportunam grati animi palam testandi occasionem nactus publica predicatione non celebrem insignem illam & prope incredibilem beneficiorum vim atque copiam, quam singularis liberalitas tua admirabili exemplo, & posterorum omnium memoria dignissimo, in Cathedrale Collegium meum nuper effudit? Auxisti, Beatissime Pater, meam Dignitatem, cum illum præclarum Cœtum, partem Ecclesiæ meæ facile principem, ita ornasti, ut volueris eum clementissimo Brevi ad me dato illustribus jam & antiquis privilegiis insignem, omnibus insuper honoribus iis, quibus Apostolicæ Sedis Notarii de numero Participantium fruuntur, & inaudita planeque gratuita liberalitate majoribus pluribusque muneribus cumulari, quam aut ego petere, aut ille optare ausus esset. His ego tot tamque ingentibus beneficiis obstrictus tandem cum fœnore aliquo, Beatissime Pater, accedo ad Te; sed magna sane cum verecundia, quod ne gratus quidem Tibi esse possum, nisi de tuo. Accipe hoc ipsum tamen libenti animo, imo eo libentius, quia tuum; & ab hoc demum oculos ad me ipsum benigne convertens, Apostolica benedictione eam mihi mentem inspira, ut quæ diligenter typis imprimenda curavi, ea mihi in animo ad meam & meorum utilitatem diligentius impressa inveniantur.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PRodiit quadriennio ante Bononiensibus Typis hoc Opus Italice scriptum, cujus conscribendi laborem Auctor, qui tunc S. R. E. Cardinalis Bononiensem regebat Ecclesiam, ea potissimum causa suscepit, quod forte per id tempus nullus esset in illa Metropolitana Ecclesia Canonicus, qui, quod jubet S. Tridentina Synodus, Theologica dogmata explicaret. Theologicis igitur explicationibus ut quoquo modo fieret satis, quæcumque apud veteres recentioresque etiam Transalpinos Scriptores reperit, quæ ad Christi Domini & B. Virginis Mariæ Festa Sanctumque Missæ Sacrificium pertinerent, ea fere omnia huc congesta conjecit, ratus, quorum est diebus festis commissum sibi populum de iis mysteriis pro concione docere, quæ Missæ Sacrificio continentur, eos nonnihil hisce laboribus posse proficere, quo facilius quæ sunt sui muneris exequantur. Quotquot etiam in Bononiensi Diœcesi sese vitamque suam Deo & Ecclesiæ voverint, excitandos existimavit, animum ut ad hæc studia converterent, nec Scholasticæ Theologiæ spatio decurso cessarent, sed ad sacras historias & controversias, quæ in iis disceptantur, cognoscendas transirent: quæ omnia in eodem libro Italice edito Bononiæ fusius Auctor olim præfatus est. Habet illa Bononiensis editio adnotationes ad Jesu Christi & Deiparæ Solemnitates, & de Sacrificio Missæ tractatum. Adnotationes insuper quædam in ea continentur ad Acta Sanctorum Ecclesiæ Bononiensis, quæ examinantur & ad rectam justæ Criticæ normam exiguntur. Illæ tamen hinc non inconsulto summotæ sunt, tum ne præter modum crescceret voluminis magnitudo, tum quod illa Acta non ad universalem, sed ad Bononiensem potissimum Ecclesiam pertinent. Hæc vero Latina editio multis, iisque sane non inutilibus est accessionibus aucta; quæ quidem additamenta Operis Auctor subcisivis paravit temporibus, cum ipsi a publicis curis in domestica Bibliotheca seluco paulum licuit respirare. In Italica præfatione monuit, se multas hic quæstiones proponere, nihil ut affirmet, sed omnes omnium sententias proferat. Scire enim est satis, ejusmodi quæstiones a viris doctis excitatas tanta obscuritate obseptas esse, ut periculosæ plenum opus aleæ suscipiat, qui eas dirimere aggrediatur. Quod si cui sententiæ assensus est, semper eas partes sequi se declaravit, quibus vel ipsa Ecclesia, vel viri doctrina & pietate præstantes faverent. Quasdam ait se attigisse quidem opiniones, quas audaciori ingenio Scriptores extulerint; nihil tamen prætermisisse, quo Lectores ab hujusmodi opinionibus absterreantur, allatis remediis adversus quorundam hominum pestem, qui disciplinarum omnium expertes, nec nisi Gallici sermonis peritia instructi, si quid apud inclytæ illius Gentis Auctores deprehenderint novum, inauditum, & a communibus, quæ inveteraverint in Ecclesia, sententiis alienum, scitulos se ut exhibeant, in familiaribus hominum conventibus quicquid legerint, jactitant,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ctitant, eaque silent, quæ ab ejusdem Gentis doctissimis quibusque, probataque pietate viris contra sunt disputata. Atque hæc sunt, quæ tunc Auctor edicenda putavit. Nunc vero reliquum est, ut Lectores moneantur multorum Auctorum, quibuscum nulla nobis intercedit communio, sententias toto Opere passim afferri, non alio sane consilio, quam ut confutentur. Factum id etiam alia quadam causa, quæ cujusmodi sit, paulo post declarabitur. In hæreticorum libris secernenda esse utilia & salutaria a noxiis & pestiferis, uti utilia recipiamus, nocitura declinemus; videtur fuisse veterum Patrum sententia. Ita D. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 30. tom. 9. edit. Parisien. anni 1688. pag. 238. D. Hieronymus Epist. 61. ad Vigilantium, & Epist. 84. ad Pammachium pag. 346. & 524. tom. 1. edit. Veronen. anni 1734. D. Gregorius in cap. 15. in Job lib. 12. Moral. cap. 31. & cap. 27. itidem in Job lib. 18. Moral. cap. 16. n. 26. tom. 1. edit. Parisien. an. 1705. pag. 406. & 567. Consilium per se bonum & laudandum: verum ut plerique hominum ingenio sunt malo pravoque, aperire viam poterat ad claustra refringenda sacrarum legum, qua severis sanctionibus vetant, ne Catholicis fas sit Hæreticorum libros legere: quod probe animadvertit Conradus Brunus de Hæreticis in genere lib. 6. cap. 6. pag. 347. edit. Moguntinæ ann. 1549. Quamobrem sapienti consilio hæreticorum librorum lectio est interdicta; nec cuiquam, nisi Majorum permissu, licet hæreticos libros legere, quod docet Sixtus Senensis Biblioth. sanctæ tom. 2. edit. Neapolitanæ ann. 1732. pag. 920. *Respondemus*, inquit, *neque a Romanis Pontificibus, neque ab ulla unquam Synodo fuisse omnimodo prorsusque prohibitum, ne hæreticorum Scripta legerentur, sed ne sine Majorum concessione legerentur*. Cum eo consentit Sylvius in 2. 2. D. Thomæ tom. 3. postremæ edit. Antuerpien. ann. 1714. pag. 82. §. *Ad tertium respondetur*. Episcopis aut semper data venia fuit, libros ut legerent hæreticorum juxta Canonem 16. Concilii Carthaginiensis 4. *Episcopus hæreticorum libros pro necessitate & tempore legat*: qua de re fuse Claudius Espencæus Tract. *de suspectorum librorum lectione* inter ejus Opera Lutetiæ Parisiorum edita anno 1619. pag. 618. Pervulgatus est D. Ambrosii locus in D. Lucam l. 1. tom. 1. edit. Parisien. ann. 1686. pag. 266. ubi de quibusdam apocryphis Evangeliis scribens, *Legimus*, inquit, *aliqua, ne legantur; legimus, ne ignoremus; legimus non ut teneamus, sed ut repudiemus, & ut sciamus qualia sint, in quibus magnifici isti cor exaltant suum*. Ad quem locum Benedictini Monachi Congregat. S. Mauri hæc scribunt: *Innuit his verbis S. Doctor, bonorum Episcoporum munus esse, ut pravos libros ipsi pervolventes, detecto eorum veneno, illos refellant, & plebi suæ hac pestifera lectione interdicant*. Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 20. de librorum hujusmodi lectione scribens, commemoratis Dionysio Alexandrino, Theophilo itidem Alexandrino, qui hæreticorum libros versabant, & D. Hieronymo, qui eorum scripta lectitabat, nihil sollicitus quod ea de re ab obtrectatoribus carperetur, testatur, *Episcopis semper concessum fuisse, & modo concedi, & aliis multis lectionem hæreticorum*. Illud profecto improbari nullo pacto potest, quin etiam sua non caret laude, si quis rem aliquam gestam, vel quidvis aliud, quod ad doctrinam pertinet, ita certum esse demonstret, ut ne illi quidem, a nostra communione qui sejuncti sint, earum rerum fidem elevare audeant: non quod hæreticorum opus sit Catholico alicui articulo confirmando consensus, sed quod ejus veritatem vividiore collucere fulgore nemo negaverit, cum de ea vel ipsi Romanæ Religionis hostes, ab Ecclesiæ sensu in tot alios errores devii, nobiscum sentire videantur: *Numquid in ipsorum hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertinent, posita relegunt? Numquid ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas est, refutantur?* verba sunt Gelasii Romani Pontificis, quibus de hac re scribens utitur Baronius in fine Præfationis Ecclesiasticorum Annalium. Illum sane in Operibus nostrorum Scriptorum, qui Controversias pertractarunt, peregrinum esse oportet, qui ab iis nesciat ex hæreticorum libris plurima loca proferri, quibus ad ea, quæ in manibus habent, percommode utuntur. Hæreticorum autem libri, qui in hoc Opere nominantur, ejusmodi sunt plerique, de quibus agitur in Regula 5. Indicis, quos ab aliquo errore expurgatos legere omnibus licet: *Libri illi, qui hæreticorum Auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, Similitudines, Indices, & hujusmodi, si qua habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis, Episcopi, & Inquisitoris, una cum Theologorum Catholicorum consilio, sublatis, aut emendatis permittantur*. Quod autem Auctores hæretici in hoc Opere ita nominantur, ut in eos nihil inclementer dictum sit; Auctori persuasissimum est, injuriis & maledictis nihil quidquam profici: qui enim alteri quidpiam persuadere paratus sit, rationes ei adhibendas putat, quibus multo in hominum animos facilior aditus patet, si, qua plerumque rationum robur enervatur, omnis verborum absit asperitas. Porro ab omni honestate alienum fuisset, heterodoxos Auctores maledictis proscindere, qui vel in ea re, de qua agitur, cum Catholicis sentiunt, vel in aliqua quæstione, de qua inter se Catholici digladiantur, eas sequuntur partes, a quibus Auctor stare se profitetur. Qui a Catholica Religione dissentiunt Scriptores, nemo sane negaverit, eorum esse quamplurimos, qui ut luculentius Evangelicam Passionis Christi enarrarent historiam, ejusque miracula & veneranda mysteria explicarent, plurimis rarisque rebus investigandis congerendisque magnos labores subierunt. Si quis ulterius progressus illis ea re laudem aliquam tribuerit, D. Hieronymum sibi defensorem poterit adscisceere, qui in epist. ad Pammachium & Oceanum, illis, qui se criminabantur, quod Origenem laudasset, ita respondit: *Objiciunt mihi, quare Origenem aliquando laudaverim.... Laudavi interpretem, non dogmatistem; ingenium, non fidem; philosophum, non Apostolum*. Verum Auctor probe cognitam habet Clementis Octavi Institutionem ad Regulas Indicis additam: *Itemque epitheta honorifica, & omnia in laudem hæreticorum dicta deleantur*: quæ verba ne interpretanda susciperet, magnis fere quorundam heterodoxorum laboribus duntaxat commemoratis, ab omni laude illis tribuenda abstinuit. Si quos autem ex ejusmodi Scriptoribus reperit, qui de Festis Jesu Christi & B. Mariæ Virginis, vel de Sacrosancto Missæ Sacrificio quidquam audaci pravoque animo scripserint; religio illi fuit eorum non detegere malitiam, & audaciam: severaque oratione usus ea verba adhibuit, quæ ipsius rei gravitas postulabat.

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

PRÆFATIO.

De ratione utriusque Commentarii *de Festis*, & *de Sacrificio Missæ*, quæ in prima editione præfixa erat, Latine demum reddita prodiit in fine Operis *Institutionum Ecclesiasticarum* typis Sacræ Congreg. de Propag. Fide Anno 1747.

1. NOstri hujus Operis, quod in publicam lucem emittimus, ratio Lectori reddenda est, ne a communi Scriptorum more, atque instituto discedere videamur. Primo itaque causam, cur hunc laborem susceperimus, exponemus: tum materiam, de qua hic agitur; deinde utilitatem, quæ exinde percipi potest: præterea modum, ac rationem, quem hoc in opere adornando sequuti sumus: & demum finem, quem Nobis ante oculos proposuimus.

2. Præbenda Theologalis in Ecclesia Metropolitana Bononiensi vacaverat, & examen indictum fuerat juxta ea quæ a Benedicto XIII. statuta sunt; is autem electus est, qui postea litteras in Dataria Apostolica, ad quam collatio spectabat, expedire neglexit. Itaque summus Pontifex alteri Præbendam contulit, cui congruum aliquot annorum spatium permisit, ut sese ad Theologicam lectionem habendam comparare commode posset, Laureamque Doctoris in Sacra Theologia consequi. Interim Nobis demandatum fuit, ut in ipsius locum sufficeremus aliquem, qui illo spatio temporis munus hujusmodi sustineret, quemadmodum a Sacro Tridentino Concilio decernitur *sess.* 1. *cap.* 1. *de Reformatione*.

3. Quamobrem tunc nostrum fuisset, virum idoneum designare, qui explicandæ Sacræ Theologiæ præficeretur. Verum ob aliquas causas, quas hoc loco commemorare haud opus est, ab hac re Nos abstinuimus, atque muneri nostro satisfacturos putavimus hoc de festis Domini Nostri, & Beatæ Mariæ Virginis Commentarium conscribentes, in quo plura sane traduntur, & explicantur, quam si statis diebus Sacræ Theologiæ lectiones de more habitæ fuissent.

4. In hoc Opere primum explicandas suscepimus Historico-Theologicas celebritates, quæ in honorem Jesu Christi & Sanctissimæ Virginis Mariæ ab Ecclesia institutæ sunt; Acta quoque Sanctorum, pro quibus Missa in hac Bononiensi Diœcesi atque Officium quotannis, plerumque tamen sine propriis lectionibus recitatur; ac demum expositionem addimus Historico-Theologicam Sacrosancti Missæ Sacrificii. Cum autem in operis decursu de quibusdam præcipuis capitibus, ad divinam Scripturarum, & novi præsertim Testamenti intelligentiam spectantibus pertractare necesse fuerit; itidemque exponere aliquam controversiam Theologicam, existimamus Nos menti & voluntati Sacri Concilii satisfeciisse, quod in supradicta sessione de expositione Divinarum Scripturarum ita loquitur: *Ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem*: & paulo infra, *ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur*: & in eodem loco: *Ne cœlestis ille Sacrorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat*. Et rursus hæc habet de lectione Theologiæ: *pro lectionibus Theologiæ*, & paulo post: *Ut Theologiæ lectio in iis commode haberi possit*.

5. Docet S. Thomas, cujus sententiæ quacumque in re libentissime adhæremus, teneri omnes tam majores, quam minores ætate fidem habere explicitam mysteriorum Christi, ac præsertim eorum, quæ in Ecclesia solemni ritu celebrantur. Verba autem Sancti Doctoris ejusmodi sunt: *Post tempus gratiæ revelatæ tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur*, hoc tamen discrimine, quod de quibusdam articulis sublimioribus tenentur alii fidem habere magis, alii minus explicitam: quod deinceps explicat Sanctus Doctor in Incarnationis Verbi mysterio, quod tamen ab omnibus credendum est *necessitate medii*, ut Theologi edocent, *alias autem subtiles considerationes circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis vel minus explicite credere secundum quod convenit statui, & officio uniuscujusque*. A Sacro Concilio Tridentino præceptum est, ut omnes animarum curam habentes diebus Dominicis & Festis solemnibus teneantur populum sibi commissum verbis salutaribus pascere, exponentes breviter, ac facile vitia quæ fugienda, & virtutes quæ amplectendæ sunt, ut damnationem evadant & salutem assequantur sempiternam: quod etiam confirmatur *sessione* 24. *cap.* 4. *de Reformatione*; quemadmodum a nobis fuse observatum est in Instit. x. tom. 1. Consentanea huic disciplinæ alia quoque consuetudo est, uti qui curam animarum habet, annuntiet populo festa saltem de præcepto, quæ in hebdomadam sequentem incidunt. Verum festa duntaxat indicere nihil est aliud, nisi populo denunciare, Sacris ut mysteriis interesse, & se ab operibus servilibus abstineat; quando operæ pretium esset, populum de mysterio instruere, quod recurrente illa celebritate Ecclesia sancta nobis serio considerandum proponit. Quare mihi persuasi haud inutile fore hoc opus, in cujus lectione tum majores, tum minores ætate inspicere collectum possent quidquid scire tenentur, tum etiam Parochi ediscerent quidquid eos scire decet, & populo, dum festa annuntiant, explicare.

6. Prælaudatum Concilium Tridentinum postquam *sess.* 22. *cap.* S. exposuit, non expedire, Missæ Sacrificium idiomate Italico celebrari, omnibus iis, quibus animarum cura est demandata, præcipit, ut diebus festivis Sacra facientes, ea, quæ in Missa leguntur, explanent, & mysteria, quibus hoc Sacrificium refertum est, populo diligenter explicent, accurateque declarent. Quod quidem in hac Bononiensi Diœcesi utile summopere esse, & Liber hic noster haud obscure probat. Ibi siquidem de sacrosancto Missæ Sacrificio, ejusdemque ritibus, cæremoniis, orationibus pertractatur, atque item de antiquitate, usu, & significatione rerum prædictarum fuse disseritur, ita ut Sacerdos hinc haurire facile valeat, quæ populo sibi credito tradenda necessario duxerit ad pietatem, & reverentiam in hoc Sacrificium excitandam. Quod si quis dicat, non intelligi, quid commune habeant cum rebus, quæ superius dictæ sunt, Adnotationes, quas ad vitas Sanctorum scripsimus, in quorum honorem Officium, & Missa de Communi in hac nostra Civitate, & Diœcesi Bononiensi celebrantur, libere respondemus, charitatem, qua sumus in Patriam inflammati, ad hunc nos laborem impulisse, ut innotesceret, quid certum esset, quid vero dubium; quod autem certum appareret, pro certo ab omnibus haberetur; rati enim sumus, hanc unam esse viam ad obtinendas a Sacra Rituum Congregatione Lectiones proprias, si minus omnium, saltem aliquorum Sanctorum, qui apud nos quotannis divinis honoribus celebrantur. Præterea, quia mecum reputavi, opus prolixum nimis, & fasti-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

faſtidio plenum fore lectoribus, ſi ſermo eſset de Sanctis omnibus, ac ſingulis inſtitutus, quorum feſta juxta Romanum Calendarium in hac Civitate, & Diœceſi peraguntur, ideo in mentem venit, conſentaneum fore, ſi ſermo ad eos Sanctos coerceretur, qui vel aliqua peculiari cauſa ad hanc Civitatem ſpectant, vel quorum Officium, & Miſsa, licet de Communi ut plurimum, ibidem ſolet juxta Bononienſe Calendarium celebrari. Ordo autem, quem ſequuti ſumus, hujuſmodi eſt. Agitur de omnibus diebus feſtis ſive ad Beatam Virginem, ſive ad Sanctos ſpectantibus, juxta dierum ordinem, in quibus eorundem memoria renovatur. Hac autem oblata occaſione curatum eſt inſerere quidquid vel ad hiſtoriam referri poteſt, vel ad explicationem Divinarum Scripturarum, vel ad quæſtiones criticas, & Theologicas, de quibus agimus & breviter, & non obſcure. Quaſdam vero quæſtiones in medium quidem proferimus, minime vero enucleamus, cum argumenta deſint perfectæ earum ſolutioni ſatis idonea, cumque exiſtimemus oportere duntaxat eaſdem noſcere, & doctorum hominum diſſenſionem, opinionumque varietatem tenere. In illis autem quæſtionibus, de quibus ſententiam protuli, ita me geſſi, ut ſolidis rationibus inniterer, iis præſertim, quæ a doctis, & cordatis hominibus, & qui vera a falſis diſtinguunt, neque creduli nimis, neque rerum novarum amatores ſunt, ſed boni ſenſus, & ſpectatæ pietatis, notæque fidei perhibentur. Non ſemel Auctores producimus, ſupradictis dotibus non illuſtres: eorum tamen commemoratio neceſſaria fuit, vel ut eoſdem ea quidem, qua decet, modeſtia refelleremus, vel ut eorum eruditis laboribus uteremur, quibus bonam cauſam aliqua ex parte fulciri poſſe comperimus.

7. Fateor nihil novi in toto hoc opere inveniri, cum de re a tot jam clariſſimis auctoribus pertractata nihil inauditum afferri poſſit, quin aliquem in ſcopulum impingatur. Quod ſi contingat, ut opus a lectoribus grato animo excipiatur, nec improbetur, nihil aliud nobis tribui commendationi debet, quam colligendi laus, & collecta ſuum quæque in ordinem diſponendi. Demum ſcribere lingua non Latina placuit, ſed Italica; tum quia majori in uſu eſt, utiliorque ad rem noſtram, tum aliis ex cauſis, quas videre licet in Præfatione tomi ſecundi Eccleſiaſticarum Diſſertationum Præſulis Joſephi Mariæ Perimezzi a Secretis examini Epiſcoporum, & olim Collegæ noſtri in Academia Conciliorum, quæ habebatur Romæ in Collegio Urbano de Propaganda Fide, in qua Præfatione multis auctoritatibus, atque exemplis planum, apertumque facit, licere in Italia Italica lingua res aliquas etiam Sacras, & Theologicas, aut criticas explicare, quod laudatæ Academiæ poſitum in more fuerat, dum id ea ratione fiat, quam nos ſequi curavimus, Sacrarum videlicet Scripturarum, & Sanctorum Patrum locis lingua tantum Latina allatis, ubi eorum opus fuit auctoritate uti.

8. Non deſunt, qui ſola linguæ vel Latinæ, vel Gallicæ cognitione non dubitant in hominum cœtu effundere audaces quaſdam voculas, & opiniones, quæ ad Sacrorum myſteriorum contemptum tendunt, neque addunt has minime probas, ac veras eſſe, & a pluribus Scriptoribus ejuſdem nationis, puta, Gallicæ, improbatas, & confutatas, quod multis exitio eſſe poteſt. Nam in familiaribus Italiæ conventibus cum Italice verba fieri ſoleant, neque ibidem omnes linguam Latinam calleant, aut linguam Gallicam, quiſquis rem aliquam peregrinam audit, eam mente retinet, rurſus dictitat, eamque ſpargit in vulgus, neque ei curæ eſt inquirere vera ne ſit, an falſa, recta, an ſecus. In hoc autem noſtro Opere continetur antidotum, quod propinari certe non poterat, niſi lingua Italica cum qui venenum ſemel ebiberit, ei non alio modo, quam Italico idiomate accipere medicinam liceat. Hæc ergo ſcribendi occaſio, hæc materia, hæc eſt utilitas, & hic ordo, quem judicavimus in hoc Opere amplectendum. Cum autem reliquum ſit, ut finem nobis propoſitum exponamus, veniam a Lectore petimus, ut nobis liceat ſtudiorum Eccleſiaſticorum, Sacrorumque rationem exhibere, qua hæc olim Civitas utebatur, atque in præſentiarum utitur; cum hæc via ſit qua feliciter, quo contendimus, pervenire poſſimus. De ſtudiis tantum Sacris, & Eccleſiaſticis verba facimus, propterea quod de profanis dicere parum noſtra intereſſe debet, niſi quatenus hæc quoque ad Eccleſiaſtica & Sacra ſtudia conducunt. Qui dixerit hanc Urbem veram juris Pontificii ſedem non extitiſſe, is quidem veritatem luce clariorem inficiabitur. Bononiæ quippe ſæculo duodecimo in Monaſterio SS. Naboris, & Felicis a Gratiano Monacho Decretum, ſeu diſcrepantium Canonum congruentia deſcripta fuit. Quod quidem Opus etſi a multis notetur, tamen Papirius Maſſonus lib. V. Epiſcoporum Romæ in Eugenio III. Gratiani Opus appellat *utiliſſimum generi Sacerdotum, quod Opus omnes docti plurimi facere ac laudare consuerunt*. Et Card. Baronius anno Chriſti 1151. Codicem Gratiani vocat, *Opus ampliori ſtudio collectum, & rite diſpoſitum*. At concedamus, ut concedi oportet, Opus Gratiani multis erroribus refertum eſſe, qui decurſu temporis ab hominibus ſacra antiquitate peritiſſimis caſtigati ſunt; negari tamen omnino nequit, eam fuiſſe hujus Operis felicitatem, ut ſtatim ac in lucem prodiit, relictæ fuerint antiquæ Canonum collectiones a Dionyſio Exiguo, Iſidoro, Creſconio, Burchardo, Ivone conſcriptæ, & Gratiani Decretum in ſcholis exponi cœperit. Quod quidem prudenter animadvertunt S. Antoninus parte tertia ſuorum Chronicorum tit. 18. cap. 6. Cardinalis Bellarminus, cum loquitur de Gratiano in Scriptoribus Eccleſiaſticis, celeberrimus Antonius Auguſtinus in præfatione antiquarum Decretalium ad Gregorium XIII. Id autem non ſolum Operi debetur per ſe ſane maximo, verum etiam plauſui dato a publicis Sacrorum Canonum Doctoribus Bononienſis Archigymnaſii, qui cum illud explicare cœpiſſent, variiſque interpretationibus illuſtrare, jure optimo ad totius Orbis famam, exiſtimationemque provenerunt, ut peritiſſimus Pontificiæ legis de Roje ſapienter conſiderat in ſuis inſtitutionibus Canonicis lib. 1. in Proœmio. Aliqui exiſtimant ad excitandos adoleſcentes, qui omnibus Orbis partibus in hanc Civitatem concurrebant, ut ſtudio Sacrorum Canonum operam darent, juxta Gratiani methodum in hoc Bononienſi Archigymnaſio morem invaluiſſe conferendi gradus Bachalaureati, & Doctoris; quæ poſtea conſuetudo longe lateque propagata eſt, ut videre licet apud Doujat in Prænotionibus Canonicis lib. 3. num. V., & in præfatione ad Decretum diſpoſitum juxta Titulos Decretalium Cardinalis Turrecremata, quæ compoſita eſt a clariſſimo Præſule Fontanino pag. 8. Atque operis Gratiani pluries ſuperius commendati gloriam Bononienſi Civitati referri acceptam debere: argumento id eſt ſane luculentiſſimo, quod illius etiam correctio, quæ cœpta eſt Pio IV. Pontifice, & ſub Pio V. continuata, abſoluta demum fuerit in Pontificatu Gregorii XIII. clariſſimi Civis Noſtri, qui eam juris publici fecit, poſtquam plurimum in ea laboris,

laboris, atque operæ collocaverat, dum adhuc esset Cardinalis, idemque præstiterant tres pariter Bononienses Cives Eustachius Locatellus Regii Episcopus, & duo Cardinales, Gabriel Paleottus, & Philippus Boncompagnus, ut videri poterit in dicta præfatione pag. 10.

9. Nihil equidem arbitror ad laudem hujus Urbis præstabilius, nihilque ad gloriam illustrius inveniri, quam si illud serio consideretur, quod post Gratiani ætatem, cum plures collectiones Decretalium Summorum Pontificum confectæ fuerint, quæ jussu, & auctoritate Apostolica ad commune commodum emanarunt, omnes ad Magistros, & Discipulos Bononiensis Archigymnasii directæ fuerunt. Non autem loquor de prima Decretalium collectione a Bernardo Papiæ Præposito adornata, neque de altera Gilberti, & Alani studio compilata, quia neutram possumus affirmare in lucem auctoritate publica prodiisse: sed de tertia sermo est, quæ a Pontifice Innocentio III. universis Præceptoribus, studiosisque Adolescentibus Bononiæ commorantibus inscripta fuit, cujus profecto quædam veluti appendix esse videtur quarta ab eodem Pontifice composita; utraque vero in lucem edita, clarissimo Antonio Augustino. Sermo hic noster etiam ad quintam pertinet, quæ est Honorii III. in publicum emissa ab Innocentio Cironio, quem aliqui promulgatam putant jussu ejusdem Honorii a Tancredo Archidiacono Bononiensi, in qua sententia fuit Antonius Augustinus in præfatione ad antiquas Decretales: *Collectio Honorii III. Constitutiones habet a Tancredo Bononiensi Archidiacono collectas sub ipsius Pontificis Maximi nomine*; quam Augustini sententiam sequitur Cardinalis Pinellus in præfatione ad 7. lib. Decretalium: *Collectio accessit ab eodem Tancredo ex Honorii III., qui proxime Innocentio successit, Constitutionibus compaginata.* Fortasse vero probabilius est ab aliis, non a Tancredo fuisse compositam juxta observationem jam laudati Innocentii Cironi ad cap. 1. hujus collectionis tit. de *Constitutionibus*, & a Pontifice missam fuisse Tancredo, quemadmodum ex ejusdem verbis cruitur: *Honorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Magistro Tancredo Archidiacono Bononiensi salutem, & Apostolicam benedictionem*; Transmissam, inquam, ad Tancredum fuisse, eandem ut ipse in lucem ederet; unde contigit, ut totius Orbis hominibus commendaretur, cum innumerabiles fere ea tempestate Professores iique celebertimi, atque discipuli, hanc in Civitatem confluerent utriusque juris aut Doctores futuri aut auditores. Ideo Pater Echard in commentariis primæ vitæ S. Dominici tom. 1. de Scriptoribus ejusdem Ordinis pag. 24. non sine causa scripsit, Religiosum Ordinem S. Dominici illo tempore Doctoribus sapientissimis Bononiæ floruisse, qui posthabitis mundi illecebris severioris vitæ rationem in S. Dominici Monasterio profitebantur, unde veluti e Trojano equo egressi strenuissimi milites prædictum Ordinem per universum Orbem felicissime propagarunt. Honorius III. Magistratus hujus Civitatis arguens, quod quædam privilegia Professoribus & discipulis ademissent, id ipsum scripsit, ut videre licet in ejus epistola apud Raynaldum anno Christi 1220. num. 26. *Cum ex studio litterarum præter infinita commoda, quæ sentitis, ex eo vestra Civitas inter alia sit famosa & in universo mundo nomen annuntietur ipsius, factaque sit altera Bethleem Domus videlicet panis, qui parvulis frangitur; in eadem, ex qua exeunt Duces qui regunt Populum Domini*; & quæ sequuntur.

10. Loquimur quoque de Gregorii IX. Decretalium compilatione in quinque libros divisa, quæ hac ætate in omnibus totius Orbis Scholis, & in Foro obtinet; quam liquido constat adornatam fuisse a S. Raymundo de Pennafort, qui in Bononiensi Archigymnasio Lectoris munere perfunctus est idemque compendium Archigymnasii nostri Doctoribus, ac discipulis inscriptum fuisse minime dubium est. Sermo etiam a nobis habetur de lib. 6. Decretal. Bonifacii VIII., cujus quidem maximus est quoque usus in Scholis, & foro, qui non solum Præceptorum, discipulorumque Bononiensium nomine nuncupatus fuit, sed etiam editus ejusdem Archigymnasii Doctoribus postulantibus, qui Jacobum Castellanum ad Pontificem legaverunt, ut id impetrarent, quemadmodum testatur Joannes Andreas Auctor coævus in notis ad proœmium dicti 6. libri in §. *Et multis*. Verba pariter facimus de Clementinis ultimam juris Pontificii partem continentibus, quæ jussu Clementis V. collectæ, & a Joanne XXII. editæ ad Magistros & discipulos Bononienses transmissæ fuerunt. Prætermittuntur autem aliæ collectiones Constitutionum Joannis XXII. & aliorum Pontificum, quæ ideo *Extravagantes communes* dicuntur, quia omnibus notum est eas privata auctoritate adornatas fuisse, & Constitutiones inibi comprehensas non ideo vim habere, quod in illis reperiantur, sed quia ab auctoritate Apostolica, unde emanarunt, originem habuerunt. Item prætermittimus lib. 7. Decretalium, opus nostri Pontificis Maximi Gregorii XIII. jussu editum, in quo ipse multum insudaverat, ut testatur Cardinalis Pinellus, qui illud ipsum Pontificis Clementis VIII. nomine nuncupavit, in cujus Pontificatu confectum est; *Gregorius immortalis memoriæ, insignis pietatis, litteraturæ, atque experientiæ Pastor hanc provinciam commisit primum Flavio Ursino, Francisco Alciato, Antonio Caraffæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Doctissimis. Multa ipse manu sua exaravit, elucubravit, monuit.* Prælaudatum enim Opus quamvis absolutum, typisque impressum, non in lucem emissum fuit, cum in eo varia Decreta Tridentini Concilii inessent, quæ juxta san. mem. Pii IV. Pontificis Constitutionem incipientem *Benedictus Deus* non licet glossis, aliisque interpretationibus illustrare, quod sane impediri non potuisset, si inserta fuissent in librum 6. Decretalium, ut refert Fagnanus *in Cap. Cum venissent num. 61. & seqq. de judiciis*. Neque iis, quæ superius dicta sunt, adversatur, quod eruditus P. Bremond in notis indicat ad Constitutionem 110. Gregorii IX. in Bullario Dominicano tom. 1., nempe a Pontifice Gregorio IX. Compilationem suam non ad Magistros, & Auditores Bononienses, sed Parisienses quidem directam fuisse, quoniam accidere potuit, ut Compilatio ad utrosque transmissa fuerit eo vel maxime, quia Præsul Penia clarissimus Rotæ Auditor in vita S. Raymundi de Pennafort lib. 1. p. 28. testatur, in Vaticano regesto post epistolam Pontificis, qua Compilationem suam ad Magistros, & Scholares Parisienses mittit, scriptum se vidisse, & adnotatum, inscriptum quoque illud Opus fuisse Magistris, & Discipulis Bononiensibus. Præterea ad rem propositam confirmandam magni momenti est, non modo Compilationes superius relatas, verum etiam illas, quæ a Pontificibus, dum in Galliis morabantur, confectæ sunt, omnes fuisse Bononiam missas, non autem Lutetias Parisiorum. Non parvi quoque momenti est, nullum impressum exemplar reperiri Decretalium Gregorii IX., in cujus proœmio inscriptio Archigymnasio Bononiæ non legatur. Demum in corpore juris Canonici, quod editum est Coloniæ anno 1695. adnotata occurrunt hujusmodi verba in notis ad

proœ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

procœmium: *In uno manuſcripto Vaticano legitur Pariſiis; in altero Bononiæ, & Pariſiis, ſed ut plurimum omnia habent Bononiæ.*

11. His vero argumentis ſi addatur, celeberrimos Gloſſarum Auctores, Interpretes, & Magiſtros juris Canonici, aut in eodem Bononienſi Archigymnaſio Profeſſores fuiſſe, aut in eadem Urbe natos, nemo utique erit, qui de principatu in jure Canonico contendere noſtra cum Civitate audeat. Bernardus Bottonus Canonicus Bononienſis Eccleſiæ fuit; Guido autem Baiſius Archidiaconus; Joannes Andreæ, Joannes Calderinus, Antonius Butrius in ea Civitate nati ſunt, & hujus etiam Civis vocari poteſt Cardinalis Zabarella, cum e Sabatina familia originem ducat. Patritius Regienſis, Dinus Mugellanus, Joannes Anguiſciola, Joannes Dei, Innocentius IV. Pontifex, Abbas Panormitanus, Baldus Ubaldi, Petrus Ancharanus, Dominicus e S. Geminiano, Joannes Imola, Andreas Barbatia, Pariſius, & alii bene multi, qui prima juris Pontificii lumina prædicantur, Lectores hac in Urbe clariſſimi extiterunt. Ibi etiam profeſſus eſt Antonius Auguſtinus vir omni commendatione major: & niſi provecta ætate impeditus fuiſſet, huc veniſſet Cujacius ubique terrarum celeberrimus, quem magno oblato ſtipendio Gregorius XIII. invitaverat. Hæc autem omnia certiſſima ſunt, & legi poſſunt in Opere Panciroli de Sacris legum Interpretibus, & in Prænotionibus Canonicis Doujat, & apud eos omnes, qui vitas juris Conſultorum ſcriptas poſteris reliquerunt.

12. Diu quidem Sacra Theologia idem plane eſt habita, ac jus Pontificium, quia revera Sacri Canones magna ex parte nihil aliud continent, quam concluſiones ex Theologiæ principiis deductas, ut appoſite ad rem noſtram conſiderat Joannes Gerſon in ſermone, quem habuit ad *Licentiatos* in jure Canonico, qui inſertus eſt in tomo ſecundo ejus Operum: *Sic inſtituta videtur, & gubernata fuiſſe ſufficienter Eccleſia primitiva ab Apoſtolis, ac deinde per ſucceſſiones varias uſque ad Doctores Sanctos inclusive per quatuorcentum annos & amplius, quibus temporibus non erat diſtinctio Theologorum, & Canoniſtarum, licet Canones Sacri multi eſſent ultra tenorem traditum in Evangeliis, & cæteris libris Canonicis. Hinc vero Canones, ſi bene inſpiciantur, non ſunt niſi Concluſiones elicitæ vel illatæ ex principiis Theologicis, ideſt, ex Evangelio & aliis libris Canonicis per illos, quibus dicit Chriſtus: Qui vos audit me audit: Nihil igitur admirandum eſt, ſi ad eoſdem pertinebat cognitio, & legislatio Concluſionum illarum Canonicarum, ad quos pertinebat notitia principiorum.* Egaſſius Bulleus in ſua Hiſtoria Pariſienſis Univerſitatis tom. 2. Sæculo IV. pag. 580. poſtquam affirmavit nullum diſcrimen eſſe inter Theologum, & Canonum peritum, hoc memorat, quod, poſtquam prædictum Decretum a Gratiano fuit collectum, in quo variæ Leges Civiles adſcriptæ ſunt, cum in ea ætate ſtudium legum ſæcularium magnam haberet exiſtimationem, una in duas diviſa facultas eſt, ita ut alii Theologiam Scholaſticam ſequuti ſint, alii penitus Theologiam deſerentes ad ſolam Canonum explicationem ſeſe converterint; quod quidem inconſulto ac perperam factum eſt, cum Canonum perito ſæpe principia Theologica perneceſſaria omnino ſint: *Canonicam quoque juriſprudentiam nunquam a Theologia diſſociabimus, nihilo plus quam Canones Patrumque ſcita a ſacris litteris, hoc eſt, ut ſtrictiſſime dicitur, Concluſiones a principiis.* Verba ſunt Thomaſſini in præfatione diſſertationum ſupra Concilia. Et Doujat in ſuis Prænotionibus Canonicis lib. 1. cap. 2. num. 3. ſic ſequitur; *Cum Theologia jus Canonicum cohærere, ejuſque auxilio ſæpenumero uti evidentius eſt, quam ut argumentis confirmandum ſit; etenim jus hoc noſtrum nihil revera eſt aliud, quam ad vitæ uſum aptata, atque in ipſis rerum argumentis poſita Theologia.* Quod quidem intelligere, qui aperte cupiat, is accurate tractatum perlegat probabilitatis Lovanii Typis mandatum a Nicolao Peguleto cap. 10. num. 4. & ſeqq.; in quo videbit collectas propoſitiones falſas, pœnaque dignas, quibus eorum opera fœdata ſunt, qui abſque Sacræ Theologiæ ſtudio Sacros Canones declararunt, quamvis eſſent juriſprudentiæ Civilis, atque Canonicæ peritia præditi non vulgari.

13. Canoniſtarum, ut ita dicam factionem hæc noſtra Civitas ſequuta eſt, atque ita quidem, ut deſeruiſſe Theologos videretur: & qui Theologiæ ſtudiis dare operam cupiebat, Bononia diſcedens Lutetias ſe conferebat, unde Bononiam revertens Doctor Pariſinus vocabatur, ut animadvertit Alidoſius in præfatione ad Lectorem, quæ ab eo adſcripta eſt in fronte operis ſui *de Doctoribus Bononienſibus*. Cum autem ſummus Pontifex Innocentius VI. non decere exiſtimaſſet in Bononienſi Archigymnaſio Doctores Sacræ Theologiæ deſiderari, Collegium Theologorum ibidem fundavit, ut videre licet in ejus Conſtitutione in Bullario Romano tom. 1., impreſſa etiam apud Ughellum tom. 2. *Italiæ Sacræ* pag. 26. Quanquam vero brevi temporis ſpatio, quo ſuperſtes fuit, ejus Conſtitutio executioni minime demandata fuerit, vigere tamen cœpit, ſedente Urbano V. Pontifice, ut oſtendit Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus lib. 3. pag. 451. in additionibus Victorelli ad vitam Innocentii VI. ſcripta a Ciacconio tom. 11. pag. 50. Item in additionibus ad vitam Urbani V. pag. 548. pag. 551. & in hiſtoria Ghirardacii lib. 24. pag. 278. & ſeqq. In libro autem ſecreto Collegii Theologici, cujus pars in lucem edita eſt ab Alidoſio loco ſuperius laudato, proferuntur nomina illuſtrium Theologorum, qui invitati Bononiam magna ibi cum laude Sacram Theologiam publice docuerunt. Quomodo autem interea poſt Urbanum V. hujuſmodi ſtudium floruit, affirmare plane non poſſumus, immo etiam ſuſpicamur non altas admodum radices hanc facultatem per ea tempora Bononiæ defixiſſe. Extat enim Conſtitutio tum ejuſdem Urbani V. tum Bonifacii IX. itemque Martini V. Summorum Pontificum decreta occurrunt, in quibus primum Bononienſe Archigymnaſium laudibus extollitur tanquam Juris Civilis, & Pontificii lumen; deinde varia conceduntur privilegia earum facultatum Profeſſoribus, & diſcipulis, ſed de Sacra Theologia ne verbum quidem. Extat etiam Conſtitutio Nicolai V. (omnes autem hæ Conſtitutiones habentur in appendice tomi ſecundi noviſſime impreſſi de Statutis hujus Patriæ) in qua exhibetur accuratus catalogus omnium ſcientiarum, quæ in hac Univerſitate florebant, nulla tamen de Cathedris Theologicis mentione habita. Et quidem Pius II. hoc noſtrum Archigymnaſium in libro 2. ſuorum Commentariorum non propter Theologiæ, ſed Legum & Philoſophiæ ſtudium præclare laudat: *Schola inſignis Legum & Philoſophiæ, quæ mores bonos, non tam Cives, quam exteros docet.* Quod autem tuto affirmari poteſt, illud eſt, hanc Civitatem ætate, quæ memoriæ noſtræ propior eſt, clariſſimis Theologis floruiſſe, ut arguere licet ex Bulla Summi Pontificis Gregorii XIII. anno 1584., qui vetus privilegium renovans Pontificis Julii II., ut beneficia ſcilicet ſolis Civibus conferantur, hæc habet: *Nos*

ita-

ſtaque, quibus ſatis liquet Civitatem noſtram præſtitiſſe viris omnis doctrinæ genere, & præſertim Theologiæ abundare. Nemini porro dubium eſt, ætate hac noſtra Bononiæ viros non deeſſe doctrinæ ſpectatiſſimos, qui juxta methodum forenſem non tam Jus Pontificium, quam Sacram Theologiam laudabiliter, & egregie doceant.

14. Conveniunt omnes, qui de locis Theologicis pertractant, ab hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum profanæ Scriptoribus, dummodo ſint auctoritate graves, & fide digni, probabile argumentum Theologo exhiberi, vel ad confirmandum, quod affirmat, vel ad refutandum, quod ei opponitur; immo ulterius procedunt, docentque, cum graves hiſtorici in aliqua re narranda concordes ſunt, inde Theologum ad eandem rem aſſerendam certum deſumere argumentum poſſe: ita Melchior Canus in tract. de locis Theologicis lib. XI. cap. 4., quocum congruit Cardinalis Gottus in ſua Theologia tom. 1. quæſt. 3. dub. 11. §. 2. Ac profecto quam utilis ſit hiſtoriarum cognitio ei, qui Jus Canonicum profitetur, facile planeque evincitur ex operibus Patris Thomaſſini, Emanuelis Gonzalez, Joannis Dartis, Jani a Coſta, Franciſci Florentis; tum id probatur ex Jure Eccleſiaſtico (bonis tamen a pravis rebus ſegregatis) Van-Eſpen, & aliorum auctoritate, qui ad inveſtigandum verum Sacrorum Canonum ſenſum hiſtoriarum lumen adhibuerunt, & ad ſanam Epiſtolarum Decretalium intelligentiam perventuri non ſatis eſſe cenſuerunt, eaſdem in ultima Gregorii IX. collectione legere, ſed curarunt antiquas collectiones evolvere, quia Decretales in collectione Gregorii IX. non integræ ſunt, ſed magna ex parte detruncatæ, atque interpolatæ; quod quidem prudenter animadvertunt Antonius Auguſtinus in laudata præfatione ad Gregorium XIII. Cujacius ad caput 1. *Qui Clerici, vel voventes &c.* Gonzalez in apparatu ad jus Canonicum tom. 1. num. 53. Jam vero ſi quis colligere voluerit, quidquid ſcriptum reliquerunt inſignes Canonum interpretes jam ſuperius commendati, & quidquid Decretalium fundamento innixus, & gloſſarum, veterumque commentariorum, & Sacrarum Congregationum auctoritate ſuffultus Romæ ſcripſit nunquam ſatis laudatus Fagnanus in ſuis Commentariis ſuper Decretales, in promptu hic certe habebit, unde interpres Canonum evadere excellens, maximeque ſpectabilis poſſit. Pater Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fuit Magnus Cardinalis Baronius, & ipſi etiam principis debetur laus inter criticos, ſed prudentes, ac moderatos. Alii poſt eum, vel lumine ab ejuſdem ſcriptis mutuato, vel cognitione, quam ex monumentis deinceps inventis hauſerunt, ulterius progreſſi ſunt, & in præſenti enata eſt nova quædam, ut ita dicam, profeſſio, quæ Eccleſiaſtica eruditio nuncupatur, cujus utilitas talis, ac tanta eſt, ut Religio noſtra multa eidem debeat & præſidia ſtabilitatis, & ornamenta dignitatis ſuæ.

15. Hæc enim Eccleſiaſticos efficit ad ſua munera laudabiliter obeunda idoneos; ad ea ſcilicet curanda, quæ neceſſaria ſunt, & ad eam afferendam Eccleſiæ utilitatem, quæ ab eorum laboribus expectatur. Magnus Cardinalis Bona, P. Chriſtianus Lupus, Mabillonius, Martenus, & alii complures, qui in decurſu operis nominabuntur, præclara ſunt Eccleſiaſticæ eruditionis lumina, & eorum illuſtres labores Theologo fuerunt, & ſunt præſidio ſane ad dogmata fidei illuſtranda: Juris autem Canonici interpretem, omnis remota erroris nebula, facile ducunt ad intelligendam veterem diſciplinam, quæ novæ feliciter moderandæ utiliſſima eſt. *Quidquid igitur de ordine temporum tranſactorum indicat ea, quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adjuvat ad ſacros libros intelligendos, etiamſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur:* verba ſunt hæc S. Auguſtini *lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28.*

16. Cardinalis Gabriel Paleottus, non tam Purpuræ, quam ſapientiæ lumine præclariſſimus, ut hiſtoriæ, & eruditionis Eccleſiaſticæ ſtudium in hac Urbe inter Clericos introduceret, non modo typis imprimi prudenter juſſit duos libros hiſtoriæ Sacræ Severi Sulpicii, ſed etiam notis a Carolo Sigonio viro apprime docto illuſtrari, qui propterea in præfatione ad eundem Cardinalem, inquit: *Quamobrem recte prudentia veſtra breviarium ejus (hoc eſt Sacræ Hiſtoriæ) aliquod ex immenſo illo utriuſque teſtamenti corpore conquiſivit, quo ſtudioſa juventus omnia ab Adam uſque ad Chriſtum, ideſt a peccato ad ſalutem in ipſius Dei populo geſta, quaſi in unam tabulam collata conſpiceret; & cum duos Severi Sulpicii libros in hoc genere diſtincte admodum ac ornate ſcriptos probavit, tum ad tollendum exquiſitioris interpretationis hominibus occupatis laborem, eoſdem etiam expoſitione illuſtrari aliqua voluit. Sic enim fore arbitrata eſt, ut univerſi non modo facilius ea, quæ præclare tradita ſunt animo & notitia comprehenderent, ſed ipſa etiam invitati facilitate alacrius, & ſtudioſius ad eademmet haurienda contenderent.*

17. Excitata Bononiæ ſunt non multo abhinc tempore hujuſmodi ſtudia, & quamvis Romæ moraremur, tamen recordamur domi Archidiaconi Marſigli, qui poſtea Epiſcopus Peruſiæ deceſſit, litteratorum hominum cœtus haberi conſueviſſe, in quibus eorum aliquis pertractare ſolebat argumentum ſibi præſcriptum, quod ad Sacram Hiſtoriam, vel Eccleſiaſticam eruditionem pertineret; rerum autem, de quibus ſermo haberi debebat, indiculus, ſeu nota typis impreſſa ſingulis, qui intereſſe ſolebant, antea diſtribuebatur.

18. In præſentiarum vero laudabilis hæc conſuetudo eſt jam penitus antiquata, ac ſtudium tantopere neceſſarium, nedum utile, quod fere ubique in amoribus, atque in deliciis eſt, in hac Urbe, quæ ſemper ſcientiarum mater eſt habita, intolerando jacet ſqualore obſitum negle&tumque. Hujuſmodi autem eruditionis gloriam, qui conſequi ſtudioſe cupiat, illi in primis neceſſaria eſt peritia linguæ latinæ. Cujus quidem elegantia non curæ duntaxat fuit Imperatori Auguſto, de quo narrat Suetonius, *Legato Conſulari ſucceſſorem dedit, ut rudi, & indocto, cujus manu ixi pro ipſi ſcriptum animadverterat;* ſed etiam Romani Pontifices de ea ſemper ſolliciti fuerunt, ut conſtat *ex capite ad audientiam de reſcriptis.* Nec deſunt in hac Civitate egregii homines, quorum bene multos novimus, qui clariſſimum adoleſcentibus lumen præferant ad humaniores litteras, quarum deſiderio non ignoramus primos Theologiæ Magiſtros plurimum diligentiæ, laboris, ac operæ in Ethnicorum voluminibus collocaſſe. Præterea ad ejuſmodi ſtudium, de quo nunc agimus, neceſſaria eſt prævia veræ Philoſophiæ inſtitutio, quæ viam ad Theologiam aperiat, ſed ita quidem, ut idem ſemper obſequium præſtet, quod Agar Saræ præſtare debuit ex imperio Abrahami. Atque, ut eloquentiæ, ſic Philoſopiæ magiſtros non deſiderat hæc Urbs doctiſſimos, qui multum valeant, & qui methodo utantur præclara, facili, perilluſtri, maximeque apud Academias id temporis nobiliſſimas uſitata. Philoſophiæ Theologia accedat neceſſe eſt, cujus profeſſores verſantur Bononiæ plurimi apprime docti, atque omnibus ſapientiæ laudibus ſpectatiſſi-

tissimi, quorum in scriptis quæstiones Polemicæ cum Scholasticis conjunguntur, variaque Ecclesiasticæ tum historiæ, tum eruditionis capita explicantur. Tota igitur difficultas in eo sita est, quod hujusmodi studia non præmittuntur, aut si præmissa fuerint, negliguntur deinceps, nec ad finem perducuntur. Navis in medio cursu inhibetur; imponitur, ut dici solet, tectum; in otio, quod superest vitæ, transigitur, & qui scholasticos cursus semel peregit, is præter Magistri scripta nihil aliud desiderat, quorum, ut sæpe fit, post brevem temporis lapsum obliviscitur, & licet quæcumque didicit, fideliter memoria teneat, ea tamen tanti esse non possunt, ut doctrinæ supellectilem pariant Ecclesiastico satis dignam, tum quia nullus invenitur Magister quamlibet diligens, ac eruditus, qui omnia noverit, tum quod unus Magister nequeat ea tradere scriptis omnia, quæ legendo, quærendoque cognovit.

19. Interea vero, & ad hanc pudendam studiorum rationem obtegendam mussitando dicitur Theologiam rerum Divinarum interpretem Sacerdotibus satis esse: aliorum, quæ superius memoravimus, studiorum *inutilitas* prædicatur; & palam denique dictitatur, iis obeundis studiis, nec esse necesse omnibus, nec vacare.

20. Quid nos de recta Scholasticæ Theologiæ methodo sentiamus, quotque ex ejus fontibus in Ecclesiam commoda dimanarint ac quotidie fluant, jam satis ostendimus in prima nostrarum Institutionum Pastoralium Tom. 3. Iis autem, quæ illic diximus, addere auctoritatem placet magni Theologi Salmeroni tom. 1. Prolegom. 9. quinquagena 1. super Evangelia: *Scholasticæ Theologiæ studium, in quo brevi compendio, ac certa methodo, multarum rerum, quæ tum in scripturarum studio, tum in doctrina, & lectione veterum Patrum latissime, & firmissime pertractantur veritates adsequimur, non est hominis Catholici respuere, nam contemnere hæretici est, & prorsus de Ecclesia Catholica male meriti, quæ hoc genus Theologiæ multis modis amplexata est.* Sed iterum asserimus eam viro Ecclesiastico non satis esse, cui necessaria etiam alia studia superius indicata existimamus. *Cum autem hoc genus Theologiæ commendo*, Salmeron prosequitur, *nolim, ut quisquam in illis studiis consenescat, sed moderatum, & certum tempus illis disputationibus impendat, ut ad meliora Sacrarum litterarum studia tempestive perveniat.*

21. Postularet hic locus eorum ut audaciam refelleremus, qui cum nihil sanitatis habeant, nedum sapientiæ, inutilem autumant hunc esse studiorum cursum, ac plane supervacaneum; sed hujusmodi homunculis valere jussis, nunc tantum dicemus pauca de difficultate, quæ nobis quidem in hoc studio nulla penitus esse videtur. Præmissis enim eloquentiæ, Philosophiæ, ac Theologiæ studiis, quæ si quispiam neglexerit, semper vacillet oportet, quia intus male libratus est, ædificio similis, quod nullis fundamentis innititur; supradictis, inquam, præmissis studiis, non video, cur novo non liceat adolescenti facile gradum facere ad altiora.

22. In promptu siquidem sunt erudita Geographiæ, & Chronologiæ compendia, introductio nempe Cluverii nunc aucta; item compendium historiæ universalis Episcopi Bossuet, quorum librorum ope iter ad eruditionem feliciter instituitur. Solidiores autem quæstiones, & argumenta prudenter, ac scite admodum pertractantur in libris recentium eruditorum, quorum copia non mediocris extat in hujus Urbis Bibliothecis. Ac quoniam publica scientiarum studia longe privatis sunt, ac domesticis utiliora, ignoramus profecto quid causæ sit, cur in hac Urbe Virorum cœtus doctissimorum, sive Academiæ institui nequeant, quæ dici vix potest, quantam reipublicæ utilitatem afferant, si sapientes habeant moderatores. Neque locum inter Academicos habere decet, nisi qui in studiis hactenus commendatis laudabiliter versati fuerint, iisdemque adhuc magnopere delectentur. Nam qui Grammaticam, Logicam, jus Pontificium forense, ac Theologiam moralem vix a primo, ut inquiunt, limine salutaverint, eorum quidem alicubi habenda est ratio, & iis merito laus danda est aliqua, nunquam vero aditus ad hujusmodi Academias patere debet. De materia porro, quæ pertractanda occurreret, ordinatim agendum est, ex. gr. de historia Sacra juxta annalium seriem, aut Conciliorum. Cavendum id quoque arbitror, ne hisce in conventibus liber legatur aliquis, quin deinde ulla lectioni interpretatio subjiciatur, aut ea temere fiat, ac perperam, & confuse: necesse enim est unum aliquem, aut plures Academicos designari, qui ea de re, quæ ab eo proponetur, qui a secretis Academiæ est, dissertationem in promptu habeant, eamque recitent in Academia, haud ignaris tamen argumenti, quod pertractandum est, cæteris Academicis, ut absoluto sermone, aliquid in commune conferri possit, vel ad confirmandum, quod dictum est, vel ad exponendas difficultates, si quæ occurrant, contra ea, quæ dicta sunt, ut earum solutio ab eo, qui dissertationem habuit, audiatur. Atque, ut hinc utilitas oriatur maxima, non debent profecto semel tantum, atque iterum, ad summum tertio singulis annis Academici convenire, sed quindenis saltem diebus, rejectis omnino falsis excusationibus, aut caloris, aut frigoris, aut supervenientium impedimentorum, & nonnunquam fictarum infirmitatum.

23. Clarissimo huic Instituto atque Academiæ accepta referri debet, quæ superioribus annis magna Romæ frequentia Doctorum hominum fuit, qui rerum Ecclesiasticarum tum veterum, tum recentium peritissimi non semel Religioni & Sedi Apostolicæ profuerunt. Habebatur in magna Aula Collegii Urbani de Propaganda Fide quindenis diebus Academia Ecclesiastica juxta Conciliorum seriem; & unus ex Academicis de Concilii historia differebat, alter de ejusdem Concilii Canonibus, deinde tertius de quæstione aliqua Theologica, quæ ex ipsis Canonibus oriebatur. Magna etiam in aula Archigymnasii Romani quindenis diebus habebatur Academia Ecclesiastica juxta ordinem Sacri Textus Divinarum Scripturarum, ex quibus particula deligi solebat aliqua, & haberi de ea sermo ab aliquo ex Academicis; tum juxta temporum ordinem, quo hæreses enatæ fuerant, non nulla earum ab altero Academico Polemico sermone refutabatur. In Conventu Patrum Servorum Matris Dei, quod ad S. Marcelli situm est, quindenis diebus habebatur Academia, in qua unus Academicorum Ecclesiasticam dissertationem recitabat juxta ordinem, quo in historia sua Ecclesiastica P. Natalis Alexander usus est, cujus quidem methodo, non semper tamen sententiæ, Academicus adhærebat. Omnibus his Academiis Nos adhuc juvenes interfuimus, ibidem verba fecimus, & pluries singulis annis; neque ab iis exercitationibus vacationem nobis concedi passi sumus, nisi postquam majora Curiæ negotia, & munerum, quæ nobis imposita sunt, occupationes impedimento fuerunt, quominus tempus ad scribendum hisce de rebus supereresset; nunquam tamen adeo nos ab illis alienos fecimus, ut plerumque post orationem ab Academico habi-

tam

tam aliquid opponere, vel addere prætermiserimus. Parum quidem profecimus, sed multo certe ulterius progressi essemus, si curæ, ac diligentiæ cætera respondissent. Verum, quod Nobis minime contigit, id probe assequuti sunt alii complures studiorum nostrorum socii, ut cognoscere quisque potest ex introductione ad Ecclesiasticas dissertationes Præsulis Perimezzi Viri clarissimi, qui collega noster in omnibus illis cœtibus, & deinde Episcopus fuit. Nam in ea exponitur ordo, quo solebant haberi Academiæ, ratio, & conditio sermonum, qui recitabantur, collationes, quæ subinde habebantur, nomina Academicorum eorum, qui a Secretis Academiæ erant, & utrorumque munera declarantur. Ut vero manifeste omnibus pateat, quanta sit utilitas, quæ ex hujusmodi Academiis, & collationibus percipitur, quis est, qui ignoret quanta sit in Transalpinis regionibus, & Cisalpinis hujus nostræ Urbis fama in rerum naturalium scientia, tum etiam in universa Mathematica? Ex quo autem fonte id emanavit, nisi ex Congregationibus, sermonibus, collationibus, quæ in scientiarum Instituto habentur? Conveniunt enim, sermonesque habent docti viri post studiorum suorum expletum de more curriculum. Quod utique quisque intelligere potest ex historia Doctoris Francisci Mariæ Zannotti, qui a Secretis est ejusdem Instituti.

24. Experientia comperitur, rectam earundem Academiarum, & cœtuum percipi non posse methodum, nisi hominum mens veluti sopore quodam oppressa excitetur, ac de necessitate & utilitate studiorum edoceatur, pro quibus excolendis Academias institui cupimus. Ut ad Sacra studia, & ad Ecclesiasticam eruditionem amplectendam alios impelleremus, libenter, licet assiduis distenti curis, quas secum fert ampliſſima hæc Diœcesis, laborem hunc amplexi sumus, & ad finem perduximus. Confidimus autem fore, ut quicumque has nostras elucubrationes legere non gravabitur, studiorum, quæ supra commemoravimus, necessitatem ac utilitatem plane intelligat; plura enim hoc in Opere collecta occurrent, quæ fortasse ignorabat, & quorum cognitionem sibi esse maxime necessariam non negabit. Hic ergo est finis, non præcipuus tamen, qui propositus Nobis fuit in hoc opere adornando; non præcipuus, inquam, nostri hujusce Operis hic finis extitit, quin potius hoc futurum speramus certum veluti tramitem ad rem momenti sane maximi consequendam. Historiæ siquidem & quæstionum ad Christi Domini, ad Deiparæ & Sanctorum celebritates, aut ad Sacrificium Missæ spectantium explicatio parum Ecclesiastico viro prodest, si ejus animo pietas non accendatur, si ex iis, quorum scientia est comparata, nullus spiritualis fructus percipiatur, si Sacerdos demum posteaquam intellexit in Divino Missæ Sacrificio nullum esse verbum, nullamque actionem, quæ non & sancta sit, & mysteriorum plena, non majori, quam antea, reverentia, ac timore ad Altare accedat, ac tanta in Deum charitate ardeat, ut mentem ad ea, quæ dicit, ad ea, quæ facit, ad mysteria, quæ in dictis, & factis continentur, semper intentam habeat. Tractavit quidem pius, & doctus Cardinalis Bona incomparabili eruditione de Sacrificio Missæ in celeberrimo Opere de Rebus Liturgicis, sed cum probe intelligeret, non in sola rerum cognitione sistendum esse, alium pulcherrimum tractatum asceticum de Missa scripsit. Divina misericordia freti confidimus & speramus fore, ut ardens desiderium nostrum felicem exitum consequatur. Et quoniam satis exposuimus occasionem, qua ad hoc Opus aggrediendum adducti sumus; quid in eo contineatur; quæ exinde utilitas percipi possit; rationem, ac modum, quæ in scribendo servavimus; finem denique, quo labor hic noster spectat; lectorem ad illud percurrendum invitamus, eundem & rogamus & obsecramus, imbecillitatis ut nostræ rationem habere velit, nec Nobis recuset, quam imploramus, benigne veniam impertire.

EX EPISTOLA

Præstantissimi & Sapientissimi

PRÆSULIS CONIMBRICENSIS

Ad hujus Voluminis editorem, citata tom. 7. pag. 115.

SIgnificare tibi vix possum, quanta perfusus sim animi voluptate, cum prima volumina Operum Benedicti XIV. Pontificis vere Maximi huc a te transmissa in manus habui, avidissimeque pervolvi. Equidem sic existimo, nihil præstari huic Regno utilius potuisse, quam eorundem Operum copiam; in iis quippe quidquid sacræ doctrinæ, atque eruditionis est, tam splendide, tam appositè, tam sapienter collectum video, ut his solis voluminibus pene mihi stare videatur posse Catholica Religio, ac disciplina. Proh! quanta Sanctorum Patrum, quanta sacrorum Canonum, quanta Conciliorum Theologorumque, & quam profunda cognitio! Proh! quæ sacræ vetustatis omnigena monumenta! Quæ legum, rituum, morumque Ecclesiarum fere omnium scientia! Quanta in exponendis sententiis perspicuitas! Quanta in agitandis eruditio! Quanta in statuendis soliditas, & consilium! Est ne quidquam ad sacram spectans eruditionem, quod in his libris pro dignitate non tractetur? Ærarium, mihi crede, ærarium tu Theologicarum rerum omnium locupletissimum huc transmittis, sola hæc volumina transmittendo. Quare totius quodammodo Lusitaniæ nomine oro obtestorque te, ut quam citissime editionem istam expedias; præsertim vero Operis *de Sacrificio Missæ*, quod impensissime aveo, atque expecto, ut præclaram & utilissimam illius doctrinam in eos omnes diffundam, qui divinitus curæ meæ commissi sunt &c.

Ex eodem tomo 7. pag. 120. Quid dicam de eximia illa doctrina, quæ in præclarissimo Commentario *de Sacrificio Missæ* passim effulget?

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX XIV. (*)

Illud autem indultum ita se habet Bullarii tom. 3. p. 359. edit. Rom.

Cum Cap. II. Lib. I. num. 1. loquens SS. Pontifex de Altari, super quo Missæ Sacrificium sit peragendum, statuerit ipsum vel Lapideum esse debere, vel saltem Sacra Petra instructum; cumque cap. 4. ejusdem Libri num. itidem 1. Calicem aureum ad Missæ Sacrificium præscribat, vel saltem argenteum, cujus tamen cuppa sit auro intersus illita: non ab se erit illud hic afferre indultum, quo ab eodem SS. Pontifice permissum est Presbyteris in Russia Polonica degentibus, ut Ruthenorum Unitorum Antimensiis, & Calicibus e stanno uti possint pro Missæ celebratione, quoties ea deficerent, quæ Latinis Presbyteris præscribuntur, Lapidea Altaria, seu Tabulæ consecratæ, & Calices aurei, vel argentei.

Latini Ritus Presbyteris in Russia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Altaribus seu Tabulis consecratis, & Calicibus aureis sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis, & cum Calicibus e stanno celebrare.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad Futuram rei memoriam.

Præmium. IMpositio Nobis Apostolicæ servitutis officio convenit, universæ Christi Familiæ toto Terrarum Orbe diffusæ necessitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium Ecclesiæ Ministrorum in remotis Regionibus pro animarum salute laborantium preces benigne suscipere, eorumque opportuno levamini, ac spirituali consolationi, etiam per congruæ dispensationis Indulta, prout rerum locorum, & temporum rationes, ac veneranda majorum nostrorum exempla suadent, consulere, & providere.

Missionariorum preces delatæ ad Congreg. de Propagan. Fide.

§. 1. Sane dudum Dilecti Filii Presbyteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis Propagandæ Fidei præpositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia, ac potissimum in Montibus Pokuciæ, in Podolia, in vastissimis Ukrainæ Regionibus, & in universa fere Russia Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiæ, rarissimæ vero Latini Ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione Lapideas Sacratas Tabulas, & Calices aureos, vel argenteos, per longa & difficilia itinera, sine gravi incommodo, & sine periculo confringendi easdem Tabulas, & Calices, secum deferre non valeant; idcirco, nisi facultas ipsis concedatur celebrandi Sacrosanctum Missæ Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensis, ut vocant, & Calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab ejusdem Sacrificii celebratione plerumque abstinere; multique præterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis ejusdem Ritus longe degunt, Sacerdotis Latini præsentia, a quo Sacra Mysteria peragantur, eisque distribuantur, omnino carebunt; prout reipsa sæpe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur. Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur hujusmodi facultas, Sacrosanctum nempe Missæ Sacrificium, etiam sine Lapidea Sacrata Tabula, celebrandi super Antimensiis Ruthenorum Unitorum, atque in Missarum celebratione, eorumdem Ruthenorum stanneos Calices adhibendi.

Remittuntur ad Congreg. S. Officii ibique examinentur.

§. 2. Cum autem hujusmodi Missionariorum preces, a dicta Cardinalium Congregatione Propagandæ Fidei negociis præposita alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus Hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum examini, & judicio, de more remissæ fuerint; & consequenter de iis actum fuerit in Consessu coram Nobis habito die XXII. Januarii elapsi Anni MDCCL.; Nos tunc, ut ad generale Rescriptum super his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi jussimus; ac præterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in Curia præsens aderat, quique & antea diu in Polonici Regni Ditionibus, atque in Ecclesiasticis Catholicorum Latinorum, Græcorumque Unitorum negociis, Apostolicæ Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat; & deinde ad easdem Regiones, & ad eosdem labores laudabiliter prosequendos, non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit; mandavimus, ut Nos super expositorum veritate instructos redderet, suamque Nobis sententiam super hujusmodi postulatis, tam voce, quam scripto, aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis præcedentium Decretorum monumentis, iisque per Nos accurate perpensis; atque omnibus, quæ in dictis precibus narrata fuerant, præfati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis; quum iis præterea Nobis retulerit, complures esse in iis Regionibus Presbyteros Latini Ritus, & quidem Deum timentes, qui in supradictis necessitatibus constituti, minime dubitant super Antimensiis Græcorum Unitorum absque Lapidea Tabula Missarum Sacra facere; ejusdemque consilium fuerit, quod sicuti Græcorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis Antimensiis relictis, Missarum Sacrificia offerunt super Lapideis Latinorum Tabulis; ita, ad constitutam feliciter Unionem magis, magisque stabiliendam non parum conduceret. Latinis Presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum Lapidea Altaris Tabula, Missas celebrare valeant super eorumdem Græcorum Unitorum Antimensiis; his omnibus attente perpensis, in hanc denique sententiam devenimus, ut prædictis Sacerdotibus Latini Ritus in Russia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Tabulis de more consecratis, & Calicibus aureis, sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis, & cum Calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiæ scrupulo, celebrare.

Exquiritur Testimonium, & Votum Episcopi Zenopol. tunc in Curia præsentis, quem Pont. laudat.

Is Expositorum veritatem testatur, & precibus annuendum suadet.

Pontifex annuit.

Calices stanni

§. 3. Porro, quod attinet ad Calices stanneos, om-

(*) *Quæ sequuntur Appendices, in hac tantum nostra Editione reperiuntur. Quamquam plerosque ea illustrent articulos, ad quos nonnullæ superiorum referuntur, adeoque illis addenda videantur, prout rerum ordo in illis tractatarum postulabat; nos tamen hic linquendas satius duximus, ut Lectori quasi ictu oculi, quæ noviter adjunximus, innotescat.*

nulla Ecclesiæ lege prohibiti sunt; immo certis in casibus expresse permiss.

omissis iis, quæ repeti possent ex priorum Ecclesiæ sæculorum memoria, quum scilicet & ligneis, & vitreis Calices in Altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a Nobis est in tractatu *de Sacrificio Missæ sess. 1. §. 26. & seq. Latinæ Editionis Patavinæ*: nullum generale Decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit hujusmodi Calicibus e stanno confecti in Missa uti, si Ecclesiarum, vel Sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant; quin immo *in Can. Ut Calix, de Consecrat. distinct. 1.*, hæc expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat*. Et quidem ad comprobandam asserendamque hujusmodi Ecclesiæ Indulgentiam plura leguntur apud Sanctum Thomam 3. *part. quæst. 83. art. 3. ad sextum*, aliosque Scriptores de hoc disciplinæ capite agentes: Quart. *ad Rubricas Missalis part. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 1. §. Colligitur*, Pasqualig. *de Sacrificio Novæ Legis tom. 2. quæst. 764. & quæst. 765.*, Bils. *Hierurgia Sacra in verb. Calix §. 2.*

Missæ apud Latinos celebrari nequeunt, nisi super consecrato Altari lapidea, vel fixo, vel portatili.

§. 4. Quod vero spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse Incruentum Missæ Sacrificium, nisi super Altari, quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum Lapidem, qui *Tabula Altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto Tractatu *de Sacrificio Missæ cit. sect. 1. §. 2. & seq.* In Græca autem Ecclesia hujusmodi Sacrati Lapides minime sunt in usu; sed ibi a pluribus jam sæculis in more positum est, ut, ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco Lapideæ hujusmodi Tabulæ, super Altaris Mensa aptetur Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, quodque vocatur *Antimension*, & super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud Auctores de Rebus Liturgicis tractantes videre licet, Goar. *in notis ad Euchelog. Græcor. pag. 521. Venetæ Editionis*, Christianus Lupus *in Synodos General. & Provincial. in dissert. de S. Leonis IX. actis cap. 13. Bruxellen. Edition. part. 3.*, Renaudot *in Collectione Liturgiarum Oriental. tom. 1. pag. 182. Edit. Parisien.*; Macri *in notitia vocabulor. Ecclesiasticor. in verb. Antimensia*. Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 20. §. 2.* ejusque Commentator Robert. Sala *tom. 2. pag. 70. num. 4. Taurinen. Editionis*.

Græci celebrant etiam super Linteo consecrato, quod vocant Antimension.

Horum consuetudo non improbatur.

§. 5. Quum vero nunquam Ecclesiæ Latinæ mens fuerit, ut Græcorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorumdem apud Græcos Fideles observantiæ prospexerit; nunquam proinde Missarum celebrationem, quæ super hujusmodi Antimensiis a Græcis Catholicis fit, improbavit; sed eam, & quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo Græcos, permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in Institutione per fel. rec. Prædecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra Constitutione, quæ incipit: *Etsi Pastoralis. Bullarii nostri tom. 1. Const. 57. §. 6. n. 17.*

Sed ea prohibetur Latinis, ubi non desunt Ecclesiæ Latini Ritus, & Altaria Lapidea.

§. 6. Quum vero in iis Regionibus, in quibus Italo-Græci sunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius, quam alterius Ritus Ecclesiæ adsint, ita ut absque ullo impedimento, & sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritus Ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est, ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra contestantem Ecclesiæ Latinæ disciplinam, sine Sacrata Altaris Lapidea Tabula, Missas celebrare, easque super Græcorum Antimensiis offerre; quod ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit, *eodem §. 6. num. 19.*

Peculiares tamen necessitates Latinorum de quibus agitur, dispensationem concedendam suadent. Similis Indulti exemplum datum est anno 1601. pro Diœcesi Vilnens.

§. 7. Sed aliter se res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini Ritus longe degentes, quum Sacratas Lapideas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, & sine periculo eas confringendi, secum deferre nequeant, vel Missæ celebrationem penitus omittere, & sic Latinos Fideles sine Sacrificio proprii Ritus, & sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Græcorum Antimensiis peragere compelluntur. In hujusmodi rerum circumstantiis, Apostolicæ Sedis provida indulgentia jamdudum enituit; quum scilicet Anno MDCII. ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis prædictæ Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Prædecessore Nostro Clemente Papa VIII. approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici, in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus, & Vestibus Sacris eorumdem Catholicorum uti, & Missam celebrare possint, in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis causa, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et e contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum, Altaribus, & Calicibus, ac Vestibus Sacris uti, & Missam celebrare valeant, Ritu tamen Latino. Et prædicta serventur secluso omni scandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

Pontifex Indultum illud confirmat, & reliquis Presbyteris Latinis in Russia Polonica degentibus indulget juxta petita.

§. 8. Nos igitur, præmissæ necessitatis intuitu, atque etiam hujusmodi Decreti consideratione adducti, præsentium litterarum tenore, atque ex certa scientia, & Apostolicæ auctoritatis plenitudine, salvis præfati Clementis VIII., nostrisque super Ritibus Italo-Græcorum editis Constitutionibus, & Ordinationibus, non modo relatum superius Decretum approbamus, & confirmamus; verum etiam præfatis omnibus Missionariis, aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc & pro tempore commorantibus, ut ipsi, & eorum quilibet, in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus Lapideis Altarium Tabulis rite consecratis; super Sacris eorumdem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare, atque etiam, ut supra dictum est, in hujusmodi celebratione eorumdem Calicibus stanneis uti libere, & licite possint, & valeant, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu Generalium, aut Provincialium, vel Synodalium Conciliorum contrariis Constitutionibus, & Ordinationibus, sive Locorum, Personarum, aut Ordinum Statutis, Ritibus, Usibus, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Contrariis derogat.

Proprium tamen Ritum ab unoquoque Sacerdote servandum decrevit, juxta Const. S. Pii V.

§. 9. Volumus autem, sicut in præmisso Decreto expresse cautum reperitur, ut dicti Missionarii, & Sacerdotes Latini, etiam quum eos, vigore præsentis concessionis, super Ruthenorum Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit, Latino semper Ritu eamdem celebrare teneantur; firma nimirum, & in suo robore permanente Apostolica Constitutione a fel. rec. Prædecessore quoque Nostro Sancto Pio Papa V. edita, qua incipit: *Providentia Romani Pontificis constitut. 12. tom. 2. Bullar. Rom. Edition. Luxemburg.*, per quam omnes facultates, & Indulta, tam Græcis, ut Missas, & Divina officia Latino ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem Græco Ritu peragere valerent, revocata, atque perpetuo sublata fuerunt; quamque Nos etiam earumdem præsentium tenore,

qua-

quatenus opus sit, dictaque auctoritate confirmamus, & innovamus.

Nec hujusmodi Indulto locum esse vult in Ecclesiis, aut Oratoriis Latinis.

§. 10. Volumus insuper, ut iidem præsenti Idulto celebrandi super Græcorum Antimensiis, in prædictorum Ruthenorum Ecclesiis dumtaxat (quemadmodum etiam in præmisso Decreto legitur) uti, & gaudere possint; si vero eosdem in aliqua Latina Ecclesia, seu in domesticis Latinorum Oratoriis, quæ forsan auctoritate Apostolica in hujusmodi Latinorum privatis Domibus, cum licentia celebrari faciendi, quæ adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacrosanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel super Altari consecrato, vel super Lapidea pariter consecrata Tabula, quæ etiam *Altare portatile* appellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi, celebrare omnino debeant.

Transumptis fidem haberi jubet.

§. 11. Volumus denique, ut præsentium literarum exempla, etiam impressa publici Notarii subscriptione, & Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo munita, eamdem omnino, ac ipsæ præsentes, ubicumque opus fuerit, fidem, & auctoritatem obtineant.

Sanctio.

§. 12. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostræ Concessionis Indulti, Statuti, Decreti, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 29. Martii 1752.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini MDCCLI. IV. Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Card. Passionei.

J. Datarius.

Visa de Curia
J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

APPENDIX XV.

Lib. II. Cap. II. De Missæ idiomate sermo est. Superius in Appendice III. ea sunt exposita, quæ ab Italo-Græcis, & Græcis Melchitis servanda sint. Opportunum hac de re visum est, si hic ea transcriberemus, quæ postea S. Pontifex Ecclesiasticis omnibus Ritus Slavo-Latini præscripsit.

Ex Tomo III. Bull. edit. Rom. pag. 223.

Ecclesiasticis Omnibus Ritus Slavo-Latini præcipitur, ut in Missis, & Divinis Officiis Slavum Litterale idioma cum characteribus Hieronymianis retineant, & Missalibus Breviariis &c. utantur typis Congreg. Propagandæ Fidei editis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad Perpetuam rei memoriam.

Pontificis sollicitudine novitatis & abusus in Lamb. Miss.

EX pastorali munere, quo Romani Pontifices Catholicæ præsunt Ecclesiæ, eamque moderantur, consueverunt Prædecessores Nostri vigilem navare curam, ut in Sacris peragendis, suos unaquæque Natio legitime invectos Ritus Religiose custodiat, ejusque idiomatis uniformitatem retineat, quo illius respective Majores in Missæ Sacrificio, Divinisque Officiis usi dignoscuntur; prohibentes ne quid a prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formulis immutata, deflectatur, omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

Sacros Ritus irrepans.

Ritus Nationi Illyrica concessus a Joanne VIII.

§. 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in Ritum Salvo-Latinum, quem felicis recordationis Prædecessor Noster Joannes Papa VIII. fideli ac religiosæ Nationi Illyricæ, una cum idiomate, quod nunc Slavum literale appellant, & characteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, & successivis temporibus recolendæ memoriæ Prædecessores pariter Nostri Urbanus VIII., & Innocentius X., dum Missale, & Breviarium eodem idiomate, & characteribus, excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt; nonnullos irrepere abusus, Apostolicæ Sedis intentionibus, institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audent Missas, insertis Orationibus & precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere, Initium quoque Evangelii secundum Joannem, & Psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua, latinisque characteribus impressa, nulla desuper a Nobis facultate, & approbatione præobtenta, sibi, aliisque Sacerdotibus legenda proponere: Idcirco ne hujusmodi abusus, qui eumdem Ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur; postquam aliis Nostris editis Constitutionibus, nimirum quinquagesima septima, cui initium *Etsi pastoralis*, & octogesima septima incipiente *Demandatam cœlitus*, quæ extant in Bullarii Nostri Tom. 1. pag. 167. & 290. Græcorum Rituum conservationi, & integritati, pro Italo-Græcorum, & Greco-Melchitarum Nationibus, abunde providimus; eamdem nunc sollicitudinis Nostræ curam ad Illyricam Nationem convertentes, suprema, qua fungimur Apostolica auctoritate, volumus, præcipimus, atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes & Sacerdotes tam Seculares, quam cujuscumque Ordinis, aut Instituti Regulares, qui Ritum Slavo-Latinum profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, & in Horis Canonicis, aliisque divinis Officiis persolvendis ac obeundis, Missalia, Tabellas, & Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandæ Fidei, quæque in posterum ibidem imprimentur, non sine prævis opportunis revisionibus, & approbationibus, aliisque diligentiis hucusque adhibitis, & deinceps adhibendis a Viris doctis, & Slavo-Latinum idioma, ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta sæcula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant, & teneantur: utque in posterum nemo ex prædicto Clero, in Missis celebrandis, aut in divinis Officiis persolvendis, Orationes & Preces, quæ nostra, & Apostolicæ Sedis auctoritate examinatæ non fuerint, & approbatæ, recitare, aut quoquo modo adhibere audeat, seu præsumat.

Intervertus, pluribus irreptis abusibus.

Quibus proscriptis vetustior redintegratur, novisque Sanctionibus ejusdem firmitati consulitur.

Quarum Executio Archiepiscopis & Episcopis demandatur.

§. 2. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum Diœcesibus Ritus Slavo Latinus viget, committimus, atque injungimus, ut pro zelo, & sollicitudine, qua tenentur concreditis sibi Ovibus præesse, & Sacrorum Ecclesiæ Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque hujusce Nostræ voluntatis, ac districti præcepti executionem curent, atque urgeant, ac novitates omnes, irreptosque quoslibet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remediis a Sacris Canonibus in pervivaces, & re-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

Decreta pro præmissorum firmitate.

§. 3. Decernentes has Nostras Litteras, & in eis contenta hujusmodi, semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, horumque Congregationes, necnon Apostolicæ Sedis Nuntios, & quosvis alios quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam in Synodalibus forsan, aut Provincialibus Conciliis editis Constitutionibus, aut Decretis; Privilegiis quoque, & Indultis eidem Nationi Illyricæ, ejusque Ecclesiis, atque Præsulibus, quavis etiam Apostolica auctoritate concessis, ac iteratis vicibus confirmatis, & innovatis, ac usibus, stylis, & consuetudinibus quantumvis diuturna observantia firmatis; quibus omnibus, & singulis, tenore præsentium, & ad præmissum effectum, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis habenda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo Hominum liceat paginam hanc Nostræ Declarationis, inhibitionis, præcepti, mandati, commissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Data die 17. Augusti 1754. Pontificatus 14.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, decimo octavo Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Quartodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius:

Visa de Curia

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

APPENDIX XVI.

Lib. II. Cap. XIII. num. 2. seqq. Sermo habetur de commemoratione Summi Pontificis, Episcopi, Archiepiscopi, & Regis in Missa facienda. Ad ea quæ ibi habentur magis illustranda, aliqua hic afferemus quæ circa hanc rem fusiori calamo prosecutus est Sapientissimus Auctor, in Epistola qua monita novæ Græci Euchologii editioni (Typis Congregationis Propagandæ Fidei impressæ) proposita, Græci Ritus Ecclesiasticis latius explicavit. *Ex Tomo IV. Bull. Edit. Rom. pag. 319.*

§. 9. PRimum itaque Monitum his verbis conceptum legitur. *Sciendum est, quod Sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos Sanctorum Patrum Canones, & Catholicæ Ecclesiæ Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes Officia, errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, & Patriarchæ, dummodo Catholici sint. Quod si alter eorum, vel ambo sunt schismatici, sive hæretici, eorum commemoratio nequaquam fiat.* Quod sane consentaneum omnino est iis, quæ decreta fuerunt in Congregatione habita die prima Maii anni 1749., quæque approbatione nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: *Num in precibus, quæ a Sacerdote, & Diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit Nomen Summi Pontificis, tum etiam in cæteris precibus; videlicet, pro Summo Pontifice N.* Redditum autem fuit Dubio Responsum hujusmodi: *In Instructione initio Euchologii adscribenda admoneantur Sacerdotes Græci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis, & eorum Episcopi, seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesia Catholica Romana unitus, & insuper ponatur alia Rubrica in margine Liturgiæ, quæ eos remittat ad Instructionem.* Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quæ in ipso Euchologii Textu desiderantur.

Primum bipartitum Monitum: de commemoratione Rom. Pontificis, necnon Episcopi, & Patriarchæ in Missa facienda.

Dubium in Congregatione discussum, & Decretum hac de re editum.

§. 10. De commemoratione Romani Pontificis in Sacrificio Missæ; deque hujus disciplinæ vetustate, nos ipsi fuse disseruimus (in Nostro Tractatu *De Sacrificio Missæ Sect. 1. num. 219.* sed post ejus Libri editionem, idem argumentum, congestis pluribus haud sane communibus monumentis, tractavit Dominicus Georgius, noster, dum viveret, intimus Sacellanus, *De Liturgia Romani Pontificis Tom. 3. cap. 3. n. 14.* ubi hæc habet: *Solemne semper fuit in Ecclesia Catholica, ut Romani Pontificis nomen inter sacra Mysteria recitaretur;* deinde *num. 22.* ita subdit: *De Romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant, & exemplaria sacri Canonis antiquissima.* Et quidem hujusmodi commemorationem in Missa habitam fuisse ostendunt Liturgia Ambrosiana, Missa Mozarabica, Missa Latina, quam Flaccus Illyricus Lutheranus vetusto e Codice exscriptam protulit; item antiquissima Liturgia, quæ legitur in vetustiori Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ, quam Ven. Cardinalis Thomasius in lucem edidit; omnes denique Sacri Missæ Canones, sive impressi, sive manuscripti; quemadmodum fuse demonstrat memoratus Præsul Nicolaus Antonellus, in sua copiosa, ac erudita Dissertatione, quam pro injuncto sibi munere Secretarii præfatæ Congregationis ad Euchologii correctionem deputatæ, conscri-

De prima Moniti parte, scilicet de Commemor. Rom. Pontificis.

Monumenta, ex quibus vetustissimus in Latina Ecclesia probatur hujus commemorationis Ritus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

scripsit, & Typis cudendam curavit, tunc quum a Cardinalibus, & Consultoribus ea de re disceptari cœpit; quam etiam recusam legere est in Appendice ad antiquum Missale Monasticum Lateranense, *Tom.* 1. *Collectionis Liturgicæ* a P. Emanuele de Azevedo adornatæ.

An idem primis sæculis in Græca Ecclesia vigerit, disputatur.

§. 11. Hactenus enunciata Monumenta ad Latinam Ecclesiam pertinent. Quod autem spectat ad Græcam Ecclesiam, Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 3. ignotum esse ait, an ea prioribus sæculis in Sacrificio Missæ Romani Pontificis mentionem fecerit: *An vero primis sæculis Græcia Orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet.* Porro Isaacus Habertus, *in Observationibus ad Pontificale Græcorum part.* 8. *observat.* 12., fatetur se inter prioris ævi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in Orientali Ecclesia, infra Missarum actionem, Romani Pontificis memoriam fieri consuevisse: *Vellem factum, & laudarem; sed factum non lego: factum quidem laudarem.* Quum autem in quibusdam antiquis exemplis Liturgiæ Sancti Joannis Chrysostomi sequentia verba legantur: *Nicolai Sanctissimi Universalis Papæ longa sint tempora*; credibile esse ait, temporibus S. Nicolai I. Pontificis Maximi, videlicet circa ann. Christi DCCCCLVIII., Patriarchæ nomini adjectum fuisse nomen Romani Pontificis. At vero laudatus Aatonellus in citata Dissertatione contendit, multo ante Epocham ab Haberto indicatam, in Ecclesia Græca Romani Pontificis commemorationem in Missa fieri consuevisse; idque evincit tum aliis multis monumentis, tum eo potissimum facto, quod refert Nicephorus *in Historia Ecclesiastica l.* 16. *cap.* 17., & testimonio nititur antiquioris atque gravioris Historici, Basilii Cilicis.

Egregium factum, quo Acacius improbatur affirmativa sententia.

Acacius nimirum Constantinopolitanus Episcopus, Eutychianæ hæresis fautor, Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infaustum illud publicaret edictum, *Henoticon* appellatum, quo irrita fiebat Sacri Chalcedonensis Concilii definitio adversus hæresim Eutychetis. Quod cum Sanctissimus Pontifex Felix III. dissimulare non potuerit; ideoque Acacium communione privaverit, ausus est hic anno Domini CCCCLXXXIV., novo & inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis Romani Pontificis nomen e Sacris Diptychis abradere: Quam ob rem damnata deinde fuit Acacii memoria, ejusque damnationi acquievit Ecclesia Græca, sub Hormisda Pontifice, & Justino Imperatore; id quod a duobus Hormisdæ Prædecessoribus, Anastasio II., & Symmacho, obtineri nequiverat. Erat igitur in magna Constantinopolitana Ecclesia (cujus exemplum procul dubio sequutæ erunt inferiores aliæ Orientis Ecclesiæ), erat, inquam, in Sacris Diptychis Romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnia. Quod si Acacius hujusmodi nomen primus abrasisse dicitur, ejusque factum ideo etiam improbatum specialiter fuit, quod, sine præcedenti alterius cujusque exemplo, rem perpetrasset novam, & eo usque inauditam; quamvis anteactis temporibus inter Romanos Pontifices, & Regiæ Urbis Episcopos, offensiones ac dissensiones non defuissent; hinc satis superque evincitur, multo ante Acacii tempora, ideoque prioribus sæculis, Romani Pontificis nomen Sacris Græcorum Diptychis inscriptum fuisse, & in Missarum actione pro eo preces fieri consuevisse.

Commemoratio ista hæc, quid vi sua importet.

§. 12. Sed quidquid sit de hoc controverso Ecclesiasticæ eruditionis capite, Nobis satis est affirmare posse, commemorationem Romani Pontificis in Missa, susasque pro eodem in Sacrificio preces, censeri, & esse declarativum quoddam signum, quo idem Pontifex tamquam Ecclesiæ Caput, Vicarius Christi, & Beati Petri Successor agnoscitur, ac professio fit animi & voluntatis Catholicæ unitati firmiter adhærentis; ut etiam recte advertit Christianus Lupus, super Conciliis scribens *Tom.* 4. *Editionis Bruxell. pag.* 422. *Hæc commemoratio est suprema & honoratissima Communionis species.* Neque id tantummodo probatur auctoritate Ivonis Flaviniacensis *in Chronico pag.* 228. ubi ita legitur: *Noverit se a communione totius Orbis separari, quicumque nomen Apostolici, pro qualicumque dissensione, in Canone non recitaverit*; aut vulgati Alcuini, qui *lib.* 1. *de Divinis Officiis cap.* 12. ita scripsit: *Constat, ab universo Orbis communione separatos esse, sicut Beatus Pelagius docet, qui qualibet dissensione, inter Sacra Mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant*; sed graviore sententia Pelagii II. Summi Pontificis, qui sexto Ecclesiæ sæculo Apostolicam Cathedram tenuit, quique in suis litteris, relatis in Labbeana Conciliorum Collectione *Tom.* 5. *col.* 794. *& seq.*, *& col.* 810. ita ad rem nostram scriptum reliquit. *Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus, Dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum Ecclesiæ in Apostolicis Sedibus collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a Præsulum earumdem Sedium auctoritate, vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quæ in Pontificalibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi Orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter Sacra Mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apostolicæ Sedis, per successionem Episcopatus, præsenti tempore videtis consistere firmitatem*) Quibus Pelagii litteris usus est quoque magnus Lugdunensis Archiepiscopus Sanctus Agobardus in suo Tractatu *De comparatione utriusque regiminis*, qui impressus habetur *in Magna Bibliotheca Patrum, impressionis Lugdunensis Tom.* 14. *pag.* 315. *num.* 21., & a Balutio recusus fuit, inter alia ejusdem Sancti Opera *Tom.* 2. *pag.* 49.

Eadem, occasione schismatis intermissa, & in tractanda unione, semper ante alia quæque conventa.

§. 13. Satis præterea Nobis est, hoc tuto asserere posse, quocumque demum tempore in Ecclesia Græca recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro Romano Pontifice in Missa, eam certe in Græcis Ecclesiis viguisse pluribus sæculis ante conflatum schisma, nec nisi post funestam divisionem fuisse intermissam. Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchæ, qui vivebat anno Christi 1054. ad Michaelem Cærularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam Græce & Latine edidit Joannes Baptista Cotelerius *Tom.* 2. *Monument. Eccl. Græc.* Michael dixerat, se mirari, quod Antiochenus ipse Petrus necnon Alexandrinus, & Hierosolymitanus Antistites, Roman. Pontificem in sacris Diptychis referrent; quemadmodum desumitur *ex citat. Tom.* 2. *num.* 9. *pag.* 140. Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit, ostendens, ad suam usque ætatem, tum Antiochiæ, tum Constantinopoli non fuisse intermissam Romani Pontificis commemorationem: *Ad hæc ergo quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia præcellunt, quod sub beatæ memoriæ Patriarcha Antiochiæ Domno Johanne, Papa Romæ, ipse etiam Johannes nominatus, in sacris Diptychis referretur. Constantinopolim præterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi, sub sanctæ memoriæ Patriarcha Domno Sergio, prædictum Papam in sacra Missa*

cum

cum aliis Patriarchis referri. Additur, nunquam agi cœptum de unione inſtauranda, niſi ea in anteceſſum admiſſa conditio fuerit, ut Sacræ Liturgiæ inſereretur Romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impleta habitam fuiſſe, niſi præindicata initialis conditio reipſa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeſte eruitur conſenſio Eccleſiarum Latinæ & Græcæ, in agnoſcendo & ſtatuendo, ineſſe in præfata commemoratione proteſtationem ſubjectionis debitæ Romano Pontifici, tamquam Eccleſiæ Capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Eccleſiæ, ut ſupra diximus; contra vero, per hujuſmodi commemorationis omiſſionem, declarari animum ſchiſmati pertinaciter adhærentem.

Probatur aſſertio iteratis exemplis inſtauratæ unionis, rebuſque geſtis ſub Michaele Palæologo.

§. 14. Quum Michael Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator, anno 1263. & ſequenti, ſtudium ſuum declaraſſet redeundi, una cum Græcis ſibi ſubjectis, in unitatem atque concordiam cum Eccleſia Romana, Urbanus IV. Prædeceſſor Noſter hanc conditionem diſerte propoſuit, teſte Niceta *lib. 5. cap. 2. Ut in ſacris Officiis e Dyptichis Papæ nomen cum quatuor Patriarchis memoraretur*. Cumque ſubinde hujuſmodi unionis tractatio ab eodem Michaele Imperatore, & Patriarcha Joanne Vecco, reſumpta fuiſſet, ac de ea ſerio actum fuerit in Concilio Generali Lugduni habito anno Domini MCCLXXIV., Beatus Gregorius X. Pont. Max., aſſentientibus Patribus in Concilio congregatis, ante omnia nonnullas propoſuit conditiones, quæ niſi acceptarentur, nullus Unioni tractandæ ac perficiendæ locus reliquus foret; quarum prima fuit: *Ut inter ſacras Hymnodias Papæ cum aliis quatuor Patriarchis in Diptyca relatus memoraretur;* ut apud eumdem Nicætam habetur, *loco citato*. Eam vero conditionem a Græcis acceptatam fuiſſe, & exequendo impletam, teſtatur Pachymeres *lib. 5. cap. 22. Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium, duo conſecuta ſunt, vi prius conventorum; exauctoratio Patriarchæ, & Papæ in ſacro commemoratio publica*.

Impia Andronici intermedii Imperatoris attentata.

§. 15. Michaeli Palæologo ſucceſſor in Imperio fuit Andronicus Filius, damnato ſchiſmati adeo perdite adhærens, ut, quoniam Pater unioni Eccleſiæ Græcæ cum Latina ineundæ operam contulerat, illius Corpus extra locum ſacrum ſepeliri permiſerit. Et quia, donec Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſideret Catholicus Patriarcha Joannes Vecco, minime ſperabat Imperator, deſtinatam ſibi ſchiſmatis inſtaurationem ad exitum perduci poſſe, Joſephum quemdam hæretica labe infectum in Patriarchalem Sedem intruſit. Exinde res in pejus ruere cœperunt, nec amplius obtineri potuit ſincera Eccleſiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariæ Generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebuſque inter Latinos Græcoſque Patres mature diſcuſſis, anno demum MCCCCXXXIX. dejectus fuit diviſionis paries, qui unam ab altera Eccleſia tam diu ſejunctam tenuerat. Utque omnibus teſtata fieret unionis peractæ veritas, Joannes Palæologus Græcorum Imperator juſſit, in ſacris Diptychis reponi nomen Romani Pontificis; uti teſtatur vel ipſe ſchiſmaticus ſcriptor Sylveſter Sguropulus *in Hiſtoria Concilii Florentini ſeſſ. 10. c. 12.* Cumque ſubinde unionis conſtitutæ Decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham tranſmiſſum fuerit, non prætermiſit hic, in ſua reſponſione ad Eugenium IV. Pontificem data, teſtari, a ſe quoque ſtatutum fuiſſe, ut in Sacrificio Miſſæ, Romani Pontificis commemoratio, antequam aliorum Patriarcharum, fieri deberet: *Unde cum noſtris Ægyptiis Pontificibus, & cæteris Clericis noſtris ſtatuimus, ut ubique, in omnibus Chriſti Eccleſiis, inter Miſſarum ſolemnia, præ cæteris Patriarchis, memoriam Tuæ Beatitudinis faciamus, ſicuti in Sacris Canonibus cautum eſt*; quemadmodum videre eſt in Actis Concilii Florentini a Cardinale Juſtiniano collectis *part. 2. collect. 22. pag. 323*.

Altera probatio ex factis Joannis Palæologi, necnon Alexandrini Patriarchæ.

Tertia denique, ex pactis conventis inter Conſtantinum Imperatorem, & Nicolaum V. Pontificem.

§. 16. Poſt Joannem Palæologum in Græcia imperavit Conſtantinus, qui quum ad Nicolaum V. Legatos miſiſſet, qui ſibi periclitanti opem implorarent, hoc ſimul profiteri non omiſit, ſe omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiæ conſtituta optatam ſortiretur executionem; ideoque effecturum, ut Pontificis Romani nomen ſacris Diptychis reſtitueretur, uti teſtatur Ducas in Hiſtoria Byzantina: *Imperator ſuppetias rogatum Romam jam antea miſerat, ut etiam Concordia Florentiæ reconciliata reſtabiliretur, inque magnæ Eccleſiæ Liturgiis Papæ nomen e ſacris Diptychis recitaretur*. Pontifex autem promptum ſe atque paratum exhibuit ad afferendam illi pro viribus opem; ſimulque ipſum hortari, & urgere non deſtitit, ut Decretum Unionis in Concilio Florentino peractæ promulgaret, efficeretque, ut nomen Romani Pontificis *recitetur in Diptychis, & pro ipſo nominatim expreſſe ab univerſa Græcorum oretur Eccleſia, ſicut ii, qui Deo placuere, & Conſtantinopolitani Patriarchæ, & Imperatores hactenus ſervavere;* ut habetur in Annalibus Raynaldi, *ad annum Chriſti 1451. n. 2.*

Græci Orientales, Catholici hujuſce commemorationis habendæ legem agnoſcunt & in iteratis Synodis evulgant.

§. 17. Hæc ſunt, quæ pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione Celebrantium, orandi pro Papa in Sacrificio Miſſæ; nec aliud præterea addendum videtur, niſi quod ante hujuſmodi Monitum, Catholici Epiſcopi Græci Orientales, in ſuis Synodis, hoc ipſum ſtatuere non omiſerunt; & Nos ipſi pro Italo-Græcis opportuna Decreta edere non prætermiſimus. Anno Domini MDCCXX. Zamoſciæ habita fuit Synodus Provincialis, de mandato fel. record. Prædeceſſoris Noſtri Clementis Papæ XI., ac præſidentes in ea Hieronymo Grimaldo tunc Archiepiſcopo Edeſſeno, & Apoſtolicæ Sedis Nuntio in Regno Poloniæ, deinde vero a recol. mem. Deceſſore Noſtro Clemente Papa XII. ad Cardinalatus honorem aſſumpto. In hujus itaque Synodi Decretis, quæ etiam a piæ memoriæ Benedicto Papa XIII. ſimiliter Prædeceſſore Noſtro, maturo præmiſſo examine, confirmata fuerunt, ſub titulo *de Fide Catholica*, ſequentia leguntur verba: *Eadem de cauſa*, nimirum ad removendam omnem ſchiſmatis ſuſpicionem, *& ad demoſtrandam ſinceram Membrorum cum Capite conjunctionem, cenſuit etiam, ac præcipit, ſub pœnis arbitrio Ordinarii infligendis, ut ubicumque in ſacris Diptychis commemoratio Romani Pontificis facienda erit, præſertim vero tempore Sacrificii Miſſæ, in translatione Oblatorum, fiat claris & expreſſis verbis, quibus alter quam Romanus univerſalis Epiſcopus deſignari non poſſit*. Conſentiunt Patres Concilii Libanenſis anno MDCCXXXVI. congregati, ſub præſidentia Dilecti Filii Magiſtri Joſephi Simonii Aſſemani Romanæ Curiæ Præſulis, & Ablegati Apoſtolici; in cujus pariter Concilii Decretis, ſub Titulo *de Symbolo Fidei, ejuſque profeſſione, num. 12.* hæc occurrunt verba: *Sanctiſſimi Romani Pontificis commemorationem, tam in Miſſis, quam in Divinis Officiis, ante Reverendiſſimi Domini Patriarchæ nomen, uti hactenus conſuevimus, celebrare non omittamus*. Et hoc etiam Concilium, poſt accuratiſſimum rerum omnium examen, Apoſtolica auctoritate a Nobiſmetipſis confirmatum extitit, ut

vide-

videre licet in Noſtra Conſtitutione, quæ incipit *Singularis*: *Tom.* 1. *Bullari Noſtri*, *num.* 31. Petrus Arcudius in ſuo Opere *de Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis lib.* 3. *cap.* 39., monitum adſcripſit pro Latinis Epiſcopis, in quorum Diœceſibus commorantur Græci, ut eos adigere ſtudeant ad faciendam in Miſſa commemorationem Romani Pontificis; ne qua reliqua ſit ſuſpicio propenſionis erga ſchiſma: *Epiſcopi Latini omnino curare debent, ut ſibi ſubditi Parochi Græci in unione Catholica ſint, & Summum Paſtorem agnoſcant, juxtaque veterem morem, pro illo ſolemniter deprecentur*, in Sacrificio Miſſæ, de quo nempe eo in loco agit. Conſentanee autem ad hoc æquiſſimum monitum, in noſtra Conſtitutione pro Italo-Græcis emanata, cui initium: *Etſi Paſtoralis*, quæque eſt 57. *in Bullarii Noſtri Tom.* 1. §. 9. *num.* 4. ita cautum fuit: *Deinde Summi Romani Pontificis, ac Ordinarii loci, in Miſſis, atque Divinis Officiis, commemoratio fiat.*

Eadem Italo Græcis indixit Pontifex.

Secunda Monitipars, de Commemoratione Epiſcopi & Patriarchæ, habenda, vel omittenda.

§. 18. Sequitur pars altera ejuſdem primi moniti, in qua, uti ſuperius notatum fuit, injungitur Sacerdoti Græco, ut infra Miſſam, poſtquam oraverit pro Pontifice Romano, oret pro proprio Epiſcopo, oret etiam pro ſuo Patriarcha, ſi tamen Catholici ſint; nam ſi eorum alter, vel uterque ſchiſmaticus eſſet, aut hæreticus, de illo, aut illis commemorationem facere non deberet.

Latina Eccleſiæ diſciplina quoad Commemorationem Epiſcopi.

§. 19. In Latina Eccleſia nulla ſe ſe offerre ſolet difficultas, quoad commemorationem faciendam illius Epiſcopi, in cujus Diœceſis Sacerdos Miſſarum ſacra facit. Hac de re Nos ipſi egimus in noſtro Opere *de Sacrificio Miſſæ ſect.* 1. *num.* 220. *Latinæ editionis*; ibique demonſtravimus, debere eum, qui in Diœceſi aliqua Miſſam celebrat, Epiſcopi Diœceſani loci mentionem facere, non vero alterius, in cujus Diœceſi ipſe ordinatus fuerit, ſeu cujus Ordinariæ Juriſdictioni ſubjectus ſit; neque vero licitum eſſe Regularibus, proprii Superioris Generalis, aut aliis Sacerdotibus alicui Prælato inferiori Territorium ſeparatum habenti ſubjectis, hujuſmodi Prælati commemorationem facere in Miſſa; quum is honor deferendus tantummodo ſit ei Superiori, ſeu Præſuli, qui Epiſcopali auctoritate, & ordine eſt inſignitus. Auctores vero, qui hæc omnia tradunt, & probant, ibidem a Nobis allati fuerunt. Quare nihil aliud hic adjiciemus, niſi quod præcitatus Dominicus Georgius, qui poſt editum noſtrum illud opus, ſuum prælo dedit Tractatum *De Liturgia Romani Pontificis*, pluribus antiquis perluſtratis Codicibus, hæc adnotata reliquit, *dicti Operis Tom.* 3. *cap.* 3. *n.* 23. *pag.* 52. *Omnia ferme vetuſtiſſima exemplaria Sacri Canonis Miſſæ, poſt Romanum Pontificem, nomen Antiſtitis deſignant, quod quidem nomen Florus, & antiquiores Expoſitores Miſſæ, quos in appendice damus, commemorant.*

Epiſcopus celebrans qua forma pro ſe oret in Miſſa.

§. 20. Utque adhuc a Latina diſciplina non diſcedamus, hoc etiam adnotabimus, Epiſcopum Miſſam celebrantem, pro ſemetipſo orare, ſe *indignum ſervum* compellando; quod conſentaneum eſt iis, quæ leguntur *lib.* 8. *Conſtitutionum, quæ Apoſtolicæ dicuntur, inter Opera Patrum Apoſtolicorum a Cotelerio edita Tom.* 1. *pag.* 407. ubi is, qui ſacrum facit, poſtquam pro aliis oravit, pro ſe ipſo deprecatur his verbis: *Adhuc rogamus Te pro nullius pretii homine, qui Tibi offero &c.* Præterea ſciendum eſt, in Urbe Roma ſolius Romani Pontificis commemorationem fieri, eo quod ipſe non modo ſit Summus Pontifex, ſed etiam ſpecialiter Romanæ Urbis Epiſcopus; ipſum vero Pontificem, dum Miſſam

Romæ ſolius Pontificis fit mentio, & quare.

celebrat, pro ſe etiam orare, ad eum plane modum, quo Epiſcopus quilibet celebrans pro ſe ipſo Deum orat. *Poſtulatis* (verba ſunt Innocentii III. in Epiſtola non adhuc edita, ſed in Regeſtis Vaticanis aſſervata *lib.* 9. *num.* 33., qua reſpondet Epiſcopo Aurienſi, ſciſcitanti quomodo Pontifex Miſſam celebrans de ſe ipſo mentionem faciat:) *Poſtulaſti præterea doceri, quibus verbis Pontifex Romanus utatur in eo loco Canonis Miſſæ, in quo Sacerdos inferior dicit, una cum Papa Noſtro; cum idem pro ſe tunc videatur orare, ac ſupra ſe Antiſtitem non habere: ad quod devotionis tuæ taliter reſpondemus, quod Nos ibi dicimus: una mecum indigno famulo tuo.* Denique notandum eſt, a Latinis Sacerdotibus, commemorationem Archiepiſcopi, uti Metropolitani, in Canone minime fieri; ut etiam notat accuratus P. Merati *in ſuis Commentariis ad Gavantum part.* 1. *tit.* 8. *num.* 5., & quidem etiamſi vacet Sedes Epiſcopalis: *Si vero Epiſcopus Ordinarius loci, in quo celebratur, ſit vita functus, prædicta verba omittuntur*; nimirum de eo non fit commemoratio: *ſed advertendum eſt, loco Epiſcopi, non poſſe nominari Vicarium Capitularem, quia licet, ſed vacante, Ordinarius ſit illius loci, non tamen eſt Epiſcopus illius Diœceſis. Rurſus neque nominari poteſt Archiepiſcopus, aut Patriarcha Provinciæ, intra quam continetur Epiſcopatus Epiſcopi defuncti licet in eo habeat aliquam juriſdictionem; quia Archiepiſcopus, aut Patriarcha, non dicitur Ordinarius in Diœceſibus Suffraganeorum.*

Pontifex celebrans, quomodo pro ſe oret.

Archiepiſcopi nunquam fit mentio a Latinis in Miſſa.

§. 21. Nunc autem converſo ad Græcos ſermone, ſi quidem de Italo Græcis agatur, hi omnimodæ ſubjiciuntur juriſdictioni Epiſcopi Latini, in cujus Diœceſi ſuum conſtituerunt domicilium, juxta Conſtitutionem LXXIV. Prædeceſſoris Noſtri Pii Papæ IV., quæ incipit *Romanus Pontifex*, *Bullar. Roman. Tom.* 2., de qua Nos fuſe diſſeruimus in noſtro Tractatu *De Synodo Diœceſana lib.* 2. *cap.* 12. *noviſſimæ editionis Romanæ*. Itaque hujuſmodi Presbyteri Italo Græci, in Sacrificio offerendo, Latinam diſciplinam ſequi tenentur, commemorationem ſcilicet facientes Romani Pontificis, & Epiſcopi loci, nunquam vero Orientalium Epiſcoporum, aut Patriarcharum, quantumvis Catholici ſint, quum hi nulla fruantur juriſdictione in Italia, & Inſulis adjacentibus; ut etiam ſtatutum eſt in præfata Conſtitutione noſtra: *Etſi Paſtoralis* §. 9. *n.* 4. *Bullarii Noſtri Tom.* 1. *Conſt.* 57. Sane in Dictato Sancti Gregorii VII. Rom. Pont. *Can.* 10. hæc verba leguntur: *Quod Papæ ſolius nomen in Eccleſia recitetur*. Et quidem Dictatum hoc Conciliorum Collectionibus inſertum reperitur, nimirum Regiæ Pariſienſi, *Tom.* 26., Labbeanæ vero *Tom.* 10., atque alteri ab Harduino conflatæ *Tom.* 6. *part.* 1. Non tamen ignoramus vigentem inter eruditos controverſiam, ſitne Dictatum illud genuinum opus S. Pontificis, an potius ſuppoſititium; adeo quidem ut P. Mabillonius in ſuo Tractatu *De Studiis Monaſticis*, quæſtionem hanc recenſuerit inter graviores, quibus enodandis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſores occupari poſſunt. Verum hoc etiam poſito, Dictatum eſſe genuinum opus S. Gregorii VII., vera ac germana citati Canonis ſententia haud quidem eſt, ut in Eccleſia Latina Epiſcopi Diœceſani nomen a Miſſæ Canone ſit removendum, ſed ut eidem minime inſerantur nomina Orientalium Patriarcharum, qui ſcilicet tunc temporis hac conditione conſenſuros ſe dicebant: ut Romani Pontificis nomen in Liturgia reponeretur, ac per univerſas Orientis Eccleſias pro eo preces fierent, ſi viciſſim Pontifex conſenſiſſet,

Italo Græci, quoad commemorationes in Miſſa, Latinam diſciplinam ſervare debent.

Dictatum S. Gregorii VII. genuinum ne ſit, an ſuppoſititium, in quæſtione eſt.

Traditur legitimus ejus loci ſenſus, ubi ſolius Papæ nomen in Eccleſia recitari jubet.

ut

ut ipsorum nomina a Sacerdotibus Latinis Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum Romani Patriarchatus, in Canone Missæ recitarentur. Quæ quidem conditio jure optimo rejecta fuit, prout sapienter observat Christianus Lupus *ad Concilia part.* 4. *pag.* 437. *editionis Bruxellen. A schismate recessurus Michael* (de Michaele Cærulario Constantinopolitano Patriarcha loquitur) *petiit nomen suum inscribi Romanis tabulis, spopondit que Pontificis nomen omnium suarum Ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo* (Romanum Pontificem innuit S. Leonem IX. *noluit annuere: mutua enim Patriarchalium nominum recitatio viguit in solis æqualibus, & consororibus Orientalium Patriarcharum Sedibus, nunquam in Romana. Hæc enim Orientalium non tantum soror, sed etiam caput est & mater, ideoque nullius, nisi sui solius Episcopi, nomen unquam recitavit.* Et sequenti *pag.* 438. ita prosequitur: *Orientalium Patriarcharum nomina nunquam recitavit Romana, immo nec ulla Latina Ecclesia.*

Græcis Orientalibus licitum est pro Metropolita, & Patriarcha orare in Missa.

§. 22. Hæc pertinent ad Italo-Græcos. Verum quod spectat ad cæteros Græcos, & Orientales, Monitum istud Euchologio præpositum, de quo nunc agimus, nequaquam iis prohibet suorum Metropolitarum, & Patriarcharum mentionem facere in Missa; sed cavet tantummodo, ne id fiat, quatenus illi schismatici sint, aut hæretici. Constat antiquum esse morem in Ecclesia Græca, ut in Missarum præcibus Patriarcharum nomina commemorentur. Theodorus Balsamon in iis, quæ scripsit *de Patriarcharum juribus*, hæc habet: *Statutum est, ut in quavis Ecclesia Dei, sive ad Euphratem, sive ad Tygrim, sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim Patriarcharum nomina referantur.* Goarius *in notis ad Rituale Græcorum pag.* 63. hoc refert, veluti usu receptum, videlicet in Græca Liturgia, Sacerdotem orare pro omnibus Episcopis, & pro Metropolitano. Meratus autem *in notis ad Gavantum Tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 539. *Romanæ editionis*, postquam illud posuit, quod supra retulimus, in Ecclesia Latina Archiepiscopi commemorationem non fieri in Missa, vacante licet Ecclesia suffraganea, ita subdit: *Hoc tamen non observatur a Græcis, aliisque Orientalibus, qui Patriarcham nominant, & Metropolitam.* Neque id ipsum in sæpe indicato Monito iisdem indefinite prohibetur, sed tunc solummodo, quum Metropolitæ, aut Patriarchæ, schismatici sunt, vel hæretici; juxta regulas iampridem receptas atque statutas, antequam Euchologii correctioni manus admoveretur. Sane in Congregatione Sancti Officii anno 1673., quum de hoc disciplinæ capite actum fuerit, decretum prodiit tenoris sequentis: *In Congregatione Generali Sancti Officii die* 7. *Junii* 1673. *Utrum in Missa possit nominare Sacerdos in Oppido Liburni Patriarcham Armenorum, pro ipso orando, qui est schismaticus; quod instanter petunt sibi concedi, ut per hoc natio magis, & majori erga Latinos alliciatur affectu; Sacra Congregatio respondit, non posse; & omnino prohibeatur. In eadem Congregatione* 20. *Junii* 1674. *lectis litteris R. P. D. Nuntii Florentiæ, datis die* 10. *Aprilis* 1674. *scriptis Sacræ Congregationi de Propaganda, & ab eadem remissis ad Sacram Congregationem Sancti Officii, decretum fuit, quod rescribatur eidem Nuntio, ut quoad permissionem orandi in Liturgia pro Patriarcha Armenorum, Sacra Congregatio stetit in decretis emanatis anno* 1673., *videlicet, non posse, & omnino prohibeatur.*

Modo ne sint hæretici vel schismatici.

Aliud simili cautionis decretum.

§. 23. Consonat aliud plane simile Decretum Congregationis super correctione editionis Missalis Cophtorum habitæ anno 1732.; ubi inter alia proposita Dubia, hoc fuit: *An, & quomodo emendanda sint verba, quibus Sacerdos commemorationem facit de Patriarcha, Episcopo &c.* Responsum autem datum fuit hujusmodi: *Initio Missalis ponatur Rubrica, in qua admoneatur, & instruatur Sacerdos de iis, quæ spectant ad celebrationem Missæ, & inter illas Rubrica specialis de commemoratione Romani Pontificis, necnon Patriarchæ, & Episcopi, si sint uniti Romanæ Ecclesiæ; sin minus, eorum commemoratio omittatur: quæ Rubrica proprio loco repetatur.* Porro hæretici, atque schismatici excommunicationis majoris censuræ subjecti sunt, ex lege *Can. de Liguribus*, 23. *quæst.* 5., *& Can. Nulli*, 5. *dist.* 19. Sacri autem Ecclesiæ Canon. pro excommunicatis orari publice vetant; uti cautum legitur *in cap. a Nobis, & in cap. Sacris de Sent. Excomm.* Et quamvis id non obstet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita præstari non debet, ut eorum nomina in solemni Sacrificii prece pronuncientur; quod plene congruit veteri disciplinæ, de qua Estius *in* 4. *Sententiar. Dist.* 12. §. 15. Satis est in eum finem, mente animoque Deum Optimum Maximum rogare, ut aberrantes ad viam salutis, & ad Sanctæ Matris Ecclesiæ sinum reducere dignetur; quemadmodum pergit Sylvius *in* 3. *part. D. Thomæ Tom.* 4. *quæst.* 43. *art.* 1. *quæst.* 9. Atque hæc est ipsissimet Sancti Thomæ doctrinæ *in* 4. *Sent. dist.* 18. *quest.* 2. *art.* 1. *in responsione ad primum: Pro Excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt.* Neque ut huic Christianæ charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiæ, quæ a Fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate, & obedientia separarunt; quæque, dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab Officio Missæ, quæ publicum est Sacrificium, excludit. Quapropter Ven. Card. Bellarminus *Controversiarum Tom.* 3. *lib.* 6. *de Missa cap.* 6. optime ad rem nostram scribit: *Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore Sacrificium offerre pro Hæreticorum, sive Infidelium aliquorum conversione. Ratio dubitandi est: quia tota Liturgia Latinæ Ecclesiæ, quæ nunc est in usu, refertur ad Fideles, ut patet ex precibus, oblationibus, tum extra, tum intra Canonem. Respondeo: Existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni Infidelium, seu Hæreticorum: id enim faciunt Viri pii, & docti, quos reprehendere non possumus, nec extat expressa Ecclesiæ prohibitio.*

Ratio hujusmodi sanctionis.

De aliis Græcorum Ritu, orandi in Missa pro Imperatore, Rege, ejusque Palatio, & Exercitu.

§. 24. Nullum quidem verbum in hoc primo Monito fit de commemoratione, seu prece, inter Missarum actionem habenda, pro Imperatore, Rege, universoque ejus Palatio, & Exercitu. Sed quum id plurimum connexionis habeat cum cæteris rebus in eodem primo Monito enunciatis, haud inopportunum existimamus ea, quæ sequuntur, adjicere.

Quid in Congressionibus super Euchologii correctione habitis definitum fuerit.

§. 25. In omnibus Euchologiis, sive impressis, sive manuscriptis, quæ anteriora sunt correctione a Leontio peracta, adscriptæ leguntur preces habendæ pro Imperatore, Rege, ejusque Palatio, & Exercitu. Quum autem in Congregatione super correctione Euchologii habita die prima Maii anno 1746. propositum fuerit Dubium, an hujusmodi preces tolli deberent, rescriptum fuit, Nobis subinde approbantibus, *relinquendas eas esse in Canone seu Liturgia.* Sed quoniam Græci easdem olim preces in Prothesi quoque faciebant, subinde vero eas sustulerant, additum fuit: *Non autem habendas esse in Prothesi, seu præparatione.*

Su-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Superfluum namque visum est hujusmodi preces fieri in Prothesi, dum ipsæ jam fiunt in Canone, seu Liturgia. Atque ad hunc plane modum exacta res est in nova Euchologii editione seu correctione.

Commemoratio Imperatoris, Regumque in Missa, an, & a quo tempore fiat in Latina Ecclesia.

§. 26. De commemoratione Imperatoris, seu Regis, cujus temporali ditioni Regio subiecta est, quatenus in Canone Missæ quibusdam in locis fieri solet, Nos ipsi jam disseruimus in nostro Tractatu *de Sacrificio Missæ sect. 1. num. 221.* Et quidem Cardinalis Bona *Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 11. num. 4.* testatur, in multis Latinis Ecclesiis nomen Regis in Canone commemorari. Præterea Martene *de antiquis Ecclesiæ Ritibus l. 1. cap. 4. art. 8. num. 9.* post allata monumenta ad id opportuna, ita concludit: *Ex constanti Ecclesiæ traditione ab Apostolis accepta, certissimum est, pro Regibus & Principibus inter Sacra Mysteria semper oratum fuisse.* Ubi satis patet, Auctorem ad ea se referre, quæ scripsit Apostolus *in Epistola 1. ad Timoth. cap. 2.*, mandans, orationes, & obsecrationes fieri pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt; necnon ad ea, quæ leguntur *in Constitutionibus, quæ Apostolicæ dicuntur*, in editione Patrum Apostolicorum a Cotelerio adornata *Tom. 1.*, ubi *lib. 8. cap. 12.* hæc habentur: *Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege, & pro iis, qui in sublimitate sunt, & pro cuncto exercitu, ut res nostræ in felicitate versentur;* deinde *seq. cap. 13.* iterum legitur: *Pro regibus, & in sublimi potestate constitutis, oremus, ut res nostræ pacificæ sint.* Videri etiam hac de re potest Georgius *in præcit. Tom. 3. de Liturgia Rom. Pont. lib. 4. cap. 3. num. 24.* Quidquid autem sit de controversia illa, quæ inter Balutium, & Lupum, quo primum Imperatoris nomini subrogatum fuerit nomen Regis in terris dominio Regum subjectis, quam quidem qæstionem fusiori calamo tractat citatus Lupus *in Con. 10. Dictatus. S. Gregorii VII.*; illud satis compertum est, commemorationem Regum fieri in Ecclesia Latina per eas regiones, in quibus hujusmodi consuetudo dudum recepta est, aut Apostolicæ Sedis concessio id permisit; ut advertit Meratus *ad Gavantum cit. Tom. 1. part. 1. pag. 539. num. 6. juxta editionem Romanam.*

Quænam nunc servetur consuetudo.

Apud Orientales nationes universim receptus usus orandi in Missa pro Rege.

§. 27. At apud Orientales nationes communis dici potest hæc disciplina, memoriam faciendi Regis in sacra Liturgia; uti videre licet in Liturgiis Armenorum, Cophtorum, Æthiopum, atque Syrorum. Si quis autem quæreret, qua ratione id tolerari possit, ubi certo constet, Reges illos, pro quibus orant, & quorum commemorationem in Liturgia faciunt, infideles esse; huic Ven. Card. Bellarminus responderet (uti reipsa respondit in superius citato *cap. 6.*) nequaquam vetitam esse *ex natura rei*, ut ajunt Theologi, orare in Missa etiam pro Infidelibus; quandoquidem Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane Divus Thomas *in 4. Sentent. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. ad quartum*, docet, quod quamvis Sanctus Augustinus in libro *de origine Animæ* scripserit, Sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, hæc tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel jam Christi membra sunt, vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdicto Ecclesiæ esse dimetiendam: *Certum est, ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiæ, licere offerre pro hujusmodi hominibus*; de Infidelibus loquitur: Cumque hujusmodi prohibitio extet quoad excommunicatos, adeoque quoad hæreticos, & schismaticos, non vero quoad infideles, qui excommunicatione non ligantur; hoc satis esse ait, ut de his commemoratio fieri possit in Missa, atque etiam pro his Sacrificium offerri; juxta manifestam hac de re traditionem, & Constitutionem Apostolicam: *Sed quæret aliquis, utrum, si Rex infidelis est, ut in Græcia, ubi Turca dominatur, & in India, & in Japonia, apud Sinas, ubi Ethnici regnant, liceat Sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege. Respondeo: Existimo licere, modo Rex ille non sit excommunicatus, ut sunt Reges hæretici: sed Paganus sive Ethnicus. Nam hæc traditio, immo & constitutio, Apostolica est, ut paulo ante ostendimus, Neque extat, quod sciam, ulla Ecclesiæ manifesta prohibitio.* Ad hæc non inutiliter subjiciendus occurrit textus Tertulliani *ad Scapulam cap. 2.* ubi sic legitur: *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius; sed, quomodo præcepit Deus, pura prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, bonoris, aut sanguinis alicujus.*

Solidior Responsio, ex declarata Orantium mente desumpta.

§. 28. Verum, relictis in sua probabilitate hujusmodi assertionibus, nihil illius opus fuit, ad hoc, ut Imperatoris, & Regum commemoratio in Græci Euchologii textu relinqueretur. Innotuit siquidem, Græcos Catholicos interrogatos, num in præfatis commemorationibus habendis, hoc animo essent, ut preces offerrent pro Turcis; quos dominos temporales patiuntur, ex quo suis propriis Principibus orbati fuerunt; respondisse, se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Regibus, & Christianis Principibus orent. Ita testator Goarius *in notis ad Eucbologium pag. 38.*, ubi ait, interrogationis Græcis Catholicis a se propositæ, an preces illas pronunciando, pro Turcis Deum deprecari intenderent, constanter ab iis fuisse responsum: *Solos ut piissimos, & a Deo custoditos Reges Principes nostros Christianos profiteri, & quos dominio exposulant, fide jam & religione rectores dominosque in Ecclesiis prædicare, & pro eis solis impræter-misse, etiam libris editis preces supprimentibus; orare velle.*

Sequentem Encyclicam, quam Missionariis per Orientem destinatis Benedictus XIV. misit, quæque potissimum circa Ritus Syriacorum, & Armenorum, quibus in Sacris peragendis uti debeant, versatur, necessum omnino duximus hic dandam. Longior quidem fortasse videbitur; at cum maxima eruditione referta reperiatur, Lectoribus gratam rem facere visi sumus, si eam minime obtruncatam exhibuerimus.

A Syriacis, & Armenis in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentibus proprium Ritum servari præcipitur Missionariis denegatur facultas dispensandi eosdem Syriacos, & Armenos super abstinentia a Piscibus jejunii tempore: omnes denique Græcos & Orientales Ritus conservandos esse decernitur; monenturque Missionarii, ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus & schismate revocent non a suis approbatis Ritibus avertant. Ex Tomo III. Bull. edit. Rom. pag. 286.

Ad Missionarios per Orientem deputatos.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte filii, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Duplex quæsitum Congregat. Propagand. de Fidei a Missionario propositum

ALlatæ sunt ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Litteræ Sacerdotis cujusdam, Sa-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cis Missionibus exercendis deputati in Civitate Balseræ, quam vulgo *Bassoram* vocant, quæque itinere quindecim dierum a Babylonia distat, & Mercatorum negotiationibus est celeberrima; quibus Litteris exponendum censuit, plures in illa Urbe commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe, aut Syriacos, qui peculiari Templo carentes, ad Latinorum Missionariorum Ecclesiam se conferunt, ubi eorum Sacerdotes Missarum Sacrificia juxta peculiares ipsorum ritus offerunt, aliasque Sacras Cœremonias perficiunt; Laici autem hujusmodi Sacris interfunt, & Sacramenta ab iisdem Sacerdotibus suscipiunt. Inde occasionem arripuit quærendi; utrum prædicti Armeni, & Syriaci, Catholicum suum Ritum observare debeant, an vero, ad tollendam varietatem in ipsa Ecclesia, in quam Latini etiam, uti diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni, & Syriaci, relicto veteri Kalendario, novum amplectantur, in iis, quæ pertinent ad statuenda tempora Paschalis Solemnitatis, & annuæ Communionis, sicuti etiam Quadragesimæ, dierumque Festorum tam mobilium, quam immobilium: atque ulterius progrediendo, quæsivit, quatenus prædictis Balseræ Armenis, & Syriacis novum Kalend. observandum decernatur, utrum aliis quoque Orientalibus præscribi debeat, qui peculiare quidem habent Templum, sed adeo angustum, ut Sacris Functionibus decenter obeundis impar deprehendatur, ideoque ad Ecclesiam Latinorum plerumque se conferunt.

Primum, quemquam Ritum servare debeant Syriaci, & Armeni, in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentes.

§. 2. Insuper idem Missionarius prædictæ Congregationi subdidit, quod quum Catholicis Orientalibus Armenis, & Syriacis præceptum sit, diebus jejunio dicatis, a piscibus abstinere, plures inter ipsos reperiuntur, qui id minime observant, non ullo sane adducti contemptu, sed partim naturæ fragilitate pertracti, partim ex eo, quod Latinis Catholicis aliam esse consuetudinem intuentur: ideo non alienum videri, si facultas Missionariis tribuatur permittendi, non quidem universis, sed speciatim his, aut illis, ut piscibus utantur jejunii tempore, ita tamen, ut nullum inde scandalum oriatur, & aliud pietatis opus, loco abstinentiæ a piscibus, subrogare jubeantur.

Alterum, an Missionariis concedenda sit facultas cum præfatis dispensandi super abstinentia a piscibus tempore jejuniis.

§. 3. Hæc, uti diximus, a prædicto Missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quæ de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi Generalis Inquisitionis. Habita vero hæc fuit coram Nobis die 13. Martii hujus anni 1755., & unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu, responsum fuit: *nihil esse innovandum*. Id quod Nos etiam auctoritate nostra firmavimus, permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide die 31. Januarii anni 1702. edito, quod deinde confirmatum, & renovatum non semel fuit, & est hujusmodi: *Referente R. P. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario, Sacra Congregatio mandavit præcipi, prout præsenti decreto præcipitur; omnibus, & singulis Missionum Apostolicarum Præfectis, & Missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione, aut prætextu, audeat dispensare cum Catholicis quarumcumque Nationum Orientalium, super jejuniis, orationibus, cæremoniis, & similibus, a proprio earumdem Nationum Ritu præscriptis, & a Sancta Sede Apostolica approbatis. Præterea eadem Sacra Congregatio censuit, non licuisse, nec licere præfatis Catholicis, ullatenus a proprii Ritus, a Sancta, Romana Ecclesia ut supra, approbati, consuetudine & observantia recedere. Hujusmodi autem decretum sic confirmatum, ac renovatum, iidem Eminentissimi Patres ab omnibus & singulis prædictis Præfectis, & Missionariis omnino & absque ulla tergiversatione observari debere, mandarunt.* Quod quidem decretum respicit Catholicos Orientalis Ecclesiæ, eorumque Ritus ab Apostolica Sede approbatos: Orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor Ritibus constare, Græco videlicet, Armeno, Syriaco, & Cophtico, qui sane Ritus universi sub uno nomine Ecclesiæ Græcæ, aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiæ Latinæ Romanæ nomine, Ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus, & varii peculiares Ritus Ordinum Regularium comprehenduntur.

Rescriptum utriusque quæsito reddidit, ut nihil innovetur.

§. 4. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo Commentario indigeat. Quare nostra hæc Encyclica Epistola eo tendit, ut hujusmodi Lex omnibus cognita fiat, atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest, quæstiones a Missionario Balseræ propositas, ex ignoratione decretorum, quæ jampridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex aliis multis atque frequentibus indiciis conjicimus, Missionarios Latinos in id curam, & cogitationes intendere, ut in convertendis Orientalibus a Schismate & errore ad Unitatem, Sanctamque Catholicam Religionem, Orientalem Ritum de medio tollant, aut saltem labefactent, Catholicosque Orientales ad Latinum Ritum amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio Religionis amplificandæ, & opus bonum, Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) hac nostra Encyclica Epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia complecti, quæ, juxta hujus Apostolicæ Sedis sententiam, pro norma haberi debent, quoties Orientales ad Catholicam Religionem convertuntur, quæque servanda sunt cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in Locis, ubi aut nulli degunt Latini, aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.

Conscribendæ Encyclicæ finis, ut Missionariis data Congregationum per. specta fiant, iisdemque in Orientalibus reducendis certa tradatur agendi norma.

§. 5. Sane historiam Ecclesiasticam ne quidem primis, ut ajunt, labiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint Romani Pontifices, ut Orientales ad unitatem adducerent, post funestum schisma Photii, qui tempore Summi Pontificis Sancti Nicolai I., Constantinopolitanam Sedem, depulso per vim Sancto Ignatio Patriarcha legitimo, invasit. Sanctus Leo IX. Prædecessor noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut hujusmodi schisma, quod per duo circiter sæcula sopitum, Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum ceciderunt. Urbanus deinde II. Græcos ad Barense Concilium invitavit; sed exiguum fructum consecutus est, tametsi Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiæ Romanæ conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinæ suæ lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod Beatus Gregorius X. coegerat, Michael Palæologus Imperator, & Græci Episcopi, unitatem Romanæ Ecclesiæ amplexi sunt; verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV. Summo Pontifice, ad quod Joannes Palæologus, & Joseph Patriarcha Constantinopolis, cum cæteris Orientalibus Episcopis, convenerant, Unio statuta fuit, & uniuscujusque subscriptionibus acceptata; eodemque in Concilio, Armenorum, & Jacobitarum Ecclesiæ, ad obedientiam Sedis Apostolicæ redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus, Legatos etiam Regis Æthiopum excepit, ac Syros, Chaldæos, & Maronitas ad obedientiam Romanæ Sedis redegit.

Romanorum Pontificum sollicitudo in revocandis ad unitatem Orientalibus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

git. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio Sancti Matthæi *Cap.* 13., semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet, ubi radicem defigat: *Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem: facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizantur:* ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus, tamquam novus Photius, Unionem convellere adnixus est, & adversus ipsam cœpit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit.

In unione curandâ semper id actum, ut, explosis erroribus Orthodoxæ Fidei oppositis, Ritus esset illæsus.

§. 6. Præterea Ecclesiasticæ historiæ ignarum se proderet, qui pariter nesciret, ita cum Orientalibus Unionem peractam, firmatamque fuisse, ut Dogma processionis Spiritus Sancti a Patre & Filio reciperent, atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque*, Symbolo factam; ut panem non minus fermentatum, quam azymum, Sacramenti Eucharistiæ materiam esse faterentur; ut dogma Purgatorii, visionis beatificæ, ac Primatus Romani Pontificis amplecterentur; uno verbo omnem curam collatam fuisse, ut errores Catholicæ Fidei adversi evellerentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili Orientali Ritui detrimentum ullum inferretur. Sed præsentem quoque Ecclesiæ disciplinam prorsus ignoraret, cui satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus præteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad Unitatem Græcis semper cogitarunt, eamdem viam quam paulo ante indicavimus, semper institisse, & adhuc insistere; sicut ex ipsorum cum dictis, tum factis manifeste colligitur.

Præclarum in id assertor S. Leonis IX. &c.

§. 7. Undecimo sæculo nonnullæ Constantinopoli, Alexandriæ, & in Patriarchatu Jerosolymitano reperiebantur Latinorum Ecclesiæ, in quibus Latinus Ritus servabatur, quemadmodum Romæ non deerant Græcorum Templa, in quibus ipsi Græco Ritu sacra munera persolvebant. Michael Cerularius, impius schismatis instaurator, Latinas Ecclesias jussit obserari. Verum Sanctus Leo IX. Romanus Pontifex par pari nequaquam retulit, quamvis id facillime posset, neque Græcorum Templa Romæ clausit, sed aperta esse voluit. Itaque de injuria Latinis illata conquestus *in sua Epistola prima cap.* 9. ita subdit: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, & clementior vobis est? siquidem, cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur, & admonetur eam observare.*

Innocentii III. & Honorii III. rescripta, de Græcis Ritibus retinendis.

§. 8. Initio sæculi decimi tertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, & summus Pontifex Innocentius III. decrevisset Patriarcham Latinum in ea Civitate constituere, cui non solum Latini, sed etiam Græci obtemperarent; nihilominus palam declarare non prætermisit, nullum se velle Græcis ritibus inferre detrimentum, nisi si quæ forte consuetudines inter eos receptæ, periculum animarum parerent, aut honestati Ecclesiasticæ adversarentur. Decretalis hujus Pontificis, in Concilio Lateranensi IV. edita, refertur tum in *Tom. VII.* Collectionis Conciliorum Harduini *pag.* 22., tum *in Cap. Licet, de Baptismo: Licet Græcos diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fovere, ac honorare velimus, mores ac Ritus eorum, quantum cum Domino possumus, subsistendo, in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati.* Honorius postea III., qui Innocentio immediate successit, iisdem verbis usus est, cum literas dedit ad Regem Cypri, qui duos Episcopos in nonnullis Regni sui Civitatibus optabat, Latinum videlicet pro Latinis, qui in illis versabantur, Græcum alterum pro Græcis, qui iisdem in locis commorabantur. Atque hæc Honorii epistola typis impressa legitur in Annalibus Raynaldi *ad annum Christi* 1222. *num.* 5.

Idipsum iterato constituit Innocentius IV.

§. 9. Documentis ejusmodi plurimum redundat sæculum decimum tertium. Ad hoc quippe sæculum pertinet epistola Innocentii IV. ad Danielem Regem Russiæ, apud Raynaldum *ad annum* 1247. *num.* 29., qua ipsius Regis specialem devotionem erga Ecclesiam Catholicam commendans, concedit, ut Ritus, qui Fidei Romanæ Ecclesiæ non repugnarent, in ejusdem Regno serventur, ita scribens: *Eapropter, charissime in in Christo Fili, tuis supplicationibus inclinati, Episcopis, & aliis Presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, & alios eorum Ritus, qui Fidei Catholicæ, quam Ecclesia Romana tenet, non obvient, observare, auctoritate præsentium indulgemus.* Huc etiam spectat ejusdem Innocentii IV. epistola ad Othonem Cardinalem Tusculanum Sanctæ Sedis Legatum in Insula Cypri, cui munus demandaverat nonnullas controversias componendi, quæ Græcos inter, ac Latinos excitatæ fuerant, uti deprehenditur ex ejus Constitutione, quæ incipit: *Sub Catholicæ*, quæque *in veteri Bullario Tom. I.* numero decimo quarto recensetur: *Verum quia nonnulli Græcorum jamdudum ad devotionem Sedis Apostolicæ redeuntes, ei reverenter obediunt, & intendunt, licet, & expedit, ut mores ac Ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientia præservemus. Quamquam in his, quæ animarum periculum parerent, vel honestati Ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.* Postquam vero in eadem epistola præscripsit ea, quæ a Græcis facienda erant, tum ea enumeravit, quæ illis permittenda arbitrabatur; his verbis concludit: *Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi, & ejus suffraganeis Latinis, communiter auctoritate nostra præcipias, ut eosdem Græcos super præmissis, contra hujusmodi provisionem, & deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent.* Idemque Pontifex Innocentius IV. Laurentium Minoritam Pœnitentiarium suum, Apostolicum Legatum constituens, eique plenam auctoritatem tribuens in Græcos omnes, qui in Regno Cypri, in Patriarchatibus Antiocheno, & Hierosolymitano morabantur, in Jacobitas etiam, Maronitas, ac Nestorianos, hoc illi potissimum mandavit, ut Græcos universos auctoritate sua vindicaret ab omnibus molestiis, quæ ipsis a Latinis inferri possent: *Mandamus, quatenus Græcos illarum partium, quocumque nomine censeantur, auctoritate Apostolica protegens, turbari eos violentiis, vel quibuscumque molestiis non permittas, injurias quaslibet & offensas a Latinis illatas eisdem, plenarie faciens emendari, & Latinis ipsis districte præcipiens, ut a similibus de cætero penitus conquiescant.* Hæc sunt Innocentii verba ad prædictum Legatum Apostolicum, quæ a Raynaldo *ad annum Christi* 1247. *num.* 30. recensentur.

Hujusque proximus Successor Alexander IV.

§. 10. Alexander IV. in locum Innocentii Pontificis immediate suffectus, cum irritam cessisse Prædecessoris sui voluntatem animadvertisset, cumque turbas, ac dissensiones Græcos inter ac Latinos Episcopos in Regno Cypri adhuc vigere percepisset, Latinis Episcopis indixit, ut Græcos Ecclesiasticos suas ad Synodos accerserent; eos autem Decretis Synodalibus subjectos declarans, sequentem conditionem adjecit: *Recipere, & observare Synodalia statuta, quæ tamen Græcorum Ritibus Fidei Catholicæ non adversis, & a*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Romana Ecclesia toleratis, non obvient. Hujusmodi laudabili exemplo inhærens Elias Archiepiscopus Nicosiensis *anno* 1340. Decretis suis synodalibus hanc declarationem inseruit: *Per hoc autem non intendimus inhibere Græcis Episcopis, & eorum subditis, quin Ritus suos, Fidei Catholicæ non adversos, sequantur, juxta compositionem a felicis recordationis Domino Alexandro Romano Pontifice in Regno Cypri inter Latinos, & Græcos editam, & observatam*. Hæc omnia perspici possunt in Labbeana Collectione, Venetæ editionis, *tom.* 14. *pag.* 279., *& tom.* 15. *pag.* 775.

Unio Græcorum in Lugdunensi Concilio stipulata sub conditione, nequid Græcus Ritus immutaretur,

§. 11. Finem sæculo decimo tertio imponit memorata Græcorum, Latinorumque Unio statuta in Generali Concilio Lugdunensi sub Beato Gregorio X. Summo Pontifice, qui ad Michaelem Palæologum Fidei Confessionem. Unionisque Decretum a Concilio firmatum, & a Legatis Orientalibus juratum misit, ut ipse quoque Imperator, ac reliqui Græci Episcopi eisdem subscriberent. Peracta fuerunt omnia ab Imperatore, & Orientalibus, adjecta tamen hac conditione, quæ ipsorum litteris continetur, ab Harduino relatis in sua Collectione, *tom.* 8. *pag.* 698. *Sed rogamus Magnitudinem Vestram &c. quod permaneamus in Ritibus nostris, quibus utebamur ante Schisma, qui scilicet Ritus non sunt contrarii contra supradictam Fidem, nec contra Divina præceta*. Quamvis autem responsum Gregorii Pontificis ad has Orientalium litteras interierit, quum tamen ipse Unionem ab iis acceptatam atque subscriptam satis firmam reputaverit, merito inde colligitur, prædictam conditionem ab ipso receptam, probatamque fuisse. Et sane Nicolaus III. Gregorii Successor, per suos Legatos, quos Constantinopolim misit, his verbis animum suum patefecit, uti habetur apud Raynaldum *ad annum Christi* 1278.: *De cæteris autem Græcorum Ritibus, eadem Romana Ecclesia intendit Græcos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi, & ipsos in illis Ritibus, de quibus Sedi Apostolicæ visum fuerit, quod per eos Catholicæ Fidei non lædatur integritas, nec sacris statutis Canonum derogetur, perseverare permittit*.

Similiter rei gesta est in Concilio Florentino, probante Eugenio IV. Pontifice,

§. 12. Quod attinet ad sæculum decimum quintum, sat esse potest indicata superius Unio in Concilio Florentino statuta, cui ab Eugenio Pontifice probatæ, Joannes Palæologus subscripsit hac lege: *ne ex Ritibus nostræ Ecclesiæ aliquid immutetur*; uti videre est *tom.* 9. Collectionis Harduini *pag.* 395. Verum, cum Nobis in animo non sit singula percensere, quæ a Romanis Pontificibus, sequentibus deinde sæculis gesta sunt, præcipua quædam attingemus, ex quibus manifesto deprehendatur, ipsos quidem omni conatu, studioque egisse ut insidentes Orientalium animis errores ab iis evellerent, sed simul etiam manifestis argumentis id ostendisse, sartos tectosque se velle Ritus, quibus eorum majores ante Schisma approbante Sede Apostolica, usi fuerant; nec unquam ab Orientalibus postulasse, ut si Catholici esse vellent, Latinum Ritum amplecterentur.

Subsequentium Pontificum Leonis X. Clementis VII., & Pii IV. cura servandi Græci Ritus.

§. 13. In Græcorum Enchiridio edito Benevenli, duæ Summorum Pontificum Leonis X., & Clementis VII. habentur Constitutiones, quibus vehementer increpantur Latini illi, qui in Græcis reprehendebant observantiam eorum, quæ in Florentino Concilio eisdem permissa fuerant; præsertim quod Sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent, antequam sacris Ordinibus initiarentur, eamque post susceptos Ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam Pueris exhiberent. Pius IV. in Constitutione: *Romanus Pontifex*, quæ numero est 75. *tom.* 2. *veteris Bullarii*, dum Græcos in Latinorum Diœcesibus commorantes, Latinis Episcopis subjectos fore decernit, ita subdit: *Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Græci ab eorum Græcanico Ritu detrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios, impediantur*.

Gregorius XIII. in Collegiis pro Græcis, Maronitis, & Armenis in Urbe erectis, Ritum Orientalem servari voluit.

§. 14. Annales Gregorii XIII. a Patre Maphæio conscripti, & Romæ impressi anno 1742. complura referunt, quæ idem Pontifex gessit, licet exitu parum felici, ut Cophtos, Armenosque ad Catholicam Fidem reduceret. Sed ad rem nostram potissimum faciunt ea, quæ leguntur in ipsius Constitutione 63. *in novo Bullario tom.* 4. *part.* 3., & in duabus aliis, videlicet 157. & 173. *in eodem Bullario tom.* 4. *part.* 4., de fundatione trium Collegiorum in Urbe ab eodem Pontifice institutorum pro Græcis, Maronitis, & Armenis, in quibus Alumnos dictarum Nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis Ritibus Orientalibus perseverarent. Celeberrima fuit Unio Ruthenorum cum Apostolica Sede tempore fel. record. Clementis Papæ VIII. peracta, cujus monumenta relata leguntur in Annalibus Venerabilis Cardinalis Baronii Romanæ editionis anni 1596. *Tom.* VII. ubi *pag.* 682. exhibetur Decretum ab Archiepiscopis, & Episcopis Ruthenis pro ineunda Unione confectum, cum hac conditione: *Salvis tamen, & in integrum observatis cæremoniis, & Ritibus cultus Divini peragendi, & Sanctorum Sacramentorum, juxta consuetudinem Ecclesiæ Orientalis; correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam Unionem impedirent: ut more antiquo fierent omnia, sicut olim Unione durante fuerunt*. Sed cum paulo post ad pacem turbandam rumor pervenisset, sublatos esse in Unione Ritus universos, quibus Rutheni antiquitus usi fuerant in Divina Psalmodia, in Missæ Sacrificio, in Sacramentis administrandis, aliisque Sacris Cæremoniis; Paulus V. Litteris Apostolicis in forma Brevis datis anno 1615., quæ in eodem Græcorum Enchiridio impressæ sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: *Dummodo veritati, & doctrinæ Fidei Catholicæ non adversentur, & communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per Unionem præmissam tollere, aut extinguere, Ecclesiæ Romanæ intentionem, mentem, & voluntatem non fuisse, nec esse; nec id dici vel censeri potuisse, nec posse; quin imo dictos Ritus eisdem Ruthenis Episcopis, & Clero, ex Apostolica benignitate permissos, concessos, & indultos esse*.

Rutheni ad unitatem Catholicam redeuntes eumdem Orientalem Ritum sibi ille sum stipulantur.

Eamdem conditionem semper ratam, firmamque fore dicit Paulus V.

Clariora Summorum Pontificum facta, quibus evincitur, fuisse eos de Orientali Ritu servando vehementer solicitos.

§. 15. Aptissime hic recenseri possent Ecclesiæ, quas diversis temporibus posteriores Romani Pontifices Græcis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quæque etiamnum extant, & patent, ut sacras functiones in ipsis, juxta Ritum suum, singuli expleant. Opportune hic quoque referri posset, quemadmodum Clemens Papa VIII. in sua Constitutione 34. §. 7. *veteris Bullarii*, Græcum Episcopum Romæ constituit, ut Italo-Græcis Latinas Diœceses incolentibus Ordines juxta Græcorum Ritum conferret; deinde vero alium a Clemente XII. proximo Prædecessore nostro, in sua Constitutione incipien. *Pastoralis*, fuisse superadditum Græcum Episcopum, qui fixam in Bisinianensi Diœcesi Sedem habet, ut Italo-Græcis Ordines conferat; ne qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo Græco Romæ degente, juxta allatam Clementis VIII. Constitutionem, suscipiant; ac ne ipsis quidem Episcopis Catholicis Maronitarum, Cophtorum, & Melchitarum, qui aliquando Romæ

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mæ versantur, denegari facultatem conferendi Ordinis juxta Ritum suum, nationis suæ hominibus, dummodo idonei reperiantur. Ad rem pariter hic addi posset, quoties aliqua de disciplina Orientalium, vel Italo-Græcorum excitata est controversia, Apostolicam Sedem nihil prætermisisse, ut si quæ emendatione digna visa sunt, emendaret, edicendo statim, velle se, ut cæteris in rebus omnibus Orientalis Ritus inviolatus, firmusque maneret; aut aperte declarando, quæ pro Italo-Græcis inter nos degentibus, & Latinorum Episcoporum jurisdictioni subjectis statuebantur, ita accipi oportet, ut eos dumtaxat afficiant, neutiquam vero prætendantur ad Græcos Orientales, qui a nobis longe dissiti, Græcis Episcopis suis Catholicis subsunt.

Imo ne possis quidem esse, ut ab aliis quidquam eidem Ritui detrahere-tur.

§. 16. Deprehenditur id ex confirmatione Synodi Provincialis Ruthenorum coactæ in Urbe Zamosciæ anno 1720., ad quam examinandam Nos quoque, quippe qui tunc munere Secretarii Congregationis Concilii fungebamur, acciti fuimus a fel. rec. Benedicto XIII., qui licet obsecundandum putasset insinuationibus Patrum ejusdem Concilii, a quibus nonnulli Ritus inter Græcos vigentes, suis Decretis vel temperati fuerant, vel sublati; prædictam Synodum confirmavit quidem suis Apostolicis Litteris in forma Brevis, datis anno 1724., hac tamen addita declaratione: *Ita tamen, quod per nostram prædictæ Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & Decretis Conciliorum Generalium, emanatis super Ritibus Græcorum, quæ, non obstante hujusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent.* Idem quoque colligitur ex pluribus nostris Constitutionibus, quæ in nostro Bullario continentur, de Ritibus Cophtorum, Melchitarum, Maronitarum, Ruthenorum, & Italo Græcorum generatim, atque etiam speciatim de Ritibus Cleri Collegiatæ Ecclesiæ Messanensis S. Mariæ de *Grafeo* nuncupatæ, ac postremo de Græco Ritu in Ordine Sancti Basilii servando. Siquidem in Constitutione 87. *ejusdem Bullarii Tom. I.* de Græcorum Melchitarum Ritibus hæc leguntur: *De Ritibus igitur, & moribus Ecclesiæ Græcæ illud in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse, aut licere, quovis titulo, & colore, & quacumque auctoritate, aut dignitate, etiamsi Patriarchali, aut Episcopali præfulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram, exactamque eorumdem observantiam imminuat.* In præcedenti vero Constitutione 57. quæ incipit: *Etsi Pastoralis* §. 9. *num.* 1. hæc de Italo-Græcis præscribuntur: *Quoniam Orientalis Ecclesiæ Ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti, vel a Majoribus traditi, sic animis Græcorum, aliorumque insederunt, ut Prædecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint Ritus hujusmodi, qua in parte nec Fidei Catholicæ adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticæ derogant honestati, approbare, seu permittere, quam illos ad Romanarum cæremoniarum normam reducere &c.* Et §. 9. *num.* 24. hæc leguntur: *His insuper quæ superius in quacumque parte Italo Græcis concessimus, indulsimus, declaravimus, præcepimus, ordinavimus, & interdiximus, seu prohibuimus, Græcorum in Oriente, sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium, & aliarum Christianarum Nationum quorumcumque Rituum a S. Sede approbatorum, seu permissorum, juribus qualibuscumque, si quæ illis de jure, vel ex consuetudine vel alias quomodolibet legitime competant, aut Apostolicis Constitutionibus, vel Conciliorum Generalium, aut particularium, seu Congregationum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretis, quæ super Ritibus Græcorum, seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto præjudicatum, vel præjudicium ullum illatum esse, non intendimus.*

Hæreses tamen unitatem proscindentes, summopere aversati, certas formulas Professionis Fidei Græcis, & Orientalibus statuerunt.

§. 17. Verum his, aliisque pluribus prætermissis, libere asseremus, Romanos Pontifices assiduam, atque indefessam curam impendisse, ut hæreses, a quibus Schisma inter Occidentalem, atque Orientalem Ecclesiam dimanavit, profligarent; ac propterea earum detestationem, sive abjurationem expoposcisse ab iis Orientalibus, qui ad Ecclesiæ unitatem redire postulant, aut de quibus explorandum est, utrum vere ad unitatem Apostolicæ Sedis pertineant. Duæ sunt formulæ professionis Fidei, quarum prima Græcis præscripta a Summo Pontifice Gregorio XIII., *tom. 2. veteris Bullarii Romani trigesima tertia* recensetur; alteram vero pro Orientalibus statuit Urbanus VIII. Ambæ Typis Congregationis de Propaganda Fide editæ fuerunt, prima quidem anno 1623.; altera anno 1642. Cum autem deinde anno 1665. Patriarcha Antiochenus, Syriacus Hierapolis, necnon Archiepiscopus Syrorum in eadem Urbe Hierapolis commorantium, suæ Fidei professionem ad Urbem transmisissent, eaque data fuisset examinanda Patri Laurentio de Laurea Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium, tunc temporis Sancti Officii Consultori, & deinde S. R. E. Cardinali; is die 28. Aprilis ejusdem anni suffragium suum scripto exaratum protulit, quod etiam subinde fuit a Congregatione probatum, illudque his verbis concluditur: *Omnes sunt admittendæ, sed significandum est iis, ad quos spectat, ut in posterum curent, emitti Professionem Fidei alias a felicis recordationis Urbano VIII. Orientalibus præscriptam, quia illa continet multarum hæresum detestationem, & alia pro iis regionibus necessaria.*

Curarunt-que eorum Missalia expurgata recudi, Euchologium emendari, servato cæteroquin semper Græco Ritu.

§. 18. Cumque inimicus homo, ut superseminaret zizania, eo nequitiæ nonnullorum animos impulisset, ut Missalibus, Breviariis, ac Ritualibus admiscerent errores, quibus Ecclesiastici, cæterique de Clero inficerentur, opportuno consilio, & post accuratum examen, Romani Pontifices Typis Congregationis de Propaganda Fide, Missale Cophticum, ac Maronitarum, sicut etiam Illyrica, aliaque hujusmodi Missalia recudenda curarunt. Neque silentio præterire possumus, quantum curæ ac laboris collatum fuerit in emendando Græcorum Euchologio, quod e Typographia ejusdem Congregationis superioribus mensibus prodiit absolutum. Hujus Operis examen magno quidem studio sub Urbano VIII. Pontifice cœptum fuit, at post non multum temporis intermissum; instauratum autem novissime sub Clemente XII., proximo Prædecessore nostro: ast Deus Optimus Maximus eo Nos gaudio perfudit, ut post innumeras vigilias, labores, ac discussiones, Pontificatus Nostri tempore, a Cardinalibus, Præsulibus, Theologis, ac Viris Orientalium Linguarum peritissimis peractas, quin Nobis ipsi pepercerimus, investigando nimirum, perlegendo, & expendendo quæcumque inspicienda, legenda, & examinanda erant, gravissimum hujusmodi opus absolutum intueremur; ea semper adhibita accurata, ac quodammodo scrupulosa circumspectione, nequid minimum læderetur Græcus Ritus, sed illibatus omnino retineretur, & integer, quamvis cæteroquin superioribus temporibus inter nostros Theologos non defuerint, qui Orientalium Liturgiarum, Rituumque, qui ante Schisma in Orientali Ecclesia obtinuerant, pe-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

penitus ignari, improbarent quidquid adversabatur Occidentalis Ecclesiæ Ritui, quem tantum modo probe noverant. Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu Græcorum, Schismaticorumque Orientalium ad Catholicam Religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maximæ curæ fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Monothelitarum, aliorumque errores, in quos infeliciter proruerant; salvis tamen, & intactis Ritibus, ac disciplina, quam ante Schisma servabant, & profitebantur, quæque venerandis ipsorum antiquis Liturgiis, ac Ritualibus innititur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad Catholicam Fidem redeuntes, suum Ritum dimittere, & Latinum amplecti deberent: id namque Ecclesiæ Orientalis, & Græcorum, ac Orientalium Rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo nunquam tentatum, imo vero semper fuit, & est ab hujus Sanctæ Sedis consilio quammaxime alienum.

Missionariorum quale sit munus, & quam methodum in eo utiliter obtundo sectari debeant.

§. 19. Ex his, quæ huc usque latiori calamo relata sunt, plura facile inferri possunt. Primum quidem, conatus omnes, omnemque *diligentiam* in id unum impendendam esse ab eo Missionario, qui Orientales Schismaticos, & Græcos, ad unitatem, Deo juvante, redigere contendit, ut scilicet ab illorum animis errores depellat Catholicæ Fidei adversantes, quos Majores eorum amplexi sunt, ut causam aliquam prætenderent, qua se ab Ecclesiæ unitate segregarent, subtraherentque ab obedientia ac obsequio, Romano Pontifici, tanquam ejusdem Ecclesiæ Capiti, exhibendis. Quod vero spectat ad argumenta, quibus Missionarius uti debet; quum Orientales propriis veteribus Patribus magnopere adhæreant, peracta jam res est operosa sedulitate diligentissimi Leonis Allatii, aliorumque clariorum Theologorum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime inter sese veteres, spectabilioresque Græcorum, nostrosque Ecclesiæ Occidentalis Patres, in iis omnibus, quæ ad Dogma pertinent, & ad confutationem errorum, quibus Orientales, & Græci nunc temporis misere implicantur. Quapropter horum Librorum studium maximam indubie afferet utilitatem. Conati sunt sane Lutherani præterito sæculo, Orientales, & Græcos in errores suos pertrahere. Idem quoque tentarunt Calviniſtæ infensissimi hostes præsentiæ realis Christi in Sacramento Eucharistiæ, & transubstantiationis panis, ac vini in ejusdem Corpus, & Sanguinem; & in partes suas Patriarcham Cyrillum, ut ajunt, adduxerunt. Attamen, cum Græci, licet Schismatici, animadvertissent, novis Lutheranorum erroribus adversari suorum veterum Patrum auctoritates, præsertim Sanctorum Cyrilli, Joannis Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Joannis Damasceni, tum authentica argumenta, quæ ex ipsorum Lyturgiis depromuntur, ad realem præsentiam, & transubstantiationem asserendam; se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a Catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Scheletrato in Dissertatione: *De perpetua consensione Orientalis Ecclesiæ contra Lutheranos*: sub titulo: *De transubstantiatione*, *pag. 717. tom. 2. Actorum Ecclesiæ Orientalis*. Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum, seu edita sub ejus nomine Calviniana dogmata, unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum *part. 5.* ad Concilia Generalia, & Provincialia; ac potissimum in Dissertatione: *De quibusdam locis cap. 9. in fine*. Ex quo primum haud levis spes affulget, fore, ut ipsorum oculis subjectæ auctoritates veterum Patrum, quæ novis eorumdem erroribus adversantur, Catholico autem nostro Dogmati favent quammaxime, facilem iisdem viam ad reditum sternant, eosque ad veram conversionem impellant. Deinde alterum quoque potest inferri, nimirum, non modo opus non esse, ad Orientales, & Græcos in viam unitatis revocandos, ut lædantur ipsorum Ritus, aut corrumpantur; quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Apostolicæ, quæ in hac ipsa Sacrorum Rituum materia, zizania a tritico, quoties oportuit, secernere novit: verum etiam conatus hujusmodi plurimum optatissimæ unioni adversari, uti recte perpendit Thomas a Jesu: *De conversione omnium gentium procuranda lib. 7. cap. 2. Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare, ac indulgere, ut quævis Ecclesia propriis adhæreat Ritibus, & Cæremoniis; quippe cum Schismatici propriorum Rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet, & avertat, opportune laborandum, ut se in propriis Cæremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur*. Demum ex iis, quæ supra præjecimus, illud tertio infertur, cavendum omnino esse Missionario, qui Orientalem schismaticum reducere cupit, ne eumdem ad Latinum amplectendum Ritum inducere contendat: munus namque hoc unum Missionario demandatur, revocandi Orientalem ad Catholicam Fidem, non vero ipsum ad Latinum Ritum inducendi.

Latini non licet ad Græcum Ritum transire, neque Græcis Latinum Ritum semel amplexis, ad illum reverti, nisi Apostolica intercedat dispensatio.

§. 20. Peracta in Florentino Concilio Unione, quam superius memoravimus, quidam ex Latinis Catholicis in Græcia commorantes, arbitrati sunt, fas sibi esse a Latino Ritu ad Græcum transire, allecti fortasse ea libertate, quam noverant Græcis præservatam, retinendi post Ordinem Sacrum uxores, quas duxerant antequam eumdem Sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V. Pontifex Maximus opportunum huic corruptelæ remedium afferre non prætermisit, uti colligitur ex ejus Constitut. *tom. 3. part. 3. Bullarii* recenter Romæ editi *pag. 64. Pervenit ad aures nostras, quod in Locis, quæ Catholicis in Græcia subjecta sunt, multi Catholici, Unionis prætextu, ad Græcos impudenter transeunt Ritus. Mirati admodum sumus, mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine, ac Ritibus, in quibus nati, enutritique sunt, in alienigenarum Ritus transposuit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiæ Ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritus permiscere, neque id unquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit*. Cum Latinus Ritus is sit, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, quæ Mater est & Magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus Ritibus præferri debet: Ex quo porro sequitur, haud licere a Latino Ritu ad Græcum transire; nec illis, qui semel a Ritu Græco, vel Orientali, ad Latinum transierunt, integrum esse ad pristinum Græcum Ritum reverti, quemadmodum patet ex nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis 57. §. 2. num. 13. Bullari nostri tom. 1.*, nisi forte peculiares quædam intercederent circumstantiæ, quæ impertiendam hac super re dispensationem suaderent; sicuti superioribus temporibus aliquando, & nunc etiam accidit in Collegio Maronitarum hujus nostræ Urbis, in quo, cum quandoque reperiatur aliquis Societatis Jesu Sacerdos, qui Societatem ingrediens, dispensationem obtinuit transeundi ad Latinum Ritum, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in Ecclesia memorati Collegii Missam celebret Ritu Syriaco, & Chaldaico, Divinumque Officium juxta eumdem Ritum persolvat, nempe, ut Alumnos

in

in eodem Collegio degentes Ritum ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus Decretis Congregationis Sancti Officii, uno videlicet dato die 30. Decembris anno 1716., altero die 14. Decembris an. 1740., nec non ex alio recentiori, quod Nos die 19. Augusti anno 1752. jussimus expediri.

Græcis idem interdictus ad Latinum Ritum transitus sed non aque; ii autem vetuit a Missionariis, sed ab Apostolica Sede probatur.

§. 21. Hæc transitum de Latino ad Græcum Ritum spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab Orientali, & Græco ad Latinum Ritum, libere affirmari potest, transitum hujusmodi, non æque, ac primum, interdici; sed tamen nequaquam licere Missionario, Græcum & Orientalem, ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem reverti exoptantem, inducere, ut proprium Ritum dimittat, cum ex hac agendi methodo, gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitæ Catholici libenter olim a Græco Ritu ad Latinum transibant; sed vetitum id ipsis fuit, monitique Missionarii, ne illis suaderent hujusmodi transitum; cujus permissio est privativo Apostolicæ Sedis judicio reservata, uti manifestum fit ex nostra Constitutione *Demandatam* 85. §. 35., *Bullarii tom.* 1: *Præterea omnibus, & singulis Melchitis Catholicis Græcum Ritum servantibus, ad Latinum Ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub pœnis etiam infra exprimendis, aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis hujusmodi transitum a Græco ad Latinum Ritum suadere, præsumant, aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede, permittant.* Consentanea sunt Decreta Urbani VIII. Prædecessoris nostri quoad Ritum Greco-Ruthenum, edita in Congregatione Propagandæ Fidei coram ipso habita die 7. Februarii, ac die 7. Julii anno 1624. Quamvis autem æquum videri posset liberam Italo-Græcis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Greco Ritu ad Latinum, cum ipsi inter nos versentur, & Latino Episcopo subjiciantur; tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicæ auctoritas ad id omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus agatur: Si vero Laici, & Sæculares transitum hujusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob justas, ac legitimas causas, certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest. nunquam vero integræ Universitati: In hac enim facti specie Apostolicæ Sedis auctoritate opus est, uti videre est in sæpe memorata nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis* 17. §. 2. *num.* 14. *Bullarii nostri tom.* 1.

Et quid de Italis Græcis.

Objectio ex ea desumpta, quod aliqui Latinorum Ritus Orientalibus permittantur.

§. 22. Quod si defendi vellet, Orientales, & Græcos hæresim abjurantes, & ad Unitatem redeuntes, allici jure posse, ac urgeri ad Ritus suos deserendos, Ritumque Latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit, atque nunc etiam probetur, Orientales, & Græcos Latinum aliquem Ritum sectari; opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem & Græci duas veluti Classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam contenti *iis* rebus, quæ ab Apostolica Sede ipsis ad Unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, jactantes, quæcumque a se fiunt, ea jure optimo fieri, Latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit Azymum: Græci, & Orientales, ut Catholici sint, fateri debent, tam azymum, quam fermentatum panem, materiam esse aptam Sacramenti Eucharistiæ, & quemlibet Ecclesiæ suæ Ritum sectari oportere; adeo ut quicumque improbat Ecclesiæ Latinæ Ritum, quæ in Eucharistiæ consecratione utitur azymo, a veritate recedat, & in errorem prolabatur. Hilarion Monachus in Dialectica sua Oratione, quam Leo Allatius e Græco sermone Latinam reddidit *tom.* 1. *Græciæ Orthodoxæ*: edito Typis Congregationis de Propaganda Fide 1652. *pag.* 762. hæc advertit: *Et hæc scripsi vobis, Græci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans æque ac nostra azyma revereor, incusans, sed exponens, neque probe, neque ut Christianum addecet, vos gerere, dum Latinorum azyma dicto factoque læditis, injuriaque afficitis; in utrisque ut dictum est enim, verus Christus continetur.* Exemplum est itidem ex libertate, Orientali & Græce Ecclesiæ relicta, ut qui in ea Sacris Ordinibus, atque etiam Sacerdotio sunt insigniti, uxores, quas ante Sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, uti patet *ex Can. Aliter, dist.* 31. *& cap. Cum olim de Clericis Conjugatis.* Romani siquidem Pontifices perpendentes id nequaquam adversari Divino, aut naturali *juri*, sed tantum Ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter Græcos, & Orientales vigentem ferre, ne, Auctoritate Apostolica ad eam evellendam interposita, illis occasio ab unitate recedendi præberetur; quod recte expendit Arcudius *in sua Concordia lib.* 7. *cap.* 33. Attamen, quis crederet? non defuerunt, neque desunt ex Græcis, & Orientalibus, qui Latinam Ecclesiam injuria arguunt, tamquam Matrimonio infensam, propterea quod exemplum Apostolorum sequuta, in suis Subdiaconis, Diaconis, ac Presbyteris cœlibatum servaverit, ac servet. Legi potest Hincmarus Rhemensis *tom.* 2. *suorum Operum epist.* 51. Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex Cophtis, quorum Ritus præscribit, ut post Baptismi Sacramentum illico adjungantur Confirmatio; qui mos non obtinet in Occidentali Ecclesia, quæ plerumque talem in confirmandis ætatem exposcit, ut quid bonum, quidve malum sit, possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri Cophtorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) extant ex ipsis nonnulli, qui Baptismum a Latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post Baptisma, Confirmationis etiam Sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra Constitutione 129., quæ incipit: *Eo quamvis tempore, Bullarii nostri tom.* 1. merito a nobis arguuntur, atque damnantur: *Sicuti lenitati, & patientiæ Sedis Apostolicæ consonum videri potest, quod Cophti in suo jamdiu recepto, & ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino, & seorsim a Confirmatione collatum, acerbo, alienoque animo perhorrescant.*

Duplex statuitur Græcorum, & Orientalium Classis. Nonnulli suis Ritibus ita adhærent, ut Latinos damnent, atque improbent. Exemplis rei illustratur.

Altera Classis eorum, qui cum propriis Latinum aliquem Ritum conjungunt. Afferuntur exempla.

§. 23. Alteram Classem constituunt Orientales illi, & Græci, qui retinentes majori ex parte Ritus suos, & inimul Occidentalium, ac Latinorum Ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta, & approbata, atque insuper ab Apostolica Sede expresse, vel tacite confirmata. In hanc Classem referri possunt Armeni, ac Maronitæ, qui fermentatum deseruerunt, & Eucharistiam, sicuti Latini, in Azymo conficiunt, uti testatur Abrahamus Echellensis *in suo Eutychio vindicato pag.* 477.; quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt Sancto Gregorio Illuminatori, primo Armeniæ Episcopo, qui initio sæculi quarti, sub Tiridate Rege, martyrii coronam est consecutus: alii vero Sancto Silvestro Pontifici, aut Sancto Gregorio Magno eamdem referunt acceptam, in Conventionibus cum Armenorum natione initis, quæ indicantur a Summo Pontifice Gregorio IX. in suis Epistolis ad Regem Armeniæ, relatis a Raynaldo *ad annum Christi* 1139. *num.*

num. 82. Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana Armenis traditam, testatur eorumdem Armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius, in Epistola ad Haytonem patrem Leonis Regis Armeniæ Cœnobitam, *apud Clementem Galanum, in Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana Tomo I. pag.* 449., sic scribens: *Quocirca nos a S. Romana Ecclesia, aquæ commixtionem* (cum vino in Calice) *modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus Azymum, Mitram Episcopalem, & modum signandi Crucem.* Vetustissima pariter, & immemorabilis est apud Maronitas azymi consuetudo, uti constat ex Morini *Præfatione ad Maronitarum Ordinationes; & ex Bibliotheca Orientali Assemani senioris tom.* 1. *pag.* 410.; atque ex Synodo Nationali in Monte Libano congregata anno 1736., & a Nobis in nostra Constitutione *Singularis* 31. *Bullarii nostri tom.* 1. confirmata, in cujus *cap.* 12. *de Sacramento Eucharistiæ*, cum de azymo agitur, hæc leguntur: *Qui mos, & in Ecclesia nostra, & apud Armenos quoque in Oriente, ab immemorabili tempore obtinuit, & authentica etiam hujus rei documenta proferre possumus.* Hoc Armenorum, & Maronitarum exemplo, Bessarion Cardinalis, cui primum Abbatia Cryptæ Ferratæ sita in Diœcesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut Græci Monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra Constitutione 33. *Inter multa*: §. *Ut autem: Bullarii nostri tom.* 2. Idem semper servatur in Ecclesia Collegiata S. Mariæ *de Grafeo* nuncupata, sita in Messanensi Diœcesi, licet ipsius Clerus Ritum Græcum retineat, uti videri potest in nostra Constitutione 81., quæ incipit: *Romana Ecclesia*, §. 1. *Bullarii nostri tom.* 1., quamvis, generatim loquendo, Presbyteri Italo-Græci servent in Italia, Insulisque adjacentibus suam disciplinam, ac Ritum conficiendi in fermentato Eucharistiam; moneanturque impensius Sacerdotes Latini, vel Græci Ritus, ne Eucharistiam consecrare, ac distribuere juxta proprium cujusque Ritum prætermittant, uti declaratur in nostra Constitutione, quæ incipit: *Etsi Pastoralis*; 57. §. 1. *num.* 2., *ac* §. 6. *num.* 10. *& seq. Bullarii nostri tom.* 1.

Ritus ministrandi Eucharistiam infantibus, illico post Baptismum, quando obtinuerit, & quare obsolevit.

§. 24. Quibusdam Ecclesiæ sæculis is usus obtinuit, ut post Baptismi Sacramentum Eucharistia pueris traderetur, haud quidem ex ea persuasione, quod esset ad æternam puerorum salutem necessaria, sed ex mero ritu, & consuetudine tunc temporis vigente, quemadmodum sapienter animadverterunt Tridentini Concilii Patres, *Sess.* 21. *cap.* 4. Inter errores Armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII. damnatos, quinquagesimus octavus apud Raynaldum *ad annum Christi* 1341. §. 66., recensetur ille, quo asserebant, ad æternam puerorum salutem, & Baptismi iis collati validitatem, præter Confirmationis sacramentum, Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia, quadringentis, & amplius ab hinc annis, Eucharistia pueris post Baptismum non administratur. Verum negari nequit, in Libris Ritualibus Orientalium, commemorari Ritum Communionis post Baptismum pueris administrandæ. Assemanus junior *lib.* 2. *Codicis Lyturgici pag.* 149. refert ordinem ministrandi Baptismi apud Melchitas; *pag.* quoque 309. ordinem exscribit Baptismi Syrorum, editum a Philoxeno Mabugensi Episcopo Monophysita; *pag.* 306. alium affert desumptum a veteri Rituali Severi Patriarchæ Antiocheni Monophysitarum Antesignani: *& lib.* 3. *ejusdem Codicis pag.* 95. *& pag.* 130. binos alios ordines commemorat, servatos inter Armenos, & Cophtos in ministrando Baptismo; quibus omnibus præcipitur, ut pueris post Baptismum Eucharistia ministretur. Hujusmodi consuetudinem apud nonnullos Græcos ad sua usque tempora obtinuisse ait S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art. ad tertium*. Arcudius vero *lib.* 3. *de Sacramento Eucharistiæ cap.* 11. hanc esse Græcorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda, quæ in præbenda pueris post Baptismum Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum, habitæ in Monte Libano die 18. Septembris anno 1596., cui præfuit Pater Hieronymus Dandinus Societatis Jesu, Nuncius Summi Pontificis Clementis VIII., hæc verba leguntur *can.* 7.: *Quoniam parvulis sine indecentia maxima, venerabilisque Sacramenti injuria, vix potest Sacra Christi Communio dari, caveant in posterum Sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiunt Patres Concilii Zamosciæ habita anno 1720. §. 3. *de Eucharistia*. Idemque firmatum legitur in Actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit an. 1736., *cap.* 12. *de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento n.* 13., cujus hæc sunt verba: *In antiquis quidem nostris Ritualibus, sicut & in Ordine vetere Romano, & in Euchologiis Græcis, Baptismatis Ministro diserte præcipitur, ut infantes mox a Baptismate, Chrismate delibutos, pascat Eucharistiæ Sacramento; nihilominus tum ob debitam huic Augustissimo Sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem necessarium, præcipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie Sanguinis, porrigatur.* Quod ipsum statutum fuit in Constitutione pro Italo-Græcis, incipiente: *Etsi Pastoralis*: 57. §. 2. *num.* 7. *Bullarii nostri tom.* 1.

Vetustior recentiorque traditur Ecclesiæ Græcæ disciplina, quoad Communionem sub utraque specie.

§. 25. De usu administrandæ Eucharistiæ sub utraque specie etiam Laicis, quoad Orientalem, & Græcam disciplinam, fuse disserunt Arcudius *in Concordia Occidentali, & Orientali in Sacramentorum administratione lib.* 3. *cap.* 4., & Leo Allatius *in prima adnotatione de Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis consensione p.* 1614. *& seq.* In Græcorum Collegio, quod Romæ, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII., ea indicta lege, ut Græcus in eo Ritus servetur, quemadmodum præfatus Leo Allatius testatur *in suo Tractatu de ætate, & Interstitiis pag.* 21., juxta ipsius Collegii Constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII. confirmatas, debent Alumni quolibet octiduo animi sordes Pœnitentiæ Sacramento eluere, & Sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die, necnon festis diebus solemnibus, & singulis Adventus, & Quadragesimæ Dominicis, Latino Ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini, jubentur, Eucharistiam sub utraque specie Ritu Græco suscipere, hoc est in fermentato, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam: Idemque Ritus servatur cum reliquis Græcis omnibus, qui prædictis diebus ad solemne Missæ Sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus in Ecclesia Græci Collegii sibi Eucharistiam Ritu Græco administrari deposcent. Verum Italo-Græcis in memorata Constitutione: *Etsi Pastoralis*: 57. §. 6. *n.* 15. Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus Ritus hujusmodi Communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem Ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina, seu ritu sumendæ Eucharistiæ sub utraque specie, licet in universa Orientali Ecclesia recepto,

non.

nonnulli Græci, & Orientales paulatim receſſerunt. Lucas Holſtenius, vir ſane clari nominis, in Epiſtola ad Bertoldum Nimiſium, quæ typis impreſſa affertur in Opuſculis Græcis, ac Latinis Leonis Allatii *pag.* 436. refert, ſe præbuiſſe Euchariſtiam in Vaticana Baſilica Presbytero Abyſſino, qui cum aliis communicaturus, ad ſacram Menſam acceſſerat; cumque eum ſub unica ſpecie panis Euchariſtiæ participem feciſſet, ab ipſo deinde, atque etiam ab aliis Æthiopicæ Eccleſiæ hominibus, ſciſcitatum fuiſſe, an, juxta Patriæ ſuæ Ritum, Euchariſtiam ſub unica ſpecie panis ſumere conſueviſſent, tam in ſolemni Lyturgia, quam in quotidiana Euchariſtiæ participatione, necnon cum ad eos extremo morbo labarontes eadem in Viaticum afferebatur; teſtaturque, fuiſſe ſibi ab ipſis reſponſum. Sacram Synaxim ſub unica ſpecie panis ſibi ſemper adminiſtrari, hancque eſſe veterem diſciplinam in Æthiopica Eccleſia obtinentem. Inter quæſita Summo Pontifici Gregorio XIII. propoſita a Patriarcha Maronitarum, ſequens recenſetur: *Nos Miſſam celebramus in ſolo azymo: Laici vero noſtri ſub utraque ſpecie communicant*; cui Pontifex his verbis reſpondit: *Si volunt in azymo conſecrare, non videntur prohibendi: Laici vero a Comunione ſub utraque ſpecie pedetentim arcendi ſunt; totus enim Chriſtus ſub una ſpecie continetur, & in uſu Calicis magnum eſt periculum effuſionis*: uti legere eſt in laudato Opere Thomæ a Jeſu, *de Converſione omnium gentium pag.* 486. *& ſeq.* Patres etiam Concilii Libanenſis habiti anno 1736. *part.* 2. *cap.* 12. *n.* 21. hujuſmodi conſilio inhærentes, ita ſtatuerunt: *Deinde ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutis inhærentes, præcipimus, & ſtricte mandamus, ne cui Laico, vel Clerico in minoribus Ordinibus conſtituto, Communio ſub utraque ſpecie tradatur, ſed ſub una tantum, panis nimirum*: Solis Diaconis permittentes, ut in ſolemni Miſſa Euchariſtiam ſub utraque ſpecie a Sacerdote accipiant, hoc eſt ſub ſpecie panis primum, deinde ſub ſpecie vini, ſemoto tamen, quem ſuperius commemoravimus, cochlearis uſu: *At vero Diaconis, ut Hoſtiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus, in ſolemni præſertim Miſſa, accipere poſſint & valeant, concedimus & permittimus, modo abſit cochlearis uſus, quem omnino abrogandum eſſe ſtatuimus.*

Ritusque effundendi aquam tepidam in calicem poſt conſecrationem, & ante conſummationem.

§. 26. Poſtremo, ab Euchariſtiæ Sacramento minime recedentes; hic verba faciemus de alio Orientali, & Græco Ritu, quo nimirum Sacerdos poſt conſecrationem, & ante conſummationem, paululum aquæ tepidæ in calicem fundit; Matthæus Blaſtares *in Syntagmate Alphabetico cap.* 8. *tom.* 2. *Synodicon Græcorum pag.* 153. hujuſmodi Ritum commemorat, ejuſque ſignificationem affert. Eutymius Tyri ac Sidonis Archiepiſcopus anno 1716. Summo Pontifici Clementi XI. nonnulla quæſita propoſuit, quorum alterum erat, utrum Melchitis Syriæ, ac Paleſtinæ interdicere deberet, aquam tepidam Divino Sanguini poſt Conſecrationem affundere; cui redditum fuit reſponſum, adjecta accurata, & luculenta inſtructione ab eodem Pontifice approbata, ejuſque juſſu traſmiſſa ad Superiores Miſſionum Terræ Sanctæ, Damaſci, Tyri, ac Sidonis; injunctumque prædicto Archiepiſcopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri Ritu ageretur, Sedi Apoſtolicæ perſpecto, & Græcis Sacerdotibus etiam Romæ permiſſo; per quem innuitur Fidei ardor, qui maximus erga tantum Myſterium debet conflagrare. Simile reſponſum die 31. Martii anno 1729. juſſu Benedicti Papæ XIII. datum fuit Cyrillo Græcorum Patriarchæ Antiocheno. Idem Ritus Italo Græcis permittitur in citata Conſtitutione 57. *Etſi Paſtoralis*, §. 6. *n.* 2. *Bull. noſtri tom.* 1. Cumque ſubinde in Congregationibus, quæ pro correctione Librorum Eccleſiaſticorum Eccleſiæ Orientalis habitæ fuerunt, ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque diſputatum fuiſſet, utrum interdicendus eſſet Ritus infundendi in calicem aquam tepidam poſt Conſecrationem, cum potiſſimum Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ ſuperioribus temporibus plurimum adverſus eumdem Ritum declamaſſet, reſponſum fuit die 1. Maii anno 1646., *nihil eſſe innovandum*, quod reſcriptum a Nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a prædicto Cardinali allatis nil ponderis ineſſe compertum fuit. Attamen Patres Concilii coacti in urbe Zamoſciæ anno 1720., graves ob cauſas, inhibuerunt Ruthenis Sacerdotibus, ne aquam tepidam poſt Conſecrationem in calicem funderent, uti legi poteſt §. 4. de celebratione Miſſarum: *Inhibet, gravem ob cauſam, & abrogat toleratam in Orientali Eccleſia conſuetudinem, ad conſecratas calicis ſpecies aquam tepidam affundendi, poſt Conſecrationem, ante Communionem.*

Allata huc uſque exempla, ad propoſitam ſuperius objectionem probandam, inepta demoſtrantur.

§. 27. His ſane, & alii hujuſmodi exemplis, quæ facile cumulari poſſent, inniti valent, qui erga tranſitum a Ritu Orientali & Græcos, ad Occidentalem, & Latinum ſunt propenſiores, vel certe quidem putant ſe jure optimo agere, dum Schiſmaticum Orientalem ad Eccleſiæ unitatem convertentes, ſatagunt eumdem abducere ab aliquo Ritu, quem ſervare conſueverat, priuſquam nobis conſentiret, quique a reliquis omnibus Orientalibus & Græcis, ex veteri diſciplina, firmiter retinetur & obſervatur. Verum, neque ſuperius allata exempla, nec cætera, quæ in medium proferri poſſent, quidquam illorum opinioni ſuffragantur; tum quia in tranſitu a Ritu Orientali & Græco, ad Occidentalem & Latinum, tollitur omnino quidquid ab ipſo Græco Ritu præſcribitur, & noſtro Ritui non conformatur; quod non contingit in his exemplis, quæ paulo ſuperius allata ſunt, quibus nempe, ſi aliqua peculiaris ſolemnitas Græci Ritus tollitur, Ritus tamen ipſe, ac reliqua omnia eodem Ritu præſcripta intacta ſervantur; tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo Ritu, ſalvis reliquis ejuſdem Ritus partibus, non eſt privati viri, ſed auctoritas publica intercedat neceſſe eſt, videlicet Supremi Capitis univerſalis Eccleſiæ, qualis plane eſt Romanus Pontifex. Sed namque Apoſtolica ea eſt, quæ præcipuo quodam jure, quo ties ipſi conſentaneum viſum fuit, ab Orientali Eccleſia Ritum aliquem deſumſit, & in Occidentalem traduxit; aut permiſit, Ritum aliquem Græcum in aliqua Latina Eccleſia uſurpari. Eademque Apoſtolica Sedes, quoties deprehendit, periculoſum vel indecorum aliquem Ritum in Orientalem Eccleſiam irrepſiſſe, illum damnavit, improbavit, ejuſque uſum ipſi prohibuit. Ipſa denique Apoſtolica Sedes, poſtquam vidit Orientalem, vel Græcam aliquam gentem in aliquo Latino Ritu uſurpando, ac defendendo, vehementer obſirmatam, ac potiſſimum, quando Ritus ipſe ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus, atque expreſſe, vel tacite ab Epiſcopis probatus, Ritum ipſum tolerando, & ſic approbando, firmavit.

Triplex præcipuum Sedis Apoſtolicæ munus, admittendi Græcos Ritus in Latinam Eccleſiam interdicendi noxios in Græca, & eidem permittendi innoxios.

Exempla Græcorum Rituum, quos Sedes Apoſtolica a Græca in univerſam Eccleſiam tranſtulit, vel in aliqua Eccleſia Latina uſurpari permiſit.

§. 28. In Latina, & Græca Lyturgia recitatur Symbolum, ejuſque recitatio in Miſſæ Sacrificio in Eccleſia Orientali primum inſtituta, deinde in Occidentalem traducta eſt, uti colligitur ex tertio Toletano Concilio habito anno 589. *can.* 2. *tom.* 5. Collectionis Labbeanæ *pag.* 1069. cujus hæc ſunt verba: *Ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ vel Galliæciæ, ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani,*

ni, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut, priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur. Quare, cum Patres Toletani Concilii, disciplinam statuentes recitandi Symbolum in Sacrificio Missæ, se ad Ritum Orientalium Ecclesiarum retulerint; id satis est ad agnoscendum, hujusmodi disciplinam in Oriente primo institutam, inde in Occidentem promanasse; sicut advertunt Cardinalis Bona *Rerum Lyturgic. lib. 2. cap. 8. n. 2.*, & Georgius *de Liturgia Romani Pontificis tom. 2. cap. 20. num. 2. pag. 176.* Sed rem propositam persequendo, Amalarius *in lib. de Divinis Officiis cap. 14.*, postquam, innixus auctoritati Sancti Paulini in Epistola *ad Severum*, retulit, sola Feria sexta majoris Hebdomadæ in Ecclesia Hierosolymitana exponi consueviſse populo adorandam Crucem ipsam, in qua Christus pependit, huic Græcæ consuetudini tribuit Ritum adorationis Sanctæ Crucis, quæ in Officio prædictæ Feriæ sextæ in unaquaque Latina Ecclesia ad hanc usque diem peragitur. Trisagium *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis*, pia est, & frequentissima Oratio in Græcorum Lyturgia; uti recte advertit Goarius in notis ad Euchologium *in Missam Sancti Joannis Chrysostomi pag. 109.* Ejus Orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio sæculo quinto contigit in Regia Urbe Constantinopolitana; cum enim Theodosius Imperator, Patriarcha Proclus, & universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminenti liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terræ motibus impendebat, puer repente in Cœlum rapi visus est, qui deinde in terram demissus, retulit se audiviſse Angelos prædictum Trisagium canentes; quare, cum jussu Procli Patriarchæ, universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus, conquievit, uti narrat Nicephorus *lib. 14. cap. 46.*, rectèque prosequitur Summus Pontifex Felix III. in Epistola tertia ad Petrum Fullonem, quæ habetur *tom. 4.* Labbeanæ Collectionis. Idem vero Trisagium in Ecclesia Occidentali Feria Sexta majoris Hebdomadæ Græce, & Latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis Bona *Rerum Lyturgicar. lib. 2. cap. 10. n. 5.* Aquæ benedictio in pervigilio Epiphaniæ ex Ritu est Græcæ Ecclesiæ proprio, uti fuse ostendit Goarius in Euchologio, sive Rituali Græcorum, & nunc etiam prædicta die Romæ in Græcorum Ecclesia peragitur hæc functio, de qua in allata superius Constitutione nostra 57. §. 5. *num.* 13. mentio habetur, simulque permittitur, ut Fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu Ritu hujusmodi ab Orientali in aliquas Occidentales Ecclesias videri possunt, quæ congessit eruditus Martene *tom. 4. de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 4. n. 2.*, & quæ asseruntur in Dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno 1719., cui titulus est: *De ritu Ecclesiæ Neritinæ exorcizandi aquam in Epiphania*, ubi propterea *part. 3. pag. 177. & seq.* opportune monet Episcopos, in quorum Diœceses longo adhinc tempore nonnulli Ritus ab Ecclesia Græca manantes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbæ excitentur, & ne videantur improbare rationem agendi Sedis Apostolicæ, quæ ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem tamen servari & frequentari permisit; affertque *pag. 203.* Epistolam Cardinalis Sanctorii, Sanctæ Severinæ nuncupati, scriptam anno 1580. ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento, & de aquæ benedictione in Epiphania, quæ in illa Diœcesi peragitur. Græcus pariter est ritus spoliandi, ac lavandi Altare Feria quinta in Cœna Domini. Hujusce Ritus monumentum aliquod reperire est sæculo quinto; de eo namque meminit in suo Typico, sive Ordine recitandi Officium Ecclesiasticum per totum annum, S. Sabas, qui, teste Leone Allatio *de Libris Ecclesiæ Græcæ diss. 1. pag. 9.*, obiit anno 451. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum, Sancti Gelasii Pontificis jussu compositum fuisse, Ritus lavandi Altaria Feria quinta in Cœna Domini, prædictæ Græcorum consuetudini fuisset quasi coævus in Latina Ecclesia, cum Sanctus Gelasius Pontifex obierit *anno* 496. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus, tantæ antiquitatis merito præstet, & cum, eo sepositio, Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc Ritu verba fecerit; idemque S. Isidorus *anno 636.* sit vita functus; satis id est, ut ab Oriente in Occidentem fluxisse asseratur Ritus prædictus, qui in hunc usque diem in nonnullis Latinis Ecclesiis retinetur, probantibus Romanis Pontificibus; ac potissimum in Vaticana Basilica, magna cum Solemnitate, Feria quinta in Cœna Domini quotannis peragitur. Suarelius Episcopus Vasionensis, & Vicarius ejusdem Basilicæ, & Joannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui in minoribus inter Beneficiatos ejusdem Basilicæ recensebatur, duas elucubratissimas Dissertationes ediderunt, quibus prædictum Ritum illustrarunt. Quæ cum ita sint, exemplis, & factis aperte evincitur, id quod paulo ante diximus, Sedem videlicet Apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Græcam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam Ritus, qui ab Ecclesia Græca manarunt, in nonnullis Latinis Ecclesiis observarentur.

Exempla Rituum, quos justis de causis a Græca Ecclesia proscripsit Apostolica Sedes.

§. 29. Jam paulo superius de Trisagio sermonem fecimus, deque amirabili modo, quo cantus ejusdem in Sacras Lyturgias Ecclesiæ Græcæ inductus fuit: Cum tamen Petrus Fullo, cognomento Gnaphæus, fautor hæresis Appollinaristarum, qui Theopaschitæ appellantur, ausus fuisset Trisagio hæc verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis*: sicuti fuse commemorat Theodorus Lector *l. 1. Collectaneor.*; & cum nonnullæ Orientis Ecclesiæ, ac potissimum Syrorum, & Armenorum, opera cujusdam Jacobi Syri, teste Nicephoro *l. 18. cap. 52.* additamentum hujusmodi recepissent; haud prætermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura & sollicitudine, inolescenti errori se opponere, factamque Trisagio additionem interdicere; rejicientes interpretationem, qua, Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non vero ad tres Divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi jactabatur; tum quia periculum semper supererat adhærendi dogmati hæretico; tum quia humanæ mentis præsumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimæ Trinitatis decantatum, sicuti Lupus recte expendit *in notis ad Can. 81. Trullanum*, ubi, postquam retulerat, a Felice III., & Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli Divinæ Trinitati Sanctis semper Angelis adcantatum, Ecclesiæ ab ipso Deo ac eisdem Sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum Regiæ Urbi impendentium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu & ratione comprobatum a plena Synodo Calcedonensi, constanter asseverant*, (loquitur de Episcopis tum in prædicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus) *humana præsumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri.* S. Gre-

Gregorius VII. eodem Religionis ſtudio ipſam additionem improbavit in ſua epiſtola prima *lib.* 8. ſcripta ad Archiepiſcopum, ſive Patriarcham Armenorum. Idem præſtitit Gregorius XIII. in nonnullis ſuis epiſtolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14. Februarii anno 1577. In Congregatione autem Propagandæ Fidei, habita die 30. Januarii anno 1635., cum examini ſubjecta fuiſſet Armenorum Lyturgia, atque inter cætera accuratiori diſquiſitione fuiſſet expenſum, utrum additio inducta Triſagio tolerari poſſet, ob indicatam cauſam, quod illa ad ſolam Filii perſonam relationem habere poſſe videretur, reſponſum fuit, id non eſſe permittendum, additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelaſius in ſua epiſtola nona ad Epiſcopos Lucaniæ *cap.* 26. pravam conſuetudinem jam invectam improbavit, juxta quam, mulieres Sacerdoti Miſſam celebranti inſerviebant; cumque idem abuſus ad Græcos tranſiiſſet, Innocentius IV. in epiſtola, quam ad Epiſcopum Tuſculanum dedit, eumdem ſeveriſſime proſcripſit: *Mulieres autem ſervire ad Altare non audeant, ſed ab illius miniſterio repellantur omnino:* Iiſdem verbis a Nobis quoque prohibetur in noſtra ſæpius citata Conſtitutione: *Etſi Paſtoralis*; §. 6. *n.* 21. *tom.* 1. *Bull. noſtri*. Feria quinta Majoris Hebdomadæ, ad recolendam Dominicæ Cœnæ memoriam, ſacra peragitur functio, in qua conſecratur panis, qui per integrum annum aſſervatur, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui Sacram Synaxim in Viaticum ſibi depoſcunt, & aliquando etiam eidem pani conſecrato exigua pars vini conſecrati affunditur. Ritus hujuſmodi a Leone Allatio deſcribitur in ſuo Tractatu *de Communione Orientalium ſub ſpecie unica num.* 7. Summus Pontifex Innocentius IV. in laudata epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanum, Ritum illum Græcis interdixit, hiſce verbis: *Euchariſtiam in die Cœnæ Domini conſecratam, uſque ad annum, prætextu infirmorum, ut videlicet de illa ipſos communicent, non reſervent*: addiditque, ut paratam ſemper Euchariſtiam haberent pro Infirmis, ſed illam qualibet decima quinta die renovarent. Arcudius *in Tract. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis lib.* 3. *cap.* 55. & 56. abſurditates, quæ ex eo Ritu promanabant, indicare haud prætermiſit, deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Præſtitit id Clemens VIII. in ſua Inſtructione, idemque & Nos præſtitimus in noſtra Conſtitutione: *Etſi Paſtoralis* 57. §. 6. *num.* 3. & *ſeq.* In Concilio Zamoſciæ, a duabus Congregationibus, Concilii videlicet, ac Propagandæ Fidei examinato, §. 3. *de Euchariſtia*, legitur ſtatutum, ut ſi alicubi adhuc vigeret Ritus conſecrandi Euchariſtiam Feria quinta in Cœna Domini, eam ſuffundendi aliqua gutta Sanguinis, ſervandique pro infirmis in annum integrum, in poſterum omnino prætermittatur; ſed Parochi Euchariſtiam pro Infirmis ſervent, ipſam qualibet octava, aut decima quinta die renovantes. Eamdem viam inſtiterunt Patres Concilii Libanenſis a Nobis confirmati, ſicuti patet *ex c.* 12. *de Sacramento Euchariſt. n.* 24. Quibus ſane exemplis manifeſto comprobatur, quod Sedes Apoſtolica nunquam omiſerit Græcis interdicere Ritus aliquos, licet apud eos jampridem obtinerent, quoties eoſdem pernicioſos & malos eſſe, aut evadere poſſe deprehendit.

Hæc ipſa tamen in re, Apoſtolica Sedes, pro circumſtantiarum, varietate, epichejam adhibuit.

§. 30. De Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, ac Filio, quemadmodum ſuperius indicavimus, præcipue diſputatum eſt, quoties de unione Græcæ, & Orientalis Eccleſiæ cum Latina, & Occidentali actum fuit. Hujus articuli examen trinam veluti faciem præſetulit, atque adeo ad hæc tria capita redactum eſt. Primum, an proceſſio Spiritus Sancti a Patre & Filio eſſet Fidei Dogma: & quoad primum hoc caput, firmiſſime reſponſum ſemper fuit, non eſſe ullo modo dubitandum, quin proceſſio Spiritus Sancti a Patre & Filio inter Fidei Dogmata adnumeretur; neque Catholicum revera eſſe, qui illud non recipit, ac profitetur. Alterum, an, poſito hoc eſſe unum ex Fidei Dogmatibus, licuerit in Symbolo Miſſæ ſuperaddere verbum *Filioque*, quamvis neque in Nicæna; neque in Conſtantinopolitana Synodo illud reperitur, cum potiſſimum ab Oecumenica Synodo Epheſina decretum fuerit, ne quid Nicæno Symbolo adderetur: *Statuit Sancta Synodus, alteram Fidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere, præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt*. Quod autem ad alterum hoc caput attinet, firmatum fuit, non modo licuiſſe, ſed & valde conveniens fuiſſe, ut hujuſmodi additio fieret Nicæno Symbolo; eo quod Epheſinum Concilium ſolummodo inhibuerit additiones Fidei oppoſitas, aut temerarias, & a communi conſuetudine devias; non vero orthodoxas, & quibus aliquis Fidei articulus in eodem Symbolo implicite contentus, explicatius declararetur. Tertium denique, utrum, poſita pro indubio Fidei dogmate Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, agnitaque inſuper in Eccleſia poteſtate addendi Symbolo vocem *Filioque*; permitti poſſet, ut Orientales, & Græci in Sacrificio Miſſæ Symbolum recitarent ad eum modum, quo prius, & ante Schiſma conſueverant, quod perinde eſt ac dicere, prætermiſſa voce, *Filioque*. Quod autem pertinet ad poſtremum hoc caput, non eadem ſemper fuit Sedis Apoſtolicæ diſciplina; quandoque enim Orientalibus & Græcis, Symbolum abſque voce *Filioque* recitare permiſit; tunc nimirum, cum certo conſtiterat, priora duo capita, ſeu articulos ab illis recipi, noveratque omnino fore, ut, ſi iiſdem denegaretur id quod tanto ſtudio depoſcebant, exoptatæ Unioni aditus intercluderetur: Nonnunquam vero Symbolum cum additione *Filioque*, ab Orientalibus, & Græcis recitari omnino voluit; cum ſcilicet merito ſuſpicari potuit, eoſdem ideo nolle Symbolum cum additamento recitare, quod adhærerent errori opinantium, ac aſſerentium, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio non procedere, vel ab Eccleſia additionem illam, *Filioque*, Symbolo fieri non potuiſſe. Duo Summi Pontifices, nempe Beatus Gregorius X. in Lugdunenſi Concilio, & Eugenius IV. in Florentino, primam agendi rationem, ob indicatas cauſas, cum Græcis adhibuerunt, uti conſtat ex *tom.* 7. Collectionis Conciliorum Harduini *pag.* 698. *D.*, & *tom.* 9. ejuſdem Collectionis *pag.* 395. *D.* Alteram vero rationem, ex cauſis itidem ſupra allatis, amplexus eſt, ſervavitque Summus Pontifex Nicolaus III., cum deprehendit, Michaelem Imperatorem ex bona fide non agere, neque iis ſtare, quæ pollicitus fuerat in tractanda unione, quam cum Pontifice Gregorio X. Prædeceſſore ſuo abſolverat, atque firmaverat. Hujus rei documentum e Vaticano Archivio deſumptum in Raynaldi Annalibus impreſſum eſt *ad annum Chriſti* 1278. §. 7. Eamdem viam inſtiterunt Martinus IV. & Nicolaus IV. Et quamvis de Pontificibus iſtis, quod ad hanc rem pertinet, Scriptores diverſa tradiderint, Pachymeres tamen, qui tunc temporis Conſtantinopolitanam hiſtoriam poſterorum memoriæ commendabat, *lib.* 6. *cap.* 14. aperte teſtatur, eos Prædeceſſorum ſuorum epichejam non fuiſſe ſecutos, ſed voluiſſe, ut ab Orientalibus, & Græcis Symbolum cum additione *Filioque* recitaretur, ut injecta ſibi de Orthodoxa illorum Fide dubitatio tolleretur, *ad certum experimentum capiendum Fidei, & Sententiæ Græcorum; ejus vero pignus idoneum fore, ſi & ipſi Symbolum ſicut Latini, pronunciarent*. Idem Pontifex Eugenius, qui in Florentino Concilio

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Orientalibus concesserat, ut sine ea voce, *Filioque*, Symbolum recitarent, cum deinde Armenos in unitatem Sanctæ Ecclesiæ reciperet, eisdem præcepit, ut Symbolo prædicta additione adaucto uterentur, uti videre est in Collectione Conciliorum Harduini *tom. 9. pag. 435. B*, eo quod fortasse Armenos non æque ac Græcos, ejusmodi additamento repugnantes deprehenderat. Callistus itidem III. Romanus Pontifex, cum Fratrem Simonem ex Ordine Prædicatorum munere Inquisitoris decoratum in Cretam ablegaret, quam in Insulam se receperant plures Græci aufugientes ab urbe Constantinopolitana, cujus ante biennium Turcæ potiti fuerant, jussit ipsum vigilem ahibere curam, ut iidem Græci Symbolum cum additione *Filioque* recitarent, sicuti narrat Grægorius Trapezuntius *in sua Epistola ad Cretens. tom. 1, Græciæ Orthodoxæ, apud Allatium pag. 537.*, quod confirmatur etiam *ab Echard. tom. 1. Scriptorum Ordinis Sancti Dominici pag. 762.*; fortasse enim Pontifex suspicabatur, ne prædicti Græci, quippe qui ex Urbe Constantinopoli advenerant, in eo Fidei dogmate minus firmi essent. In duabus formulis Professionis Fidei, quas jam superius commemoravimus, quarum alteram Gregorius XIII. Græcis, alteram Urbanus VIII. *Orientalibus* præscripsit, nihil aliud continetur, quam quod in Florentino Concilio fuit constitutum. In duabus Constitutionibus, altera videlicet Clementis VIII. quæ est 34. *veteris Romani Bullarii tom. 3. §. 6.*, nostra altera incipiente: *Etsi Pastoralis §. 1. Bullarii nostri tom. 1.*, utraque edita pro Latinis Episcopis, in quorum Diœcesibus versantur Græci, aut Albanenses Græcum Ritum servantes, dummodo hi Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere fateantur, & agnoscant Ecclesiæ fuisse potestatem addendi Symbolo vocem *Filioque*, minime jubentur Symbolum cum hac additione recitare; nisi forte, ea prætermissa, scandalum immineret; aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo jam invaluisset recitandi Symbolum cum additione *Filioque*; aut deinde necessarium putaretur, ut Symbolum ab illis cum prædicta additione recitaretur, ad eliciendam indubiam rectæ ipsorum Fidei probationem. Recte autem non modo Patres Concilii Zamosciæ *tit. 1. de Fide Catholica*; sed etiam Patres Libanensis Concilii *part. 1. eodem tit. num. 12.*, ad omnem scrupulum submovendum, provide statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti, Symbolum, juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, cum particula *Filioque* usurpent.

Tertium denique munus permittendi in Græca Ecclesia certos quosdam innoxios Ritus, quomodo executa sit Apostolica Sedes.

§. 31. Ex his, quæ huc usque dicta sunt, plane concluditur, Sedem Apostolicam hac ipsa in re quandoque, ex peculiaribus circumstantiis, perspectaque sibi gentis alicujus indole, consensisse, ut certus adhiberetur modus, quem tamen abaliis, ob diversas circumstantias, diversumque locorum ac populorum genium, nullatenus usurpari permisit. Quamobrem, ut oneri susceptо satisfaciamus, nihil aliud supereſt, quam ut ostendamus, aliquando eamdem Sedem Apostolicam, dum novit gentem aliquam Orientalium, & Græcorum, in aliquo Latino Ritu adhibendo tenaciorem esse, illius usum ei benigne permisisse; præsertim si hujusmodi Ritus usurpandi consuetudo a vetustioribus temporibus inolevit, & Episcopi non modo eidem nunquam adversati sunt, sed aut tacite, aut expresse eamdem comprobarunt. Verum, cum hac ipsa de re perspicua exempla jam fuerunt superius allata; dum verba fecimus de ea classe Orientalium, & Græcorum, qui Ritus suos majori ex parte retinentes, atque Latinos æque, ac Orientales Ritus venerantes, aliquem ex nostris Ritibus amplexi sunt, ab inutili idcirco repetitione abstinebimus, ea hic revocantes, quæ superius in his ipsis litteris plene fuerunt exposita. Duo solum exempla ex Maronitis desumpta, subnectemus iis, quæ jam adduximus. Nonnullis ab hinc sæculis Maronitæ Pontificales ac Sacerdotales vestes adhibent ejusdem plane formæ, quam Latinus Ritus præscribit, quemadmodum in citato sæpius Libanensi Concilio habito anno 1736. legitur *cap. 12. de Sacramento Eucharistiæ num. 7.* Summus enim Pontifex Innocentius III. epistola ad Hieremiam Patriarcham anno 1215. data, quæ incipit: *Quia Divinæ Sapientiæ bonitas*; illos adhortatus est, ut se Latinæ Ecclesiæ in Pontificalibus ornamentis conformarent. Quam ob causam tum idem Pontifex, tum ejus Successores ad illos sacra Indumenta, Calices, ac Patenas dono miserunt, uti narrat Petrus Patriarcha in duabus epistolis ad Leonem Decimum datis, relatisque *tom. 14.* Collectionis Conciliorum Labbeanæ *pag. 346. & seq.* Nuper autem in præcitato Libanensi Concilio *c. 13.* unanimi consensu, nostraque subsequuta approbatione, iidem Maronitæ, quoad Præsanctificatorum Missam, Latinum Ritum amplexi sunt, illam tantummodo Feria Sexta in Parasceve celebrantes, relicta, justis gravibusque de causis: disciplina Græcorum, qui diebus Quadragesimalis jejunii, nonnisi Missam Præsanctificatorum celebrant, excepto Sabbato, die Dominico, & Festo Annunciationis Beatæ Virginis, si forte in Quadragesimam incidat, juxta præscriptum in *Trullano Can. 52.* Hisce siquidem diebus, Sacerdos Panem consecratum in tot particulas dividit, quot dies subsequuntur, quibus Missa Præsanctificatorum celebratur; quibus nimirum vescitur Pane Eucharistico, quem antea consecravit, asservans in Ciborio reliquas consecratas particulas, ut sequentibus diebus, quibus Missam Præsanctificatorum celebrabit, iisdem vescatur, atque aliis etiam, qui adstant, petuntque, distribuat; uti fuse commemorat Leo Allatius in Prolegomen. ad Gabrielem Naudæum *de Missa Præsanctificatorum pag. 1531. num. 1.*

Amplior assumpti probatio suscipitur.

§. 32. Huic nostræ Epistolæ finis hic imponendus alicui forte videri poterit, cum in ea, & allatum jam fuerit Responsum redditum quæsitis a Sacerdote Missionario Balseræ propositis, nimirum, *Nihil esse innovandum*, & indicatæ itidem fuerint firmissimæ regulæ, quas sequantur Missionarii; qui Orientales a Schismate & erroribus ad Unitatem Sanctamque Catholicam Fidem revocare satagunt; neque enim ex jure Canonum, & Apostolicarum Constitutionum se gerit, qui in convertendis Orientalibus, Ritum quoque Orientalem, & Græcum, in iis, quæ ab Apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit; aut id agit, ut, qui convertuntur, Ritum, quem hactenus servaverunt, dimittant, & Latinum amplectantur. Nihilominus, antequam finis huic Epistolæ imponatur, nimis congruit, ut nonnulla insuper attingantur, quæ proprius pertinent ad quæstiones a prædicto Missionario propositas, quibus jam responsum fuit, *nihil esse innovandum*.

Ritus commixtio non inducitur, ex quo Græcus, Armenus, vel Maronita Sacerdos celebret in Latina Ecclesia juxta Ritum suum.

§. 33. Porro, si in Urbe Balseræ degunt Catholici Ritus Orientalis, Armeni, aut Syriaci, ipsique peculiari Ecclesia carentes, ad Missionariorum Latinorum Ecclesiam conveniunt, ubi Sacerdotes Orientalis Ritus Rem Divinam, reliquasque peragunt suis Ritibus cœremonias. Laici autem Missæ Sacrificio intersunt, & Sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, idipsum & in posterum servari oportere, permittendo videlicet prædictis Sacerdo-

cerdotibus, & Laicis, ut in Latina Ecclesia ea facere pergant, quæ ad hanc usque diem peregerunt. Nam jure Canonico illud quidem statutum habetur, Ritum Orientalem, & Græcum cum Latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra Decretali Cælestini III. apud Gonzalez *cap. Cum secundum*; *de temporibus Ordinationum*; atque in Decretali Innocentii III. *cap. Quanto*; *de consuetudine*, *cap. Quoniam*, *de Officio Judic. Ordinar.*, & in Decretali Honorii III. *cap. Litteras*, *de celebrat. Missar.*; at nullo jure affirmari potest, Ritus commixtionem Apostolica aliqua Constitutione vetitam, induci ex eo tantum, quod Armenus, Maronita, aut Græcus juxta Ritum suum in Latina Ecclesia, vel Missæ Sacrificium, vel alias cœremonias cum populo sui Ritus exerceat, aut versa vice Latinus in Orientalium Ecclesia idem præstet; dum præsertim legitima aliqua subest causa, de qua in præsenti facti specie nullo modo dubitari potest; cum Orientales illi in Civitate Balseræ peculiari careant Ecclesia, ita ut, si ipsis Latinorum Ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missæ Sacrificium offerre possent, & cum Populo sui Ritus ea exercere, quæ peragenda sunt, ad illos in sancta unione retinendos, ac confovendos.

Et contra, si Latinus in fermentato, Græcus in azymo, vel alteruter nunc in azymo, nunc autem in fermentato consecrarent.

§. 34. Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret, & Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo Rem Divinam facerent, & genti suæ Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent sollicite Ordinarii quoque Latini, quibus Italo Græci subjiciuntur, *ut Latini semper in azymo*, *Græci autem*, *ubi propriam Parœchiam habent in fermentato communicent*: uti præcipitur in Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis*: 37. *num.* 6. *num.* 14. *Bullarii nostri tom.* 1. Vetita quoque Ritus permixtio esset, si Latinus Sacerdos, modo juxta Latinum, modo juxta Græcum Ritum, aut Sacerdos Græcus, modo Græco, modo Latino Ritu Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione S. Pii V., quæ incipit: *Providentia*, quæque est 21. *tom.* 4. *part.* 2. *Bullarii novi* Romæ impressi; ubi facultates omnes, quæ præcedentibus temporibus nonnullis Presbyteris super hoc concessæ fuerant, omnino revocantur. Huic Constitutioni S. Pii V. congruit quoque præindicata nostra §. 7. *num.* 10. Quod si Presbyteris Societatis Jesu, qui Collegiis Nationum Orientalium Romæ erectis præsunt, & qui prædictæ Societatis institutum amplectentes a Græco Ritu ad Latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missæ Sacrificium Græco, & Orientali Ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicuti præmonuimus, ut Alumni, qui Græcorum, & Maronitarum Ritum profiteri debent, Missam prædicto Ritu celebrare addiscant, & juxta eumdem, Divina Officia toto vitæ suæ curriculo persolvere: verum circumstantiæ peculiares hujusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda: quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI. Prædecessori nostro exposuerit, valde profuturum Catholicæ Religioni, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria Græco Ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad Latinum Ritum redirent; idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque, juxta Canonicas Sanctiones, in suo Ritu permanere, neque licere Sacerdoti, modo Latino, modo Græco Ritu celebrare, facultatem, quæ a prædicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit; uti patet ex ejus Epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit 9. Maii anno 1705., & quæ continetur *tom.* 1. *Epistolar. & Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis editor. pag.* 205.

Prior assertio confirmatur exemplis Græcorum, qui Romæ, & Venetiis diu in Latinis Ecclesiis, proprio servato Ritu, sacra peregerunt.

§. 35. Hæc & alia plura exempla, quæ facile possent cumulari, pertinent ad Ritus permixtionem ab Ecclesiæ legibus vetitam: Verum, uti jam diximus, interdicta Ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam Sacerdos Orientalis Ritus ab Apostolica Sede probati, in Latinorum Ecclesiam admittatur, ut ibi Missam, cæteraque functiones celebret, & Sacramenta populo Nationis suæ administret. Id palam Romæ fieri intuemur; ubi Sacerdotibus Armenis, Cophtis, Melchitis, & Græcis patent ad Missam celebrandam Templa nostra, ut illorum pietati satisfiat, quamvis suas peculiares Ecclesias habeant, ubi Rem Divinam facere possent: dummodo tamen sacra Indumenta, & cætera, quæ ad Missæ celebrationem juxta ipsorum Ritum necessaria sunt, secum afferant, eosque comitetur Oationis suæ Minister, qui eisdem celebrantibus inserviat, & a Custodibus, & Sacrario Præfectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbæ, ac tumultus excitentur; quemadmodum in Edicto, quod pro Ecclesiasticis & Laicis Orientalibus Romæ degentibus die 13. Februarii an. 1743. per Ven. Fratrem nostrum Joannem Antonium tunc Tituli SS. Silvestri, & Martini in Montibus Presbyterum, nunc Episcopum Tusculanum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe, ejusque districtu Vicarium Generalem, jussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter sæculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II. Constantinopolim vi oppugnatam cæpit, nonnullique ex Græcis, qui Schismaticorum errores aversati, communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt, ibique mansere. Quam in Urbem cum Isidorus Cardinalis natione Græcus perveniisset, detulit ad Senatum Romani Pontificis desideria, ut hujusce modi Græci Ritus hominibus, Templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata Senatus pietas profugæ genti Ecclesiam S. Blasii concessit, ubi spatio plurium annorum Græci quidem in certo ejusdem Ecclesiæ Sacello Divina Officia Ritu Græco, in reliquis vero Sacellis, Latini Ritu Latino peregerunt, sicuti Flaminius Cornelius Scriptor clari nominis testatur in *Decad.* 14. *Venetarum Ecclesiarum pag.* 359.: *Gemini itaque Ritus Officia per aliquot annos in una Ecclesia*, *licet in diversis Sacellis peracta fuerunt*: quod eo usque obtinuit, donec aucto Græcorum numero, prædictæ Ecclesiæ S. Blasii Latinis Græcisque communi, aliud subrogatum fuit Templum, quod Græcorum proprium esset, ac privativum.

Et Latinorum, qui in Ruthenas Ecclesias a Ruthenis comiter excepti fuerunt.

§. 36. Hæc ad Græcos pertinent, qui celebraturi in Latinas Ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi Ritus permixtionem ab Ecclesiæ Legibus proscriptam; non abs re erit verba facere de Latinis quoque, qui ad Sacrificium Missæ offerendum, & Divina Officia persolvenda in Græcorum Ecclesiis, ex justa aliqua causa admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit, sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter Catholicos, licet diversi Ritus, animorum conjunctio ac benevolentia. In Russia Alba Rutheni Catholici, quos Unitos vocant, plures habent Ecclesias, paucas

vero

vero Latini, & quod magis est, longe distitas a pagis Latinorum, qui inter Ruthenos versantur. Latini quandoque diutius Sacrificio Latinæ Missæ carebant, eo quod suis negociis detenti, nequibant tam longum iter aggredi, ut ad Latinas Ecclesias se conferrent: neque Latini Presbyteri facile poterant ad paucas illas Latinorum Ecclesias, quæ in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam cælebrarent, propterea quod Ecclesiæ ipsæ ab illorum domicilio nimis longo intervallo sejungerentur. Itaque, ne Latini Missa Latino Ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut Latini Sacerdotes, in Latinorum commodum, Latinas Missas in Ruthenis Ecclesiis celebrarent. Verum hac ipsa in re, ea occurrebat difficultas, quod Altaria Græcorum sacro Lapide careant, cum ipsi celebrent super Antimensiis, quæ sunt Lintea quædam ab Episcopo consecrata, quorum angulis Sanctorum Reliquiæ includuntur; quamobrem Latini Sacerdotes Sacrum Lapidem secum deferre cogebantur, haud levi intercedente incommodo, ac discrimine, ne in itinere frangeretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium, opitulante Deo, inventum, adhibitumque fuit: Siquidem, consentientibus, etiam ipsis Ruthenis, indultum fuit Latinis Presbyteris, ut Missam Latino Ritu celebrarent in Ruthenis Ecclesiis, & super illorum Antimensiis: idque eo vel expeditius visum est, quod Rutheni Sacerdotes, accedentes quandoque ad Latinas Ecclesias Missam inibi celebraturi, super nostris sacris Lapidibus Sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex Constitutione nostra: *Impositio Nobis, quæ quadragesima tertia est, Bullarii nostri tom.* 3.

Juxta Græcam disciplinam, in unaquaque Ecclesia unum extitit Altare, & ad hoc unica Missa in die celebrata.

§. 37. Præclarum pariter est ad rem nostram id, quod mox subjiciemus. Discrepant inter se eruditi viri, extiterit ne, juxta veterem disciplinam, in Basilicis Ecclesiæ Occidentalis unum, an plura Altaria. Primum quidem affirmat *Scheleſtrat. part.* 1. *Actor. Ecclesiæ Orientat. cap.* 2. *de Missa privata in Ecclesia Latina:* sed contra Cardinalis Bona *Rerum Lyturgicar. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. innixus auctoritate Walfridi *cap.* 4. plura Altaria fuisse in Romana Basilica S. Petri demonstrat. Verum, si de Templis, atque Basilicis Orientalibus, & Græcis sermo sit, perspicuum videtur, nonnisi unum Altare in ipsis extitisse, atque nunc etiam temporis, plerumque existere; uti colligitur ex lineari descriptione hujusmodi Templorum, quam Du Cangius *in Constantinopoli Christiana*, Beveregius in notis *ad Pandectas Canonum*, & Goarius *in Euchologium Græcorum* attulerunt. Cumque in Templo S. Athanasii, quod Romæ a Græcis obtinetur, plura extarent Altaria, Leo Allatius in epistola ad Joannem Morinum scripta *de Templis Græcorum recentiorum num.* 2. asserere non dubitavit, in prædicta Ecclesia nihil Græce formæ reperiri, præter *Bema*, ideſt Sepimentum, quod Aram majorem a reliquis Ecclesiæ partibus secernit. Ad illud autem Altare, ad quod Sacerdos Missam celebravit, nequit alius Sacerdos eodem die iterum Missæ Sacrificium offerre. De hac Græcorum disciplina verba faciunt Dionysius Barsalibeus Jacobita, Amidæ Episcopus; *in Explanatione Missæ*, & Cyriacus Jacobitarum Patriarcha apud Gregorium Barhebræum item Jacobitam *in suo Directorio*, quos citat Assemanus *tom.* 2. *Biblioth. Oriental. pag.* 184., *ac tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 248. De hac eadem disciplina Cardinalis Bona *cit. cap.* 14. *num.* 3. ita scriptum reliquit: *Unicum Altare in suis Ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa ejusdem Templis Sacrum eadem die iterare.* Euthymius Tyri ac Sydonis Archiepiscopus, & Cyrillus Patriarcha Antiochenus Græcorum, in Pontificatu Clementis XI., Benedicti XIII., & Clementis XII. pluris scisciati sunt, an vigentem relinquere deberent prædictam disciplinam vetantem, nec secundum Missæ Sacrificium eadem die, eodemque in Altari offeratur. At illis semper responsum fuit; nihil esse innovandum, sed veterem Ritum omnino retinendum. Quoniam vero error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum Missæ Sacrificium eadem die, idemque ad Altare, in quo alius Sacerdos celebraverat, quia Sacerdos, qui posterior celebraret, iisdemque sacris indumentis, qui primus, uteretur, jejunium frangeret; idcirco in nostra Epistola Encyclica ad Patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum & ad Episcopos Catholicos eidem subjectos conscripta, iisdem præcepimus, ut omni studio curarent errorem illum populo adimere; ita tamen, ut integram servarent disciplinam, juxta quam ad Altare, ubi Sacerdos celebravit, alius Sacerdos eadem die offerre prohibetur, uti videri potest in Constitutione nostra, quæ incipit: *Demandatam* 87. *Bull. nostri t.* 1.

Sacerdotes autem cum Episcopo, vel alio Sacerdote, primi Celebrantis personam gerendo, concelebrant nunc quoque in Ecclesia Græca licet in Latina ejusdem usus fere omnino obsoleverit.

§. 38. Denique, communis olim fuit Occidentali æque, ac Orientali Ecclesiæ Ritus, ut Presbyteri una cum Episcopo Missæ Sacrificium offerrent: hujus rei documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo *in Appendice ad Synodum Chalcedonensem tom.* 1. *ad Concilia Generalia, & Provincialia primæ editionis pag.* 994., dum hæc verba Basiliani interpretatur: *Mecum Missas celebrabat, mecum communicabat*, & a Georgio *tom.* 2. *Lyturgiæ Pontificiæ pag.* 1. *& seq., ac tom.* 3. *pag.* 1. *& seq.* Concelebrandi Ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, præterquam in Ordinatione Sacerdotum, quam peragit Episcopus, & in Consecratione Episcoporum, quæ ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit, vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis Presbyterorum cum Episcopo, aut cum alio Sacerdote, qui primi Celebrantis personam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones, quæ Apostolicæ nuncupantur *lib.* 8., & ad Canonem octavum, ex iis, qui Apostolici dicuntur. Porro ubicunque ea consuetudo inter Græcos, & Orientales viget, non modo approbatur, sed etiam custodiri præcipitur, uti constat ex eadem Constitutione nostra superius allegata, *Demandatam*; §. 9.

Non tamen inde usus privatæ Missæ excluditur a Græca Ecclesia, cum ideo Paracclesiæ fuerint constitutæ.

§. 39. Ex Græco, & Orientali hoc Ritu, quem hucusque commemoravimus, nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quæ ab uno Sacerdote celebrantur, in Orientali & Græca Ecclesia locus esse possit, cum in Græcis Templis unicum, uti prædiximus, Altare existat, unicum, ad illud Missæ Sacrificium offeratur, & Sacerdotes cum Episcopo concelebrarent aut cum Sacerdote, qui primi Presbyteri munere fungitur. Non neglexerunt quidem Lutherani Confessionem Augustanam, in qua privatæ Missæ tolluntur, ad Hieremiam Constantinopolitanum Patriarcham mittere, eumque ad eamdem amplectendam allicere; cum tamen privatæ Missæ usus ac disciplina in Orientali Ecclesia desumatur ac vindicetur *ex Canone* 31. Concilii Trullani, & ex Notis, quas in ipsum composuit Theodorus Balsamon, ideo & Ritus frequentis concelebrationis Sacerdotum cum Episcopo, & intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit. Quare in irritum cesserunt conatus Lutheranorum; quibus responsum fuit, damnari quidem ab Orientalibus, sicut ab Occidentalibus, pravum illorum usum, qui improba consequendæ eleemosynæ cupiditate, ad Altare impelluntur, non vero illorum, qui qua decet pietate ac religione, privatas Missas celebrant, ut Deo Sacrificium offerant acceptabile.

Hæc

Hæc patent *ex Actis Ecclesiæ Orientalis contra Lutheranos*, auctore Scheleſtrato, *cap. 1. de Miſſis in privatis in Eccleſia Græca, circa finem*. In commodum autem Sacerdotum, qui privatum Miſſæ Sacrificium offerre cupiunt, ſalva ſemper conſuetudine, ut ad unum Altare unum tantummodo Sacrificium in dies ſingulos offeratur, Græci conſtituere ceperunt *Paraccleſias*, de quibus verba facit Leo Allatius *in citata Epiſtola ad Joannem Morinum*. Paraccleſiæ vero nil aliud ſunt, quam Oratoria quædam Eccleſiæ contigua, in quibus erectum adeſt Altare, ubi Sacerdotes Miſſam celebrant, quam in Eccleſia celebrare nequeunt, eo quod ad Altare in ea extructum alius Sacerdos jam celebraverit.

Nec Latini Sacerdotes ab illis excluſi; cum ideo ſecundum Altare incommodum Latinorum Sacerdotum in Græcis Eccleſiis fuerit erectum.

§. 40. Alii vero ab hac Orientalium, & Græcorum diſciplina merito timendum cenſuerunt, ne Latini Sacerdotes ab offerendo Miſſæ Sacrificio in Græcis Eccleſiis perpetuo excluderentur, eo quòd, uti ſupra dictum eſt, in illis unicum Altare exiſtat, ubi eodem die unus tantum Sacerdos poteſt celebrare; neque Latini Presbyteri celebrare poſſint *in Paraccleſiis*, utpote pro Græcis tantummodo conſtitutis. Verum ad hunc ipſum timorem auferendum, in Græcis Eccleſiis hoc tempore erectum plerumque cernitur ſecundum Altare, in quo Divinum Sacrificium a Latinis Sacerdotibus offeratur. Tres Græcorum Templorum formas expreſſit Goarius *in Euchologium Græcorum*, quarum tertia ſecundum Altare exhibet Latinis Presbyteris poſitum, ſicut ipſe Goarius *loco citato* perpendit, & proſequitur Scheleſtrat., *loco ſuperius allato pag.* 887. In Eccleſiis Nationis Maronitarum, & Græcorum, Romæ exiſtentibus, præter Aram majorem, alia occurrunt Altaria, in quibus a Latinis Sacerdotibus Miſſa celebratur; & in noſtra Conſtitutione: *Etſi Paſtoralis*: 57. §. 6. *num.* 8. *& 9. noſtri Bullarii tom.* 1., qua Italo Græcis tutiſſima traditur agendi norma, prohibentur Latini Sacerdotes in Græcorum Templis ſuper Ara majori celebrare, niſi omnimoda neceſſitas id poſtulet, & Parochi Græci conſenſus intercedat; ibique inſuper Græcis conceditur, ut ſuis in Templis, præter Altare majus, alia quoque Altaria poſſint erigere, in quibus Latini Sacerdotes, ſi velint, Miſſæ Sacrificium celebrare valeant.

Concluditur, valde congruere, ut Græcis Latinæ præeant Eccleſiæ, moduſque traditur, quo id abſque diſſidiis fiat.

§. 41. Ex his, quæ huc uſque dicta ſunt, videtur jam perſpicue demonſtratum, ſicuti antea, ita & in poſterum permitti debere Catholicis Armenis, & Syriacis, qui Balſeræ Latinis commixti commorantur, propriaque carent Eccleſia, ut in Latinam conveniant, & in ea juxta Ritum quique ſuum ſacras functiones peragant; idque eo magis, quia non ſolum nullâ exinde oritur Ritus prermixtio per Apoſtolicas Conſtitutiones damnata, ſed urbanitatis officia exercentur, vel potius præcepta implentur æquitativi cujuſdam juris, expoſcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quæ jure aliquo præſtare jubetur, locus ipſe libenti animo concedatur. Quamobrem nil aliud ſupereſt, quam præcipere, ut omnia ad debitæ charitatis leges exigantur, ut Sacellum Orientalibus aſſignetur, aut pars aliqua Eccleſiæ, in qua ſuis functionibus obeundis incumbant; & quanta fieri poteſt, cura impendatur, ut aliis horis Latini, aliis Orientales ſuas peragant functiones. Si enim aliter fieri contingat, proxima ſuberit cauſſa diſſenſionum, quæ binos Prædeceſſores noſtros Leonem X., & Clementem VII. tantopere vexarunt; tum ſcilicet, quum contra pacta conventa in Florentino Concilio ſub Eugenio IV., ne Græcis ulla moleſtia in ſuis Ritibus ac cœremoniis obſervandis inferretur, relatum eſt ad prædictos Pontifices, quod nonnulli ex Latinis Græcorum Eccleſias adhibant, & ad illorum Altare Miſſam Latino Ritu celebrabant, eo conſilio, ut Græcis Sacerdotibus impedimentum crearent, ne Sacrificium Ritu ſuo offerre, ſuaſque functiones peragere poſſent; adeo ut Græci nonnunquam, ipſis diebus feſtis, Miſſæ Sacrificio carerent: *Neſcitur, quo Spiritu ducti* (de Latinis Presbyteris ſermo eſt) *interdum Altaria dictarum Parochialium Eccleſiarum præoccupant, & ibi, contra voluntatem eorumdem Græcorum, Miſſas, & forſan alia Divina Officia celebrant; adeo quod dicti Græci ſæpenumero ſine auditione Miſſarum, cum magna animorum moleſtia, feſtivis & aliis diebus, quibus Miſſas audire conſueverunt, remaneant.* Pontificias haſce querelas refert monumentum, quod incipit, *Proviſionis noſtræ*, extatque in Enchiridio Græcorum impreſſo Beneventi anno 1717. *pag.* 86. Non eſt profecto, cur illis noſtras addamus conqueſtiones, quæ tamen nec leviores eſſent, neque opportunis remediis deſtitutæ, ſi unquam ad Nos deferretur, Balſeræ a Latinis noſtris prohiberi Orientales, ne in Latinis Eccleſiis poſſint functiones ſuas peragere.

Quæſtio proponitur, quo Kalendario uti debeant Græci in Latinis Eccleſiis celebrantes, in definiendo Paſchali die.

§. 42. Primæ huic altera ſuccedit quæſtio, eoſdem attingens Armenos, & Syros, qua diſquiritur, an iidem, ad ſtatuendum tempus Paſchatis, aliorumque ei reſpondentium Feſtorum, poſſint veteri Kalendario uti, vel potius novum emendatumque ſequi debeant, cum in Latinis Eccleſiis Sacra conficiunt; & quatenus iiſdem licitus dicatur veteris Kalendarii uſus, an hujuſmodi definitio afficiat illos quoque Orientales, qui, ſuam quidem habent Eccleſiam, ſed adeo anguſtam, atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non poſſint, eorum plerique Latinas Eccleſias adire compellantur.

Emendatio Kalendarii qua cura ſub Gregorio XIII. peracta fuerit.

§. 43. Neminem latent, quæ a Sanctis Romanis Pontificibus Pio, & Victore, atque etiam a Nicæna Synodo, de recta Paſchatis celebratione ſancita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino reſervatam fuiſſe provinciam correctionis Kalendarii, ac demum Gregorio XIII. Pontifice, fuiſſe rem hanc numeris ſuis omnibus abſolutam. Quamobrem Bucherius *in Commentario de doctrina temporum*, in Præfatione ad Lectorem, ita ſcripſit: *Computi Paſchalis in futurum certitudini, jubente Gregorio XIII. Pontifice, noſter abunde providit Clavius*. Is fuit e Societate Jeſu Sacerdos Matheſeos peritiſſimus, qui in Kalendarii correctione egregiam Pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cujuſdam Aloyſii Lilii, qui plures annos in illis componendis inſumſerat. Perpenſis denique libratiſque omnibus in pluribus Congregationibus, adſtantibus, adhibitiſque in conſilium peritiſſimis quibuſque Viris, prodiit anno 1582. Conſtitutio præſcribens Kalendarii normam, quæ incipit: *Inter graviſſimas, in ordine* 74. *in veteri Bullario tom.* 2.

Ejuſdem Kalendarii indictio, an Orientales obſtrinxerit, quæſtio non levis.

§. 44. Veteri igitur Kalendario hac Pontificia Conſtitutione abrogato, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque Prælatis imperatum fuit, ut novo, emendatoque Kalendario uterentur, quemadmodum in eadem Conſtitutione legere eſt, fuſiuſque eruitur ex ejuſdem Pontificis Annalibus Romæ impreſſis *anno* 1742. *tom.* 2. *pag.* 271. Verum, cum in Conſtitutione nullum de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quæſtio, num eadem Orientales afficiat; quæ quidem quæſtio non a Doctoribus modo inſtituitur, ut videre eſt apud Azorium *Inſtitut. Moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. *quæſt.* 7. apud Baldellum *in ſua Theologia Morali tom.* 1.

lib. 5.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lib. 5. disput. 41.; sed etiam propositа discussaque fuit in præstantium Virorum conventu habito die 4. Julii anno 1631. in ædibus Cardinalis Pamphilii, qui ad Summo Pontificatus evectus, Innocentii X. nomen assumpsit. Hæc autem tunc prodiit resolutio: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificis Constitutionibus, nisi in tribus casibus; primo in materia Dogmatum Fidei: secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem, & disponat de prædictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium*: Refertur hæc resolutio tum a Verricello *de Apostolicis Missionibus lib. 3. quæst. 83. num. 4.*; tum a Nobis in nostro Opere de *Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 38. num. 15.*

Illud certum, Italo Græcis in dictum fuisse Kalendarium, sed ita, ut & leniter cum iis fit actum.

§. 45. Hanc quæstionem Nos missam facimus, cum de illa disputare nulla nunc necessitas urgeat; satis enim Nobis erit indicare, quid ad rem hanc nostram gesserit Sedes Apostolica, quandoquidem ipsa præcedentia facta evincunt, consultissimum esse responsum quæsito redditum, nimirum: *Nihil esse innovandum*. Italo-Græcis, qui inter nos vivunt, & regimini subjiciuntur Latinorum Episcoporum, in quorum Diœcesibus constitutum habent domicilium, ab Apostolica Sede mandatum fuit, ut se ad novum Kalendarium conformarent, uti percipi potest in citata Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis*, 57. §. 9. *num. 3. & seq. Bullarii nostri tom. 1.* Et Clerus quidem Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ *de Graphæo* Civitatis Messanensis, qui Græcum Ritum retinet, accuratissime novum Kalendarium servat, uti videre est in altera Constitutione nostra: *Romana Ecclesia, quæ est 81. § 1. eodem tom. 1. nostri Bullarii*: attamen non illud ita severe fuit indictum, quin nonnunquam, gravioribus id requirentibus causis, Epichejæ locus sit relictus. Renuebant Armeni Catholici Liburni degentes, sese Kalendario Gregoriano subjicere, precesque Innocentio XII, obtulerunt, ut eos veteri Kalendario uti permitteret. Etenim in Congregatione S. Officii Feria 4. die 20. Junii 1674. Decretum hujusmodi emanaverat: *Nuntii Apostolici Florentiæ relatis iterum litteris datis die 10. Aprilis, circa petitiones ei factas ab Armenis, orandi in Missa pro Patriarcha Armenorum, & circa celebrationem Paschatis, & aliorum Festorum, secundum calculationem antiquam, quæ erat ante correctionem Kalendarii, & circa celebrationem Paschatis, &c. Necnon relata scriptura remissa a Sacra Congregatione de Propaganda Fide circa modum orandi in Missa pro Patriarcha Armeno: Rescribatur Nuntio, quoad permissionem orandi in Liturgia pro Patriarcha Armenorum, quod Sacra Congregatio stetit in Decretis emanatis die 7. Junii 1673., videlicet*, NON POSSE: *& omnino prohibeatur. Quo vero ad celebrationem Paschatis, &c. & aliorum Festorum, &c. steterunt pariter in Decretis, videlicet, quod in celebratione Paschatis, & aliorum Festorum, Armeni Liburni existentes, omnino servare debeant Calendarium Gregorianum*. Quum igitur huic Decreto obtemperare Armeni prædicti renuerent, hujus rei cognitio delegata fuit particulari Congregationi Cardinalium doctrina præstantium, quos inter fuere Card. Joannes Franciscus Albanus, qui Summum deinde Pontificatum obtinuit, & Cardinalis Henricus Norisius præclari nominis inter Litteratos Viros. Porro ipsa Congregatio habita die 23. Septembris anno 1699. hujusmodi edidit Decretum, a prædicto Pontifice eadem ipsa die confirmatum: *Re mature tractata, & perpensis omnibus facti circumstantiis, censuerunt, secundum ea, quæ proponuntur, conniveri posse cum Armenis Catholicis Liburni commorantibus*, & qui peculiarem obtinent Ecclesiam, *circa usum Kalendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam Kalendarii Gregoriani observantiam disponantur, & interim ad Sedis Apostolicæ beneplacitum; hoc insuper conditione adjecta, quod diebus festis de præcepto juxta Kalendarium Gregorianum occurrentibus, ab operibus servilibus abstinere, & Sacrum audire omnino teneantur*.

Græcis vero Orientalibus propositum quidem fuit, sed nonnisi volentibus injunctum.

§. 46. Si vero de Græcis Orientalibus sermo sit, constat quidem, aliquando propositum ipsis fuisse, ut novo emendato Kalendario uterentur; sed tamen id nullum exitum habuit. Inter articulos, & conditiones Ruthenis propositas in Unione sub Clemente VIII. tractata, & absoluta ea quoque de Kalendario recipiendo inserta fuit, cui redditum responsum: *Kalendarium novum, si secundum antiquum fieri possit, suscipiemus*: uti legere est in Opere Thomæ a Jesu *pag. 329.*; & licet responsum illud ambiguitatem quamdam præseferret, tamen ea de re nihil ulterius actum fuisse deprehendimus, neque hoc super articulo judicium ullum protulit Theologus, qui ad rem examinandam fuerat deputatus, quemadmodum patet ex eodem Opere *pag. 335. & seq.* Aliquando tamen ipsimet Orientales sponte sua novum Kalendarium susceperunt, uti cognoscere licet ex sæpius citata Synodo Provinciali Maronitarum habita anno 1736.; *Tam in jejuniis, quam in Festis anni diebus, sive mobilibus, sive immobilibus, Romanum Kalendarium a Gregorio XIII. Summo Pontifice, de nostra Natione optime merito, emendatum, in omnibus Ecclesiis nostris observari districte mandamus, ejusque Kalendarii rationem & usum, quemadmodum & cantum Ecclesiasticum, in unaquaque Ecclesia a Magistris pueros edoceri præcipimus*: Sed quoties Orientales minime consenserunt, justusque adfuit timor, ne tumultus dissensionesque excitarentur, si novi Kalendarii ipsis injungeretur usus, tulit Apostolica Sedes, ut Orientales & Græci in remotis Regionibus degentes, veterem suam disciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent Kalendarium, occasionem opportuniorem expectans, inducendi usum novi emendatique Kalendarii. Qua in re consona quoque sunt Decreta Congregationum de Propaganda Fide, & Sacræ Inquisitionis; quemadmodum, quoad primam, deprehenditur ex Decretis editis die 22. Augusti 1625., & die 30. Aprilis 1631.; quoad secundam vero, ex Decretis dierum 18. Julii 1613., ac 14. Decembris 1616. Imo res eo quandoque processit, ut Missionariis quoque veteris Kalendarii usus fuerit permissus, dum moram traherent in Regionibus, in quibus veteris Kalendarii usus solummodo obtinebat; veluti cognoscere est ex nonnullis Decretis a Congregatione de Propaganda Fide 16. Aprilis 1703., & die 16. Decembris 1704. evulgatis.

Syri, Armenique cum jejunant, a piscibus abstinere debent.

§. 47. Reliquum est, ut de postremo quæsito, de jejunio scilicet, verba fiant. Syri, Armenique Catholici, juxta ipsorum Ritum, ab usu piscium jejunii tempore abstinent; verum, cum Latinos iis vesci conspiciant, & cæteroquin impossibile, vel saltem difficillimum asseratur, eos temperare posse a piscibus, quibus Latinos vesci intuentur; ideo tamquam rationi consentaneum proponitur, ut Missionariis facultas tribuatur cum iis dispensandi; caute tamen, omnique secluso scandalo, & pio aliquo opere in locum abstinentiæ a piscibus subrogato. Aptissimus hic fieret locus differendi de vetustate jejunii apud Orientales, ejusque lege, licet severiori, exactissime tamen semper servata; sed ne longiores simus,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Veterem jejunii disciplinam iisdem relaxari, nunquam passa est Apostolica Sedes.

mus, quam par est, id unum dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem jejunii suis subditis præscripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha Archiepiscopis, & Episcopis sibi subjectis, carnibus vesci Laicorum more indulsit, licet juxta veterem disciplinam carnibus abstinerent, universo autem populo Quadragesimæ tempore pisces edere, vinumque bibere permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V., datis ad Patriarcham Petri successorem Litteris Apostolicis in forma Brevis die 9. Martii 1610., jussit, ut abrogatis iis, quæ Petrus Patriarcha concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In Pontificatu nostro ad examen revocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii Archiepiscopi Tyri & Sidonis, & Cyrilli Patriarchæ Antiocheni, erga Græcos Melchitas, fuitque improbata, ut patet ex Constitutione nostra: *Demandatam* 87. §. 6. *Bullarii nostri tom.* 1. *Nos hujusmodi innovationem, & abstinentiarum relaxationem, & coarctationem, in nimium detrimentum veteris Græcarum Ecclesiarum disciplinæ vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicæ Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, & nullum effectum in posterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere jubemus, atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a Majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta, & sexta per annum ab esu piscium, quæ ab aliis quoque finitimis populis ejusdem Græci Ritus exacte custoditur, indistincte servari præcipimus.* Incongruum vero est asserere, ideo dispensationem concedendam esse: vel potius generalem dispensandi facultatem, quod nempe Orientales aspicientes Latinos vesci piscibus tempore jejunii, exinde facile adducantur, ut & ipsi non quidem ex aliquo contemptu, sed naturæ fragilitate victi, piscibus jejunii diebus utantur, hoc namque argumento, si quid illud valeret, in primis omnimoda induceretur Rituum confusio; deinde, si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut Latini inspicientes Græcos peculiaribus quibusdam vivere institutis, quæ Latinis minime permittuntur, immo inhibentur, dispensationem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quæ a Græcis fieri intuentur; profitentes se Latinum quidem Ritum suscipere, sed ob naturæ fragilitatem eum diutius servare non posse.

Ideoque, rejecta, tamquam minus legitima, causa ad facultatem dispensandi abstinendam alla. ta jejunii lege servari præcipitur.

§. 48. Hæc sunt, quæ duximus exponenda in hac Encyclica nostra Epistola, non solum ad patefacienda fundamenta, quibus innituntur responsiones redditæ Missionario, qui quæstiones sub initium exscriptas proposuit, sed etiam, ut omnibus perspecta fiat benevelentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum præcipit, ut omnino serventur veteres ipsorum Ritus, qui neque Catholicæ Religioni, neque honestati adversantur; nec a Schismaticis ad Catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut Ritus suos deserant, sed ut Hæreses solum ejurent, atque execrentur: exoptans vehementer, ut diversæ eorum Nationes conserventur, non destruantur, omnesque (ut multa paucis complectamur) Catholici sint, non ut omnes Latini fiant. Finem denique huic nostræ Epistolæ imponimus, Apostolicam Benedictionem cuicumque eam legenti impertientes.

Dat. 26. Julii 1755. Pont. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 26. Julii 1755. Pontificatus nostri Anno XV.

APPENDIX XVII.

Lib. III. Cap. IV. Quæritur an Sacerdos possit plures eodem die Missas celebrare, & statuitur regula, quod unica tantum a Sacerdote celebranda sit Missa, excepto die Nativitatis Domini, quo liceat tres; recensenturque casus, quibus liceat plura eadem die Sacerdoti Sacra facere. Nos ea hic dabimus, quibus recenset S. Pontifex vetustam Ecclesiæ disciplinam usum fuisse; & postea ejusdem Pontificis Bullam exhibebimus, qua demonstratur trium Missarum celebrationem die Natalis Domini uni Ecclesiæ Latinæ competere, non vero Orientali.

Dies aliquot solemnes, quibus olim plures Missæ ab eodem Sacerdote celebrabantur.

Ex Opere de Festis Domini Par. I. n. 670.

EXploratum est, vetustissimis temporibus plures ab eodem Sacerdote Missas celebrari in aliquibus Solemnitatibus consuevisse. Ex vetustis monumentis ostendit Cardinalis Bona *Rerum Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 6. morem fuisse, ut Kalendis Januarii binæ celebrarentur Missæ, altera de Octava Nativitatis, altera de B. Virgine; ternas itidem Missas Feria V. in Cœna Domini probat celebratas esse; alteram ad reconciliandos Pœnitentes; alteram ad Sacrum Chrisma conficiendum; tertiam denique, quæ ad diei solemnitatem pertinet; ac binas itidem Missas in Ascensionis tum Pervigilio tum Festivitate.

Alia ejusdem generis exempla.

Num. 671.

SI quod autem desideratur exemplum præter ea, quæ Cardinalis Bona attulit, ac præter illud, quod Alteserra in Commentar. ad Cap. *Consuluit* de Celebrat. Missarum produxit ex Ordine Romano, Amalario, & vulgato Alcuino, ternas scilicet Missas ab eodem Sacerdote celebrari consuevisse in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ; dicimus Romanum quondam Pontificem solitum fuisse die 29. Junii Sanctis Apostolis Petro & Paulo consecrata duas Missas celebrare, alteram in Vaticana, alteram in S. Pauli Basilica, ut ex Prudentio quarti Seculi Poeta apparet, Peri Steph. hymn. 12.

Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas:
Lux in duobus fervet una Festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
Et his, & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius, qua fert via Pontis Hadriani;
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtyberina prius solvit sacra prævigil Sacerdos;
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Vide Josephum Vicecomitem de antiquis Missæ Ritibus lib. 3. cap. 28. ubi ab eodem Sacerdote ostendit in diebus Paschatis, & Festivitatum SS. Petri & Pauli, Joannis Apostoli, Joannis Baptistæ, Laurentii, Marci, & Victoris plures celebrari Missas consuevisse.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

De Festis Domini Par. 1. pag. 248. num. 673.

In Gallia olim duæ tantum Missæ celebrabantur. Tres vero Romæ propter Ecclesiam in honorem S. Anastasiæ dedicatam. Eadem disciplina transiit in Gallias. Quod primo ab Episcopis, deinde ab omnibus Præsbyteris usurpatum.

IN Die Christi Natali mos erat in aliis Ecclesiis, præsertim Galliæ, ut binæ ab eodem Sacerdote Missæ celebrarentur. Eadem vero disciplina, qua Romæ tres Missas Summus Pontifex celebrabat, etsi ex iis una celebraretur, propterea quod Romæ sacra esset Ædes in S. Anastasiæ honorem Deo dicata, Roma in Gallias, cæterasque regiones traducta est, cum Romanus Ordo Caroli Magni jussu receptus est. Et quamquam primo ea disciplina ad Episcopos dumtaxat pertineret, paulatim ad omnes Sacerdotes propagata est, ut conjicit Grancolas in Comment. ad Breviar. Romanum, & post eum, aliosque plures Meratus in Not. ad Gavant. tom. 1. par. 2. pag. 847., Vicecomes lib. 3. de antiquis Missæ Ritibus cap. 27. abunde ostendit, quemvis Sacerdotem ternas olim consuevisse Missas celebrare; non tamen, ut, quæ præsens consuetudo est, nullo intervallo temporis interjecto altera alteram exciperet, sed prima celebraretur media nocte, secunda illucescente aurora, tertia orto jam sole, quod etiam nunc in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis usurpatur.

Celebratio Trium Missarum Natalitio Christi die præcipuus Latinæ Ecclesiæ Ritus demonstratur: ideoque universim ab Orientalibus, præsertim vero ab Armenis Liburno in Portu commorantibus, non usurpandus.

Ex Bullario Tom. IV. pag. 338.

Ven. Fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodien. Congregationis Propagandæ Fidei Secretario.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam. Benedictionem.

Conscribendæ Epistolæ occasio recensetur.

IN superiori ante proximum ad Nos habito accessu, retulisti, Te, in suspicionem adductum, Sacerdotes Armenos Liburno in Portu commorantes Sacros Natali Domini die tres unumquemque Missas in nationis suæ templo celebrare, non prætermisisse opportunas ad Pisanum Archiepiscopum dare litteras, ut certior fieres, num res, prout ferebatur, se haberet, & si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus, tria designato die offerendi Sacrificia; tibique fuisse a memorato Præsule rescriptum, offerri ab Armenis Sacerdotibus in Liburnensi suæ gentis Ecclesia tres Missas Natalitio Christi die, idque in usu primum ea in Ecclesia fuisse positum a duobus Missionariis Parochis sub annum 1725., exindeque semper rem eodem modo transactam; ac insuper ejus gentis homines referre, multos per Orientem Sacerdotes Armenos Catholicos, ejusdemque Ritus Missionarios Sancto Natalis Christi die tres Missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus, nostra ipse expetebas jussa, de relinquenda, vel interdicenda trium Sacrorum oblatione, ab Armenis Sacerdotibus, Natalitio Christi die, Liburni in gentis suæ Ecclesia, fieri solita.

Latina Ecclesiæ Ritus est præcipuus, ut singuli Sacerdotes tres Missas offerant Natalitio Christi die.

§. 2. Pervetustus est, atque universim in Latinam Ecclesiam receptus Ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalitio Christi die offerendi; verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat præfati Ritus vestigium; ne verbum quippe de eo in Lyturgiis Græco-Arabicis Melchitarum, nec in Syriacis, Chaldeisque, neque etiam in reliquis Cophotorum, Armenorum, Græcorum, atque Ruthenorum, qui Græcos sibi ritus adscivere. Patres Basiliani Cryptæ Ferratæ, etsi Latinos aliquot Ritus amplexi sint, tres tamen Missas Natalis Domini die nec in memorato Monasterio, nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsa Provinciali Synodo habita sub annum 1736. in Monte Libano, cui præfuit Joseph Simonius Assemanus Præsul, qui jussu Clementis XII. Prædecessoris nostri eo profectus, impositio sibi muneri cumulate satisfecit, hæc leguntur *cap. 13. de Sacrosancto Missæ Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini ter Missas celebrandi, ad nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus, & statuimus: non quod morem illum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris, ac magistræ condemnemus: absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus; sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.*

Ideoque Orientalis Ecclesia eo uti non potest.

§. 3. Hæc Synodus prævio opportuno examine, fuit a Nobis confirmata, veluti nosse licet ex Constitutione Nostra in Bullarium Nostrum illata. Cumque ex memorata Synodo, æque ac ex præindicatis Lyturgiis Orientalibus innotescat, offerri quidem in Occidentali Ecclesia trinum Natali Christi die Sacrificium, non item vero in Orientali Ecclesia, jam locus fit regulæ latius per Nos firmatæ in Nostris Encyclicis Litteris datis octavo Kalendas Augusti anni 1755. ad Missionarios per Orientem, præloque Congregationis Propagandæ Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latina, suum itidem ab Orientali Ecclesia ritum servari oportere: hoc quippe est Sacris Canonibus sancitum, Constitutionibus Apostolicis cautum, ac Sanctæ Sedis perpetuo systemate, præfatis litteris late demonstrato, firmatum.

Vide superius easdem Encyclicas litteras in Append. XVI. pag. 144.

Diluitur objectum desumptum ex mutua Orientalem inter, & Latinam Ecclesiam nonnullorum Rituum participatione.

§. 4. Et si unquam excipi contingeret, iisdem in Litteris in exemplum per nos adduci Latinos quosdam Ritus ab Orientalibus, & vicissim Græcos quosdam Ritus a Latinis cooptatos, parata suppetit responsio, estque ejusmodi, id factum, vel confectarium fuisse immemorialis consuetudinis secumferentis famam concessi Apostolici privilegii; vel inductum ex privilegio Apostolico vero conceptoque; quarum quidem rerum, quod ad præsentem quæstionem attinet, nec species ulla quin potius perspicua ex adverso perstat probatio. Cum enim Edessenus Archiepiscopus Armeni Ritus Romæ degens facultatem sibi expetiisset, celebrandi tres Missas Natalitio Christi die, utque facultas ejusmodi ad reliquos etiam Sacerdotes Romæ commorantes protenderetur; propositis hujusmodi precibus in Congregatione Sacræ inquisitionis coram Consultoribus decimo tertio Kalendas Martii 1710., relatisque iterum in Congregatione de more habita in Palatio Apostolico tertio Kalendas Martii, negativum redditum fuit responsum; quamvis is, cui demandata fuit provincia scribendi ea de re, scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmativam sese præstiterit procliviorem, quemadmodum deprehendimus ex scriptis negotium illud attingentibus, quæ ex ædibus Sacræ Inquisitionis afferri ad Nos voluimus; & hoc fuit quidem dubium tunc propositum; *An dicto Archiepiscopo concedendum sit Indultum celebrandi tres Missas in die Nativitatis Domini more Latinorum, hocque extendendum ad omnes Presbyteros Armeni Ritu in Urbe commorantes*: hoc vero rescriptum: *Quoad petitum Indultum celebrandi tres Missas in die Natalis Domini more Latinorum, respondendum esse negative.*

§. 5.

Alia peculiaris ratio adversus Armenos Liburni commorantes.

§. 5. Prætereundæ nec sunt quæ in præfatis Litteris Nostris §. 45. a Nobis afferuntur. Cautum fuerat jam inde ab anno 1694., ut Armeni Liburno in Portu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes, in Paschatis, cæteriisque Festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum Kalendarium se conformarent. Tot tantasque turbas commoverunt præfati Armeni, ut habita sub annum 1699. iterata Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris Kalendarii Armenis Liburnensibus relinqueretur, quo usque ad novum recipiendum sese accomodassent, & quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Est itaque Liburnensibus Armenis sua pro ratione voluntas, respuunt Latinum Ritum, usum scilicet Kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant, sitque illud justitiæ consonum: cumque porro Latinum Ritum ter offerendi Sacrificium Natali Christi die sibi indebitum exposcant, facile captu est, haud decere, ut sui voti compotes fiant.

Altera objectio assumpta ex oblatione trini Sacrificii a Sacerdotibus Armenis peragi solita etiam per Orientem. Præmissa opportuna historici facti narratione, praxis ipsa hac ex erronea causa verisimiliter derivata demonstratur.

§. 6. Reliquum illud est, quod asseritur in Litteris Pisani Archiepiscopi, Armenæ nimirum nationis homines Liburno in Portu commorantes asseverare, memoratas tres Missas a multis per Orientes Armenis Sacerdotibus Catholicis, ejusdemque Ritus Missionariis celebrari, idque Nobis verisimile videtur, at nihil inde in rem præsentem. Beatus Bartholomæus Bononiensis ex Fratrum Prædicatorum familia, fuit a Joanne XXII. Pontifice in Armeniam ablegatus sub ann. 1318., & ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus, exindeque translatus ad Naxivanum Archiepiscopatum. Quo ipso tempore præfatus Beatus Bartholomæus celebri illa Missione fungebatur, aderat in Armenia Isaias quidam Schismaticus trecentis septuaginta discipulis præpositus. Mens ipsi inerat recta, & motus fama sanctitatis B. Bartholomæi, edoctusque ab ipso Catholicæ Fidei veritatem, se ei socium adjunxit, suis omnibus discipulis secum adductis: tuncque contigit, ut institueretur Congregatio Fratrum unitorum, assumpto ab iis omnibus habitu Dominicani instituti, emissaque Professione vitæ Regularis sub Regula Sancti Augustini, & Fratrum Prædicatorum Constitutionibus. Videre est omnia in Opere Patris Galani *de consensione Armenæ Ecclesiæ cum Romana part.* 1. *pag.* 508. *& seq.* atque elucubratius *tom.* 2. *Historiæ virorum illustrium Dominicani Ordinis* Auctore Patre Touron *lib.* 1. *pag.* 108. *& seq.* Isthæc Congregatio subjecta fuit Magistro Generali Dominicanæ Familiæ ab Innocentio VI. sub annum 1356., uti colligere est ex ejus Litteris in Dominicanum Bullarium relatis *pag.* 148., & in generalibus totius Ordinis Comitiis habitis anno 1583. nova hæc Congregatio ad Regularis Provinciæ gradus jura, & honores attolli cœpit. Cum autem Isaiæ discipuli unam noscerent Armenam Linguam, præterea nullam, & plenam cæteroquin cum Dominicanæ Familiæ Religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt præcitati Historici, ut Regulæ, Statuta, Breviarum, & Missale Ordinis in Linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis proximis instetisse Patres Armenæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, quo sibi liceret, typis mandare sua Breviaria, ac Missalia, e Latino in Armenum idioma translata; annuitque precibus Congregatio Romanæ universalis Inquisitionis habita octavo Idus Septembris 1713., deputatis emendatoribus, sive præli typici præsidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceretque exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere, quod satis superque in hujusmodi casibus alias contigisse constiterat; probavitque omnia Summus pontifex in Congregatione, proximo die, septimo videlicet Idus Septembris ejusdemmet anni habita.

Ideoque ex ea nihil confici.

§. 7. Cum itaque Dominicanum Missale in Armenam Linguam versum fuerit, cumque in Missali Dominicano tres reperiantur adnotatæ Missæ Natalitio Christi die celebrari solitæ, videtur admodum simile vero, Sacerdotes quosdam Armenos, & Missionarios videntes tres Missas a Patribus Dominicanis celebrari Natalitio Christi die, cœpisse & ipsos tria Sacrificia offerre, Dominicano Missali utentes in Armenam Linguam reddito: quoties autem ita se res habeat, quod verosimilius est, quisque sanæ mentis homo facile animadvertet, haud subsistere fundamentum, in oblatione trini Sacrificii a nonnullis Armenis per Orientem peragi solita, constitutum, nec eo juvari ullatenus posse Armenos Liburno in Portu commorantes; eo quod tres Missæ in Missali Dominicano adnotatæ, semper Latini Ritus esse censeantur, etsi in Armenam Linguam versæ; nec liceat Armenis pro arbitrio Latinos Ritus usurpare. Simillimum Nobis suppetit exemplum ex Missa Latina Patrum Dominicanæ Familiæ in Græcam Linguam versa juxta indultum a Bonifacio IX. datum Maximo Constantinopolitano Dominicanæ Familiæ Viro, relatumque *tom.* 2. Bullarii Dominicani *pag.* 370. Ea quippe Dominicani Fratres quidem, nullatenus autem Græci in sacrificio offerendo uti possunt.

Simillimo allato exemplo res confirmatur.

Monita ad Secretarium.

§. 8. Hæc itaque sunt, quæ Nobis, quamvis male a podagra habitis licuit colligere. Curæ tibi erit, Venerabilis Frater, deferre omnia ad Congregationem de Propaganda Fide; & si mandatum ab ea tibi fuerit, quod facillimum, ut ad Pisanum Archiepiscopum rescribas, opportunum fortasse erit, hujus ad te Nostræ Epistolæ exemplum eidem reddendum curare. Intera Apostolicam tibi Benedictionem impertimur.

Datum apud S. Mariam Majorem die 29. Dec. 1755. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

APPENDIX XVIII.

Lib. III. Cap. IV. De Oratoriis privatis disseritur; opportunum hinc erit ea hic adnectere, quæ ad tollendos abusus in illis irreptos statuit S. Pontifex.

De tollendis abusibus ab Oratoriis privatis, quæ sunt in domibus Laicorum.

Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ.

Ex Tom. III. Bull. pag. 577.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Controversiæ circa Oratoria privata vigentes, & Polonorum Præsulum vota, Pontificias declarationes exposcunt.

MAgno cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in Diœcesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter Oratoria privata, insurrexisse; quibus præcidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed & in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem & notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certe vobis regulæ indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum Ordinationes vestræ

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pontificia auctoritate noſtra munitæ fuerint, non ſolum ab omni malevolorum cenſura immunes evadant, verum majus ſemper eiſdem honoris, atque æſtimationis pondus accedat. Licet autem veſtræ hujuſcemodi petitioni ſatisfacere facillime potuiſſemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de hujuſmodi materia doctrina traditur Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea Sanctæ Sedis Decreta vel diſſimulant, vel ignorant, quæ aſſertionibus eorum omnino opponuntur; Nihilominus, cum Nos Venerabiles Perſonas Veſtras præcipuo ac ſpeciali effectu proſequamur, per Encyclicam hanc Epiſtolam noſtram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem Deceſſorum noſtrorum, tum noſtram hac ſuper re mentem, ſenſuſque aperiemus: quibus quidem, præter obedientiam, quæ eiſdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam neſcio quid majoris ponderis ineſt, materiæ ipſius nomine, quæ eorum objectum eſt, quæque in quæſtione verſatur; cum omnis hujuſmodi res ab Apoſtolicis Privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reſervata eſt, cumque eadem præcipuam normam deſumere debeat ex intentione illius, a quo conceſſio facta eſt, cujus ſenſus concedenti ſemper, quam alii cuilibet notior eſſe debet; adeo ut quidquid a vobis ſecundum ea, quæ in Encyclica hac Epiſtola noſtra continentur, ordinabitur, & ſtatuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum præſcriptis præſtitutum eſſe dicendum ſit; cujus rei gratia Apoſtolicorum Delegatorum qualitatem, & auctoritatem Fraternitatibus Veſtris additam eſſe cenſendum eſt; quam etiam, quatenus opus ſit, Nos ipſarum præſentium Litterarum tenore Vobis ad hujuſmodi effectum concedimus, & impertimur.

Eas, licet minus neceſſarias, edere intendis Pontifex, quo majus auctoritatis pondus habeant,

Oratoria privata in Epiſcoporum ædibus extructa jam uſque a prioribus Eccleſiæ ſæculis,

§. 1. Nihil ſane expoſitum Nobis eſt quod ad ea pertineat Sacella, quæ in Epiſcopalibus Palatiis veſtris habetis, pro Miſſa, vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam ſacra Functione, quæ officii ac dignitatis veſtræ propria ſit, obeunda; de quibus late differere Nobis perfacile eſſet, niſi hoc a propoſito noſtro alienum foret. Quare duo tantummodo vetuſta Sacellorum exempla indicabimus, quæ Epiſcopi in proprio Epiſcopio a publicis Eccleſiis diſtincta, ac ſeparata habebant, in quibus Sanctum Miſſæ Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum eſt Sancti Caſſii Epiſcopi Narnienſis, de quo S. Gregorius *in Homilia* 37. *ſuper Evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in Oratorio Epiſcopii ſui Miſſas fecit*, tam ut propriæ, quam ut eorum, qui illum viſitatum adveniebant, devotioni ſatisfaceret. Alterum exemplum eſt S. Johannis Eleemoſynarii Epiſcopi Alexandrini, qui, ſicut in Actis ipſius a Leontio ſcriptis deprehenditur, illos coarguens, qui, Miſſa nondum peracta diſcedebant, quum ipſe ad eamdem celebrandam in publicam Eccleſiam ſe conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos deſcendo in Sanctam Eccleſiam, nam poteram mihimet facere Miſſas in Epiſcopio.* Prædictum exemplum legere eſt apud Thomaſſinum *de veteri, ac nova Eccleſiæ diſciplina part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 6. Alia exempla in Opere *de Oratoriis privatis* inſcripto *cap.* 6. collecta reperiuntur (quod opus noviſſime a Johanne Baptiſta Gattico Canonico Lateranenſi Romæ in lucem editum eſt) per quæ Epiſcoporum jus circa Sacella in propriis Epiſcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

Concilium Tridentinum de aliis Oratoriis privatis decernens, nihil detrahit Sacellis Epiſcoporum.

§. 2. Huic quidem juri Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *Seſſ.* 22. *de obſervandis in celebratione Miſſæ*, propter multa, quæ parum decenter fieri identidem contingebat, Epiſcopis præcepit, ne Sæcularibus, ac Regularibus Miſſam celebrare permitterent *privatis in Domibus*, & extra Eccleſias, aut Oratoria publica, quæ Divino cultui deſtinata eſſent; quod nullam cum Cappellis, quæ in Epiſcopalibus Palatiis ſunt, rationem habet, quum hæc ſub privatarum domorum nomine nunquam cenſeri poſſint. Id pluries a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ejuſdem Concilii Tridentini Interpretum, in aliquot ejuſdem Reſolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum eſt, quas Nos in noſtro *de Sacrificio Miſſæ* Tractatu retulimus *Sect.* 2. §. 45. *& ſeq. Latinæ Edit. Patav.*; Nos enim, tunc etiam cum *in minoribus* conſtituti, opus aliquod inſcriberemus, illud præcipue Nobis glorioſum duximus, ut nulla in parte a Romanæ Curiæ Tribunalium Sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit.

Sed nihil etiam ſtatuit de eorum facultatibus extra Ædes Epiſcopales, & extra Diœceſim.

§. 3. Illud tantummodo de hujuſmodi Epiſcoporum Privilegio dici poterat, quod, cum idem ad Sacella, quæ in Epiſcopiis ſita ſunt, reſtringeretur, nullo modo Epiſcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos verſarentur, cum Viſitationem obirent, ſive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Miſſam celebrare, vel eidem intereſſe vellent, ad publicas Eccleſias ſe conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut ſibi liceret, vel Miſſam celebrari facere, vel ipſi eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diverſarentur.

Privilegium Altaris viatici ubi quæ erigendi Epiſcopis conceſſum a Bonifacio VIII.

§. 4. Verum recol. mem. Prædeceſſor Noſter Bonifacius Papa VIII. in Decretali ſua: *Quoniam Epiſcopi, de Privilegiis in Sexto*, male factum reputans, Epiſcopos ſine rationabili cauſa Miſſam quotidie non celebrare, aut eidem non intereſſe, eiſdem conceſſit, ut etiam extra propriam Diœceſim Altari portatili, ſeu viatico uterentur: *Præſenti Conſtitutione indulgemus iiſdem, ut Altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque abſque interdicti tranſgreſſione illis permittitur celebrare, vel audire Divina.* Dignum animadverſione verbum eſt, *Ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quæ extra Diœceſim ſita ſunt, comprehendit.

Eo uti poſſunt etiam ſine licentia Ordinarii Localis, & poſt Concilii Tridentini, & Pauli V. decreta,

§. 5. Præcipuam etiam animadverſionem dictæ Congregationis Concilii Reſolutiones merentur, cum ad Quæſitum eidem propoſitum, num videlicet Epiſcopus, qui extra propriam Diœceſim eſt, ad utendum Privilegio Altaris viatici, petere ejus rei veniam ab Epiſcopo Locali teneatur; minime eum teneri reſpondit; alioquin fruſtratorium Bonifacii VIII. Privilegium fuiſſet; quoniam illius Pontificis ætate antiquum Jus in ſuo vigore perſtabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino poſtea derogatum fuit, ſecundum quod Epiſcopi facultatem concedebant Miſſam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum Quæſitum propoſitum fuiſſet: num Privilegio per Bonifacium VIII. Epiſcopis conceſſo, vel Tridentinum Concilium, vel Pontificis Pauli V. Decretum, de quo pariter mox dicetur, præjudicium ullum attuliſſent; nihil pariter Privilegio illi detractum fuiſſe reſpondit; cum tam in Concilio, quam in citato Decreto, ſublata quidem Epiſcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Miſſam celebrandi concedere poſſent, verum nequa-

nequaquam juribus illis expoliati remanſerint, quæ proprias perſonas reſpiciunt, quæque eorumdem dignitatis, atque charactéris propria ſunt. Prædictæ Reſolutiones a Nobis referuntur in noſtro Tractatu *de Sacrificio Miſſæ* latinæ editionis Patavinæ *Sect.* 2. §. 42., nec non in Commentariis bon: mem: Cardinalis Petra ad Conſtitutiones Apoſtolicas *tom.* 4. *ſuper Conſtitutione* 2. *Urbani V. num.* 15. *& ſeq.*, & a Gattico in recenti ejuſdem Tractatu *de Oratoriis domeſticis in tit. de uſu Altaris portatilis cap.* 12. *num.* 1. *& ſeq.*

Non tamen extra domum propriæ habitationis, ſive in ſua, ſive in aliena Diœceſi.

§. 6. Tam verum eſt, quam quod veriſſimum, nullam rem majus præjudicium Privilegiis afferre, quam abuſum eorumdem; quod quidem ſatis ſuperque pro vero comprobatum fuit, etiam in caſu hujus Privilegii Altaris portatilis, quod conceſſum Epiſcopis eſt, & quod poſt Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illæſum remanſit: Certis indiciis compertum fuit, quoſdam Epiſcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra Diœceſim, ad Laicorum ſe domos conferebant, atque in iis, vel ipſi Miſſam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Miſſæ, faciebant, idque nulla neceſſitate urgente, ſed ad eum tantum finem, vel ut proprium Privilegium oſtentarent, vel ut Laicorum petitioni ſatisfacerent. Cum hujuſce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem perveniſſet, non prætermiſit hujuſmodi exceſſum prohibere, ejuſdemque abuſus corrigendi curam Archiepiſcopis committere, ſi quando factum in locis eorum juriſdictioni ſubjectis contigiſſet. In Codicibus Actorum, ſeu Regeſtis Congregationis prædictæ *lib.* 48. *Decretorum fol.* 471. Reſolutiones ipſæ referuntur. Quia tamen nihilominus malum invaleſcebat, a felicis recordationis Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703. ſequens Decretum publicatum fuit, in quo poſtquam inconveniens expoſitum fuit, nimirum: *Epiſcopi etiam in aliena Diœceſi extra Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut per plures e ſuis Cappellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolant*, ad remedium gradus fit: *Ad abuſus hujuſmodi eliminandos &c. Sanctiſſimus Dominus Noſter &c. expreſſe declarat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque ſub prætextu Privilegii clauſi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere.*

Trà ſi in aliena domo extra moram traxerint etiam bonitatis & itineris cauſa, poſſunt.

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propoſitus fuit, ut abuſus tollerentur, numquam autem ut recto Privilegii uſui quidquam detraheretur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla, & effrænata, cuiquam præbere anſam poterant affirmandi, non licere Epiſcopis uti Privilegio Altaris portatilis, tum cum vel Diœceſim viſitant, vel iter faciunt, aut alia juſta de cauſa extra reſidentiam ſunt, atque in Laicorum domibus morantur; illato de hujuſmodi re ſermone in Congregationibus, quæ ſub Innocentio XIII., immediato Clementis ejuſdem Succeſſore, habitæ fuerunt, quarum Nos tunc *in minoribus* exiſtentes, a Secretis fuimus, opportunum factu judicatum eſt, ut ea, quam mox ſubjicimus, Declaratio fieret, quæ poſtea inſerta fuit in ejuſdem Innocentii Litteris incipientibus: *Apoſtolici Miniſterii*, quas idem Pontifex pro conſtituendo in Hiſpaniarum Regnis bono Eccleſiaſticæ diſciplinæ regimine condidit, quaſque etiam ejuſdem Succeſſor Benedictus XIII. *in forma ſpecifica* confirmavit, & ut in omnibus locis pro regula, ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a ſe celebrati voluit inſertas; ipſam vero declarationem inter ejuſdem Concilii decreta retulit Tit. XV. Cap. III., in quo quidem Concilio Nos quoque ad Sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus, quod, cum in prædicto Decreto*, de Clementis XI. Decreto ſermo eſt, *ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere; hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de domibus, etiam Laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte, occaſione Viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur; ut nec etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis; his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.*

Præmiſſarum Regularum uſus.

§. 8. Optimum factu judicavimus in Encyclica hac Epiſtola Noſtra exponere Vobis hæc, quæ ad Fraternitates Veſtras præcipue pertinent, nimirum quantum Vobis conceſſum eſt quoad Sacella, ſeu Cappellas, quæ in Epiſcopalibus Palatiis veſtris ſunt; quantum item Vobis in alienis domibus, & extra veſtram Diœceſim facere permiſſum eſt: cauſas etiam Conceſſionum, ac Privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abuſus, atque abuſuum prohibitiones appoſuimus; tum ut Vos diſcrimen agnoſcatis, quod intercedit inter Cappellas Epiſcopalium Ædium veſtrarum, per quas non minus ſpirituali conſolationi, & commodo veſtro, quam dignitatis veſtræ decori providetur, & privata Oratoria in domibus Laicorum, ſive intra, ſive extra Diœceſim veſtram, in quibus aliquando Vobis, pro præcipuo fine hujuſmodi commodi, & conſolationis veſtræ, Privilegio Altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abuſus privatorum Oratoriorum in domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii ſitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim veſtræ domi, atque in propria agendi ratione exceſſus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propoſitum, quæ in Domibus Laicorum ſunt, gradum facientes, aliqua præmittemus.

De Oratoriis privatis in domibus Laicorum extant monumenta, tum primis, tum poſterioribus Eccleſiæ Sæculis.

§. 9. Primum quidem eſt, privatorum Oratoriorum in dictis domibus uſum ab antiquo tempore repetendum eſſe; cum conſtet Apoſtolos Sacra Myſteria privatis in domibus celebraſſe, eumque morem perſecutionum tempore ſervatum fuiſſe, quemadmodum Chriſtianus Lupus *in ſuis notis ad Canones Trullanos* appoſite animadvertit. Alterum autem, privata Oratoria in domibus Laicorum, ſubſequentibus etiam ſæculis fuiſſe, cum perſecutiones jam ceſſaſſent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius *tom.* 1. *Muſæi Italici* impreſſum edidit, *Collecta* legatur, quæ recitanda erat in Miſſa, quæ celebrabatur *in domo cujuslibet*; nec ad hujuſmodi quidem aſſumptum aliæ deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu noſtro *de Sacrificio Miſſæ ſect.* 1. §. 10. cum cura colligere ſtuduimus. Tertium porro eſt, de tollendis hujuſmodi Oratoriis privatis in domibus Laicorum, ſeu potius facultatibus Miſſam in ipſis celebrandi, pluries cogi-

De iis abrogandi ſæpe cogitatum.

tatum,

satum esse, Nihil de Justiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis Oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil præterea de Novellis 4., & 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, aserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missæ celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quæ proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quæ in dicto Tractatu *de Sacrificio Missæ loco superius citato* a Nobis allata fuerunt.

Ad eorum erectionem, & usum Episcoporum licentia semper requisita fuit.

§. 10. Quartum, quod licet fere semper in Laicorum domibus privatorum Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit: Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.* Verba sunt *Can. Missarum, de Consecrat. dist.* 1. Hæc autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Græcorum non nisi unicum Altare erat, & postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon *in Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo censebatur Sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis Laicorum Oratoriis, quoties super Mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

Sed hæc facultas a Concilio Tridentino Episcopis adempta est, ideoque ad solum Romanum Pontificem devoluta.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera Cardinalis Osii, & Nuntii Commendonii, in magno Conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardin. Pallavicinum conscripta *lib.* 24. *cap.* 13. videre est) *in sess.* 22. in Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, sequenti modo statutum, & ordinatum fuit: *Neve patiantur*, de Episcopis sermo est, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*, cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni, & consuetudini, *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque*; ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus Laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quæ ab ipsis daretur, celebrandi Missam in Oratoriis privatis neutiquam stare possit cum præcepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde prædictum Jus ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiæ temporum, & Oratoriorum privatorum in Laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus aboleren tur. Atque hujusmodi semper fuit Conciliaris Textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa ejusdem interpres: quæque etiam a fel. record. Prædecessore nostro Paulo Papa V. in Epistola Encyclica anno 1515. ad omnes Episcopos expedita approbata fuit; quæ quidem Epistola tum apud varios Auctores, tum etiam *in citato Tractatu nostro de Sacrificio Missæ sect.* 2. §. 42. impressa reperitur. Et in ea quidem alia quæcumque Verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missæ Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti præbebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii Decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

Provida Leges a S. Sede præscripta pro Oratoriis privat. erectione & usu.

§. 12. Postquam Jus concedendi Oratoria in privatis Laicorum domibus Sedi Apostolicæ reservatum fuit, dici vix potest quantum curæ, ac diligentiæ adhibitum sit pro recto ejusdem moderamine. Qua de re in Archivio Congregationis Concilii, cujus olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad majores Dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Hæc tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis Litterarum in forma Brevis, quæ conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, & apte compositum sit, num aliquid eorum, quæ necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, & quod licentia hujusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur; & quod hæc Missa celebretur a Sacerdote, vel Seculari, vel Regulari, dummodo Secularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, & aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerandus dies Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Titularis Ecclesiæ Loci: Exprimuntur personæ, quarum præsentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; aliæ item, quæ, dum supradictis præsentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, & Ecclesiastico præcepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine Parochialium jurium præjudicio fieri debere.

Ampliores concessiones, quoad numerum Missarum, dies, & horas, quibus celebrari valeant.

§. 13. Atque hæc sunt, quæ in consuetis privatorum Oratoriorum Brevibus continentur. Quædam vero alia expediri contingit Brevia, quæ extraordinaria sunt, ut quum exempli gratia, justis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquanto citius aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis præfixus est; vel etiam in diebus exceptis; & alia hujuscemodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorium Oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiæ exortæ sint; Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non prætermisit.

Ad peculiares quæstiones decreta edita.

§. 14. In Ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus Conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem præsentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut Vir, aut Uxor Missæ intersunt; si con-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

si consanguinei, & affines qui in eadem domo habitant, præsentes pariter adsint, Ecclesiastico præcepto diebus Festis satisfaciant: id tamquam tutum, ac Brevis litteræ cohærens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter Conjugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari; & num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, & affines, eamdem audientes Festo die, Ecclesiastico præcepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisæ de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii *die* 3. *Decembris* 1740. in causa, cujus inscriptio erat *Marsicen. Oratorii*, propositum, ac discussum esset; decisum fuit; non posse in privato Oratorio Missam celebrari, nisi Indultariorum præsentia eidem haberetur, quod idem est ac si dicatur, Viri, vel Uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum *in tom.* 9. Resolutionum Concilii *anni* 1740. *ad pag.* 89. *& seq.* videre est.

1. Indultariorum præsentia requiritur pro celebratione Missæ in Orat. priv.

Indultarii dignoscuntur ab iis, quibus formula conceditur, ut Missam sibi audiendo, satisfaciant Præcepto.

§. 15. Cum autem Decreti hujusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos *sub die* 7. *Januarii* 1741. confirmatum fuit; ac præterea demandatum; ut in hujusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato Oratorio Missa pro filiis, consanguineis, & affinibus valeat, majoris claritatis gratia, subjecta clausula adjungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, & affines prædicti unicam dictam Missam, vobis quidem præsentibus, audire tantummodo: nunquam vero celebrari facere audeant*. Ut autem, quæ Indultariæ personæ sint, facile agnosci posset, sine quarum præsentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, præcepto satisfacit; adjunximus, ut pro Indultariis personis illæ haberentur, quæ in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatæ forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

Indultarii censentur ii, quibus inscripta sunt Litteræ Apostolicæ.

Nisi aliter in corpore Brevis dispositive statuatur,

§. 16. Nos ab hujusmodi norma minime recedimus: verum quia aliqua interdum in corpore Brevis personas nominatur, qua præsente, conceditur, ut Missa celebrari possit, & quod alii affines, consanguinei, vel familiares eamdem audientes, præcepto satisfaciant, etiamsi prædicta persona in Fronte Brevis minime nominetur; hinc est, quod, firma semper ea regula manentes, ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex Indultariis personis adsistit, quæ in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum præsens adsit, quæ in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominantur, dummodo illa præsens sit, cui in Brevis corpore nominatim & expresse facultas tribuitur, ut possit in privato Oratorio tum cum ipsa adsistat, facere ut Missas celebretur.

Exemplum rius rei affertur.

§. 17. Atque ut res exemplo magis pateat: Datur Viro & Uxori facultas faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem Vir superstitem habet Matrem; hæc vero in Fronte, seu Inscriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque Mater eamdem Missam celebrari facere possit, & valeat; id sufficiens est, ut sola Matris præsentia adhibita, Missa in Oratorio celebrari possit, etiamsi Mater in Fronte, seu Inscriptione Brevis nominata non sit. Quæ hactenus dicta sunt, in hujusmodi generis Brevibus indicantur; verum curæ Nobis erit, ut in posterum felicius etiam, & sine ulla confusione expriman tur.

2. Si permittatur celebratio Missæ diebus ex cipi solitis, in Nativitate Domini celebrari poterunt tres Missæ.

§. 18. In consuetis, sive ordinariis Brevibus, solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet Sacerdote Missæ celebrantur. Interdum illi, qui privati Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur; in quo eidem, valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit; orta difficultas fuit: num possent die Natalitio a Sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missæ celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii ejusdem a Secretis eramus, peculiarem Dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, *sub die* 13. *Januarii anni* 1725. resolutum a Congregatione fuit, quod a Sacerdote tres Missæ celebrari possent, quemadmodum *tom.* 3. Thesauri Resolutionum *pag.* 109., *& seq.*, *& pag.* 116. videre est.

3. Baptismi extra casum necessitatis, ministrari nequit in Oratoriis privatis, præterquam Filiis Regum, ac Principum.

§. 19. Reliquum est, ut de Sacris Functionibus dicatur, quæ in iis Oratoriis fieri possunt, quæ in domibus privatorum sunt, & in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis Sacramentum attinet, jam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, præterquam in Ecclesiis, in quibus Sacri hujus Lavacri Fontes reperiuntur; nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de Regum, vel Principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *de Baptismo*, *& ejus effectu*, videre est.

4. Nec Pœnitentiæ Sacram. extra casus a jure permissos non obstantibus Privilegiis Regularium.

§. 20. Quod autem Sacramentum Pœnitentiæ respicit, jam in Rituali Romano sub Titulo *de Sacramento Pœnitentiæ*, cum de Sacerdote sermo fit, qui Confessiones audit, statutum fuit: *In Ecclesia, non autem in privatis ædibus, Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare*. Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum fuit; Et magnus Ecclesiasticæ disciplinæ Instaurator Sanctus Carolus Borromæus tum in Institutione Sacramenti Pœnitentiæ, tum in Monitis ad Confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non prætermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, editionis Civitatis ejusdem *part.* 1. *pag.* 11., *part.* 4. *pag.* 520., *eadem part.* 4. *pag.* 761., *& pag.* 773. videre est; *pag.* autem 775. Superioribus Regularium inculcat, ut id a Subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a prædictis Confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique Confessiones Fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla: *Superna* nulla loci limitatio fieret: idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in prædicta Constitutione sua) *fuisse tributam Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cujusvis Ordinis &c. Sacramentum Pœnitentiæ administrare in domibus privatis extra casus a Jure permissos*. Quod Decretum cum Præsulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in Appendice ad Synodum Fulginatensem quæ a bon: mem: Josaphat Baptistelli Civitatis ejusdem Episcopo anno 1722. celebrata fuit.

§. 21.

3 Communio Paschalis in Ecclesia Parochiali sumenda est.

§. 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quæ ab unoquoque Catholico Paschatis tempore recipienda est, ex præscripto tum Decreti Concilii Lateranensis *in Cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus*, tum Concilii Tridentini *sess. 13. cap. 8. can. 10.*, nemo est, qui ignoret, præceptum hoc in propria Parochiali Ecclesia adimplendum esse, aut in alia Ecclesia cum proprii Episcopi, vel Parochi licentia, secundum varias Diœcesum consuetudines. Porro fel. record. Prædecessor Noster Paulus Papa IV. Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut Sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum Ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis, atque hoc privilegium a sanctæ memoriæ altero Prædecessore Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

Regularibus vetitum, in die Paschatis S. Eucharistiam distribuere in eorum Ecclesiis non Parochialibus.

Non tamen id petitum aliis diebus infra terminum Paschale, salvo impimento Præcepti in Parochiali Ecclesia.

§. 22. Verum quia, secundum præcedentem Eugenii IV. Constitutionem, Paschale tempus, intra quod Communionis præceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret intra præscriptum eorumdem dierum terminum Sacram Eucharistiam Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere; resolutum fuit, die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam Paschali præcepto in propria Parochiali Ecclesia satisfeciſſet; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus Fideles in eorum Ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a præcepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii Decreta sunt quibusdam in Causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi, & Mechliniensi, quæ a Nobis in nostro *de Synodo Diœcesana* Tractatu *lib. 7. cap. 42. n. 3.* relata sunt.

In Oratoriis privatis, extra Communionem Paschalem, licebit S. Eucharistiam sumere, si Episcopi licentia accedat.

§. 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in Sacro Tridentino Concilio *sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ*, quæ subjicimus verba leguntur: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret*, non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe & clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missæ præsentes adsunt; neque ad hoc præstandum ullo particulari Indulto opus sit. Super hujusmodi quæstionis capite Nos *in nostra Instit. 34. §. 3.* diseruimus, inter eas, quas tum Bononiæ residueremus, Ecclesiæ illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum Italico Sermone edidissemus, postea Romæ latine redditæ, atque impressæ sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subjunximus, quæ Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missæ in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanæ etiam consuetudini, sive praxi, cohærens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato Oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missæ intersunt, quam vel Secularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel nostram, vel Generalis Vicarii nostri licentiam obtinuisset.

Rectus disciplinæ ordo postulat ut hac

§. 24. Neque etiam in præsens voluntas Nobis, aut ratio est, cur ab hoc Systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia super Communione illis distribuenda, qui Missæ præsentes cum sint, eamdem petunt, quæ aliquod ab hinc annis in Italia exorta fuit, postquam Trid. Conc. verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter S. Missæ celebrationem Communionem recipiunt; Ecclesiasticos quoque Pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui ejusdem famelici forent; cum inquam animadvertissemus, ejusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, Sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missæ interfuit, minime distribui; eo magis quod, juxta præsentis temporis disciplinam, libera eidem facultas patet: ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris præcepto obedientia præstari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium præbuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad Altaris Sacramentum recipiendum; quemadmodum in Litteris nostris, quarum initium est: *Certiores effecti*, & quæ in Bullario nostro *tom. 1. num. 64.* leguntur, videre est.

Præmissorum Decretorum expositio omnem ignorantiæ excusationem e medio tollit.

§. 25. Atque hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæcumque in Encyclica hac Epistola nostra Vobis exponere opportunum existimavimus; a quo quidem satis intelligetis, quod, legendis & considerandis Apostolicis Litteris concessionum Oratorii, Decessorum nostrorum Decretis, harum Congregationum Resolutionibus, quæ a Nobis etiam in præsentia confirmata sunt, nullus amplius litibus, & controversiis locus reliquus sit. Verum quia vos illud fortasse Nobis responsuros arbitramur, optime quidem hæc omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quæcumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione, & consideratione, aut ex ignoratione Decretorum, & Pontificiarum resolutionum, originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet ætate nostra, & multis ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in Encyclicam hanc Epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inferere non detrectavimus.

Eadem in Diœcesanis Synodis, & Episcoporum Ædictis publicanda sunt.

§. 26. Quod si Vos etiam id præstare curabitis, ut in Diœcesanis Synodis vestris, in vestris item Edictis, quæ a Vobis pro bono Diœcesis vestræ regimine publicantur, Pontificiorum Decretorum, ac Resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis; duplex inde bonum extabit, ut, & vivam in Vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis, atque ab aliis, aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt, atque in præsentia tenent nostri Italiæ Episcopi, qui aut Pontificiorum Decretorum, quæ super privatis Oratoriis condita sunt, Summam in Synodis suis inseruerunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem Decreta *per extensum* adjunxerunt; quemadmodum in Synodo *anno* 1724. a bon: mem: Cardinali de Via Arimini habita, in altera *anno* 1726. celebrata a bon: mem: Cardinali Pignatelli Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quæ *anno* 1736. habita fuit a Ven. Frater nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

§. 27.

Indultariis etiam demonstranda, cum in terminatione amissionis Privilegii.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea præsentibus diebus contingere scandala, quæ nunquam præteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quæ hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacræ leges ad privata Oratoria pertinentes a Sacerdotibus violantur, propter præsidium, quo nituntur, Magnatum Seculi, apud quos Cappellani munere inserviunt; idem nono etiam Seculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis, de eadem re queratur in suo Tractatu *de Privilegio & jure Sacerdotii cap.* 11. Non tamen idcirco vobis Sacerdotalis constantia, atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum Natio est; &, si quando aliquis abusus in privatis ejusdem Oratoriis contingat; cum id Magnati, cujus in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, & ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur; sperare est; ipsum omne suum inobedienti Capellano præsidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur; præsto vobis semper spiritualia arma sunt; quibus contra Cappellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit pace omnium dicemus; res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut, ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad Encyclicam hanc Epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

Et contra Cappellanos inobedientes procedendum etiam per censuras.

Exempti quoque præmissa observare tenentur.

§. 28. At enim inconvenientia a Privilegiatis, & Exemptis proficisci vos fortasse dicturos prævidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in prædictos recursu ad hanc Sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quæ impedire possint, quominus abusus exterminentur.

Regularium Privilegia hac in re sublata sunt a Concilio Tridentino, omnisque facultas Episcopis tributa, ut eos arctare possint ad observantiam Decretorum super hoc editorum.

§. 29. Habebant sine dubio Regulares privilegium Altaris viatici, & ut super eodem Altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in Decretali Honorii III. *in Cap. in his, de privilegiis*, videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam *possent celebrare etiam in domibus laicorum, sive super Altari viatico, sive super Altari fixo, etiamsi laicus privilegium Oratorii privati minime haberet; propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum Sacrum Tridentinum Concilium in citata *sess.* 22. in Decreto jam citato *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, Episcopis præcepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missæ celebrentur *a Secularibus, aut a Regularibus quibuscumque*, eisdemque dedisset facultatem procedendi, tamquam Apostolicæ Sedis Delegatos, contra refractarios: *Ut Delegatis Sedis Apostolicæ;* atque omnibus privilegiis, exemptionibus; & consuetudinibus contrariis, cujuscumque generis essent, derogasset: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque*; hinc necessario consequitur, Sacrum Concilium Tridentinum tam præcedentibus Altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati Missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium, vel exemptionem, quæ obstet, quæque impediat, quo minus abusus tollantur.

§. 30. Nihil autem valet ea, quæ a quibusdam promovetur, assertio, videlicet, Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore Juris* inclusum sit; etenim Sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quæ *in corpore Juris* inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliud contrarium ipsis determinando, generali adjecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris Præsul Fagnanus *in cap. Nonnulli num.* 42., & *seq. sub tit. de Rescriptis* ample demonstrat.

Privilegia in corpore juris clausa, etiam sine speciali mentione, a Trid. Synodo abrogata.

Altaris viatici Indultum pro locorum necessitatibus tantum conceditur.

§. 31. Quod si forte quis hoc unquam obiiceret, concessum sæpe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, Altaris viatici usum concedi; Fraternitatibus vestris notum esse debet, hujusmodi privilegium in iis locis concedi; ubi Ecclesiæ non sunt, aut si sunt, talis Hæreticorum potentia est, ut in eadem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint. Uno verbo præcise necessitati providetur; quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu, plane diversum est.

Tenor Privilegii Fratribus Prædicatoribus concessi pro locis, in quibus Ecclesiæ desunt, & Hæretici Catholicos opprimunt.

§. 32. Gregorii XIII. Decessoris nostri privilegium legite, quod *anno* 1580. Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Polonicæ concessit, quod Bullarii Religiosæ illius Familiæ *tom.* 7. *pag.* 192. insertum est: *In quibusdam Civitatibus, Oppidis, & locis Provinciæ Poloniæ tanta hæreticorum potentia, & impietas existit, ut Catholicos impune opprimant, nec iisdem Catholicis Missas in Ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi; ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Poloniæ Priori Provinciali, ut licentiam, & facultatem dictis Professoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, & honore super quibus in domibus Nobilium Civium, & Incolarum Civitatum, Oppidorum, & locorum dictæ Provinciæ, in quibus vel Ecclesiæ desunt, vel tanta est hæreticorum potentia, & impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, & honestis, per se ipsos Missas in præsentia personarum Catholicarum celebrare possit, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.*

Decretum Clementis XI. de Privilegiis Regularium, de usu Oratoriorum Privatorum, de facultatibus Episcoporum diserte statuit.

§. 33. Legite item jam superius citatum Clementis XI. Decretum, quod majoris etiam commoditatis vestræ gratia, hic annexum vobis transmittimus, etiamsi, tum cum illud conditum fuit, præter publicationem ejusdem Romæ factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam, trasmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus, & animadversionibus Nos idem roborandum suspiciamus, (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum præstantiorum, inter Pontificii Juris peritos, Auctorum assersiones ubique in promptu sint,) manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis Altaris privilegia, quæ Regularibus concessa fuerunt, & num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuipiam concesso Missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi Missa peculiare Indultum adest. Cognoscetis, num in prædictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit, vel ante Auroram, vel post Meridiem, Missam celebrare; num celebrare eamdem possit diebus iis, qui Indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes

procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in præsentia Decretum confirmamus, ac Fraternitatum vestrarum curæ committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quæ ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia submINistrata fuerunt.

Regularibus non licet, contradicente Episcopo, exorcizare, etiam in propriis Ecclesiis, & Cœnobiis.

§. 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet; sine licentia vestra, Regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris Edictis decretum fuerit, ne ullus Sacerdos, vel Regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive extra Cœnobium, quin prius a vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod præstari debet, quodque ab Episcopis præstari solet, quemadmodum apud Clericatum *de Sacramento Ordinis decis. 19. num. 42.*, ubi Episcopales Synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, post quam a vobis, tam in hac materia, quam in alia Oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, præstitum fuerit, vestra nihilominus præcepta violabuntur, ac pœnæ a vobis impositæ & inflictæ negligentur; nequaquam certe Nos Officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus; cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Episcoporum, qui Fratres nostri sunt, jura sarta tecta serventur. Interim tam Fraternitatibus vestris, quam Populis curæ vestræ commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum ex Arce Gandulphi die 2. Junii 1751. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

DECRETUM

Felicis recordationis CLEMENTIS PP. XI. circa celebrationem in Oratoriis privatis emanatum 15. Decembris 1703.

NOnnulli Episcopi, & complures Regulares, sub prætextu privilegiorum, ea sibi licere putant, quæ prohibita sunt; siquidem Episcopi etiam in aliena Diœcesi, extra domum propriæ habitationis, in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium personarum privatis Oratoriis, quæ certis, quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam Decreta Sacræ Congregationis Concilii, celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quo minus in illis celebrari possit; aut etiam Altari portatili uti non verentur; in Sacrarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem, ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus Noster, ex unanimi Voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat; Episcopis & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus Dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quoquo titulo, nullo modo licere, extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi jam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius, & declarando in omnibus casibus, personas quascumque dictas, Missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in Cap. In his, de privil. *ac per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto* sess. 22. cap. unico, *usque ad Censuras latæ Sententiæ: tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset; & ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat &c.*

APPENDIX XIX.

Lib. III. Cap. XII. num. 3. Loquitur S. Pontifex de jejunio naturali ante Eucharistiæ sumptionem necessario. Præter ea autem quæ in Appendice IX. hac de re habentur, hæc alia duximus addenda de jejunio, & de Pontificia potestate ab eo dispensandi.

Facultas tribuitur Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi, ut Sanctam Eucharistiam possit suscipere, de Spiritualis Directoris sui consilio, etsi post mediam præcedentem noctem jentaculum aliquod, sic exposcente valetudine, sumpserit. Ex Bul. lario T. IV pag. 404.

Dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Sancti Officii Assessori

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte filii, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Pium Regis Britannici votum communionem sumendi etsi non jejunus.

QUadam, de more, tibi impertita audientia, detulisti ad Nos pium æque, ac religiosum votum Carissimi in Christo Filii Nostri Jacobi III. Magnæ Britanniæ Regis, liceret ut sibi Eucha-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

charisticum sumere Sacramentum, etsi de media nocte antevertente diem, quo sacris mysteriis participem se fieri cupit, quandoque, ex ægra valetudine, cibum aliquem sumere cogatur, quo vires reficiat, atque id quidem haud se facere paratum esse, nisi sui Confessarii consilium & approbatio accesserit.

Jejunium naturale parvitatem materiæ non patitur.

§. 2. Facilioris doctrinæ Theologus responderet, nulla Regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo, necessitate cogente; non ex animi levitate sumpto, atque non minus in naturali jejunio, quam in Ecclesiastico materiæ, ut inquiunt, parvitas indulgeatur. Verum opinio isthæc, etsi a Pasqualigo propugnata, falsa est; veluti pluribus demonstrant Suarez *in 3. part. tom. 3. quæst. 80. art. 8. disput. 68. sect. 4. §. Dico secundo*. Salmaticenses *tom. 1. Cursus Theologicis Moralis tractat. 4. cap. 7. quæst. 4. num. 66.* Eamdemque refutavimus ipsi pro viribus ac facultate in nostro Tractatu *de Sacrificio Missæ sect. 2. cap. 4. §. 2. Patavinæ editionis*. Alia itaque via insistendum; his, quæ sequuntur, propositis.

Potuit Ecclesia, docuitque, ut naturale jejunium Communioni præmittendum statueret.

§. 3. Primum, etsi peramabilis Redemptor noster sacra sui Corporis Communione participes fecerit Apostolos non jejunos; cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id præstiterit, haud tamen ademit ipse Ecclesiæ suæ auctoritatem constituendi, prout reipsa constituit, ne cui, Viatici, aliisque paucis exceptis casibus, videndis apud Theologos Morales, non jejuno, & quidem a media superiori nocte Communionem præcedente, Eucharisticum Sacramentum ministretur. Rem hanc tractat S. Augustinus *Epist. 54. alias 118. ad Januarium cap. 6.*, ubi postquam retulit, Christum Discipulis non jejunis Corpus suum ministrasse: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos*: ita subdit: *Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani, prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi*. Quod, post S. Augustinum, traditur quoque a Magistro Sententiarum *in 4. Sent. dist. 8.*, & a S. Thoma *3. part. quæst. 80. art. 8.* Suntque in hoc ipsum gravia, & momentosa verba Pontificis S. Nicolai I. *ad consulta Burgarorum cap. 65.*

Ab hac jejuni lege solus Pontifex dispensare potest.

§. 4. Alterum, cum generali lege caveatur, ut non nisi jejuno universim sacra ministretur Communio, quam ipsam legem innuit quoque Synodus Constantiensis *sess. 13.*, ubi hæc leguntur: *Hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque a Fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso*: ut alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non jejuno, sacra participare mysteria, necesse erit, eumdem expressa dispensatione juvari, quæ porro dispensatio a nemine, præter Romanum Pontificem, potest indulgeri. Id solide tuetur Henaus *de Eucharistia disput. 14. sect. 3. num. 44.* Et Suarez *citat. loco sect. 5. §. Nihilominus*, quæstionem versans, num possit Sacerdos etsi non jejunus Missam celebrare, ut ægro in vitæ discrimine constituto Sacram Eucharistiam ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi: *Non potest Episcopus dispensare, quia est præceptum universale totius Ecclesiæ, & nulla auctoritate, vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo. Per se autem non potest inferior in lege Superioris dispensare*. Firmissimam in hanc regulam consentit Cardinalis de Lugo, *de Eucharistia disp. 15. sect. 2. num. 55.* & hæc sunt ejus verba: *In hoc præcepto jejunii naturalis dispensare potest solus Papa. De facto autem neque ipse Papa dispensare solet*. Dignumque animadversione est præpositum verbum *solet*, innuens, rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus *in methodo expeditæ communionis cap. 2. §. 8.*

Dispensatio ejusmodi causam præquirit, & quam.

§. 5. Tertium, quandoquidem omnem dispensationem ex causa esse oportet, in proposita autem facti specie unica tantum viget ratio indulgendi pietati ac religioni Regii Britannici, Eucharistico Pane se frequenter reficientis, expendendum propterea est, an satis idonea hæc causa sit, numve afferri possint vetera similium dispensationum exempla; Nos enim difficiliores quidquam aggredimur novi, quod nulli Prædecessores Nostri præstiterint.

Aliqua exempla Communionis sumpta a non jejunis.

§. 6. Ut facilior imploratæ dispensationi fiat locus, posset quisquam ad disciplinam confugere quarumdam Ecclesiarum Africæ, in quibus Christifideles feria sexta majoris Hebdomadæ cœnati Sacram sumebant Communionem, idque, ex religioso cultu erga institutionem Sanctissimi Sacramenti, ut prædictum est, a Christo Jesu Apostolis postquam comederant, distributi: *Nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit: tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri, & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini*, Verba sunt Sancti Augustini *in citata Epistola ad Januarium cap. 7.* ad diu toleratam in Occidentalibus & Orientalibus Ecclesiis praxim, cum scilicet post Baptisma Communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices, etiam ante sumptam Sacram Eucharistiam, eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur; *ad Epistolam 125.* Sancti Joannis Chrysostomi *ad Cyriacum Episcopum*, ubi Vir sanctus incusatus, quod Communionem pasto cuidam ministrasset, his respondet: *Quod si mihi obstinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu dejiciant, qui cœnatus universam domum baptizavit; Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui Apostolis post cœnam Communionem dedit*, ac denique ad celebre factum S. Udalrici Augustæ Episcopi, de quo in Chronica incerti Auctoris *ad annum 978.* hæc leguntur: *Iste Udalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado Constantiensi Episcopo, & eodem die, facto prandio, celebravit Missam cum Clero, & populo. De hoc accusatus respondit: ego non comedi, sed charitas*.

Irrelevantia ostenduntur, non nulla quidem quia proscripta, vel obsoleta.

§. 7. In nostro Tractatu *de Synodo Diœcesana novissimæ editionis lib. 6. cap. 8. num. 4.* egimus de Communione in nonnullis Ecclesiis feria quinta in Cœna Domini ministrari solita etiam non jejunis, deque Eucharistia infantibus porrecta illico post Baptismum: verum monumenta ista viam nihilo faciliorem ad id, quodpropositum, efficiunt. Invectum quippe usum communicandi post commestionem feria quinta majoris Hebdomadæ, proscripserunt subinde Patres Synodi tertiæ Carthaginensis, quorum decreto congruit omnino Canon 29. Concilii Trullani habiti anno 692., uti etiam videre est in eruditis adnotationibus P. Lupi *ad dictum Canonem Trullanum*, & apud Juenin *de Sacramentis dissert. 4. quæst. 8. artic. 2. §. 1. concluſ. 2.* Quod autem spectat ad Communionem pueris, statim post Baptismum, ministratam, jam a quadringentis & amplius annis is ritus in Occidentali Ecclesia obsolevit, Nonnulla qui-

dem ſuperſunt adhuc veſtigia in Orientali Eccleſia; at & ipſa quoque pedetentim & antea, & nunc quoque temporis ſtuduit ab eo deflectere, quemadmodum latius oſtendimus in noſtris Encyclicis Litteris ad Miſſionarios per Orientem §. 24. typis editis ſuperiore anno 1755.

Vide has litteras hic etiam editas ſuperioribus pag.

§. 8. Mox ſupra indicata Epiſtola S. Joannis Chryſoſtomi genuinum ejuſdem opus agnoſcitur a Lupo, Tillemontio, & Monſoconio; verum tamquam ſuppoſititia rejicitur multis haud levibus conjecturis ab erudito Patre Stiltingio, Bullandiani operis proſequutore in Acta S. Joannis Chryſoſtomi illuſtrata, editaque anno 1753., nobiſque dicata, uti videre eſt §. 69. *num.* 1072. *& ſeq.*, ac præcipue *num.* 1081. At, ut Epiſtola genuinum opus S. Joannis Chryſoſtomi haberi vellet, Vir Sanctus haud probat, Communionem miniſtrari cuiquam non jejuno, inficiatur ſe unquam eamdem porrexiſſe paſto; profitetur, ſiquid ejuſmodi attentaſſet, dignum ſe, qui de Epiſcoporum Catalogo, atque Fidelium Electorumque libro expungatur, ſubinde vero ex quodam orationis impetu ſuperaddit ea, quæ ſuperius allata ſunt de Communione non jejunis a Chriſto exhibita; ita ille inquit: *Multa adverſum me ſtruxerunt, ajuntque me poſt epulas quibuſdam Communionem impertiſſe. Hoc ſi feci, de Epiſcoporum libro nomen meum expungatur, nec in Orthodoxæ Fidei volumine ſcribatur, quoniam ecce, ſi quidquam ejuſmodi perpetravi, Chriſtus e regno ſuo me abjiciat:* hiſque verbis cum addat Chryſoſtomus cætera ſuperius expreſſa, facile intelligitur, hæc quemdam animi impetum importare, & argumentandi modum, quo utuntur plerique, qui poſt factum ſolide inficiatum, ultra progreſſi, non verentur ex falſa hypoteſi illud concedere, pugnantes tamen nullatenus exinde confici, quæ adverſarius inferre contendit. De S. Udalrico Epiſcopo nihil plane addemus; cum pura putaque fabella ſit illud, quod quidam de eo comminiſcuntur, uti innuit Chriſtianus Lupus *in notis ad Can. 29. Trullanum*, & latius proſequitur recens eruditus Catalanus *in ſuis Commentariis ad eumdem Canonem*.

Vero quia apocrypha, vel ſanioremhabentia interpretationem.

Alia nonnulla recentiora exempla Pontificiæ diſpenſationis.

§. 9. Itaque cum ea, quæ hucuſque demonſtrata eſt, via minus tuta reperiatur; aliam inire opus eſt, eritque hæc haud ita vetuſtis monumentis ſuffulta, propterea quod nititur proximiorum temporum conceſſionibus a Prædeceſſoribus Noſtris emanatis. In ſecreto Vaticano Tabulario inter Brevia Prædeceſſoris Noſtri Pii IV. *tom.* 18. *num.* 63. extat Breve ab eodem Pontifice ad preces Sebaſtiani Luſitaniæ Regis relaxatum, in quo Sacerdotibus per Indias enunciati Regis dominio ſubjectas commorantibus, qui vel ob contractam ægritudinem, vel cœli inclementiam, poſt noctem mediam, aliquem ſumunt cibum, fit facultas ſucceſſivo die Sacrum peragendi. Innocentius XIII. Pontifex per ſuas Apoſtolicas litteras in forma Brevis Romanorum Reginæ Eliſabethæ Chriſtinæ conceſſit facultatem ſumendi Euchariſtiam, etiam poſt aliquod deguſtatum cibum, quo die in Bohemiæ Reginam ungi ſolemniter, coronarique debebat; ita expoſcente imbecilli ejuſdem valetudine, quæ tam diuturnam functionem, nullo recreata cibo, perferre non potuiſſet. *Tecum, ut diſtæ tuæ unctionis & coronationis die, neceſſarium jentaculum, antequam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipias, ſumere libere & licite poſſis & valeas, harum ſerie diſpenſamus.* Simileque indultum ab eodem Pontifice datum reperitur regnanti Regi Chriſtianiſſimo, qui cum ſolemni Conſecrationis ſuæ die Sacram Communionem ſumere deberet, eaque tunc eſſet ætate, in qua nondum obfirmata valetudine uteretur, juſtum ingeſſerat timorem, ne ullo præguſtato cibo, tam diuturnæ functioni non poſſet intereſſe. Perſpectum denique eſt quid quotannis fiat Romæ in Pontificio Sacello nocte Nativitatis Domini: in eodem quippe celebratur Miſſa ante mediam noctem, nec ſemper ab eo, qui præcedenti die ab omni cibo abſtinuerit. Scripſere nonnulli, ſingulis annis concedi a Pontifice diſpenſationis litteras in forma Brevis: at id a veritate aberrat; Verum cum Pontifici perſpectum ſit, qua hora celebretur Miſſa, innoteſcat quoque haud ſemper eſſe jejunum, qui Sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur, nec quidquam ſtatuat, remque ita tranſigi ſinat, locus ſit tacitæ cuidam diſpenſationi, quæ tutam efficit conſcientiam ejus, qui ea nocte Miſſam celebrat non jejunus; uti a Nobis fuit pluribus demonſtratum in Noſtro Tractatu *de Synodo Diœceſana nuperæ editionis lib. 6. cap.* 8. *numer.* 13. *& ſeq.*

Hæc quoque nec caſui omnino congruere, demonſtratur.

§. 10. Exempla iſthæc profecto proprius ad caſum noſtrum accedunt, quam cætera ſuperius relata; verum nec plane rem præſentem attingunt, cum nunc differatur de Sacræ Communionis participatione, ex ſingulari religione ac pietate exoptata; proxime autem indicata exempla verſentur circa Miſſæ celebrationem, vel ſumptionem Euchariſtiæ, quodammodo neceſsarias, & quæ prætermiſsæ admirationem induxiſsent, vel etiam offenſionem. Facultatem fecit Pius IV., uti prænotatum eſt, Indiarum Sacerdotibus celebrandi Miſsam adhuc etiam poſt ſumptum, evoluta jam media nocte, cibi aliquid vel potus; Verum cum per eas regiones haud ita frequens eſset Præsbyterorum numerus, Sacerdos quilibet Sacrum ſingulis diebus offerre tenebatur. *Quodque nonnulli Præsbyteri, qui aut propriæ infirmitatis, aut aeris intemperiei occaſione, quibuſdam remediis comeſtibilibus, aut potabilibus nocte uti conſueverunt, dubitant, ſi ipſos contingat poſt mediam noctem eiſdem remediis uti, licere ſibi Miſſam, ad cujus celebrationem, ob penuriam aliorum Præsbyterorum, in illis partibus quotidie tenentur, die ſequenti celebrare.* Sunt hæ circumſtantiæ caſus ad Pontificem delatæ; quas idem in ipſa conceſſione repetens, ita ſubdit: *Si eos dictis remediis poſt mediam noctem uti contingerit, ſi urgentiſſima fuerit celebrandi neceſſitas, ac paululum inde dormierint, nihilominus die ſequenti celebrare, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica &c. licentiam & facultatem concedimus, & impertimur.* Facile quiſquam animadvertet, quod, cum debeant Reges, ſummique Principes, quo conſecrantur die, Sacra Euchariſtia refici, tum ut ſtatutis regulis & Ritualium legibus ſatisfaciant, tum ut populis ſuo exemplo præluceant, ſi cum iis diſpenſatur, ut Sacramentum eo die ſumant, licet quidpiam prius comederint, hanc tamen diſpenſationem minime pertinere ad privatam Communionem, ex privato devotionis affectu ſuſceptam, ſed ad publicam Euchariſtiæ ſumptionem, cujus neglectus admirationem ſecum tuliſſet ac ſcandalum; eodemque ferme modo obtineri dici poteſt, quod relatum eſt de eo, qui nocte Natalis Domini in Pontificio Sacello Sacrum facit; cum nimis urgeat, ne præindicata nocte Sacra functio in Pontificia Cappella omittatur, ſimulque haud ita facile ſit adeſse ſemper Cardinalem, qui non obſtante ætate, quam plerumque agunt prædicta dignitate decorati, potens ſit protrahere naturale jejunium a media nocte ſuperiore, ad alteram, in qua ſolemne intra memoratum Sacellum offert Sacrificium. Accedit inſuper, in praxim omnino induci non poſſe, ut, media nocte tranſacta, conſtituatur

initium

UAB Biblioteca de Ciències Socials

initium Missæ, dum ipsi intersunt Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, qui sequente die, horaque congrua, ad reliquas Pontificii Sacelli functiones redire debent, quod porro non præstant, nisi lecto jam privatis in Sacellis suis, oblatoque trino Sacrificio; quemadmodum a Nobis latius enarratum fuit in nostro Tractatu *de Synodo Diœcesana, designato loco.*

Exemplum affertur casui plane accommodatum.

§. 11. Unicum itaque exemplum privatæ Communionis ex devoto Religionis affectu sumptæ, in vim obtentæ a Summo Pontifice facultatis eamdem sumendi, adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate, indigentiaque corporeæ habitudinis, in Carolo V. Imperatore suppetit. Is secum ipse cogitavit, costituitque de Germanicis Provinciis cedendis, uti contigit, Ferdinando fratri, ilsubinde etiam Imperatori; deque transferendis reliquis ditionibus, id quod etiam perfecit, in Philippum filium suum, Hispaniarum Regem ejus nomine II.; tum se recepit in Monasterium S. Justi Monachorum S. Hieronymi situm in Extremadura, vitamque iniit eremiticam, adstans simul cum Monachis divinæ Psalmodiæ, Patrum volumina perlegens, res Divinas sæpe commemorans, sæpe sacramentali confessione abstergens peccata, sacramque Communionem pio affectu frequentans, uti latius prosequitur Famianus Strada *de Bello Belgico decade prima, libro primo, sub titulo, Carolus V.* Cumque pius Imperator Eucharistiam jejunus sumere nequiret, eidem suasere Medici, ut nonnihil antea cibi degustaret. Ita aliquandiu se gessit; at cum resciviset, Apostolica opus esse dispensatione, ut liceret præfato modo ad Communionem accedere, recursum habuit ad Julium III. Pontificem, qui eidem, quod in præteritum gesserat, relaxavit, indulsitque, ut inposterum, etiam post sumptum exiguum aliquod jentaculum, posset Sacram participare Communionem.

Pontificii indulti tenor.

§. 12. Non censuimus in re tanta tfidendum esse Auctorum assertioni, qui cursim innuunt datum Imperatori Carolo V. a Julio III. Prædecessore Nostro Indultum. Ex secretiori Vaticano Archivio asserri jussimus Pontificium Breve repertum *tom. 70. n. 152.* in quo Imperatoris preces sequentibus verbis referuntur. *Exponi nobis tua Majestas fecit, se nonnunquam, ratione suæ valetudinis ita suadente, & cogente, diebus, quibus Sacratissimam Eucharistiam sumere instituit, de medicorum consilio, modicum jentaculum ad necessariam substentationem ventriculi sumere ante consuevisse, & nobis, ut tam de præterito veniam illi dare, quam in futurum secum super eo dispensare auctoritate Apostolica vellemus, supplicavit.* Subsequitur in ipso Brevi Pontificia concessio, cujus en concepta verba: *Quare nos hujusmodi necessitatem tuam attendentes, & tuæ Majestatis pium sincerumque in Catholica Religione, & Sanctorum Patrum Constitutionibus tuendis, ac venerandis animum omnibus in rebus agnoscentes, te omni conscientiæ scrupulo, quod propter istiusmodi usum hactenus forsan contrahere potuisti, prorsus in Domino liberamus & absolvimus, atque ut inposterum eodem modo, post sumptum necessarium jentaculum, præfatum Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere possis, tecum, ab eodem Domino tradita nobis auctoritate, indulgenter dispensamus.*

Utriusque casus circumstantiæ

§. 13. Quod Julius III. Prædecessor Noster præstitit erga Carolum V. Imperatorem, idipsum & Nos agere intendimus, quin & peragimus cum Jacobo III. Magnæ Britanniæ Rege. Perspecta Nobis esse non potest imbecillis valetudo Imperatoris Caroli V. a medicis contestata; scimus equidem, ipsum natum an. 1500., cumque datum fuerit Pontificium Breve sub annum 1554., eumdem, dum Breve obtinuit, non excessisse 54. ætatis suæ annum. Quæ patitur Britannicus Rex noster incomoda, sunt Nobis satis superque nota, scimusque etiam, eum agere 68. ætatis suæ annum. Ex animo credimus, quidquid scripsere Historici de pietate, ac religione Caroli V. At Historicis minime indigemus, ut perspecta Nobis fiat singularis Charissimi in Christo Filii Nostri Jacobi Regis integritas vitæ, pietas, & religio, quibus dum totam vivendi rationem moderatur, universæ sit Urbi exemplo; cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui ad Nos Regium desiderium attulisti, nuncius Nostro nomine eidem eris, Apostolica Nos, qua fungimur, auctoritate, ipsi facultatem indulgere, sacram sumendi Eucharistiam, consulto conscientiæ suæ Moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam, valetudine ita exposcente, exiguum aliquod jentaculum deglutiverit. Brevia Predecessorum Nostrorum Julii III. & Gregorii XIII. superius relata, & ad rem nostram spectantia, concludit Paterna monitio ad Principes, quibus concessa fuerunt, pro eorum valetudine tuenda, veluti Christianæ Reipublicæ apprime necessaria. Nos quoque, dum Epistolæ huic Nostræ finem facimus, idem præfecto Jacobo Regi in memoriam revocantes, quod a Prædecessoribus Nostris commemoratum legimus iis Principibus, quos hujusmodi facultate donabant, Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Unde optatum indultum concipitur.

Datum apud S. Mariam Majorem die 24. Martii 1756. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

APPENDIX XX.

Quid agendum sit erga Sacerdotes exteros, incognitos, qui in hac Civitate, vel Diœcesi rem divinam facere deposcunt; quidve erga Presbyteros, non quidem luminibus captos, sed tantum cœcutientes. (De hora, & loco, quibus Sacrificium Missæ indici debet. De Sacris Indumentis, quibus uti debent Sacerdotes ad Altare rem Divinam facturi, ac de illis, quæ in Sacro agendo prohibentur.

Ex Instit. XXXIV. de Sacro Missæ Sacrificio.

TRidentina Synodus præcipit Episcopis, ut in Sacrificio Missæ diligenter accurateque omnem irreverentiam impediant, *quæ ab impietate vix sejuncta esse potest* (1). Clemens XI. in iis litteris, quas die 16. Martii anno 1703. ad universos Episcopos dedit, eamdem rem plurimum his verbis commendavit (2): *Majori super omnem dicendi modum diligentia, ac studio curare debet, ut Missæ Sacrificium, quo nihil sanctius, nihil divinius excogitari potest, per solos Presbyteros celebretur, non tantum ea morum puritate, quæ ipsos decet, qui singulis diebus Deo Patri cœleste Holocaustum offerunt unigeniti Filii, qui nostram immortalitatem induit, verum etiam, ut sacras cœremonias in rubricis præscriptas sedulo, pieque observent. Id enim necessario requiritur, ne Sacerdos inter homines, Deumque positus ad ipsius fracundiam*

(1) *Sess. 22. de Sacrificio Missæ, in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.*
(2) §. 9.

diam ſedandam, ſi negligenter, immodeſteque ſuo munere fungatur, Deum magis irritet.

Mens non eſt de Miſsæ Sacrificio diſſertationem conficere; verum, ut Tridentino Concilio, Summoque Pontifici pareamus, quædam indecora de medio tollere coſtituimus, quæ nos ipſi, dum Sacrificium ejuſmodi peragitur, deprehendimus, aut viri pietate inſignes in hac civitate ac diœceſi non ſemel evenire nobis detulerunt.

De Sacerdotibus exteris, atque ignotis.

§. I. Chalcedonenſis Synodus decretum edidit, quod jure Canonico pariter continetur, (1) ne Sacrum facere illi liceret, qui ſe Sacerdotem affirmaret, niſi litteras commendatitias Epiſcopi proferret. *Extraneo Clerico, & Lectori extra Civitatem ſuam ſine commendatitiis litteris proprii Epiſcopi nuſquam penitus liceat miniſtrare.* Illud cavendum eſt in græcis exemplaribus non *Lectori*, ſed *ignoto* ſcriptum occurrere, uti Cujaccius recte perpendit (2). Eamdem ſententiam Tridentina Synodus loco ſuperius allato complectitur: *Deinde, ut irreverentia vitetur, ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignaro Sacerdoti Miſſam celebrare liceat.* Inſuper alio loco (3) ſic habet: *Nullus præterea Clericus peregrinus ſine Commendatitiis ſui Ordinarii litteris ab ullo Epiſcopo ad Divina celebranda, & ſacramenta miniſtranda admittatur.* Hæc ſane ad Regulares pariter, & ſeculares Presbyteros referuntur. Siquidem nullo Regulari Sacerdoti permitti debet, ut Sacrum Deo operetur ſine documentis, quibus ipſorum Præſides Sacerdotium ab iiſdem ſuſceptum, nullaque ſuſpenſione, aut irregularitate impeditos teſtetur, quemadmodum Sancti Officii Congregatio decrevit encyclicis ſuis litteris, quas die 20. Februarii anno 1649., & die 26. Januarii anno 1693. ſcripſit, in quibus admonentur Epiſcopi, Vicarii Generales, ac Foranei, ne facultatem celebrandi Presbyteris advenis impertiantur, ſive inter Regularem, ſive Secularem Clerum adnumerentur: *Niſi litteras Epiſcopi, aut Præfecti Regularis prius oſtendant, quibus Sacerdotes ita probentur, ut nulla falſitatis umbra, vel ſuſpicio relinquatur.* Idem de Regularium Eccleſiis ſtatuendum, qui ſæcularibus Presbyteris concedere nequeunt, ut Sacrum peragant, niſi prius ipſorum Commendatitiæ litteræ per Ordinarium cognoſcantur, & approbentur. Id ſancitum fuit in Sacra Concilii Congregatione die 17. Novembris anno 1594 (4): *An Epiſcopus loci Ordinarius probibere poſſit, ne Regulares in eorum Eccleſiis Sacerdotes ſæculares exteros divina Officia celebrare permittant, niſi prius ab ipſo Epiſcopo, viſis litteris Commendatitiis, ipſi Sacerdotes admiſſi fuerint. Sacra &c. cenſuit poſſe.* Noſtri quoque Deceſſores præclara ſuper hac re conſtituerunt. Itaque juxta commune jus, Tridentinam Synodum, Sacrarum Congregationum, noſtrorumque Deceſſorum edicta (cum reipſa evenerit non quidem impune, in hac Civitate, ac Diœceſi, ut aliquis irregularis, ac ſuſpenſus divina Officia celebraverit) præcipimus univerſis, ad quos ſpectat, cum in Civitate, tum Diœceſi, ut documenta, quæ a Sacerdotibus exteris proferantur, diligenter expendant, ſeduloque invigilent, ne quis ignotus, & advena Sacrum facere audeat, qui neceſſarias litteras, ac teſtimonia ab omni ſuſpicione penitus aliena antea non produxerit; ne forte, quod Deus avertat, aliquis Sacerdotii ordine minime præditus, vel irregularis, ac ſuſpenſus ad celebrandum Miſsæ Sacrificium accedat.

De Presbyteris ſolum cœcutientibus.

§. II. Cognitum eſt omnibus cœcos etiam ſine culpa irregulares eſſe, quo ſane impedimento neminem ſolvere Apoſtolica Sedes unquam conſuevit. Nonnulli contendunt hanc immunitatem Roberto Scoto Armacano Archiepiſcopo in Hibernia collatum fuiſſe, qui variis Legationibus juſſu Pontificis Julii III. pro Sede Appſtolica ſuſceptis celebre ſibi nomen comparavit (5). Reliqui tamen ſcriptores, quibus major fides habenda eſt, Robertum non oculis captum, ſed infirmum fuiſſe teſtantur (6). Illud certiſſimum eſt, cœcum neque ad primam Tonſuram admitti, ut per illam beneficia Eccleſiaſtica conſequi poſſit, quemadmodum poſt ſedulum examen Sacra Concilii Congregatio decrevit (7). Frequentius tamen contingit, ut plures, qui ſanis oculis ordines acceperunt, deinde lumine oculorum ſic debilitantur, ut non omnino cœci, ſed cœcutientes evadant; quibus eadem Sacra Congregatio tribuere ſolet, ut diebus feſtis, ac duplicibus votivam in honorem Beatæ Virginis Miſſam, diebus autem profeſtis pro Defunctis celebrent. Multa tamen caventur, atque inter cætera, *quod non ſit omnino cœcus, memoriter non recitet.* Illud quoque Epiſcopis præcipitur, ne amiſſo penitus oculorum lumine ipſos ad celebrandum accedere patiantur.

Quare, ut bene omnia contingant, qui privilegium hujuſmodi obtinuerint, Sacrum facere non audeant cum in Civitate, tum in Diœceſi, niſi prius Nobis, aut Vicario noſtro generali idem privilegium oſtenderint. Cum deinde privilegii tempus abſolutum fuerit, a celebrandis divinis abſtineant, niſi cœremoniarum magiſter, qui de ipſorum cœcitate judicare debebit, eamdem facultatem prorogandam, vel adimendam cenſuerit. De iis non agimus, qui poſt ordinationem luminibus capti, litteras Apoſtolicas aſſequuti ſunt, ob quas rem divinam facere poſſunt adhibito alterius Sacerdotis miniſterio, licet omni oculorum luce deſtituantur. Id vero perraro ſolet accidere. Nam longo temporis ſpatio, quo in Sacra Congregatione Secretarii munus exercuimus, Parocho Florentino id unice permiſſum fuit, qui ad extremam paupertatem redactus ita fuerat, ut nihil aliud pro vita ſuſtentanda, niſi Miſſæ ſtipendium ſupereſſet. Inſuper Florentinus Archiepiſcopus ipſum in Sacrificio peragendo diligentiſſimum teſtabatur, nullamque fore ſuſpicionem, ne aliquid contra ipſius Sacrificii dignitatem committeretur. Petitum id fuit die 2. Auguſti anno 1737., reſponſumque his verbis die 22. Auguſti ejuſdem anni: *Pro gratia, cum Aſſiſtentia alterius Sacerdotis.*

De hora, ac de loco celebrandi.

§. III. De hora Sacrum faciendi nihil addendum videtur iis, quæ Inſtitutione XIII. continentur, quæ poſt Kalendarium excuditur. In ipſa enim juris Pontificii, & Rubricarum auctoritate ſancitum fuit, Miſſis celebrandis initium fieri non poſſe, niſi ante auroram tertia pars horæ jam defluxerit, finemque ipſis poſt meridiem tertia quoque horæ parte jam emenſa ſtatuendum eſſe. Quare Magnates ſolum, qui privato Sacello in ſuis ædibus utuntur, admonebimus, horarum legem,

(1) *Can.* 7. *diſt.* 71. (2) *Cap.* 5. *de Clericis non reſidentibus.* (3) *Seſſ.* 23. *cap.* 16. *de reform.* (4) *Lib.* 8. *Decretorum pag.* 78. (5) *Majolus de irregular. lib.* 1. *cap.* 20. *ſub n.* 2. *Barboſa de Officio Epiſc. par.* 2. *alleg.* 42. *num.* 38. *Spondanus in continuat. ad annal. Card. Baronii ad an.* 1546. *n.* 3. (6) *Card. Pallavicinus in hiſtor. Conc. Trid. lib.* 6. *cap.* 5. *ſub fin.* (7) *Pampilonen. Diſpenſat. die* 8. *Martii anno* 1733.

gem, quam modo explicavimus, ipsis omnino conservandam. Paupertate, ac patientia domestici Sacerdotis minime abutantur, ita ut paratus jam ad Sacrificium diu expectare debeat, & ipsum quoque conficere, cum tempus ad rem divinam agendam constitutum præterierit. Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus id vehementer improbavit, cum ad Bernardum Coepiscopum *de Privilegio, & Jure Sacerdotum* scriberet: *Increbuit consuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores, & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed a quo incessanter exigat licitam simul, atque illicitam obedientiam non solum in divinis officiis, verum etiam in humanis.* Id quoque indignum adeo visum fuit, ut in Gallia Regum edictis vetitum, Franciscus Amatus Ponget (1), & Boquillot (2) fateantur.

Ut ad locum, ubi Sacrum fieri debet, veniamus, Decessorum nostrorum edicta renovamus, quibus cavetur, ne ullus Sacerdos Regularis, aut sæcularis in Ecclesiis Monialium, quæ nostræ curæ subjectæ sunt, rem divinam faciat; quod Presbyteris sæcularibus etiam interdicitur in Ecclesiis Monialium, quæ in Regularium potestate collocantur. Id etiam in secundo Concilio Provinciali, quod Sanctus Carolus Borromæus Mediolani coegit (3), sancitum his verbis fuit: *Ne in Monialium Ecclesiis, ac ne iis quidem, quæ Episcopi curæ subjectæ non sunt, sæculari cuiquam Sacerdoti, etiamsi ubique celebrandi facultas generatim, nisi a Sede Apostolica, ei data esset, Missæ Sacrum facere liceat, præterquam cui nominatim id ab Episcopo concessum est. Qui contra admiserit, a Missæ celebratione suspensus sit ejusdem arbitratu.* Quoniam vero in iisdem Monialium Templis Altaria quædam privilegiata per Sedem Apostolicam his verbis aliquando declarantur: *Ut quandocumque ad dictum Altare per quemcumque Sacerdotem sæcularem, vel Regularem Missa celebrata fuerit*; hinc sine ulla Episcopi facultate ad illa Altaria Sacrum confici posse nonnulli contendebant, sed Sacra Rituum Congregatio ad Regulares, & sæculares Presbyteros ea verba referenda explicavit, quibus jam per Episcopum in illis Ecclesiis Missam celebrare permitteretur (4).

In privatis, ac domesticis Sacellis aliquid contra instituta commissum non ignoramus. Nam Regulares aliqui bina Sacra peregerunt, cum per litteras Apostolicas unum tantummodo tribueretur; vel si jussa Pontificum fecerunt, celebrare tamen ausi sunt, cum illi abessent, quorum gratia privilegium datum fuit. Tandem ad Altare post meridiem non semel accesserunt, & iis quoque diebus, quibus Sacra in privatis Sacellis interdicuntur, quemadmodum ex Sacrarum Congregationum (5), & Synodorum decretis aperte deprehenditur.

Id quidem non consulto, vel ob contemptum accidisse putamus, sed ob quædam peculiaria privilegia, quibus tamen uti minime debent, antequam vel ipsi per se, vel per alium perpenderint, utrum ejusmodi privilegia concessa unquam fuerint, & an posteriori tempore abrogata, quod sane opportunum, ac necessarium videtur.

Cum hæc ita sint, ut omnis in posterum falsa species dimoveatur, singulis notum facimus, gestatorias aras, quæ permissæ antea fuerant, Concilii Tridentini decreto (6) sublatas penitus fuisse, quod etiam Sacra Congregatio, unica ejusdem interpres, non semel adjudicavit. Sciant universi, illa, quæ superius memoravimus, contra instituta ab ipsis temere perpetrata esse; quæsi in posterum contingent, censuris etiam punientur. Clementis XI. decretum subjicimus die 15. Decembris anno 1703. promulgatum, ne quis sine ullo consilio hæc a nobis constitui arbitretur: *Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiam si essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata, super quos celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus præmissis, celebrare nequeat post meridiem: demandando ulterius, & declarando, in omnibus hujusmodi casibus personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap.* in his, de privilegiis; *& per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur; ac mandandum, prout præsentis tenore mandat, Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto sess. 22. cap. unico, usque ad Censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset: & ita Sanctitas sua declarat, & servari mandat.*

Postremo, cum inter scriptores ea disputatio versetur, an Sacramenta in privatis Sacellis accipere possint, qui nominantur in litteris Apostolicis, quibus eadem Sacella in domesticis ædibus permittuntur, ideo monendos singulos ducimus Pœnitentiæ Sacramentum in Sacellis ejusmodi administrari non posse; nam in Rituali ita præscribitur (7): *In Ecclesia, non autem in privatis ædibus Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare.* De Eucharistia solum agitur, ad quam non modo spirituali affectu, sed re ipsa percipiendam Tridentina Synodus fideles hortatur, cum Missæ Sacrificio præsentes assistunt (8): *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi*

(1) *In Institutionibus Catholicis tom. 2. pag. 819.* (2) *In Tract. historico de Liturgia lib. 2. c. 6.* (3) *Tit. 2. Decr. 3.* (4) *Clericatus in unione Decretorum posita ante suas decisiones de Sacrif. Missæ num. 45.* (5) *Gavant. tom. 1. lib. 1. tit. 20. litt. F. verbo:* Sciendum. *Giribaldus de Sacramentis, tract. 5. cap. 8. §. 7. num. 36. & 37.* (6) *Sess. 22. cap. unico.* (7) *Tit. de Sacramento Pœnitentiæ.* (8) *Sess. 22. cap. 6. de Sacrif. Missæ.*

Eiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. Clericatus adfirmantium partes fuſe tuetur (1). Reliqui vero neceſſariam Epiſcopi facultatem pro regeneranda contendunt, ſive Regularis, ſive ſæcularis Sacerdos Sacrum Deo conficiat (2).

Hanc ſententiam, ac normam in Urbe ſervari Nos ipſi teſtamur, qui juſſu Sacræ Congregationis Concilii, cujus Secretarium agebamus, Innocentium XIII. adivimus, ut facultatem percipiendæ Euchariſtiæ in privato domus Sacello, quod Apoſtolico beneficio de more conceſſum fuerat, nobili Matronæ ipſe Pontifex impertiret, quæ ob infirmam valetudinem ad Eccleſiam ſe conferre non poterat. Verum præclariſſimus Pontifex eamdem facultatem tradere recuſavit, niſi cum morbo Matrona detineretur, juxta Medicorum teſtimonia, quæ ipſorum jurejurando firmari, & diligenter examinari præcepit. Quare, ne publica Templa ad illos tantum pertinere videantur, qui privatis Sacellis carent, ob alias item cauſas, jubemus, ne in Sacellis ejuſmodi, quamvis ſacrum fieri liceat, Euchariſtiæ Sacramentum per Regularem, aut Sæcularem Presbyterum adminiſtretur, niſi prius per Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem id permittatur.

De Veſtibus, quibus uti debent Sacerdotes, cum ad Templum pro re divina facienda ſe conferunt; ac de uſu mulierum rerum, quæ in Miſſæ celebratione prohibentur.

§. IV. In alia noſtra inſtitutione juxta pluritia Deceſſorum noſtrorum edicta præcipimus ſingulis Sacerdotibus, quocumque gradu, aut conditione præditis ne Sacrum facturi ad templum ſine longa veſte accederent, neque ſacrarium ingrederentur. Togam quoque, vel clamydem, quæ in ſacrariis præſto ſunt illis adhiberi vetuimus. Nunc idem decretum renovamus, & quas in eo pœnas indiximus, ſane infligemus ſi quis parere recuſaverit. In Inſtitutione S. Caroli, cum agitur de externo corporis habitu, quem Sacerdotes præſeferre debent, hæc traduntur (3) *Veſtibus non ſordidis, aut inquinatis, nec dilaceratis, ſed mundis, & ad talos uſque deſcendentibus, Ordinique ſuo juxta Provincialia noſtra Decreta congruentibus, induatur*. Profecto quis animo non commoveatur, cum videat Sacerdotes togam ſumere, ut viros principes alloquantur, qui ſane hominis conditionem non ſuperant, grave autem, ac moleſtum ducere eamdem veſtem ſuperinduere, cum domo egrediuntur, ut tremendum Deo Sacrificium offerant, Divinumque Verbum in terras e cœlo deducant? Inter cæteras penas, quæ eodem decreto continentur, & quæ nunc iterum proponuntur, ſuſpenſionem minati ſumus cum Presbyteris celebrantibus, tum Sacrarii Præfectis, qui rem divinam fieri permittant ſine longa veſte, quæ ad ipſum Sacerdotem, non autem ad Sacrarium pertineat. Si cuſtos inter Clericos non adnumeretur, munere ſuo ſpoliandum ediximus. Hoc quoque tempore, quo Paſtoralem viſitationem proſequimur, nonnullos Sacerdotes ruri degentes, vel ex Urbe in agrum migrantes Sacrum conficere accepimus in Templo, ſive in publicis, aut privatis ſacellis brevi indutos veſte, quæ cineritium, aut cæruleum, ſeu violaceum colorem præſeferat. Itaque ſub eadem ſuſpenſionis pœna nullus in tota hac Diœceſi Sacerdos ſine collari, quod Presbyteris convenit, ac ſine veſte nigri coloris Miſſæ Sacrificium peragat. Nullus item cuſtos ad Sacrum faciendum quempiam admittat, qui his Sacerdotum inſignibus careat; aliter eamdem ſuſpenſionis pœnam ſubibit; aut alias, ſi Clericus non ſit, arbitrio noſtro ſtatuendas. Nam licet veſtis, uti fert proverbium, Monacum haud efficiat, nec vitæ integritas in externo habitu poſita ſit; cum tamen Eccleſia de Clericorum indumentis ſedulam curam ſemper oſtenderit, *ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant* (4); hinc colorem nigrum Eccleſiaſticis aptiſſime convenire nemo dubitet: *In omni veſtitu* (ita in Mediolanenſi primo Concilio per S. Carolum Borromæum coacto decernitur) *color tantum niger adhibeatur, niſi fortaſſe alium colorem requirat dignitatis gradus*. Eruditus quoque Thomaſſinus (5) ita ſcriptum reliquit: *Poſt Synodos Tridentinam, & Mediolanenſes, rara prohibitio rubei coloris, viridiſque, quod abſolutiſſime jam & præciperetur nigra veſtis, & in mores induceretur*.

In Synodo poſtremi Deceſſoris noſtri de comis fictis agitur, de quibus nihil novi decernendum exiſtimamus. Singulos tantum monemus: ne in Civitate, aut Diœceſi cum hiſce capillis adſcititiis, ſeu cum pileolo ad celebrandum accedant, niſi privilegium, quod per ſolum Pontificem conceditur, ſuper hac re conſequuti antea fuerint. Uſus quidem pileoli legitimas ob cauſas tribuitur; comæ vero fictæ nuſquam permittuntur. Id ſemel præclariſſimo Cardinali per Litteras Apoſtolicas conceſſum meminimus. In Canone *Nullus de Conſecratione diſtinct.* 1. hæc leguntur: *Nullus Epiſcopus, Presbyter, Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei aſſiſtere, quoniam & Apoſtolus prohibet, viros velato capite orare in Eccleſia, & qui temere præſumpſerit, communione privetur*; ex his comæ fictæ, ut Petrus Le-Brun ſapienter expendit, in celebrando Miſſæ ſacrificio prohibentur (6). In Miſſali Romano juſſu Urbani VIII. ad meliorem formam redacto, decretum ejuſmodi continetur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Miſſæ ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine*. Nonnulli ſane Scriptores hæc ignorantes, vel diſſimulantes eam facultatem in Epiſcopum libere conferunt, ut comas fictas in Sacro faciendo permittere poſſit, ſi neceſſaria cauſa adducatur, & eædem comæ ad modeſtiam ita compoſitæ ſint, ut naturales Capilli videantur (7). Nunquam tamen hanc ſententiam Apoſtolica Sedes probavit. Nam Innocentius XI. ad Legatos Apoſtolicos, & Epiſcopos Litteras dedit, monuitque nullam ipſis ineſſe poteſtatem, ut comas ejuſmodi Presbyteris celebrantibus concederent. Id colligitur ex Patre La-Croix, qui ipſas Pontificis litteras indicat (8). Cum vero Alexander VIII. Pontificatum gereret, peculiaris Congregatio juſſu ipſius Pontificis hanc opinionem ſedulo perpendit, nulloque fundamento innixam declaravit (9). Quod de comis adſcitiis, idem de Pileo-

(1) *In Deciſ. de Sacrament. Euchar. deciſ.* 8. *ad menſem Febr. caſ.* 1. *a n.* 54. *uſque ad finem*.

(2) *Quartus ad Rubric. Miſſal. par.* 3. *tit.* 10. *pag.* 600. *Diana in edit. coordinata tom.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 44. *&* 45. *Giribaldus de Sacram. Pœnit. tract.* 5. *cap.* 8. §. 8. *num.* 47. (3) *In Actis Mediolanen. Eccl. tom.* 1. *part.* 4. (4) *Cap.* 6. *ſeſſ.* 14. *de reformat.* (5) *De veteri, & nova Eccl. diſc. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 51. *ſub num.* 6. (6) *In explicatione precum, & celeb. Miſſæ tom. primo pag.* 103.

(7) *Paſqualigus de Sacrif. novæ legis qu.* 373. *Theophil. Raynaudus Operum tom.* 3. *de Pileo, & cæteris capitis tegminibus ſeſſ.* 2. §. nunc e contrario. *Thyers in ſuo tract. comarum pag.* 373.

(8) *Lib.* 6. *par.* 2. *num.* 401.

(9) *Urſaja in Inſtitut. Criminal. lib.* 1. *tit.* 19. §. 4. *num.* 51.

Pileolo Scriptorum omnium judicio (1) asserendum est. Plures in hac Civitate, ac Diœcesi circulo quodam ex capillis confecto ad caput utuntur, ne tempora dum sacrum faciunt, frigore perstringantur; capitis vero partem, ubi Clericalis corona designatur, nudam relinquunt. Hujusmodi vero circuli per ultimum Romanum Concilium penitus interdicuntur (2). Cum tamen hæc nostra Civitas, ac Diœcesis Provinciæ Romanæ terminis haud includatur, & cum post idem Concilium circuli ex capillis in Missæ celebratione Romæ retineantur, nihil super hac re novi constituimus, modo circuli modesti sint, & necessitati solum accomodentur: si qui abuti hac humanitate voluerint, eamdem omnino consuetudinem abrogabimus.

Insuper Sac. Congregatio universis Sacerdotibus, licet Protonotariis Apostolicis, aut qualibet dignitate, & Canonici titulo præditis etiam in Ecclesiis Cathedralibus, aut Metropolitanis, annulum in digitis gerere vetat, dum rem divinam conficiunt. Decreta per Gavantum, aliosque plurimos afferuntur (3).

Idem Nos quoque in Civitate, ac Diœcesi singulis Sacerdotibus interdicimus, licet iis honorum titulis, quos modo enumeravimus, supra cæteros commendentur. Insuper ad Sac. Rituum Congregationem delatum fuit, aliquos Parochos, & Ordinum Mendicantium Præfectos in celebrando Missæ Sacrificio adhibere instrumentum argenteum cum candela, quod vulgo *Bugia* nuncupatur. Quamobrem die 22. Augusti hujus anni 1734. has Litteras ad Nos dedit, quas integras subjicimus, observandasque mandamus, ne, licet inviti, ad severitatem in deliquentes pertrahamur.

Eminentiss., ac Reverendiss. Domine Observandiss.

Cum Sacrorum Rituum Congregationi innotuerit, quemdam in ista Civitate Bononiæ irrepsisse abusum, quod tum Parochi ejusdem, tum Superiores Ordinum Mendicantium nulla dignitate Ecclesiastica insigniti, nulloque justo titulo fulti in celebratione Missæ sive solemnis, sive privatæ instrumento argenteo cum candela, quod Bugia *nominatur; noviter uti præsumpsere, Eminentissimi, & Reverendissimi Patres eidem S. Congregationi præpositi Eminentiæ Vestræ scribendum esse duxerunt, ut ipsa abusum prædictum zelo, quo pollet, Ecclesiasticæ disciplinæ a Civitate ita omnino tollere, & amovere curet, Parochosque omnes, & Ordinum Mendicantium Superiores, adhibitis iis Juris remediis, quæ prudentiæ suæ opportuna, vel etiam necessaria videbuntur, auctoritate ipsius S. Congregationis moneat, coerceat, & ad terminos suos reducere non omittat, & E. V. manus humillime exosculor.*

Romæ 28. Augusti 1734.

E. V. Humillimus, atque addictissimus Servus
A. F. Cardinalis Zondadari Pro-Præf.

N. M. Tedeschi Arch. Apam. Sac. Rituum Cong. Sec.

Delatum nobis est post has Litteras in eam sententiam plures adductos esse, ut Protonotariis Apostolicis, qui in litteris haud nominantur, uti liceat eodem Instrumento cum candela, dum Sacrum in Altari conficiunt. Quare id minime ipsis licere declaramus, cum inter Partecipantes, ut vocant, non adscribantur, sed solum inter honorarios, qui more reliquorum Sacerdotum Missæ Sacrificium peragere debent. Et sane, si Abbates Regulares, qui benedictionem ab Episcopo acceperunt, & insignibus Pontificalibus utuntur, dum primam Tonsuram, minoresque Ordines Regularibus sibi subjectis conferunt, rem divinam privatis, sicuti ceteri Sacerdotes, facere tenentur juxta Decreta Alexandri VII., quæ mox afferemus, ubi de Missæ Sacrificio res est, in quo Pontificalia ornamenta non adhibentur, si, inquam, qua ratione Protonotarii Apostolici honoris causa designati, qui carent ejusmodi privilegiis, nec habent in Missæ celebratione usum Pontificalium, instrumentum argenteum cum candela sibi ad Altare convenire judicabunt, quod Parochis, cæterisque Sacerdotibus interdicitur? Accedit etiam quod Sac. Congregatio Rituum hæc statuit (4): *Sacra Rituum Congregatio declaravit, non licere Illustrissimis Dominis Referendariis utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ac Protonotariis Apostolicis honorariis Missam celebrantibus in Civitatibus, quarum regimini præficiuntur, uti Ritibus, qui proprii Eminentissimorum Cardinalium, & Episcoporum videntur; sed iidem rem sacram facere tenentur more cæterorum Sacerdotum, prout in privatis Missis præscriptum fuit Abbatibus in Decreto circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum emanato ab eadem Congregatione habita coram fel. mem. Alexandro VII. die 20. Septembris 1659., & ita servari mandavit ab Illustrissimo Gubernatore Civitatis Cesenæ die 9. Februarii 1675.* An igitur fas erit Sacerdotibus, licet Protonotarios Apostolicos honoris gratia cooptatis, qui tamen utriusque Signaturæ Referendarii non sunt, nec Urbium Præfecti, diverso modo, ac reliqui Sacerdotes, Missæ Sacrificium agere, & privilegio uti, quod pluribus aliis dignitate præstantioribus denegatur?

Certum igitur, decretumque est nulli Sacerdoti in Diœcesi, ac Civitate argenteum instrumentum, de quo nunc agimus, tribuendum esse, nisi qui forte ob veterem possessionem, aliasque legitimas rationes ipsius instrumenti usum retinuerint, Sacra Rituum Congregatione probante (5). Nos etiam opportuna decreta promulgavimus, quæ in tabularium hujus nostræ Ecclesiæ relata sunt, ut eidem Sacræ Congregationi morem gereremus. Ipsa quoque non privatis modo Sacerdotibus, sed etiam Canonicis, & Capituli dignitatibus præcepit, ne in celebrando Missæ Sacrificio ullum administrum haberent, qui Missali assistat, qui pagellus evolvat, calicem detergat, vinum, & aquam infundat, ipsumque Calicem, cum opus est, tegat, ac detegat. Decreta ejusmodi post Synodum, accuratissimi Battistelli Episcopi Fulginatis excusa fuerunt (6). Constat tamen Sacram Congregationem in illos Canonicos, ac Dignitates hæc sanxisse, quæ instrumento cum candela uti non possunt; quemadmodum alio decreto Monacellus comprobat (7). Nam si illud permittatur, *Minister etiam de candela*, uti nuncupari solet, admittendus necessario vi-

(1) *Byss. in Hierurgia litt. B. num.* 109. *Gavant. ad Rub. Miss. part.* 2. *tit.* 2. *de ingressu Sacerdot. ad Alt. Litt. F. Monacell. in formul. leg. tom.* 4. *pag.* 32. *num.* 14. *Diana in edit. coordinata tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 139. *num.* 2. (2) *Tit.* 16. *cap.* 3. (3) *Gavantus part.* 2. *tit.* 1. *de præpar. Sacerd. celebraturi pag.* 71. *imp. Venet. an.* 1690. *& in suis decis. apud ipsum verbo: Annulus. Clericatus in Resolut. Ritum ante sua decis. Sacrificio Missæ num.* 17. *La Croix lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 403. *Theoph. Pittonillus in suo Sacro Enchiridion. lib.* 1. *cap.* 1. *sect.* 3. (4) *Monacellus tom.* 4. *fol.* 40. *num.* 89.

(5) *Die* 28. *Augusti an.* 1734. (6) *Pag.* 235. *& 236.*

(7) *Part.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *sub num.* 28.

videtur. Itaque, sub pœnis arbitrio nostro statuendis, nullum ii ministrum adhibeant, dum sacrum conficiunt, quibus idem instrumentum argenteum minime conceditur; qui tamen hoc jure præditi sunt, licet ministrum ipsis non denegemus, aliqua tamen supersunt, de quibus admoneantur. Ac primum; ipsimet perficiant, quæ ad Sacrum Calicem spectant, cum eos ministros aliquando deferant, qui licet Clericalem habitum superinduant, ne quidem Tonsuram acceperunt. Etenim evenire potest, ut Calicem contigant, in quo Christi Sanguis contineatur; tunc præsertim, cum Natali Domini post duas priores Missas Calix minime detergitur, in quo Christi Sanguis supersse potest. Certum vero est (licet mitiores recentium Scriptorum opiniones sequi velimus) Sacerdotibus tantum, ac Diaconis potestatem fieri, ut Sacra Vasa contingant, in quibus Christi Corpus, & Sanguis habeatur, Subdiaconis tribuitur, dum Altari ministrant, Calicem & Patenam tangere, ubi Christi Corpus, & Sanguis non fuerint. Accolytis autem extra Altaris ministerium eadem facultas traditur, cum Vasa sacra ad Sacrificium necessaria præparare ipsi debeant. Tandem diuturna Consuetudine factum est, ut Ordinati omnes, & qui sola Tonsura præditi sunt, si aliqua causa intercedat, Sacra Vasa, dum vacua sunt, extra Altaris ministerium contingant (1).

Postremo, ut ritu omnia pacateque fiant, fatemur æquo libentique animo Nos excipere singula privilegia, quæ Abbatibus Regularium solemne sacrum facientibus ab Alexandro VII. per decreta generalia tradita fuerunt (2), quæque post Synodum Cardinalis Jacobi Boncompagni impressa leguntur. Attamen ægerrime pateremur, si in Missis Pontificalibus, aut privatis ea negligerent, quæ ab iisdem decretis perscribuntur. Inter privilegia illud enumeratur (3): *Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, necnon Vesperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum, meminerit.* Illud vero ipsis interdicitur (4): *In Missis privatis quoad indumenta, cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent.* Procurator Generalis Ordinis Cassinensis contra ejusmodi decretum, veterem consuetudinem, & peculiaria quædam privilegia Sacræ Congregationi protulit, quæ tamen die 20. Julii anno 1660. respondit: *servandum esse decretum* quod Alexandri VII. auctoritate confirmatum fuit. Quare sedulo caveant Abbates, ut manus dextera, quæ benedictiones in Sacris solemnibus impertiri consuevit, semel tantum Populo benedicat, cum privatim Sacrificium celebrant. Id vero non ita difficile videtur, cum ipsi more Episcoporum solemnia facere haud crebro, juxta Pontificis ejusdem decreta, permittatur.

APPENDIX XXI.

Quamquam hæc, quam subnectimus, Epistola Summi Pontificis, nihil illustret de iis, quæ in Tractatu loquutus est; quoniam tamen peculiare punctum celebrationis Missæ in ea evolvitur, atque eruditissime pertractatur, hinc nos gratam rem facere Lectoribus visi sumus, si eam huic Tractatui adjungamus.

Epistola Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem primum Pontificiarum Cæremoniarum Magistrum de celebratione Missæ a sedente.

Dilecto Filio Magistro Ignatio Reali Apostolicarum Cæremoniarum præfecto.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ÆStas anni 1756. proxime præteriti variis corporis afflictionibus Nos oppressit, quas, ætas nostra gravis admodum, atque non intermissi a prima juventute labores progignere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviorem vim exserebat; hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine insignendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camucium Justinopolis, sive Ægidæ Antistitem, cui rei perficiendæ Tu utpote primus Cæremoniarum Magister opportuna quæque dispossuisti, & de qua Nos die 20. Octobris 1756. Epistolam dedimus ad Præsulem ordinandum, quam typis impressam quartus Bullarii nostri Tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIV. exhibebit.

II. Malum, quod in suo exortu levius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium viatico muniti, bis extremum inuncti, & bis pariter, juxta Romanorum Pontificum probatum morem, fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos Domini benignitas in eam Nos constituit corpus habitudinem, qualis nunc est, quæque intelligentiæ facultatem adeo Nobis non eripuit, minuitve, ut divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam: Exteris non minus, quam publicarum rerum curam gerentibus Nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes: Interfumus Consessui, quem Consistorium dicunt, & S. Officii Congregationi semel in hebdomada sub nostro obtutu haberi solitæ: Scriptorum calamus pro exigentia, & more quæ occurrunt necessaria excipit: Basilicas quoque Romanæ Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen a sede gestatoria, qua sustinemur descendentes.

III. Dies erat 27. Octobris Divis Simoni, & Judæ Apostolis sacra, & Justinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua Sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alio-

(1) *Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 3. disput. 81. sect. 8. §. tertium exemplum. Pasqualigus de Sacrifi. nov. legis quæst. 837. per totam. Quartus ad Rubric. Missalis part. 2. tit. 1. dub. 6. lib. 6. La-Croix pag. 2. num. 357. & sequentibus.*

(2) *Die 17. Septemb. anno 1659. & die 20. Julii anno 1660.*

(3) *In Decretis anno 1659. §. 13.* (4) §. 21.

alioqui Sacra facere conſueveramus, ſacram Euchariſtiam recepimus ſedentes, aut ſedentis in modum *lecto incubantes*, neque ſub id temporis Miſſam a Nobis celebrari poſſe ſperabamus, quod Medici ſpem Nobis feciſſent mitigato æſtatis beneficio aere, omiſſa interea compenſatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa viciſſitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem pedum juvamine, & ſpe ſimul auguſta myſteria celebrandi excidiſſe, jamque huic neceſſitati lubentes obtemperabamus. Id porro ſolum eſt reliquum, ut diſquiramus, ſemperne Sacra Communione ſimus reficiendi, an vero Miſſa ſit celebranda ſedentibus?

IV. Lubentes Nos huic neceſſitati ceſſiſſe diximus, neque enim a Deo ſive vitam, ſive infirmitatis ablationem petivimus, Sanctiſſimæ ejus voluntati omni cordis plenitudine, & ſinceritate ſubjecti, certi, ipſum & animæ noſtræ, & Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ curam habiturum, conceſſo etiam aliquo vitæ ſpatio. Diximus præterea tempus adeſſe, quo determinandum eſſet, pergendumne in conſueta hucuſque Sacræ Euchariſtiæ ſumptione, an vero Miſſa eſſet celebranda ſedentibus. Cum vero Salamon Prov. cap. 3. hortetur: *ne innitaris prudentiæ tuæ*, quæ eadem verba in Decretali *ne innitaris*, *De conſtitutionibus* laudata ſic illuſtrat Janſenius in Proverbia: *vetat niti ſuæ prudentiæ, quod eſt ſic illi fidere, quaſi illa ſufficiat ad directionem actuum noſtrorum, & proviſionem rerum neceſſariarum*. Similiter Salazar in eumdem Proverbiorum locum num. 26. cum S. Joan. Chryſoſtomo obſervat, hac lege teneri etiam ſenes quantumcumque rerum experientia præditos, & quocumque prudentiæ baculo ſuffultos: *Baculus, inquit Chryſoſtomus, ſenectutis ſuſtentatio eſt. Quapropter dixerim, eo ſpectaſſe Salomonem, ut his verbis ſuadeat, ſapientiæ, vel prudentiæ propriæ non inniti. Nam, ſi qui poſſent certo propriis conſiliis, & prudentiæ fidere, maxime ſenes, & grandævi, propter experimentum, & canos. Ait ergo, ne prudentiæ, quaſi baculo, innitaris: id eſt, etiamſi ad ſenectam perveneris, cum opus eſt baculo, ne tunc quidem tua prudentia, quaſi baculo utaris*: Hinc eſt, quod Nos adductis in utramque partem argumentis ſive pro ſumenda ulterius Comunione, ſive pro celebranda Miſſa ſedendo militantibus, ſtatuimus hanc noſtram lucubrationem variorum pietate, & doctrina conſpicuorum virorum trutinationi committere, ut ſecundum illorum judicia, quæ agenda ſint conſtituamus. Æneas Sylvius Piccolomineus, poſtea Pius II. in Pontificia dignitate dictus in Epiſtola ad Martinum Mayer Moguntenſis Archiepiſcopi Cancellarium data, & in ipſius Commentariis Romæ 1584. edita neceſſitatem exponit, qua Pontifex alios conſulere tenetur: *Papa etſi doctus, & ſapiens eſt, non tamen tam verbo ſuo ſapit, quam conſilio aſſiſtentium; & deciperetur forſitan aliquando, niſi aſtarent viri ſapientes qui multa noſcant*. Magno Nobis documento qui nec ſapientia, nec doctrina præcellimus, in negotio præſertim Nos ipſos concrementes, in quo amor proprius Nos inſigniter poſſet decipere abſque aliorum prudenti conſilio.

COMMENTATIO.

Satiuſne ſit, Sacram Communionem recipere, more hactenus a Pontifice ſervato, an Miſſam celebrare ſedendo.

V. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco quæ recipiendam porro Communionem concernunt, omiſſa celebratione Miſſæ a ſedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quæ Communionis loco Miſſam a ſedente celebrari permittit.

VI. Docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 93. art. 1. *Ad ſecundum*: juſtos ante legem interiori quopiam inſtinctu didiciſſe modum Deum colendi, quem alii quoque fuerint imitati: *ante tempus Legis juſti per interiorem inſtinctum inſtruebantur de modo colendi Deum, quos alii ſequebantur*. Per legem vere poſtmodum inducta fuiſſe præcepta externa, quibus ad ea perficienda, & inſtruebantur, & adſtringebantur homines: *poſtmodum vero exterioribus præceptis*, pergit Angelicus Doctor, *circa hoc homines ſunt inſtructi quæ præterire peſtiferum eſt*.

VII. Abrogata poſtmodum per Chriſti adventum Moſaicæ Legis obſervantia, & Evangelio promulgato, non quidem omnes Ritus ad Sacramentorum adminiſtrationem, Miſſæque celebrationem pertinentes ab Apoſtolis fuere inſtituti, ſed eorum plerique ab Eccleſia præſcripti, quod tamen minime evincit, quin omnes adamuſſim ſint obſervandi. Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *part.* D. Thomæ *qu.* 83. *art.* 5. *diſput.* 84. *ſect.* 1. poſt relata S. Pauli Apoſtoli verba 1. ad Corinth. 14. *omnia ſecundum ordinem fiant in vobis*: inquit, adactam fuiſſe Eccleſiam ad conſtituendum ordinem ſtabilem circa res etiam minutiſſimas ſpectantes ad Ritum adminiſtrandi Sacramenta, & Miſſæ celebrandæ, *& ideo oportet in his omnibus etiam minutiſſimis certum ordinem ab Eccleſia conſtitui*: ſi namque cujuſque arbitratui id fuiſſet relictum, *multa indecore, & imprudenter fierent*: quid quod eadem omnes Rituum ratio & Eccleſiæ unitatem commendet, & intentam Paſtorum ſollicitudinem? *Hæc uniformitas, quæ in his omnibus ſervatur, ad ſplendorem officii Eccleſiaſtici ſpectat, & unitatem Eccleſiæ commendat, & Paſtorum ejus curam, ac ſollicitudinem*.

VIII. Jam vero ut ad materiæ Nobis propoſitæ fundum mittamus bolidem; Generales regulæ, rubricas dicunt, Romani Miſſalis Tit. 17. vetant ſeſſionem in Miſſis privatis, quam tamen concedunt in ſolemnibus, dum *Kirie*, *Gloria*, & *Credo* a Choro decantantur. Tridentinum vero Concilium *Seſſ.* 7. *de Sacramentis in genere can.* 13. omnem quantulamcumque mutationem Rituum prohibet, & S. Pii V. Bulla Miſſali præfixa rubricarum obſervationem exigit omnimodam. Ex quibus perſpicuum videtur, quod, ſi quis alio modo, quam ſedendo celebrare Miſſam nequeat, Communione *Laicorum more* contentus a celebratione abſtinere teneatur.

IX. Quid vero, ſiquis ad ſedentariæ Miſſæ celebrationem diſpenſetur? Verum, cum Rubricæ ſeſſionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quæ diſpenſationis remedio non tollitur. Theophilus Raynaudus in opere inſcripto: *Sacrum Chriſtianum Acathiſtum, ſeu ſeſſionis expers. Tom.* 6. *pag.* 498. §. 4. *& ſeqq.* dilucide illam irreverentiam docet. Extat quoque opuſculum S. Petri Damiani numero 39. editionis anni 1743., in quo Epiſcopum Biſuntinum hortatur ad arcendum a ſua Diœceſi *opprobrium ignominioſæ ſeſſionis*:

In Decreto etiam Gratiani, gemini hanc in rem Canones adducuntur, 57. videlicet, & 68. de Conſecrat. diſt. 1. primus ita habet: *Nullus Epiſcopus, Præsbyter, aut Diaconus ad Miſſarum ſolemnia celebranda præſumat cum baculo introire.* Alte vero ita ſonat; *Apoſtolica auctoritate mandamus, dum ſancta Evangelia in Eccleſia recitantur, ut Sacerdotes, & ceteri omnes præſentes, non ſedentes, ſed venerabiliter curvi in conſpectu Evangelii ſtantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent.*

X. Neque ſermo Nobis eſt de diſpenſatione ad celebrandam Miſſam a ſedente, qui tamen Canonem ſtans abſolvat, quod alias conceſſum ſcimus, ſed agitur de integra Miſſa ſedendo celebranda, cujus exemplum haud extare dicitur: Paſqualigus *de Sacrificio novæ Legis* Tom. 1. quæſt. 227. quærit: *An ſacerdos dum celebrat, ſedere poſſit?* Atque negative reſolvens propter obſtantem irreverentiam, ad Pontificiam diſpenſationem deflectens quæſtionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Miſſam; convenientius fore, ſi Sacerdos ob pedum debilitatem ad integram Miſſam abſolvere nequeat intermiſſo tantiſper continuo ordine, ſedendo vires reſumat. *Satius eſſet, quod potius interrumperet Miſſam, & ſedens quieſceret ad recuperandas vires quam ſedendo celebraret.* Id quod fieri vidimus ab homine pio, & docto Inquiſitore Peruſino, qui juxta tenorem obtentæ diſpenſationis omne abſolvendo Canoni tempus explere ſtando non poterat, pedibus officium ſuum denegantibus.

XI. Superflua forte videbuntur hactenus adducta contra Miſſam ſedentariam, præſertim ſi de Canone pariter ſermo inſtituatur; cum ſeſſionis prohibitio non a Lege Naturæ, aut Dei, ſed poſitiva ſolummodo inducta ſit: Pontifex autem Romanus omni poſitivo jure ſit ſuperior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Miſſam omnem, ipſumque adeo Canonem ſedendo abſolvendi.

XII. At vero meminiſſe oportet, eſſe caſus nullo aut Naturæ, aut Divino jure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam diſpenſare conſuevit, quamvis ſoli poſitivæ Legi derogaturus.

XIII. Non convenit inter Theologos, an matrimonium inter fratrem & ſororem, jure naturali, Divino, vel humano prohibeatur: Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Pariſius, & Averſa ſolam juris poſitivi prohibitionem agnoſcunt; neque tamen ullo probato teſtimonio evincitur, a quopiam Pontifice admiſſas fuiſſe preces fratris, & ſororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quæ enim a Sanctæ Sedis hoſtibus proferuntur exempla, falſa ſunt. Inſtitit equidem Henricus VIII. Angliæ Rex vehementer apud Clementem VII. ut ſpurio ipſius filio Duci Richemundenſi ducere liceret Mariam, e legitimo Henrici, & Catharinæ thoro prognatam, repulſam vero tulit illico; ſimiliter diſpenſatio illa, cujus obtentu Dux Armeniacenſis Sorori ſuæ nupſerat; ſubreptitia omnino erat, cum Calixtus III. conſtanter eam concedere recuſaverit. Hæc uberius relata, & comprobata reperies apud Rigantium in Reg. 49. Cancellariæ a num. 13. ad 17. Noſque viri hujus mentionem honorificam eo facimus libentius, quod noſtram, dum *in minoribus* eſſemus conſtituti, amicitiam peculiarem ſingularibus animi dotibus, & utiliſſimo illarum uſu ſibi vindicaverit.

XIV. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ jure tantum poſitivo interdicitur, aſſeritque Silvius magni nominis Theologus, Pontificem diſpenſare poſſe cum vitrico, & privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex cauſa etiam graviſſima diſpenſaverit in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, prout oſtenſum a Nobis eſt lib. 9. *De Synodo Diœceſana cap.* 13. *n.* 4. *edit. noviſſ.*

XV. Impedimentum *criminis* ſecuta etiam conjugis occiſione a poſitivo jure eſt ſtabilitum, quod patet ex Hebraica Lege matrimonium poſt copulam, & conjugis occiſionem irritum non agnoſcente: atque ipſi probe meminibus, rejectam eſſe a Tribunali Sancti Officii, cui *in minoribus* a conſiliis eramus, petitionem Judæi cujuſdam *criminis* impedimentum Hebræorum matrimoniis opponere volentis, ſi poſt conjugis occiſionem fuiſſent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethſabea matrimonium irritum tradidit, quanquam adulterium præceſſerit, & Uriæ interfectio. Cum itaque matrimonium ejuſmodi jure ſolum poſitivo prohibeatur, adeo difficulter diſpenſatio concedenda nec fuiſſet, nec eſſet, concurrente præſertim cauſa legitima, ſi generalis illa regula ſubſiſteret, facile diſpenſari *in prohibitis* jure tantum poſitivo: neque tamen exemplo ullo conſtat, Pontificem diſpenſaſſe *in impedimento* hujuſmodi pubblico. Videantur quæ hanc in rem congeſſit Miglioruccius *in Inſtitutionibus Canonicis* ad lib. 2. tit. 14. in explicationibus ad num. 9. & 10. *ubi conjugis occiſio ſecuta ſit, numquam diſpenſatur, non quia Pontifex non poſſit:* ſi impedimentum ſit occultum, Major Pœnitentiarius diſpenſat in matrimoniis tum contractis, tum contrahendis pro foro interno, commiſſo adulterio, ſed *neutro machinante*; Verum ſi impedimentum oriatur ex adulterio, *utroque vel altero machinante*, ſitque occultum, habet quidem Major Pœnitentiarius facultatem *diſpenſandi, raro tamen*, & ſemper pro foro tantum interno, his quoque ſervatis, ut gravis concurrat neceſſitas, aut grave immineat periculum, & caſu in plena Congregatione, aut Pœnitentiaræ ſignatura propoſito. Videatur Conſtitutio noſtra XCV., *Paſtor bonus* Tom. 1. noſtri Bullarii §. 44.

XVI. Hactenus id medium allata abunde commoſtrant non temere pro regula ſtatuendum, quod *prohibitis* Lege ſolum poſitiva, non vero naturali vel Divina, derogandi plena & non circumſcripta ſit Pontifici Romano libertas: imo exemplis adductis illud adjungi poteſt de Miſſa ſedentaria una cum Canone celebranda; namque Miſſæ hujus oppugnator conceſſionis ſimilis memoriam haud extare contendit.

XVII. Neque dictis obeſt, quod diſpenſationis ejuſmodi denegatio impediat magnum bonum, ædificationem nimirum populi ex Epiſcopi celebratione, qualicumque demum valeret modo, peracta, proventuram; namque edificatio illa neutiquam obtinetur, cum diſpenſationes iſtæ celebrandi ſedendo, excepto tempore Canonis, clauſulam contineant, ut Miſſa in privato Oratorio celebretur ad evitandam populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri poſſit, præſcindendo a motivo præmiſſo, non videtur illius conſecutio quærenda novitatis hujus in Eccleſiam intruſione; Epiſcopi ſiquidem pietas nutriri poteſt per Communionem *more Laicorum* ſumptam, qui autem pro populo ſacrificium offerat, ſubſtituere ſibi poteſt Sacerdotem alium.

XVIII. Magnum beneficium eſt, ſi infirmo, quod petiit Sacrum Viaticum a Sacerdote porrigatur: Verum ſi nequidem una habeatur candela, ſi veſtes ſacræ deſint, ſi alio profectus eſſet Sacerdos caſum haud prævidens, claveſque tabernaculi ſecum ferens; tum enim vero infirmus Viatici Sacri munimine carebit quidem, docebi-

tur

tur tamen sufficere desiderium, & Sacramenti perceptionem *in spe*, cum nequiverit recipere *in re*: Similiter, & in Sacerdote sufficiet prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missæ celebratio absque luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Viatico, juxta probatiorem opinionem, qua de re actum est in nostro Tractatu de SS. Missa Tom. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 3. edit. Ital. Sect. 2. num. 52. edit. Latinæ.

COMMENTATIO

De celebratione Missæ etiam sub Canone a sedente, quin obligetur Sacerdos stare non valens ad recipiendam semper Communionem more Laicorum.

XIX. Asserens bene concedi licentiam, ut Sacerdos debilitate pressus sedendo Missam, ipsumque adeo Canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter Divinas preces nec indecentem esse, nec opprobrio plenam. In Actis Apostolorum cap. 2. legimus, Divinum Spiritum descendisse super Apostolos in cœnaculo sedentes: *& replevit totam domum, ubi erant sedentes*. Ideoque Cardinalis Cajetanus in Acta Apostolorum ita commentatur: *non horreo sessionem corporalem cum nihil indecens inducat*: additque Navarrus in Manuali de Oratione *cap. 4. num. 12.* situm corporis sedentarium non esse incongruum orantibus. Admittit quidem sedentariæ Missæ Patronus, indecens esse Missam celebrare a sedente; attamen causa legitima concurrente, puta pedum debilitate, nequidem Canonem stando perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus, e Clero propter dignitatem suam Ecclesiasticam, multoque magis Episcopis ad celebrationem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus averfabatur vehementer sessionem in precibus, sub finem tamen prælaudati opusculi cap. 4. pag. 336. hæc addit; *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat*. Nec pacatior sessionis in orando osor Theophilus Raynaldus loc. cit. pag. 503. col. 1. ita habet: *Quis sedere coram Deo audeat injussu ejus? at abest Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, si absit ægritudo corporis sessionem deposcens, ea enim corporis imbecillitas Divinæ indulgentiæ ad sedendum concessæ tessera est ex natura rei*. Cumque in Canone 131. Concilii Aquisgranensis legamus? *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis, standum, & psallendum est*. Eruditus Pater Haestenus in doctis suis disquisitionibus monasticis lib. 7. disquis. 1. pag. 705. ita Canonem explicat: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, cæteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philoth. cap. 24. postquam autem non permittebat senectus, ut circa molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei præstabat baculus, cui innixus Dominum & laudabat & orabat*.

XX. Et sane, si media omnia adhibeantur, ut Sacerdos ad Missæ celebrationem ineptus effectus, dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur idoneus, si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta Laicos a Sacramentorum perceptione arcentia: mirari nemo debet, si non solum aliquibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missæ sedentariæ Canone excepto: sed si dignioribus Ecclesiæ Ministris Episcopis præsertim eadem pedum infirmitate oppressis permittatur sessio sub ipso quoque Canone, & Consecratione.

XXI. Si Parochus, aut Sacerdos alius videndi facultate privatus non sit, licentia ei conceditur celebrandi in festis solemnioribus, & duplicibus Missam votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam Defunctorum: multæ vero clausulæ huic concessioni adjiciuntur, illa præsertim, ut *non sit omnino cæcus, nec recitet memoriter*; injungiturque Episcopis, ut si cæcus omnino reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si Sacerdos cæcus efficiatur post susceptum presbyteratus ordinem, hic illum defectus non ordine ipso, sed ordinis executione privat, & quidem tantum quoad confectionem Eucharistiæ; non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis esset confessionis auditio, prædicatio &c. prout optime observat S. Thomas 3. part. quæst. 82. art. 10. ad 13. Non vero desunt exempla concessæ cæcis Episcopis licentiæ Missam celebrandi. Aimonius sane refert in Actis Concilii Tricassini anno 878. habiti apud Baronium, & Natalem Alexandrum, Joannem VIII. in eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hincmare Laudunensi cæco, nepoti Hincmari Rhemensis facultatem Sacris operandi fuisse elargitum. Soto quoque in 4. Sentent. dist. 9. quæst. 1. art. 2. testatur visum a se in Concilio Tridentino Episcopum cæcum ex Pontificis dispensatione quotidie celebrantem. Cum Nos *in minoribus* munere fungeremur Secretarii Congregationis Concilii mature discusa materia, excussisque Autoribus allegatis a Nobis, in folio desuper confecto, & tom. 4. Thesaur. Resol. Congreg. pag. 101. & seqq. edit. Urbin. Parocho Florentino cæco omnino, sed magnorum meritorum intuitu circumstantiarum variarum in ejus favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi sub assistentia alterius Sacerdotis: causa hæc proposita est 2. Augusti 1727. & ejusdem anni, mensisque die 23. terminata. Neque recentiora desunt exempla simillium concessionum.

XXII. Non est celebranda Missa operto capite. Canones id prohibentes adducti a Nobis sunt *in Notificatione* 14. *Tom. 2. quæ* 34. *est Latinæ editionis §. 2. edit. Ital., Latinæ vero Sect. 1. num. 53.* Inter alios vero Canones ad litteram id habet Can. *Nullus Episcopus, de Consecrat. dist. 4. Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere*. Quidquid autem si de eo, quod Vasquez Tom. 3. in 3. part. Disput. 232. cap. 4. refert, in Polonia Sacerdotes etiam Regulares in hyeme operto capite Missam dicere usque ad Consecrationem; consuevit dari licentia capite operto Missam legendi excepto Canone, si testentur Medici ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. Paulum V. concessisse legitur in aliquibus Orientis Ecclesiis Missas integras una cum Canone operto capite celebrari, cum iis in regionibus inurbana habeatur capitis denudatio. Raynaudus citat. Tom. 6. pag. 499. columna 2., & Henaus Tom. 2. de Sacrificio disput. 27. section. 2. numer. 10. admittunt, operto capite Missam, & Canonem dici posse, si alias timeatur saluti Sacerdotis, in regionibus præsertim frigidis. Ideoque Navarrus lib. 3. de celebrat. Missarum, Consil. 7. num. 5. edit. Venet. 1621. hæc adferet: *Non desinunt Sacrametta Divina reverenter tractari, eo quod ex justa causa & necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis, pileolo aliquo honesto caput tegatur*. Concordat Salmero Tom. 14. in *ep.* 1. ad Corintios cap. 11. disput. 18. pag. 144. edit. Colon. 1614. & Henaus

naus cit. sect. 2. num. 20. ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum malle omitti Sacrificium, aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus.* Præterea Sacerdotibus vetitum est deferre fictitia capillitia, prout liquet, ex documentis a Nobis congestis in Tractatu *de Synodo Diœcesana* edit. noviss. lib. 11. cap. 9. maximeque ea prohibitio se extendit ad celebrationem Missæ, attamen per speciem aliquam tolerantiæ, ut Clericis concedatur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona, seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

XXIII. Agendum jam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur Laicis Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibusdam difficultatibus. Notum cuique est, celebratam olim in mari Missam, quæ sicca dicebatur, quæque prohibita est; nunc autem facultas conceditur Missæ veræ celebrandæ, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, & præter Sacerdotem celebrantem adsit Presbyter, aut Diaconus alius, qui exurgente forte quopiam motu calicis effusionem prævertat: singula videri possunt Tom. 2. de Sacrificio Missæ Sess. 2. cap. 1. §. 3. pag. 256. edit. Ital., Latinæ vero Sect. 2. num. 49. & seqq. Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque adinventum esse ministrandi Sacram Eucharistiam infirmo, consecratam particulam deglutire non valenti, nec minus pesse laboranti, quin Sacerdos ministrans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in Tract. de Sacrificio Missæ Tom. 2. Sect. 2. cap. 6. §. 4. edit. Ital. & Sect. 2. n. 170. edit. Latinæ. Secundum habetur in Tractatu de Synodo Diœcesana edit. noviss. lib. 13. cap. 19. num. 21. & seqq. Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta, nimirum si omni ratione prospectum est Sacerdotibus simplicibus celebrare non valentibus, ut possint nihilominus Sacris operari, si omni possibili modo Laicis Sacramenta ministrantur; non debent accumulati scrupuli & subtilitates ad arcendos Presbyteros in dignitatibus Ecclesiasticicis constitutos, & Episcopos præsertim a celebranda Missa sedentaria, si debilitate pedum laborent: cum præcipuum Episcoporum officium sit, offerre Deo Sacrificium pro populo curæ suæ concredito, & pro seipso.

XXIV. Id sane disertis verbis docet S. Paulus Epist. ad Hebr. cap. 5. vers. 1. & seqq. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis:* & in ejusd. epist. cap. 8. vers. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in idem caput 5. concludit Joannes Gagneus: *Munus ergo assumpti Pontificis est orare, & pro suis, & pro populi delictis sacrificia offerre, & agnoscere se peccatorem, atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guilelmus Estius Salmero, & Cornelius a Lapide in Commentariis in citatum caput. 5. Neque regerenda hic est superius allata objectio, cessare motivum edificandi populum per celebrationem, cum hæc perfici nequeat a sedente nisi in cappella, aut Oratorio privato ad evitandam populo demirationem; neque enim populi edificatio princeps causa celebrandi est, sed oblatio Sacrificii pro populo, quæ obtinetur æque per celebrationem in Oratorio. Præterea populus videns Episcopum suum celebrare, quo potest, modo, sciensque sedentem celebrare ex concessione Pontificia, tantum abest, ut offendatur, quin potius edificetur.

XXV. Bene omnia haberent, inquis, si prout exempla habentur concessæ Episcopis licentiæ, sedendo Missam celebrandi, illa ad Canonem quoque, adeoque ad totam, & integram Missam se extenderet, in hoc enim cardo rei vertitur. Antiquitatis sacræ monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr, qui in persecutione Maximiani fidelium eodem secum carcere detentorum desiderio Sacro Missæ Sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniæ festo die in terram extensus, & pectore tamquam ara usus Sacris est operatus, prout videre est in Actis apud Bollandistas Tom. 1. Januarii pag. 361. n. 14. Theodoretus Cypri Episcopus in gratiam Sancti Eremicolæ, qui Missæ nunquam interfuerat, allatis in ipsius tugurium sacris vasis manibus Diaconorum pro Altari usus Sacram confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheo cap. 20. Uranius in epistola *de obitu Paulini* apud Bollandistas Tom. 4. Junii pag. 168. n. 2. testatur, quod cum ad decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum alii duo Præsules inviserent, ægrotus licet cum aliis Missam celebraverit erecta prope lectum ara: *Et quasi profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi, scilicet ut una cum Sanctis Episcopis oblato Sacrificio, animam suam Domino commendaret:* quod & factum indicatur num. 3. *Et cum hæc omnia Sanctus Episcopus læto, ac perfecto ordine celebrasset:* Neque, quod aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione Sacræ Eucharistiæ, non item de celebratione Missæ intelligenda sunt; huic enim suffragantur Tillemontius Tom. 14. in Actis S. Paulini art. 52. pag. 139. edit. Venet. doctissimusque Pater Magister Orsi Magister Sacri Palatii Apostolici Tom. 12. Hist. Eccles. lib. 18. n. 76. pag. 375.

XXVI. Speciosa quidem sunt exempla superius allata, præsentique casui apprime conveniunt; verum antiqua sunt, & præcedentia tempus illud, quo in modernos ritus fuit reducta Missæ forma. At vero S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus mortuus est sub initium Sæculi noni, Ignatius vero Episcopus Nicænus, Tarasii discipulus, & illius vitæ scriptor, videndus apud Baronium ad annum 806. & apud Bollandistas tom. 3. Februar. pagin. 586. num. 47., hunc in modum describit celebrationem Missæ a Sancto Patriarcha graviter decumbente peractam: *Ingruens morbus, & valde gravem ei dolorem afferens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui, & Divini Officii. Nam & morbo, & senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, & morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensæ ligneæ, quæ ponebatur ante Aram Divinam, Sancta peragebat, infirmus videlicet?* quod est, ventre, & pectore adniti tabulæ, partemque corporis reliquam, pedibus sustentando. De S. Ivone Presbytero, & Parocho Britanniæ Armoricensis anno 1303. defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens hoc Missam celebraverit modo: *Fugit adeo infirmus, & debilis, quod se non poterat sustinere; immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, & sic Missam celebravit in Cappella sua:* prout videre est tom. 4. Maji apud Bollandianos pag. 541. A. num. 17. atque testis *de visu* fatetur apud eosdem Bollandianos loc. cit. pag. 560. C. n. 65. Mauritius vero Gaufridus in prolixa descriptione

vitæ

vitæ S. Ivonis in cit. tom. 4. Bollandiſtarum pag. 594. A cap. 5. num. 59. rem omnem ita complectitur: *Erat autem adeo tunc infirmus, ut pro debilitate corporis nec indutre, nec exuere per ſe ſufficeret ſacras veſtes, ſed nec alia pro Miſſa neceſſaria præparare ad Altare ſe ſuſtinere, aut ad elevandum Corpus Domini ſe juvare, niſi ab aſſiſtentibus Abbatibus Belliportus, & de Beagar, & Archidiacono Trecorenſi cum aliis præſentibus fuiciretur.*

XXVII. Proprius jam ad ſcopum accedimus, ſed cum diſciplina illius ævi, cujus exempla in medium attulimus, neceſſitatem diſpenſationis Apoſtolicæ ad Miſſæ ſedentariæ celebrationem necdum induxerit, quæ tam ſapienter admodum eſt invecta, ne quiſquam infirmitatem ſibi fingens ſedendo celebrare auguſta Myſteria auderet: adferemus porro exempla conceſſarum a Romanis Pontificibus diſpenſationem pro celebratione Miſſæ a ſedentibus, excepto tempore Canonis, de quo haud eſt controverſia, ſed de integra Miſſa a ſedentibus celebrata, de qua in præſentiarum potiſſimum quæſtio agitatur.

XXVIII. Joannes Renna Venetus factus 3. Novembris 1534. Epiſcopus Algerenſis, indeque anno 1538. die 13. Maii ad Sedem Pampelonis Novæ translatus varias a Paulo III. gratias petiit. Inter alia expoſuit, ſe podagræ morbo omni propemodum membrorum uſu eſſe privatum: *Diverſis infirmitatibus podagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es*: Ideoque Miſſam ſtando celebrare non valens, petiit facultatem Sacris operandi in ſella eo confecta artificio, ut illi inſidens, ſtare videretur: *Ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Miſſam ſtando celebrare non vales, & zelo devotionis accenſus Miſſam celebrare deſideras, tibi, ut ſedendo in quodam artificio ſedis per te facto, in quo ſedendo ſtare videris, quoties tibi placuerit, Miſſam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Epiſcopalem Ordinem pertinent, etiam ſedendo exercere, tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus: proviſo, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & ſcandalum non ſequatur, & ſi celebratione tua in artificio prædicto adſtantes ſcandalizari veriſimiliter credi poſſit, celebrationem hujuſmodi non publice, ſed privatim facias.* Breve Cardinalis Hieronymi Ghinucci manu ſubſcriptum reperitur, ille enim ſcripta roborandi munere fungebatur, prout Ciacconius Tom. 3. pag. 569. refert: adjectum quoque eſt nomen Secretarii Apoſtolici breviori nota ſignatum. Ipſum vero Breve habetur in ſchediis autographis Brevium Pauli III. in Archivio ſecreto anni 1538. num. 466. integrumque exhibebitur ad calcem hujus Epiſtolæ, ut cujuſque judicium convincatur. Nos quidem mechanicarum rerum ignari, ſedis hujus, in qua ſedens ſtare videbatur, examen haud inſtituemus: Id exinde deduxiſſe ſufficiet, Paulum III. Epiſcopo Pampelonenſi facultatem feciſſe per omnem Miſſam ſedendi, ne Canonis quidem & Conſecrationis tempore excepto.

XXIX. Pontifex Pius V. primo Pontificatus ſui anno, Franciſco Ferrerio Cardinali tituli S. Agnetis ob podagræ moleſtias ſtando Sacris operari non valenti veniam fecit, ut in privata Cappella ſedens Sacram Liturgiam perageret: *Nos ſpecialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuæ, ut, quotieſcumque devotionis gratiam Miſſam celebrare volueris, ſi eam pedibus ſtando ob ipſas indiſpoſitiones commode celebrare nequiveris, illam ſedendo in Oratorio domus tuæ, ſeu Cappella tua privata, coram familiaribus, & domeſticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullos ſcandalum, aut offendiculum capere poſſit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, licentiam concedimus, & facultatem.* Schediaſma autographum firmatum manu Reverendiſſimi Cæſaris Glorierii ſenioris Brevium Secretarii, in Archivio ſecreto inter diagrammata archetypa S. Pii V. anni 1566. num. 572. aſſervatur. Hoc quoque Breve integrum ſubjiciemus, tum ut cuique innoteſcat, tum, ut levitatis convincantur aſſerentes, rei cujuſpiam exemplum non extare, quod ipſi illud ignorent; ex quo fit, ut, dum talium aſſertionum facilitas laboris moleſtiam in alios transfert, ipſis grave accidat, ſi quæ exiſtere negaverant, in lucem protrahantur.

NARRATIO.

Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia neceſſaria videtur præſentem quæſtionem dijudicaturo.

XXX. Supervacanea videri poterunt, quæ deinceps in medium erimus allaturi; ſi enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Miſſam celebrandi ſedendo, miratine ſubibit, ſi eadem ex cauſa eadem ipſe utatur œconomia? At vero univerſim loquendo non videtur Pontificiæ dignitati convenire uſus licentiæ aliis conceſſæ. Hinc ut diſpiciatur, an indecens ſit a Pontifice ſedente Miſſam celebrari, diſquirendum, fuerintne Pontifices, qui omnem Miſſæ celebrationem ſedentes perfecerint. Haud equidem magni Nobis moliminis hæc res eſt, cum conceſſuri bonæ memoriæ Cardinali de Rohan podagra impedito licentiam celebrandi Miſſam ſedendo excepto Canone, & Conſecratione, omnia ad id argumentum facientia ſollicite conquiſierimus. Neque jam illa congerere valeremus, tum ſenii onere gravati, & ab ægritudinis moleſtiis nondum plene liberi; tum vero maxime carentes libris Nobis longo uſu notiſſimis, quos cum omni noſtra Bibliotheca ſelecta Inſtituto Bononienſi dedimus: quanto vero & laboris, & temporis, cujus penuria laboramus, impendio illa in libris, quibus necdum aſſuevimus, inquireremus?

XXXI. Honorius IV. anno 1285. in Pontificem electus. Diaconus erat, utique Presbyterio, & Epiſcopatu primum inſigniendus. Hiſtoriographi infirmitatis habitu adfectum teſtantur: Martinus e Minorum cœtu in *Floribus Temporum*, Joannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonenſis, & Hermannus Cornerus in ſuis Chronicis apud Joan. Georg. Eccardum *in corpore Hiſtorico medii ævi tom. 1. pag. 1631. pag. 1758. pag. 2088. & tom. 2. pag. 936.* Affirmant alii Honorium ea pedum debilitate laboraſſe, ut nequidem incedere potuerit: Riccobaldus Ferrarienſis *in Hiſtoria Romanorum Pontificum ad annum 1285. in tom. 9. Rerum Ital. Script. pag. 182.* Alii, ea chyragræ, podagræque vehementia afflictabatur, ut digitum digito jungere nequiret, teſte Muratorio Annalium Italiæ *tom. 7. pag. 460.* Miſſam ſine inſtrumentorum quorumdam adminiculo celebrare haud valebat. Ptolomæus Lucenſis *lib. 24. Hiſtor. Eccleſ. cap. 13. in tom. 11. Rer. Ital. Scrip. pag. 1191.* Rainaldus *ad annum 1285. num. 14.* Fleuryus *tom. 28. Hiſt. Eccleſ. pag. 371. & in vita ejuſdem Pontificis*, Ciacconius *tom. 2. pag. 247.* Burius, Pagius *tom. 3. pag. 455. num. 3.*, Auctor vitæ Pontificum Hagæ Comitum editæ *tom. 3. pag. 289.* Porro Inſtrumenta, quibus ad perficiendam celebrationem utebatur, deſcribit P. Franciſcus Pipinus

ex

Pipinus ex Ordine Prædicatorum *in Chronica lib. 4. cap. 22. Pedibus erat ita ægrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum jungere non posset; immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices & quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum*; videri cuncta possunt *eit. tom. 9. Rer. Ital. Script. pag. 727.*

XXXII. In Commentariis Pii II. anno 1458. ad Pontificatum evecti, post prolixam narrationem institutæ supplicationis in translatione Capitis S. Andreæ Apostoli ex Achaja eidem Pontifici dono missi, hæc adduntur: *Die Sabbathi quæ fuit Aprilis 17. celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem Divinam facturum, portaturumque eo Sacrum Andreæ Caput, ut iterum, atque iterum videretur, quod ex Altari Beati Petri abductum, in Palatio clauserat. Res nova, & insperata fuit. Nam propter ægritudines & absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.*

XXXIII. Pius III. in Pontificem anno 1503. electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediebatur, ne pedibus posset insistere. Sedens itaque Sacerdotio est initiatus a Cardinali Tituli Sancti Petri in Vinculis 30. Septembris. Primo vero Octobris ejusdem anni Episcopus consecratus, octavo postea die diademate Pontificio insignitus, sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vaticana. Omne id habetur libro ultimo Ephemeridum Joannis Burcardi Cæremoniarum Sacrarum Magistri *pag. 56. 58. & 59.* quem codicem Bibliotecha habebat Cardinalis Silvii Valentis nostri quondam Status Secretarii, jam vero tenet Reverendissimus Valenti ipsius Nepos.

ANNO MDIII.

Die Veneris 29. Septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinavetur, & celebraret, & mensam longam pro Altari, ut pedes subtus extendi possent.

Die Sabbathi ..... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam ..... accessit in Planeta ad Papam illa sede ordinata ad omnia sedentem &c.

Die Dominica 8. Octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit. Sed in ea post introitum Ecclesiæ... accepit in ea Pallium, & portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.

XXXIV. Dum Romanus Pontifex solemniter celebrat, peracta ad Altare consecratione ad solium suum reversus, recipit Sacram Eucharistiam sub speciebus panis, & vini stans, neque sedendo communicat, prout per errorem scripserunt aliqui, viderique id potest *Tom. 2. Tract. nostri de Sacrificio Missæ sect. 1. cap. 20. §. 1. edit. Ital. Latinæ vero sect. 1. num. 339.* In cæremoniali autem libro Cappellæ Papalis liberum est Summo Pontifici porrigendi Sacram Communionem Cardinalibus Diaconis, aliisque solio assistentibus sedendo; qua Nos libertate usi sumus numquam, Augustissimum Sacramentum stando semper distribuentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinali consecrante Evangeliorum liber, capitique manus imponitur, inde caput, manusque Sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyteratu esset insigniendus, Episcopus Cardinalis Subdiaconatus Ordinem ei collaturus *Sedenti calicem vacuum cum patena, & urceolos cum vino, & aqua, bucale, & manutergium*, librumque Epistolarum porrigit. In collatione Diaconatus Cardinalis ordinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*: sedentique Pontifici aptat paramenta, & porrigit librum Evangeliorum. Tandem in collatione Sacerdotii sedens Pontifex manum impositionem, Olei sancti, quod Catechumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino, & aqua, atque patenam cum hostia recipit. Quæ omnia luculenter ostendunt, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari, præsertim si pedibus debilitatis insistere non valeat.

XXXV. Atque hæc sunt, quæ in hac Epistola exponenda duximus, eorumque disquisitioni proponenda, quorum consilia expectamus, priusquam quid agendum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum erit præparare mensam Altaris cum consecrato lapide, immagine Salvatoris Cruci affixi, luminaribus, aliisque ad Sacra peragenda necessariis; vacuumque subtus Altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes singula dexteritate tua singulari perficienda, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem 11. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

PAULU PAPA III.

VENERABILI FRATRI

JOANNI EPISCOPO PAMPILONEN.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUpientes commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es, Limina Apostolorum Petri & Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut juraſti, non vales, providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut, tua vita durante, per Procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum dicta Limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam compelli possis: ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Missam stando celebrare non vales, & zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videaris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere, & Horas Canonicas, diurnas, & nocturnas, cum uno, vel duobus Capellanis juxta ordinem Romanæ Curiæ per dilectos filios nostros Cardinalem Sanctæ Crucis, vel alios antiquitus institutum prout tibi placuerit, libere & licite dicere ac easdem Horas anteponere, & postponere, & cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientiæ libere & licite possis & valeas, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus, proviso: quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non sequatur; & si

cele-

celebratione tua in artificio prædicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi, non publice, sed privatim facias. Non obstantibus Apostolicis in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Domo Sanctæ Crucis extra muros Nicen. sub Annulo Piscatoris VI. Junii MDXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Hieronymus Card. Ghinuccius
Fab. Vigil.

PIUS PAPA V.

DILECTO FILIO NOSTRO

PETRO FRANCISCO

TITULI SANCTÆ AGNETIS IN AGONE

PRESBYTERO CARDINALI FERRERIO VOCATO.

Dilecte Fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

EXimia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus, promeventur, ut votis tuis, præsertim quæ ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut Nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus & præsertim podagra, quæ te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut quando devotionis tuæ causa Missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non potes, id facere nullo modo valeas; quare Nobis humiliter supplicasti, ut tibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Cappella tua privata, coram familiaribus & domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDLXVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæsar Glorierius.

JAM cuncta congesseramus, quæ ad celebrationem Missæ sedendo, etiam Canonis, & Consecrationis tempore, spectare videbantur, jamque iis, quorum desuper consilium oppetiebamus, erant mittenda, cum Altissimi Providentia nova nos infirmitate probare est dignata, an rem itaque, & ad formandum plenius judicium fore judicavimus, si quæ Nobis acciderunt, subjungeremus.

Dies erat 14. Mensis Octobris, cum vehemens Nos aggressa est dysuria in mixtam sanguine distillationem degenerans; Medicum ea res multum non movit quidem, Nobis vero timor exinde proveniens febrem attraxit: cui obviam itum phlebotomia, & corticis Peruviani sumptione; neque exciderat Nobis tum gravis nostra senectus, & illud Psalmi 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Quo innuitur: *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, id est, tempus vitæ nostræ in seipso conclusum, & definitum, non trascendit ultra septuaginta annos*, in robustioribus autem ad octuaginta annos exsurgit: *& in robustioribus usque ad octoginta.* Quod vero octoginta annos excedit, infirmitatibus plenum est, & doloribus, prout Nobis contingit: *& si quid ultra erit, erit labor, & dolor, ætas videlicet infirma, & variis malis, & ærumnis obnoxia:* Verba sunt Venerabilis Bellarmini in eumdem Psalmum.

Sed resumendum narrationis filum: urina naturali colori restituta, sanguinis apparentiam omnem exclusit. Nosque tam quoad capitis vivacitatem, quam quoad laborandi facultatem restituti sumus in eum statum, quo ante impetum morbi prædictum fruebamur, unum si excipias, necessitatem nimirum extrahendi urinam ope syringæ, si ultra duas horas cum dimidia omitteremus, ingenti Nos dolori subjiceret.

Cum itaque intra temporis hujusmodi intercapedinem commode satis Missæ Sacrificium absolvi possit, quisque desuper in consilium vocatus libere mentem pandet suam, deceatne Missam totam una cum Canone sedendo celebrare, an vero secus. Id, ut grave nemini accidat, rogantes, id sibi molestiæ sumentibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXVIII. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

HÆc omnia ex Operibus Benedicti XIV. excerpta duximus addenda. Multo equidem plura hic inferere potuissemus, quæ varios hujusce Tractatus articulos mirum in modum illustrant, tum ex Synodo Diœcesana, tum ex Institutionibus, tum denique ex cæteris omnibus Pontificis ejusdem Operibus. Verum ne continuis adjectionibus Lectores defatigemus, præsertim quia eadem Opera nostris subsequenter prælis cudenda sint, gradum hic sistimus. Quoniam autem in nostra ad Lectorem Epistola, ei promisimus, plerisque nos S. Congregationis Rituum Decretis, ad Tractatum hunc *de Sacrificio Missæ* pertinentibus, editionem hanc nostram locupletaturos, ea hic aduectimus, ut cuique pateat, quanta nos cura communibus votis adimplendis operam demus.

DECRETA
SACRÆ RITUUM
CONGREGATIONIS.
NOTIS ILLUSTRATA
AD TRACTATUM DE SACROSANCTO
MISSÆ SACRIFICIO
PERTINENTIA.

1. COnsuetudo immemorabilis, ut præter Diaconum & Subdiaconum Canonico celebranti solemniter assistat unus Cappellanus cum pluviali, servanda est; *S. R. C. 10. Junii 1602., eodem die & mense, 1604. in Mantuana, & 27. Julii 1726. ad Episcopum Papiensem in audientia Sanctissimi Papæ Benedicti XIII. ad primum dubium.* * (*Solemniter;*) In Missis privatis nulla datur assistentia Canonico, sed celebrare debet uti simplex Sacerdos, servatis solummodo distinctionibus quoad paramentorum qualitates, & locum parandi,

2. Usus semel introductus juxta regulas libri Cœremonialis servandus est, & pax cum osculo omnibus viris Ecclesiasticis in choro sedentibus danda est; *S. R. C. 8. Julii 1604. in Messanen.* * (*Usus semel introductus*) amplius non dat locum Ecclesiarum consuetudini. * (*In Choro Sedentibus.*) Intelliguntur qui jus sedendi habent in choro & stallum: pax enim stanti, & non sedenti danda est; *Cærem. Epis. lib. 1. cap. 24. numer. 7.* Cum osculo viris Ecclesiasticis appropinquando genam, ita ut se invicem leviter tangant. Laicis vero, licet Magistratus, Barones, & Nobiles sint, cum instrumento, quod prius osculetur a porrigente pacem, nulla reverentia quibuscumque facta antequam det, sed post datam pacem, etiamsi adesset Imperator. Spectabit autem semper ad Presbyterum assistentem in Missis, in quibus adhibentur, pacem deferre. Subdiacono vero in aliis: qui dare debent pacem, postquam per osculum detulerint Dignitatibus & Canonicis, etiam Magistratibus sæcularibus, sed istis cum instrumento; & postremo eam alicui tradit Acolytho, vel Cœremoniario, qui cæteris de choro distribuit, scilicet Ecclesiasticis cum osculo, Laicis cum instrumento. Regulare est, ut pax detur primo cujuscumque ordinis, ubi præbendæ sunt distinctæ; & ubi non sunt distinctæ, primo ab utroque latere, qui successive dat alteri subsequenti, dicens, *Pax tecum*, cui respondeat qui pacem accipit, *Et cum spiritu tuo; Cærem. Episc. lib. 1. c. 24. per totum.* In Missis etiam planis cor. Episcopo dari solet ipsi Episcopo pax cum instrumento; Idem *lib. 1. cap. 30. n. 12.* Diaconus vero & Subdiaconus in Missa solemni, cum communicant, quomodo pacem accipiant, consule *num. 15.*

3. Substitutus Archipresbyteri non debet cantare Missas, quæ ad ipsum Archipresbyterum pertinent, nec locum & honorem incensii & pacis Archipresbyteri prætendere; *S. R. C. 14. Decemb. 1702. in Marugen. nullius.* Nec alia officia ad ipsum Archipresbyterum pertinentia; Vide *numer. 28.*

4. Potest Episcopus etiam in Ecclesiis Regularium cantare facere Missas Rogationum per suos Canonicos; *S. R. C. 21. Januar. 1603. in Firmana.* * (*Missas Rogationum*) etiamsi inciderint infra octavam Paschatis, & in diem S. Marci, nisi in Ecclesia propria.

5. Canonicus celebrans in aliqua Ecclesia Collegiata de Urbe præsente proprio Vicario illius Ecclesiæ, ad Missam Conventualem non tenetur in fine Missæ ante benedictionem reverentiam facere ipsi Vicario; *S. R. C. 21. Februarii 1604. in una Urbis.* Et non tantum Canonicus, sed & simplex Sacerdos, & uterque etiam in Missa privata: competit enim coram Summo Pontifice in tota Ecclesia, Legato Sedis Apostolicæ in sua Legatione, Patriarchæ, Archiepiscopo, & Episcopo in suis Provinciis, Civitatibus, & Diœcesibus reverentiam facere ante benedictionem in fine Missæ, ante Introitum &c. Papæ vero loco reverentiæ, genuflexionem unico genu: *Rub. Miss. 3. de Bened. in fine Missæ.*

6. Presbyter ritu græco ordinatus a SS. D. Nostro, licentiam petiit ingrediendi Religionem Capuccinorum, & celebrandi Missam ritu latino, & cum ex ejusdem Sanctissimi Dataria hujusmodi supplicatio ad S. Rituum Congr. remissa fuerit; S. R. C. censuit, licentiam petitam celebrandi ritu latino posse concedi post ingressum Religionis, & emissionem professionis, *Eadem S. R. C. 16. Octob. 1604. in Anconitana.* * (*Licentiam celebrandi Ritu Latino*) Presbyteris Græcis præcipue uxoratis omnino revocavit S. Pius V., & ne deinceps Græci latino more, aut Latini græco ritu celebrare præsumant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna indignationis ac perpetuæ suspensionis prohibuit, etiam sub prætextu Missas & alia officia divina celebrare. Constit. quæ incipit: *Providentia Romani Pontificis 20. Aug. 1556. edita.*

7. Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam non sunt recitandæ inter Missarum solemnia, ne Missæ Sacrificium interrumpatur; *S. R. C. 11. Jun. 1605. in Osen.* * Ita Præces ad postulandam serenitatem, aliæque hujusmodi generis, ut in *Rit. Roman. de Proceff.*

8. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum non est celebranda, nec facienda in die dominico, sed transferri debet in feriam secundam sequentem; *S. R. C. 24. Sept. 1605. in Augustana.* * (*In feriam secundam sequentem*), licet festum duplex minus occurrat, aut transferri contingat, omnibus Missis de Requiem celebratis; excepta Conventuali de festo post Tertiam celebranda.

9. Genuflectendum non est ad orationes in Missa solemni, in qua dicitur Gloria, & Credo: *S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina.* * Neque in iis, in quibus dicitur tantum Gloria, nec in votivis; sed tantum in Missis ferialibus, & defunctorum, licet ritu solemniori celebratis: *Rub. Miss. de Orat. & Cærem. Episc. lib. 2. cap. 18. num. 16.*

10. Septimum Candelabrum Episcopo celebrante adhibeatur in Missis tantum solemnibus, non vero in Vesperis, neque etiam in Missis Defunctorum: *S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina.* * Prælato vero Episcopo inferiori, & Episcopo extraneo, etiam in solemnioribus nullo modo convenit.

11. Debetur assistentia Episcopo, quando facit ordinationes in Missa solemni; si vero ipsas in Missa privata, vel alias functiones Episcopales in Pontificalibus facit, saltem duo Canonici assistant præter Archidiaconum, qui vocare debet ordinandos; *S. R. C. 19. Maii 1607. in Placent.* * Intellige quando celebrat per civitatem, non vero per Diœcesim, quoad Canonicorum

assi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

assistentiam; circa vero Archidiaconum, qui vocare debet ordinandos, ne putes ipsum teneri ad exprimenda nomina singulatim, quia hoc spectat ad Notarium, sed per versum: *Accedant, qui ordinandi sunt &c. Pontif. Roman. p. 1. de Ordinat.*

12. Gloria in excelsis Deo dicitur in Missis votivis Sanctæ Mariæ tam in Sabbathis feriarum, quam in Sabbathis Adventus, licet ipsa die Officium non fiat de Beata Virgine; *S. R. C. 19. Maji 1607. in Placentina.* * Item in semiduplicibus Sabbatho occurrentibus, si eadem Missa de Beata Maria tam solemnis, quam privata celebretur, hymnus angelicus erit recitandus.

13. Defunctorum Missæ non sunt cantandæ, nec celebrandæ diebus solemnibus: *S. R. C. 23. Jun. 1607. in Veronen.* * Corpore etiam præsente in Ecclesia, prohibentur Missæ solemnes defunctorum, licet unica, in festis primæ classis festivis; demptis feriis secundis & tertiis Paschatis, Pentecostes; Feria quoque quinta in Cœna Domini, sexta in Parasceve, & Sabbatho Sancto. Vide *n. 167.* Aliis diebus præsente cadavere in Ecclesia non vetatur Missa defunctorum solemnis; & etiam absente corpore, licet apud illos non sepeliatur, exclusis duplicibus primæ & secundæ classis, ac diebus festivis. Vide *num. 168.* Anniversaria dies, tertia, septima, trigesima, & aliæ Missæ cantatæ ex dispositione Testatorum, censuit Sac. Congreg. ut celebrentur diebus non festivis de præcepto, etiam Officio duplici majori occupatis: *S. R. C. 23. Maji 1603. in Egitanien.* * Missæ privatæ celebrandæ non erunt de Requiem, etiam in duplicibus omnibus per annum licet minoribus, & translatis; tam in diebus festivis, quam ferialibus, nec non Dominicis per annum omnibus (in quibus Dominicis, anticipatæ ante Epiph. vel post Pentecost. non comprehenduntur) & feriis privilegiatis, de quibus consule *n. 34.* Item diebus infra octavas Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, Vigilia Epiphaniæ, & per totam octavam, & durante expositione publica SS. Sacramenti. Vid. *num. 34. 47. 88. 99.*

14. Missæ Conventuales intra octavam Corporis Christi, possunt, ubi est consuetudo, cantari sine Diacono & Subdiacono, excepto die festo, & Dominica, & die octava; *S. R. C. 15. Martii 1708. in Alexandrina.* * (*Cantari sine Diacono & Subdiacono*, & incensum absolute non adolere. Vide. *num. 5.*

15. Diaconus & Subdiaconus accipiunt pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diaconos assistentes, si in Missa Communionem non recipiunt; *S. R. C. 15. Martii 1608. in Alexandrina.* Si vero Sacram Synaxim assumeretur, tunc pacem capiunt ab Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt Communionem: *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 24. num. 3.* Vide *num. 2.*

16. Usus Missalis & Breviarii Romani semel introductus in aliqua Ecclesia, quæ habebat particulare Missale & Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis & Breviarii; *S. C. R. 15. Mar. 1608. in Trullen. seu Nullius.* * (*Quæ habebat particulare Missale & Breviarium*) ab ipsa prima institutione, vel per Sedem Apostolicam, vel per consuetudinem ducentorum annorum jam approbata, alioquin licet Romanus usus introductus fuerit, non posse satisfieri per particularem recitationem, statuit S. Pius Papa V. Constit. quæ incipit: *Quod nobis, die 15. Julii 1568. edita.*

17. Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus celebrantes solemniter possunt, & debent sedere in banco, dum cantatur Gloria, Credo &c. etiamsi sint beneficiati, vel Cappellani. prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine, *S. R. C. 15. Januar. 1611. in Perusiana.* * (*Gloria, Credo &c.*) Scilicet Kyrie, Graduale, & Sequentia, si multum tempus in iis decantandis insumatur, ultra illud, quod requiritur ad recitandum Kyrie, vel legendum Evangelium, quæ ante, non post sessionem recitanda, aut legenda sunt. Bancus vero pro eadem sessione erit oblongus sine postergalibus, decenti panno ornatus, licet Celebrans, & Ministri essent Canonici, semper a latere Epistolæ ponendus.

18. Missa Conventualis de festo, seu de feria currenti omnino cantanda est, non obstante quacumque contraria consuetudine; *S. R. C. 28. Jan. 1712. in Oscen.* * (*Missa Conventualis*); Benedictus XIV. decrevit, ut applicetur pro Benefactoribus in genere, in omnibus Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, non obstante quavis licet immemorabili consuetudine in contrarium. Et non tantum de una, sed etiam de secunda, vel tertia, si forte ex Rubricis Missalis teneantur celebrare, statuit; cum hac tamen moderatione, quod consuetudo in contrarium stare possit quoad secundam, & tertiam dumtaxat, dummodo eorum benefactorum non obliviscantur in commemoratione defunctorum omnium; Const. quæ incipit: *Cum semper*, die 19. Aug. 1744. emanata.

19. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec aliquæ immutandæ, absque expressa licentia, quam dare debet *S. R. C. Ead. S. Cong. 12. Maji 1612. in una Urbis.*

20. Missa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Ecclesiæ collegiatæ, non autem ad Vicarium, quando ipse habet tantum curam animarum parochianorum; *S. R. C. 7. Julii 1612. in Ulyssiponen.*

21. Si occurat festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis in Dominica secunda, tertia, vel quarta Quadragesimæ, non fit officium de Annuntiatione nisi in Ecclesiis sub invocatione Annuntiationis dicatis; *S. R. C. 1. Septembris 1612. in Ulyssiponen.* In iis Ecclesiis, in quibus habetur Altare tantum, & solemnitas celebratur cum concursu populi, unica tantum Missa solemnis sine commemoratione Dominicæ, & Evangelio ejusdem in fine permittitur, & comprehendi videtur quoad Missam solemnem etiam Dominica Passionis: Missale enim non prohibet, ut prohibet in Dominica prima Adventus, Quadragesimæ, Palmarum, cum tota hebdomada majori, Resurrectionis, & Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, necnon feria quarta Cinerum, die Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Christi; *Rub. 6. Miss. de Transl. Fest.* Vid. *n. 55.*

22. Altare portatile lignеum cum ara lapidea, permitti debet non obstante consuetudine synodali, dummodo habeat solitum reliquiarum repositorium, juxta reformationem Rubricarum Missalis Romani, *cap. 20. S. R. C. 10. Nov. 1612. in Cajetana.* Quo in capite statuitur: *Ara lapidea ab Episcopo debet esse consecrata, in Altari inserta, & tam ampla, ut hostiam, & majorem partem calicis capiat. Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente facultatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus autem brevioribus, vel una duplicata.*

23. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo, non debent sedere in sede cum postergali, sed in aliquo scamno oblongo, tapete, vel panno cooperto in latere Epistolæ, *S. R. C. 19. Maji 1614. in Turritana.* * Item Episcopo non præsente.

24. Anniverſaria, & Miſſæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito, transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit *S. R. C. 19. Maji 1614. in Turritana.*

25. Miſſæ votivæ jam acceptæ, quæ non Poſſunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de feſto occurrenti cum applicatione Sacrificii; *S. R. C. 19. Maji 1614. in Turritana.* * Sive privatæ, ſive ſolemnes.

26. Decano Miſſam celebranti in diebus ſolemnibus, debent duo Canonici aſſiſtere, & miniſtrare pro Diacono & Subdiacono, ſi Manſionarii, quibus animarum cura incumbit, in ipſius exercitio eo tempore ſint impediti; *S. R. C. 14. Febr. 1615. in Cœneten. Opitergii.*

27. Duplex officium eſt recitandum de Sancto, cujus habetur inſignis reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut caput, & ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio Romano; *S. R. C. 3. Junii 1617. in una Urbis Theatinorum.* *(*Duplex officium*) & Miſſa cum Credo in ipſamet tantum Eccleſia, clarius explicavit S. R. C. 12. Mar. 1618. declarans per vocem *ubi* intelligi debere Eccleſiam tantum, non vero Civitatem, vel Oppidum. * (*Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio*), aut quibus a S. Sede fuerit ſpecialiter conceſſum, quorum Reliquiæ inſignes, præter hic deſcriptas, pro licita Officii & Miſſæ recitatione ſunt brachium, crus, illa pars corporis, in qua paſſus eſt martyr, integra vero, non parva.

28. Subſtitutus Archipresbyteri non poteſt Miſſas, & divina officia celebrare, quæ ad ipſum, ſi adeſſet, pertinerent; ſed ſpectant ad Canonicum ſucceſſive; *S. R. C. 22. Jan. 1618. in una Civitatis Caſtellanæ.* Vide *num. 3.*

29. Dum Horæ Canonicæ recitantur in choro, non ſunt celebrandæ Miſſæ privatæ in altari majori; *S. R. C. 2. Maji 1620. in Oſcen.* *(*In Altari majori*) intellige, ubi non aſſervatur SS. Sacramentum; tunc enim nunquam, niſi ex neceſſitate, congruentius erunt celebrandæ *Carem. Epiſc. lib. 1. cap. 12. num. 9.*

30. Qui habet uſum mitræ, & inſignium Pontificalium, in Miſſis etiam privatis benedicit cum verſu: *Sit nomen Domini benedictum*: non poteſt tamen benedicere populo extra actum celebrationis; *S. R. C. 25. Maji 1624. in una Benedictionis.* *(*Qui habet uſum mitræ &c.*) ut ſunt Epiſcopi extra ſuam diœceſim de licentia, non vero Prælati Epiſcopo inferiores, a quibus ſervandum decretum Generale Alexandri VII. 1659.

31. Miſſæ votivæ non poſſunt ſuffragari pro Miſſa Conventuali, quæ non poteſt omitti, etiamſi cantetur Miſſa votiva; *S. R. C. 16. Maji 1626. in Burgen.* *(*Miſſæ votivæ*) ſuffragari poſſunt pro Conventuali diebus, quibus officium recitatur de feria, exceptis privilegiatis, ut ſunt Adventus (quo tempore excipe Sabbathum, nam licet officio de feria recitato, Miſſa erit de S. Maria) Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, quando Miſſa Dominicæ præcedentis non eſt reaſſumenda, ſi forte fuerit impedita, in quibus dici poteſt aliqua ex Miſſis votivis loco Conventualis hoc ordine. Feria ſecunda (niſi dicatur de defunctis, pro prima cujuslibet menſis die, ut accidit in feriis extra Adventum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale) Miſſa erit de Trinitate; tertia feria de Angelis: quarta de Apoſtolis Petro & Paulo; quinta de Spiritu Sancto, vel de Sacramento; ſexta de Cruce, vel de Paſſione; Sabbatho de S. Maria. In ipſis non dicitur neque Gloria, neque Credo, niſi pro publica Eccleſiæ Cauſſa, dummodo ſine paramentis violaceis celebrentur, in his enim Credo tantum conceditur die Dominico. In Miſſis autem beatæ Mariæ in Sabbatho, & in Miſſis Angelorum ſemper dicitur Gloria in excelſis; *Rub. Miſſ. Gen. cap. 4. & 5.* & alia in fine de votivis, nec non 2. de Miſſis Defunctorum.

32. Miſſa Conventualis de feria in Cathedralibus, & Collegiatis omnino eſt dicenda ultra Miſſam feſti, & abuſus ſunt reformandi; *S. R. C. 16. Jan. 1627. in una Abuſus reformandi.* *(*Miſſa Conventualis de feria*) quo in caſu, ubi adeſt conſuetudo, non eſt neceſſe ut applicetur Sacrificium, ſed opus eſt orare in Memento pro defunctis; Benedictus XIV. 19. *Aug.* 1744. Conſt. quæ incipit: *Cum ſemper*. Vid. *n.* 18.

33. Celebrantes Miſſam ſolemniter, ſedeant in loco parato pro celebrantibus a latere Epiſtolæ; *S. R. C. 12. Jun. 1627. in Brunduſina.* *(*Celebrantes*) qui ſimul ſunt & Canonici. Vid. *n.* 17. 23.

34. In iis diebus, quibus fieri non poteſt de feſto duplici, prohibentur Miſſæ votivæ privatæ, & de Requiem juxta Rubricas; *S. R. C. 25. Aug. 1727. in una Urbis Dubiorum.* *(*Privatæ*): Solemnes vero quomodo permittantur. Vid. *n.* 13. 23.

35. Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ Miſſæ. In die vero depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine; *S. R. C. 12. Jul. 1628. in Januen.* Vide *num. 46.*

36. Quando adeſt obligatio, & onus faciendi diverſa anniverſaria ſtatis diebus, in quibus occurrent feſta duplicia, ſive ſemiduplicia, nec non etiam tempus Quadrageſimale, & Quatuor tempora, Vigiliæ, & ſimilia, Miſſa Conventualis nullo pacto eſt omittenda, ſed utraque Miſſa eſt cantanda, altera de die, altera de Requiem, etiamſi occurrat feſtum duplex, dummodo non ſit feſtivum de præcepto, ad hoc ut teſtatorum voluntates adimpleantur, & licite eleemoſyna lucrari poſſit; *S. R. C. 29. Novemb. 1628. in Januen. & antea 1. Sept. 1607. in Pampilonenſi.* *(*Similia*), id eſt feria ſecunda Rogationum: *Rub. Miſſ. Gen. cap. 3.* Vid. etiam *num. 35.*

37. Non poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio ruri ædificato per laicum, antequam celebretur Miſſa parochialis; *S. R. C. 31. Mart. 1619. in Capuana.* *(*Antequam celebretur Miſſa Parochialis*) niſi Conſtitutionibus Synodalibus contra id diſponentibus: ita tamen ut Miſſa in Parochiali hora opportuna celebretur: *Sac. Cong. Concil. Tridentin. 25. Maji 1652. ad librum 19. pag.* 191. Et inſuper fiat etiam populo per celebrantem explicatio Catechiſmi: Clemens XII. in Encyclica *die 1. Julii* 1735. Epiſcopis Italiæ emanata, Italice: *Sopra tutto ſua Beatitudine*: vide *num. 64.* Notandum tamen, ſi hujuſmodi Oratoria ſint Eccleſiæ Parochiali proxima, Miſſæ Celebrationem ante Miſſam Parochialem prohibitam eſſe a Benedicto XIV. in Conſtit. quæ incipit: *Et ſi minime nobis 7. Febr.* 1742.

38. Qui præ timore, vel balbutie non prönuntiat Evangelium S. Joannis, quod Legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco aliud ſuo arbitratu recitat, debet a Miſſarum celebratione ſuſpendi, quouſque illud rite pronuntiare aſſueſcat; *S. R. C. 5. Jul. 1631. in Salernit.*

39. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis cantandi ſingulis diebus immediate poſt Primam Miſſam Votivam de Beata Virgine Maria, poteſt, exceptis ſolemnioribus feſtivitatibus D. N. J. C. tolerari, prout tolerat S. R. C. & feſta ſolemniora ſunt, in quibus non toleratur hæc Miſſa,

Do-

Dominica 1. Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada, Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, & omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare feſtum in honorem B. M. V. juxta præſcriptum in Kalendario; ac dummodo diebus in quibus celebretur dicta Miſſa votiva, præter eamdem celebretur etiam Miſſa Conventualis, ſeu diei feſti currentis *S. R. C. 19. Novemb. 1633. in Valliſoletana Hiſpaniarum Congr. Ord. S. Benedicti.* * (*De Beata Virgine Maria*); ſed fallit in alios Sanctos.

40. Sacerdos celebraturus Miſſam privatam, dum tranſit ante Altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, poſt factam adorationem flexis genibus, aperto capite, dum ſe erigit caput cooperiat; *S. R. C. 7. Sept. 1638. approb. Clem. XI. Bened. XIII. & Clemente XII. in Brevi Quadraginta horarum, quod incipit:* Eſſendo ſtate introdotte, *num. 5.*

41. In Nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam nullo modo poſſunt aliæ duæ immediate celebrari, neque fideles communicari; *S. R. C. 20. Apr. 1641. in Piſaurenſi.* * (*Nullo modo*) etiam quocumque uſu in contrarium ſuffragante, qui tollit debet; Vide *num.* 43.

42. Cappellani Societatum non poſſunt prohiberi a Parocho celebrare Miſſam ante Miſſam Parochialem. *S. R. C. 11. Novemb. 1641. in Narnien.* Vide *num.* 37.

43. Cum ſuperioribus diebus conſulta fuiſſet hæc S. R. C. an eſſet permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, reſpondit non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & S. R. C. ipſis auditis cum procuratoribus & advocatis ad relationem Em. Pallotti ſtetit in decretis, & reſpondit iterum: prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & communionem depoſcentibus; *S. R. C. 7. Decemb. 1641. & 15. Sept. 1668. in Januen.* Vide *num.* 41.

44. Miſſæ votivæ, non poſſunt dici ullo modo in Dominica Palmarum; *S. R. C. 14. Apr. 1646. in Ulyſſiponen.* Quod intellige etiam in reliquis diebus impeditis. Vide *num.* 39.

45. Miſſa de Dominica Pentecoſtes non poteſt repeti in Sabbato quatuor Temporum Pentecoſtes; *S. R. C. 14. Apr. 1646. in Ulyſſiponen.*

46. Miſſa, ut in die obitus, preſente corpore, ultra Miſſam de communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum; *S. R. C. 14. Apr. 1646. In Ulyſſiponen.* Vide *n.* 35.

47. In Canone omnino facienda eſt Commemoratio de Epiſcopo, etiam ab exemptis; *S. R. C. 25. Sept. 1649. in Tornacen.* * (*De Epiſcopo*), non vero de alio, licet ſit Superior, vel Vicarius Capitularis, Sede Vacante, vel etiam Epiſcopus vero adminiſtrator ſimul & poſſeſſor, licet ſacris deſtitutus Ordinibus, in Canone eſt nominandus.

48. Non licet in Altari privilegiato dicere Miſſam de *Requiem* in diebus, quibus occurrit feſtum primæ, vel ſecundæ claſſis, non obſtante conſuetudine immemorabili; *S. R. C. 15. Sept. 1649. in Tornacen.* * Intellige de Miſſis ſolemnibus, nam privatæ neque in duplicibus minoribus etiam translatis, nec in feriis privilegiatis celebrari poſſunt. Quando vero cantari poſſit Miſſa defunct. præſente corpore, conſule *num.* 13.

49. Miſſa votiva de Beata Maria Virgine, in Vigilia Pentecoſtes non poteſt dici; *S. R. C. 18. Aug. 1651. in una Urbis.*

50. Miſſæ duæ ejuſdem Sancti immediate una poſt aliam, non debent cantari eadem die in Eccleſia, in qua celebratur ejus feſtivitas; *S. R. C. 3. Aug. 1652. in Melevitana.* * (*Non debent cantari*,) niſi forte pro aliqua fundatione adimplenda, & interpoſita hora Canonica.

51. Miſſa non poteſt celebrari cum cæſarie ficta; *S. R. C. 3. Aug. 1652. in Melevitana.* * (*Cum ceſarie ficta*): *Nullus enim Epiſcopus, Presbyter, Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire aut velato capite Altari aſſiſtere: Can.* Nullus, *de Conſecr. diſt. 1.*

52. Tam Seculares, quam Regulares cujuſcumque Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, non poſſunt excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & Officiis cum octavis, niſi hoc expreſſe Sedis Apoſtolica eis indulſerit: *S. R. C. 5. Octobris 1652. approbante Innocentio X. die 16. Dec. ejuſdem anni.*

53. Miſſa in feria V. majoris hebdomadæ non poteſt celebrari in Oratoriis Confraternitatum, & privatis; *S. R. C. 1653. in Florentina.* * (*In oratorii Confraternitatum*), niſi ſolemnis unica, ſi aſſervetur SS. Sacramentum. De privata vero habes exemplum *num.* 138.

54. Miſſæ exequiales defunctorum in die depoſitionis defuncti poſſunt ſolemniter celebrari diebus, in quibus cadit feſtum duplex alicujus Sancti, dummodo feſtum non ſit de præcepto, juxta Rubricas Brev. Rom. *S. R. C. 19. Sept. 1654. in Papien.* Loquitur, corpore non præſente in Eccleſia, pro quo unica Miſſa ſolemnis conceditur in feſto duplici etiam majori, niſi ſit de præcepto. Vide *num.* 13. & 97. 1.

55. Miſſæ currentes in honorem alicujus Beati Canonizati, non poſſunt celebrari, ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ; *S. R. C. 28. Sept. 1658. in Foroſempronienſi.*

56. Miſſæ privatæ de defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & dominicis diebus, juxta præſcriptum Rubricarum; *S. R. C. 25. Feb. 1659. in Faventina, & 28. Febr. 1660. in Januen.* Item in feriis, diebuſque, quibus prohibetur fieri in feſto duplici, etiam corpore præſente in Eccleſia. Vide *n.* 13. Notandum vero, hoc decretum editum fuiſſe pro Miſſa ſolemni celebranda in Eccleſia non præſente Cadavere.

57. Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria quinta in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulcro; *S. R. C. 14. Julii 1659. in Neapolitana.*

58. Beatorum imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellæ, aut ſcripturæ, eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium, vel alia divina officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica nullo modo exponi debent; *S. R. C. 27. Sept. 1659. in decreto generali ſuper cultu Beati adhuc non canonizatis præſtando num. 1. Alex. VII. præſente.*

59. Ubi indultum fuit per Sedem Apoſtolicam, imagines, ſimulacra, pictaſque tabellas in Eccleſia poni, coli poſſe in pariete tantum, non tamen ſuper Altare collocandi facultas tributa

cen-

censetur; *S. R. C. 27. Sep. 1659. in decreto generali de Beatis num. 2. Alex. VII. approbante*. Secus resolvitur, ubi indultum habetur pro Missa Beatorum.

60. Si concessa fuerit per Sedem Apostolicam altarium erectio, non tamen ob id, Missa & Officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præsumatur, etenim specifica & expressa concessio super his præcedere debet; *S. R. C. 27. Sep. 1659. in decreto generali de Beatis num. 3. Alex. VII. confirmante*.

61. Missæ de Beatis, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Secularibus alicujus loci, vel Monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ servitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quamvis dignitate, etiam Cardinalatus insignitis, minime celebrari possunt; *S. R. C. 27. Sept. 1659. in decreto generali de Beatis num. 6. coram Alex. VII.*

62. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione non possunt de Beatis suæ Religionis recitare officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & altare Beatis prædictis erigere; *S. R. C. 17. Apr. 1660. in una Dubiorum*.

63. Missæ plures non possunt celebrari in Cappellis nobilium a Sacerdotibus Regularibus; *S. R. C. 23. Februar. 1661. in Januen.*

64. In cappella Palatii Episcopalis, absente Episcopo, vel sede vacante, potest Vicarius generalis Missam celebrare, & in diebus festis ipsam audientes adimplent præceptum Ecclesiæ. *S. R. C. 2. Jul. 1661. in Bituntina*.

65. Missæ Sacrificium peragi potest in publico Oratorio extra aliquod Oppidum constructo, de licentia Episcopi in diebus solemnioribus anni, etiam contradicente Parocho pro commoditate villicorum circumhabitantium, dummodo habeat omnia requisita ad Ecclesiam, vel saltem ad publicum Oratorium constituendum; *S. R. C. 3. Sep. 1661. in Feretrina*. * (*In diebus solemnioribus anni, etiam contradicente Parocho*): dummodo tamen non sit Ecclesiæ Parochiali proximum. Pro intelligentia hujus decreti. Vide *num. 37*.

66. Patenæ suppositio per Sacerdotem cotta indutum in communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita est. *S. R. C. 3. Sept. 1661. in Andrien.*

67. Non posse celebrari Missas etiam pro animabus Purgatorii una hora post meridiem, statutum fuit a *S. R. C. 24. Novemb. 1661. in Neapolitana*.

68. Habens indultum a Sede Apostolica erigendi Oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi ædificare altare ligneum, non indiget facultate Apostolica, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum, amovibile non sit, & altaris portatilis immaginem non præferat. *S. R. C. 3. Decemb. 1661. in una Nullius Loci Cirignolæ* * (*Altaris portatilis*) erectio, Episcopis regulariter conceditur sub conditionibus &c.

69. Omnibus & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis etiam necessario exprimendi, directe præcipitur, ut Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præsumant: quod si ex benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ, incidant in festum duplex, nunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo occurrenti, cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum: curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristæ, alique, ad quos spectat, ut hujusmodi decretum inviolate servetur, atque in Sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici & legi possit, in eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel præmissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tam Sæculares, quam Regulares pro modo culpæ animadvertant. *S. R. C. 5. Aug. 1662. in decreto generali approbante Alex. VII. & 15. Sept. 1714. Clem. XI. annuente 29. ejusdem*. Constit. quæ incipit: *Cum occasione Missalis*. Alii dies, in quibus Missæ Defunctorum præscribuntur, sunt in *num. 13*. An vero officium duplex respiciat prius ipsum celebrantem quoad privatam sui officii recitationem, vel potius Ecclesiam, in qua celebret, Vide *num. 166*.

70. Crux parva cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculo, in quo asservatur SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum, *S. R. C. 16. Junii 1663. in Rossanen.* * (*Crux parva.*) *In altaribus, quæ per Ecclesias erecta sunt, in quibus sacrum fieri consuevit; præter majorem Tabulam, quæ vel depictam, vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam altare consecratum est, adjungi cœpit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur effigies alterius Sancti, itaut Crux auferatur, quæ juxta Rubricas, inter candelabra collocari debet; Cum vero neminem lateat, rem Divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super altari constituatur; hinc minori Tabulæ superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distingui ferme possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit. Equidem non improbamus: quod idem altare in plurium Sanctorum nomen, ac memoriam decidetur, quodve in majori Tabula aut unus tantum, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus, vel plures Sancti fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his altaribus celebretur, quæ carent Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & populi assistentis oculos pene effugiat*: Bened. XIV. *Constitut. 17.* quæ incipit *Accepimus*, *16. Julii 1746. edita*. Vide *num. seq.*

71. In altari, in quo adest magna statua Sanctissimi Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia Crux dum celebratur Missa. *S. R. C. 16. Jun. 1663. in Rossanen.* * (*Magna Statua Sanctissimi Crucifixi,*) ut Sacerdos celebrans, ac populus sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile & commode intueri possint: *Ex Constitut.* Benedicti XIV. *16. Julii 1746.* quæ incipit: *Accepimus*. Vide *num. ant. & 154*.

72. Passio in Missis privatis legi debet a Celebrante in cornu Evangelii. *S. R. C. 2. Aug. 1663. in una Dalmatiarum*.

73. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis. *S. R. C. 4. Aug. 1663. in una Dalmatiarum*.

74. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur* debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis super manus, non vero infra manus. *S. R. C. 4. Aug. 1663. in una Dalmatiarum*.

75. Pars inferior Hostiæ præcidi debet, non autem superior, quando dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*; *S. R. C.* 4. *Aug.* 1663. *in una Dalmatiarum*.

76. In die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, Sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet, vel pro omnibus Fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum *S. R. C.* 4. *Aug.* 1663. *in una Dalmatiarum*, & 9. *Decem.* 1709. *in una Ordinis Cappuccinorum*, & 2. *Sept.* 1741. *in Aquen.* * (*Applicari ad libitum.*) Missa vero tam solemnis, quam privata, recitatur in communi, excepta unica solemni in die obitus. *Rub. Miss. prop.* Vide *num.* 46.

77. Canonici quando Missam celebrant, de rigore uti possunt annulo aureo, sed sine gemma, & sine aliqua effigie. *S. R. C.* 4. *Aug.* 1663. *in una Dalmatiarum*.

78. Missæ celebratio in Ecclesia (seu Oratorio) sita in Territorio extra mœnia alicujus Oppidi, non potest prohiberi? antequam celebretur in Ecclesia Parochiali, Matrice, non obstante decreto Episcopi in Synodo Diœcesana, aut quocumque alio, etiam in erectione Ecclesiæ edito, celebrationem hujusmodi prohibente; *S. R. C.* 30. *Aug.* 1662. *in Camerinensi* 24. *Jan.* 1665. *in Nucerina*. Hoc decretum non habet amplius locum in illis Ecclesiis, quæ Parochiali sint proximæ, ut supra jam notatum fuit.

79. Anniversaria, & Missæ cantatæ de *Requiem* relictæ ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentes possunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Augusti 1662. edito, non comprehenduntur. *S. R. C.* 22. *Nov.* 1664. *in Novarien. approbante Alex. VII. in ejus Bullario Const.* 176. *quæ incipit* Creditæ nobis, *anno* 1667. *edita*. * (*In die ipsorum obitus*), nunc autem extenduntur extra obitum. Vide *num.* 173. *seq.* In duplici majori, nisi esset de præcepto. Intelligendum tamen loco Decretum de unica Missa de *Requiem* cantata, non vero de Missis privatis.

80. In die, quo celebratur festum duplex etiam translatum, prohibetur Missa de *Requiem*, nisi sit præsens cadaver: Anniversarium potest anteferri, immo debet, & in feriis majoribus debent omnino cantari duæ Missæ, & collectæ pro Defunctis non admittantur, nisi in Missis Simplicium, & Ferialium, *S. R. C.* 31. *Jul.* 1695. *in una Nullius*, & *Provinciæ Treviren.* * (*Cantari duæ Missæ*,) ubi adest onus cantandi, de quo consule *num.* 97.

81. Nemini licet facere octavas pro Defunctis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu: alicujus altaris privilegiati in aliqua Ecclesia licet exponere tabellam super januam ipsius Ecclesiæ cum inscriptione: *Indulgenza per li Morti*: sed tantum super ipso altari privilegiato consuetis verbis: *Altare privilegiatum pro Defunctis*. *S. R. C.* 13. *Aug.* 1667. *in Romana*.

82. Sacerdos Sæcularis, sive Cappellanus, sive non, qui recitavit Officium semiduplex, vel simplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Ecclesia Regularium, in qua recitatum est ab ipsis Regularibus eadem die Officium duplex de non præcepto, prout de Sancto aliquo sui Ordinis, non potest dicere Missam de *Requiem*. *S. R. C.* 9. *Junii* 1668. *in Conversana*. *(*Regalarium*), intellige etiam Monialium. Vide *num.* 116.

83. Missa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die veneris infra octavam Nativitatis Domini, non obstante quacumque prætensa consuetudine illam celebrandi singulis diebus veneris infra octavam supradictam. *S. R. C.* 12. *Januarii* 1669. *in Florentina*. Vide *n.* 31.

84. Privilegium Alexandri VII. die 12. Januarii 1667. circa Missas de festo duplici in altaribus perpetuo privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliqua, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiatis: ac proinde Missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragantur, ita ut animæ Christifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus & per omnia, perinde ac si Missæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent. *S. R. C.* 20. *Julii* 1669. *de mandato Clementis IX. in suo Brevi, quod incipit* cum felicis record. 23. *Sept.* 1669. *confirmatum*. Hoc privilegium etiam amplectitur Ecclesiæ Ambrosianæ ritum. Vide *num.* 143.

85. Quando abest legatum, quod Sacerdos antequam discedat ab altari, recitet aliquod Evangelium, Psalmum, seu Orationem post terminatam Missam; debet oneri sibi injuncto satisfacere post finem Missæ, exutis vestibus sacerdotalibus, & cum sola cotta in altari, vel in Sacristia, & sic legatum adimplere. *S. R. C.* 31. *Aug.* 1669. *in Conversana*. * (*Cum sola Cotta*) quæ ab Episcopis Regularibus, & a Sacerdotibus quibuscumque, cum commode haberi possit, subtus vestes sacras indui debet. *Rub. Miss. de Preparat. num.* 2.

86. Missæ Defunctorum non possunt celebrari nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. *S. R. C.* 21. *Jun.* 1670. *in Oritana*.

87. Missam in altari majori; ubi est expositum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim si in Ecclesia adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit. *S. R. C.* 9. *Aug.* 1670. *in Bononien.* Neque privata, neque solemnis, nisi ea dumtaxat pro expositione, & repositione Venerabilis, ut in Oratione quadraginta Horarum *num.* 10. Clement. XII. aliorumque Pontificum jussu ordinata, edita 1. Septembris 1736. cujus initium: *Essendo state fatte*. Vide *num.* 157.

88. Non debet cantari, neque celebrari Missa in Altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi sit pro eo exponendo, at si ex necessitate fieri opus esset; populus benedicendus est more consueto, & non cum SS. Sacramento *S. R. C.* 13. *Jun.* 1671. *in Angelopolitana*. * (*Exponendo*) vel etiam reponendo; Constitut. Clem. XI. quadrag. Hor. *num.* 10.

89. Missæ cantatæ Mortuorum infra octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsente corpore. *S. R. C.* 12. *Sept.* 1671. *in Nuscana*.

90. Protonotario Apostolico in celebratione Missæ non licet deferre in digito. *S. R. C.* 3. *Mar.* 1674. *in Baren.*

91. Celebrans in Missa solemni procedere debet ad præparatam sedem operto capite, & ita regredi ad Altare, quando sedere debet, dum cantatur Hymnus Angelicus, & Symbolum Apostolorum, sed ad illa verba, quæ cantantur in choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur se inclinare nudo capite non obstante contraria consuetudine. *S. R. C.* 21. *Mar.* 1676. *in Collen.* * *Sed ad illa verba, ad quæ fieri debet inclinatio*; quæ sunt in Hymno: *Adoramus te, gratias agimus tibi, Jesu Christe*) & *suscipe deprecationem nostram*; in Symbolo: *Jesum Christum*, & omnia verba articuli: *Et incarnatus est &c.* (ad quæ, loco reverentiæ, genuflexio præscribitur in tribus

Missis

Missis Nativitatis Domini, & in die Annuntiationis Beatæ Mariæ tantum) *& simul adoratur*, sequentibus simul & semper Ministris paratis. *Ex Miss. Rub. l. pr.*

92. In nocte Nativitatis Domini non possunt dici tres Missæ privatæ immediatæ post decantatam, circa quod adest decretum tenoris sequentis. *In Lucana. Inhærendo aliis resolutionibus circa celebrationem trium Missarum in nocte Natalis Domini alias edidit, & signanter sub die 7. Decemb. 1641. iterum declaravit S. Rituum Congreg. non esse permittendum usum introductum a nonnullis Canonicis & Presbyteris Ecclesiæ Lucanæ, celebrandi tres Missas privatas immediate post decantatam Missam solemnem in media nocte Natalis Domini, sed omnino prohibendum; S. R. C. 22. Nov. 1681. in Lucana, & 15. Sept. 1668. in Ianuen.*

93. Si Altare non haberet planitiem, sed multos gradus, vel si ipsam haberet nimis latam, debet in eo apponi pradella, quæ dividat altare a planitie; & Sacerdos incipiat Missam ante ipsam pradellam; *S. R. C. 16 Jan. 1683. in Granaten.*

94. Modus benedicendi alios, vel rem aliquam; debet esse cum manu recta, & digitis simul junctis, & extensis; *S.R.C. 24. Julii 1683. in Albingan.*

95. Patena ad Missam in extremitate, seu ora patenæ congruentius est osculanda; *S. R. C. 24. Junii 1683. in Albinganen.*

96. Rubrica concedit usus planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, & Subdiaconis ministrantibus in Missa solemni, in Cathedralibus, & præcipuis Ecclesiis, in diebus jejuniorum cum limitatione, ut ibi; in minoribus vero Ecclesiis, ministris prædictis dat tantum usum albæ cum manipulo Subdiacono, & cum stola ac manipulo Diacono; *S. R. C. 13. Jun. 1684. in Angelopolitana.* * (*In diebus jejuniorum cum limitatione, ut ibi*,) videlicet excipiendæ sunt Vigiliæ Sanctorum, & Dominica tertia Adventus, etiamsi ejus Missa infra hebdomadam repetatur, & quarta Quadragesimæ, Vigilia Nativitatis, licet in Dominica occurrerit, Sabbatho Sancto in benedictione cerei quoad Diaconum tantum, & in Missa quoad etiam Subdiaconum, ac quatuor Temporibus Pentecostes. In benedictione vero Candelarum, & processione possunt & debent uti planetis plicatis, vel in albis, ut supra in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum, & processione: quam planetam Diaconus dimittit cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur, aut ponitur aliud genus stolæ latioris in modum planetæ plicatæ, & facta communione resumit planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus est Epistolam, quam legit in alba, & ea finita, osculataque Celebrantis manu, planetam resumit, ut prius; *Rubr. Miss. cap. 19. num. 6.*

97. Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam non possint successive aliæ duæ Missæ celebrari, nec Communio exhiberi Eucharistica fidelibus deposcentibus, litigat etiam omnes Regulares tum Ordinis Mendicantium, tum etiam Societatis Jesu, tum omnes cujuscumque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi. Neque possunt excipi in Ecclesia confessiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est, ut illucescat aurora tam pro confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia ministranda fidelibus utriusque sexus; *S. R. C. 23. Mar. 1685. in Senen. & 15. Sept. 1686. in Calaguritana.*

98. Anniversaria, sive Missæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex dispositione Testatorum, pro certis diebus, iisque impeditis die Dominico, seu alio festo de præcepto, cantari possunt in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de festo duplici majori, non tamen de præcepto, præcipue de Sanctis proprii Ordinis, non relicta tamen Missa in cantu de festo duplici minori occurrente, quatenus adsit onus cantandi; *S. R. C. 4. Maji 1686. in una Can. Reg. Lat.* Diebus subsequentibus, seu antecedentibus: sed satius est prævenire.

99. 2 In Natali Domini in tribus Missis post sumptionem sanguinis, eundo & redeundo in medium altaris, non est facienda genuflexio, vertendo se Celebrans ad *Dominus vobiscum*, & ad dandam benedictionem debet renes vertere ad Altare, licet species vini non sint exsiccatæ in calice; & serventur rubricæ Missalis Romani de ritibus servandis in celebratione Missarum 11. & 12. *n.* 2. *S. R. C. 20. Jul. 1686. in Angelopolitana.* * (*Serventur rubricæ Missalis*,) in quibus nullam genuflexionem faciendam esse præscribitur; *Rub. prop.* Vide *num. 106.*

100. Proposito dubio, an Declarationes Alexandri VII., & Clementi. IX. sibi locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus, licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missa defunctorum justa ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin Privilegiatorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur. Et responsum fuit: Prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missæ defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse; *S. R. C. 3. Apr. 1688. in decreto generali ab Innocentio XI. confirmato per Breve quod incipit:* Alias postquam, *datum die 4. Maji 1688.*

101. In Sabbatho Sancto etiamsi occurrat festum Annuntiationis B. M. V. celebratio Missarum privatarum omnino prohibetur in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis, tam publicis, quam privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine, sed unica tantum Missa conventualis una cum Officio ejusdem Sabbathi Sancti celebretur; *S.R.C. 11. Febr. 1690. approbante Alex. VIII.* * (*In Oratoriis tam publicis, quam privatis*:) etiam nobilium; quæ proscriptio quoad Oratoria privata, se extendit ad diem primam Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, & alios solemniores dies, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, Annuntiationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, nec non SS. Apostolorum Petri & Pauli, ac Titularis Ecclesiæ loci. Jus erigendi Oratoria privata privative habet solus Papa arbitrio Episcopi propriæ Diœcesis duraturum; Const. Benedicto XIV. 2. Junii 1751. quæ incipit *Magni animi nostri mœrore*. Et hoc non licere etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi Episcopi essent, addita Regularibus prohibitione, pro cujus obedientia Episcopi etiam per censuras operam dare tenentur, ne in privatis Regularium cellis sive cubiculis erigatur Altare pro Missa celebranda, remota etiam consuetudine immemorabili. Episcopis autem & his majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, licet ex privilegio in corpore juris clauso possint altare erigere, tamen quocumque titulo suffragante, nullo modo licet extra domum

mum propriæ habitationis, in domibus laicis, tam in ſua, quam in aliena Diœceſi, celebrare ſeu celebrare facere: quæ prohibitio intelligenda non eſt de domibus etiam laicis, in quibus dicti Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiuntur in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes a domo propriæ habitationis; Clemens XI. 15. Decembr. 1703. Innocent. XIII. 13. Maji 1725. in Conſt. quæ incipit *Apoſtolici miniſterii* confirmata a Benedicto XIII. 17. Sept. 1724. in alia, quæ incipit *In ſupremo* 23. Septemb. 1724.

100. Quando feſtum Annuntiationis B. M. V. occurrit in Sabbatho Sancto, Miſſæ privatæ celebrari non poſſunt, & Feſtum Annuntiationis transferendum erit ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam & fixam, juxta decretum 11. Feb. & 11. Mart. 1690. Quando vero occurrit in Feria quinta in Cœna Domini, ſervandum eſt Decretum generale pro feſto S. Joſeph editum 13. Sept. 1691. S. R. C. 10. *in una Galliarum*. Quando occurrit in Sabbatho Sancto .... transferendum erit .... tamquam ad diem propriam juxta decretum 1690.) Hodie etiam ſecundum aliud generale 2. Sept. 1741. emanatum. Vide *num.* 142. Quando occurrit in feria V. ſervandum eſt decretum generale 13. Sept. 1692.

101. In Eccleſiis, in quibus occaſione quadraginta horarum, expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentius abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum defunctorum, etiamſi ex præſcripto feſtorum eſſent celebrandæ; *S. R. C.* 27. *Apr.* 1697. *in Eugubina*. *(*Occaſione quadraginta Horarum*,) vel alia cauſſa publica, & quid de aliis expoſitionibus, conſule *num.* 155. *ſeqq.** (*Ex præſcripto feſtorum*.) Privilegium altaris per Miſſas currentes, vel votivas de SS. Sacramento, adimpletur ex Conſt. Clementis XII. exhibita pro quadraginta Horis, quæ incipit: *Eſſendo ſtate fatte* §. 17. lata *die* 1. *Sep.* 1757.

102. In vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſſæ privatæ de Requiem *Sac. Rituum Congreg.* 27. *Apr.* 1697. *in Panormitana*.

103. Ante verſiculum, qui dicitur Communio, cooperiendus eſt calix vero in anteriori parte, prout ante Confeſſionem; *S. R. C.* 1. *Martii* 1698. *in Pragen.*

104. Deficiente Subdiacono pro Miſſa ſolemni, data neceſſitate, poteſt permitti per ſuperiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in minoribus ordinibus, ad cantandam Epiſtolam, paratus abſque manipulo; *S. R. C.* 5 *Jul.* 1698. *in Collen.*

105. Sacerdos Miſſam celebraturus tranſiens ante altare, ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, donec, & quouſque terminetur communio, *S. R. C.* 5. *Jul.* 1698. *in Collen.* Quomodo vero debeat genuflectere, Vide *num.* 40.

106. In feria VI. Paraſceves thurificanda ſunt oblata; ſed poſt thurificationem oblatorum, non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis, ſed Crux & altare thurificanda ſunt eo prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus tranſeundo ante SS. Sacramentum; *S. R. C.* 5. *Jul.* 1698. *in Panormitana*. *(*Crux & Altare thurificanda ſunt, eo prorſus modo quo fit in aliis Miſſis*) poſito autem incenſo ſine oſculo & benedictione: *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 33. Crucem vero thurificat celebrans triplici ductu; Idem *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 4.

107. In tranſeundo de una ad alteram partem altaris in prima, ſecunda, & tertia Miſſa Nativitatis Domini, ſerventur Rubricæ Miſſalis, quæ nullam præſcribunt genuflexionem ante calicem eſſe faciendam; *S. R. C.* 2. *Aug.* 1698. *in Veneta*.

108. In die commemorationis omnium fidelium defunctorum in Eccleſiis cathedralibus vel collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Eccleſiæ, Miſſæ privatæ dicendæ ſunt de Requiem, & cantandæ ſunt duæ Miſſæ conventuales, una ſcilicet de die octavæ poſt Tertiam, & altera de Requiem poſt Nonam juxta Rubricas. Quando vero dies octavæ incidit in Dominica, omnes Miſſæ celebrandæ de die octavæ, & commemoratio omnium fidelium defunctorum transferatur in diem ſequentem; *S. R. C.* 27. *Sept.* 1698. *in una S. Germani Montis Caſſini*.

109. Non poſſunt Canonici in celebratione Miſſæ uti Palmatoria, *vulgo* Bugia; *S. R. C.* 11. *Jul.* 1669. *in Vincentina*.

110. In Eccleſiis parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu poteſt dici Miſſa de Requiem, quando annivarſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in feſtum duplex minus; Non tamen dicendum de diebus tertio, ſeptimo, & trigeſimo, ſed ſervetur Decretum generale editum 5. *Aug. anno* 1662. quod incipit *Cum Sanctiſſimus; S. R. C.* 19. *Jun.* 1700. *in Curien.* *(Quod incipit *Cum Sanctiſſimus*.) in quo declaratur non poſſe celebrari Miſſas defunctorum.

111. Ex privata devotione Parochianorum petentium ſæpius per annum anniverſaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis defunctis, poteſt in ruralibus Eccleſiis cantari Miſſa ſolemnis de Requiem in feſto duplici minori, altera cantata de feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes, dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus; *S. C. R.* 19. *Jun.* 1700. *in Curien.* Vide *num. ant.*

112. In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda palla a parte ſuperiori drappo ſerico cooperta; *S. R. C.* 22. *Jan.* 1701. *in una Camald. Montis Coronæ*.

113. Sacerdotes in Sacrificio Miſſæ congruentius utuntur cingulo lineo, quam ſerico; *S. R. C.* 22. *Jan.* 1701. *in una Camald. Montis Coronæ*. *(*Cingulo lineo*;) colore albo, vel ſaltem paramentorum. Vide *num.* 129.

114. Sacerdotes etiam Regulares diebus, quibus propria Officia recitant ſub ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur feſtum cum ſolemnitate, concurſu populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe ritui, & colori earumdem Eccleſiarum; in aliis vero diebus poſſunt; ſed quando prohibentur Miſſæ votivæ, vel defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem; *S. R. C.* 11. *Jan.* 1701. *in una Tertii Ord. S. Franciſci*. *(*Debent celebrare Miſſas conformando ſe ritui &c.*) Iterum præſens & ſequens dubium, una cum alio tenoris ſequentis, propoſitum fuit *in Sac. Cong.* 19. *Januar.* 1752. Utrum poſſit Sacerdos, qui habet officium duplex, celebrare Miſſam de Requiem, ubi non agitur de ritu duplici? Quæ dubia iterum confirmavit; præterea docuit generaliter teneri Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, & ſe conformari ritui Eccleſiæ, in qua celebrant. Unde ſequitur poſſe ſine ſcrupulo Miſſas omnes privatas & ſolemnes celebrare, ac etiam defunctorum, ut in caſu, ad normam decreti 23. *Auguſti* 1704. ſub *num.* 124. quod purgare videtur cum alio 7. *Maji* 1746. Inſtituendo hanc ſententiam Sacræ Congregationis, eamque ſequendo ſervatur ex integro illa Miſſalis Rubrica, Quoad

fieri poteſt Miſsa cum officio conveniat „ reſpiciens potius Eccleſiam publicam, quam officium privatum celebrantis. *Tit IV. de Miſſis Votivis.* Sanctæ Mariæ, & aliis *num.* 3.

115. Sacerdotes exteri conſluentes ad Eccleſias etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis etiam Ordinis, quando feſtum celebratur cum ſolemnitate, & concurſu populi, debent in Miſſis ſe uniformare cum Sacerdotibus illius Eccleſiæ etiam Regularibus quoad Credo, & numerum orationum more duplicium, in aliis vero diebus poſsunt, ſi volunt; *S. R C. 11. Jan.* 1701. *in una Tertii Ord. S. Franciſci.* " (*Eccleſiæ etiam Regularium.*) comprehenduntur etiam Moniales. Vide *num. ant. & 116.*

116. Moniales Ordinariis ſubjectæ non debent recitare Officium de octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, & tantum tenentur recitare Officium prædictum ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis ſine octava; *S.R.C. 11. Febr.* 1702. *in Tarviſina* " *Officium prædictum*;) etiamſi prima dies, & reliqua octava impedita ſit. Vide *num. cit.*

117. Facultas celebrandi cum Miſſali Romano conceſſa a Sac. Rit. Congr. pro Capellanis Monialium, intelligi debet pro omnibus, & ſingulis; qui ex debito tenentur celebrare in Eccleſiis ipſarum Monialium, dummodo celebrent cum Miſſali Romano; *S. R. C. 11. Febr.* 1702. *in Tarviſina.*

118. In prima & ſecunda Miſſa, quæ celebrantur in die feſto Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio calicis; *S. R. C. 16. Sept.* 1702. *in una Regni Portugalliæ.*

119. An celebratio Miſſæ ſolemnis feria quinta in Cœna Domini, ſit de juribus Parochialibus? Et reſponſum fuit: Negative prout jacet, ſed ſpectare ad Parochum; *S. R. C. 10. Decemb.* 1708. *Urbis, & Orbis.*

120. An celebratio Miſſarum ſolemnium per annum, ſive pro vivis, ſive pro defunctis; ſit de dictis juribus Parochialibus? Et reſponſum fuit: Negative prout jacet, ſed licere confratribus ſolemnioribus ejuſdem Eccleſiæ vel Oratorii, ut in Brunduſina, ſub die *1. Jun.* 1701. *S. R. C. 10. Decem.* 1803. *Urbis, & Orbis.*

121. An in Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres ſtatis horis recitari poſſint horæ Canonicæ cum cantu, vel ſine, (abſque alia licentia Parochi) Et reſponſum fuit: Affirmative; niſi alter Ordinarius ſtatuat rationabili cauſa; *S. R. C. 10. Decemb.* 1703. *Urbis, & Orbis.* Vide *num. ſeq.*

122. An in Oratoriis privatis ſit licita celebratio Miſſæ privatæ, aſſentiente Ordinario loci, (& contradicente Parocho) Et reſponſum fuit. Affirmative; *S. R. C. 19. Decembris* 1703. *Urbis, & Orbis,* " (*Celebratio Miſſæ*) exceptis diebus in Bulla Bened. PP. XIV. expreſſis.

123. An in eiſdem Eccleſiis poſſe celebrari Miſſa ſive lecta, ſive cantata (ante Miſſam Parochialem, ſive lectam, ſive cantatam.) Et reſponſum fuit: Negative, niſi alter Epiſcopus diſponat; *S. R. C. 10. Decemb.* 1708. *Urbis, & Orbis* Vide *num.* 37.

124. 1 In Eccleſia, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ſi occurrat feſtum Patroni, ſeu Titularis diebus, quibus non poteſt de eo fieri Officium, poteſt nihilominus (diebus non exceptis a *Rub. Miſſ. tit. 6. de Translatione*) cantari Miſſa de Patrono, ſeu Titulari, licet non cantetur altera Miſſa concordans cum Officio. *S. R. C. 23. Aug.* 1704. *in una Ordinis Eremit. S. Auguſtini.* (" *Diebus exceptis a Rubrica;*) *qui ſunt Dominica prima Adventus, & Quadrageſimæ, feria 4. Cinerum, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, die Nativit. Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti. Miſſ. Rub. de Tranſ. Feſt. tit. 6. num.* 1.

124. 2 Religioſi celebrantes ex quacumque cauſa in aliena Eccleſia, ubi non agitur Officium duplex, & fiunt Exequiæ pro aliquo defuncto, vel anniverſaria, ſeu ſimile Officium pro defunctis, etiamſi ipſi Religioſi recitaverint Officium Sancti duplicis, poſſunt ſe conformare cum Eccleſia, in qua celebrant. *S. R. C. 23. Auguſti* 1704. *in una Erem. Camald.* Vide *num.* 114.

125. Miſſa ad poſtulandam gratiam bene moriendi demandatur apponenda in Miſsali Romano poſt Miſsam *pro remiſſione peccatorum*, & in Rubricis generalibus in *tit. de Coloribus paramentorum* ſub colore violaceo, ac propterea in Gradualibus ad cantum chori in eodem cantu, & tono, qui in antiquis habetur Feria IV. Dominicæ primæ, & Sabbatho Dominicæ tertiæ in Quadrageſima, & in Dominicis IV. VI. XX. & XXI. poſt Pentecoſtem. *S. R. C. 20. Mar.* 1706. *Clem. XI. annuente die 27. ejuſdem menſis & anni.*

136. Infra octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ votivæ privatæ, & pro defunctis. In Miſſis vero votivis ſolemnibus pro re gravi infra eamdem octavam celebrandis, dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam generalem *tit. 12. num. 4. S. R. C. 25. Sept.* 1706. *& 25. Sept.* 1714. *approbante Clem. XI. in ſuo Bull. part. 3. Conſt. 20. & in Bull. Rom. tom. 8. decreto 20. quod incipit.* Cum occaſione Miſsalis §. Item prohibitum eſt, *Edit. Luxemburgi* 1727. *pag.* 437. " (*Infra Octavam Nativitatis,*) & alias quaſcumque privilegiatas. Vide *n.* 143. " (*Dicenda eſt præfatio juxta Rubricas*) videlicet *Ut dicatur etiam Præfatio propria in Miſſis votivis, ſi habeant, alioquin de tempore Nativitatis, ut in hoc caſu, vel alia præfatio, ut in aliis Rub. Miſſ. gen. tit. 12. num.* 4. Vide *num.* 23.

127. Super Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debet cum imagine Crucifixi appoſita S. R. C. 14. *Maji* 1707. *in una Senarum.* " *Crux de more collocari debet.*) Hoc decretum, quod præcipue intelligitur tempore Sacrificii, ad eas tantum pertinet Eccleſias, in quibus Miſſæ, in altari ubi SS. Sacramentum expoſitum eſt, dici conſueverunt. Vide *num.* 145.

128. Epiſcopus celebrans Miſsam de Natali Dominica in pontificalibus, vel aſſiſtens cum pluviali, vel cappa, quæ eo die ob maximam ſolemnitatem numquam conveniret; ex quo ſedens legit Evangelium, non debet genuflectere ad *Verbum caro factum eſt*, ſed ſolum quando Diaconus illud cantat. *S. R. C. 28. Septembris* 1708. *in Bracharen.*

129. Cingulum tertium indumentum ſacerdotale poteſt eſſe coloris paramentorum; *S. R. C. 8. Junii* 1709. *in Bracharenſi* " (*Coloris Paramentorum:*) ſericum vero, an lineum; Vide *n.* 113.

130. Commemoratio in Miſsa pro conſecratione Epiſcopi, quando ratione feſti occurrentis dicitur Miſſa de feſto habente plures commemorationes, debet uniri cum oratione Miſſæ, & dici ſub unica concluſione, juxta Rubricam Pontificalis Romani de Conſecratione electi in Epiſcopum, & Miſſalis Romani in fine poſt benedictiones; *S. R. C. 8. Junii* 1709. *Bracharen.* Dicitur Miſsa de feſto: ideo *propter ordinationes Epiſcoporum numquam mutatur Officium diei; dicitur tamen poſt collectam diei pro officio conſecrationis, collecta*

lecta pro electo sub uno Per Dominum nostrum &c. Pont. Rom. p. 1. de Concur. electi in Episc.

131. Quando tertia Oratio in Missa est ad libitum, & ex jussu Summi Pontificis, vel Episcopi debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, seu ad petendam serenitatem, aut pluviam &c. hæc oratio debet recitari tamquam ex præcepto quarto loco, non omissa tertio loco illa, quæ est ad libitum, seu pro devotione Sacerdotis eligenda; *S. R. C.* 17. *Augusti* 1709. *in Bergomensi* * (*Ad libitum:*) dummodo sit ex Missali deprompta.

132. Quando Altare fuit consecratum ad modum Altaris fixi cum sacris sigillis, & unctionibus inter stipitem, & Altare, si motus fuerit lapis superior, qui format mensam Altaris, a suo stipite, tunc execratur Altare. Si vero fuerit consecratum ad modum altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, sed tantum, quando frangitur sepulchrum Reliquiarum; *S. R. C.* 21. *Junii* 1710. *in una Ord. Capuce.*

133. Quando in Missa solemni ministratur sacra Eucharistia clericis, vel laicis, reliqui de clero debent stare; *S. R. C.* 9. *Maji* 1711. *in Catanien.*

134. Decretum de die 5. Augusti 1662. ab Alexandro VII. approbatum: de Missis defunctorum non celebrandis in festo duplici, sed dicendis de dicto festo cum applicatione Sacrificii, a speciali Brevi, quod incipit, *Creditæ nobis*, iterum ab eodem fuit confirmatum, ac insuper statutum idem servari debere quoad Missas in altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas, & indulgentias per ejusmodi privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ defunctorum. Ac denique declaratum, Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in prædicto decreto die 5. Augusti 1662. edito minime comprehendi, prout antea. *S. R. C.* 15. *Sept.* 1714. *Urbis & Orbis, annuente Clement. XI.* 29. *ejusdem, & antea* 22. *Nov.* 1664. *in una Novarien.* Vide Bullar. Rom. Edit. Luxemburgi 1727. *pag.* 437. in decreto, quod incipit: *Cum occasione Missalis §. Prædictum.* Vide *num. seq. & 13.*

135. Clemens IX. Sac. Rit. Congregat. decreta de die 5. Augusti 1662. & 21. Nov. 1664. alio Brevi, cujus initium, *Cum fel. rec.* confirmavit, & Alexandri VII. dispositionem de die 22. Januar. 1667., quoad Missas in altari privilegiato ex obligatione celebrandas, & indulgentias per hujusmodi privilegia concessa animabus Purgatorii suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ de Requiem, extendit ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandoque privilegiata. Quod quidem confirmatum fuit a *S. R. C.* 15. *Sept.* 1714. *Urbis & Orbis, annuente Clem. XI.* 29. *ejusdem*, in decreto XX. §. *Deinde fel. recordat. ut in num. ant.* Vide *num. ant. & seq. nec non* 13.

136. Declarationes Alex. VII. 22. Januarii 1667. & Clement. XI. 23. Sept. 1669. circa Missas defunctorum in altari pro animabus Purgatorii privilegiato non celebrandas, licet quantur tantum de festis duplicibus, [illegible] intelligendæ sunt etiam de diebus Dominicis, & infra octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, [illegible] anni diebus, quibus, licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ defunctorum juxta Ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licitum est, servata cæteroquin privilegiorum forma, ad altaria privilegiata celebrarentur. *S. R. C.* 15. *Sept.* 1714. *Urbis & Orbis, annuente Clement. XI.* 29. *ejusdem*, in decreto XX. §. *Tandem proposito; & antea* 3. *Aprilis* 1668. *Innocentio XI. Brevi, quod incipit:* Alias postquam, 4. *Maji* 1688. Vide *num.* 13. *& num.* 84.

137. Ad augendam fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ejusque cultum in toto Terrarum orbe promovendum, prohibuit celebrari Missas votivas, vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi, *S. R. C.* 16. *Septembris* 1714. *Urbis & Orbis, annuente Clemente Papa XI.* 29. *ejusdem, & antea* 21. *Junii* 1670. *Clem. Papa X. eadem die approbante. V. Tom.* 8. *Bull. Rom.* Luxemburgi 1727. *pag.* 437. * (*Votivas, vel pro defunctis:*) non comprehenduntur solemnes pro re gravi, vel pro defunctis, corpore præsente.

138. In Vigilia Epiphaniæ Missæ votivæ, & Defunctorum celebrari non possunt; *S. R. C.* 10. *Decembris* 1718. *in Ætna.* * (*Missæ votivæ, & Defunctorum*) privatæ. Vide *num.* 100.

139. Episcopo deputato administratori amovibili Ecclesiæ vacantis, dum assistit Missæ solemni, ab alio cantatæ, non debent Canonici facere circulos ad *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*. Et tunc sedeant in proprio stallo chori; *S. R. C.* 22. *Aug.* 1722. *in Sarsinaten.* * (*Facere circulos.*) Modum faciendi circulos habes *num. sequenti.*

140. Canonicus Episcopus titularis in Missis, & Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis tenetur discedere a stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis consuetis circulis præscriptis a Cæremoniali Episcoporum; *S. R. C.* 10. *Aprilis* 1728. *in Asculana.* * (*Consuetis circulis*) faciendis in Missis, quæ non sint defunctorum, nec feria VI. in Paraseeve coram proprio Episcopo Missæ assistente, non vero celebrante, & non alio, licet Legato de latere, Metropolitano, vel Suffraganeo &c., qui tamen circuli, præsente Prælato superiore, ob ejus reverentiam omittuntur. Igitur circulus primus fit, cum Episcopus stans in sua sede legit Introitum, & dicit *Kyrie eleison* &c. & succedit *Gloria in excelsis &c.* hoc modo semper: Canonici opportuno tempore discedentes ab eorum sedilibus, procedunt ad medium chori, factis altari, & Episcopo reverentiis, & se sistunt in circulum ante Episcopi faciem, quod diversimode fit pro diversitate situationis altaris, & sedis episcopalis. Si enim altare adhæreat parieti, & sedes episcopalis sit in latere Evangeli, incipient procedere juniores a sedili Diaconorum, ita ut ultimus Canonicus consistat ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur perficiendo circulum, & dignior Canonicus, sive Dignitas modice a suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi. Si vero altare erit sub tribuna, & sedes episcopalis ex opposito altari, tunc Canonici [illegible] antes ad circulum procedunt simul ab [illegible] raque parte non perficientes circulum, [illegible] terga vertant altari, sed facientes hinc inde semicirculum, & sic stantes dicunt *Kyrie*, & *Gloria* cum Episcopo. Quo finito, producente super eos Episcopo signum crucis, quod semper in fine circuli observatur, facta illi, & altari reverentia, procedunt ad loca sua. Secundus, dum dicitur *Credo*, in quo simul cum Episcopo genuflectunt ad *Incarnatus &c.* Et si forte cum redeunt ad loca sua idem articulus cantetur

tur a choro, ubicumque erunt pariter genuflectunt in via. Tertius ante finem præfationis pro *Sanctus &c.*, non tamen pectus percutientes. Quartus & ultimus ante *Agnus Dei*, & tunc, dum veniunt ad circulum, & dum discedunt, ambobus genibus versus Altare genuflectunt propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo. Canonici a circulis revertentes ad sedes suas, faciunt contrario modo, quam faciunt veniendo: quia primo revertuntur seniores, deinde juniores; *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 21. num. 3. seqq.*

141. Dum Missa cantatur coram SS. Sacramento in Altari exposito, debet fieri commemoratio de eodem Sacramento post omnes alias commemorationes de præcepto, & in Missis solemnibus tantum festorum primæ, & secundæ classis facienda est sub unica conclusione; *Sac. Rituum Congreg. 23. Jun. 1736. in Burgen.* * (*Dum Missa cantatur coram SS. Sacramento.*) Loquitur de Missa solemni extra occasionem quadraginta horarum, quando necessitas urget in eo Altari cantare, vel recitare; in occasione enim prædicta Missa cantatur de Sacramento, non de festo occurrenti diebus omnibus, exceptis festis primæ, & secundæ classis, feria 5. Cinerum, feria secunda, tertia, & quarta majoris hebdomadæ, tota octava Paschatis, & Pentecostes, Vigilia Nativitatis, & Pentecostes, & octava Epiphaniæ, in quibus diebus Missa erit occurrens cum commemoratione de SS. Sacramento sub unica conclusione. Ex Brevi Clement. XII. 1. Sept. 1730. quod incipit italice, *Essendo state fatte*; Vide *num. 156.*

142. Dum incensatur altare, in quo est expositum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet post illud incensatum Crux quoque incensari. *S. R. C. 29. Novembris 1738. in una Chartaginen. Hispan.* * (*Crux quoque incensari.*) Feria 6. in Parasceve ad Missam Præsanctificatorum, licet adsit Sanctissimum Sacramentum, Crux debet incensari ex *Rub. Miss. propria & Cær. Episc. l. 2. c. 25. n. 33. & c. 16. num. 19.* An Imago Crucifixi Jesu coram Sacramento exposita super altari reponi debeat, consule *num. 147.*

143. Quando festum Annuntiationis B. M. V. transfertur simul cum præcepto audiendi sacrum ad feriam secundam post Dominicam in Albis, præfertur cuicumque duplici etiam primæ classis eo die occurrenti. Si vero transferatur absque præcepto audiendi sacrum, præfertur quidem cuicumque festo translato, licet primæ classis, non autem festis eo die occurrentibus; *S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen.* * (*Non autem festis eo die occurrentibus*) si essent majoris ritus, & dignitatis.

144. Cum juxta Rubricas Ritualis Romani absque Missa quantum fieri potest defunctorum corpora non sint sepelienda, poterit præsente cadavere unica Missa solemnis pro defunctis celebrari feria secunda post Pascha, aut Pentecostes. Hæc autem Missa non decantabitur in duplici primæ classis haud festivo, si corpus præsens fuerit, aut pridie sepultum. *S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen.* * (*Aut pridie sepultum*) etiam sine Missa, & sine Officio, ut aliquando accidit ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam &c. Rit. Rom. *de exequiis.* Vide *num. 13.*

145. In Missis quotidianis, quæ pro defunctis celebrantur, possunt quidem plures dici orationes quam tres, sed curandum ut sint numero impares, & aliquando pro illa *Deus veniæ largitor* impune subrogabitur alia, v. g. pro patre, matre &c. dummodo ultimo loco dicatur *Fidelium.* Insuper Anniversaria adimplenda non sunt infra octavas privilegiatas; *S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen.* * (*Curandum ut sint numero impares.*) Quid faciendum in Missis vivorum. Vide *numer. 177.*

146. In Missis defunctorum, seu, utar verbis decreti, in paramentis nigris, non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem a custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando fidelibus præbetur communio cum particulis infra eamdem Missam consecratis; *S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen.*

147. Etsi decretum hujus Sacræ Congreg. de anno 1707. præcipiat, quod in Altari, ubi est publice expositum SS. Sacramentum, tempore Sacrificii Crux de more collocetur; non est tamen in viridi observantia, & Patriarchales Ecclesiæ Urbis oppositum servant. Supervacuam enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi prototypus adoratur. Et hacce de causa Instructio pro Oratione quadraginta horarum Clem. XI. Bened. XIII. & Clem. XII. Summ. Pontificum jussu edita sub silentio præterit, an locanda, removendave sit hujusmodi Crux, linquens quemlibet in sua praxi; *S. R. C. 2. Sept. in Aquen.* Bened. XIV. 16. *Julii* 1746. Const. quæ incipit *Accepimus*, corroborante. Vide *num. 127. 142.* (Cit. Const. Bened. XIV. habes superius in App. I.)

148. Tertia oratio in Missa dicenda ad libitum Sacerdotis potest esse vel de Sancto, vel de SS. Sacramento, vel de Patrono, de Passione, de Cruce, &c. *S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen.* Vid. *n. 177.*

149. An diebus, quibus juxta ritum Ecclesiæ Ambrosianæ prohibetur fieri de duplici, sive de solemni, prohibeantur etiam Missæ de Requiem? Et responsum fuit affirmative; *S. R. C. 7. Dec. 1743. in Mediolanen.* * (*Juxta Rituum Ecclesiæ Ambrosianæ.*) Et id faciendum in Romana, Vide *num. seq.*

150. An Missæ pro enunciatis diebus, Officium de duplici, seu de solemni non admittentibus, in Calendario, & Missali Ambrosiano præscriptæ, ad Altaria privilegiata celebratæ, animabus in Purgatorio existentibus perinde suffragentur, ac si celebrentur Missæ de Requiem? Responsum fuit affirmative; *S. R. C. 31. Aug. 1743. in Mediolan.* * (*Affirmative*) ad normam Ecclesiæ Romanæ ex Constitut. Clement. IX. 13. Aug. 1669.

151. Utrum in Sabbatho Sancto pro collatione sacrorum ordinum, Episcopus in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Ptophetiis, ut in Missali, celebrare? Responsum fuit, Missam collationis &c. incipiendam esse a Prophetiis; *S. R. C. 21. Martii 1744. in Bergomen.* * (*a Prophetiis,*) quæ omitti non debent etiam attenta consuetudine immemorabili; Vide *num. 166. & 179. & num. seq.*

152. In Ordinum collatione diebus a jure statutis dicenda est semper Missa de feria occurrente, non de Sancto in ea contingente; *S. R. C. 21. Mar. 1744. in Bergomensi.* Vid. *num. ant. & num. 179.*

153. Utrum in Dominicis primæ classis, & aliis diebus, in quibus absolute quæcumque alia festa etiam primæ classis excluduntur, licitum sit cantare Missam de Requiem præsente cadavere? Et responsum fuit: Servetur decretum latum 5. Julii 1690. videlicet: In duplicibus primæ classis, etiam præsente cadavere, non potest cantari Missa defunctorum; *S. R. C. 21. Martii 1744. in Bergomensi.* * (*In duplicibus primæ classis.*) Intellige festiva, exceptis feriis secundis & ter-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tiis Paschatis, & Pentecostes; Vide *num.* 144.

154. Cum Rubrica Missalis de Introitu *num.* 5. præscribat, quod incensata Cruce, incensentur & Reliquiæ, seu imagines Sanctorum; quæritur an imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum Reliquias juxta Quarti *part.* 2. *lib.* 4. de Introitu, & Merati *t.* 1. *p.* 2. *t.* 4.? Responsum fuit: Non esse de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in altari dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce valeant illæ a Celebrante thurificari; *S. R. C.* 21. *Mart.* 1744. *in Bergomen.* * (*Incensentur & Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum:*) Incensata Cruce, & facta ei reverentia, antequam Celebrans discedat a medio altaris, primum incensat eas, quæ a dextris sunt, idest a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, & iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ; *Cæremon. Episcopor. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 6.

155. Cum in Missali ultra primam in principio, detur & altera Rubrica in ordine, & canone Missæ, & inter has videatur aliqua discrepantia, præcipue in inclinationibus, & manuum junctionibus; quæritur quænam sequendæ? Responsum fuit, pari forma sequendas esse tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani, præcipue ad cæremonias inclinationibus, & manuum junctione rite peragendas; *S. R. C.* 21. *Martii* 1744. *in Bergomen.*

156. Cappellani Monialium Ordinis S. Benedicti, cæterique Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares ad earum Ecclesias confluentes, Missam propriam S. Benedicti cum Missali Monastico, non solum in die festi, sed per subsequentes dies alias non impeditas infra ejus octavam celebrare possunt, ac debent; *S. R. C.* 21. *Martii* 1744. *in Patavina, Benedicto XIII. antea permittente.*

157. Commemoratio de SS. Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando ejus expositio fiat pro publica causa, etiamsi Sacramentum expositum sit in pyxide; *S. R. C.* 7. *Maji* 1746. *in Varsavien* * (*Commemoratio in Missis privatis poterit fieri,*) exceptis diebus primæ, vel secundæ classis. Vide *num.* 160. & 178.

158. Missæ de Requiem extra altare, ubi est expositum Sanctissimum Sacramentum etiam in pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit pro publica causa; *S. R. C.* 7. *Maji* 1746. *in Varsavien.* Vide *num. ant. & seqq.*

159. Genuflexio utroque genu est facienda a transeuntibus ante Sanctissimum Sacramentum, etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum; *S. R. C.* 7. *Maji* 1746. *in Varsavien.* * (*Genuflexio utroque genu:*) quid de Sacerdote Missam celebraturo, & de Crucem ferente; Vide *num.* 40.

160. Quando frequenter fiunt expositiones Sanctissimi publice in majori Altari, & præter Missam solemnem dicuntur etiam Missæ privatæ ad idem Altare majus, an etiam in Missis privatis ad Altare majus, & ad alia Altaria minora durante expositione Sanctissimi poterit fieri commemoratio de Sacramento durante expositione? Responsum fuit: Poterit fieri commemoratio de Sanctissimo Sacramento durante expositione; *S.R.C.* 7. *Maji* 1746. *in Varsavien.* Vide *num. ant.* * (*Missæ privatæ ad idem Altare majus,*) nisi ex necessitate celebrandæ; ad majorem enim decentiam erit abstinendum; *Cærem. Epis. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 9. Quid statuatur de Missa solemni; Vide *num.* 87.

161. Cum contingat sæpius in Ecclesiis Regularium, vel aliis, præsertim in die obitus, seu anniversario defunctorum, Missas celebrari a confluentibus Sacerdotibus, supplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant Officium de festo duplici, confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas defunctorum? Responsum fuit negative; *S. R. C.* 7. *Maji* 1746. *in Varsavien* * Ad recte & absolute observandum præsens decretum, & sine scrupulo, vide quæ diximus in *num.* 115.

162. An Presbyteri ordinandi statim ab initio, vel solum a *Suscipe Sancte Pater &c.* debeant inchoare Missam cum Celebrante, & Ordinante Episcopo? Responsum fuit, teneri solum a *Suscipe Sancte Pater. S. R. C.* 20. *Septem.* 1749. *in una Javarinen. in Hungaria.* Vide *num. seqq.*

163. An Presbyteri ordinandi debeant legere Missam stantes, vel in terram genuflexi? Responsum fuit negative ad primam, affirmative ad secundam partem. *S. R. C.* 20. *Septemb.* 1749. *in Iavarinen. in Hungaria.* Vide *num. ant. & seqq.*

164. An Presbyteri ordinandi omnes illas, quas Episcopus ordinans in Missa facit actiones debeant facere, adeoque, an ii Presbyteri debeant cruces manu super oblata peragere, an genuflectere &c. an denique omnia illa, quæ Episcopus sub Sacrificio agit, agere. Similiter idem quæritur de Episcopo consecrando? Responsum fuit ad primum negative; ad secundum, servandum esse Pontificale Romanum; *S. R. C.* 20. *Sept.* 1749. *in Javarinen. in Hungaria.* Vide *num. ant. & seq.* * (*Servandum esse Pontificale Romanum:*) in quo præscribitur: *Dicto Offertorio, Consecrator sedet cum mitra in faldistorio, ante medium Altaris. Et consecratus veniens ex sua cappella, inter assistentes Episcopos medius coram Consecratore genuflectit, & illi offert duo intorticia accensa, duos panes, & duo barilia vino plena, & Consecratoris prædicta recipientis manum reverenter osculatur. Deinde Consecrator lavat manus, & accedit ad Altare; Consecratus etiam ad posterius cornu Epistolæ Altaris ejusdem accedit: Et ibi stans medius inter Episcopos Assistentes ante se, habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit, & facit omnia, prout in Missali. Et ponatur una Hostia consecranda pro Consecrante, & Consecrato, & vinum consecrandum in Calice, sufficiens pro utroque. Pontif. Rom. part.* 1. *tit.* de Consecr. Electi in Episcopum. Vide *num. ant. & seq.*

165. An Presbyteri ordinandi, postquam sunt de corpore D. N. J. C. communicati, debeant de illo Calice, quem in ordinatione sua tetigerunt, ablutionem sumere? Responsum fuit, non esse necesse; *S. R. C.* 20. *Sept.* 1749. *in Iavarinen. in Hungaria* * (*Ablutionem sumere:*) Non in Calice, quo Pontifex celebravit, sed in alio cum vino; *Pontific. Rom. part.* 1. *tit. de Ordinat. Presbyter.* Vide *num. ant.*

166. Cum Sabbatho Sancto unica tantum in quavis Ecclesia Missa cantata admittatur, an Episcopus in privata Cappella, vel Oratorio possit ordinationem sub Missa lecta servare? Et quatenus affirmative, an debeat post communionem idem Episcopus pro Vesperis: *Alleluja, Vespere autem &c. Laudate Dominum, Magnificat &c.* dicere? Responsum fuit, ad mentem; *S.R.C.* 20. *Septemb.* 1749. *in Iavarinen. in Hungaria;* Vide *num.* 151.

167. An Episcopi non habentes facultatem specialem concedendi in Oratoriis privatis, & Cappellis pro sæcularibus, & aliis, legendi Missam, possint licentiam dictam petentibus concedere?

dere? Reſponſum fuit negative; *S. R. C.* 20. *Sept.* 1749. *in Iavarinen. in Hungaria.* * (*Negative.*) Et hæc facultas ſpectat ad Papam ex Conſtitut. Benedict. XIV. 2. Junii 1751. quæ incipit: *Magno cum animi noſtri.* (Quam Conſt. habes ſupra in Appendice XVIII.)

168. Utrum Sacerdos ſæcularis, vel regularis habens officium duplex, & quid ſi duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, celebrans in aliena Eccleſia ex devotione, ubi celebratur, feſtum ſolemne, debeat ne celebrare Miſsam ſe conformando illi Eccleſiæ, ubi celebrat, etiam quoad ſolemnitatem, & colorem paramentorum? Utrum etiam Sacerdos Sæcularis, vel regularis habens officium duplex, & quid ſi duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, celebrans in aliena Eccleſia ex obligatione in ſepultura ſolemni alicujus cadaveris, vel exequiis ſolemnibus, debeat ſe conformare illi Eccleſiæ celebrando Miſsam de Requiem? Reſponſum fuit. Serventur Decreta alias edita in una Tertii Ordinis S. Franciſci die undecima Junii 1701. Et Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, conformare ſe debeant ritui Eccleſiæ, in qua celebrant; *S. R. C.* 29. *Ianuari* 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.* * Pro adimplenda rite & abſolute mente hujus decreti, Vide ea, quæ diximus in adnotatione ad *num.* 114.

169. Miſsæ privatæ de Requiem, etiam corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de officio duplici etiam minori, vel aliis a rubrica exceptis, & quæcumque conſuetudo in contrarium abuſus eſſe declaratur; Miſsa tamen unica ſolemnis inſepulto corpore celebrari poterit etiam in Dominicis, & feſtis diebus, non tamen ſolemnioribus primæ claſſis. *S. R. C.* 29. *Ian.* 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.* * (*Vel aliis a rubrica exceptis:*) ut ſunt feriæ majores, & Dominicæ omnes, in quibus prohibetur fieri de feſto duplici, ut in Breviario. * (*Solemnioribus primæ claſſis*) feſtivis, & celebribus, intra quas feriæ ſecundæ, & tertiæ Paſchatis & Pentecoſtes non numerantur; Vide *num.* 144.

170. Utrum in majori hebdomada, excepto triduo ante Paſcha, & biduo poſt, & infra octavam Paſchæ, & Pentecoſtes, ac etiam in feſtis duplicibus primæ claſſis, non tamen celebribus, poſſit cantari Miſsa unica ſolemnis de Requiem in ſepultura cadaveris? Reſponſum fuit, Affirmative. *S. R. C.* 29. *Ianuarii* 1752. *in una Ordinis Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.* * (*Excepto triduo ante Paſcha, & biduo poſt.*) Vide tamen *num. ant.* & præcipue ibi notat. 144.

171. In die obitus, vel depoſitionis alicujus defuncti Sacerdotis dici poterit vel Miſſa prima, quæ eſt pro Epiſcopis aſſignata, ut in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, vel ea, quæ eſt ſecundo loco poſita, quæ eſt in die obitus, ſeu depoſitionis, dummodo oratio pro eo deſignata: *Deus qui inter Apoſtolicos Sacerdotes &c.* omnino adhibeatur. Similiter agendum erit in anniverſario pro Sacerdote defuncto. *S. R. C.* 29. *Januarii* 1752. *in una Carmelitarum Diſcalceat. Provinciæ Poloniæ.* * (Oratio *Deus, qui inter Apoſtolicos*) vel alia *Præſta quæſumus*, ut in Rubrica Miſſalis *de Miſſis Defunctorum.*

172. Dignitates, & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Urbinatenſis poſſunt uti annulo cum unica gemma, cruce pectorali ſine gemmis, caligis, ſandaliis, & chirothecis ſine auri ornatu in Miſſis ſolemniter decantandis; & quoad ſolum Celebrantem, qui ſedere debet in ſcamno cooperto tapete, vel panno currentis coloris, non vero in faldiſtorio. *S. R. C.* 29. *Januarii* 1752. *in Urbinaten. Benedicto XIV. confirmante die* 28. *Februarii ejuſdem anni in Conſt. quæ incipit:* in Throno Juſtitiæ *ad primum, & ſecundum dubium.*

173. Supradictæ Dignitates, & Canonici, an Palmatoria ſeu Bugia in Pontificalibus, & in Miſſis lectis, ſeu privatis, uti valeant? Reſponſum fuit, negative, & amplius. *S. R. C.* 29. *Jan.* 1752. *in ead. Urbinatenſi ut ſupra num. ant.*

174. Translato Anniverſario e proprio die obitus Teſtatoris ob occurrens impedimentum in alium diem non impeditum, de Requiem cantanda eſt Miſſa ſive ut in anniverſario, ſive ut in quotidianis, verba tamen in oratione: *Cujus anniverſarium depoſitionis diem commemoramus &c.* non ſunt varianda. *S. R. C.* 22. *Dec.* 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.* Vide *num.* 180.

175. In Altari, ſub quo ſepulta ſunt cadavera defunctorum, non poteſt celebrari: *S. R. C.* 11. *Jun.* 1629. *in Turritana.*

176. Ubi non eſt aurora phyſice pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter & politice, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor juxta probatam regionum conſuetudinem; *S. R. C.* 17. *Sept.* & 2. *Novemb.* 1634. *in una Miſſalis Romani.*

177. Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in Feria ſecunda Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, non debet in Miſſa quarto loco dici oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* pro commemoratione defunctorum, ſed ſufficit tertia oratio *A cunctis.* Quod ſi dicatur quarta *Omnipotens*, quinta erit ad libitum; *S. R. C.* 4. *Maji* 1709. *in Piſtorien.* * (*Quinta erit ad libitum:*) non ex præcepto, ſed ex congruentia in Miſſis vivorum; Vide *num.* 131. ſecus autem in Miſſis defunctorum; Vide *num.* 144. Oratio vero ad libitum quænam dicenda, Vide *num.* 148.

178. Commemorationem de SS. Sacramento tempore ſolemnis expoſitionis poſſe fieri in Miſſa de feſto duplici, non tamen primæ, vel ſecundæ claſſis, declaravit S. R. C. Inſuper Sanctorum Reliquias non eſſe collocandas ſuper Altari, in quo reipſa SS. Sacramentum publicæ venerationi eſt expoſitum; *S. R. C.* 2. *Sept.* 1741. *in Aquen. & antea per Conſtitutionem Quadraginta Horarum* Clementis XI. Benedicti XIII. & Clem. XII. quæ data fuit *die* 1. *Septemb.* 1736. incipit italice *Eſſendo ſtate fatte* §. v.* (*In Miſſa*) privata, intellige etiamſi Sacramentum expoſitum ſit in pyxide publica cauſſa; Vide *num.* 157.

179. In Sabbathis quatuor Temporum, vel aliis ad ordines conferendos a jure præſtitutis, Epiſcopus Ordinationem faciens, Miſsam de Feria, non autem de Sancto, qui forte diebus illis occurret duplex, vel ſemiduplex, v. g. S. Mathiæ tempore verno, S. Thomæ tempore hyemali &c. Celebrare debet. *S. R. C.* 11. *Julii* 1739. *in Neritonen.* * (*A jure præſtitutis,*) quæ ſunt *Sabbatha in omnibus quatuor Temporibus, Sabbathum ante Dominicam de Paſſione, & Sabbathum Sanctum. Pontifie. Rom. par.* 1. *de Ordinibus conferendis.* Vide *num.* 152.

180. Obitus die impedito, non poteſt pro defunctorum anniverſario cantari Miſſa de occurrenti Feſto, vel Feria privilegiata per applicationem. *S. R. C.* 22. *Decembris* 1753. *in una Vilnen. in Lithuania.* * (*Non poteſt,*) ſed transferri in aliam diem, prout tranſtulit S. R. C. Vide *num.* 24. & 174. An aliæ fundationes licite abſolvi poſſint, conſule *num. ſeq.*

181. Poſſunt adimpleri quælibet fundationes, ſive in honorem Sanctorum, ſive pro defuncto-

rum

rum liberatione, Missam de die celebrando, quando & Missæ Sanctorum, & defunctorum prædictæ ab occurrente primæ, vel secundæ classis solemnitate, aut festivo die quoad forum impediantur; *S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen.* * (*Quælibet fundationes:*) cave ne intelligas anniversaria defunctorum, quæ debent transferri, ut in *num.* 24. & 174.

182. Anniversaria, quæ occurrunt absolvenda circa quatuor tempora Paschalia, & infra octavam Pentecostes, & non possunt omnia absolvi, aut finiri ante octavam Sanctissimi Corporis Christi, quomodo, & qualiter absolvenda? Responsum fuit: Servetur Decretum datum die 4. Maji *1686. in una Canonicorum Regularium Lateranensium. S. R. C. 22. Decemb. 1753. in una Vilnen. in Lithuania.* Decretum enuntiatum signatur sub *num.* 97. 1.* (*Quomodo, & qualiter absolvenda.*) Vide *num. ant. & 24.*

183. Quando per rubricas Missalis, ac per decreta Sacræ Congregationis, videlicet per octavas Nativitatis, Epiphaniæ, per Feriam IV. Cinerum, a Dominica Palmarum usque post Octavam Paschæ, per octavas Pentecostes, & Sanctissimi Corporis Christi, prohibentur Missæ votivæ privatæ, prohibentur etiam votivæ in cantu fundatæ, *S. R. C. 22. Decembr. 1753. in una Vilnen. in Lithuania.* * (*Per octavas,*) nempe per omnes dies dictarum octavarum. * (*Votivæ in cantu fundatæ:*) illæ vero pro re gravi, vel de Titulari, seu Patrono Ecclesiæ non prohibentur, nisi diebus exceptis a Rubrica Missalis tit. VI. de Translatione.

184. Missa de Requiem pro Parentibus Fratrum, quavis feria secunda in quolibet Conventu non potest cantari exposito Castro doloris, occurrente festo duplici minori & majori, etiamsi non sit de præcepto, seu festivo; *Sac. Rituum Congreg. 11. Maji 1754. in una Ordinis Min. de Observant. S. Francisci Provinciæ Majoris Poloniæ.*

185. Missæ de Requiem possunt cantari in iis Ecclesiis pro benefactoribus defunctis (qui apud illos non sepeliuntur) in die obitus illorum, occurrente festo duplici minori & majori, sed non de præcepto, seu festivo; *Sac. Rituum Congreg. 11. Maji 1754. in una Ordinis Minor. de Observ. S. Francisci Provinciæ Majoris Poloniæ.*

186. An Missæ de Requiem (ut populus semper prætendit, & non per applicationem Sacrificii) possint cantari pro Benefactoribus defunctis ad petitionem hæredum quavis die, etiamsi non sit dies obitus, vel anniversarii, occurrente festo duplici minori & majori, sed non de præcepto, seu festivo? In omnibus supradictis quæsitis exclusa volumus festa primæ & secundæ classis, Dominicas per annum, Dominicas, ac octavas privilegiatas. Responsum fuit, *Negative; S. R. C. 11. Maji 1754. in una Ordinis Minor. de Observ. S. Francisci Provinciæ Majoris Poloniæ.* * (*Ad petitionem hæredum:*) secus autem pro adimplenda mente testatoris. Vide *num.* 13. In ruralibus vero Ecclesiis, cum agatur de die vera anniversaria, tantum indulgetur in officio duplici minori pia consanguineorum vota persolvere. Vide *num.* 110.

187. Cum Sacra Rituum Congregatio decreverit, in festo duplici minori & majori, sed non de præcepto, posse cantari Missam de Requiem, cum accipitur nuntius de obitu alicujus in loco diffito, sub die 4. Maji 1686. & Anniversaria, quæ ex dispositione Testatorum cum cantu quotannis sunt celebranda, possint cantari etiamsi eorum dies inciderit in festum duplex majus, non tamen de præcepto, sub die 20. Julii 1669. annuente Sanctissimo Clemente IX. quæritur an intelligendum duplex majus de præcepto, an quod sit celebre ad populum, seu festivum, vel alio modo &c.? Et Sacra Congregatio, audito prius voto unius ex Cæremoniarum Apostolicarum Magistris, ad relationem Eminentissimi Cardinalis Tamburini ejusdem Congregationis Præfecti, rescribendum censuit: Festum duplex majus de præcepto est illud, in quo occurrit Officium recitandum sub ritu duplici majori, cuique a legitimo superiore adnexum est præceptum audiendi sacrum, & abstinendi ab operibus servilibus; *S. R. C. 11. Maji 1754. in una Ordinis Min. de Observ. S. Franc. Provinciæ Majoris Poloniæ.*

F I N I S.

MO-

MONITUM.

EO ipso temporis momento, quo præsens volumen numeris omnibus absolutum typisque datum in publicum emanare jam cupiebamus, ad manus nostras pervenit ultima recens editio romana Tractatus ejusdem fel. rec. Benedicti XIV. continens additiones variarum *Appendicum* ac *Decretorum Sac. Rit. Congr.* quarum utilitate rapti illico operis promulgationem suspendimus ad eas inferendas ipsarum fructum non perdituri. Hoc muneris nostri ratio postulabat, ut pro viribus fieret satis orbis litterarii utilitatibus. Idcirco ne mireris Lector benevole, neve nostræ tribuas oscitantiæ, si tam signatio Dd cum num. 208. duplicata appareat, quam ipsa paginarum numeratio perturbata sit. Nam, completo volumine, opus fuit, ut post paginam supradicti numeri *Appendices* ac *Decreta* collocarentur; sicque numerorum series taliter cœpta continuaretur usque ad paginam 271. ultimam scilicet memoratarum *Appendicum*, post quam iterum a tergo redit num. 208. In fine autem Indicis generalis pag. videlicet 236. appositum habes etiam Indicem dictarum *Appendicum* calcem operis implentium.

INDEX

UAB Biblioteca de Ciències Socials

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM.

Quæ in toto hoc Opere de Sacrificio Missæ continentur.

A

Abbates.

Abbates Regulares terno Crucis signo dant benedictionem in Missis tantum Pontificalibus, *lib. 2. cap. 24. num. 6.*

Campanas, & Calices consecrare, & vestes ad Sacrificium necessarias benedicere pro suis dumtaxat Ecclesiis possunt, *App. 2. §. 2. 21. & 29.*

Abel.

Abelis Sacrificium repræsentavit Sacrificium novæ legis, *l. 2. c. 16. n. 11. & 22.* V. *Sacrificium.*

Abissini.

Unam tantum per diem Missam celebrant, *l. 3. c. 2. n. 6.*

Ablutio.

Ablutio manuum, & pedum in veteri lege de præcepto erat aliquis ministerio præmittenda: nunc Missæ præmittitur tamquam novum præceptum ex quadam convenientia introductum, *l. 2. c. 22. n. 2. 2.*

Ablutio manuum ante Missam fit a Sacerdotibus ex veteri consuetudine, immo antiquitus laici illotis manibus in templum non ingrediebantur, *n. 3.*

Ablutio manuum in Missa ad Psalmum *Lavabo* significat, tantum Sacramentum debita corporis munditie esse tractandum; & Sacerdotem ab omni peccato mundum accedere ad illud debere: hinc digitorum extremitates lavantur, *l. 2. c. 22. n. 2.*

Ablutio manuum olim erat duplex, nempe ante offertorium, & post incensum: nunc secunda in Missis tantum cantatis retinetur. *ib.*

Ablutio digitorum post communionem fieri debet aqua, & vino, neque licet solam aquam adhibere, *l. 2. c. 22. n. 6.*

Abrahæ.

Sacrificio nostrum Altaris sacrificium expressum fuit, *l. 2. c. 16. n. 11. & 12.* V. *Sacrificium.*

Acacius.

Patriarca Constantinopolitanus se, Altare, & Patriarcalem Cathedram nigra veste contexit, cum Basilius Imperator adversus Chalcedonensem Synodum edictum protulit, *l. 2. c. 8. n. 17.*

Academia.

Academia Ecclesiastica Romæ in Collegio propagandæ Fidei a Benedicto XIV. restituta est, *l. 2. c. 4. n. 12.*

Academiæ quædam Historiæ Ecclesiasticæ Romæ laudabiliter erectæ fuerunt, & valde expediret, ut aliæ alibi erigerentur, *in Præf. Bened. XIV. in fine n. 17. & seqq.*

Accidentia.

Panis, & vini quomodo in Sacramento Eucharistiæ remaneant, *l. 2. c. 20. n. 5.* V. *Species.*

Acolythi.

Ordinis Prædicatorum Alba utuntur. *l. 2. c. 27 n. 7.*

Actio.

Actiones plures in prima Canonis oratione fiunt, quæ explicantur, *l. 2. c. 13. n. 27. & 28.*

Item actiones, quæ fiunt in secunda Canonis oratione, *cap. 14. num. 5.*

Quæ vero in tertia oratione adhibentur verbis respondent, quæ ibi proferuntur, *c. 15. n. 16.*

Actionum ordo describitur, quibus Christus Eucaristiæ Sacramentum instituit, *n. 9.*

Actiones quædam particulares in prima parte orationis quartæ Canonis fiunt, & in quibusdam Ecclesiis sæculo XII. Sacerdotes in memoriam Passionis Christi brachia in modum Crucis elevare cœperunt, ut etiam nunc Regulares quidam faciunt; ut in Ecclesia Romana Sacerdos manus tenet ante pectus extensas, *c. 16. n. 4.*

Actiones vero generales sunt Crucis signa, quæ in hac oratione fiunt; quid hæc signa denotent, *ibid. & n. 3. 26. & 27.*

Actio, qua pollex, & index juncti tenentur, fit, ne si qua particula digitis adhæserit, dispergatur, *n. 8.*

Actiones, quæ in fine ejusdem orationis fiant, sunt profunda inclinatio, & tria Crucis signa, & quid hæc significent, *n. 28. 27.*

Actiones, quæ fiunt in sexta Canonis oratione, sunt plura Crucis signa ad verba *Sanctificas &c.* itemque parva Hostiæ, & Calicis elevatio, & quid illa signa indicent, *l. 2. c. 28. n. 14. & seqq.*

Actiones, quæ post orationem Dominicalem fiunt, sunt Patenam accipere, eaque sibi a fronte ad pectus Crucis signum ducere, eamdem osculari, & Hostiæ supponere, Calicem discooperire, genuflectere, & quid hæ actiones significent. *c. 19. n. 9. & seqq.*

Actio immittendi Hostiæ particulam in Calicem exprimit Christi Resurrectionem, *c. 20. n. 17. & 18.*

Actionum series, quas Sacerdos in Missa peragit, dum se communicat, exponitur, *c. 21. n. 2. & 2.*

Adoratio.

Tum interna, tum externa Eucharistiæ debetur, & a dogmate proficiscitur, quo semper creditum est, Christum esse in Sacramento realiter præsentem, *l. 2. c. 25. n. 27.*

Adventus tempore.

Ecclesia, dum iis verbis utitur, *Rorate Cœli &c. O Adonai &c Orietur sol &c.* retrahit has preces ad Prophetarum tempora Christi Incarnationem expectantium, *l. 2. c. 9. n. 4.*

Ægyptii.

Olim post prandium ad templa convenire consueverunt, *Append. 4. in Epist. ad Pont. §. Mos etiam.*

Ab Ægyptiis sacrificandi morem Hebræos desumpsisse nonnulli perperam contendunt, *l. 2. c. 17. n. 14.*

Agnus.

Agnus Dei dicitur in Missa ex institutione Sergii I. *l. 2. c. 20. n. 20.* V. *Oratio.*

Agni divini Sanguine per Sacramenta, & virtutes, Sacerdotes, & Christiani mundantur. *l. 2. c. 20. n. 4.*

Agnus Paschalis, qui Christi fuit figura, festinanter a Judæis comedendus erat: at non proinde Missa festinanter est celebranda, *l. 3. c. 24. n. 4.*

Agnus semper habitus est Salvatoris typus: idcirco Christiani agnum Cruci inscisum, vel depictum publice exponebant, *Append. 2. §. 7. §. Scriptores.*

Alba.

Alba, nempe vestis ad talos demissa, erat olim vestis profana, Clericis & civili, & sacro usui fuit, sed in usu sacro aliam adhibebant. Albæ substitutus fuit Rocchetti, & superpellicei usus, *l. 2. c. 7. n. 2. & 2.*

Alba dicitur etiam *Camisia, camisus, & camisile*, & aliquando etiam *linea dalmatica*; Græci *poderem* vocant a *podas*, idest pedes, ad quos protenditur. Itali *camice* a camicia. Linea esse debet, & albi coloris, olim eam viri magnæ dignitatis gestabant; & Clerici minores, qui nunc superpelliceo utuntur, *n. 6. & 7.*

Albæ mentio primum occurrit in Synodo Carthaginensi, *ib.*

Albæ in Sacello Pontificio, & in quorundam Regularium Ecclesiis manicas habent acu pictas, pectus autem, humeros, & lacinias phrygio opere variatas. *ib.*

Albis adhuc utuntur Ordinis Prædicatorum Alumni, *ib.*

Albas in Sacerdotum usum dono misit Rex Saxonum Templo S. Petri Romæ, *ib.*

Alba significat Christi conversationem in terris; vestem, qua ab Herode indui jussus est; & cordis puritatem, quam per Agni merita postulamus, *l. 2. c. 20. n. 4.*

Alba denotat etiam integram hominis justitiam, beatam æternitatem, aliaque plura. *ib.*

Alleluja.

Alleluja post graduale dicitur: vox est Hebraica ac significat *Laudate Dominum.* Ejus auctor David fuit, eamque Tobias etiam usurpavit. Habetur quoque in Apocalypsi, & e Cœlo in Ecclesiam deducta videtur, *l. 2. c. 5. n. 14.*

Alleluja juxta aliquos solum in Paschate, juxta alios aliis etiam diebus cani olim Romæ consuevit, *ib.* In alias linguas non est conversa propter ejus Sanctitatem. Canebatur in exequiis Christianorum, item ab Aratoribus, & pueris devotionis gratia, *n. 15.*

Alleluja quare omittitur a septuagesima ad sabbatum sanctum, in feriis Adventus, & in vigiliis, exceptis vigiliis Pentecostes, & Paschatis; & in festo SS. Innocentium, non tamen in ejus octava, aut si idem festum in Dominicam incidat, *n. 19.*

Alleluja est canticum æternæ vitæ. Lutherus vellet, ut per Quadragesimam, & in majori Hebdomada diceretur, *ib.* Sabbato sancto dici debet, & quare, *append. 11. tit. 1.*

Altare.

Altare debet esse lapideum, vel sacra petra instructum, pluribusque ornamentis compositum, *l. 2. c. 2. n. 1. & c. 3. toto.*

Altaris consecratio unde orta sit. *V.* consecratio.

Altaris usus antiquissimus est, *c. 2. n. 2.* & Christi Crucem, vel Christum ipsum significat, *n. 3. & n. 10.*

Altare in veteri lege e terra, vel ex lapide erat, atque ære obductum, *n. 5.*

Altaria primis Ecclesiæ sæculis erant lignea, uti patet ex ∞, super quo celebravit S. Petrus, quod Romæ, si fides habenda sit Arringo, asservatur in Templo S. Pudentianæ. *ib.* Incertum vero est, utrum etiam lapidea fuerint. An B. Silvester primus jusserit Missam in lapideis Altaribus celebrari, *n. 6.*

Altaria fuerunt lapidea prope finem sæculi sexti, quædam etiam argentea, & aurea, *n. 8.*

Altare olim unicum erat in singulis Templis, uti nunc apud Græcos; quod una, vel pluribus columellis sulciebatur, & sub hujusmodi Altari Vigilius Papa occubuit, *n. 11.*

Altaria Christianis non esse olim Gentiles exprobrarunt, neque Christiani contradixerunt, quia de Altaribus ad usum Ethnicorum loquebantur, *l. 1. c. 2. n. 3. & 4.*

Altaris locum subiit aliquando Martyrum pectus in vinculis, & manus Diaconorum. *ib.*

Altare aliud est hic apud nos visibile, aliud in Cœlo invisibile, *l. 2. c. 16. n. 24.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Illud vero Christi figura est, *c. 20. n. 23.*

Altaris dextera, & sinistra olim aliæ erant, ac nunc sunt, *cap. 4. n. 1.*

Altari mobili (ideſt Petra consecrata) Fratres Prædicatores, & Minores, & Episcopi ex privilegio in Jus Canonicum inserto olim ubique uti poterant, *l. 3. c. 6. n. 5.*

Altaris mobilis privilegium non Episcopis, sed Regularibus Tridentinum ademit: At Gregorius XIII. illud Missionariis Soc. Jesu concessit, *l. 3. c. 6. n. 4. & 5.*

Altaris mobilis usum extra propriam domum Episcopis Clemens XI. interdixit. At mox declaratum est, posse Episcopum eo uti, si tamquam hospes in Laici alicujus domo sit, aut Diœcesim visitet, aut iter faciat, aut de licentia Sedis Apostolicæ extra Diœcesim in aliena domo maneat, *l. 3. c. 6. n. 6.*

Altaris mobilis privilegio gaudent Cardinales, etiamsi Episcopi non sint, *ibid.*

Altare mobile non sufficit, ut Missa in mari celebretur, *n. 2. V. Navigium.*

Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata adhiberi non possunt a Græcis in Missæ celebratione, *append. 3. §. De Sacram. n. 17.*

Altare unum pluribus Sanctis dedicari potest, in cujus majori Tabula unus, aut plures Sancti pingi possunt, & alia addi potest similis Tabula minor, *append. 1. §. Equidem.*

Altari privilegiato concesso, Missa simul pro Defunctis decernitur, *l. 3. c. 23. n. 8.*

Altare ornatissimum jussu Joannis V. Lusitaniæ Regis Romæ extructum Benedictus XIV. consecravit, *append. 5. §. Dilectus.* Super ipsum celebravit, ac perpetuo privilegiatum declaravit. *§. 2.* Tum Lisbonam transmissum fuit cum facultate, ut Lusitaniæ Reges, Summi Pontificis nomine, quibuscumque Sacerdotibus facultatem dare possent quocumque die super eo celebrandi. *ib.* Iisdem Regibus, & Reginis, eorumque consanguineis, & affinibus usque ad tertium gradum Indulgentia plenaria concessa fuit, qui præmissa Confessione, & Communione ante idem Altare certas quasdam preces effuderint. *ib.*

Altare Pontificium dicitur, super quo præter Pontificem nemini, nisi eodem Pontifice permittente, celebrare licet, ejusmodi Altaria plura Romæ sunt, *ead. append. 5. §. 1.*

Altare, super quo Sixtus V. in S. Didaci Canonizatione celebravit, Philippo Regi Catholico idem Pontifex dono misit cum facultate, ut nonnulli quibusdam diebus super eodem celebrare possent, *ib.*

Amæ.

Amæ, vel Amulæ dicuntur ampullæ in Missa adhibendæ. Primæ forte a secundis distinguebantur, ac diversis usibus inserviebant. *l. 1. c. 5. n. 8.* Dubium vero est, an distinguerentur ab hamis, & hamulis, *ib.*

Ambrosianus ritus.

Ambrosianus ritus non a S. Ambrosio institutus, sed receptus, & auctus fuit: & Bononiæ, cum Archiepiscopo Mediolanensi subjecta esset, erat in usu, *l. 1. c. 3. n. 15.* Juxta hunc ritum Introitus Missæ *Ingressa* vocatur. *c. 4. n. 2.* Et Kyrie eleison dicitur post Gloria, post Euangelium, & in fine Missæ, *n. 8.* Duæ lectiones, ex veteri una, ex novo Testamento altera ante Evangelium leguntur. *c. 5. n. 11.* Dum aquam in Calice Ambrosiani infundunt, non dicunt, *Deus qui humanæ &c.* sed aliam orationem, *c. 10. n. 14.*

Ambrosianum Missale habet quoad substantiam orationem *Suscipe Sancta Trinitas &c.*, & juxta illud panis, & vinum separatim offeruntur. *lib. 2. cap. 11. n. 4.* Plurimæ sunt in eo Præfationes quibusvis festivitatibus, & temporibus accommodatæ, *n. 16.* In ejus Canone post Martyres mentio fit Confessorum. *c. 13. num. 24. & c. 18.*

Ambrosiani ante orationem Dominicalem, sicuti Latini pie præfantur, *Oremus &c. l. 2. c. 19. n. 1.* & in oratione, *Libera nos &c.* S. Ambrosium nominant. *n. 7.* Ambrosiani ritus libri habent hanc formulam: *Corpus tuum frangitur Christe*: quæ ex Berengarii confessione desumpta est, & significat species Sacramentales frangi, *l. 2. c. 20. an. 2. ad 8.*

Ambrosianus ritus in Eucharistia extra Missam ministranda utitur stola coloris rubri, *l. 3. c. 19. n. 1.*

Amen.

Amen vox Hebraica est. Invenitur in sacris paginis, & a Christianis antiquitus usurpata fuit, *l. 2. c. 5. n. 7.* Affirmationem, vel desiderium, vel consensum significat juxta rerum diversitatem, quibus additur, *ib.* Non est in alias linguas conversa ob ejus sanctitatem, *n. 15.*

Amen orationi Dominicæ additur apud Evangelistas, & in Missa, licet desit in S. Gregorii Sacramentario, fortasse quia dicebatur post orationem *Libera nos* &c. *l. 2. c. 19. n. 6.*

Amen respondebatur olim a populo in Missa post consecrationem in fine Canonis ad verba *per omnia sæcula sæculorum*, *l. 2. c. 23. n. 9. & seqq.* Nunc submissa voce a Sacerdote solum profertur interdum in Canone, *ib.*

Amen fraudulenter additum est singulis orationibus cujusdam Missalis Mediolanensis, *l. 2. c. 23. n. 19.*

Amictus.

Amictus a verbo *amicire*, qui sæculo octavo inductus fuit ad collum tegendum, in vetustis libris Anaboladium, ab aliis humerale appellatur, ac verosimiliter idem est, ac *Ephod* in veteri lege, *l. 2. c. 7. n. 4. & 5.*

Amictum super albam ponunt Maronitæ, & Ambrosiani, ut olim Græci, qui nunc eo non utuntur. Illum post albam, & cingulum non accipiunt Ambrosiani, & Canonici Lugdunenses: Reliqui vero illud sumunt antea, *ib.*

Amictu, qui nullas sericas, aureasque fimbrias habebat, olim caput obnubebant Sacerdotes, eoque in humeros rejecto, uti nunc Mendicantes faciunt, Missam incipiebant: nullus enim tunc erat birreti usus, *l. 1. c. 9. n. 1.*

Amictu caput opertum tenent nunc Presbyteri sæculares Parisiis usque ad secretas, Andegavi per hyemem, & æstatem usque ad Canonem, & post Communionem. Rupellæ hic mos diu servatus tandem obsolevit, *ib.*

Amictu caput Subdiaconi Episcopus obnubuit in ejus ordinatione, *ibid.*

Amictus significat, sacerdotes castigate loqui debere, item robur ad retundendendas diabolicas tentationes. juxta verba, quæ in amictus usu adhibentur, *l. 1. c. 10. n. 1. & 2.*

Amictus significat etiam velum, quo Judæi Christo faciem velarunt, & spineam coronam, immo Christum Deum sub humanitatis amictu absconditum, & alia plura, *l. 1. c. 10. n. 3.*

Ampullæ.

Ampullæ in Missa adhibendæ debent esse vitreæ, & quare *Amæ*, vel *Amulæ* appellantur, *l. 1. c. 5. n. 8.*

Anaboladium.

Anaboladium significat amictum. V. *Amictus.*

S. Andreas.

S. Andreas in Missa in Oratione *Libera nos &c.* nominatur, quia primus ad Apostolatum vocatus fuit, *l. 2. c. 19. n. 7.* Ejusque festum non secus ac B. Petri celebrandum erat, & officium partim ad Altare S. Andreæ, partim ad S. Petri erat peragendum, *n. 8.*

S. Andreæ caput Pius II. sibi ex Achaja missum tenera oratione excepit, *ib.*

Angeli.

Angelos post consecrationem Altare circumstare, ut Christum realiter præsentem adorent, Ecclesia Græca, & Latina semper crediderunt, *l. 2. c. 15. n. 26.*

Angeli nomine, per quem oblata in conspectum Divinæ Majestatis perferri in quarta Canonis oratione petimus, potest Jesus intelligi, qui vocatur magni consilii Angelus, *l. 2. c. 16. n. 25.*

Antiphona.

Antiphona alternum cantum Græce significat, a quarto autem sæculo mos invaluit, ut psalmi alternatim canerentur, & psalmi pars præsenti actioni conveniens præcineretur. *lib. 2. cap. 3. n. 2.*

Antiphona *Introibo &c.* initio Missæ est accommodatissima, *ibid.* Antiquus est ejus usus, eamque S. Pius V. ab omnibus recitari jussit, *n. 9.*

Antiphona in Introitu post *Gloria Patri* repetitur, Ambrosiani vero solum in Mortuorum Missa, quædam autem Ecclesiæ & Carmelitæ ter repetunt, *l. 2. c. 4. n. 3.*

Antiphona vero, seu Responsorium, quod nunc est Offertorium in Missis defunctorum, olim legebatur, cum ægrotus esset morti proximus, *c. 9. n. 4. V. Offertorium.*

Apostoli.

Apostoli quas vestes pro Sacrificio adhibuerint. V. *Vestes.* Quo idiomate Missam celebraverint. V. *Missa.* Linguа. Canonem composuerunt. V. *Canon.* Post B. Virginem in Canonæ Missæ memorantur, cum sint Ecclesiæ Columnæ, iisque S. Paulus additur, & quare, *l. 2. c. 13. n. 22.*

Apostoli nullam fortasse liturgiam condiderunt, sed suam doctrinam Episcopis tradebant, quos ordinabant, *l. 2. c. 19. n. 3.* In triduo Passionis Christi Sacrificium non fecerunt. sed si fecissent, quæstio est, cujus rationis illud esset, *append. 2. §. Ut omittamus.*

Apostoli primum Sacrificium probabilius in Pentecoste celebrarunt, *append. 2. §. Inter.* Et peculiares vestes in eo adhibuerunt. *§. Hac disputatione* Item super Altare celebrarunt. *§. Nos hanc.*

Apostoli, & qui iis proxime successerunt, Missam quotidie celebrabant, *l. 3. c. 2. n. 9.*

Apostolicæ constitutiones sæculo IV. collectæ creduntur, *l. 2. c. 23. n. 17.*

Applicatio.

Applicari Missa pluribus modis potest. Triplex autem est Sacrificii fructus, generalissimus, specialissimus, & medius, qui iis applicatur, pro quibus Sacrificium offertur, *l. 3. c. 8. n. 1.*

Applicare Missam populo diebus Dominicis, & festis de præcepto tenentur qui animarum curam actu exercent, *l. 3. c. 8. n. 2. append. 7. §. 2.*

Applicatio fieri etiam debet festis diebus, quibus Populo permissum est, ut audita Missa operibus servilibus vacet, *append. 7. §. 7.*

Applicare Missam festis diebus potest Parochus, si pauper sit, ei, a quo eleemosynam accepit, dummodo infra hebdomadam populo aliam Missam applicet, *l. 3. c. 8. n. 2. & append. 7. §. 8.*

Applicanda est Benefactoribus generatim Missa Conventualis in Cathedralibus, & Collegiatis quotidie cantanda; & si Ecclesiis adnexa sit animarum cura, alia præter Conventualem Missa supradictis diebus celebranda est, ejusque fructus populo applicandus, *eod. c. 8. n. 3. & ead. append. 7. §. 11., & seqq.*

Applicare Missam Conventualem quotidie non tenentur Ecclesiæ, quæ non sunt veræ Collegiatæ: Cathedrales, & Collegiatæ pauperes impetrare possunt facultatem, non applicandi illam diebus feriatis, *ib.* Si Missa Conventualis ab Ecclesiæ Beneficiatis, aut Mansionariis celebretur, eleemosynam accipient ex massa distributionum, *append. 7. §. 7.*

Applicanda est pro Benefactoribus in genere prima ex duabus, aut tribus Missis Conventualibus, quæ in aliqua ex dictis Ecclesiis quotidie celebrantur; secus vero reliquæ, nisi consuetudo aliud suadeat, & dummodo in commemoratione Defunctorum mentio fiat in genere Benefactorum, *append. 7. §. 10. & seq.*

Applicari pro anima sua Missam voluisse præsumendum est Beneficii,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

neficii, aut Cappellaniæ fundatorem, si onus celebrandi imposuit, & de Missæ applicatione pro anima sua siluit. *l. 3. c. 9. n. 1. & 2.* Idem dicendum est, si jussit in Missa pro se orari, *n. 3.* Si vero certum Missarum numerum sibi applicari jussit, de reliquis vero siluit, nulla est obbligatio has reliquas pro eo applicandi. *ib.*

Applicari sibi Missam nolluisse, sed solum sui commemorationem ad *Memento* fieri præsumitur eum, qui aliquas Cappellanias instituit cum onere Missæ sibi, aut suis Defunctis applicandæ, aliam vero instituit cum onere, ut Cappellanus pro anima sua oret. *ib.*

Applicatio Missæ facta alicui a Sacerdote celebrante valet, licet ejus Superior alteri applicari eam jusserit. *l. 3. c. 9. n. 4.*

Applicare tenetur Missam, qui eleemosynas accepit, & tot Missas applicare debet, quot juxta taxam Diœcesanam ex illo eleemosynarum cumulo resultant. *l. 3. c. 9. n. 5.* Eleemosynam integram, licet taxa majorem, quam accepit, tradere alteri Sacerdoti debet, qui Missam celebrandi onus ei committit. *ib.*

Applicare uni fructum Sacrificii satisfactorium, ac proinde pro una Missa duplicem eleemosynam accipere non licet, sicuti neque licet accipere eleemosynam pro applicando fructu specialissimo, aut pro applicanda Missa alicui iis diebus, quibus aliunde est alteri applicanda. *l. 3. c. 9. n. 5.* Licet autem pro applicatione eleemosynam accipere, quando celebrandi duntaxat onus habetur. *n. 6.*

Applicare, & celebrare Missam tenetur statuto tempore, qui pro ea tunc celebranda eleemosynam accepit; secus ad restitutionem tenetur, *l. 3. c. 9. n. 8.* Non licet tamen Sacerdoti Missam celebrare juxta ejus intentionem, qui sibi primus eleemosynam præbuerit neque ei applicare, quem Deus probe novit ab illo petiturum Missæ celebrationem, & applicationem, *n. 7. & 8.*

Qui ratione Beneficii, aut Cappellaniæ tenetur duas, vel tres Missas in singulis hebdomadis celebrare, potest celebrationem Missarum unius hebdomadæ in antecedentem hebdomadam anticipare, nisi ex circumstantiis colligatur aliam fuisse Institutoris mentem, *ib.*

Applicare potest aliis Missam die commemorationis omnium Defunctorum, qui onus habet applicandi Missam quotidianam, *l. 3. c. 9. n. 9.* Die vero Nativitatis Christi, qui curam animarum habent, tres Missas celebrare debent, sed indecisum est, an illas Populo applicare teneantur. *ib.*

Applicationem Sacrificii pro certis personis tutius est a Sacerdote fieri, antequam ad Altare accedat: ad id autem sufficit habitualis intentio. *l. 3. c. 16. n. 8.*

Applicatio juxta aliquos fieri potest ante consecrationem, vel etiam ante sumptionem, tutius fit in præparatione ad Missam. Hæc applicanda primum est ei, ad quem aliquo titulo pertinet: mox alii sine ejus præjudicio potest applicari. *l. 3. c. 16. n. 9.*

Applicare possunt Missam, cui voluerint, & pro ea eleemosynam accipere, qui in Ecclesia Orientali, vel Occidentali Episcopo concelebrant, præsertim si sacris vestibus induti totam Missam recitent, conficerent, & consument. *l. 3. c. 16. n. 10.*

Si usitatis vestibus Missæ adsint, & Eucharistiam accipiant, eleemosynam accipere possunt, sed non titulo applicationis. *ib.*

Applicare Missam, in qua ordinantur, possunt sacerdotes cum Episcopo ordinante celebrantes, non tamen eleemosynam accipere, *ibid.*

Applicationem specialem sacrificii danti eleemosynam Walfridus Strabo perperam improbavit, *c. 22. n. 6.*

Aqua.

Aqua in Missa vino miscenda debet esse mundissima, *l. 2. c. 10. n. 4.* Eam, ut Patres tradunt, Christus cum vino adhibuit, dum Eucharistiam instituit, & adhibendam esse Liturgiæ orientales præscribunt, *n. 5. & 6.*

Aquam Christus adhibuit, ut sobrietatis exemplum ostenderet, Judæi vero eam vino in cœna Paschali, & in aliis admiscere solebant & quare. *ib.*

Aquæ, & vini mixtionem in sacrificio Hæretici sustulerunt, eam tamen non improbant fatentes in Ecclesia Occidentali, & Orientali semper fuisse usurpatam. Aquarii sola aqua in Missa utebantur, Armeni vero Hæretici, ab ea prorsus abstinebant, *n. 7. & 8.*

Aqua admiscenda vino est in Missa ex præcepto Ecclesiastico, non tamen Divino, neque ex necessitate sacramenti, & hæc mixtio significat Populum Christo adunatum, & mysterium Incarnationis, & aquam, & sanguinem, quæ de ejus latere fluxit, *ib.* & *l. 2. c. 10. n. 7. 8. 13.* & *seqq.*

Aquam in Missa privata Sacerdos manibus suis in Calicem infundit, in solemni Subdiaconus, *ib.* Armenis in unionem cum Romana Ecclesia venientibus, non permittitur, ne aquam vino affundant in Missa, & quare, *n. 9.*

Aquam Græci bis in Calicem infundunt, frigidam ante Missam, calidam post consecrationem, additis quibusdam orationibus, idque significat, Spiritum Sanctum, qui igni comparatur, in hominum corda, & mentem delabi: neque hic ritus improbatur. *l. 2. c. 10. n. 10. & Append. 3. 9. De Sacramento n. 11.*

Aquam nonnulli Regulares cum vino in Calicem ante Missam infundunt, & quare. *l. 3. c. 19. n. 10.*

Aqua olim in modum Crucis in Calicem injiciebatur: nunc signo Crucis benedicitur ante infusionem, & significat Populum, qui non ab omni peccato purus benedictione indiget. *l. 2. c. 10. n. 11.* Oratio *Deus qui humanæ* &c. quæ in hac benedictione adhibetur, quædam præclarissima continet. *n. 12.*

Aqua in majori quantitate vino admixta, vinum non remanet materia pro Sacrificio idonea. *l. 3. c. 10. n. 15. 16.* V. *Vinum.*

Aquam vino admixtam nonnulli putarunt in aquam converti, quæ a Christi latere fluxit, sed probabilius in sanguinem convertitur. *lib. 2. cap. 35. num. 24.* Nec videtur opus esse, ut prius in vinum, quam in sanguinem converratur. *n. 25.*

Arca.

Arca olim in Christianorum Templis erat, in quam Fideles pecuniam inferebant. *l. 3. c. 22. n. 3.* V. *Pecunia.*

Arcani.

Arcani disciplina primis Ecclesiæ temporibus exigebat, ut Sacramentorum formæ, præsertim consecrationis panis, & vini, secreto custodirentur, & proferrentur. *l. 2. c. 23. n. 12. & 21.*

Archigymnasium Bononiense.

V. *Bononia.*

Armeni.

Armeni Hæretici solum vinum in Missa adhibere dicuntur, ut ostendant unam tantum esse in Christo naturam, *l. 2. c. 10. num. 9.* V. *Aqua.*

Attentio.

Attentio debita in Missa celebranda requiritur, *l. 3. c. 24. toto.* Is vero, qui attente persequitur animo, & quæ dicit, si postea non recordetur, se dixisse, quæ dicenda sunt, non turbetur. *c. 16. n. 16.*

Avaritia.

Avaritia detestabilis est in Laicis, sed detestabilior in Clericis, præsertim quoad Sacrosanctum Missæ Sacrificium. *l. 3. c. 9. n. 8. & c. 22. n. 15. & Append. 4. sparsim, & præsertim in epist. ad Pontif.*

Azymus.

Azymus, vel fermentatus panis feria V. in Cœna Domini quando fit adhibitus. *Append. 11. in tit. 1.*

In azymo Christus consecravit, *l. 2. c. 10. n. 8.*

B

Benedictio.

Benedicamus Domino in fine Missæ dicitur in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ ad significandam ejus temporis mœstitiam, *l. 2. c. 24. n. 3.* Cum illud Sacerdos dicit, ad Altare quare revertitur. *n. 4.*

Benedictio, gratiarum actio, & consecratio in Canone an idem sint? V. *Consecratio.* Tria Crucis signa in prima Canonis oratione benedictiones sunt. V. *Crux.*

Benedictio nunc usitata, dum aqua in Calicem infunditur, paululum diversa est ab antiqua, *l. 2. c. 10. n. 11.* Non adhibetur super vinum, quia hoc significat Christum Benedictione non indigentem, *ibid.*

Benedictiones, quæ super Hostiam, & Calicem in Missa fiunt ante consecrationem, suum habent effectum; post consecrationem vero non referuntur ad Corpus Domini, sed ad eos, qui illud sumpturi sunt, ut idem digne suscipiant; aut si Corpus Christi respiciunt, gratias exprimunt, quibus illud abundat, & quas in nos effundere cupit, *l. 2. c. 16. n. 5.*

Benedictiones verius non sunt signa Crucis, quæ super corpus & sanguinem Christi fiunt, *l. 2. c. 16. num. 6.* Aut si benedictiones dici possint, nullam rei benedictæ mutationem afferunt, *n. 8.*

Benedictiones in sacris paginis aliæ sunt efficientes, quæ effectum producunt, aliæ affectivæ, quæ ab affectu seu desiderio benedicentis prodeunt, *l. 2. c. 16. n. 8.*

Benedictio novorum fructuum olim in Missa fiebat post ea verba ultimæ Orationis Canonis, *Largitor dimitte*: olim quoque novæ fruges in Ascensione Domini, nova poma in Festo S. Jacobi, novæ uvæ in Festo S. Xysti a Lectoribus benedicebantur, nunc vero hæ benedictiones non in Missa, sed post eam, & a solis Sacerdotibus fiunt, *l. 2. c. 18. n. 10.* Pro his benedictionibus peculiaris erat oratio, & illa verba, *per quem hæc omnia, &c.* etiam ad res benedictas referebantur. *n. 11. 12.*

Benedictionem Sacerdos Populo impertitur, cum post fractionem Hostiæ dicit *Pax Domini &c. l. 2. c. 10. n. 13.* Olim hæc Benedictio dabatur ante eadem verba *Pax Domini &c.* & Episcopalis apud Scriptores appellatur, quod ad Episcopos tantum pertineat, sed apud Mozarabes, & olim in Gallicana Ecclesia non solum Episcopi, sed etiam quivis Sacerdos celebrans eam impertiebatur, *n. 14.*

Benedictio in fine Missæ terno Crucis signo Populo ab Episcopis datur, quæ Episcopalis benedictio vetustissima est. Abbates Regulares ex privilegio idem faciunt in Missis Pontificalibus tantum. *l. 2. c. 24. n. 6. & 7.*

Benedictionem hanc quare Carthusiani non dant in Ecclesiis sui Ordinis. *ib.*

Benedictionem in fine Missæ Sacerdotes, alii dare cœperunt Sæculo XI., & quidem terno Crucis signo, & in Missa etiam Defunctorum, in qua nunc omittitur, etiamsi in ea aliqui de populo communicent, *ib. l. 3. c. 18. n. 11.*

Benedici a quo debeant sacræ vestes. V. *Vestes.*

Benedictus.

S. Benedictus hymnum *Gloria in excelsis* in laudibus recitari jussit, *l. 2. c. 4. n. 12.*

BENEDICTUS XIV. suis litteris Apostolicis 30. Jun. 1741. districte vetuit, ne in una Diœcesi pingues eleemosynæ pro Missis celebrandis capterentur, & imminutæ in alias Diœceses transmittantur, in quibus Missæ pro minori stipendio dicuntur, *l. 3. c. 22. n. 25.*

Idem Benedictus XIV. ad pias Ferdinandi VI. Hispaniarum, & Joannis V. Lusitaniæ Regum preces Sacerdotibus in eorumdem Regum ditionibus commorantibus permisit, ut die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Missas celebrare possint: voluit tamen, ne pro secunda, ac tertia Missa eo die celebranda eleemosynam quoquo modo recipiant. *Append. 4. ad Lect., & in Epist. ad Pontif. per tot.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Benedicti XIV. Opera rerum Theologicarum ærarium appellari possunt. *In Epist. Præsul. Conimbr. ad calc. hujus operis.* In iis aliorum Auctorum mentionem faciens, quæ laude digna sunt, laudat; quæ vero oppugnanda, mira animi moderatione oppugnat, *Append. 4. Epist. ad Pont. §. Hæc omnia.* Si vero Heterodoxos Auctores aliquando nominat, eos maledictis non proscindit, *Append. 83. in 1. præfat. ad Lect.*

Benedictum XIV. multæ impulerunt justissimæ causæ ad scribendum de Festivitatibus, ac de Sacrificio Missæ, *Append. 13. in ejusd. præf. n. 2. & 3.*

Benefactores.

Benefactoribus in genere Missa Conventualis applicanda est. V. *Applicatio.*

Beneficium.

Beneficium, vel Cappellaniam habentes, si Missam per se ipsos celebrare non teneantur, curare debent, ut Missa per alium celebretur, *l. 2. c. 3. n. 5. & 6.* Qui vero tenentur per se ipsos celebrare, possunt interdum ex legitima causa celebrationem omittere; sed tunc non licet eis pro alio celebrare, multoque minus eleemosynam accipere. An autem debeant per alium supplere, adhuc incertum est, *ib. & n. 7.* Ob Beneficium, vel Cappellaniam diversa oritur obligatio Missam applicandi. V. *Applicatio.*

Berengarius.

Berengarius vel realem Christi in Eucharistia præsentiam, vel panis in Christi corpus conversionem negavit, *l. 2. c. 15. n. 27.* In Concilio an. 1159. coacto confessus est, in Sacramento Altaris *verum Corpus Christi esse.... manibus Sacerdotum frangi, & Fidelium dentibus atteri c. 20. n. 4. & seqq.* Sed fractio, & attritio de speciebus Sacramentalibus est intelligenda, *ib.*

Berno.

Berno Abbas nimis audacter improbavit, hymnum *Gloria in excelsis* &c. olim a Presbyteris in Paschate duntaxat dici potuisse, *l. 2. c. 4. n. 13.* V. *Gloria.*

Bessarion.

Bessarion Cardinalis in Concilio Florentino explicuit, quid Græci intelligant per verba, quibus post consecrationem orant Deum, ut panem, & vinum immutet in corpus, & Sanguinem Christi. *l. 2. c. 15. n. 18.*

Birretum.

Birretum vestis est, quæ corpus tegit, *l. 1. c. 9. n. 1.* Romæ, & alibi nullus erat Birreti usus Sæculo nono, sed amictu caput obnubebatur. *ib.*

Birretum inde ortum est, quod Pileolo ante usitato, pannum subsui cœperit quatuor, vel tribus cuspidibus excitatis. *lib. 1. c. 9. n. 2.* Verti commentum super hoc refertur. *n. 1.*

Bononia.

Bononia juris Pontificii sedes fuit: & in ea Gratiani Decretum fuit compositum, *post Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 7.* In Bononiensi Archigymnasio morem invaluisse nonnulli putant gradus Baccalaureati, & Doctoris conferendi. *ibid.* Omnes Decretalium collectiones, quæ Apostolica Auctoritate prodierunt, ad idem Archigymnasium directæ fuerunt. *n. 8. & 9.*

Bononiæ Magistratus privilegia quædam Professoribus, & Discipulis Archigymnasii ademerunt, quos propter Honorius III. redarguit. *n. 9.*

Bononia diu Canonum magis, quam Theologiæ studia coluit. Sed Innocentius VI. Theologorum Collegium in illius Archigymnasio erexit, quamquam initio parum, postea vero multum Theologia ibidem floruit. *n. 12.*

Bononia doctissimis Philosophiæ Magistris abundat; sed expediret, ut in ea Historiæ Sacræ Academia institueretur. *n. 17. & seq.*

In Bononiensi Metropolitana Ecclesia, cum Benedictus XIV. tunc Cardinalis eam regendam suscepit, nullus erat Canonicus, qui Theologica dogmata explicaret. Idcirco idem Benedictus opus de Festis, ac de Missæ Sacrificio composuit. *Append. 13. in 1. præf. ad Lect. & seq. n. 2. & 3.*

Brachium.

Brachium sinistrum vitam præsentem significat, & in eo Manipulus gestatur, & quare. *l. 3. c. 10. n. 6.*

Brachia in modum Crucis extensa olim in Canone nonnulli elevabant, ut Passionem Christi denotarent, uti nunc Regulares quidam faciunt, quod tamen ab Ecclesia Romana nunquam fuit usurpatum. *l. 2. c. 16. num. 4.*

Bursa.

Bursa Corporale continens *Pera* etiam dicitur. Hispani sine illa Corporale ex privilegio ferre possunt. *l. 1. c. 5. n. 7.*

C

Calix.

CAlix in Missa adhibendus aureus, vel argenteus intus auratus, vel saltem stanneus esse debet, pluribusque ad sacrificium necessariis instruendus est. *lib. 1. cap. 4. n. 1. Et Append. 3. §. De Sacramento n. 20.* Ab Episcopo consecrandus est, & quare. *eod. l. 1. c. 4. n. 2.*

Calicem a profano ad sacrum usum Christus in ultima cœna traduxit. Qui a Christo abhibitus fuit, Hierosolymæ temporibus Bedæ asservabatur: incertum tamen, an fuerit argenteus *l. 1. c. 4 n. 3.*

Calicis lignei, & vitrei usus ad Caroli Magni, vel Gregorii Turonensis tempora duravit. Zephirinus Papa aureos, & argenteos introduxisse dicitur, cujusmodi fuere etiam temporibus persecutionum, gemmis, & pictutis ornati. *l. 1. c. 4. n. 4. ad 8.*

Calix Baptismi erat, quo baptizati sanguinem Christi sumebant: Calix *ministerialis*, seu scyphus, qui Fidelibus sub specie vini communicandis adhibebatur; huic fistula addebatur, ut Laici sanguinem exsorbere possent: antiquum fuisse nonnulli putant, ut a Sacerdotibus facile manu teneretur, *l. 1. c. 4. a n. 9. ad 12.* Dum Pontifex in Missa communicabat, pars Sanguinis in Calicem ministerialem vino communi plenum infundebatur, & quare. *n. 10.*

Calices duos Armeni in Missa adhibent. *l. 1. c. 4. n. 11.* Et duos Calices S. Bonifacius adhibuit, qui describuntur. *n. 12.* Calix sepulcrum Christi significat. *l. 1. c. 5. n. 3.*

Calix Palla operitur, ne quid in eum decidat, ac perinde mysterio caret. *l. 2. c. 10. n. 19.* Quomodo super Altare locandus sit. V. *Hostia.* Apertus, non tectus est elevandus. *c. 25. n. 29.* V. *Elevatio.* Purificatio post communionem non est Populo in Calice exhibenda, & quare. *c. 22. n. 3.* V. *Communio.*

Calicis usus non celebrantibus nunc interdictus est. *l. 2. c. 21. a n. 18. ad 29.* Eundem tamen iisdem concedere ad disciplinam pertinet. *n. 30.* Ecclesia vero semper voluit, ut ii, qui usum Calicis postulassent, primum profiterentur, se credere totum, & integrum Jesum tam sub una, quam sub altera specie contineri. *n. 31.*

Calicis usus aliquando pro Laicis postulatus fuit, ut in Concilio Tridentino, & interdum etiam concessus, præcipue, ut Hæretici ad Fidem Catholicam revocarentur; at mox concessiones revocatæ sunt. *l. 2. c. 22. n. 31.*

Calvinus.

Calvinus Templorum consecrationem temere irridet. V. *Templum.* Ejus sectarii vino sine aqua in Missa utuntur. *l. 2. c. 10. n. 9.*

Camisia.

Camisia, Camisus, & Camisile idem sonant, ac Alba. V. *Alba.*

Campanula.

Campanula ad verba *Sanctus &c.* post Præfationem in Missa pulsatur, ut astantes ad devotionem excitentur. Hujus consuetudinis origo ignoratur, ritus tamen retinendus est. *l. 2. c. 21. n. 19.*

Campanula nunquam pulsatur in Sacello Pontificio, cum Papa privatam Missam celebrat, vel private adest. *ib.* Alibi vero ad elevationem pulsatur, ut sic mentes Fidelium ad orationem excitentur. *c. 23 n. 32.*

Candela.

Candela ante elevationem in Missa accenditur, nec nisi post sumptionem extinguitur. *l. 2. c. 15. n. 26.*

Canon idem est ac regula. Quare Canon Missæ est firma regula celebrandi Sacrificium novi Testamenti. Aliis nominibus apud veteres appellatus fuit: Actio etiam dictus est, quod in eo Sacramenta Dominica conficiantur. *l. 2. c. 12. n. 2.*

Canon incipit ab oratione *Te igitur &c.* ac submissa voce dicitur usque ad Orationem Dominicalem. *l. 2. c. 12. n. 2.*

Canonem nonnulli Gelasio I., S. Gregorius cuidam Scholastico tribuit. Incertum est, utrum *Scholasticus* hic sit nomen proprium, an appellativum; & utrum totum Canonem, an partem composuerit. *l. 2. c. 12. n. 2. & seqq.* Si S. Gregorius Scholastici nomine Virum doctum intelligat, de Apostolis, eorumque proximis successoribus accipiendum est, quibus illud nomen congruere potest, *n. 8.* Si nomen illud sit proprium, de parte duntaxat, sive de dispositione verborum Canonis locutum fuisse S. Gregorium dici potest. *ibid.*

Canonem ab Ecclesia antiquitus institutum esse, Tridentinum docet, eumque ex verbis Domini, & Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum Pontificum institutionibus fuisse compositum. *l. 2. c. 12. n. 6.*

Canon vetustissimus est, & Sæculo quarto anterior. *l. 2. c. 12. n. 7.* Ex Apostolica traditione in consecratione Calicis inserta sunt verba, *Mysterium Fidei*, & *Æterni* quæ in Evangelio non continentur, ei tamen conveniunt: ficuti quod dicitur Christus in consecratione oculos ad Cœlos elevasse, quod ab eo factum fuisse verisimile est. *n. 9. & seqq.*

Canoni S. Leo addidit *S. Sacrificium, immaculatam Hostiam*, non integram orationem, *supra quæ propitio &c.* S. Gregorius illa verba inseruit, *dieisque nostros in tua pace disponas* usque ad *Grege numerari*, & nomen S. Agathæ, & aliarum Virginum. *n. 11.* Post S. Gregorium M. nihil Canoni additum est. *n. 12.*

Canoni Gregorius Tertius pauca addidisse dicitur, sed pro Missis duntaxat celebrandis in Oratorio omnium Sanctorum, quod ipse extruxerat, & Innocentius Tertius dicitur non improbasse quasdam additiones in Missali Monasterii S. Dionysii in Gallia, *ib.*

Canonis oratio *unde & memores Domine*, non est tribuenda Alexandro I., cum ipse Dominus prior jusserit commemorationem fieri suæ passionis. *ib.*

Canon plures orationis continet. Vid. *Oratio.*

Canon Missæ in ea ultimæ orationes verba definit. *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ Sacerdos elata dicit voce Populum invitans, ut consensu suo confirmet, quæ ipse omnium nomine a Deo postulavit, & Populus consentit, dicens, *Amen l. 2. c 18. n. 16.*

Canon totus submissa voce recitandus est. *c. 23. toto.* V. *Secreta.*

Canonum antiquæ collectiones a Scholis relictæ fuerunt, cum Gratiani decretum Bononiæ in lucem prodiit, *post Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 7.*

Sacrorum Canonum studium Bononiæ sedem habuit. *ib.*

Canonum collectiones omnes, quæ Apostolica auctoritate emanarunt, ad Bononiense Archigymnasium directæ fuerunt, & quænam sint ex collectiones, & quinam earum auctores *n. 8. & 9.* Collectio vero Gregorii IX. etiam ad Magistros, & Auditores Parisienses directa fuit. *n. 9.*

Canonici Juris Interpretes, & Magistri celeberrimi Bononiæ vel nati sunt, vel floruerunt. *n. 10.*

Sacri Canones olim idem ac Theologia reputabantur, postea ab ea diviti fuerunt; verum Canonum perito sæpe principia Theologica perneceſſaria sunt. *n. 1[illegible]*

Canoniſtis Hiſtoriarum cognitio utiliſſima eſt. *n.* 13.

Canonici.

Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum tenentur quotidie Miſſam Conventualem celebrare, & pro Benefactoribus generatim applicare. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 4. *&* *c.* 8. *&* 9. V. *Conventualis Applicatio.*

Canonici quicumque in Choro pſallere debent, nec muneri ſuo ſatisfaciunt, ſi ſolum aſſiſtant, cæteriſque pſallentibus, ipſi taceant. *Append.* 7. §. 24.

Cappellania.

Cappellaniam habentes cui Miſſam applicare debeant, & quando illam omittere poſſint. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 6. V. *Beneficium.*

Capuccini.

Capuccinis olim vetitum erat, ne in quacumque neceſſitate Sacerdoti non ſui ordinis peccata ſua confiterentur. *l.* 5. *c.* 2. *n.* 8. *n.* 323. Sed Benedictus XIV. illis nuper facultatem conceſſit peccata etiam reſervata confitendi, & abſolutionem etiam a cenſuris accipiendi a quocumque Sacerdote ad Confeſſiones approbato, cum onere tamen quoad caſus reſervatos, & cenſuras, ubi primum potuerint, coram Superiore ſeſe ſiſtendi, & novam abſolutionem recipiendi. *ib.*

Carthuſiani.

Carthuſiani olim nil pretioſum habere poterant præter Calices argenteos. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 12. *n.* 26. Ab Eccleſia Gratianopolitana Miſſale acceperunt. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. *n.* 124. In fine Miſſæ non dant benedictionem. V. *Benedictio*. Olim die tantum Dominico Miſſam celebrabant. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. *&* 9. *n.* 166. *&* 269.

Cathecumeni.

Cathecumenorum Miſſa erat ea Miſſæ pars, quæ uſque ad ſermonem protendebatur, nam tunc Cathecumeni, & Pœnitentes dimittebantur: *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9. *nu.* 101. Aliquando ante Evangelium dimittebantur. *ib.* Dicebatur vero Miſſa Cathecumenorum, quia major erat eorum, quam pœnitentium, & Energumenorum numerus, *n.* 10.

Cathecumeni olim in Vigiliis Paſchæ, & Penteceſtes baptizabantur, albiſque induti veſtibus Miſſæ aderant, & Euchariſtiam recipiebant. *c.* 14. *n.* 1. Symbolum, & orationem non prius docebantur, quam ad ſuſcipiendum Baptiſma ſatis inſtructi eſſent, & ante quam hoc ſuſciperent, illa publice recitabant. *c.* 19. *n* 4.

Cathecumeni, & Infideles horis Canonicis, non Miſſæ poſt Evangelium adeſſe poterant. *ib.*

Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum.

Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Clerus Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus celebrare, & applicare debet. *l.* 3. *c.* 3. *nu.* 4. V. *Conventualis Applicatio.*

Celebratio Miſſæ.

Celebrationem Miſſæ frequentem & quotidianam quidam non approbant. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. *n.* 263. Eamque dicunt neque auctoritati, neque veteri diſciplinæ, neque rationi conſentaneam eſſe. *ib.* *&* 3. *&* *ſeqq.* Sed demonſtratur oppoſitum. *ib.* Celebratio quotidiana magis conſentanea eſt Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ ſenſui. *ib.*

Celebrare tam frequenter debent Sacerdotes, qui curam animarum habent, ut muneri ſuo ſatisfaciant: alii diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, vel ex peculiari circumſtantia etiam aliis diebus celebrare tenentur. *l.* 3. *c.* 1. *a. n.* 4. *ad* 9. ſed non ſatis exploratum eſt, an lethaliter peccet, qui iis diebus non celebret. *ib.*

Celebrationem qui per totum annum, aut peculiari occurrente circumſtantia omitteret, lethaliter peccaret. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 10. neque in Confeſſione abſolvi poſſet, qui conſtituiſſet nunquam per annum celebrare, etiamſi id faceret, quia in peccatum ſæpe laberetur. *ib.*

Celebrari Miſſa ubi & quando debeat. V. *Templum. Oratorium. Altare. Navigium. Hora.*

Celebratio Miſſæ aliquando anticipari poteſt. V. *Applicatio.* Plura requiruntur ad validam, & licitam Miſſæ celebrationem. Vid. *Validitas. Licita Miſſæ celebratio. Miſſa.*

Celebrans Miſſam debet eſſe in gratia, jejunus, & alia requiſita habere. V. *Miſſa. Sacerdos. Peccatum. Jejunium.*

Charitas.

Charitas cæteris virtutibus præſtat, operit multitudinem peccatorum, ac per Planetam ſignificatur. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 9.

Chriſtiani.

Chriſtiani olim fratres, ſorores ſe invicem appellabant. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 9.

Chriſtiani omnes olim ab aliquibus appellabantur Sacerdotes, quia omnes panem, & vinum ad Altare Dei offerebant. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 1.

Chriſtus.

Chriſtus dum Euchariſtiam inſtituit, aquam vino miſcuit. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Oculos tunc ad Cœlum elevaſſe admodum veriſimile eſt, ſicut elevavit, cum Lazarum ſuſcitavit, & panes, ac piſces multiplicavit. *c.* 12. *n.* 10.

Chriſti meritis non detrahit interceſſio Sanctorum, quæ per ipſum virtutem habet. *c.* 13. *n.* 25.

Chriſti Sanguis pro omnibus quo ad ſufficientiam, & pro ſolis electis quo ad efficaciam effuſus eſt. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 11.

Chriſtus in Euchariſtiæ Sacramento cultu Latriæ adorandus eſt. *n.* 26.

Chriſtus per illa verba, *Hæc quotieſcumque &c.* quæ poſt conſecrationem dicuntur, juſſit, auguſtiſſimum Myſterium a Sacerdotibus celebrari. *c.* 16. *n.* 1.

Chriſti Paſſio in quarta Canonis oratione diſerte commemoratur. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 4. Idque non Alexander I., ſed ipſe Chriſtus fieri juſſit. *c.* 22. *n.* 32.

Chriſtus fuit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſecundum ordinem Aaron, & quare. *c.* 26. *n.* 18.

Chriſti Corpus in quolibet hoſtiæ fragmento integrum eſt, & ſub qualibet particula integrum ſumitur. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 7. 8. Et poſt conſecrationem ſub accidentibus, ſeu ſpeciebus panis, & vini ſubeſt corpus, ſanguis, anima, & divinitas ejuſdem Chriſti. *n.* 5.

Chriſti corpus frangi, & manducari dicitur ſecundum ſpeciem ſacramentalem; & per communicationem idiomatum dici poteſt, quod frangatur Chriſti corpus. *n.* 6. & 7. Hæc difficulter explicari poſſunt ab iis, qui corporis naturam in magnitudine ponunt, & vera, atque abſoluta accidentia non admittunt. *n.* 8.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus ubi ait: *Fruſtra habetur oblatio quotidiana, cum nemo ſit, qui participet*, non aſſeruit, Miſſam non eſſe quotidie celebrandam ex eo, quod quotidie aſtantes non communicent. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 13. *&* *ſeqq.*

Cingulum.

Cingulum, quod & *Balthcum*, ſeu *Zona*, & apud alios *Abner* dicitur, tertia eſt ex ſacris veſtibus. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8.

Cingulum olim adhibebatur ab iis, qui veſtibus amplis utebantur; diſcincti enim apud Judæos, & Romanos tanquam otio, luxui, & deliciis dediti habebantur. *ib.*

Cingulum ſacerdotale circa renes, non circa pectus circumduci debet, ejuſque uſus antiquus eſt. *ib.*

Cingulum ſacerdotale continentiam ſignificat, vel etiam funem, quo Jeſus in horto alligatus fuit. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 5.

Clauſula.

Clauſula *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* ab Apoſtolis derivata eſt. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 6.

Clerus.

Clero Hiſpano, atque Luſitano a Benedicto XIV. conceſſum eſt, ut die commemorationis omnium fidelium defunctorum tres Miſſas ſinguli ex illo clero celebrare poſſint. *Apend.* 4. *in ep. ad Pont. per tot.*

Colatorii.

Colatorii uſus olim in Miſſa erat ad vinum defæcandum. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 9.

Collecta.

Collectam celebrare olim idem erat ac Miſſam celebrare. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 7.

Collectæ, & collectio dicuntur Orationes in miſſali Mozarabico, & in veruſtis Sacramentariis. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 1.

Collecta ſignificat etiam cœtum Fidelium ad orandum convenientium. Oratio in Miſſa appellatur *collecta*, vel quia Sacerdos veluti vota omnium colligit, vel quia brevis eſt oratio ſuper Populum congregatum, vel quia omnes collectis animis in Deum tendunt. *ib.*

Collectæ natura ad Apoſtolicam traditionem referenda eſt. Quæ nunc in Miſſa recitantur, a S. Gelaſio, vel a S. Gregorio compoſitæ ſunt, quædam etiam recenſentur a Leone Secundo, & Innocentio Tertio compoſitæ. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 2.

Collecta nulla in Eccleſia Lateranenſi, ſed ſolum *Pater noſter* quondam erat in uſu, una tantum in prima Miſſæ parte olim recitari poterat; ſancitum deinde eſt, ne ſeptenarium numerum collectæ excedant. Immo par eſſe debet earum numerus ad conjunctionem deſignandam. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 3.

Poſt collectam olim Romæ, & in aliis Eccleſiis quædam orationes, quæ laudes vocabantur, recitari conſueverant pro Pontifice, & pro aliis. *ib.*

Collecta ad Patrem dirigitur, & in obſecrationem *Per Chriſtum* multis de cauſis deſinit. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Ex directione ad Patrem Filius, & Spiritus Sanctus non excluduntur, cum ob eſſentiæ unitatem in eo intelligantur. Paucæ collectæ ad Filium diriguntur, nullæ ad Spiritum ſanctum, & quare. *n.* 6.

Collectæ in Miſſa manibus ad humeros elatis recitantur; qui orandi modus antiquo melior eſt, cum extenſis manibus orationes recitabantur, ut nunc a quibuſdam Regularibus fit. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 3.

Collegiata.

Collegiatarum eccleſiarum clerus Miſſam conventualem quotidie celebrare debet. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 4. V. *Conventualis Applicatio.*

Collegium cathedrale Paravinum privilegiis Notariorum Sedis Apoſtolicæ de numero participantium a Benedicto XIV. auctum fuit. *Append.* 13. *in epiſt. nuncup. Card. Rezzon. p.* 455.

Collum.

Collo nudo Eccleſiaſtici, & Laici uſque ad ſæculum octavum inceſſerunt, quod indecorum poſtea viſum eſt. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 4.

Color.

Colores Eccleſiaſtici, ſive ſacrarum veſtium quinque ſunt: albus in Confeſſorum, & Virginum: rubeus in Apoſtolorum, & Martyrum ſolemnitatibus; viridis diebus ferialibus; niger diebus jejunii; in Adventu, & a Septuageſima ad Sabbatum ſanctum, & in commemoratione mortuorum. Violaceus pro nigro habebatur: poſtea quibuſdam ex dictis diebus in uſu fuit. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 16. *&* *ſeqq.*

Color albus antiquitus ſolum fuit in uſu, ut in Lege veteri, & apud Ethnicos. Græci albo, & rubeo duntaxat uſque ad ſæculum 13. uſi ſunt. Sed ante hoc tempus prædicti quinque colores in Eccleſiam Romanam introducti fuerunt, & habent ſuam congruentiam. *ib.*

Color croceus in quibuſdam Eccleſiis feria ſexta in Paraſceve in uſu eſt ad Judæorum bilem ſignificandam. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 16. *&* *ſeq.*

Color violaceus apud Gallos non ita pridem introductus eſt, ſed ejus loco niger erat in uſu. *ib.*

Color albus Sacramento Euchariſtiæ convenit. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 12. S. Carolus Borromæus ſtolam albam in miniſtranda Euchariſtia extra Miſſam adhiberi juſſit, rubram vero, ubi Ambroſianus ritus ſervatur. *c.* 29. *n.* 1.

Coma.

Comæ ſuppoſititiæ uſum Epiſcopus in ſua Synodo Clericis interdicere poteſt: immo expedit, ut facultatem ſibi reſervet illam permit-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mittendi ; neque permittat nisi justis de causis . *Append.* 12. §. *Quæ hactenus* p. 450.

Cum coma supposititia celebrandi facultatem concedere potest solus Romanus Pontifex , cum ne Episcopo quidem liceat sine Romani Pontificis permissione sacrum peragere tecto capite . *ib.*

Commemoratio .

Commemoratio Sanctorum in Missa fit ante , & post consecrationem . *l.* 2. *c.* 18. *n.* 7. *&* 8. V. *Sancti* . Fit etiam commemoratio Defunctorum . V. *Diptycha* . *Oratio* . Christi quoque Passio in Missa commemoratur . V. *Christus* .

Die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum in Regno Aragoniæ , quo alia Regna , & loca continentur , Sacerdos sæcularis ex vivæ vocis oraculo Julii Tertii ternas Missas celebrat . *l.* 3. *c.* 4. *n.* 9. Sæpe postulata fuit , sed negata hæc facultas pro aliis locis . *n.* 10. Tandem Benedictus XIV. petentibus Ferdinando VI. Hispaniarum , & Joanne V. Portugaliæ Regibus indulsit , ut Sacerdotes tam Sæculares , quam Regulares in utriusque Regis ditionibus commorantes , die commemorationis omnium fidelium defunctorum tres Missas celebrare possint etiam duabus post meridiem horis , dummodo pro Missis vi hujus Privilegii dicendis eleemosyna nullo pacto acciperetur . *n.* 11.

Communicantes , & memoriam venerantes &c. sunt pars primæ orationis Canonis , & in hac parte opem Sanctorum petimus . *l.* 2. *c.* 13. *n.* 21. *&* 22. V. *Oratio* .

Communio Sacerdotis .

Communio in Missa pluribus verbis , & actionibus peragitur . *l.* 2. *cap.* 22. *n.* 1. *&* 2. *& seqq.* Episcopi , & alii Sacerdotes stantes Eucharistiam sumunt , & cum sanguine particulam quoque in Calicem immissam sumunt ; olim vero Episcopi eandem particulam Diacono , & Subdiacono cum sanguine qui supereffet , sumendam relinquebant , uti etiam nunc Romanus Pontifex facit . *n.* 3. *&* 5.

Communicabant olim aliqui Romani Pontifices in Missa solemni sedentes in solio : nunc stantes communicant . *l.* 2. *c.* 23. *n.* 4. V. *Romanus Pontifex* .

Communione peracta , sumitur purificatio . *ib.*

Communio dicitur Antiphona , quæ in Missa post sumptionem recitatur , quia dum Eucharistia distribuebatur Populo , canebatur alternis , & quamdiu . *l.* 2. *c.* 24. *n.* 2.

Communio Populi .

Communio Populi facienda est in Missa post Sacerdotis communionem , non ad finem Missæ differenda , nisi gravis causa id exigat , & quænam esse possit . *l.* 3. *c.* 18. *n.* 9.

Communionem adstantium in Missis Defunctorum vetuit olim Sacra Rituum Congregatio ; sed mox suum decretum vulgari vetuit . *l.* 3. *c.* 18. *n.* 10.

Communio populi fieri potest in Missis Defunctorum a Sacerdote celebrante , sed solum immediate post ejusdem Sacerdotis communionem . *nn.* 11. *&* 12.

Communio fit in Missa nocte Nativitatis Domini in Basilica Vaticana omnium Clericorum non Sacerdotum . In aliis vero Ecclesiis fieri nequit , sicuti neque aliæ duæ Missæ celebrari possunt ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis . *l.* 3. *c.* 18. *nn.* 13.

Communio fieri nequit neque feria sexta in Parasceve , licet eo die occurrat festum Annunciationis B. Virginis , neque Sabbato Sancto , exceptis infirmis , pro quibus servandæ sunt particulæ feria V. in cœna Domini . *l.* 3. *c.* 18. *n.* 14.

Communio adstantium fieri nequit in Oratoriis privatis sine Ordinarii licentia . *ib.*

Communio populi fieri potest extra Missam , sed Sacerdos Eucharistiam ministrans uti debet superpelliceo , & stola coloris albi , vel coloris convenientis officio ejus diei . *l.* 3. *c.* 18. *n.* 12. *& cap.* 19. *n.* 1.

Communionis usu extra Missam a S. Cyrilli temporibus Hierosolymæ ex rationabili causa cœpit , inde ad Ecclesiam occidentalem manavit . *eod. cap. n.* 1.

Sacerdos gravis peccati sibi conscius Eucharistiam ministrans sacrilegium committit , immo juxta aliquos tot sacrilegia , quot sunt ii , quibus ministrat . *l.* 3. *c.* 19. *n.* 2. *&* 3.

Communionem scienter recipiens a Sacerdote schismatico excommunicato , aut peccatore , peccat . *ib.*

Communio danda est infirmis . *n.* 4. *&* 5. V. *Viaticum* .

Plures particulas , aut majorem hostiam alicui præbere non licet ad fovendam falsam devotionem . *l.* 3. *c.* 20. *n.* 1. Neque licet peccatori parato ad Eucharistiam in peccato suscipiendam dare hostiam non consecratam pro consecrata ; & quare . *n.* 4.

Communio peccatori publico , vel occulto , quando neganda , aut danda sit . *n.* 5. V. *Peccator* .

Communio Reis morti destinatis in aliquibus locis negatur , in aliis datur , dummodo pœnitentes petant , & indigni non reputentur ; & alicubi cautum est , ut inter communionem , & mortem tempus sufficiens intercedat , quo species Eucharisticæ consumantur . *l.* 3. *c.* 20. *n.* 6.

In Eucharistia ministranda curent Sacerdotes , ne particulæ decidant , & si in terram , aut in feminæ pectus delabantur , nonnullæ regulæ servandæ sunt . *l.* 2. *c.* 20. *n.* 7.

Communicantibus linteum apponitur , & quare : & olim quædam mensulæ spongia expolitæ apponebantur . A Sæculo XIII. ex Ordinum Mendicantium consuetudine *Confiteor* , & orationes *Misereatur* , & *Indulgentiam* &c. præmitti consueverunt , quæ tamen in ordinatione Presbyteri omittuntur , quando Episcopus ei Eucharistiam porrigit . Vetustus est ritus dicendi *Corpus Domini &c.* *l.* 2. *c.* 22. *n.* 1. 2. *&* 3.

Communicandis viris olim Eucharistia in manus tradebatur , qui post eam in os sibi jaciebant : feminis vero in linteo mundo , quod *Dominicale* dicebatur , seque ipsæ communicabant . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 3.

Communicatis Minister vinum exhibet , quo sibi os purificent , uti S. Joannes Chrysostomus monebat . Hæc vero purificatio non est in Calice exhibenda ; neque ferenda fuit quorundam Parochorum consuetudo , qui si duas eadem die Missas celebrabant in prima Missa Calicem vino purificabant , illudque in ipso Calice alicui Laico , qui Eucharistiam sumpsisset , offerebant . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 3. 4. *&* 5.

Olim communicabant omnes , qui Missæ aderant ; immo in Germania , & alibi nono Seculo , qui pluribus Missis aderant , in singulis communicabant . Tridentinum optat , ut in singulis Missis Fideles communicent . Attamen licitum , & validum est Sacrificium , in quo solus celebrans communicat . *l.* 2. *c.* 22. *an.* 6. *ad* 16.

Communionem a Sacerdote Missam celebrante ministrari adstantibus , qui bene dispositi eam petunt , laudabile est . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 17. *&* *Append.* 10. §. 2. De Sacrificio tamen participant etiam ii , quibus Eucharistiam reservari solitam Sacerdos ministrat . *eod. Append.* 10. §. 3.

Episcopus juxta temporis , loci , & Personarum circumstantias , ne Eucharistia adstantibus quandoque a Sacerdote celebrante distribuatur , vetare potest , & ideirco studere Fideles debent circumstantiam nancisci , in quibus Eucharistiam accipiant , quin Episcopi instituta perturbentur . §. 4. *pag.* 458.

Communicabant olim , qui Missæ intererant , sub utraque specie ; non raro tamen aliqui sub specie tantum panis etiam primis temporibus communicabant . Nunc in Ecclesia occidentali juxta Tridentinum qui Missam non celebrat , & communicat , Sacramentum sub panis duntaxat specie suscipere potest . *l.* 2. *c.* 22. *a n.* 18. *ad* 30.

Ad Communionem sub utraque specie Laici , Clerici , & Sacerdotes Missam non celebrantes nullo divino tenentur præcepto . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 21.

Communio sub specie tantum panis ad salutem æternam sufficit , nullaque gratia ad eandem salutem necessaria fraudantur ii , qui unam tantum speciem accipiunt . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 28. 29. *&* 30.

Communio publica in templis in Ecclesia Orientali fit tum a viris , tum a mulieribus sub utraque specie , & quomodo : *l.* 2. *c.* 22. *n.* 25. Aliud tamen fit a Græcis feria V. in cœna Domini . *ib.* V. Græci .

Calicis usum iis , qui Missam non celebrant , concedere ad disciplinam pertinet . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 32. V. *Calix* .

Communio sub utraque specie fit ab aliquibus in solemni Romani pontificis Missa , ab aliis etiam tam Clericis , quam sæcularibus fit in aliis locis , & in quibusdam festivitatibus , & circumstantiis ex speciali privilegio . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 32.

Concelebratio .

Concelebrare simul possunt plures Presbyteri : Nam etiam nunc apud Græcos , ubi unicum est templum , Sacerdotes omnes Episcopum circumstant , & cum eo totam Liturgiam recitant , ab eoque Eucharistiam sub utraque specie accipiunt . *l.* 3. *c.* 16. *n.* 1. eadem olim disciplina viguit in Ecclesia Occidentali , quam nonnulli perperam improbarunt . *n.* 3.

Concelebrant etiam licite , & valide cum Episcopo Presbyteri , quando ordinantur , & Episcopi , quando consecrantur , ad Apostolorum exemplum , qui cum Christo concœnarunt . *l.* 3. *c.* 16. *n.* 1. 2. *&* 3. At tunc Episcopi sub utraque specie , Presbyteri sub specie tantum Panis communionem sumunt . *ib.* Quamquam autem Ordinans sit principalis consecrans , Ordinatus tamen habere debet intentionem consecrandi cum Ordinante , & consecrationis verba tum recitative , tum significative proferre . *n.* 4. *& seqq.* Rursus ita proferre debet consecrationis verba , ut Ordinantem non præveniat , sed moraliter cum ipso formam absolvat . *ib. n.* 7. Hoc Sacrificium applicare potest , & quomodo . *n.* 8. *& seqq.*

Concilium Tridentinum .

Concilium Tridentinum Missas privatas , in quibus solus Sacerdos communicat , laudat , & retinendas esse definit ; optaret vero , ut omnes Fideles adstantes in iis communicarent . *l.* 2. *c.* 22. *n.* 9. *& seq.*

Confessarius , Confessio .

Confessariis Missas aliquas pro criminum expiatione celebrandas injungere licet : non tamen iis licet stipendia pro iisdem Missis celebrandis sibi , aut suis Ecclesiis addicere . *l.* 3. *c.* 22. *n.* 10. *&* 11.

Confessio Sacramentalis tam a Sacerdote , quam a Laico , reis peccati lethalis præmittenda est ex Ecclesiastica consuetudine , ut Eucharistia digne recipiatur : si necessitas urgeat , sufficit contritio . *l.* 3. *c.* 22. *n.* 3. *& seqq.*

Confessario cuicumque Regulares , urgente necessitate , peccata sua confiteri possunt . *n.* 7. *&* 8.

Confessio reatum peccati delet , non corporis immunditiem , *n.* 12.

Confessionis formula . V. *Confiteor* .

Confessores in Canone non memorantur , nisi ab Ambrosianis , & quibusdam aliis . *l.* 2. *c.* 23. *n.* 24.

Confiteor .

Confiteor , & Misereatur initio Missæ a Sacerdote , & Ministro dicitur , quia se peccatorum remissionem consecutores confidunt . *l.* 2. *c.* 3. *n.* 4. *&* 5.

Confessio hæc peccatorum ante Missam est Traditionis Apostolicæ , immo in veteri Lege sacrificiis præmittebatur . Formula confessionis , qua nunc utimur , in usu erat ab anno 1300. ejusque vestigium est in Liturgia S. Jacobi , & S. Marci . Decrat in Ritu Mozarabico , & ejus loco Card. Ximenius quasdam orationes addidit . Eam impugnant Hæretici , qui contendunt orationes a Sanctis non audiri . *n.* 10. *&* 11.

Confessio Peccatorum Deo fit , cui illata est injuria ; & coram Sanctis , quia Judices cum Christo sedebunt . *ib.*

Hæc

Hæc confeſſionis formula contractior eſt apud Carthuſianos, & Dominicanos. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 12.

Confiteor, & orationes *Miſereatur*, & *Indulgentiam &c.* Communioni Populi recte præmittuntur. *c.* 22. *n.* 1. & 2. V. *Communio*.

Congregatio.

Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres ſola poteſtatem habet ejuſdem Concilii mentem interpretandi, ejuſque decreta, ſi generalia ſint, vim legis obtinent. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 1.

Inſtituta eſt non modo ad idem Concilium explicandum, ſed etiam ut Eccleſiæ diſciplinam per univerſum Orbem integre tueretur. *c.* 22. *n.* 5.

Congregatio eadem declaravit, Sacerdotem, qui ratione Beneficii, vel Capellaniæ tenetur Miſſam quotidie per ſe ipſum celebrare, aliquando, legitima de cauſa poſſe Miſſam omittere; addidit tamen, non poſſe tunc pro aliis celebrare, multoque minus ſtipendium accipere, eum vero, qui onus non habet per ſe ipſum celebrandi, ſemper debere obligationi celebrationis ſatisfacere. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 6. & 7.

Congregatio eadem cenſuit in Oratoriis privatarum Domorum die Nativitatis Domini tres Miſſas celebrari poſſe, ſi in Brevi indultum fuerit poſſe eo die ſacrum ibi fieri, eo quod aliquis Infirmus domo egredi nequeat. *c.* 4. *a.* 1. *n.* 1. *ad* 8.

Concedere noluit, ut in quibuſdam locis die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ſinguli Sacerdotes celebrare tres Miſſas poſſent. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 9. & *ſeqq.*

Declaravit facultatem dandi licentiam celebrandi in privatis Oratoriis fuiſſe a Tridentino ſoli Summo Pontifici reſervatam: poſſe vero Epiſcopos in privato Oratorio domorum ſuarum celebrare, & aliis permittere, ut celebrent; & poſſe etiam Altari mobili uti. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 25. & *ſeqq.*

Declaravit, a Tridentino Altaris mobilis uſum quibuſdam Regularibus fuiſſe ademptum. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 4.

Cardinales vero & Altare portatile, & privatum Oratorium habere poſſe. *n.* 5. & *ſeqq.*

Improbavit abuſum Miſſam celebrandi occaſione cujuſdam ſolemnitatis multas horas ante auroram, & poſt meridiem. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 5.

Semper ſenſit, Parochum diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto teneri celebrare Miſſam in Parochia, populoque applicare: ſi vero pauper ſit, poſſe die feſto Miſſam applicare offerenti eleemoſynam, dummodo intra hebdomadam populo aliam Miſſam applicet. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 2. & *Append.* 7. *ab init. ad* §. *Ac demum*.

Ex ejus Decreto in Cathedralibus, veriſque Collegiatis quotidiana Miſſa conventualis applicanda eſt Benefactoribus generatim; diebus vero Dominicis, ac Feſtis, ſi animarum cura adnexa ſit, alia Miſſa, nempe Parochialis populo eſt applicanda. Quod ſi pauperes ſint, facultatem obtinere poterunt non applicandi Miſſam conventualem diebus feriatis. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 3. & *ſeqq.* & *Append.* 7. *a* §. *Hæc igitur ad ult.*

Si Capellaniæ, vel Beneficii fundator impoſuit onus celebrandi Miſſam, non explicans cui ſit applicanda, Congregatio declaravit applicandam eſſe pro Fundatore. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2. Si vero certas ſibi Miſſas applicari, reliquas vero celebrari ſolum juſſit, declaravit Congregatio, Beneficiatum non teneri ad applicationem, niſi Fundator pro ſe in Miſſa orari jufſerit. *n.* 3.

Quod ſi Beneficium, aut Capellaniam fundaſſet cum onere Miſſæ tibi, aut aliis applicandæ, & in fundatione alterius Beneficii, ſeu Capellaniæ ſolum juſſiſſet pro ſe orari, Sacra Congregatio cenſuit, Fundatorem ſolum voluiſſe ad *Memento* in Miſſa commemorationem ſui fieri. *ib.* Sed ſi fundator expreſſe declaraſſet, Miſſam a Capellano celebrandam eſſe; non itidem declaraſſet applicandam, tum cenſuit, poſſe a Capellano aliam pro Miſſæ applicatione eleemoſynam accipi. *n.* 6.

Decrevit non poſſe a Sacerdote applicari Miſſam ſecundum intentionem ejus, qui primus elemoſynam daturus ſit. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 6. & *c.* 22. *n.* 10.

Semper in eam propendit ſententiam, quod invalida ſit ordinatio alicujus cum canonico impedimento ordinati ab Epiſcopo, qui ante ordinationem proteſtatus ſit ſe non intendere ordines conferre cum ejuſmodi impedimento accedentibus. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 5. & 6.

Monuit Indos, ſeu Mulatos nullo jure ab Ordinibus arcendos eſſe. *ibid.*

Cenſuit, ſi non conſtaret, an Epiſcopus ejuſmodi intentionem retractaſſet, ordinationem ſub conditione eſſe iterandam. *n.* 7. Ordinato autem, qui in ſuſceptione Ordinis contradixiſſet, nullum characterem fuiſſe impreſſum. *n.* 13. Quod ſi ordinatus diceret, ſe non habuiſſe intentionem ſuſcipiendi Ordinem; ſed de hoc dubium aliquod eſſet, monuit, eum eſſe privatim ſub conditione iterum ordinandum. *n.* 13.

Declaravit, pœnas ſuſpenſionis, & excommunicationis a Sacris Canonibus adverſus Sacerdotem ſtatutas, qui ab Altari cœpta Miſſa recederet, non eſſe ipſo jure impoſitas. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

Statuit, ut circa Communionem feria ſexta in Paraſceve Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 14.

Item ſtatuit, non licere Euchariſtiam ad ægrotos deferre, qui ob morbi gravitatem eam ſumere nequeunt, ut eam deoſculentur. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

Decrevit nemini aut plures Euchariſtiæ particulas, aut grandiores tradendas eſſe. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 1.

Quoad eleemoſynam manualem pro Miſſis celebrandis, item pro Miſſis perpetuis reſpondit, attendendam eſſe loci conſuetudinem, vel legem Synodalem, ſi adſit, aliter eleemoſynam per Epiſcopum eſſe ſtatuendam. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 11.

Dixit Regulares quoad eleemoſynam pro Miſſis ſtare debere taxationi Ordinarii. Unicuique vero licere ſponte dare, & ſponte datum accipere ſtipendium taxa majus, ſed vetuit, ut alteri Miſſa celebranda committeretur, retenta pinguioris eleemoſynæ parte. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 12.

Damnavit fraudes eorum, qui pluribus eleemoſynis per unicam Miſſam ſatisfaciebant. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 15. & *c.* 22. *n.* 4. & *ſeqq.*

Non conſtat, an permiſerit, ut cum in fundatione Beneficii, ſeu Capellæ cautum eſt, non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii, poſſit celebrans accipere novum ſtipendium, & unica Miſſa ſatisfacere obligationi Beneficii, & novi ſtipendii; at neque conſtat, an oppoſitum ſtatuerit. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 6. & 7.

Conſtat, ipſam declaraſſe, quando ex teſtamento in fundatione Cappellaniæ onus Capellano præciſe celebrandi certum Miſſarum numerum eſt impoſitum, eas Miſſas pro anima Teſtatoris applicandas eſſe, *ib.*

Interrogata, an Epiſcopus *ſtatuere poſſit eleemoſynam manualem .. pro qualibet Miſſa imponendo pœnam celebantibus pro minori quantitate*: Reſpondit *affirmative quo ad eleemoſynam manualem*, *l.* 3. *c.* 22. *n.* 8.

Declaravit Abbates ſolis Regularibus ſibi ſubjectis primam Tonſuram, & minores Ordines conferre poſſe, *Append.* 2. §. *Itaque*.

Aliquando decrevit, ut Parochi pinguibus redditibus dotati quotidie Miſſam pro Populo celebrarent, & applicarent, *Append.* 7. §. 6.

Semper improbavit ſententiam aſſerentem, Canonicos muneri ſuo ſatisfacere, ſi choro præſentes aſſiſtant, quin canant, *Append.* 7. §. 24.

Declaravit, prohibitionem Urbani Octavi ne Epiſcopi, & Superiores generales Miſſarum perpetuarum onera contraherent *abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito*, etiam Miſſas reſpicere, quarum celebrandarum obligationem nemo ſuſcepiſſet; *Append.* 8. *n.* 2.

Cenſuit, ſi plures eleemoſynæ pro Miſſis in alicujus Eccleſiæ Sacello celebrandis offerrentur, celebrationem non eſſe ultra hebdomadam differendam, ſed in aliis ſaltem ejuſdem Eccleſiæ Sacellis explendam, idque per tabellam publice expoſitam eſſe ſignificandum, *Append.* 8. *n.* 5.

Reſpondit, non poſſe a Parocho prohiberi, ne in publicis Oratoriis intra ſuæ Parochiæ fines Miſſæ celebrentur ante Miſſam Parochialem, *Appen.* 22. *in Inſt.* 44. *n.* 7.

Congregatio Epiſcoporum & Regularium.

Regulas præſcripſit ab Epiſcopis ſervandas in facultate alicui Sacerdoti concedenda, ne plures eodem die Miſſas ob aliquam urgentem cauſam celebret. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 4.

Congregatio de Propaganda Fide.

Cum ageretur de Armenorum cum Eccleſia Romana unione, ſtatuit, ob plures cauſas non eſſe iis indulgendum, ut in Miſſa aquam vino non affunderent. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 9.

Congregatio Rituum.

Nonnunquam reſcripſit, in Miſſa ſolemni, abſente Subdiacono, Lectionem a quolibet Clerico in minoribus Ordinibus conſtituto cani poſſe, ſed ſine Manipulo, *l.* 2. *c.* 5. *n.* 22.

Alexandro Octavo approbante, vetuit, ne quis Feria 5. & 6., ac Sabbato majoris hebdomadæ Miſſam privatam celebret. Monuit vero, ſi in eamdem Feriam V. Feſtum Annuntiationis B. M. Virginis, vel S. Joſephi incidat, Ordinariis curandum eſſe, ut ante Miſſam conventualem aliquot Miſſæ privatæ celebrentur, & quare: non item, ſi Sabbato Sancto idem Feſtum occurrat. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 10.

Vetuit, ne in Miſſis Defunctorum Euchariſtia adſtantibus præberetur. Sed poſtea noluit hoc decretum vulgari, aut ejus exemplar edi, *l.* 3. *c.* 18. *n.* 10.

Prohibuit, ne nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam ſolemnem aliæ duæ Miſſæ celebrentur, aut Euchariſtia adſtantibus præbeatur, *l.* 3. *c.* 18. *n.* 13. Ferunt etiam, ipſam prohibuiſſe, ne Feria 6. in Paraſceve aliis, niſi Infirmis, Euchariſtia miniſtretur, *n.* 14.

Vetuit, ne *Miſſæ certis Regularibus conceſſæ*, aut *quæ fuerint indultæ certis Perſonis*, ab aliis celebrentur. Aliquando permiſit, ut etiam ab aliis ad Eccleſiam eorum, quibus Miſſa conceſſa fuit, confluentibus in alicujus Beati honorem Miſſa celebraretur, ſed cum Miſſali Romano, & de communi, *l.* 3. *c.* 23. *n.* 1. & *Append.* 32. *poſt tit.* 2. *n.* 5.

Triginta Miſſas, quas a S. Greg. appellabant, celebrari vetuit, *l.* 3. *c.* 23. *n.* 3. Solemnes pro Defunctis Miſſas quibuſdam diebus fieri permiſit, quibuſdam vetuit, licet ad Altare privilegiatum celebrandæ eſſent. *n.* 3. & *ſeqq.*

Cenſuit non requiri Crucem in medio Altari ad Miſſam in eo celebrandam, ſi Crucifixi imago in majori Altaris Tabula expreſſa eſſet. *Append.* 2. §. *ſecundo loco*. Requiri tamen in Altari, in quo Tabernaculum cum Sacramento, & parva Cruce aſſervatur. §. *ſeq.* Si tamen Sacramentum publice expoſitum ſit in Altari, in quo Miſſa celebranda eſt, quoad Crucem in eo collocandam ſervandas eſſe locorum conſuetudines: quamquam alias aliter reſponderat. §. *Quarto loco*.

Congregatio Specialis.

Quædam ſpecialis Congregatio habita fuit ut diſcuteretur, an permittendum eſſet Miſſam Sinica lingua apud Sinas celebrari. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 13.

Alia ſingularis congregatio an. 1729. juſſu Pontificis habita, Cyrillo quodam Patriarcha quærente, an apud Orientales plures eodem die Miſſas ad idem Altare celebrare liceret, cenſuit id non eſſe admittendum, ſed potius curandum, ut in eadem Eccleſia plura conſtituerentur Altaria, vel Sacerdotes concelebrarent; monuitque, ut ex quorumdam animis error evelleretur, rumpi jejunium per ſecundam Miſſæ ad idem Altare celebrationem. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 6.

Spe-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Specialis Congregatio a Benedicto XIV. depurata sedulo examinavit, an ad Hispaniarum, & Lusitaniæ Regum petitiones Sacerdotibus in eorum ditione commorantibus indulgendum esset, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Missas celebrare possent, & quinam eidem Congregationi adscripti fuerint, & quid senserint. *Append.* 4. *in lit. Apost. §. Quum itaque & seq.*

Consecratio.

Templorum Consecratio a S. Evaristo non fuit excogitata; qui solum aliquos ritus addidit. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Sub Constantino Templa fuerunt consecrata; & jamdiu hic ritus in usu fuerat, quamquam persecutionum tempore intermissus. Ex veteri Testamento in novum Apostolica institutione traductus in Ecclesia Orientali & Occidentali statim viguit. *ib.* Adumbratus fuit per tabernaculi consecrationem a Moyse, ac per Templi dedicationem a Salomone, & Machabæis, *n.* 10. Hunc ritum Calvinus irridet, sed perperam. *n.* 10.

Altarium Consecratio ex infusione olei orta est, quo Jacob lapidem unxit, & inde usus olei in Templorum, & Altarium consecratione, *l.* 1. *c.* 2. *n.* 2.

Consecratio, quæ fit Sacro Chrismate, Episcopo reservatur, e. gr. Templorum, Altarium, Calicis, & Patenæ. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 1. & 2. *Append.* 2. *§. maxime & seq.*

Ad Altaris, & petræ Sacræ consecrationem in iis reliquiæ Sanctorum condendæ sunt. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8.

Consecratio Panis, & Vini.

Hujus consecrationis verba, & quæ proxime præcedunt, *accipite*, *&c.*, & quæ sequuntur. *Hæc quotiescumque &c.* a Sacerdote significative, & recitative proferuntur. *l.* 2. *c.* 15. *a n.* 3. *ad* 7.

Gratiarum actio, & benedictio in Eucharistiæ institutione consecrationem præcessisse videntur; consecratio vero fractionem: Ordo enim in tota hac Christi actione fuisse videtur, ut ipse panem acceperit, gratias Deo egerit, benedixerit; deinde consecravarit, postea fregerit, ac Discipulis dederit. *n.* 8. *& seqq.*

Illa Consecrationis verba, *Hic est Calix Sanguinis mei* figurata sunt, ac sensus eorum est: *Hic est Sanguis meus contentus in Calice. n* 11.

Sanguis novi Testamenti, quia non in figura, sed in veritate effusus est. Dicitur *æterni* ratione æternæ prædordinationis, & æternæ hæreditatis, & æternæ Personæ Christi. Dicitur *pro multis*, idest *pro omnibus*. *ib.*

Consecrationis forma, quæ fit, V. *Forma*, Græci, & Syri post consecrationem orant Deum, ut panem, & vinum immutet in Corpus, & Sanguinem Christi, V. *Græci*, *Syri*.

Consecratio essentialiter consistit in verbis Christi: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Calix Sanguinis mei*, quæ sunt institutionis Divinæ. Preces, quæ præcedunt, vel sequuntur, sunt humanæ institutionis, nec ad essentiam pertinent, sed ad integritatem; in quo Græci consentiunt. *a n.* 13. *ad* 23.

Refellitur Nicolai Cabasilæ error, in sua Liturgia putantis, post consecrationem extare panis, & vini substantiam, ac transubstantiationem fieri post orationes, & benedictiones Sacerdotis. *n.* 20.

Post Consecrationem Sacerdos genuflectens, Christum Latriæ cultu adorat. *n.* 29.

In Consecratione simul, & sumptione Sacrificii essentia videtur consistere. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 7. V. *Sacrificium*.

Consecrationis panis, & vini formam Episcopi olim memoria custodiebant, tradebantque iis, quos sacris ordinibus initiabant, ea lege, ut sancta verba profundo arcano recondita conservarent. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12.

Consecrationis verba secreto recitanda sunt. *ib.* V. *Secreta*.

Consecratione panis, & vini, ex divino jure, & Præcepto, opus est ad sacrificii essentiam, & validitatem. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 18. *&* 19. V. *Validitas*.

Consecratio invalida, vel illicita esse potest, si aliquod verbum omittatur, & aliquando iteranda est, & quomodo, *l.* 3. *c.* 15. V. *Defectus*.

Ad validam consecrationem materia consecranda esse debet moraliter præsens, & quomodo hæc moralis præsentia habeatur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 2. *& seqq.*

Particulæ, quæ in Pyxide sunt, valide, sed illicite consecrantur, nisi Pyxis in consecratione aperiatur. *ib.* Item si consecratio extra Petram sacram fiat. *n.* 6.

Consecratio ab intentione pendet. *n.* 1. *&* 8. V. *Hostia*.

Vox *Consecratio* in oratione, *Hæc commixtio &c.* est vetusta: omittitur tamen in quibusdam Galliæ Ecclesiis. Corporis & Sanguinis in Calice commixtio dici recte potest *Consecratio Corporis*, *& Sanguinis*, cum Corpus consecratum sub specie panis *Consecratio Corporis* dicatur, & Sanguis consecratus sub specie vini dicatur *Consecratio sanguinis*. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 19.

Consilium.

Consilium ab animarum directoribus Sacerdotes petere deberent, an expediat interdum a Missa celebranda abstinere. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 1. Directores consilium quibusdam dederunt, ut aliquando abstinerent, aliis, ut semper celebrarent. *n.* 4.

Constitutio.

Innocentii XI. Constitutione gravissimæ statuuntur pœnæ adversus eos, qui Hostiam, seu Hostias consecratas, ad malum finem, apud se retinere, vel alio asportare sacrilege præsumpserint, vel id fieri mandaverint. *Append.* 10. *Constit. Pontif. §. & sane.* Eandem Alexander VIII. confirmavit, addens, in ea, & sub illidem pœnis comprehendi omnes omnino, nullo prorsus excepto. *ib.*

Utramque constitutionem Benedictus XIV. confirmavit, addens reo ad evitandam pœnam non suffragari exceptiones, quod a Fisco non probetur, particulas fuisse consecratas, aut Reum malam habuisse intentionem, sed hæc a Reo concludentissimis probationibus esse demonstranda. *App.* 10. *in Const. Pont. §.* 3. *& seqq.* V. *Hostia*. Benedictus XIV. aliam edidit Constitutionem adversus non promotos ad Presbyteratum Missam celebrantes. Item aliam adversus sortilegos. *ead. Append.* 10. *in not. in fin.*

Contritio.

Contritio, saltem existimata, a Sacerdote gravis peccati reo, Missæ præmitti debet, si celebrandi necessitas urgeat, neque adsit copia Confessarii; neque sufficit attritio cognita ut talis. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5. *&* 6.

Contritio peccati reatum, non corporis immunditiem delet. *num.* 12.

Conventualis Missa.

In Cathedralibus, & Collegiatis unam, vel plures si rubrica præscribat, Missas Conventuales Canonici canere debent, & in quodam Concilio Mediolanensi pœna amissionis distributionum adversus negligentes statuta est. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 4.

Feria V. in Cœna Domini, & Feria VI. & Sabbato Sancto solam Missam Conventualem celebrare licet. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 8.

Conventualis Missa Benefactoribus in genere applicanda. *l.* 3. *c.* 8. *toto & Append.* 7. *§. Hæc igitur, & seqq.* V. *Applicatio*.

Conventus nomine olim Missa solemnis intelligebatur. *Append.* 12. *sub n.* 7.

Corinthii.

Corinthii ante Eucharistiam dapibus vescebantur. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 3.

Cornu Epistolæ, & Evangelii.

Epistolæ cornu in Altari mystice Populum Hebræorum significat primo vocatum ad Evangelium: Cornu Evangelii Ethnicos, qui Evangelium ab Judæis spretum receperunt. Reditus Sacerdotis a cornu Evangelii ad cornu Epistolæ futuram Hebræorum conversionem. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 6.

Mos asportandi Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii inde derivatus est, quod cum in primo cornu oblationes fierent, non poterat ibi Evangelium commode legi. Reducitur, Sacrificio peracto, ad Cornu Epistolæ, tum quod jam oblationes amotæ fuerint, tum ut in alio cornu Diaconus Calicem tergat, & componat. Hinc idem ritus in Missas privatas invectus est. *ib.*

In cornu Evangelii legitur Evangelium S. Joannis, quia ibi aliud Evangelium lectum est. *ib.*

Corporale.

Corporale, dicitur, in quo Christi Corpus consecratur. Olim totum Altare tegebat, quali nunc Carthusiani utuntur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 3. *&* 4. E lino esse debet, & significat Synodonem, qua Christi Corpus fuit involutum. *ib.* Olim ad extinguendum incendium adhibebatur, quod postea veritum fuit. *ib.*

Corporale inter Altaris linrea computatur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5.

Corpus Christi quomodo in Sacramento frangi dici possit. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 2. *& seqq.* V. *Christus*.

Corporis Naturam nonnulli in magnitudine ponunt. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 7.

Crux.

Crux, vel Crucifixi Imago inter candelabra super Altari esse debet, dum peragitur sacrum, idque ex Apostolica Traditione apud Orientales, & Occidentales servatur. Refelluntur quædam oppositæ opiniones. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 1. *& seqq. & Append.* 2. *§. in Altaribus, & seqq.* Non adeo exigua sit Crux, ut vix videri possit, neque ita collocanda, ut ab alicujus Sancti imagine occultetur. *§. Equidem*. Hic ritus adeo vetus est, ut Novatores ipsum auferre pertimuerint. *§. Not*. Juxta Liturgiam Copto-Arabicam ex Codicibus Vaticanis desumptam, Sacerdos celebrans, benedictionem cum Cruce populo impertit. Eamdem osculatur, ac Diacono tradit super Altari locandam. *§. Si vero*.

Crux in Altari collocata Crucifixi Imaginem exhibere debet, & olim Christiani Gentilium furorem reformidantes, Agnum saltem Cruci incisum, vel depictum apponebant, *ead. Append.* 1. *§. Scripturæ*. Cruce opus non est, si in majoris Altaris Tabula Crucifixi Imago primo loco depicta sit. *§. Secundo loco*. Collocanda tamen est in Altari, in quo Tabernaculum cum Sacramento, & parva Cruce servatur. Si vero Sacramentum super Altari expositum sit, in quo Missa celebranda est, quoad Crucem apponendam servanda est locorum consuetudo. *§. Secundo loco & seqq.*

Crux, vel Crucifixi Imago in pane consecrando imprimi a primis temporibus consuevit, immo veteres Christiani Crucis signum in panibus usualibus imprimebant. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 3. A Crucis signo Christiani actiones suas ex Apostolica traditione ordiuntur, quo etiam Missa inchoatur. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1.

Sacerdos Evangeliorum librum signo crucis signat, indicans hunc esse Crucifixi librum: inde se ipsum in fronte, ore, & pectore signat, ostendens se Crucem non erubescere. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 11. *&* 12. Fit signum Crucis, dum recitatur symbolum. V. *Symbolum*.

Post orationem *Suscipe Sancte Pater &c.* Crucis signum denotat, hostiam super Crucem poni. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 2. Idem signum fit super ampullam aquæ in Calicem infundendæ, sed omittitur in Missis Defunctorum, & quare. *n.* 3.

Tria Crucis signa, quæ super hostiam, & Calicem in prima Canonis oratione fiunt, veræ sunt benedictiones, quæ fiunt in modum Crucis, ut Passio Redemptoris semper fit in cordibus nostris. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 28. Hæc tria signa indicant, hoc mysterium a Trinitate perfici, vel etiam tres traditiones, primam, qua Pater Filium, secundam, qua Christus se ipsum, tertiam, qua Judas Magistrum tradidit. *ib.*

In tertia Canonis oratione, *quam oblationem &c.* quinque fiunt Crucis signa: tria super Calicem, & hostiam simul: quartum super hostiam solam: quintum super solum Calicem. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. Hæc significant Christum in quinque sensibus passum esse; vel tria prima Judæ proditionem, reliqua vel duas in Christo naturas significant, vel ejusdem in anima, & corpore passionem. *ib.*

In

In quarta Canonis oratione brachia in Crucis figuram quidam olim elevabant, & nunc elevant in memoriam Paſſionis Chriſti, ſed ad hanc ſignificandam in Eccleſia Romana Sacerdos manuſante pectus extenſas tenet. *l.2.c.16.n.4.* Quinque Crucis ſigna in prima hujus orationis parte fiunt ad verba *Hoſtiam puram &c. ibid.* & ſignificant quinque Chriſti plagas. *n. 6.*

Crucis ſigna, quæ poſt conſecrationem ſuper hoſtiam, & Calicem ducuntur, non ſunt benedictiones, ſed commemorationes virtutis, & efficaciæ Sacramenti. *l.2.c.16.n.5. ad 8.V. Benedictio.*

Eccleſia jubet, corpus, & ſanguinem Chriſti in Miſſa poſt conſecrationem cum ſigno Crucis proferri, ut Sacerdotes Jeſum in Cruce immolatum recogitent. *ibid.* Et ut indicetur hoſtiam ſuper Altari idem eſſe corpus, quod Cruci fuit affixum, & in Calicem eundem eſſe ſanguinem, qui in Cruce effuſus eſt. *ib.* Tria Crucis ſigna, quæ ad finem hujus quartæ orationis fiunt, ſignificant extenſionem corporis, effuſionem ſanguinis, & fructum Paſſionis Chriſti, vel ejuſdem vincula, & flagella, vel etiam ſudorem, guttas ſanguinis, & ſatellites. *n. 7.*

Tria Crucis ſigna, quæ ad illa ſextæ orationis Canonis verba fiunt, *ſanctificas, vivificas, benedicis*, tres Chriſti in Cruce orationes ſignificant. Alia tria ſigna ad verba *per ipſum &c.* denotant tres horas, quibus Jeſus in Cruce pependit: Alia duo ſigna, quæ extra Calicem fiunt, animæ a corpore ſeparationem innuunt, vel alias habere poſſunt ſignificationes. *l.2.c.18.n.15.*

Crucis ſignum, quod Sacerdos in oratione *Libera nos &c.* ſibi cum Patena a fronte ad pectus ducit, ſignificat per Crucem, & per hoc ſacrificium pacata eſſe omnia in Cælo, & in Terris: vel per Crucem omnia a Chriſto disjecta fuiſſe, quibus pax noſtra perturbatur. *l. 2.c.19.n.10. & 11.*

Illa tria Crucis ſigna, quæ ſuper Calicem poſt hoſtiæ fractionem ducuntur ad illa verba, *Pax Domini &c.* ſignificant Chriſtum Jeſum tertia die ad vitam rediiſſe, ſed alias etiam ſignificationes habent. *l.2.c.20.n.13.*

Crucis quoque ſignum particula conſecrata fit ſuper Pyxidem, dum Euchariſtia Populo diſtribuitur. *l.2.c.22.n.1.* Et Crucis ſigno Populus in fine Miſſæ benedicitur. *cap. 24. num. 6. V. Benedictio.*

Cultus.

Catholicæ Fidei dogma eſt externo latriæ cultu Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento adorandum eſſe. *l.2.c.15.n.26.*

Miſſa etiam votiva cultum publicum, qui Eccleſiæ nomine fit, præfert, ideoque hæc Miſſa in Beatorum honorem celebrari nequit, niſi ex privilegio. *App.11 poſtit. 2. n.2.* Cultus vero privatus etiam Beatis exhiberi poteſt. *n. 4.*

D

Dalmatica.

DAlmatica a Dalmatia, ubi inventa eſt, nomen traxit, eamque Reges etiam adhibuerunt. *l.1.c.7.n.6.*

Damnati ad inferos ſuffragiis non juvantur, neque ſolatium ex noſtris orationibus capiunt. *l.2.c.9.n.7.* Eccleſia nunquam pro damnatis orat. *n.3. & ſeqq.*

Defectus.

Defectus fervoris, aut attentionis non ſemper obſtat, quominus Miſſa digne celebretur. *l.3.c.2.n.3.*

Defectibus in Miſſæ celebratione occurrentibus ſufficienter occurri poteſt, ſtatuta Eccleſiæ obſervando. *l. 3. c.14. n.1.* Sacerdos gravibus pœnis obnoxius eſt, ſi cœpram Miſſam abſolvendam alteri committat. *n. 2.* Quod ſi repentinus morbus, vel mors ante conſecrationem ſuperveniat, non oportet Miſſam ab alio Sacerdote continuari. *n.3. & n.9.*

Si defectus ejuſmodi poſt conſecrationem contingat, Miſſa ab alio Sacerdote perficiatur. Si Sacerdos infirmus adhuc communionis capax ſit, neque alia adſit hoſtia conſecrata, qui miſſam ſupplet, debet hoſtiam dividere, & partem ſibi ſumere, partem infirmo tradere. *l.3.c.14.n.4. & 5.* Ad hunc defectum ſupplendum tenentur primo Sacerdotes præſentes, deinde abſentes, primo non impediti, deinde impediti; quare Sacerdos non jejunus in hoc caſu poteſt Miſſam abſolvere; & qui non eſt in gratia, Confeſſarium quærat, ſi non inveniat, actum contritionis eliciat; ſi neutrum ex voto cedat, non tenetur Miſſam ſupplere. Si nullus alius Sacerdos reperiatur, Miſſa non poteſt a laicis ſuppleri, ſed potius hoſtia, & calix in Tabernaculo condi poſſunt, ut poſtero die alius Sacerdos, qui Miſſam celebrent, ea ſumat ante ablutionem. *n. 6. & ſeqq.*

Si defectus poſt conſecrationem Corporis, & ante integram prolationem formæ conſecrationis ſanguinis contigerit, tunc Sacerdos, qui ſupplet, ſuper eundem Calicem vel ſuper alium iis, quæ opus ſunt, inſtructum integram formam proferre debet incipiendo a verbis *Simili modo*; Dein hoſtiam a primo Sacerdote conſecratam, & ſanguinem, quem ipſemet confecerit, ſumere, mox calicem ab alio ſemiconſecratum relictum bibere. *l.2.c.14.n.9. & 10.* Si exploratum ſit utramque ſpeciem fuiſſe confecratam, ſupplendum eſt a verbis, *Unde & memores &c. n. 11.*

Si templum, vel Oratorium ante Canonem forte violetur, Miſſa intermitti; ſi poſt canonem, perfici debet. Item relinqui poteſt, ſi ante conſecrationem Sacerdoti celebranti mortis periculum ex hoſtibus, aut alluvione, aut Templi ruina immineat. Si vero poſt conſecrationem hæc ſuperveniat, Sacerdos, cæteris miſſis, debet Corpus, & Sanguinem ſumere, non autem aſportare. *l.3.c. 14.n.12.* Si vero illa poſt ſolius hoſtiæ conſecrationem ſuperveniant, poteſt Sacerdos ſolum corpus ſumere, & cetera omittere; ſed ſi ex hoc ſcandalum, aut Religionis contemptus oriri poteſt, Sacrificium eſt perficiendum, & quare. *n. 13.*

Lamb. Miſs.

Si excommunicatus non toleratus, aut publicus Clerici percuſſor ſuperveniat, neque ex Eccleſia ejici poſſit, tunc ſi nondum ad Canonem, aut ad conſecrationem perventum ſit, Miſſa relinquenda eſt; ſi eo ventum ſit, continuanda eſt, & facta communione, reliquum Miſſæ in Sacriſtia, aut in alio decenti loco continuandum eſt. *l.3.c.14.n.14.* Aliquando Miſſa interrumpi poteſt. *n.15. & 16. V. Interruptio.*

Defectus circa panem, & vinum, & aquam.

Si Hoſtia corrupta ſit, aut non triticea, idque Sacerdos ante, vel poſt conſecrationem, aut etiam poſt illius hoſtiæ ſumptionem advertat, aliam hoſtiam idoneam debet accipere, & mente ſaltem offerre, ac deinde conſecrare incipiens a verbis, *Qui pridie &c.* & ſumere. Quod ſi primam illam hoſtiam non abſumpſiſſet, eam aſſumat poſt ſumptum corpus, & ſanguinem. *l.3.c.15.n.1.* Si defectum eundem poſt Sanguinis ſumptionem advertat, novum oportet parare panem, & vinum cum aqua, & utrumque offerre, conſecrare, & ſumere incipiendo a verbis *Qui pridie &c.* ac Miſſam proſequi. *ibid. ac n. 2.*

Si acetum, aut alius liquor in Calicem infundatur, idque Sacerdos ante, vel poſt conſecrationem advertat, novum vinum accipiat, offerat, & conſecret incipiendo a verbis *Simili modo &c. l.3.c.15.n.3.* Sed ſi defectum advertat poſt ſumptionem Corporis, vel poſt ſumptionem ineptæ materiæ, Sacerdos probabilius deberet novam hoſtiam, novumque vinum cum aqua accipere, offerre, conſecrare, & quamvis jejunus non ſit, ſumere, ac cetera de more peragere. Si vero in loco publico, ubi multitudo adſit, vel coram Magnate celebret, ad evitandum ſcandalum poterit vinum ſolum cum aqua apponere, & facta oblatione, conſecrare, ac ſtatim ſumere. *ib. & nn. ſeqq.*

Si panis, & vinum utrumque ineptum appoſitum fuerit, & Sacerdos hunc defectum ante, vel poſt conſecrationem advertat, alias materias idoneas aſſumat, quæ ſi non reperiantur, Miſſam omittat: ſi vero poſt ſumptionem defectum cognoſcat, neque neceſſitas celebrandi urgeat, poteſt ad vitandum ſcandalum quaſdam preces recitare, & benedictionem populo impertiri. *l.3.c.15.n.9.*

Si aqua in Calice infuſa non eſſet, & hunc defectum Sacerdos ante Conſecrationem advertat, ſtatim aquam infundat, ſi vero poſt Conſecrationem, omittenda eſt. *l.3.c.15.n.10.* Si muſca, vel aranea, aut venenum in Calice ante Conſecrationem deprehendatur, vinum in locum decentem projici debet, & novum poni conſecrandum; ſi vero hic defectus poſt Conſecrationem advertatur, & muſca, aut ſimilia nauſeam provocent, debent extrahi, lavari, & comburi, ac lotio & cineres in ſacrarium projici; ſi autem vinum conſecratum fuerit venenatum, aliud vinum accipiendum, & conſecrandum eſt, venenatum vero in alium calicem ſtuppa, aut ſimili materia plenum infundi debet, & conſervari, donec exſiccetur, tum ſtuppa comburatur, & cineres in Sacrarium projiciantur. *n.11. & 12.* Alii defectus in Miſſa contingere poſſunt, quibus Rubricæ remedia præſcribunt. *n. 14.*

Defectus circa formam.

Si ſcienter omittatur particula *enim* valida, ſed illicita eſt conſecratio; invalida vero, ſi omittatur vox *eſt l.3.c.15.n.15.* Si loco vocis *Hoc* diceretur *Iſtud*, valida, ſed illicita eſſet conſecratio; invalida vero, ſi diceretur *illud*: quemadmodum ſi diceretur: *Hic eſt Corpus meum*, ſumendo *Hic* tanquam adverbium; ſecus, ſi per grammaticæ errorem *Hic* pro *Hoc* poneretur. *ib.* Si quis in conſecratione Calicis diceret duntaxat *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, graviter peccaret: & dubia forte eſſet conſecratio, & conſultius eſſet, ut ſuper novum vinum omnia Conſecrationis verba, ut ſunt in Canone, iterum ſub conditione proferrentur, ſpecies vero, ſuper quas prima illa verba prolata fuerunt, reverenter ſumerentur. *ibid.*

Si Sacerdos ceteroquin attentus dubitet, an aliquid omiſerit, non debet turbari, ſed Miſſam proſequi, item ſi probabiliter ſe aliquid omiſiſſe ſciat: ſed ſi cognoſcat, ſe aliquid omiſiſſe, quod eſſet de neceſſitate Sacramenti, omnia ex ordine debet iterare. *l. 3.c. 13. n. 16.*

Defuncti.

Eccleſia pro Defunctis inceſſanter orat, & in omnibus Liturgiis oratio pro ipſis ex Apoſtolica traditione habetur. *l. 2.c.17.n.1.* In Miſſa plus pro quibuſdam ſpecialiter, inde pro omnibus Defunctis oratur, quorum animæ in Purgatorio detinentur. *n. 3.* Aliquando ex charitate, interdum ex juſtitia pro defunctis orare tenemur. *n. 15.*

Defunctorum nomina olim in Miſſa palam recitabantur, qui mos ad XII. uſque Sæculum viguit, ac poſtea a Card. de Crequy fuit revocatus, ejuſque veſtigia quædam in Eccleſia extant Pariſienſi. *n. 4.*

Defunctorum Animæ Sacrificio Miſſæ plurimum juvantur, ſed aliis quoque piis operibus, & eleemoſynis juvari poſſunt. *l. 2. c. 17. n. 3. & Append. 4. in Epiſt. ad Pont. §. Unum ſupereſt*, & Eccleſia libenter permitteret, ut pro defunctorum animalibus juvandis ſinguli Sacerdotes Miſſam eodem die iterarent. *App. 4. in Litt. Apoſt. §. Ad hunc.* Sacri Canones olim permittebant, ut ſi Defuncti cadaver ſepeliendum eſſet, duplex eodem die Miſſa ab eodem Sacerdote celebraretur. *§. Nova hæc.*

In Aragoniæ Regno, & in Provinciis illi adnexis die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum dudum a Sacerdotibus ſecularibus duæ, a Regularibus tres Miſſæ celebrari conſueverunt. *Append. 4. in Litt. Apoſt. §. Sed duæ.*

Benedictus XIV. petentibus Ferdinando VI. Hiſpaniarum, & Joanne V. Portugalliæ Regibus permiſit, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ſinguli Sacerdotes in eorumdem Regum ditionibus commorantes tres Miſſas, duabus etiam poſt me-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſidiem horis celebrare poſſint, dummodo pro ſecunda, & tertia Miſſa hujus indulti vigore celebrandis nullam poſſint quocumque modo eleemoſynam accipere. *App. 4. tota & l. 3. c. 4. n. 11.*

Pro Defunctis in Synodo Diœceſana ſecunda die Miſſa celebranda eſt. *App. 11. poſt tit. 1. §. Secundo.* V. *Synodus.*

Pro Defunctis triginta Miſſæ diebus triginta continuis juxta morem a S. Gregorio inductum, celebrari poſſunt, neque id a Sacra Rituum Congregatione veritum eſt, quamquam eadem prohibuit alias Miſſas, quas a S. Gregorio appellabant, celebrari. *l. 3. c. 13. n. 2. & 3.* Si aliquis ex his diebus impeditus fuerit, ſervandum eſt, quod ab Eccleſia præſcribitur. *ib.*

Quæcumque Miſſa ex parte Sacrificii defunctis æqualiter prodeſt, ſed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes adhuc determinatæ, & ideirco nonnulli olim Miſſam pro defunctis quotidie celebrare voluerunt. *l. 3. c. 23. n. 4.*

Miſſæ privatæ pro Defunctis quacunque die dici poſſunt, quibuſdam tamen diebus exceptis. Solemnes vero, ſive ab aliquo teſtatore præſcriptæ, ſive die obitus, vel depoſitionis, vel anniverſario, aut præſente corpore celebrari poſſunt, quibuſdam pariter exceptis, quæ recenſentur. *l. 3. c. 23. n. 3. & ſeqq.*

Nunc in Litteris Apoſtolicis, quibus Altaria privilegiata conceduntur, Miſſa quoque pro Defunctis decernitur; ſed ſi teſtator aliquis Miſſas pro Defunctis ad Altare Privilegiatum celebrari præſcripſerit, & tempore, quo Miſſa pro Defunctis ad idem Altare celebranda eſt, Feſtum occurrat, aut alius dies, quo Miſſæ pro Defunctis prohibentur, Miſſa de Feſto, aut de die occurrenti celebranda eſt pro expiatione defuncti. *l. 3. c. 23. n. 8.*

Defunctorum Cadavera non ſunt tumulo inferenda, niſi prius pro ipſis, & coram ipſis Sacrum fiat, quæ conſuetudo antiquiſſima eſt in Eccleſia, adeo ut nonnulli exiſtiment, ſi die feſto ea tumulanda ſint, duas Miſſas ab uno Sacerdote eodem die celebrari poſſe, unam de feſto, alteram pro defuncto. *l. 3. c. 22. n. 12.* Si defunctus adeo egenus fuerit, ut gratuitæ in Parochia, vel in Noſocomiis ſepeliendus ſit, Parochis, & Noſocomiorum Præfectis variæ inſinuantur rationes, quibus commode obtineri poſſit, ne cadavera ſepeliantur, quin prius ſaltem una Miſſa coram ipſis celebretur. *n. 13.*

Denarii Figuram cur Hoſtia habeat. V. *Hoſtia.*

Deo gratias.

Vox eſt antiquiſſima: Donatiſtæ illam impie irridebant, dicitur poſt Epiſtolam, tam in Miſſis privatis, quam in ſolemnibus. *l. 2. c. 5. n. 13.* Dicitur etiam poſt *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*: at Clerici Eccleſiæ Pariſienſis illam omittunt. Falſum eſt illam eſſe additionem aliquam; eſt enim vetuſtus ritus. *c. 24. n. 3.* Dicitur quoque poſt Evangelium S. Joannis, ut Miſſa in gratiarum actionem deſinat. *n. 8.*

Dextera.

Dextera Altaris olim erat, quæ dexteræ Sacerdotis, ad Altare converſi reſpondebat; nunc eſt, quæ Crucifixi dexteræ reſpondet: idem cum proportione dicendum de ſiniſtra. *l. 2. c. 4. n. 1.*

Diabolus.

Diabolus in Hæreticorum myſteriis poteſtatem habet. *l. 3. c. 15. n. 12.*

Digitus.

Digiti pollex, & index ſejuncti poſt Conſecrationem tenentur, ne ſi qua particula digitis adhæſerit, diſpergatur. *l. 2. c. 16. n. 9.*

Diligentia.

Diligentia ſumma moralis a Sacerdotibus, antequam Miſſam celebrent, adhibenda, ut deprehendant, an indigni ſint. *l. 3. c. 22. n. 3.*

Diptycha.

Diptycha tres erant Afferes ita juncti, ut complicari poſſent. In primum nomina referebantur B. M. Virginis, Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum: in alterum nomina Romani Pontificis, & aliorum viventium dignitate aliqua Eccleſiaſtica, vel ſæculari præcellentium, aut de Eccleſia optime meritorum. Tertius habebat nomina eorum, qui in communione Fidelium mortui eſſent. Inter offerentes præcipuorum duntaxat nomina recitabantur. *l. 2. c. 13. n. 16.*

In prima parte orationis primæ Canonis, ideſt *Te igitur*, juxta Romanum ritum Summi præcipue Pontificis, & Epiſcopi mentio fiebat: in ſecunda ſcilicet *Memento* præcipuorum offerentium, ac de Eccleſia optime meritorum: in tertia ideſt *Communicantes* memorabantur Sancti: poſt conſecrationem memorabantur Defuncti. Conſuetudinem palam ad Altare nomina offerentium pronunciandi Sanctus Hieronymus non ſatis probaſſe videtur: obſolevit autem hæc conſuetudo ſæculo duodecimo. *ib.* In Miſſis privatis Sacerdos, in ſolemnibus Diaconus, & Subdiaconus nomina recitabant. *ib.*

In Diptychis Mortuorum nomina alta voce recitabantur, & in iis Epiſcopi, qui Eccleſiam rexerant, aliique aliarum Diœceſium nominabantur, qui in Catholica Fide, & communione obierant: aliter e Sacris Diptychis expungebantur. *l. 2. c. 27. n. 4.*

Sacris Diptychis olim nomina eorum conſignabantur, qui Eccleſiam facultatibus ſuis auxerant, ut pro his Benefactoribus preces effunderentur, & Miſſæ Sacrificium offerretur. Ideirco hæc Diptycha in quibuſdam Eccleſiis ob oculos Sacerdotis celebrantis apponebantur. *Append. 7. §. 24.*

Diſpenſatio.

Diſpenſatio Sedis Apoſtolicæ neceſſaria eſt, ut quis tecto capite Miſſam celebret. *l. 2. c. 9. n. 3.*

Diſtributio.

Diſtributiones a quibuſdam Canonicis amittuntur, qui Miſſam Conventualem celebrare negligunt. *l. 3. c. 3. n. 4.*

Ex diſtributionum Maſſa defumenda eſt aliquando eleemoſyna, ut tribuatur Beneficiatis, & Manſionariis alicujus Eccleſiæ, qui Miſſam Conventualem canunt, & Benefactoribus applicant. *App. 7. §. 28.*

Divites.

Divites in quibuſdam melioris ſunt conditionis, quam Pauperes, ſi tamen fortunis ſuis bene utantur. *l. 3. c. 22. n. 14.*

Doctor.

Doctoris gradus conferendi mos Bononiæ invaluiſſe dicitur. *poſt App. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 7.*

Dominicani.

Dominicanus Ordo ſapientiſſimis Doctoribus olim Bononiæ floruit. *poſt Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 8.*

Dominicum, Dominus.

Dominicum olim Templa dicebantur. *l. 2. c. 2. n. 3.* Dominicum celebrare idem erat, ac Miſſam celebrare. *n. 7.*

Dominicis, aliiſque omnibus Feſtis ex præcepto omnes, qui curam animarum habent, tenentur Miſſam pro Populo celebrare, & applicare. *App. 7. a. §. 2. ad 10.* V. *Applicatio.*

Vox Dominus proprie Deo competit. *l. 2. c. 7. n. 3. Domine non ſum dignus &c.* verba ſunt Centurionis, cujus mentio fit in Evangelio, eaque Sacerdos ante communionem dicit in ſignum humilitatis. *c. 21. n. 1.*

Dominus vobiſcum dici poteſt nullo præſente, & quare. *l. 2. c. 11. n. 3.* Hæ voces ex Lib. Ruth deſumptæ ſunt; aliæ, *Et cum ſpiritu tuo* ex D. Paulo ad Galat. acceptæ ſunt. *l. 2. c. 3. n. 6.*

Dominus vobiſcum dicitur poſt *Gloria in excelſis*, cujus loco Epiſcopus diebus lætitiæ dicit *Pax vobis*. *l. 2. c. 9. n. 18.* Poſtea Epiſcopus per *Dominus vobiſcum* Populum ſalutat, ut demonſtret ſe eſſe Sacerdotem. *ib.* Dicitur *Dominus vobiſcum* in ſignum mutuæ communionis. *c. 5. n. 1.*

Poſt *Kyrie eleiſon* a quingentis annis in medio Altari verſus Populum *Dominus vobiſcum* dicitur: olim in cornu Epiſtolæ verſus Altare dicebatur, ut nunc fit a Carthuſianis, Carmelitis, & FF. Prædicatoribus. *l. 2. c. 6. n. 3.* Septies in tota Miſſa dicitur, ex quibus quater verſus Populum ter verſus Altare, & quare. *n. 4.* In fine Miſſæ bis dicitur, & quid ſignificet. *c. 24. n. 3.*

E

Eccleſia.

Eccleſia in ſuis orationibus non Patrem, ſed Filium, & Spiritum Sanctum invitat, ut adveniant. V. *Oratio.* Non orat pro Animabus in Inferos detruſis, neque in Offertorio Miſſæ Defunctorum putat, animas in Purgatorio detentas dejiciendas eſſe ad Inferos. *l. 2. c. 9. n. 3. & 4.* Tempore Adventus utitur illis verbis *Rorate Cæli &c.* retrahens has preces ad tempora Prophetarum Chriſti Incarnationem expectantium. *ib.*

In Miſſa vehementer intendit Sacerdotum, & Aſſtantium animis imprimere idem eſſe Sacrificium Altaris cum Sacrificio Crucis: & ideirco vult, Corpus, & Sanguinem Chriſti cum ſigno Crucis proferri. *l. 2. c. 16. n. 6.*

Eccleſia in Syria eo in loco ædificata fuit, ubi quidam pueri, qui Miſſæ cæremonias imitari auſi fuerunt, igne e Cælo delapſo percuſſi fuerunt. *l. 2. c. 2. n. 6. & ſeqq.*

Eleemoſyna.

Eleemoſyna pro Miſſa alicui determinatæ Perſonæ applicanda accipi poteſt, & ſi accipiatur, Miſſa applicanda eſt. *l. 3. c. 9. & 16.* V. *Applicatio.*

Eleemoſyna cuipiam peculiari Sacerdoti, loco oblationis Panis, & Vini, quæ olim a Fidelibus ad Altare fiebat, non ante Sæculum VIII. offerri cœpta eſt, ut Sacerdos ille Miſſam faceret, cujus fructus, vel eleemoſynam largienti, vel alteri, ſive vivo, ſive mortuo applicaretur: idemque mos non ante Seculum XII. paſſim ubique receptus eſt. *l. 3. c. 21. n. 5.*

Specialem Miſſæ applicationem illi, qui eleemoſynam largitus eſſet, improbare Walafridus Strabo viſus eſt, quaſi illud non plus uni, quam omnibus Fidelibus prodeſſet; ſed fallitur. *l. 3. c. 21. n. 6.* Eundem morem tanquam ſimoniacum recentiores Hæretici inſectantur, ſed perperam. *n. 7.* Eundem in ſe cæteroqui licitum, & honeſtum avari Sacerdotes fœdarunt, vel plures eodem die Miſſas ob plures captandas eleemoſynas, vel Miſſas *bifaciatas*, & *trifaciatas* celebrando, & quomodo *n. 8.* Aut de eleemoſyna turpiter paciſcentes; ut proinde Concilium quoddam Toletanum vetuerit, ne quid pro Miſſa Sacerdos ex pacto exigeret, ſed eleemoſyna ſponte oblata contentus eſſet. *n. 9.*

Concilium Tridentinum Epiſcopis injunxit ut omnem in hoc avaritiam tolleremt, ideirco Epiſcopi in ſuis Diœceſibus debent Miſſarum ſtipendium taxare: quæ taxatio conſultius in Synodo fieri conſuevit, quamquam extra illam fieri poteſt, vel etiam a conſuetudine induci. *l. 3. c. 21. n. 10. & 11.* Facienda vero eſt in ea quantitate, quæ deceat juxta locorum, & temporum circumſtantias: non tamen opus eſt, ut eleemoſyna tanta ſit, quæ integram ſuſtentationem Sacerdoti celebranti ſuppediter, & quare. *n. 12.*

Qui ultra eleemoſynam ab Epiſcopo taxatam plus exigit, contra legem Eccleſiæ delinquit, & juſtitiam commutativam lædit. Eleemoſynæ vero ab Epiſcopo taxatæ etiam Regulares ſtare debent. *l. 3. c. 21. n. 13.* Nemo tamen prohibetur uberiorem ſtipem a ſponte dantibus accipere, dummodo dolus abſit. *ib.* Ei vero, qui eleemoſynam conſueta pinguiorem accipit, non licet Miſſam alteri Sacerdoti celebrandam committere parte ſibi pinguioris eleemoſynæ retenta, etiam ſi Sacerdos celebrans partem illam ſponte remitteret. *ib.*

Ex manuali eleemoſyna ab Epiſcopo taxata nihil detrahendum eſt in commodum Eccleſiæ, quæ ſacra indumenta, & utenſilia ſubminiſtrat. Licet vero ex ſtipendiis relictis pro Miſſis perpetuis, ſi Eccleſiæ, in quibus Miſſæ celebrantur, alios reditus non habeant, *l. 3. c. 22. n. 14.*

Non-

Nonnulli putarunt pluribus acceptis eleemosynis per unum Sacrificium satisfieri posse, opinantes illud pluribus applicatum, æque gratis prodesse, ac si uni applicaretur: aut fructum Sacrificii specialissimum, qui ad celebrantem pertinet, alteri cedere, atque hac ratione novam eleemosynam pro eadem Missa accipere; sed hujusmodi opiniones, & subdolas artes tum Summi Pontifices, tum Sacra Concilii Congregatio profligarunt. *l. 3. c. 22. n. 15.*

S. Franciscus Assiensis pro corruptelis in accipienda pro Missa eleemosyna vitandis constituit, ut sui Ordinis Alumni semel tantum in die celebrarent. S. Ignatius cavit, ne sui Sacerdotes stipendium pro Missa acciperent. *l. 3. c. 22. n. 3.*

Licet ex Ecclesiæ consuetudine dari pro Missa, & accipi stipendia possint; cujusdam tamen Simoniæ reus est, qui pactiones pro Missæ stipendio facit, & Juda deterior nuncupatur. *l. 3. c. 22. n. 2. & 3.*

Ad has corruptelas eliminandas Sacra Concilii Congregatio plura constituit. V. *Congregatio Concilii.*

Sacerdoti recens ordinato licet in prima Missa ad Populum in medio Altari se vertere, & oblationes, sive eleemosynas accipere, non tamen ob hanc causam Ecclesiam circuire. *l. 3. c. 3. c. 22. n. 5.*

Non licet accipere unum stipendium, ut uni fructus Missæ satisfactorius, aliud, ut alteri fructus impetratorius, & aliud, ut alteri fructus specialissimus applicetur. *l. 3. c. 22. n. 4.*

Sacerdos, qui ob beneficium, aut Capellaniam quotidie per se celebrare tenetur, potest aliquando Sacrum omittere, & quare. At nunc non potest pro alio celebrare, & ab eo stipendium accipere, nisi plus Testator celebrationem Missæ duntaxat requisierit, ejus vero applicationem Sacerdotis arbitrio reliquerit. *l. 3. c. 22. a n. 4. ad 8.* Eleemosyna pro his Missis ab Episcopo, & non a Testatoris hærede est præscribenda. *n. 8.*

Eleemosynam accipiens taxa Diœcesana minorem celebrare adhuc tenetur, & Missam applicare dicti eleemosynam. *lib. 2. c. 22. n. 5.* Stipendium vero solito majus recipiens debet illud integrum dare Sacerdoti, quem sibi ad celebrandum substituit. *ib.* Qui exiguas eleemosynas a diversis congessit, tot Missas celebrare debet, quot pro ratione susceptæ pecuniæ celebrari possunt. *ib.*

Eleemosynam ea majorem, quam præscripsit Episcopus, & Laici Sacerdotibus pro Missa ultro exhibere, & Sacerdotes ultro oblatam accipere valent. Reprobatur Episcopus, qui id sub censuris vetuit. *l. 3. c. 22. n. 8.*

Sors pro Missa perpetua ad 60. scuta Romana sub Innocentio XIII. redacta est pro Regularibus imminutionem onerum pro Missis perpetuis petentibus. Similem reductionem ab Episcopis in suis Diœcesibus fieri posse permisit Concilium Romanum sub Benedicto XIII. ita ut neque majorem, neque minorem summam pro Missis perpetuis statui paterentur. Similem etiam reductionem fecit Bononiæ Benedictus XIV. *l. 3. c. 22. n. 9.*

Missa applicari nequit pro eo, qui primus eleemosynam est daturus. *l. 3. c. 22. n. 10.*

Sibi, aut suis Ecclesiis addicere Confessarii nequeunt stipendia pro Missis, quas pœnitentibus celebrandas imponunt. *n. 11. & Append. 4. in Epist. ad Pont. 6. Hæc nonnullorum.*

Benedictus XIV., cum Bononiensem Ecclesiam regeret, Parochos modum edocuit eleemosynam juste obtinendi pro sacro, quod coram egenorum cadaveribus gratis in Parochia sepeliendis celebrandum est. *l. 3. c. 22. n. 13.*

Cum de augenda Missarum adventitiarum eleemosyna Romæ ageretur, Congregatio Concilii respondit, *nihil innovandum. l. 3. c. 22. n. 15.*

Benedictus XIV. sub gravibus pœnis vetuit, ne Missæ, pro quibus in una Diœcesi pinguis taxa statuta est, celebrandæ transmitterentur in alias Diœceses, in quibus minor est taxa, *in Brevi Apost. post cap. 22. & Append. 4. in litt. Apost. §. Quam vero.*

Eleemosyna Beneficiati, aut Mansionariis, qui Missam conventualem canant, & benefactoribus applicent, ex Massa distributionum desumenda est. *Append. 7. §. 18.*

Eleemosynam nullam die commemorationis omnium Fidelium defunctorum pro Missæ accipere Sacerdotes fere omnes solent. *Append. 4. in Epist. ad Pont. §. At cum aliquid.* Immo inter Theologos morales controversum est, an eo die eleemosynam pro Missa accipere liceat. *ead. Append. 4. in litt. Apost. §. Novimus & seqq.*

Eleemosynam pro Missæ celebratione pacisci detestabile est. *Append. 4. §. Per te.* Repeti tamen potest eleemosyna ab Episcopis, aut Conciliis statuta pro Missis, quæ aliis diebus, immo etiam quæ in solemnitate Natalis Domini celebrantur, dummodo avaritia absit. *Append. 4. in Epist. ad Pont. §. Minime hoc & in Litt. Apost. §. Scimus.* In Hispaniarum vero, & Lusitaniæ ditionibus, in quibus Benedictus XIV. indulsit, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos tres Missas celebret, vetitum est pro iis eleemosynam accipere. *ib.*

Turpissimum est Sacerdotes se veluti venales exponere ad eleemosynam pro Missæ celebratione captandam. *Append. 4. in Epist. ad Pont. §. Nec omittendum.*

Eleemosynis in pauperes erogatis Defunctorum animæ plurimum juvantur. *§. Unum superest.*

Tum de eleemosynis perceptis pro Missis celebrandis, tum de Missis celebratis Archiepiscopus Toletanus sibi quilibet trimestri rationem reddi ab Ecclesiarum Præfectis, suis Synodalibus constitutionibus jussit, sibique liberum esse voluit, Missarum, quæ celebratæ non fuissent, celebrationem alteri committere Ecclesiæ: quod Rota Romana approbavit. *Append. 8. §. In Diœcesi.*

Sacra Congregatio Concilii censuit differendam non esse ultra hebdomadam celebrationem Missarum, pro quibus in certo alicujus Ecclesiæ sacello celebrandis eleemosynæ plurimæ conferrentur. *Append. 8. §. Haud absimilis.* V. *Congregatio Concilii.*

Elevatio.

Elevatio Hostiæ, & Calicis immediate post consecrationem introducta fuit in signum Catholicæ Fidei adversus Berengarii Hæresim. *l. 2. c. 15. n. 27.* Et alicubi Hostia, & Calix elevari cœperunt, alibi sola Hostia, uti etiam nunc fit apud Carthusianos Calix elevari cœpit apertus, & quamquam a quibusdam coopertus elevaretur, hic tamen mos improbatus est. *n. 28. & seqq.*

Elevatio apud Græcos, Armenos, & Abyssinos paulo ante communionem fit. *l. 2. c. 15. n. 27.* In Gallia circa dimidium XI. sæculi elevatio Hostiæ, & Calicis fieri cœpit. In Romana Ecclesia ab initio XII. Sæculi ad verba *omnis honor, & gloria* elevationem fieri consuevisse certum est. *ib.*

In elevatione silentium servandum est, & Christus tacite adorandus: at in quibusdam Galliæ Ecclesiis in Hostiæ elevatione canitur *O salutaris Hostia &c.* qui mos a Ludovico XII. introductus fuit ad Dei opem implorandam in bellis, quibus premebatur. *l. 2. c. 15. n. 31.*

Ad Hostiæ elevationem genua flectenda sunt. Lugdunensis tamen Ecclesiæ Canonici nolunt in genua procidere, sed ad summum se inclinant. Quid in controversia de hac re sub Honorio III. gestum fit. *l. 2. c. 15. n. 32. & 33.*

Elevationem Hostiæ, quam Lutherus admisit, Carlostadius tolli volebat. *ib.*

Ad elevationem candela accenditur, & campanula pulsatur. *l. 2. c. 15. n. 26. & n. 31.*

Elevabantur olim Hostia, & Calix post finem Canonis ad verba *Omnis honor, & gloria*, hæc elevatio nunc parva dicitur. *l. 2. c. 22. n. 27.* Ea non debet quatuor digitos excedere, neque in ea populo adoranda ostenduntur: in ea aliquando pulsatur campanula, alibi thurificatur. *c. 18. n. 16.* Eadem antiquior est præ alia, quæ statim fit post consecrationem, & mentio ejusdem fit in Basilii, & Chrysostomi Liturgiis. *ib.*

Encænia.

Encænia festivitas erat Dedicationis Templi, eamdemque Christus præsentia sua illustravit. *l. 2. c. 2. n. 9.*

Ephod.

Ephod in Lege veteri erat vestis Sacerdotalis linea, quamquam aliquando Laici, ut David, ea usi fuerint. *l. 2. c. 7. n. 4.*

Epimanicion.

Epimanicion apud Græcos manipulus dicitur. V. *Manipulus.*

Diptycha.

Episcopi mentio in Canone facienda est, etiam a Regularibus, & a Clero specialem Prælatum habente. Olim Episcoporum nomina, qui in Catholica Fide, & communione obiissent, in Missa recitabantur. V. *Diptycha.*

Episcopus in Missa, post *Gloria in Excelsis* diebus lætitiæ non *Dominus vobiscum* dicit, sed *Pax vobis*: exemplo Christi, cujus est figura: diebus vero pœnitentiæ dicit: *Dominus vobiscum*, sicut in reliquis salutationibus. *l. 2. c. 4. n. 18.*

Episcopi diu benedicere consueverunt V. *Benedictio.* Particulam hostiæ, quam nunc Episcopi in Missa una cum sanguine stantes sumunt, olim Diacono, & Subdiacono sumendam relinquebant. *l. 2. c. 22. n. 5.* V. *Communio.*

Episcopus post novi Altaris consecrationem, si debilitatus fuerit, potest alterum substituere, qui sacrum faciat. *Append. 5. §. Dilectus:* Olim Sacerdotes, solum permittente Episcopo; Missam celebrare poterant. *l. 3. c. 2. n. 5. & 7.*

Episcopus consecrandus in uno Altari Sacrum facit usque ad Offertorium, deinde Missam prosequitur in alio, in quo Episcopus consecrans celebrat. *Append. 1. §. in Rubricis.*

Episcopis a Concilio Tridentino facultas adempta est concedendi suis Diœcesanis Oratorium Domi privatum, ubi Missa celebrari possit, *l. 3. c. 6. n. 1. & 2.* Possunt tamen ipsi in suis ædibus illud habere, & in eo Missas celebrare, et aliis permittere, ut in eo celebrent. *ib.* Possunt etiam uti Altari mobili. *ib.* V. *Altare.*

Episcopis Trident. Concil. auctoritatem tribuit, ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati pravas consuetudines corrigant. Quod Benedictus XIV. confirmavit, & curare eos jussit, ut Altari, in quo Sacrum peragitur, Crux valde conspicua inter candelabra emineret. *Append. 1. §. Itaque nos.*

Episcopis Tridentin. Concilium facultatem dedit, ut onera Missarum perpetuarum in Diœcesana Synodo contrahere possent. *App. 8. §. Cum sapientissimi.* Eam postea Urbanus Octavus ademit, *App. 8. §. Verum.* Sed Benedictus XIII. eandem iis Episcopis restituit, qui per se vel per Procuratores Concilio Romano sub eodem Pontifice interfuerunt. *Append. 8. §. Attamen.*

Episcopi curare debent, ne quis ad Sacerdotium promoveatur, temporalis vitæ subsidiis carens. *App. 4. in Ep. ad Pont. §. Ut se.*

Episcopi suadere debent Fidelibus, ut si quæ circa Communionem pro tempore, loco, & personis ipsi statuerint, iisdem acquiescant, *Append. 10. §. 4. & seqq.* V. *Communio.*

Episcopus quomodo possit comæ suppositiciæ usum Clericis permittere. V. *Coma.* Synodum celebraturum Clerus cum superpelliceis ad Ecclesiam comitatur. *App. 11. §. Synodali.* Prima Synodi die Missam de Spiritu Sancto facere debet, & Sanctam Communionem Clero porrigere. *App. 11. §. Itaque.* Sequentibus diebus Missæ ab aliis celebratæ assistit, & alia peragit. *App. 11. §. Secunda.*

Ad Episcopos olim mittebatur, quidquid Fideles pro Sacerdotum, Diaconorum, & Clericorum sustentatione offerebant. *l. 3. c. 21. n. 2.* V. *Oblatio.*

Ab Episcopis taxanda est Missæ eleemosyna. *n. 10. & 11.* V. *Eleemosyna.* Iisdem semper data venia est, ut Hæreticorum libros legerent, & quare. *App. 13. in 1. Præf. ad Lect.*

Episcopi Titulares in aliena Diœcesi possunt, permittente Ordinario, Altaria, & Vasa consecrare, ac Vestes benedicere. *App. 2.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

§. Aliter. In Concilio Romano sub Benedicto XIII. locum non habuerunt. *App. 8. §. Attamen*.

Epistola.

Epistola in Missa legitur post collectam: nam Populus ad Sacramentum Eucharistiæ disponitur per Prophetarum, & Apostolorum doctrinam, quæ in Epistola legitur: *l. 2. c. 5. n. 8.* In vetustis Codicibus Lectio *ex Apostolo* appellatur; & plerumque ex Epistolis D. Pauli desumitur, ideoque *Epistolæ* nomen illi est inditum. *ib.* Ex D. Paulo colligitur easdem Epistolas jam tunc in Missa lectas fuisse: quare lectio divinarum scripturarum, & Epistolæ in Missa ab Apostolis introducta videtur. *ib.*

Primis Ecclesiæ Sæculis etiam Episcoporum, Summorumque Pontificum epistolæ, præsertim *Pacificæ*, seu *Communicatoriæ* in Missa legebantur, & per eas inter Romanum Pontificem, cæteroſque Episcopus Pax, & Unitas servabatur, & Orthodoxi ab Hæreticis discernebantur. *l. 2. c. 5. n. 10.*

Epistolarum, & Evangeliorum ordo, quæ per annum leguntur, D. Hieronymo tribuitur. In Missalibus Ambrosiano, & Mozarabico duæ lectiones una ex veteri, altera ex novo Testamento ante Evangelium leguntur: tres in Gallia ex Prophetis, Apostolo, & Evangeliis legi consueverant: nunc una tantum communiter legitur, quibusdam diebus exceptis. *l. 2. c. 5. n. 11.* Hæc lectio fit ante Evangelium, ac significat Præcursoris munus, & Apostolos, qui Christo præibant. *ib.*

Epistolam in Missis privatis Sacerdos legit, in solemnibus Subdiaconus canit. Olim hoc munus Lectoris erat, quod forte Sæculo VIII. Subdiacono delatum est, & nunc ejus munus est, ut ex ejus ordinatione apparet; sed eo absente, quivis Clericus Epistolam legere potest, sed sine Manipulo. In veteri Subdiaconi ordinatione nihil de epistolæ lectione invenitur. *l. 2. c. 5. n. 12.*

Post Epistolam in Missis privatis Minister, in solemnibus Chorus respondet, *Deo gratias*. *n. 15.*

Epistolæ cornu quid significet. V. *Cornu*.

Epistola nuncupatoria ad Benedicti XIV. Opus de Festis, & de Missæ Sacrificio Patavii editum. *Append. 13. init.*

Epistola Præsulis Conimbricensis, ad Operum Benedicti XIV. editorem, Opera eadem summopere extollit. *Ad Calc. Oper.*

Esdræ.

Esdræ liber in Canone Sacrarum Scripturarum non computatur. Ab Hebræo ad Christi Fidem converso scriptus creditur, ut Judæi eandem susciperent. *l. 2. c. 4. n. 3.*

Evangelium.

Evangelium in Missa tum solemni, tum privata a Sacerdote legitur, in solemni etiam a Diacono canitur: olim legebatur a Lectoribus, ut nunc fit apud Græcos. *l. 2. c. 7. n. 4.* Hæc Evangelii lectio in Missa ex Apostolica traditione descendit: solum non erat in usu, cum Evangelium nondum scriptum esset. *n. 5.*

Inchoatur Evangelium per verbum *Initium*, si Evangelii principium legendum sit, vel per verbum *Sequentia*, si lectio e corpore Evangelii sumatur, ac statim Minister respondet: *Gloria tibi Domine*, eoque absoluto respondet: *Laus tibi Christe*; quæ omittuntur Feria 6. in Parasceve, olim vero *Amen*, vel *Deo gratias* dicebatur; additque Sacerdos *per Evangelica dicta deleantur nostra delicta*, ubi verbum *delicta* culpas solum veniales fortasse denotat. *lib. 2. c. 7. n. 6.* Dum legitur historia Passionis Christi inchoatur, *Passio &c. ib.*

Post Evangelium olim sermo ad Populum habebatur, ut nunc alicubi fit. V. *Homilia*.

Sacerdos dum Evangelium legere incipit in Missa, Crucis signo librum, & seipsum signat. *l. 2. c. 7. n. 11.* Evangelio absoluto librum osculatur, immo antiquitus Clero, & Populo idem liber osculandus offerebatur: id Honorius Tertius sub excommunicatione vetuit, exceptis iis, qui Sacro Oleo uncti essent. *n. 13.* Nunc Papæ, Cardinalibus, & Sedis Apostolicæ Legatis ubique: Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in propriis Diœcesibus: Principibus ea tolerantia offertur, non vero Laicis inferioribus. *ib.* Illud osculum Sacerdos omittit in Missis mortuorum, & coram Papa, ac recensitis Præsulibus, ubi hi jurisdictionem habent. *n. 11.*

Evangelium S. Joannis in fine Missæ in Cornu Evangelii legitur, quia ibi aliud Evangelium lectum est. *l. 2. c. 6. n. 6.* Olim ad libitum, nunc ex præcepto S. Pii V. legitur, nisi Festum exigat, ut Evangelium Dominicæ legatur. *l. 2. c. 24. n. 8.* Huic Evangelio quædam Crucis signa præmittuntur, & ad illud *Et Verbum caro &c.* Sacerdos genuflectit. *ibid.* Erga hoc Evangelium magna olim erat Fidelium devotio, & in quibusdam Ecclesiis legebatur post Baptismum parvulorum, post Viaticum, & post extremam unctionem. *ib.* Omittitur a Carthusianis, & ab eo, qui Missam solemnem in Sacello Pontificio celebrat. *ib.*

Evangelium dum legeretur, Populus stare consuevit: habentes baculum deponebant. Religiosi Ordinum Equestrium nudum gladio admovent, vel ipsum e vagina educunt, & quare. *l. 2. c. 7. n. 14.*

Evangeliæ res a Christo gestas, non seriem, & ordinem narrant. *l. 2. c. 15. n. 30.*

Eucharistia.

Eucharistiæ Sacramentum juxta Patrum traditionem a Christo in vino aqua mixto institutum est. *l. 2. c. 10. n. 3.*

Olim Eucharistiæ distributio sub specie panis *Communio*, sub specie vini *Confirmatio* dicebatur. *l. 2. c. 4. n. 11.* Olim quoque, non eo modo quo nunc fit, Populo Eucharistia distribuebatur. *l. 2. c. 22. n. 3.* Ejus usus sub utraque specie Missam non celebrantibus interdictus est, paucis ex privilegio exceptis. *a nn. 18. ad 32. p. 159.* Quomodo, & quibus ministranda sit. *l. 3. cap. 18. & seqq.* V. *Communio Populi*.

Eucharistia olim offerebatur in vulgaribus purgationibus, ad crimen aliquod detegendum adhibitis, sed id non amplius licet. *l. 3. c. 20. n. 2. & 3.*

In publica Eucharistiæ expositione Salvatoris triumphus significatur. *Append. 1. §. Quarto loco*.

Feria 5. in Cœna Domini Eucharistiam oleo miscere, ac iterum coquere, aut alias exsiccare, ut servetur, Græcis non permittitur. *App. §. 3. de Sacramento n. 3.* Præcipitur vero, Sacramentum, quod pro infirmis servatur, singulis octo diebus, aut quindecim renovari. Sed prohibetur, ne per annum servetur, neve a Monachis Eucharistiæ particula ad collum suspensa, vel aliter deferatur, neque in privatis Domibus, neque in longis itineribus retineatur. *n. 3. ad 7.*

Parochis Latinis vetitum est, Eucharistiam sub specie fermentati pro Græcorum communione, & Parochis Græcis sub specie azymi pro Latinorum communione servare. Laicis Latinis non licet communionem a Græcis Presbyteris sub specie fermentati accipere; sed Laicis Græcis permittitur, ubi Parochia non sit, Eucharistiam sub specie azymi a Latinis Presbyteris accipere. *Append. 3. §. de Sacramento n. 13. & seq.* Ubi Græci, & Latini simul morantes promiscue sub specie azymi, vel fermentati communionem sumunt, suaviſſime curandum est, ut ille usus tollatur. *n. 14.*

Ubi Laicis Græcis Eucharistia sub utraque specie ministrari consuevit, hæc consuetudo retineri potest, dummodo ipsi credant sub altera tantum specie totum Christum contineri, neque ulla gratia ad salutem necessaria fraudari eos, qui unam duntaxat speciem sumunt. Ubi vero ea consuetudo non est, neque introducatur. *Append. 3. §. de Sacramento n. 15.*

Exceptio.

Exceptiones Rei, qui particulas consecratas apud se retinet, vel alio asportat, quomodo admitti possint. V. *Hostia*.

Excommunicatio.

Excommunicationem incurrit, qui postquam scienter aliquid gustaverit, Missam celebrat. *l. 3. cap. 32. n. 3.* Quædam Concilia excommunicationis pœnam statuunt adversus Sacerdotem, qui Matutino, & Laudibus non recitatis, Missam celebrat. *c. 13. n. 4.*

Excommunicationem quoque, non tamen ipso jure, incurrit, qui post consecrationem ab Altari discedit sine legitima causa. *c. 14. n. 2.* Coram excommunicato non tolerato Missa celebrari nequit. *n. 14.* V. *Defectus*.

Excommunicationis pœna a quibusdam Episcopis statuta fuit adversus eos, qui una ante, & post Missæ celebrationem hora tabacum sumerent. Et quidam Pontifices eandem indixerunt, adversus eos, qui in Basilica Vaticana, & in Ecclesiis Diœcesis Hispalensis tabaco uterentur. *Append. 9. §. Utrum*.

Exequiæ.

In exsequiis Defunctorum unum saltem sacrum, præsente corpore, faciendum est, juxta antiquissimum ritum. *l. 3. c. 22. n. 12.*

Extravagantes.

Extravagantes communes privatæ auctoritate compositæ fuerunt, & constitutiones, quæ in iis comprehenduntur, eatenus auctoritatem habent, quatenus ab auctoritate Apostolica prodierunt. *post App. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 9.*

F

Farina.

Farina loco panis consecrandi in Missa antiquitus offerri consuevit. *l. 2. c. 6. n. 9.* V. *Panis*.

Feminæ.

Feminis interdictum est in Missa ministrare. *lib. 2. c. 32. n. 5.*

Feria.

Feria 5. Cœna Domini *Natalis Calicis* ab antiquis Patribus appellatur, quia tunc Christus Eucharistiam instituit. *Append. 2. §. Noi hanc*. Non licet Græcis in ea Feria Eucharistiam exsiccare, ut servetur. V. *Eucharistia*. Neque licet Missas privatas celebrare. V. *Congregatio Rituum*. In eadem Feria aliquot particulæ pro infirmis servandæ sunt. *l. 3. c. 18. n. 14.* Et Græci grandiorem quemdam panem consecrant, & quare. V. *Græci*.

Feria 6. in Parasceve Populus non tenetur audire officium. *l. 3. c. 5. n. 5.* Neque Parocho duarum Parochiarum licet idem officium in utraque Ecclesia celebrare. *ib.* V. *Parochus*.

In eadem Feria 6, non nisi Infirmis Eucharistia ministranda est. *l. 3. c. 18. n. 14.*

Fermentum.

Fermentum olim dicebatur Eucharistia, quæ ab una ad aliam Ecclesiam, & a summo Pontifice ad suburbicarios Episcopos mittebatur. *l. 2. c. 20. n. 15.*

Fermentatus panis, vel Azymus Feria 5. in Cœna Domini quando fit adhibitus. *Append. 11. tit. 1.*

Non licet Latinis Eucharistiam sub specie fermentati pro Græcis asservare, aut ab ipsis accipere. V. *Eucharistia*.

Festum.

Festa saltem de præcepto a curam animarum habentibus Populo annuntianda sunt, & quomodo. *post Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 3.* Item verbum Dei festis diebus prædicandum, & Missæ Mysteria explicanda. *n. 6. & Append. 7. §. 6.*

Ad scribendum de Festis, quæ causa Benedictum XIV. impulerit. *in ead. Præf. Bened. XIV. n. 2. & 3.*

Festis quibusdam diebus alicubi permissum est, ut audita Missa opera servilia exerceantur: ac sæpe de Festis minuendis actum est, & aliquid imminuta sunt. *Append. 13. tit. 2.*

In Festo Circumcisionis Domini, & in aliis Festis quæ olim Missa celebrabantur. *Appen. 11. t. 1.*

Fides.

Fidei Professio, quam Berengarius in Concilio sub Nicolao II. an. 1059. edidit, expenditur. *l. 2. c. 20. n. 4. & seqq.*

Fidei

Fidei dogma est, ad æternam salutem sufficere ei, qui Missam non celebrat, Christum sub specie tantum panis accipere: item totum Christum æque sub una, ac sub altera specie contineri. Improbanda non est lex prohibens, ne Eucharistia sub specie vini præbeatur Missam non celebrantibus. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 30.

Fides Mysteriorum Christi explicita, præsertim eorum, quæ in Ecclesia solemniter celebrantur, cuilibet necessaria est; sed de sublimioribus articulis alii magis, alii minus explicitam fidem habere debent. *post Append.* 12. *in Præf. Bened. XIV. n.* 5.

Fides de Incarnatione Divini Verbi necessaria est de necessitate medii. *ib.*

Fiscus.

Fiscus quomodo præsumere possit, eum, qui Hostias consecratas apud se retinet, aut alio asportat, pravam habuisse intentionem, & quomodo præsumere possit Hostias fuisse consecratas. *Append.* 10. *in Constit. Bened. XIV, §.* 4. *&* 5. V. *Hostia.*

Flaccus.

Flaccus Illyricus per Missam Argentorati editam putavit Fidem Catholicam labefactare, sed in ea plura Dogmatibus Catholicis stabiliendis accomodata continentur: ideo Lutherani curarunt, ut omnia exemplaria comburerentur. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 5.

Flectamus.

Flectamus genua aliquando post *Oremus* dicendum est. Olim Diaconus illud dicebat, tum post aliquam moram addebat *levate*, quia Populus in genua procidens tantisper orabat. Nunc Diaconus primum dicit, & Subdiaconus sine ulla mora secundum addit, quia Populus neque genua flectit, neque ad illa verba orat. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 4.

Forma.

Forma & materia Sacramentorum sunt res, & verba. V. *Materia.* Forma consecrationis panis in Missa sunt illa duntaxat verba, *Hoc est corpus meum*, cum intentione conficiendi Sacramentum, & ea verba pro consecratione sufficiunt, licet præcedentia non recitentur. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 13.

Forma Consecrationis Calicis sunt verba. *Hic est Calix sanguinis mei.* Reliqua usque ad *hæc quotiescumque &c.* forsassis ad integritatem tantum pertinent. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 14. *& seqq.*

Post formam consecrationis Græci orant Deum, ut panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi immutet. V. *Græci.*

Formæ Consecrationis, & Sacramentorum olim secreto custodiebantur. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 12.

Fragmenta Hostiæ, quæ super Corporale, vel super Patenam in Missa decidunt, in sumptione, & in aliquibus casibus etiam post Missam sumenda sunt. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 2. *& seqq.* V. *Hostia.*

S. Franciscus.

S. Franciscus Assisiensis Fratribus suis injunxit, ut non nisi unica Missa quotidie in suis Conventibus celebraretur, licet in iis plures essent Sacerdotes. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Sed incertum est, quid S. Franciscus per hoc intellexerit. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Cum vero dixit, eam Missam celebrandam esse secundum formam Romanæ Ecclesiæ, id intelligendum est *secundum Ritum Romanum*, non quod unica per diem Missa tunc Romæ celebraretur. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 10. Forsassis S. Franciscus id statuit pro corruptelis vitandis in eleemosyna pro Missa recipienda. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 1.

Franciscani Fratres quosdam ritus mutarunt, & consuetudinem per osculum pacem dandi in Missa sustulerunt. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 23.

S. Franciscus Salesius cuidam Sacerdoti pluribus rationibus suasit, ut Missam quotidie celebraret. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 4.

Francorum Reges.

Francorum Reges, suæ coronationis die, & in mortis articulo Eucharistiam sub utraque specie ex privilegio percipiunt. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 32.

Fratres.

Fratres, & Sorores olim se invicem Christiani appellabant: quod Gentiles iis perperam exprobrarunt quasi prostratæ pudicitiæ argumentum. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 9.

Fructus.

Fructus Sacrificii alius est internus, & *ex opere operato*, qui nunquam minuitur, quique si applicetur, semper operatur, si nullum obstet impedimentum. Alter est *ex opere operantis*, qui ex universa oritur Ecclesia, & augeri, vel minui potest pro majori, vel minori eorum sanctitate, a quibus Corpus Ecclesiæ constatur. Alius itidem est *ex opere operantis*, & ex ipso Sacerdote celebrante proficiscitur, qui, si bonus sit, potest effectum impetrare. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 20.

Fructus Sacrificii triplex est. Primus, generalissimus, cujus fideles omnes fiunt participes: alter specialissimus, quo Sacerdos fruitur: tertius medius, qui iis applicatur, pro quibus Sacrificium offertur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 1. *& seqq.*

Idem fructus medius est satisfactorius, & impetratorius. *cap.* 9. *num.* 5.

Fructus specialissimus, quem Sacerdos celebrans in se derivat, est veluti actio immanens, quæ nequit ab agente in alium transire, adeoque non licet aliam eleemosynam pro fructu specialissimo alteri applicato accipere. *l.* 3. *c.* 22. *num.* 13. V. *Applicatio, Eleemosyna.*

S. Fulgentius.

S. Fulgentius, nunquam stolam gestavit, ne a vita Monastica discederet. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8.

G

Galli.

Galli quidam, seu Gallicæ linguæ periti nonnulla, quæ apud quosdam auctores nova, inaudita, & a communi Ecclesiæ sensu aliena inveniunt, in familiaribus Italiæ Conventibus jactitant, eaque silent, quæ apud doctissimos, & pios Gallos Auctores contra sunt disputata. *Append.* 13. *Præf. ad lect. & Præf. seq. Bened. XIV, num.* 7.

Generales.

Generalibus Ordinum Regularium Superioribus facultas a Concilio Tridentino data fuit; ut in Capitulis generalibus Missarum perpetuarum onera contrahere, & minuere possent. Eandemque ab Urbano Octavo sublatam Alexander Septimus, aliique Pontifices instaurarunt. *Append.* 8. *§. Cum sapientissimi & seqq.*

Genuflexio.

Genuflexio, quæ fit, dum recitatur Symbolum, & S. Joannis Evangelium in Missa, quid significet, V. *Evangelium Symbolum.*

Gloria.

Gloria Dei significat etiam ejus gratiam, & misericordiam. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 27.

Gloria in Excelsis Deo, Hymnus est, cui Angeli initium dederunt, in Nativitate Christi: nonnulla alii addiderunt sed Auctores ignorantur. Græci Doxologiam vocant, ut *a Gloria Patri* distinguant. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 9. *&* 10. Ab Oriente ad Latinos pervenit, nec statim in Missa adhibitus est, sed in Officiis, post Missam in Galliis, a S. Benedicto in Laudibus, ab aliis in publicis acclamationibus cani cœpit. Sæculo 7, fortassis in Missam invectus est. *n.* 11. *&* 12.

In Missis tantum Nativitatis Domini, & Græce quidem in prima, Latine in altera Missa cani cœpit: inde Episcopis in Dominicis, & Solemnibus Festis, Presbyteris solum in Paschate illum recitare licuit. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 13. *&* 14. Nunc in omnibus Missis dicitur, exceptis Missis mortuorum, aliisque quarumdam Feriarum, & Dominicarum, quæ pœnitentiæ addictæ sunt; hic enim hymnus ad lætitiam pertinet. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 36.

Hunc hymnum Lutherus ipse probavit. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 19. Verba *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam* significant, gratias agi propter Dei misericordiam. *ib.*

Nunc in medio Altari dicitur: olim dicebatur in cornu Epistolæ, ut nunc fit a Carthusianis, & FF. Prædicatoribus. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 2.

Gloria Patri ab antiquis Patribus Glorificationis hymnus dicitur. In Ecclesiæ primordiis ex Apostolica traditione usurpatus creditur, cui Nicænum Concilium ad refellendos Arianos addidisse fertur *Sicut erat in principio &c.* Hæc additio in Hispania serius usurpata est, neque integra habetur in Liturgia Mozarabica *l.* 2. *c.* 3. *n.* 2. *&* 3. Ad Psalmum *Lavabo* in Missa omittitur a Dominica Passionis ad Sabbatum Sanctum, & in Missis Defunctorum, cum lætitiam præseferat, quæ his diebus non convenit. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 1. *&* 2.

Glossa.

Glossarum Juris Canonici Auctores celeberrimi vel Bononiæ nati sunt, vel ibi floruerunt. *post Append.* 13. *in Præf. Bend. XIV. n.* 30.

Graduale.

Graduale, seu Antiphona quæ post epistolam legitur, sic appellatur, vel quod in Altaris gradibus, vel quod cum Diaconus Ambonis gradus Evangelium lecturus conscenderet, caneretur. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 14. Vocatur quoque Responsorium, quia Lectioni quodammodo respondet. *ib.*

S. Cœlestinus, vel S. Gregorius ejus Auctor est. In Concilio Toletano IV. prohibitum fuisse videtur, quia ibi retentus est ritus Mozarabicus, in quo Graduale omittebatur. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 15. Doloris, laborisque signum est, ideoque Paschali tempore omittitur. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 19.

Græci.

Græci albo, & rubeo duntaxat colore aliquando usi sunt. V. *Color.* Bis aquam in Calicem infundunt. V. *Aqua.* Hostias quadratas adhibent, & Calicem, & Hostiam diversimode a Latinis super Altare collocant. V. *Hostia.*

In Missa spongia pro purificatorio utuntur, & quare. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Duobus quoque utuntur Manipulis. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 5.

Magnos tribuunt honores pani, & vino, quæ a Prothesi ad Altare consecranda deferuntur, mos ex Præsanctificatorum adoratione ortus est. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 27.

Post consecrationem in Missa orant Deum, ut panem, & vinum in Christi Corpus, & Sanguinem immutet, & quare. Credunt tamen transubstantiationem factam esse per verba consecrationis, ut in Concilio Florentino explicuerunt. *ib. §. c.* 15. *n.* 16. *ad* 20. Apud ipsos consecratio essentialiter consistit in verbis Christi. *Hoc est Corpus meum, Hic est Calix &c. ib.*

In Græcorum Ecclesiis unica per diem Missa celebrabatur. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Sacerdotes enim inter ipsos uxorem habent, qui vero non habent, quotidie celebrant. *n.* 10. In Minoribus Ordinibus constituti uxorem ducere possunt, eamque ad Sacerdotium promoti retinere. Sed iis non permittitur Missam celebrare, si proxima nocte cum uxore concubuerint. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 13.

Diebus jejunii non consecrant, sed præsanctificatum panem sumunt, & quare. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 14. Eorum Sacerdotes in Urbibus, in quibus unum solum est Templum, cum Episcopo celebrant. *c.* 16. *n.* 1. V. *Concelebratio.*

Græci in Missa id, quod Latini in quarta Canonis oratione exprimunt per illa verba *De tuis donis, ac datis*, enuntiant verbis, *tua ex tuis l.* 2. *c.* 16. *n.* 1.

In

In solemni communione Viris, & Feminis Eucharistiam ipsi sub utraque specie exhibent, & quomodo, *l. 2. c. 22. n. 25.* Feria 5. in Cœna Domini grandior panis consecratur, cujus quartam partem sumit Sacerdos, reliquæ tres in particulas, quas *Meridas*, seu *Margaritas* vocant, dividuntur, & Sanguine tinctæ, & igne exsiccatæ per integrum annum pro Infirmis conservantur. *ib.*

Græcis, & Albanensibus permissum est, ut diebus, quibus non-nisi Præsanctificatorum Missa apud ipsos celebratur, possint, servato in Ecclesiis Parochialibus eodem Præsantificatorum ritu, in aliis Ecclesiis, seu Cappellis Integram Missam celebrare. *Append. 3. de Sacramento n. 16.* Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata accipere possunt, Corporalia, ut Latini, habere debent, nisi Antimensiis sive Tronis more suo uti velint. *n. 18.*

Græcis, & Albanensibus permissum est, ut plura Altaria, seu Cappellas in suis Ecclesiis habeant. *Append. 3. §. de Sacramento n. 9.* Eodem Prælati, Parochi & Presbyteri tam sæculares, quam Regulares, & Laici inter Latinos degentes suis ritibus uti possunt, dummodo ea, quæ juxta Sacros Canones sine ullo Personarum, ac rituum discrimine servanda sunt, ipsi quoque custodiant, & quænam ea sint. *Append. 3. §. Quoniam & seqq.*

Romani Pontificis, & Ordinarii loci, non Patriarcharum, neque Antistitum Orientalium in Missis, & divinis Officiis commemorationem facere debent, & ubi Græco Catholico Antistiti ex licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii loci Pontificalia exercere permittitur, ejus nomen post Romanum Pontificem, & Ordinarium loci commemorare licet. *Append. 3. post §. 9. n. 4.* Non tamen in Ecclesia Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illæ subjiciuntur, Missas, & divina Officia cum solemnitate celebrent, *n. 6.* V. *Eucharistia.*

Gratia.

Gratia ad salutem necessaria non fraudantur Ii, qui Eucharistiam sub una tantum specie recipiunt. *l. 2. c. 22. n. 18. & n. 29. & 30.*

Gratianus.

Gratiani Decretum Bononiæ compositum, statim Scholæ, antiquis Canonum Collectionibus relictis, exponendum susceperunt. Multis erroribus scatebat, qui correcti sunt. *post Append. 13. in Præfat. Bened. XIV. n. 7.*

Hujus Decreti textus eam auctoritatem habent quam Auctores, e quibus desumpti sunt. *l. 3. c. 6. n. 7.*

S. Gregorius.

S. Gregorii M. jussu quidam Monachus diebus triginta continuis Missam pro Monacho Defuncto celebravit, quibus completis Defuncti anima e Purgatorio erepta fuit. Hinc Missarum usus dimanavit, quæ a S. Gregorio nuncupantur. *l. 3. c. 23. n. 2.* Quidam sine ulla facultate triginta Missas ineptas composuit, & a S. Gregorio appellavit, quas Sacra Rituum Congregatio prohibuit, non tamen vetuit, ne triginta Missæ diebus triginta continuis juxta morem a S. Gregorio inductum pro Defunctis celebrarentur. *l. 3. cap. 23. num. 3.*

S. Gregorius VII. nocte Nativitatis Domini in Basilica Liberiana celebrans a Cincio Urbis Præfecto graviter percussus fuit, neque tamen ab Altari recessit. *l. 3. c. 4. n. 23.*

Gutta.

Guttæ vini, quæ extrinsecus cuppæ Calici hærentes post purificationem deprehendantur, habendæ sunt tanquam non consecratæ, & purificatorio abstergendæ, si intrinsecus, probabilius tamquam consecratæ considerandæ sunt, & per secundam purificationem assumendæ. *l. 3. c. 17. n. 7.*

H

Hebræi.

HEbræi olim die Sabbati conventus suos a Moysis, & Prophetarum lectione inchoabant. *l. 2. c. 3. n. 9.*

Hebræi post lectionem Legis, & Propherarum sermonem ad Populum habebant. *l. 2. c. 7. n. 7.*

Machabæi in prælio occisi, & cum donariis Idolorum inventi, peccatum dumtaxat veniale avaritiæ commiserunt, & quare; adeoque pro iis orare licuit. *l. 2. c. 9. n. 3. & c. 17. n. 2.*

Hæc commixtio, & consecratio &c.

Quæ verba dicuntur, dum particula Hostiæ consecratæ in Calicem immittitur, quomodo intelligantur. *l. 2. c. 2. n. 19.* V. *Oratio. Consecratio.*

Hæretici.

Perperam calumniantur, Missam latino sermone celebrari, ne Populus Mysteria intelligat. *l. 2. c. 2. n. 1.* Et posse Sacerdotem juxta Catholicam de consecratione doctrinam panem omnem consecrare, qui in Foro venalis sit: sed refelluntur. *l. 3. c. 18. n. 3.*

In Hæreticorum libris utilia, & salutaria a noxiis, & pestiferis secernenda esse Patres monuerunt. Veritum tamen est, ne a Catholicis Hæreticorum libri legantur. *Post Append. 13. in 1. Præfat. ad Lect.* Episcopis semper licuit eos legere, ut, detecto eorum veneno, illos refellant, & plebi suæ pestiferam lectionem interdicant. *ib.* Si quid apud Hæreticos auctores laude dignum, & verum inveniatur laudari potest. *ib.*

Hæc igitur &c.

Secunda est Canonis Oratio, & quatuor continet petitiones. *l. 2. c. 24. tot* V. *Oratio.*

S. Hieronymus.

S. Hieronymus non probavit morem ad Altare in Canone nomina offerentium palam recitandi. *l. 2. c. 13. n. 25.*

Quidam putant, eum nunquam Missam celebrasse. *l. 2. c. 20. 5.* Quod falsum videtur, nisi forte S. Doctor dicatur noluisse in Monasterio Bethlehemitico Missam celebrare. *l. 3. c. 2. n. 8.*

Historia.

Historia tum Ecclesiastica, tum profana, dummodo a probatis Scriptoribus tradita sit, probabile argumentum Theologo pro rebus suis suppeditat, eademque Canonistis utilissima est. *post Append. 13. in Præf. Benedicti XIV. n. 13.*

Historiæ Ecclesiasticæ Baronius Parens fuit; inde orta est Ecclesiastica eruditio, quæ Religioni Catholicæ non leve præsidium affert: *post Append. 13. in Præfat. Bened. XIV. n. 13. & 14.*

Card. Palæottus Bononiæ studium sacræ Historiæ excitare conatus est, quod postea a nonnullis ibidem fuit excultum, sed mox intermissum, *post Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 15. & seqq.*

Ad hanc eruditionem comparandam necessaria est latinæ linguæ peritia, item Philosophia, ac Theologia, *post Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 17. & 20.* Plures eruditionis Ecclesiasticæ Academiæ Romæ erectæ sunt, & alibi essent erigendæ, & qua methodo frequentandæ. *n. 20. & seqq. ib.*

Verba: *Hoc facite in meam commemorationem* dicta a Christo in Eucharistiæ institutione non præcipiunt, ut ab omnibus Fidelibus idem Sacramentum sub utraque specie percipiatur. *l. 2. c. 22. n. 21.*

Homilia.

Homilia, vel sermo ad Populum olim habebatur in Missa post Evangelium, & mos ita saluris dabantur, ac pro aliis orationes incidebantur. *l. 2. c. 7. n. 7. & 8.* hic mos ab Hebræis derivatus est; servatur in Gallia, & a Parochis Italiæ. *ib.*

Hora.

Ab aurora ad meridiem Missa celebrari potest. Romæ praxis tolleratur, ut horæ triente ante auroram, & post meridiem celebretur. Improbatur vero usus multas ante auroram, & post meridiem horas Missam celebrandi, nisi Apostolicum adsit Privilegium. *l. 3. c. 7. n. 5. & Append. 10. in Nota in fine.* In Pervigilio Nativitatis Christi post mediam noctem Missa conventualis celebratur & S. Pius V. privilegia sustulit, in eodem Pervigilio ante mediam noctem celebrandi. *ead.*

Horæ Canonicæ in Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus Ecclesiis quotidie recitandæ sunt, sub quarum nomine Missa non continetur. *l. 3. c. 3. n. 4.* Non præpropere, sed exacte, & maxima cum religione canendæ sunt ab omnibus, qui Choro interesse debent, nemine excepto. *Append. 7. §. 23. & 24.*

Hostia.

Hostiæ olim grandiores erant, ut minores, & ad denarii magnitudinem fieri cœperunt, cum paoci in Missa communicarent. *l. 1. c. 5. n. 2. & 3.* Græci quadratas, Armeni, relictis quadratis, rotundas adhibent, ut etiam Latini, apud quos antiquissimus est rotundarum usus. Græci in medio, & in angulis figillum imprimunt, in quo litteræ sunt exprimentes *Jesus Christus vincit. n. 3. & 4.* Incertum est, quando ferro ignito confici cœperint. Denarii figuram habent, vel quia Domini est orbis terræ, vel quia Christus pro denariis traditus est, vel quia denarius in vinea laborantibus promercede promittitur. *ib.* Antiquissima est in Orientali, & Occidentali Ecclesia consuetudo Crucem vel Crucifixi imaginem in hostiis imprimendi. *num. 5.*

Hostiam inter se, & Calicem Sacerdos nunc recta collocat: Græci vero per lineam rectam a latere ad latus ponunt, quod diu etiam Romana fecit Ecclesia: Calix ad dexteram oblatæ locabatur, quasi sanguinem Domini suscepturus. *l. 2. c. 10. n. 19.*

Hostiæ, quæ in Missa consecrandæ sunt, ut Populo distribuantur, vel super Corporale, vel in Pyxide, non vero super Patenam ponendæ sunt, quando offeruntur, & Pixis super Corporale proxime post Calicem locanda est, & Sacerdos intendere debet eas hostias offerre, & consecrare. *l. 3. c. 18. n. 1.* Pixis vero oblationis, & consecrationis tempore est aperienda, & nisi aperiatur, particulæ valide, sed illicite consecrantur, & quare. *n. 2.* Non potest valide consecrari materia, sive hostia post tergum Sacerdotis posita, aut longe abiens, quamquam menti præsens, aut per corpus interjectum a Consecrante sejuncta. *n. 3.*

Hostiæ, quæ ad Altare in Missa consecrandæ deferuntur, postquam Canon recitari cœptus fit, nisi gravis legitima causa urgeat, non sunt consecrandæ, etiam si ageretur de consecranda particula pro Viatico ad infirmum deferenda, in quo casu potius ex majori hostia particula detrahi posset, & pro infirmo reservari. *l. 3. c. 18. n. 4. & 5.*

Si Sacerdos in Sacristia declaraset, se particulas Populo distribuendas consecraturum, & ad Altare, cum ipse Evangelium legeret, Pyxis ad partem Epistolæ poneretur, neque id Sacerdos adverteret, sed Missam de more perageret, particulæ in Pyxide positæ probabilius consecratæ non sunt, sed in alia Missa consecrandæ sunt. *l. 3. c. 18. n. 4. & 6.*

Si Sacerdos undecim particulas præsentes habeat, & decem dumtaxat consecrare intendat, quin decem determinet, nulla consecratur: consultius est, ut Sacerdos semper intendat consecrare totam materiam præsentem. *l. 3. c. 18. n. 7. & 8.*

Caveant Sacerdotes, ne hostia consecrata, aut sanguinis gutta in terram, aut in Altare decidat: si id contingat, servent regulas in Rubricis præscriptas. Olim pœnæ adversus negligentes statutæ erant. *l. 3. c. 20. n. 7.* Si particula, vel ejus fragmentum in feminæ pectus decidat, ipsa suis manibus quærat, & sibi in os injiciat. *ib.*

Hostia juxta omnes Liturgias in Missa frangitur, quia Christus in Eucharistiæ institutione id fecit, & fieri jussit. *l. 2. c. 2. n. 3.* Apud Græcos in partes quatuor dividitur, & quid de illis fiat. Mozarabes in novem dividunt partes. *num. 10.* V. *Mozarabes.* In Occidentali Ecclesia in tres partes dividitur, quarum una in Calice injecta cum sanguine sumitur, reliquæ duæ seorsim a sanguine sumuntur. Olim tertia pars in plures frangebatur particulas adstantibus, vel infirmis communicandis, cujusmodi ritus etiam nunc in Missa solemni Summi Pontificis, & in Missa Consecrationis Episcopi vestigia quædam remanent. *n. 11.* & quid tres illæ hostiæ

partes

UAB Biblioteca de Ciències Socials

partes significarent. *n.* 12. In fractione hostiæ Sacerdos Populum salutat, & per ejusdem *hostiæ* meritum benedicit dicens *Pax Domini*. *n.* 23. Tria Crucis signa super Calicem ducit, & quid hæc significent. *ib.* V. *Crux*.

Olim ab una ad aliam Ecclesiam. & a Summo Pontifice ad Episcopos suburbicarios hostia consecrata mittebatur, Papæ vero ad Altare proficiscenti, ut solemniter celebraret, hostia ab alio Sacerdote ante consecrata in parvo Ciborio exhibebatur adoranda, & quomodo tam ipse, quam Episcopus suburbicarius in hostiarum fractione se gererent, & quare earum particulas in Calicem injicerent. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 13. & 16.

Hostiæ particula in Calicem immissa significat Christi resurrectionem. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 17. & 18. Neque hic ritus inde ortus est, quod cum communio sub utraque specie Populo exhiberetur, vino consecrato deficiente, particula hostiæ consecratæ in vinum non consecratum immitteretur, & sacræ hostiæ contactu saltem benedictum Populo præberetur. *ib.* Vinum non consecratum per hostiæ consecratæ contactum non consecratur. Veritum est hostiam consecratam in commune vinum intingi, nisi pueris, aut infirmis panis consecratus præbendus esset. Solum Feria VI. in Parasceve pars hostiæ antea consecratæ in vinum non consecratum immittitur. *ib.*

Hostiæ Particula, quæ in Calicem immittitur ex parte inferiore est abrumpenda. Si autem sumpto sanguine, fundo Calicis adhæreat, vel digito extrahatur, vel melius infuso vino cum eo sumatur. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 1.

Si Hostiæ fragmenta in Corporali, vel in Patena supersint, post sumptam ablutionem, vel etiam post quam in fine Missæ adstantibus Eucharistia ministrata fit, ea Sacerdos absumat. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 2. & 3.

Si duas Hostias Sacerdos consecraverit, & ante corporis, & sanguinis sumptionem advertat, utramque sumere debet. Si vero sumpta jam ablutione integram Hostiam consecratam remansisse cognoscat, eam vel in Tabernaculo reponat, vel, si Tabernaculum non sit, decenter collocatam relinquat a Sacerdote sumendam, qui postea Missam celebraturus sit. Si neutrum fieri possit, illam absumat. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 4. Idem fervetur, si parvi moduli hostia fuerit, hæc enim sub hostiæ integræ nomine venit. *ib.* Si in Sacristia Sacerdos, ante quam sacras vestes exuerit, fragmenta inveniat, illa sumat. Si Sacras exuit vestes, fragmenta in Tabernaculo sunt recondenda, vel decenter reservanda, ut ab alio Sacerdote in Missa absumantur. Si neutrum præsto sit, aut Sacramentum a Sacristia ad Altare deferre periculosum sit, fragmenta ab eodem Sacerdote absumantur. *n.* 4. & 6. Olim in Ecclesia Constantinopolitana, si absoluta Populi Communione, panis consecratus superfuisset, pueris innocentibus dispertiebatur comedendus, qui mos etiam in Gallias traductus fuit. *ib.*

Si post Missam Processio SS. Sacramenti peragenda sit, & Sacerdos ad Altare recordetur hostiam, quæ in Tabernaculo servatur, in processione gestandam, diu ante consecratam fuisse, & renovandam esse, non debet hanc sumere, & aliam, quam recenter consecravit, servare pro processione. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. Si celebrans Hostiam parvæ formæ duntaxat habeat, alia vero justæ magnitudinis jam consecrata in Tabernaculo servetur in processione deferenda, consultius est, ut Sacerdos Populum admoneat, se non habere nisi eam parvam hostiam; aliam e Tabernaculo extrahat, & cum alia parva hostia elevet. *n.* 7.

Hostia, si corrupta sit, aut non triticea, idque ante, vel post consecrationem advertatur, alia accipienda, consecranda, & sumenda est. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 1. & 2. V. *Defectus*.

Hostiam Immaculatam, quæ verba dicuntur in oratione *Suscipe Sancte Pater* referuntur ad Corpus Christi respectu futuræ Consecrationis. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 2.

Tres Hostiæ in Missa Romani Pontificis aliquando adhibitæ sunt, & quare. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 8.

Hostiam, seu Hostias consecratas, qui sacrilego ausu, ad malum finem, cum Pyxide, vel sine illa, apud se retinere, vel alio asportare præsumpserit, vel id fieri jusserit, quicumque is sit, dummodo vicesimum ætatis annum attigerit, & judicialiter convictus fuerit, gravibus pœnis, etiam realis degradationis, & brachio seculari traditionis subjicitur. *App.* 10. *in Constit. Bened. XIV. per totam*. Fiscus quomodo præsumere possit hostias fuisse consecratas, & Reum pravam habuisse intentionem, quin exceptiones super his Reo suffragentur. *ib.*

Hostiæ elevatio in Missa quotuplex sit, & quando fieri cœperit. V. *Elevatio*.

Humilitas.

Humilitas, & reverentia non semper est causa sufficiens, ut Sacerdos a Missa celebranda abstineat. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 4.

Hymnus.

Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, Quem Auctorem habeat, & quando usurpatus fuerit. V. *Gloria in excelsis*.

Hymnum *Sanctus &c.* qui in Missa post præfationem dicitur, Latini Angelicum, Græci triumphalem appellant, nec idem est cum Trisagio *Sanctus Deus &c. l.* 2. *c.* 12. *n.* 18. Habetur in omnibus Liturgiis Græcis, & Latinis. *ib.*

I

Idiomatum communicatio.

IDiomatum communicatio etiam in Eucharistia locum habet, & hinc dici potest frangi corpus Christi. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 7.

Jejunium.

Jejunia, & preces olim in Missa ante communionem indicebantur. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 14.

Erroneum est asserere, rumpi jejunium, si Calix, Planeta, cæteraque sacra Indumenta ad secundam Missam eadem die adhibeantur. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 6.

Jejunus debet esse Sacerdos, ut Missam licite celebret, itemque Laicus, ut Eucharistiam licite sumat. Si Sacerdos scienter non jejunus celebret, excommunicationem incurrit. Jejunium naturale ante Missam, & ante Eucharistiæ susceptionem servandum per quamcumque parvam materiam frangitur, & solus Pontifex ab eo dispensat. *l.* 3. *c.* 12. *per tot.* V. *Licita Missa celebratio*. Potest vero Sacerdos non jejunus Missam ab alio Sacerdote inceptam, & interruptam aliquando absolvere. *c.* 14. *n.* 7. V. *Defectus*.

Jejunium naturale tabaci usu frangi nonnulli docuerunt. *App.* 9. *b. His suffulti*.

Jesus.

Jesus magni consilii Angelus dicitur, & sub hoc nomine intelligi potest in quarta Canonis oratione. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 23.

S. Ignatius.

S. Ignatius de Loyola suis Sacerdotibus injunxit, ne pro Missa celebratione stipendium acciperent. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 1. & Sacramentorum frequentiam promovit. *Append.* 4. *in Epist. ad Pont.* §. *Sentio*.

Inclinatio.

Inclinationes Corporis in Missa significant Sacerdotis humilitatem, & Christi obedientiam. *l.* 2. *c.* 11.

Indi.

Indi non sunt ab Ordinibus excludendi. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 6.

Indulgentia.

Indulgentia plenaria a Benedicto XIV. concessa est Lusitaniæ Regibus, & Reginis, eorumque Affinibus, & Consanguineis usque ad tertium gradum inclusive, qui præmissa Confessione, & Communione, ante Altare, Joannis V. Lusitaniæ Regis jussu Romæ extructum, ab eodem Pontifice consecratum, & ad eos transmissum, quasdam preces effuderint. *Append.* 5. §. *Nos quidem*.

In spiritu humilitatis quomodo in Missa dicatur. V. *Oratio*.

Intentio.

In Intentione vis Oblationis, & Consecrationis tota consistit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 1. Consecratio autem ab intentione, non ab opinione pendet. *n.* 8. Consultum est, ut quando plures particulæ in Missa consecrandæ sunt, Sacerdos intendat consecrare omnes, quas præsentes habet. *n.* 7.

Intentio conficiendi Sacramentum, cum in Missa proferuntur verba *Hoc est &c.*, facit, ut eadem verba quasi ex Persona Christi prolata intelligantur. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 13.

Intentio in Ordinante, & in ordinando ad validam ordinationem requiritur, uti patet ex pluribus Sacræ Congregationis Concilii resolutionibus, *l.* 3. *c.* 10. *a n.* 1. *ad* 7. V. *Congregatio Concilii*.

Triplex est intentio, habitualis, actualis, & virtualis. *l.* 3. *cap.* 10. *n.* 8. Habitualis ad validitatem Sacramentorum non sufficit: optima est actualis: sufficit virtualis. Apud antiquos distinguebatur solum in actualem, & habitualem; at habitualis in eorum sensu eadem erat, ac virtualis, quare ad validitatem sufficiebat. *n.* 9.

De Fide est, intentionem, sive actualem, sive virtualem esse debere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Nec satis est intentio faciendi extrinsecus, quod facit Ecclesia sine interno animo conficiendi Sacramentum, immo cum intentione interna jocandi, ut patet ex propositionibus damnatis. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 10.

Ad validitatem Missæ eadem, quæ ad ordinationis validitatem, intentio requiritur. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. Ordinandus vero, si metu ad ordines suscipiendos adigatur, & in actu Ordinationis intentionem habeat suscipiendi ordinem, valide ordinatur, secus, si obfirmato animo neget, se velle ordinem suscipere, quod explicatur exemplis. *n.* 12. & 13.

Presbyteri, dum in sua ordinatione Episcopo concelebrant, consecrandi intentionem habere debent. *l.* 3. *c.* 16. *n.* 4. & *seqq.* V. *Concelebratio*.

Pro applicatione Sacrificii intentio habitualis sufficit. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 8.

Intentio prava in eo, qui hostias sacras apud se retinet, vel alio asportat, quomodo, & quando sit præsumenda. *Append.* 10. *in Const. Bened. XIV. Quotiès & seqq.*

Interruptio.

Missa interrumpi potest, si lecto Euangelio concio habenda sit, vel si Populo aliqua nuncianda sint. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 15. Item tam ante, quam post consecrationem interrumpi Missa potest, si gravis urgeat necessitas Baptismum, vel aliud necessarium Sacramentum ministrandi proxime morituro; si facta sit consecratio, diligentissime curet Sacerdos, ut Sacramentum interim caute custodiatur, vel in Tabernaculo occludatur. *ib.*

Si celebrans ad Offertorium pervenerit, & Princeps, aut Prælatus adveniat, vel Populus alia Missa careat, juxta nonnullos potest Missa incepta ab initio repeti; quod alii non admittunt. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 6.

Introitus.

Introitus ex Antiphona, Psalmo, & Gloria Patri constat. Sic dicitur, vel quia est Missæ initium, vel quia a Choro canebatur, Sacerdote ad Altare accedente. Ambrosiani *Ingressa*, Carthusiani, aliique Regulares *Officium* appellant. Non S. Cœlestino I. sed S. Gregorio tribuendus est. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 1. & 2.

Introitus omnes e psalmis deprompti sunt, paucis exceptis, qui proinde dicuntur irregulares, ex sacris tamen paginis desumpti. Introitus Feriæ III. Pentecostes ex libro Esdræ deducitur. Olim integer Psalmus in introitu recitabatur, nunc pauci duntaxat versus Italicæ versionis, quæ ante D. Hieronymum in usu erat, dicuntur. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Antiphonam, in introitu alii ter, alii minime repetunt. *ib.*

Olim cum Introitum Chorus præcineret, Sacerdos illum omittebat,

tebat, nunc in omnibus Missis recitat, & quare. Introitus ex veteri Testamento desumptus denotat veterum Patrum Messiam expectantium desideria. *l.2.c.4.n.4.* Cum Romanus Pontifex solemniter celebrat, in introitu tres Presbyteri Cardinales illum osculantur. *n.5.* V. *Osculum*.

Joannes.

Joannem, qui in Missa post consecrationem memoratur, nonnulli putant esse Evangelistam, eumque ante consecrationem ob Apostolatus dignitatem, post consecrationem vero ob virginitatis privilegium nominari existimant; sed probabilius Joannes, qui post consecrationem nominatur, est Baptista. *l.2.c.18.n.5.*

Joannes Abulensis, Sacerdotem Christi corpus in Missa parum decenter tractantem, reprehendit, quare is ad meliorem frugem conversus est. *l.3.c.24.n.2.*

Irregularitas.

Irregularitatem incurrit, qui in loco interdicto Missam celebrat. *l.3.c.7.n.4.*

Italica.

Italica psalmorum versio ante D. Hieronymum in usu erat, eamque retinent Ambrosiani sectatores ritus Mozarabici, & Clerus Basilicæ Vaticanæ. *l.2.c.4.n.3.*

Italica lingua licet in Italia explicare res aliquas sacras, & Theologicas, aut criticas, & quare. *post Append. 13. in Præf. Bened. XIV. n. 6.*

Ite Missa est.

Hæc formula olim Cathecumeni, eorum Missa peracta, & Fideles, absoluta Missa, cui aderant, dimittebantur, & etiamnum in fine Missæ Populus dimittitur. *l.2.c.24.n.3. Ite Missa est* dicitur, quoties initio dictus est hymnus *Gloria in Excelsis, &c.*, & quinam sit eorum verborum sensus. *ib.* Eadem formula in Missis dierum festorum, non in ferialibus, neque pro Defunctis usurpatur, & quare. *ib.* Græci alia formula Populum dimittunt. *ib.*

Jube.

Jube Domine benedicere dicit Sacerdos post *Munda cor meum*; Diaconus vero *Jube Domne* dicere debet, & quare. *l.2.c.7.n.2. & 3.*

Jus.

Jus peculiare Sacerdotes habent offerendi sacrificium. *l.3.c.2. num.1.*

Justinianus.

Justinianus Imperator voce, quæ a Populo audiatur, divinam oblationem, & precationem fieri jussit; sed improbanda est hæc constitutio, & quare. *l.2.c.23.n.13.* In quibusdam tamen Orientis Regionibus effectum obtinuit, nunquam vero in Occidente, *num. 14. & 15.*

Justitia commutativa.

Justitia commutativa læditur ab eo, qui eleemosynam taxatione majorem pro Missa exigit. *l.3.c.11.n.13.*

K

Kyrie eleison.

GRæca verba sunt, ac significant *Domine miserere*. Dicuntur a Sacerdote in medio Altari post introitum, & reperiuntur in Liturgiis S. Jacobi, & veterum Græcorum Patrum; incertum tamen est, quis in occidentem ea invexerit; certe ante S. Gregorium in usu erant. *l.2.c.4.n.7.* Hæc verba Græca, & alia Hebraica, quæ in Missa usurpantur, significant eandem esse Ecclesiam, ex Hebræis, & Græcis primum, deinde ex Latinis conflatam. *ib.*

Kyrie eleison a Ministro, & a Sacerdote, *sex alternatim* dicuntur, ter *Christe eleison*, quæ repetitio habet peculiarem sensum, *ibid.*

Olim Sacerdos ea verba repetebat, quoties libuisset, & in Missis post Litanias omittebantur. Ambrosiani *ter illa* repetunt, nempe post *Gloria in excelsis*, post Evangelium, & in fine Missæ. *l.2. c.4.n.8.*

L

Laicus.

NUnquam Laicis consecrare licuit. Solvitur difficultas ex Tertulliano, & ex Theodoreto, qui asseruisse dicuntur, Missam a Laicis in necessitate celebrari posse. *l.2.c.13.n.10. & 11.* Offerre Laici dicuntur, qui ad Sacrificium aliquo modo concurrunt. *ib.* V. *Missa*.

Laicus Missam a Sacerdote interruptam absolvere nequit. *l.3. c. 24.n.6.*

Laici, tam Latini, quam Græci quomodo, & a quo communionem accipere possint. V. *Communio populi*.

Latini.

Latinis Sacerdotibus vetitum est, ne Missas, & alia divina officia in Græcorum Ecclesiis, & super eorum Altaribus majoribus celebrent, nisi in necessitate, & nisi Parochus Græcus consentiat. *Append. 3. §. De Sacramento n. 8.* Neque iisdem licet, si in Græcorum Ecclesiis celebrent, & proprio Altari portatili careant, super eorum Antimensiis, sive Thronis Sacrum facere. *n. XIX.*

Laicis quoque Latinis vetitum est communionem a Presbyteris Græcis sub specie fermentati accipere, *Append. 3. §. de Sacramento n. XII.*

Latria.

Latriæ cultus Christo in Eucharistia debetur. *l.2.c.15.n.26.*

Lectio.

Lectio Epistolæ ante Evangelium in Missa qualis sit. V. *Epistola*.

Lectores olim Epistolam, & Evangelium legebant. V. *Epistola. Evangelium*.

Lex.

Lex vetus usque ad Pentecosten, in qua Spiritus Sanctus super Apostolus immissus fuit, vim suam retinuit. *Append. 2.§. Inter argumenta*.

Leges Canonicæ vetuerunt, ne panis consecratus in commune vinum intingeretur, nisi pueris, aut infirmis præbendus esset. *l. 2.c.20.n.28.*

Libera nos &c. In Missa est quædam Orationis Dominicæ continuatio. *l.2.c.19.n.6.* V. *Oratio*.

Licita Missæ celebratio.

Ad licitam Missæ celebrationem Sacerdos esse debet in gratia, & ab omnibus censuris immunis. *l.3.c.11.n.1.* Qui indigne celebrat, probabiliter plura peccata committit. *n.2.* Qui lethalis culpæ sibi conscii sunt, debent Sacramentalem Confessionem celebrationi præmittere. Si necessitas urgeat, neque copia sit Confessarii, contritionem saltem existimatam præmittere debent, & quamprimum confiteri, neque sufficit attritio ut talis cognita. *n. 4. & 5.* Necessitas pluribus modis urgere potest, qui recensentur, etiam quoad Regulares. *n. 6. & seqq.*

Si cœpta Missa Sacerdos ante consecrationem recordetur, se lethale peccatum commisisse, aut non esse jejunium, aut aliqua esse censura implicitum, debet ab Altari recedere, si sine scandalo possit. Si ejusmodi recordatio post Consecrationem contingat, debet Sacrificium perficere, elicito contritionis actu, *l.3.c.11.n.9.* Si vero ante consecrationem, & non possit peccati pœnitere, debet omnino Missam dimittere, etiam si intelligat scandalum inde oriturum: alicubi vero scandalum non oritur. *ib.*

Qui grave peccatum commisit, debet eodem die, quo illud patravit, a celebranda Missa abstinere, etiam si confessus sit, nisi necessitas urgeat. *l.3.c.11.n.10. & seqq.* Quid de Græcis, qui cum uxore dormiunt. *ib.* V. *Græci*. Si pollutio etiam præter voluntatem, & citra peccatum contigerit, decet ab Eucharistia abstinere, si quod turpe phantasma adhuc animo obversetur, & mens distracta sit, & nulla causa ad celebrandum impellat. Si vero ex diaboli insidiis pollutio acciderit, non est ab Eucharistia abstinendum. *ib.*

Ad Missam licite celebrandam Sacerdos a media nocte jejunus esse debet. Cum nondum inventa erant horologia, Synodus Salegunstadiensis statuerat, ne, qui post galli cantum bibisset, Missam celebret. *l.3.c.11.n.1.* Potest tamen Sacerdos licite celebrare, licet, cibo ante mediam noctem sumpto, non dormierit, dummodo inde aliqua perturbatio non adsit. *n.2. & 3.* V. *Jejunium*.

Non licet Sacerdoti etiam Parocho die Nativitatis Domini, si in prima Missa absolutionem imprudens sumpserit, reliquas duas Missas celebrare: neque dici potest, quod inde scandalum oriatur. *l.3.c.11.n.4.* Non solvitur vero naturale jejunium, si reliquiæ dentibus, vel gutturi hærentes post mediam noctem deglutiantur, aut si mane, dum sibi os lavat, aquæ gutta per imprudentiam in stomachum labatur: videtur tamen solvi jejunium ab eo, qui e dentibus reliquiam lingua extraheret, & voluntarie deglutiret. *n. 5. & 6.*

Jejunium certo solveret, qui ante somnum saccarum sibi in os injiceret, quod paulatim liquescens in stomachum delaberetur; non item qui lingua aliquid degustaret, ut saporem probaret, & nil deglutiret. *l.3.c.11. n. 6.* Qui dubitat, an jejunium naturale fregerit, deberet a Missa celebranda, & ab Eucharistia suscipienda abstinere. *n. 7.* Neque licet Sacerdoti non jejuno Missam celebrare, ut possit infirmo Viaticum ministrari. *n. 8.*

Ad licitam Missæ celebrationem Sacerdos latinus in azymo consecrato, debet habere vestes, & vota sacra, & celebrare intra tempus præscriptum, & in Ecclesia, vel in Oratorio ab Ordinario approbato, ac super Altare consecratum, vel saltem, in quo sit Petra sacra: rursus, neque Minister, neque Altaris ornamenta abesse debent. At venialiter solum peccaret, qui in Altari celebraret sine Cruce. Exteri Sacerdotes, facultatem celebrandi ab Ordinario obtineant, in cujus Diœcesi celebrant, nisi aliquæ circumstantiæ, & casus ab his solvant. *l.3.c.13 n.1.*

Qui super panem, & vinum communi mensæ apposita sine sacris vestibus, sine cæremoniis, sine precibus, sed cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, Consecrationis verba pronunciaret, illicite, sed valide consecraret. *l.3.c.13.n.2.*

Præterea Sacerdos, qui celebret, antequam Matutinum, & Laudes recitaverit, aliquando solum venialiter, aliquando mortaliter peccat, & alicubi excommunicationem incurrit. Item observare debet, quæ in Rubricis præscribuntur. *l.3.c.13.n.4.*

Non licet, cœpta Missa, ab Altari recedere, & qui sine legitima causa post Consecrationem id præsumpserit, graves pœnas incurrit. *l.3.c.14.n.2.*

Lingua.

Apostoli, eorumque Successores prædicabant, & Divina Officia celebrabant lingua vernacula ejus Populi, ad quem Evangelium promulgabant, *l.2.c.2.n.3.*

Lingua latina olim totius Occidentalis vernacula, & in Africa communis erat, & hac lingua in Missa Apostoli in Occidente usi sunt. *l.3.c.2.n.34. & 8.* Degeneravit in aliam linguam, idest Italam, ex Nationum exterarum, & præcipue Longobardorum, in Italiam incursionibus. *ib.*

Lingua rustica Romana dicebatur olim sermo Gallorum, ex pluribus linguis conflatus: *Teodisca* vero erat lingua Germanorum. *l.2.c.2.n.5.*

Expe-

Expedit, ne Missa in vernaculum sermonem convertatur: refelluntur, qui aliter sentiunt. *l.2.c.21 a n.5. ad 36.*

Frequenter linguæ mutantur, & quælibet fere Civitas propriam habet. *l.2.c.2.n.5.* Hebraica in captivitate Babylonica vulgo periit, retenta dumtaxat in publicis functionibus. *n. 6.*

Gentibus ad Fidem recens conversis Sedes Apostolica pro diversis circumstantiis permittit, vel prohibet linguæ vernaculæ usum in Divinis Officiis, optat tamen, ut potius eorum aliqui lingua latina erudiantur. Constans disciplina est, ut in Divinis Officiis lingua retineatur, in qua primum eadem peragi consueverunt, etiam si lingua mutetur. *l.2.c.2 a n.9. ad 14.*

Romæ olim, & Constantinopoli in quibusdam solemnitatibus Epistola, & Evangelium Latina, & Græca lingua in Missa legebantur, uti nunc fit, dum Papa solemniter celebrat. *l.2.c.2.n.12.*

S. Cyrillus, & S. Methodius Orientales Monachi liturgiam Sclavonica lingua in Moraviam ad fidem conversam induxerunt, quæ liturgia aliquando permissa, aliquando vetita fuit, & quomodo. *l.2.c.2.a n.9. ad 16. & seqq. V. Liturgia.*

Paulus V. permisit, ut apud Sinas Missa, ac Divina Officia Sinica lingua celebrarentur, sed id usum non obtinuit. *l.2. cap. 2. num. 13.*

Qui linguarum donum obtinuerint, lingua auditoribus communi, juxta monitum S. Pauli prædicare debent. *l.2.c.2 n.16.*

Orientales in suis Liturgiis lingua utuntur pluribus ignota. *l.2. c.1.n.16.*

Lingua, quæ proprie Græca dicitur, ab ea distat, quæ nunc Græci vulgo utuntur. *l.2.c.2.n.4.*

Linguæ latinæ elegantia Imperatori Augusto cordi fuit, ac de eadem Romani Pontifices solliciti fuerunt. *post Append. 13. in Pref. Bened. XIV. n. 17.*

Linteum.

Linteorum usus super Altari antiquissimus est. Tria præter Corporale lintea requiruntur ad Missam celebrandam: illud, super quo Corporale explicatur, *subsatorium* dicitur. *l.1.c.3.n.5.* Debent esse ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente benedicta. *c.2. n.1.*

Linteum mundum, dum Populo Eucharistia distribuitur, apponi consuevit, & quare. *l.2.c.21.n.13.* In linteum mundum, quod *Dominicale* appellabant, olim feminis Eucharistia tradebatur. *num. 3.*

Littera.

Literam encyclicam Benedictus XIV. ad omnes Italiæ Episcopos scripsit super controversia, an Sacerdos Missam celebrans teneatur Eucharistiam adstantibus ministrare, qui eam bene dispositi postulent, & quid in ea littera statuatur. *l.2.c.22 n.17.*

Alias litteras Apostolicas idem Pontifex scripsit, quibus stricte vetuit, ne pinguia stipendia in una Diœcesi pro Missis celebrandis capiantur, & Missæ in aliam Diœcesim, parte stipendii detracta, celebrandæ amandentur. *l.3.c.22.n.23.*

Liturgia.

Nullam forsasse Liturgiam Apostoli condiderunt, sed paulo post eorum mortem, aut etiam probabiliter ipsis viventibus aliqua Liturgia conceptis verbis condita fuit, eaque profecto non sola Oratione Dominicali, & Consecratione conflata erat. *l. 2.c. 23. num. 3.*

Sæculo VI. dumtaxat Liturgiæ sacræ litteris mandari cœperunt, antea Sacramentorum formæ secreto custodiebantur. *lib. 2. c. 23. num. 12.*

Liturgiam Idiomate Sclavonico SS. Cyrillus, & Methodius Monachi Orientales in Moraviam cum fide introduxerunt. Adrianus II. & Joannes VIII. primum eam improbarunt, mox permiserunt: sed in quodam Concilio sub Alexandro II. abrogata fuit, neque illam S. Gregorius VII. Regi Bohemiæ concessit. *l. 2. c. 2. a n. 3. ad 12.* Liturgia Sinico Idiomate proposita fuit, sed ad usum non est redacta. *n. 13.* Cum prædicta Joannis VIII. permissione non pugnat Synodus Tridentina, monens Missam non esse vulgari lingua celebrandam. *n. 15.*

Liturgia apud Græcos peragitur lingua, olim omnibus communi, nunc paucis cognita. *l.2.c.2.n.6.*

Liturgiæ Orientalium non omnes lingua vernacula peraguntur. *l.2.c.2.n.16.* Præscribunt commixtionem aquæ, & vini in Missa. *c.10.n.5.* In iis orationes differunt, quæ alta, ab iis, quæ submissa voce recitandæ sunt. *c.23. n.12.*

Liturgia, quæ S. Jacobo tribuitur, vere ipsius est, quidquid alii sentiant. Liturgia S. Marci probabiliter ejusdem est. *l.2. c. 3. num. 13.*

Liturgia Copto Arabica ex Mss. Vaticanis desumpta, & Romæ Typis edita Sacerdoti celebranti præcipit, ut benedictionem cum Cruce Populo impertiat, & quomodo. *Append. 2. §. Si vero.*

Liturgia Mozarabica, Gothica, & Ambrosiana. *V. Ritus.* Liturgiæ non sunt linguæ vernaculæ peragendæ. *V. Lingua.*

Locus.

Locus, in quo Missa celebranda est, designatur. *Append. 10. post Const. Bened. XIV. in nat. in fine capitis.*

Longobardi.

Longobardi præcipue Italam vulgarem linguam, amota latina, invexere. *l.2.c.2.n.4. V. Lingua.*

Lumen.

Lumina adhibebantur olim, & adhibentur nunc in Ecclesiis, & in Missa, non ad depellendas tenebras, sed ad symbolicam significationem. *l.1.c.3.n.4.* Duo candelabra ab utraque parte Crucis significant Populum Christianum, & Judaicum. *ib.*

Lumina ex cera, vel ex oleo, vel urgente necessitate, e sevo necessaria sunt ad Missam celebrandam, ita ut nefas sit Missam sine his omnibus celebrare, etiam urgente necessitate, ne Populus die festo Missa capiat, aut ne moribundus sine Viatico decedat. *l.3.c.7.n.2.* Si aliorum lumen e cera reperiri non possit, unicum in necessitate adhiberi potest. *ib.*

Lusitania.

Lusitano Clero quam gratum fuerit, quod sibi a Benedicto XIV. privilegium concessum sit tres Missas die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrandi. *Append. 4. in epist. ad Pont. §. At cum.*

Lusitania Benedicti XIV. opera libentissime suscipit. *in epist. Præsul. Conimbr. ad Calc.*

Lutherus.

Probavit hymnum *Gloria in excelsis Deo*. *l.2.c.4.n.17.* Sed probavit etiam ritum in Missa solum vinum adhibendi. *c.10. n. 9.* Admisit hostiæ elevationem in Missa. *c.15. n. 32.* Sed Missam privatam, in qua solus Sacerdos communicet, abrogari voluit, & hoc consilium a Dæmone se accepisse fatetur. *c.22.n.8.*

Lutherani curarunt, ut omnia exemplaria Missæ ab Illyrico editæ comburerentur, & quare.

Luxuria.

Luxuria in lumbis dominatur. *l.1.c.10.n.5.*

M

Machabæi.

MAchabæi, qui in bello sub Juda Machabæo ceciderunt, & cum denariis Idolorum inventi fuerunt, denaria eadem non ob Idolorum cultum, sed ex avaritia diripuerunt, adeoque eorum peccatum non fuit lethale: quare idem Judas pro iis orari jussit; præterea existimari potuit eos ante mortem peccati pœnituisse. *l.2.c.37.n.2.*

Manichæi.

Manichæi Romæ aliquando inventi sunt, qui ne agnoscerentur ad Altare cum Catholicis accedentes Eucharistiam cum iis sumebant, qui eam sub panis tantum specie accipiebant. *l.1.c.21.n.21. & 23.* Id Manichæi faciebant, ut sic sanguinem hauriæ declinarent, utpote qui dicebant, vinum opus esse Diaboli. *ib.*

Manipulus.

Quarta est ex sacris vestibus, & est ornamentum manus. Primis temporibus Sudariolo ad sinistram alligato Sacerdotes utebantur sudori tergendo, & naribus emungendis, quod apud Saxones *Fanon* appellabatur. *l.1.c.8.n.1.* Hoc Sudariolo etiam Clerici ad Altare uti poterant. Clerici Romanæ Ecclesiæ sibi dumtaxat id licere contendebant, sed S. Gregorius primis Diaconis Ravennatensibus Archiepiscopo ministrantibus illud concessit. *n. 2.*

Manipulus sæculo VIII., vel X. aut XI. Sudariolo substitutus fuit. *l.1.c.8.n.3. & 4.* Nunc Sacerdotes illum ante stolam sumunt, olim post *Confiteor*, uti nunc Episcopi, qui a planeta tunc super brachia plicabatur. *n. 5.* Manipulus olim erat instrumentum, nunc sacra vestis est, & aliquod continet Symbolum. Græci *Epimanicion* appellant, qui, sicuti & Maronitæ, duobus Manipulis utuntur. *ib.*

Manipulus pœnitentiam significat, & fructum bonorum operum vel vincula, quibus Jesus ad columnam ligatus fuit. Sinistro brachio aptatur, quod significat præsentem vitam, in qua pœnitentiæ opera rebus omnibus sunt præferenda. *l.1.c.10.n.6.*

Manus.

Manus *Organum organorum* dicitur, eique opera omnia tribuuntur. *l.1.c.12.n.2.* Abluendæ manus sunt ante Missam. *V. Ablutio.*

Manus junctæ in Missa Sacerdotis humilitatem, & Christi obedientiam significant. *l.1.c.11.n.3.*

Manibus nunc ad humeros elatis, olim extensis orationes in Missa recitabantur. *V. Collecta. Brachium.*

Manus extensæ super hostiam, & Calicem in Canonis oratione. *Hanc igitur &c.* significant Sacerdotem se, Populumque Christianum cum Christo, paulo post mystice immolando, Deo offerre. *l.1.c.14.n 3.* In lege veteri manuum impositio super victimam indicabat, Sacerdotem cum ea conjunci. *ib.*

Maria Virgo SS.

B. Maria Virgo prima est, a qua in Canone inter alios Sanctos opem petimus, nam omnes sanctitate superat. *l.2.c.13.n.22. & seqq. V. Oratio prima Canonis.*

Maronitæ.

Maronitæ duplici utuntur Manipulo. *l.1.c.8.n.3.* In eorum Ecclesiis una tantum per diem Missa celebratur. *l.3.c.2.n.6.*

Martyres.

Martyres dumtaxat in prima Canonis oratione post B. Virginem, & Apostolos memorantur. *l.2.c.13.n.22. & seqq. V. Oratio prima Canonis.*

Materia.

Materia, & forma in Sacramentis, res, & verba significant. Ex Peripateticis ad Theologos ea verba defluxerunt, & a multis sæculis utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis admisit. *l.2. c.5.n.12.*

Matthias.

S. Matthias Apostolus in Canone Missæ non inter Apostolos ante consecrationem, sed post consecrationem inter Martyres memoratur, quia Passionis tempore nondum erat Apostolus. *l.2.c.38. num.5.*

Matutinum.

Matutinum, & Laudes ante Missam Sacerdos recitare debet. *l.3.c.13.n.3. & 4. V. Licita Missæ celebratio.*

Melchisedech.

Melchisedech Sacrificium, Sacrificii nostri figura fuit, ejusque

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Sacerdotium ejusdem formæ fuit, cujus Sacerdotium Christi. *l.2.c.16.n.11.& 12.*

Melchisedech, quidquid Hæretici sentiant, gente fuit Cananæus, & Rex Salem, seu Hierosolymæ, ejusque nulla est genealogia; fuit quoque Sacerdos, & panem, ac vinum obtulit in Sacrificium, & in his Christi Sacerdotium, & novæ legis Sacrificium optime fuerunt expressa. *l.2.c.36.n.18.& seqq.*

Melitenses.

Melitensibus permissum est, ut super eorum triremibus navigationis tempore Missas celebrari possit, & quomodo, *App. 6. per tot.*

Memento.

Memento in Canone cum sacra Scriptura convenit. V. *Oratio. Memento etiam Domine &c.* quinta est Canonis Oratio. *l.2.c.27.n.1.V. Oratio.*

Mensulæ.

Mensulæ quædam olim communicantibus apponebantur. *l.2.c.22.n.3.V. Communio Populi.*

Meritum.

Merita nostra sunt dona Dei. *Meritum* vero in sexta Canonis Missæ oratione intelligi pro demerito potest. *l.2.c.18.n.2.& 3.*

Minister.

Minister necessarius est ad Missam celebrandam: debet esse masculus, & in quibusdam Conciliis præscribitur, ut sit Clericus talari veste, ac superpelliceo indutus. *l.1.c.11.n.1.* Olim Populus Sacerdoti Sacrificanti respondebat, & in Monasteriis Missæ aliquando sine Ministro celebratæ sunt, quod verum postea est, nisi Sedis Apostolicæ adsit indultum. Alicubi fœminæ ministrarunt, quod improbatum est. *n.2.3.*

Si Viaticum Infirmo ministrari debeat, potest Sacerdos sine Ministro celebrare, sibique ipse respondere, neque fortassis peccaret, qui audiendæ Missæ gratia sine Ministro celebraret. *l.3.c.7.n.3.*

Ministri Ecclesiæ ex Fidelium oblationibus olim alebantur, & inter egenos computabantur. *l.3.c.21.n.3.*

Miseretur.

Miseretur initio Missæ dicitur a Sacerdote, & a Ministro ad peccatorum remissionem obtinendam. *l.3.c.3.n.4.& 5.* Dicitur etiam ante Communionem Populi, sed omittitur in ordinatione Presbyteri. *c.22.n.1.,& 2.*

Missa.

Missæ nomen oritur, vel Hebraico verbo *Missach*, quod oblationem significat, vel a verbo *Mes*, quod apud Septentrionales Festivitatem, & Sacrificium denotat, vel probabilius a verbo *Missio*, cum olim Diaconus Cathecumenos, Pœnitentes, & Energumenos ad oblationem, Populum vero, expleto Sacrificio, dimittebant. Quare etiam nunc in fine dicitur *Ite Missa est*: & in hoc Hæretici quoque conveniunt. *l.2.c.1.per tot.*

Missa vel significat Fidelium preces per Sacerdotem ad Deum delatas, vel probabilius denotat Sacrificium, cui Fideles aderant. *l.2.c.1.n.5.*

Missa est quædam repræsentatio oblationis, qua Christus se Patri obtulit. *l.2.c.3.n.6. In Missa sit sub modo victimæ destructio*, & omne id, quod ad Sacrificii pertinet essentiam. *c.36.n.22.*

In Missa Christus est præcipuus offerens: Sacerdos ex Christi virtute, & persona offert: Laici offerre dicuntur, vel per Ministerium Sacerdotum, vel quod externum aliquod Ministeriam præstant, aut aliter ad Sacrificium concurrunt, nunquam tamen ipsi consecrarunt, aut consecrare possunt. *l.2.c.13.n.11.& 12.*

Missarum diversæ sunt genera. *Append. 11. tit. 1.* Apostolicis temporibus non sola oratione Dominica, & communione Missa constabat. *l.1.c.19.n.2.,& 3.*

Missa Cathecumenorum quid esset V. *Cathecumeni*. Missa Fidelium, seu Sacramentorum erat Missæ pars ab Evangelio ad finem, cui soli Fideles adesse poterant. *l.2.c.7.n.9.,& 10.*

Missas *bifaciatas*, & *trifaciatas* Sacerdotes quidam perperam celebrarunt, ut pluribus accentis stipendiis per unicam Missam satisfacerent, & quænam illæ fuerint. *l.3.c.21.n.8.*

Missæ, quas a S. Gregorio appellabant, quid essent, an liceant V. *Defuncti*.

Missa Judicii appellabatur ea, quæ celebrabatur, antequam aliquis delicti infamia laborans in vulgarem aquæ frigidæ probationem descenderet, quod amplius non licet. *l.3.c.20 n.2.& 3.*

Missarum in perpetuum celebrandarum onera antea relicta, & acceptata in suis Diœcesibus, Episcopi, qui Concilio Romano sub Benedicto XIII., per se, vel per Procuratores interfuerunt, itemque superiores Ordinum Regularium Generales in suis Religionibus minuere possunt ex privilegio. *Append. 8. §. Attamen*, sors pro Missis perpetuis in certa summa determinatur. *l.3.c.22. n.3.* V. *Eleemosyna*. De augendo Missarum adventitiarum stipendio aliquando actum fuit. V. *Eleemosyna*.

Missa privata multifariam dici potest. *l.2.c.22.n.7.*

Missas, in quibus solus Sacerdos communicat, illicitas esse, nec veri Sacrificii a Christo instituti rationem habere, Lutherus, aliique Hæretici contenderunt, quorum assertionem Concilium Tridentinum merito damnavit. *n.8.& seqq.& Append. 10. in Epist. Bened. XIV. §. Ac primo*.

Missæ privatæ neque Feria V. neque Feria VI. neque Sabbato Sancto celebrari possunt, nisi Festum Annunciationis B. M. Virginis, aut S. Josephi in eamdem Feriam V. incidant. *l.3.c.3. n.8.,& seqq.*

Missa ficta appellatur ea, in qua non consecratur, sed peculiari quodam ritu perficitur. Dicitur etiam nautica, & quare. *l.3. c.6.n.8.* Olim celebrabatur supra Triremes Melitenses: alibi post prandium celebrari fertur, si Cadaver sepeliendum sit; & nonnulli putant, posse coram infirmo, præcipue de Episcopi licentia celebrari: sed alii melius hanc Missam ficcam improbant. *ib.*

Missa de communi, & juxta Missale Romanum in Ecclesiis Regularium proprium Missale habentium, ab exteris Sacerdotibus eo die celebranda est, quo Regulares iidem Missam alicujus Sancti propriam ipsis duntaxat concessam celebrent. *l.3.c.23.n.2.*

Missa de Spiritu Sancto, pro Defunctis, & de Sanctissima Trinitate in Synodo Diœcesana celebranda est. *Append. 12. Constitutam, & seqq. V. Synodus.*

Missæ initium a signo Crucis sumitur, quod quibusdam Orationibus recto ordine dispositis perficitur. *l.2.c.3.n.3.& seqq.* Quo Idiomate Missa celebranda sit. V. *Lingua*. Aliquando Missa interrumpi potest. V. *Interruptio*. Possunt in Missa defectus contingere, quibus occurrendum est. V. *Defectus*. A pluribus simul Missa celebrari potest. V. *Concelebratio*. Plura requiruntur, ut valide, & licite celebretur. V. *Validitas*. Licita Missæ celebratio. Aliis applicari potest. V. *Applicatio*. Missæ fructus triplex est. V. *Fructus*.

Missa quæcumque ex parte Sacrificii æqualiter Defunctis prodest, non ex parte Orationum. *l.3.c.23.n.4.*

Missa neque nimis prolixe, neque festinanter, sed summa decentia, pietate, ac religione celebranda est. *l.3.c.24.per tot.*

Non licet recto capite Missam celebrare, nisi Romanus Pontifex permittat, aut gravis necessitas exigat. *l.1.c.9.n.1.& 3.*

Missam cantare olim idem erat, ac recitare. *l.3.c.2.n.6.*

Missa ex Christi, & Concilii Tridentini præcepto quibusdam saltem anni diebus ab omnibus Sacerdotibus celebranda est. *l.3. c.1.per tot.* Consultius est, & Jesu Christi, atque Ecclesiæ sponsi magis congruit, ut Sacerdotes, si post summam moralem diligentiam certi moraliter sint, se non esse indignos, Missas quotidie celebrent. Neque facile omittenda est ob humilitatem, aut reverentiam, vel ob magni fervoris, & attentionis, aut majoris compunctionis, & sensibilis devotionis, & lacrymarum effectum. *c.2.a n.1.ad 4.*

Missam olim nonnulli Sacerdotes, vel nunquam, vel raro quemodum celebrabant, aliisque idem suadebant, quod in quibusdam Ecclesiis adhuc observatur. Alii vero frequenter, immo quotidie celebrarunt. *l.3.c.1 a n.5.ad 10.* Etiam ante Pontificem Deus dedit plures Missas Romæ celebrabantur *n.8.* Solum in Sacello Pontificis unica per diem Missa celebrabatur. *n.10.*

Utilissimum est Missam frequenter celebrare. *Append.4. in fin. ad Pont. §. Sensio*. Et frequens Missæ celebratio Sanctitatis nota est. *Append.11. tit.2.*

Missa aliquando petita fuit, sed non concessa. Celebratur in actu Canonizationis, & conceditur in Beatorum, & Sanctorum honorem. *Append.11. tit.2.V. Beati. Sancti.*

Missa in Templis consecratis, vel benedictis, aut in privatis Sacellis, si facultas adsit, celebranda est, & aliquando fetiam extra templa, & Sacella. *l.1.c.21.a n.1.ad 8.& l.3.c.6.per tot.* Temporibus Apostolorum in tertia Domus contignatione celebrabatur. Aliquando in carcere, Criptis, navi, & similibus, tempore pertissimum persecutionum, celebrata fuit. *ib.* aliquando etiam super pectus Martyrum, & super manus Diaconorum. *c.2.n.4.* In mari, vel in flumine aliquando celebrari potest. V. *Navigium*.

Missam cum quidam pueri in Syria celebrare in agro vellent, ignis e cœlo delapsus Altare ab iisdem erectum, & omnia super eo posita absumpsit, ipsosque pueros percussit. *l.1.c.23.n.6.,& 7.*

Missa a Flacco Illyrico Argentorati edita multa continet Dogmatibus Catholicis accomodata, quæ describuntur, & ideo Lutherani omnia ejus exemplaria comburere studuerunt, sed frustra *l.1.c.12 n.5.*

Missa in sola Sacerdotis ordinatione elata voce integra celebratur. V. *Secreta*.

Missa unica olim in singulis Ecclesiis celebrabatur. *Append. 11. in Epist. Bened. XIV. §. Haud agre* & regula est, non licere Sacerdoti, nisi unam Missam eodem die celebrare, quamquam in particularibus casibus secunda Missa eodem die ab eodem Sacerdote celebrari possit; quando tamen plures Missas celebrat, in prima Missis a purificatione abstinere debet. *l.2.c.24.n.13.,& 14.*

In solemnitate Nativitatis Domini triplex Missa celebratur. *ib.& App.11 tit.3.* Et olim in solemnitate Circumcisionis Domini, & quibusdam aliis Festivitatibus duplex Missa celebrabatur. *ib.* Item plures Missas idem Sacerdos uno die celebrare poterat, quod postea magis ad avaritiam coercendam, quam ad Missarum iterationem prohibendam veritum est. *App. 4. in Epist ad Pont. §. At cum aliquid, & §. Certum est, & in Litt. Apost. §. Ut autem*. Sed Benedictus XIV. Clero Hispano, & Lusitano permisit, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, tres Missas Sacerdotes cujusque in Hispaniæ, & Lusitaniæ Regum Ditionibus commorantes celebrare possent, & quomodo. *ead. Append. 4. in Litt. Apost. per tot.& seqq., & l.3. a n.9. ad 12.* V. *Benedictus*.

Detestabile admodum est turpem quæstum pro Missa facere *Append. 4. in Epist. ad Pont. a §. Per te, ad §. Ita dolebat*.

Missam olim post meridiem, immo etiam noctu celebrari consuevit, cum ab aurora usque ad occasum unicuique fas esset quamcumque horam Sacrum facere. *Append. 4. in Epist. ad Pont. §. Jam vero, & seqq.* Postea Missæ celebrandæ tempus ab aurora ad meridiem statutum fuit, quibusdam locis, & Personis ex privilegio exceptis. *§. Fatear*. Et Benedictus XIV. cum Clero Hispano, & Lusitano permisit, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Missas celebrare possent, indulsit, ut eas duabus post meridiem horis celebrare liceret. *ead. App. 4. post Epist. ad Pont. in eum emanato*. *Missale*.

Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii transfertur in Missa, & reducitur, & quare. *l.2.c.6.n.6.*

Missale a Cardinali de Biffy pro Ecclesia Melitensi editum, a quodam impostore quo ad modum recitandi secretas fuit corruptum, sed ab eodem Cardinali fuit censura notatum. *l.2.c.23.n.14.*

Missale Romanum in Sacrario Ecclesiarum Ordinum Regularium, qui Missale particulare habent, retinendum est, & quare. *l. 3. c. 23. n. 1.*

Missale Trecense plures novitates continet, quæ recensentur. *l. 2. c. 3 n. 2. & l. 2. c. 23 n. 19.*

Missale quoddam in Gallicam linguam conversum, ab Alexandro VII. reprobatum fuit. *l. 2. c. 2 n. 7.* Aliud Missale Sinico Idiomate ad usum Missionariorum ad Sinas proficiscentium compositum fuit, sed nondum admissum est. *n. 13.*

Missionarii.

Missionariis Apostolicis facultas conceditur plures eodem die Missas in quibusdam casibus celebrandi. *l. 3. c. 5. n. 4.*

Missionariis ad Sinas concessus est pileoli usus in Missa, & quare. V. *Vestes.*

Monachi olim Missam quotidie celebrare non solebant. Alii tamen erant, & sunt, qui ob devotionem, vel ob eleemosynam, Missam quotidie celebrant. *l. 3. c. 2. n. 10.*

Monasterium in Syria eo in loco ædificatum fuit, ubi quidam pueri Missæ cæremonias imitari ausi, igne a cœlo delapso percussi sunt. *l. 2. c. 23. n. 6. & seqq.*

Mozarabicus Ritus.

Mozarabicus ritus ita dictus est, cum tota ferme Hispania ab Arabibus occupata, Christiani *Mixtarabes*, ac deinde *Mozarabes*, id est cum Arabibus mixti appellarentur. *l. 2. c. 3 n. 14.* Hispania sub S. Gregorio VII. hunc ritum reliquit, Romanum amplexa. Sed Cardinalis Ximenius Archiep. Tolet. curavit, ut Missale, & Divina Officia ejusdem ritus, typis imprimerentur, & in quodam Sacello metropolitanæ Ecclesiæ juxta eumdem ritum Missa celebrarentur, quo ritu etiam nunc quædam illius Diœcesis Parœciæ utuntur. *ib.* Gothicus etiam dictus fuit, quia usitatus in Hispaniis, cum Gothi ibi imperitarent. *ib.*

In veteri Mozarabico ritu nulla fiebat in Missa confessio, sed ejus loco quasdam orationes Cardin. Ximenius addidit. *l. 2. c. 3. num. 10.*

In Liturgia Mozarabica introitus vocatur *Officium l. 2. c. 4. n. 2.* Primæ Orationes *Collectio* dicuntur. *l. 2. c. 5. n. 1* Duæ lectiones una ex veteri, altera ex novo testamento ante Evangelium leguntur. *n. 12.* Post primam, Responsorium dicebatur, post secundam, *Amen*, & canebatur Evangelium. *n. 15.* Post Evangelium pariter *Amen* dicitur *l. 2. c. 7. n. 6.*

In Missa Mozarabica Symbolum Constantinopolitanum post Canonem ab Universo Clero, & Populo canitur, & interim Sacerdos hostiam consecratam super Calicem tenet, & quare. *l. 2. c. 8. num. 11.*

In Missali Mozarabico adest Oratio *In Spiritu humilitatis &c.* & post hanc dicitur *Veni Sancte Spiritus Sanctificator. l. 2. c. 10. n. 20.* Præfatio in hoc Missali *Inlatio* appellatur, & quare. *l. 2. c. 11. n. 11.* In eodem Elevationis Sacramenti mentio fit, sed hoc Card. Ximenii est additamentum. *l. 2. c. 5. n. 28.*

Mozarabes in Missa ante Orationem Dominicam eodem fere modo, quo Latini, pie præfantur, *Oremus. Præceptis salutaribus &c. l. 2. c. 19. n. 1.*

Juxta Mozarabum ritum hostia in Missa in novem dividitur partes, quarum cuique alicujus ex Christi Mysteriis nomen imponunt, *ut Incarnationis, Nativitatis &c. l. 2. c. 20. n. 10.* Et in fractione hostiæ non solum Episcopi, sed etiam alii Sacerdotes Populum benedicebant, qui ritus ad Ecclesiam Gallicanam permanavit *l. 2. c. 5. n. 24.*

Mozarabes in Missa pacem dant ante præfationem. *l. 2. c. 20. n. 23.* Et juxta eorum ritum plures Orationes sub silentio recitantur. *l. 2. c. 23. n. 32.*

Mulier.

Mulieres ab Altaris ministerio omnino repelluntur. *Append. 3. 9. de Sacramento. n. 21.*

Multi.

Multi in sacris Scripturis sæpe idem est ac *omnes*; & hoc modo in consecratione Calicis vox *pro multis* accipitur. *l. 2. c. 13. num. 11.*

Munda.

Munda cor meum dicit Sacerdos in medio Altari ante Evangelium, & quare. *l. 2. c. 7. n. 1.*

Mysterium.

Mysterium Fidei, quod dicitur in consecratione vini, accipitur quasi Fidei objectum. Hæc verba non sunt in Evangelio, sed ab Apostolis tradita. *l. 2. c. 12. n. 10.*

N

Nativitas.

NAtivitas Domini nocte non est Eucharistia iis, qui Missæ adstant, ministranda. *l. 3. c. 18. n. 15.*

Nativitatis Domini Solemnitas excepta fuit in prohibitione, ne plures Missæ ab uno Sacerdote eodem die celebrarentur. *l. 3. cap. 21. num. 8.*

Navigium.

In Navigio in mari Missa celebrari potest, dummodo Apostolicum adsit privilegium, neque ad hoc Altaris portatilis privilegium sufficit. *l. 3. c. 6. n. 10. & 11.* Hoc privilegium Missæ in mari celebrandæ Clemens XI. Ordini Ierosolymitano concessit. *ib.* Idemque a Benedicto XIV. eidem ordini concessum fuit sub quibusdam conditionibus, quo etiam ad Pontificias triremes extensum est. *Append. 6. per tot.*

Nazareni.

Nazareni inter primos Christianos erant, iique a vino ex toto abstinebant, quare verisimile est communionem sub specie tantum panis traditam eis fuisse. *l. 2. c. 22. n. 19.*

Necessitas.

Necessitas multifariam urgere potest, ut Sacerdos lethalis peccati reus, præmissa contritione Missam licite celebret. *l. 3. c. 22. n. 5. & seqq.* V. *Licita Missæ celebratio.*

Nobis.

Nobis quoque peccatoribus &c. ultima est Canonis oratio. V. *Oratio.*

Nota.

Nota ILL. olim idem valebat, ac nunc apud nos *NN. l. 2. c. 13. n. 5.*

Notarius.

Notariorum Sedis Apostolicæ de numero participantium privilegia Cathedrale Collegium Paravinum obtinuit. V. *Collegium.*

Novella.

Novella quædam Justiniani Imperatoris mutationem quamdam in Missam induxit. V. *Justinianus.*

Numerus.

Numerus impar Unitatem, & conjunctionem designat, illumque Ecclesia amat. *l. 2. c. 5. n. 3.*

Nuptiæ.

Nuptiæ si benedicendæ sint, non proinde secunda Missa eodem die a Sacerdote celebrari potest. *l. 3. c. 5. n. 5.*

O

Oblatio.

OBlationes olim a Fidelibus in cornu Epistolæ fiebant, & ideo Sacerdos a cornu Epistolæ ad Evangelii cornu transit, & illuc deinde redit. *l. 2. c. 6. n. 5.* Dum Oblationes in Missa fiebant, nihil recitabatur, sed in Ecclesia Carthaginensi a tempore S. Augustini nonnulli versiculi ex Psalmis cani cœperunt, quem morem contra alios ipse defendit. *l. 2. c. 9. n. 2.* Ab Oblationibus Offertorium nomen traxit. V. *Offertorium.*

Panis, & Vini oblationem Fideles omnes ad Missarum solemnia convenientes non modica quantitate ad Altare olim faciebant, cujus Panis, & Vini pars consecrabatur, & offerenti dabatur, reliquum Sacerdotibus, & Clericis sustentandis cedebant. *l. 3. c. 22. n. 3.* Hic mos diu viguit, & idcirco Christiani omnes a Tertulliano Sacerdotes appellati fuerunt. *ib.* Licebat etiam ad Altare oleum, incensum, novas spicas, & uvas offerre; alii fructus ad Episcopum deferebantur, ut Presbyteris, Diaconis, & Clericis distribueretur. *l. 3. c. 22. n. 2.* In Ecclesia Carthaginensi in Paschate lac, & mel pariter offerebantur, ut recens baptizatis darentur. *ib.* Posteriori ætate nihil, præter panem, & vinum, offertorii tempore offerri consuevit, & si quid aliud fideles in Sacerdotum commodum ad Altare offerre voluissent, id vel ante Missam, vel ante, aut statim post Evangelium fieri licebat. *ib.*

Pecunia an prioribus Ecclesiæ seculis ad Altare offerri soleret, incertum est. *l. 3. c. 22. n. 3.* subsecutis temporibus offerri consuevit, sed quando hic mos cœperit, non satis exploratum est. *ib. n. 4.* certum est, olim sive panem, sive denarium Ecclesiæ, & Clericis in commune oblatum fuisse, & non peculiari Sacerdoti, ut Missam privatim faceret, quæ uni eleemosynam offerenti prodesset, aut cui idem prodesse vellet. Hic mos eleemosynam in particulari offerendi, non ante seculum 8. cœpit, neque ante seculum 12. ubique exceptus est. *l. 3. c. 22. n. 5.*

Oblatio materiæ in Missa consecrandæ, mente saltem semper facienda est, antequam materia ipsa consecretur. *l. 3. c. 13. a n. 2 ad 23. & seqq. & c. 18. a n. 2. ad 25. & seqq.*

In oblatione Calicis dicitur, *offerimus*, quia olim Sacerdos cum Diacono eam orationem in Missa solemni recitabat, qui ritus postea in privata retentus est. *l. 2. c. 10 n. 1. & n. 27.* Dicitur, *Calicem salutaris*, idest Christi, qui illum *offerendum* instituit, si diceretur *Calicem salutarem* adhuc vero esset verborum sententia respectu futuræ consecrationis. *l. 2. c. 10. n. 18.*

Per *Oblationem*, quæ vox in secunda Canonis oratione *Hanc igitur* &c. habetur, non indicatur oblatio facta, sed mox facienda. *l. 2. c. 14. n. 2.*

Oculus.

Oculos ad Cœlum Christum elevasse in Panis consecratione scimus ex Apostolica traditione. *l. 2. c. 22. n. 20. ib.* etiam alias Christum oculos ad Cœlum elevasse ex Evangelio habemus. *ib.*

Offertorium.

Offerre alii præter Sacerdotes in Canone Missæ dicuntur, & quomodo. V. *Prima Canonis oratio.*

Offertorium continet omnia, quæ fiunt a verbis *Dominus vobiscum* post Symbolum, usque ad conclusionem secretæ orationis, & nomen traxit ab oblationibus, quas antiquitus in usum Sacrificii Fideles faciebant. *l. 2. c. 9. n. 1. & 2.* Non constat, quis auctor consuetudinis canendi offertorium fuerit. *ib.*

Offertorium Missæ Defunctorum ad modum Responsorii compositum est, per ea verba, *Libera animas de pœnis Inferni &c.* Ecclesia non orat pro iis, qui æterno igni addicti sunt, neque putat, animas in Purgatorio detentas ad Inferos esse dejiciendas. *l. 2. c. 9. n. 3.* Hoc Responsorium legi consueverat, cum ægrotus morti proximus esset, inde in Missis, & funeribus fortassis adhiberi cœpit, retrahendo tempus ad punctum mortis. *n. 4. ib.* Nihil in iis verbis continetur non verum: de purgatorio enim intelligenda sunt, & quomodo. *l. 3. c. 9. n. 5. & 6.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Officium.

Officii Divini nomine Missa etiam intelligitur. *l.3.c.3.n.4.*

Officium votivum in Beatorum honorem recitari non debet. potest vero aliud officium in eorumdem honorem recitari, non ad satisfaciendum obligationi, sed ex devotione. *Append.11. post tit. 2.3. Secunda, & 9. Tertia. p 109. 324*

Olei usus in consecrationibus. V. *Consecratio*.

Orarium.

Orarium apud profanos Scriptores Sudariolum significat, apud Sacros Stolam. *l.1.c.8.n.7.* Olim longus erat ad modum fasciæ, eoque Sigismundus Burgundiæ Rex Filium necari jussit. *ib.* Orarium dictum creditur ab ora, quæ vestis laciniam significat. *n.8. ib.*

Oratio.

Oremus dicitur, ut adstantes ad orandum Deum excitentur. *l.2.c.3.n.2.*

Oratio *Misereatur*, aliæque Orationes initio Missæ dicuntur, quibus peccatorum venia petitur. *l.2.c.3.n.4. & 5.* Orationes, & Confessiones nostras Sancti audiunt, & intelligunt. *l. 2. c.3.n.11.*

Orationes apud Ecclesiasticos Scriptores *Collectæ* dicuntur. *l. 2. c.5.n.2.* olim diversimode recitabantur. V. *Manus*.

Orationes Ecclesiæ nisi falsi continent. *l.2.c.9.n.5.* Adventus tempore, dum dicitur *Rorate cœli*, & similia, oratio ad tempus Prophetarum retrahitur. *n.4. ib.*

Orationes quinque post Offertorium dicuntur, nempe *Suscipe Sancte Pater*, *Offerimus tibi Domine*, *In Spiritu humilitatis*, *Veni Sanctificator*, *Suscipe Sancta Trinitas*. Neque omnes admodum antiquæ sunt, ab omnibus tamen receptæ. *l.2.c.10.n.1.* Prima, *Suscipe &c.* plura continet, quæ fuse explicantur. *n.2. ib.* Oratio *Offerimus* explicatur. *l.2.c.10.n.6. & seqq.*

Oratio *In spiritu humilitatis* vetustissima est, & in omnibus Missalibus reperitur; ex trium puerorum in fornace Babylonis oratione desumpta est. *l.2.c.10.n.20.*

Oratio *Veni Sanctificator*, vetustissima est, & ad Spiritum Sanctum dirigitur: olim in quibusdam Ecclesiis ejus loco hymnus Spiritus Sancti dicebatur: in Missa Mozarabica *Veni Sancte Spiritus Sanctificator* dicitur: consonant veteres Liturgiæ Græcæ, & Latinæ: & quid per hanc orationem declaretur. *l.2.c.10.n.20. & 21.*

Oratio *Suscipe Sancta Trinitas* incertum est, cujus sit antiquitatis. *Ejus substantia in Liturgiis Græcis*, & in Missalibus sæculo XI. antiquioribus reperitur. Eam non recitant Carthusiani, ac per ipsam solam olim Ecclesia Gallicana, ut nunc FF. Prædicatores, & Carmelitæ, panem, & vinum simul offerrebat. *l.2.c.11.n.4.* In hac oratione mentio fit Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, ut totum exprimatur Sacrificium. Græci Incarnationis etiam mentionem faciunt. *n.5. & 6. ib.* Hæc oratio dirigitur ad SS. Trinitatem, quod olim non fiebat, & quare. *l.2.c.11.n.7.*

Orationes omnes olim ad Patrem dumtaxat dirigebantur, nunc ad SS. Trinitatem aliquando dirigunter, & quare. *l.2.c.11.n.7.* Quamquam etiam nunc orationes, paucis exceptis ad Deum Patrem per Filium in unitate S. Spiritus dirigantur. *ll.2.c.13.n.2.* Ecclesia vero in orationibus non Patrem, sed Filium, & Spiritum Sanctum invitat, ut e Cœlo adveniant, ad Patrem vero orat, ut mittat. *l.2.c.10.n.21.*

Orationem *Orate Fratres* Sacerdos dum profert, circulum conficit. *l.2.c.11.n.8.* Hujus orationis substantia in SS. Jacobi, & Marci Liturgiis reperitur; quo ad verborum formam S. Leoni tribui potest. *n.9. ib.*

Orationes secretæ quomodo dicendæ sint. V. *Secreta*.

Orationes Canonis.

Prima Canonis oratio est *Te igitur*, & extenditur usque ad *Hanc igitur &c.* Orationes *Memento Domine*, & *communicantes* non sunt ab ea diversæ, & quare. *l.2.c.13.n.2.* Dirigitur ad Patrem, & in ea Sacerdos pro Ecclesia Catholica, pro Papa, pro Episcopo, & in quibusdam locis pro Rege precatur. Verbum *Illibata* denotat Sacrificia offerenda esse sine cordis, & corporis macula. *l.2.c.13.n.2. & seqq.*

In hac oratione etiam in Ecclesia Orientali Summi Pontificis mentio fieri consuevit: intermissa vero fuit propter Photii schisma: sed quoties de utraque Ecclesia conciliandæ actum fuit, Græci nomen Pontificis Canoni restituere debuerunt. *l.2.c.13.n.3.* In Ecclesia occidentali eadem consuetudo antiquissima, immo legibus sancita est. *ibid.*

Mentio Episcopi est juxta Apostoli præceptum. In Oriente Presbyter pro Episcopo, hic pro Archiepiscopo, iste pro Patriarcha orat. Iidemque, & Cardinales pro se ipsis orant. Romæ Episcopi nomen omittitur, & quare: neque licet Regularibus pro Episcopo Superiorem Generalem, neque Clero Prælatum sibi præpositum, licet Jurisdictionem quasi Episcopalem, & Territorium separatum habeat, neque Presbytero proprium Episcopum in aliena Diœcesi nominare. *l.3.c.13.n.4.*

Mos orandi pro Regibus ex Apostolo, & antiquis Patribus habetur, immò in quibusdam Liturgiis post Constantinum nomen erat Imperatoris, qui tunc regnaret. *l.2.c.13.n.5.*

Ejusdem orationis verba, *& omnibus Orthodoxis &c.* in vetusto Ordine Romano, & in aliis antiquis libris desunt, & alii ea redundare affirmant, sed perperam. *l.2.c.13.n.6. & 7.*

Ad verbum *Memento* Sacerdos pro vivis orat, quibus Sacrificii fructum applicare intendit, non tamen eos nominat, sed animo præsentes habet. *l.2.c.13.n.8. & 9.*

In eadem oratione verba, *pro quibus tibi offerimus*, *vel qui tibi offerunt*, non significant, alios præter Sacerdotes consecrare, sed offerre ii etiam dicuntur, qui aliquid ad Sacrificium conferunt, & aliquo modo concurrunt. *l.2.c.13.n.11. & 12.* Particula *vel* hic est copulativa, neque correctionem continet, neque denotat utrumque ad libitum dici, vel omitti posse, neque scribenda est rubrica. *l.2.c.13.n.13. & 14.* Verba *pro quibus tibi offerimus* in quibusdam antiquis Codicibus deesse dicuntur, sed retinenda sunt. *ib.* In hac oratione quid significet *Sacrificium laudis*. V. *Sacrificium*.

Primæ hujus orationis pars est *Communicantes &c.* Hæc significat unionem Sanctorum in Cœlo existentium cum Fidelibus in terra degentibus, ac per eamdem Sanctorum opem petimus, quod Christi meritis non derogat. *l.2.c.13.n.21. & n.25.*

In eadem oratione post B. M. Virginem, & Apostolos, Martyrum duodecim, qui vel Romæ, vel in locis Patriarchatui Romano proximis subjectis passi sunt, mentio fit: incertum est quis fuerit S. Xistus, qui inter hos Martyres memoratur. Nulli Confessores in Ecclesia Romana nominantur, bene vero apud Ambrosianos, & alios. *l.2.c.13.n.22. & seqq.*

Prima hæc oratio in quibusdam Missalibus appellatur *super Diptycha*. V. *Diptycha*. Vetus disciplina est osculandi Altare ad verba *Supplices rogamus ac petimus*, quod quidam Regulares omittunt. *l. 2. c. 15. n. 28.* Tria Crucis signa in hac oratione fiunt. V. *Crux*.

Secunda Canonis oratio est, *Hanc igitur*, *&c.*, & quatuor continet petitiones. In Paschate, & Pentecoste nonnulla adduntur quo ad eos, qui tunc baptizantur. *l. 2. c. 14. n. 1.* Verba *Hanc oblationem* non indicant oblationem jam factam, sed faciendam, quam Sacerdos animo præsentem habet. *n. 2. ibid.* S. Gregorius huic orationi addit *diesque nostros &c.*

In hac oratione per illa: *In electorum tuorum jubeas grege numerari*, petitur, ut Deus nos ad se convertat, & ad æternam Beatitudinem perducat. *l. 2. c. 14. n. 3. & 4.* Manus super hostiam, & Calicem extenduntur, & quare. *l. 2. c. 14. num. 5.* V. *Manus*.

Tertia Canonis oratio est, *Quam oblationem &c.* usque ad finem Consecrationis, & in ea Ecclesia Deum orat, ut oblationem faciat *benedictam &c.* quæ verba diversimode explicari possunt. *l. 2. c. 18. n. 1. & 2.*

In hac oratione petitur, ut panis, & vini fiat transubstantiatio in Corpus, & Sanguinem Christi, licet certo futura sit, nam potest a Deo peti, quod certo futurum est. Vel fortasis non petitur, ut consecratio impleatur, sed ut nobis fructuosa fiat. *l. 2. c. 15. num. 2.* Quinque in eadem oratione Crucis signa fiunt. V. *Crux*. Verba consecrationis, & quæ proxime præcedunt, quo sensu a Sacerdote proferantur. V. *Consecratio*.

Quarta Canonis oratio incipit ab *iis verbis*, *Unde & memores Domine &c.* & ducitur usque ad *Memento*. In quibusdam Missalibus, ubi in prima hujus orationis parte legitur, *Domini nostri*, habetur, *Domini Dei nostri*, quæ vox *Dei*, licet optima, & magni momenti sit, omittenda videtur ab iis, qui ritum Romanum sequuntur. *l. 2. c. 16. n. 1. & 2.* Eadem oratio apud S. Ambrosium reperitur: & in quibusdam Missalibus legitur, *unde & memores sumus*. *ib.* Verba illa *Hostiam puram*, *hostiam sanctam*, *hostiam immaculatam*, quomodo intelligantur. *l. 2. c. 16. n. 3.*

In hac oratione, dum Sacerdos Deum orat, ut oblata sibi corporis, & sanguinis Christi dona sereno, & propitio vultu respiciat, non censet, se Mediatorem esse inter Patrem, & Christum, sed quia oblatio vel ex parte Sacerdotis, vel ex parte Populi potest non esse accepta. *l. 2. c. 16. a n. 10. ad 21.* Verba illa *Sanctum Sacrificium*, *Immaculatam Hostiam* recte conjungi possunt cum verbis proxime præcedentibus, nempe, *quod tibi obtulit . . . Melchisedech*, vel cum proxime sequentibus, *supplices te rogamus*, *&c.* ita ut ad novæ legis Sacrificium referantur. *ib. & n. 22.*

Ad hujus orationis finem Sacerdos Deum orat, ut jubeat, oblata per manus Angeli in sublime Altare suum in conspectu Divinæ Majestatis perferri, videlicet, ut jubeat Fidelium vota, & preces Angelorum ministerio in conspectum suum perferri, ut eorumdem Angelorum ministerio ei gratæ sint. *lib. 2. cap. 16. num. 23. & seqq.* Actiones quædam in hac oratione fiunt. V. *Actus*.

Quinta Canonis oratio incipit, *Memento etiam*, *Domine*: ubi particula *etiam* non redundat, sed indicat, orationem, hactenus pro vivis factam, deinceps pro defunctis continuari. Ac primo Sacerdos animo præsentes habere debet defunctos, pro quibus præcipue intendit orare: deinde pro animabus omnibus precatur, quæ in Purgatorio detinentur, & quo modo id ex Apostolica descendat traditione. *l. 2. c. 17. n. 1. & seqq.*

Hæc oratio olim vocabatur *oratio super Diptycha*, & quare: ejus vestigia in Gallia remanent. *l. 2. c. 17. n. 4. & 5.*

Ultima Canonis oratio incipit, *Nobis quoque peccatoribus &c.* ac definit in clausulam, *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ proxime orationem præcedit Dominicalem. *l. 2. c. 18. n. 1.*

In hac oratione Sacerdos Deum precatur, ut se, & adstantes in Triumphantis Ecclesiæ consortium, *non æstimator meriti* admittat, & idcirco hæc oratio dicitur *ad consortium*, & quid per *meritum* intelligatur. *l. 2. c. 18. num. 2. & 3. et num. 8.* V. *Meritum*.

In eadem oratione plures Sancti diversi ordinis, inter quos Joannes, Stephanus, Matthias, Petrus, invocantur, & quare, & quo ordine. *l. 2. c. 18. a n. 4. ad 7.* V. *Joannes*, *Stephanus*, *Matthias*, *Petrus*.

Ad illa verba, *Largitor admitte*, olim novi fructus benedicebantur. *l. 2. c. 18. num. 9. et seqq.* V. *Benedictio*. Reliqua Verba *Sanctificas*, *Vivificas &c.* explicantur. *l. 2. c. 18. n. 13.* Actiones, quæ in hac oratione fiunt, sunt plura Crucis signa, itemque parva

UAB Biblioteca de Ciències Socials

parva Hostiæ, & Calicis elevatio, & explicantur. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 14. *& seqq.*

Oratio Dominicalis ex Apostolica consuetudine in Missa recitatur. Non tamen est Canonis pars, neque a S. Gregorio addita est, & ante ipsam Latini, aliique pie iis verbis præfantur: *Oremus, Præceptis &c. l.* 2. *c.* 19. *n.* 1. *&* 2.

S. Gregorii ætate oratio Dominicalis fortassis vel non amplius in Missa recitabatur, vel post communionem dicebatur, & idem Sanctus ante communionem recitari jussit. *l.* 2. *c.* 32. *n.* 8. Falsum omnino est Missam Apostolicis temporibus ex sola oratione Dominicali constitisse. *ib. n.* 3.

Oratio Dominicalis submissa voce in Divinis Officiis, elata in Missa recitatur, & quare. Olim Catechumeni non prius hanc orationem docebantur, quam satis ad suscipiendum Baptismæ instructi essent. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

Oratio Dominicalis in Missa Græcorum tum a Sacerdote, tum a Populo recitari consuevit, quam disciplinam Ecclesia Gallicana aliquando retinuit. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 5. *&* 6. clauditur voce *Amen*. *ib.* V. *Amen*.

Oratio *Libera nos &c.* est orationis Dominicæ continuatio. In ea a malis liberari petimus, quare græce *Embolismus* dicitur, & quid per *mala* intelligatur. *l.* 1. *c.* 19. *n.* 6. *&* 7. In eadem ad B. Virginem, & ad alios Sanctos confugimus, inter quos adest S. Andreas, quia primus ad Apostolatum vocatus fuit, & olim Sacerdoti licebat quosliber alios Sanctos addere, & alicubi alii nominantur. *ib.* In hac ratione nonnullæ fiunt actiones, & quid significent. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 9. *& seqq.* V. *Actio. Pastna*.

Oratio, *Hæc commixtio &c.* Feria 6. in Parasceve omittitur, & quare; & vox *Commixtio* ad panis, & vini species referri debet. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 19.

Oratio *Agnus Dei* a Sergio I. in Missam introducta fuit. Sacerdos in hac oratione ter sibi pectus percutit in signum contritionis, etiam cum dicit, *Dona nobis pacem*, & quare. In Missis defunctorum omittitur pectoris percussio, nec dicitur *Miserere nobis*, sed *Dona eis requiem*, & quare. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 20.

Orationes tres post *Agnus Dei* dicuntur, quæ ex piorum hominum traditione institutæ sunt. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 20. Earum vero prima in Missis defunctorum omittitur, & quare. *ib.*

Oratio, quæ *Postcommunio* appellatur quid sit, V. *Postcommunio*. Orationes, quas Sacerdos post Communionem recitat, tum ad ipsum, tum ad cæteros communicantes spectant. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 9.

Oratio *super Populum* vetustissima est, & olim in omnibus Missis per totum annum dicebatur: nunc in Missa feriali per Quadragesimam solum dicitur. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 2.

Oratorium.

Oratoria in Templi ambitu ad Missam celebrandam olim erant, cum unicum in Templo Altare esset, ut nunc apud Græcos. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 11.

Oratorium omnium Sanctorum Gregorius III. extruxit, in quo Reliquias Sanctorum ex omnibus orbis terræ partibus conquisitas reposuit, & cujusque Sancti Festivitatem in eo celebrari jussit. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 12.

In Oratoriis privatis, domesticisque Sacellis Missa ex privilegio celebrari potest. Hoc vero privilegium nunc Romano Pontifici reservatum est. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 11. *&* 13. *c.* 6. *n.* 1. *&* 2.

In privatis Episcoporum, & Cardinalium Oratoriis, seu Capellis plures quotidie Missæ celebrari possunt etiam a Sacerdotibus, qui non sint de Familia, licet Episcopus, vel Cardinalis absit; & qui Missam in iis audiat, licet non sit de Familia, Ecclesiastico præcepto satisfacit. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 6.

In Oratoriis privatis dum Summi Pontifices privilegium celebrandæ Missæ concedunt, solent diem Nativitatis Domini, & similes solemnitates excipere. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 2. Sed si ob aliquam rationabilem causam permittat, ut etiam illis solemnioribus diebus Missa in Oratoriis celebretur, sacra Concilii Congregatio censuit, die Nativitatis Domini tres Missas in iis celebrari posse, & quare. *a n.* 3. *ad* 8. *ib.*

In Oratoriis publicis intra alicujus Parochiæ fines sitis, Episcopus juste prohibere potest, ne alia Missa ante Parochialem celebretur. *Append.* 12. *Institut.* 44. §. *Denique*. V. *Parochialis*.

Ordo.

Ordo incipiendi Missam pluribus orationibus perficitur. *l.* 2. *c.* 3. *per tot.*

Ordo, quo Christus Eucharistiam instituit, describitur. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 8. *& seqq.*

Ordo debitus servandus est in Missa celebranda. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 2.

Ordo Sacerdotalis non est contemnendus, quod nonnulli Sacerdotes fuerint, qui avaritiæ, & turpi quæstui pro Missæ celebratione studuerint. *Append.* 4. *in epist. ad Pont.* §. *Neque aliquis*. Neque contemnendi sunt Ordines Religiosi, quod in eis aliqua vitia detegantur. *ib.*

Ordinatio ut valida sit, requiritur, ut ordinans, & ordinatus debitam intentionem habeant: & quid de protestatione, quam Episcopi solent ordinationi præmittere. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 1. *& seqq.* V. *Intentio*. *Validitas*. Presbyteri, dum ordinantur, Episcopo concelebrant. V. *Concelebratio*.

Orientales.

Orientales in suis Liturgiis lingua utuntur pluribus incognita. V. *Lingua*. Idem solent rem jam concessam, quasi nondum concessa sit, precibus postulare. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 19.

Lambert. Miss.

In Orientali Ecclesia nunquam, quod sciatur, Sacerdos eodem die plures Missas celebravit; immo apud ipsos neque licet ad idem Altare eodem die Missas a pluribus Sacerdotibus celebrari, nisi gravis necessitas urgeat, & hoc semper Sedes Apostolica retinendum esse censuit. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 6.

Osculum.

Osculum quædam salutatio est, & Sacerdos dum Altare osculatur, se adhærere Christo profitetur. *l.* 2. *c.* 3. 7. Carthusiani, & Dominicani Altare non osculantur, sed capite inclinato illud salutant: qui vero Altare osculantur, neque hoc, neque Crucem salutant, & quare. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 12.

Romano Pontifici ad Altare accedenti, ut solemniter celebret, tres Cardinales occurrunt, ejus pectus, & faciem osculantes, & quid hæc oscula significent. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 5.

Sacerdos, aliique librum Evangeliorum in Missa osculantur. V. *Evangelium*.

Vetus est disciplina osculandi Altare ad verba *supplices te rogamus &c. l.* 2. *c.* 13. *n.* 23.

Osculo olim pax in Missa ante communionem dabatur; sed subsecutis temporibus Franciscani propter hominum malitiam morem invexerunt, ut non amplius per osculum, sed per amplexum pax daretur, vel parva tabella, in qua Crucifixi imago depicta est, ad osculum præferretur, quam proinde *Osculatorium* appellant. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 22. *&* 23. Sacerdos, antequam det pacem, Altare osculatur, & quare. & hujusmodi osculum *Sanctum* appellatur. Olim osculabatur hostiam, quod non amplius admittendum est. *ib.*

Osculo Christianorum, ex quorumdam malitia in ejusmodi oscula olim abierunt, quæ Ethnici per vias sibi offerebant, quæ consuetudo, licet a Tiberio sublata fuerit, firmius tamen invaluit. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 23.

P

Pactum.

PActum quodcumque super stipendio pro Missa celebranda interponere detestabile est. *Appen.* 4. *in Epist. ad Pont.* §. *Per te. pag.* 303.

Palla.

Palla a corporali distinguitur. Theatinis duplicis pallæ usus concessus est. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 6. Ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente benedicitur. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 1.

Panis.

Panis in Missa consecrandus debet esse mundissimus. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Debet esse triticeus. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 14. V. *Validitas*.

Hic Panis olim a Fidelibus offerebatur, qui plerumque ab Offerentibus subactus erat. Ad abusus tollendos farinæ oblatio substituta fuit, ex qua a Sacris Virginibus, devotisque Matronis in Oriente, a Presbyteris, & Clericis in Occidente panis consecrandus conficitur. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 1. Quædam regulæ Ordinis S. Benedicti præscribunt, ut in conficiendo hoc pane dicantur Psalmi, servetur silentium, ligna de industria præparentur. *ib.*

In pane Eucharistico, Crucis vel Christi imago imprimi consuevit, qui mos est antiquissimus in utraque Ecclesia. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Incertum tamen est, quo tempore hic panis ferro ignito confici cœperit. *ib.*

Papa Stolam semper gestat. V. *Stola*. *Romanus Pontifex*.

Parochus. *Parochia*.

Parochi in quibusdam Diœcesibus Decretis Synodalibus obligantur ad tres Missas in singulis hebdomadis celebrandas. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Diebus festis de præcepto tenentur Missam celebrare, aut si legitime impediti sint, hoc munus alteri Sacerdoti committere, quia Parochiani Missam iis diebus audire tenentur, & jus habent eam in Templo Parochiali audiendi. *ib.* Aliis etiam diebus ob peculiares causas possunt ad Missam celebrandam obligari *l.* 3. *c.* 3. *n.* 4.

Parochi quicumque diebus Dominicis, & Festis ex præcepto tenentur Missam Populo applicare. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 1. V. *Applicatio*.

Si Parochus duas regat Parochias, nec Populus possit in alteruram convenire, neque alius adsit Sacerdos, qui Missam celebret, adeoque necessitas vere urgeat, potest eodem die duas Missas celebrare. Sed quæstio adhuc est, an ad hoc Episcopi licentia requiratur. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 1. 2. *&* 4. Regulæ nonnullæ in hac concedenda facultate servandæ sunt. *ib.* Non licet Parocho Officium Feriæ 6. majoris hebdomadæ mane facere in una Ecclesia, & iterare in altera, & quare. Neque ei licet in prima Ecclesia Hostiam consecratam sine vino sumere, ut jejunus possit idem officium in alia Ecclesia celebrare. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 5. Si per incogitantiam Sacramentum in utraque Parochiali Ecclesia in sepulchro condidisset, consultius est, ut officium in altera Ecclesia omittat, & Sacramentum in Tabernaculo recondat. *ib.*

Parochi Festa saltem de præcepto, quæ in hebdomadam sequentem incidunt, Populo annunciare debent: expediret etiam, ut de Mysterio quod recurrente illa celebritate Ecclesia considerandum proponit, Populum instruerent. *post Append.* 13. *in Præf. Bened. XIV. n.* 5. Item Dominicis, & Festis diebus de præcepto debent Populum salutaribus verbis in Missa post Evangelium pascere, & Missæ mysteria explanare. *ib. n.* 6. *&* 1. *c.* 7. *num.* 8.

Parochi Fidelibus suadere debent, ut, si Episcopus circa communionem nonnulla pro tempore, loco, & personis pie instituerit, his institutis acquiescant. *Append.* 10. *in Epist. Bened. XIV.* §. *Haud agre*. V. *Communio Populi*.

Parochis Benedictus XIV. dum Bononiæ moraretur, modum insinuavit, quo commode Sacrum facere coram pauperum cadaveribus possent, quæ gratis tumulanda sunt. *l. 3. c. 22. n. 13.*

Parochi latini prohibentur Eucharistiam sub specie *fermentati*, & Parochi Græci sub specie azymi, pro communione Populi asservare. *App. 3. §. de sacramento n. 11.*

Parochiali Missæ Fideles diebus festis in propria Parochia jure communi adesse debent, & ante Concilium Sardicense in usu erat, ut qui tribus Dominicis Parochiali Missæ non adesset, communione privaretur, & ex Pontificiis, & Synodalibus constitutionibus antiquis constat Populos Festis diebus in suis Parochiis teneri Missam audire. *App. 12. tit. de oblig. aud. Miss. §. Quod vero.* Verum his constitutionibus, tum contraria consuetudine, tum posterioribus *Pontificum sanctionibus derogatum est*; quare licet Missam extra propriam Parochiam diebus Festis audire, neque Populi ad eam in propria Parochia audiendam præcepto compellendi sunt, sed suasionibus alliciendi. *§. Verum, & seq. p. 452.* Jus tamen habet Missam in Templo Parochiali diebus festis audiendi. *l. 3. c. 3. n. 2. & 3.* Episcopus potest in Synodo, vel extra Synodum prohibere, ne in publicis Oratoriis ante Missam Parochialem alia Missa celebretur, idque erit observandum, etiamsi sacra Concilii Congregatio aliter respondisset. *App. 12. sub tit. Institutione 412. §. Denique.*

Particula.

Particula *&* vel *autem* vim causalis apud Hebræos, & aliquando in sacris paginis habet. *l. 2. c. 16. n. 10.* Eadem particula & in sactis paginis sæpe vim disjunctivam habet. *l. 2. c. 22. n. 22.*

Particula *vel* in illis Canonis verbis, *tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* est copulativa, neque correctionem significat, neque scribenda est rubrica. *l. 2. c. 13. n. 13. & 14.* Eadem particula in illo D. Pauli textu, *quicumque manducaverit, vel biberit &c.* innuit, unicuique licere sub utralibet specie Eucharistiam sumere. *l. 2. c. 22. n. 19.*

Particula, quæ in fractione hostiæ in Calicem immittitur, ex inferiori parte abrumpenda est. Si post sanguinis sumptionem in Calicis fundo remaneat, quomodo sit extrahenda. *l. 3. c. 17. n. 2.* V. *Hostia.*

Particulæ, quæ *in Missa* Populo distribuendæ consecrantur, quomodo consecrandæ sint. V. *Hostia.*

Passio.

Passionis Christi commemorationem in Missa fieri, ipse Christus, & non Alexander I. Instituit. *l. 2. c. 22. n. 22.*

Passio Christi in Missa sufficienter præsentatur per manus ante pectus expansas, nec opus est ad illam significandam, ut manus in formam Crucis tollantur. *l. 2. c. 26. n. 4.* Eadem Christi Passio, & Mors per consecrationem repræsentatur. *l. 3. c. 20. num. 17.*

Patena.

Patena a patendo dicitur, & a tempore Apostolorum usitata est. Græci *discon* appellant, ac magis quam nostra concava est. Eadem, qua calices, materia conflatur. *l. 2. c. 3. n. 2. & App. 2. §. Nos hanc.* Incertum est, an Christus Panem consecratum in patena posuerit. *ib.* Aureas, & Argenteas patenas Summi Pontifices, & Imperatores Basilicis obtulerunt; & in quibusdam veteribus patenis sacræ Imagines, & hieroglyphica insculpta visuntur. *ib.*

Patenæ Ministeriales grandiores erant ad Eucharistiam Populo dispertiendam: nunc parvæ sunt Patenæ, quia pauci in Missa Eucharistiam sumunt. *l. 2. c. 3. n. 2.*

Patena monumenti Christi lapidem significat. *l. 2. c. 3. n. 3.* Ab Episcopo consecranda est, & quare. *l. 2. c. 4. n. 2.*

Patenam sub corporali positam Sacerdos ante orationem *Libera nos &c.* apprehendit. In Missis cantaris Subdiaconus illam velo involutam usque ad orationem Dominicam tenet. Idque in Parisiensi Ecclesia ab Acolyto fit; & alicubi Diaconus eam Populo ostendit, ut ad Communionem invitet. Sacerdos illa se signo Crucis signat, eamque osculatur, & hostiæ supponit, & quare. *l. 2. c. 19. n. 9. & 11.* Hic ritus ad pium sanctarum mulierum officium referri potest, quæ *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. n. 10. ib.* Alia tamen ejus ritus ratio desumitur ex naturali serie actionum, quæ partim gestæ sunt, partim nunc geruntur. *l. 2. c. 19. n. 11.* Patenæ pacis est instrumentum. *ib.*

Patena, quæ cum S. Vulfranus sacrum in Navi faceret, e Ministri manu in Mare decidit, eodem Sancto intercedente, e fundo Maris in manus Ministri rediit. *l. 3. c. 6. n. 10.*

S. Paulus.

S. Paulus Sacrificii Missæ institutionem a Christo accepit. *l. 2. c. 13. n. 22.* Ecclesia Romana nunquam eum a S. Petro sejungit, & in prima Canonis Missæ oratione cum aliis Apostolis memorat. *ib.*

S. Pauli verba 1. ad Cor. *Numquid domos non habetis &c.* quomodo intelligenda sint. *l. 3. c. 1. n. 2. & 3.* Idem in Cœnaculo disputans adolescentem nomine Eutychum e fenestra delapsum vitæ restituit. *ib.*

Pauper.

Pauperum cadavera gratis sepelienda sunt, non tamen prius, quam coram ipsis res divina fiat; plures vero sunt modi, quibus id fine Parochorum incommodo obtineatur. *l. 3. c. 22. n. 13.* In quibusdam pauperes deterioris sunt conditionis, quam Divites, in aliis melioris. *l. 3. c. 22. n. 14.*

Paupertas non est titulus sufficiens, ut Sacerdotes turpem quæstum, & negotiationem pro Missa celebranda faciant. *App. 4. in Epist. ad Pont. §. Ut sc.*

Pax.

Pax vobis post *Gloria in Excelsis* in Missa Episcopus diebus lætitiæ dicit, diebus vero pœnitentiæ dicit *Dominus vobiscum*, & quare. *l. 2. c. 4. n. 18.* Priscillianus perperam contendit, Episcopum in omnibus salutationibus dicere debuisse, *Pax vobis. ib.* Orientales Sacerdotes Populum salutant dicentes, *Pax omnibus. l. 2. c. 4. n. 18.*

Pax vobis Festivitatem, & lætitiam denotat. Olim Episcopus, & Diaconus in quibusdam cæremoniis extra Missam, & lector ante Evangelium eam formulam usurpabant. *l. 3. c. 4. n. 19.*

Pax in Missis solemnibus ante communionem datur, & per pacem Populus ad Communionem paratur. Omittitur in Missis defunctorum, & in Feria 6. in Parasceve, & quare. *l. 2. c. 20. n. 14.*

Olim Pax per osculum dabatur, quæ consuetudo usque ad Innocentii III. tempora viguit, nunc datur per amplexum, vel per parvam tabellam, & quare. *l. 2. c. 20. n. 22. & 23.* V. Osculum.

Sacerdos, ante quam det pacem, Altare osculabatur, & quare. Græci, cæterique Orientales, & Mozarabes dant pacem ante præfationem, quod faciunt etiam Maronitæ, sed proprio quodam ritu. *ib.*

Peccatum.

Peccatum lethale apud Hebræos ut plurimum erat, aliquid Idolis oblatum apud se retinere. *l. 2. c. 9. n. 3. & c. 17. n. 2.*

Peccant lethaliter Sacerdotes, qui nunquam per annum Missam celebrant, vel nunquam celebrare constituunt. *l. 3. c. 2. num. 10.* Graviter quoque peccant si alterutram tantum speciem in Missa consecrent. *l. 3. c. 10. n. 19.* Qui indigne consecrant, plura peccata probabiliter committunt. *l. 3. c. 11. n. 2.*

Peccatum grave, vel leve aliquando est Missam ante matutinum celebrare. *l. 3. c. 13. n. 14.* V. *Licita Missæ celebratio.* Peccatum gravissimum est in Consecrationis Calicis dicere tantum *Hic est Calix Sanguinis mei. l. 3. c. 15. n. 15.*

Peccat graviter Sacerdos, qui in peccato Eucharistiam aliis ministrat: item Laicus qui ab eo, vel ab alio indigno Sacerdote eam scienter recipit. *l. 3. c. 19. n. 2, & seqq.* V. *Communio Populi.* Item peccat Sacerdos, qui aliud Sacramentum in peccato ministrat, nisi premente necessitate baptizet. *ib.*

Peccatori ad Sacramentum in peccatis suscipiendum parato non est particula non consecrata pro consecrata offerenda, & quare. *l. 3. c. 20. n. 4.*

Peccatori publico, sive publice, sive privatim Eucharistiam petat, deneganda est, & quis sit publicus peccator: occulto occulte petenti pariter deneganda est, & admonendus, ne publice petat, sed si publice petat, ei præbenda est. Si occultum peccatum *Sacerdos in Confessione resciverit*, peccator occulte petens non est a Communione rejiciendus, nisi alia causa. *l. 2. c. 16. n. 5.* In quibusdam locis Reis morte plectendis Eucharistia denegatur. *n. 6. ib.* V. *Communio Populi.*

Pecunia.

Pecunia quando ad Altare offerri cœperit, incertum est. Olim in singulis Ecclesiis Arca erat, in quam pecunia a Fidelibus inferebatur, & qui præerat, eam in usum indigentium erogabat. *l. 3. c. 21. n. 3. & 4.*

Pecunia sæculo 8. Sacerdotibus in particulari tradi cœpit, ut Missam facerent, cujus fructus alicui determinatæ personæ applicaretur. *l. 3. c. 22. n. 5.* V. *Eleemosyna.*

Penula.

Penula apud veteres vestis Lugubris, & itineris erat; inde mulieribus, & viris in usu fuit, & amplior facta ad Nobilium usum. Ex ea ortum Planeta duxit. *l. 2. c. 8. n. 12. & App. 2. §. Quod si.* Controversum est, utrum Penula, quam S. Paulus Epist. 2. ad Timoth. memorat, vestem sacram, an libros veteris Testamenti significet. *Append. 2. §. Sanctus Paulus & seq.*

Percussio.

Percussio trina pectoris ad *Confiteor* ab exemplo Publicani ducta est, cujus mentio in Evangelio fit, & contritionem significat. *l. 2. c. 3. n. 4. & 5.* Idem significat eadem trina percussio ad orationem *Agnus Dei l. 2. c. 10. n. 20.*

Petra. Petrus.

Petra sacra necessaria est ad Missam celebrandam, nisi Altare sit consecratum, eaque olim *Tabula Altaris, & Viaticum* appellabatur. *l. 2. c. 2. n. 9.* Orientales pannis confecratis pro Petra utuntur, quos *Antimensia* vocant. *l. 2. c. 2. n. 10.* In eadem petra reliquiæ sanctorum reponuntur. V. *Reliquiæ.*

S. Petrus a quibusdam Patribus primus ad Apostolarum vocatus dicitur, non quod tempore prior vocatus, sed quod supra cæteros Apostolos, & Ecclesiam universam est constitutus. *l. 2. c. 19. n. 8.*

S. Petrus Damiani adhuc puerulus inventum nummum Sacerdoti pro Missa celebranda dedit. *l. 3. c. 31. n. 5.*

Petrus, qui in Canone Missæ post consecrationem memoratur, est S. Petrus Exorcista, qui cum S. Marcellino Presbytero passus fuit. *l. 2. c. 18. n. 6.*

Philippus.

S. Philippus Nerius quibusdam Sacerdotibus consilium dabat, ut quotidie Missam celebrarent, aliis id vetabat. *l. 3. c. 2. n. 4.*

Pileolum.

Pileolis in modum Camauri antiquitus Ecclesiastici usi sunt; inde Birreti usus ortus est. Pileolus inter sacra indumenta non recensetur, eoque Sacerdotes in Missa ex Dispensatione Sedis Apostolicæ uti possunt. *l. 2. c. 9. per tot.*

Pileoli nomine, quo caput tegitur, coma supposititia comprehenditur. V. *Coma.* Missionariis ad Sinas Pileoli usus in Missa concessus est. V. *Vestis. Placeat* Oratio, quæ dicitur in fine Missæ. *l. 2. c. 24. n. 5.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Planeta.

Planeta sexta est ex sacris vestibus, græce *Planeta*, latine *Casula* dicitur, quia tamquam parva casa totum corpus tegit. Olim a collo ad pedes tegebat, & brachia involvebat, ut qui iis uti vellet, Planetam sustollere, & plicare, vel fibula subligare deberet, qualis nunc Græci utuntur, idque post Confiteor fiebat. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 5. *&* *n.* 10.

Ex veteri Planetæ forma mos ortus est, ut Minister in Elevatione Planetam extollat, & Diaconi, ac Subdiaconi in Quadragesima, & diebus jejunii Planeta utantur in anteriori parte plicata, sicut olim fiebat, ut essent in ministrando expeditiores. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 11.

Planetam olim profanum fuit indumentum, ac Laicis commune, a quibus dimissum homines Deo sacri retinuerunt, ac postea Ecclesia tamquam peculiarem Sacrificio offerendo vestem Sacerdotibus assignavit: incertum tamen quando id factum sit. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 12. *&* 13. A Penula, quæ Nobilium vestis erat, Planetæ nomen ortum creditur. *ibid.* Quando Planetæ forma ad præsentem reducta sit, ignoratur; Sæculo X. hujus formæ vestigium in quadam Basilicæ Lateranensis pictura extitit. *ib.* *&* *n.* 14.

Planeta Charitatem, & inconsutilem Christi tunicam significat: ex pectore, & ex humeris demissa, Deum, & proximum, amicum & inimicum amandum esse innuit. Denotat etiam vestem nuptialem. *l.* 11. 1. *c.* 10. *n.* 9.

Pœna.

Pœnæ olim statutæ adversus Sacerdotes, quorum negligentia particula consecrata, vel gutta sanguinis in Altare, vel in terram decidisset, jam obsoleverunt. Sed alias Ecclesiæ Moderatores imponere possunt. *l.* 3. *c.* 20. *n.* 7.

Pœnæ excommunicationis, vel suspensionis subduntur illi, qui pingues pro Missis celebrandis eleemosynas in una Diœcesi collegunt, easque diminutas in aliam Diœcesim transmittunt, ut in iis Missæ pro minori eleemosyna celebrentur. *l.* 3. *in Brev. Apost.* §. 5. *post. c.* 12.

Pœnam nullam incurrit, qui in Templo polluto, seu violato celebrat, bene vero qui in loco interdicto. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 4. V. *Templum*.

Pœnæ condignæ statutæ sunt in eos, qui sacrilego ausu hostiam consecratam apud se retinere, vel alio asportare, ad malum finem, præsumpserint, aut id fieri jusserint, & quænam eæ sint, & quid requiratur, ut incurrantur. *Append.* 10. *in Const. Bened.* XIV. *per tot.*

Pœnitentiæ opera rebus omnibus in hac vita sunt præferenda. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 6. Pœnitentiæ diebus magis metuendæ sunt Diaboli insidiæ. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 2.

Pœnitentiæ Sacramentum a Sacerdotibus frequentandum est. *Append.* 3. §. *De Sacramento n.* 1.

Pœnitentes publici alii *flentes*, alii *audientes*, alii *consistentes*, alii *prostrati* olim dicebantur. Flentes, audientes, & prostrati habito in Missa sermone, ab Ecclesia expellebantur: consistentes integræ Missæ aderant, non tamen Eucharistiam participabant. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

Pollutio.

Pollutio aliquando efficere potest, ut a Missa celebranda abstinendum sit, & apud quosdam Monachos olim ii, qui pollutionem passi essent, Sacerdoti celebranti non inserviebant. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 11. *&* 12. V. *Licita Missæ Celebratio*.

Pollutio Templi pluribus modis contingere potest. V. *Templum*.

Pontifex Romanus semper stolam gestat. V. *Romanus Pontifex*.

Postcomunio.

Oratio est, quæ in Missa post sumptionem dicitur ad Gratias Deo agendas, & postulandas, et in quibusdam locis *Complenda* vocatur. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 2. Tot dicuntur hujusmodi orationes, quot in prima Missæ parte dictæ fuerunt. *ib.*

Præceptum.

Præceptum Christus Dominus in Eucharistiæ Institutione Apostolis, & Sacerdotibus per illa verba, *Hoc facite &c.* dedit, ut Missam celebrarent. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Plures sunt hujus præcepti congruentiæ, ac de fide est, hoc præceptum universo Ordini Sacerdotali impositum esse. *n.* 2. *&* 3.

Nullum extat divinum præceptum, quo Laici, & Clerici, vel etiam Sacerdotes, qui Missam non celebrant, adstringatur ad Eucharistiam sub utraque specie accipiendam. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 19.

Duplex præceptum Sacerdos Missam indigne celebrans violat; alterum digne suscipiendi Sacramentum, quod præceptum etiam Laicis commune est, alterum fideliter dispensandi. *l.* 3. *c.* 23. *n.* 2.

Præceptum jejunii naturalis ante Missam servandi a solo Pontifice ob gravissimam causam dispensari potest. *l.* 3. *c.* 32. *n.* 8.

Præceptum habetur in Can. *Nihil* 7. *q.* 1., ut si Sacerdos in Missa post consecrationem aliquo inopinato casu deficiat, Missa ab alio Sacerdote perficiatur. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 3. *&* *seqq.*

Prædestinati.

Prædestinatorum numerus, nec minui, nec augere potest. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 3.

Prædestinatorum numerus ignoratur: unusquisque tamen satagere debet, ut per bona opera ejus electio compleatur. *l.* 2. *c.* 14. *num.* 4. Plures numerantur prædestinationis effectus, & indicia. *ibid.*

Præfatio.

Præfatio sic appellatur, quod Canoni præeat, ac veluti præparatio sit ad Sacrificium. In Missali Mozarabico *Inlatio*, in Sacramentario Gallicano *contestatio* appellatur, & quare *l.* 2. *cap.* 22. *num.* 22.

Apostoli, vel Apostolicorum temporum viri Præfationem instituerunt, licet forassis alii alias postea composuerint. *num.* 24. Incipit a salutatione *Dominus vobiscum*, in quo tamen Sacerdos ad Populum se non convertit, & quare. *n.* 25.

Novem recensentur Præfationes in Epistola Pelagii II. de cujus sinceritate nonnulli dubitant: novem tamen reperiuntur in Missalibus post annum 1700. editis: addita est Præfatio communis, quæ Gelasio, vel Gregorio M. tribuitur: item Præfatio de B. Virgine. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 16. Mozarabes, & Ambrosiani suas habent Præfationes. Ambrosianas S. Carolus Borromæus emendari jussit, & Fridericus Card. Borromæus emendavit. *ib.*

Præfationes omnes incipiunt per verba *Sursum corda*, per quæ Fidelibus inculcatur, ut mentem ad Deum extollant, quidquid Hæretici calumnientur. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 17. Desinunt in Hymnum Angelicum (Apud Græcos *Triumphalem*) *Sanctus &c.*, ad quæ verba campanula pulsatur, ut adstantes ad devotionem excitentur. *num.* 19.

Præparatio.

Præparatio a Sacerdote Missæ præmittenda est, & quomodo fiat. *l.* 1. *c.* 12. *per tot.*

Præsanctificatum.

Præsantificatorum Missa Feria VI. in parasceve celebratur. *Append.* 12. *tit.* 1.

Præsantificatum panem Græci per Quadragesimam sumunt, & quare. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 14.

Præsentia.

Præsentia moralis materiæ in Missa consecrandæ sufficienter cognoscitur, quando ea formæ verba *Hoc*, vel *Hic* verificari possunt; non autem, si materia post Consecrationis tergum sit, aut ab eo longe absens, aut per corpus interjectum sejuncta, quamvis menti præsens. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 2. *&* 3.

Præsumptio.

Præsumptionem in eum, qui Hostiam Consecratam apud se retinet, Fiscus habet, eumdem pravam habuisse intentionem, & hostiam fuisse consecratam, nisi Reus oppositum demonstret. *Append.* 10. *in Constit. Bened. XIV.* §. *Quoties &* *seq.* V. Hostia.

Pratum.

Pratum Spirituale a Joanne Moscho an. 620. vel 630. scriptum, & in VII. Generali Concilio laudatum fuit. *l.* 2. *cap.* 23. *num.* 6. *&* *seq.*

Presbyteratus.

Presbyteratus ordinem qui non susceperunt, & Missam celebrant gravibus pœnis subjiciuntur in Constitutione a Benedicto XIV. edita. *Append.* 10. *in fine in not. Hactenus*.

Privilegium.

Privilegium olim quibusdam Regularibus concessum erat utendi Altari mobili, eodemque privilegio Cardinales, & Episcopi gaudent, sed Episcopis restrictum est. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 3. *&* *seqq.* V. *Altare*.

Privilegio opus est ut in Mari Missa celebretur, V. *Navigium*. Item ut diu ante Auroram, & post meridiem celebrari possit. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 5.

Probatio.

Probationes evidentes circa pravam, vel bonam intentionem, & circa hostiæ consecrationem non a Fisco, sed ab eo, apud quem Hostia invenitur, afferendæ sunt. *Append.* 10. *in Constit. Bened. XIV.* §. *Quoties &* *seq.*

Processio.

Processio SS. Sacramenti aliquando post Missam fit. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 8. *&* 9.

Processio solemnis ab Episcopo, & universo Clero prima Synodi die ante, vel post missam juxta locorum consuetudinem instituenda est. *Append.* 12. §. *Synodali*.

Processionis speciem habet comitatus, quo Episcopes cum Clero eodem die ad Ecclesiam pergit, & ab Ecclesia domum revertitur, neque alia forte processio alicubi, ut Neapoli, ante Synodum peragitur. *ib.*

Procurator.

Procuratorem agere Sacerdotibus vetitum est. *Append.* 4. *in Epist. ad Pont.* §. *Ut se*.

Propositio.

Propositio asserens, veterem Ecclesiæ morem Missam lingua vernacula celebrandi fuisse omnium accommodatissimum, an audax sit quæstio est. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2.

Propositio historice simul, & significative proferri potest, quod ex mente proferentis pendet. *l.* 2. *c.* 25. *n.* 4. *&* *seq.*

Pro quibus tibi offerimus, in Canone omitti posse, quidam perperam sentiunt. V. *Oratio*.

Prosa in Missa quid sit. V. *Sequentia*.

Psalmus.

Psalmorum liber plures habet auctores. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 6. A quarto sæculo alternis Choris psalmi in utraque Ecclesia cani consueverunt. *c.* 3. *n.* 1.

Psalmos quosdam Sacerdotes dicere deberent, antequam Missam celebraturi sacras induant vestes. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 4.

Psalmum *Judica me Deus* David in persecutione Saulis profugus cecinit: nunc idem psalmus alternatim a Sacerdote, & Ministro initio Missæ dicitur, & quare. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 2. A sæculo VII. idem psalmus in Missæ initio recitari consuevit: nonnulli tamen illum omittebant; sed S. Pius V. eumdem ab omnibus recitari jussit. *n.* 9. Omittitur in Missis defunctorum, & tempore Passionis, & ab Ambrosianis, & quare. *n.* 12. Charthusiani, & nonnulli Regulares quosdam versus ex aliis psalmis ejus loco recitant. *ibid.*

Psalmus integer in Missæ introitu olim dicebatur, sed a mille

annis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

anois nonnulli dumtaxat verſus e pſalmis *Italicæ verſionis* dicuntur. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

Pſalmus *Lavabo* pro Miſſa integer in Miſſali Romano exhibetur: in quibuſdam Eccleſiis aliqui dumtaxat verſiculi recitantur. Illa verba, *Ego in innocentia mea ingreſſus ſum*, Chriſtianæ humilitati non officiunt, & quare. *l.* 2. *c.* 11.

Puer.

Pueri olim in Miſſa prope Altare adſtabant. Cum aliqui pueri in Syria Eccleſiæ cæremonias imitari, & Miſſam in agro celebrare vellent, igne e cælo delapſo percuſſi fuerunt. *l.* 2. *cap.* 23. *num.* 6. *& ſeqq.*

Pulvinus.

Pulvinus in Altari eſſe, & Miſſali ſupponi in miſſa debet. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 1. & quid ſignificet. *c.* 3. *n.* 6.

Purgatio.

Purgati oni vulgari *per aquam frigidam* Miſſam olim præmittere licebat. Hæc tamen purgatio, ſicuti aliæ vulgares, ſublatæ ſunt, nec amplius licet eas *in uſum revocare*. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. *& ſ.*

Purgatorium.

Purgatorii animas juvare Eccleſia orationibus, & Sacrificiis nititur. *l.* 2. *c.* 17. *per tot.* Triplici pœnarum genere, nempe igne, tenebris, & mentis anxietate animæ in Purgatorio a Divina Juſtitia expiantur. *n.* 4.

De Purgatorio intelligenda ſunt ea verba in Miſſæ defunctorum offertorio. *libera animas . . . . . de pœnis inferni l.* 2. *c.* 9. *n.* 3. *& ſeqq.*

Purgatorium vero appellatur Infernus, quia idem eſt utrobique ignis. *n.* 6.

Purgatorii animabus ſublevandis Ferdinandus VI. Hiſpaniarum, & Joannes V. Luſitaniæ Reges valde ſtuduerunt, qui a Benedicto XIV. enixe petierunt, ut Sacerdotibus omnibus in eorum Ditionibus commorantibus facultas concederetur tres Miſſas die commemorationis omnium Fidelium defunctorum celebrandi. Idem vero Pontifex ſumma pietate, prudentia, & dexteritate gratiam concuſſit, dummodo pro ſecunda, & tertia Miſſa eleemoſynam nullam Iidem Sacerdotes acciperent, exceptis iis, qui antea in Aragoniæ Regno duas, vel tres Miſſas eadem die celebrare conſueverant. *Append.* 3. *per tot.*

Purificatio.

Purificationem ex vino poſt communionem, niſi aliam Miſſam eodem die celebrare debeat, Sacerdos ad os abluendum ſumere debet, idque in Sacramenti reverentiam. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 6. *& l.* 3. *c.* 4. *n.* 13.

Purificatio alia ex aqua, & vino, quibus digiti poſt ſumptionem abluti fuerant, nunc ſumitur; olim vero hæc ablutio in locum mundum conjiciebatur. Neque licet hanc, & primam ablutionem ſola aqua fieri *l.* 2. *c.* 21. *n.* 6.

Purificatio populo etiam poſt communionem exhibetur. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 1 *& ſeqq.* V. *Communio Populi.*

Purificatorium.

Purificatorii, quo Calix tergitur, uſus non eſt admodum antiquus, neque illud benedicitur. Græci ejus loco ſpongia utuntur. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 5.

Pyxis.

Pyxis, in qua hoſtiæ in Miſſa conſecrandæ ſint, ſuper corporale proxime poſt Calicem locanda eſt, & oblationis, & conſecrationis tempore aperienda: aliter valida, ſed illicita eſſet conſecratio. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 1. *& ſ.*

Q

Quam oblationem &c. tertia eſt canonis oratio. V. *Oratio.*

Quæſtio.

Quæſtiones plures auctor hujus operis attigit, non ut eas dirimeret, ſed ut referret, & ſi cui ſententiæ aſſentitur, ſemper eas ſequitur partes, quibus vel Eccleſia, vel viri doctrina, & pietate inſignes faverent. *Append.* 13. *in Præf. ad Lect. & Præf. Bened. XIV. n.* 6.

Quantitas in Sacramento Euchariſtiæ accidentale ſpecierum ſubjectum eſſe poteſt. V. *Species.*

R

Regina.

Regina Hiſpaniarum Maria Barbara de Portugallo inſignibus dotibus, ſummaque Pietate, ac Religione cum in cæteris, tum erga animas in Purgatorio detentas excellit. *Append.* 4. *Epiſt. ad Reg. Cath. per tot.*

Regula. Regulares.

Regulæ quædam Ordinis S. Benedicti *præſcribunt*, ut panis in Miſſa conſecrandus ſumma pietate conficiatur. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 1.

Regina, quam Chrodegangus Epiſcopus Metenſis ſuis Canonicis præſcripſit, iiſdem permittit, ut pro Miſſa eleemoſynam accipiant, & in quos velint uſus, expendant. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 5.

Regulares Ordines non ſunt contemnendi, quod in iis Religioſus aliquis vitio aliquo implicetur. *Append.* 4. *in Epiſt. ad Pont. §. Neque aliquis.*

Regulares in foro Sacramentali ſuperioribus ſuis ſubjecti ſunt, nihilominus Regulares omnes etiam Cappuccini, ſi neceſſitas urgeat, neque ſui ordinis confeſſarius adſit, poſſunt cuicumque confeſſario peccata ſua confiteri, & quomodo. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 7., *& ſ.*

Regulares nonnulli aquam, & vinum ante Miſſam juxta veterem conſuetudinem in Calicem infundunt, & quare. *l.* 2. *cap.* 10. *num.* 10.

Regulares proprium Miſſale habentes deberent in ſuis ſacrar. Miſſale Romanum habere. V. *Miſſale.*

Religio.

Religio ne in contemptum cadat, Sacerdos, qui Miſſam celebret, aliquando ne mortis quidem pericule imminente poteſt illam relinquere. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 13.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum in Altaris, & petræ Sacræ conſecratione requiruntur, & in iis condendæ ſunt. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 8.

Remedia.

Remedia adhibenda ſunt, ſi defectus aliquis in Miſſa contingat. V. *Defectus.*

Remiſſio.

Remiſſio peccatorum quomodo per Miſſam fiat. V. *Sacrificium.*

Requies.

Requieſcant in pace in fine Miſſæ pro Defunctis dicitur, & Sacerdos cum illud dicit, ad Altare convertitur, & quare. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 3., *& ſ.*

Reſurrectio.

Reſurrectio Chriſti in Miſſa per particulæ conſecratæ cum ſanguine commixtionem repræſentatur. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 17.

Rex.

Regum, & Imperatorum mentionem Sacerdotes in prima Canonis oratione olim faciebant, & nunc alicubi faciunt. V. *Oratio.*

Reges quidam Hiſpaniarum aliquando a Summis Pontificibus petierunt, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum omnibus Sacerdotibus in eorum Ditionibus commorantibus facultas concederetur tres Miſſas celebrandi, ſed fruſtra. *Append.* 4. *in Litt. Apoſt. §. Sane.* Sed tandem Benedictus XIV. Ferdinando VI. Hiſpaniarum, & Joanni V. Luſitaniæ Regibus petentibus, eamdem gratiam conceſſit. *ib. & §§. ſeqq., & in Epiſt. ad Pont. §. Inter plura.*

Rex idem Joannes V. cultus Divini augendi ſtudioſiſſimus eſt. *Append.* 5. *§. Dilectus.*

Ritus.

Ritibus ſuis uti Græcis inter Latinos degentibus permiſſum eſt, quædam tamen in Sacramentorum adminiſtratione, in divinis officiis, in Miſſis celebrandis, & in aliis rebus ſervare debent. *Append.* 3. *per tot.* Græci Latino, Latini Græco ritu uti non poſſunt. *Append. ead. §. De ſacramento. n.* X.

In Ritibus Eccleſiaſticis omnis vitanda *eſt* diſſonantia, ſed modica eorum diverſitas Eccleſiæ veritatem non diſcindit. *Append.* 4. *in Epiſt. ad Pont. §. Quod ſingulare.* In Regionibus eommenis Rituum uniformitas ſervanda eſt. *Append. in tiſd. Litt. Apoſt. §. Sed duæ.*

Rituum diverſitas apud Clerum Hiſpanum inducta fuerat, ſed *uniformitas aliqualiter reducta eſt per Indultum* a Benedicto XIV. conceſſum, ut die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Miſſæ ab omnibus Hiſpaniæ, & Luſitaniæ Sacerdotibus celebrentur. *Append.* 4. *in Epiſt. ad Pont. §. Quod ſingulare.*

Ritus Mozarabicus, & Ambroſianus. V. *Mozarabicus. Ambroſianus.*

Rocchetti.

Rocchetti uſus cur albæ ſubſtitutus. V. *Veſtis.*

Romanus Pontifex.

Romani Pontifices nonnulla Canoni Miſſæ addiderunt. V. *Canon* Semper Stolam geſtant. V. *Stola.* Ejus mentio in prima Canonis Miſſæ oratione etiam ab Orientalibus fieri debet. V. *Oratio.* Genua flectit ad Symboli verba. *Et Incarnatus eſt.* V. *Symbolum*

In Romani Pontificis Miſſa Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi toto canonis tempore inclinati manebant, ut ſacra actio, & ſancta adorarentur. *l.* 2, *c.* 15., *n.* 26.

Romanus Pontifex Euchariſtiam ad Epiſcopos Suburbicarios olim mittebat, quæ vocabatur *fermentum*, & cum ad ſolemniter celebrandum accederet, hoſtia ante conſecrata illi exhibebatur adoranda, cujus particulam ad illa verba *Pax Domini &c.* in Calicem immittebat: idque, ut unitas Sacrificii, & unio Pontificis cum Sacerdote, qui hoſtiam antea conſecraverat, commendaretur. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 15. *& ſ.* 26.

Romani Pontifices olim aliquando in ſolemni Miſſa in ſolio ſedentes, facie ad Populum converſa, Euchariſtiam ſumebant. Nunc vero facie pariter ad Populum converſa, ſed in ſolio ſtantes, & corpore ſolum inclinato ſe, alioſque communicant. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 3., *& ſ.* 4. Particulam tamen antea in Calicem immiſſam Diacono, & Subdiacono ſumendam relinquunt. *n.* 5.

Rota.

Rotæ Auditorium Synodalem Archiepiſcopi Toletani conſtitutionem *approbavit*, qua cautum fuerat, ut Eccleſiarum Præfecti quolibet trimeſtri, & de perceptis eleemoſynis pro Miſſis celebrandis, & de Miſſis celebratis rationem ſibi redderent. *Append.* 8. *§. In Diœceſi.*

Rubrica.

Rubricæ non meræ inſtructiones, & conſilia, ſed leges præceptivæ ſunt, quæ ex genere ſuo ſub mortali obligant. *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 3.

S

Sabbatum.

Sabbato Sancto *Alleluja* dicitur. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 19. *& Append.* 11. *tit.* 1. Non licet Euchariſtiam, niſi infirmis miniſtrare. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 14.

Sacri-

Sacellum.

In Sacello Pontificio unica olim Missa Romæ per diem celebrabatur, & quare. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 10.

Sacellum ornatissimum jussu Joannis V. Portugalliæ Regis Romæ extructum fuit, & Ulyssiponem deductum. *Append.* 5. §. *Dilectus.*

Sacerdos. Sacerdotium.

Sacerdotes magna pietate, religione, ac decentia, non nimis festinanter, neque nimis prolixe Missam peragere debent; increpantur, qui secus faciunt, & nonnulli secus facientes misere perierunt. *l.* 3. *c.* 24. *per tot.*

Sacerdotum cupiditas in stipendiis pro Missæ celebratione captandis turpissima est, ac semper detestabilis. *Append.* 4. *in Epist. ad Pont.* §. *Per te, & seqq.* Æquum est, ut Sacerdotes inopia non laborent. §. *Ut se*, Neque in sæcularibus curis etiam pro victu comparando occupari debent. *ib.* Sacerdotes quidam *Miserere pro Canone*; *Attendite pro Passione* legerunt. *ib.*

Sacerdos extra Missam potest suis manibus se communicare, dummodo absit scandalum, & justa causa adsit, stolam tamen induere debeat. *l.* 3. *c.* 17. *n.* 10. Feria V. in Cœna Domini Sacerdotes in ea Ecclesia, cui addicti sunt, Eucharistiam accipere debent. *ib.*

Sacerdotium Christi per Melchisedech Sacerdotium fuit optime expressum. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 12., *& n.* 18.

Sacramentum.

Sacramentorum formæ olim non scribebantur, sed memoria custodiebantur, & quare. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 22.

Ad Sacramenti validitatem intentio faciendi, quod facit Ecclesia, requiritur. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 2., *& seqq.*

Sacramentum validum est, licet alterutra tantum species in Missa consecretur, aut ab indigno Sacerdote conficiatur. V. *Validitas.*

Ab Eucharistiæ Sacramento percipiendo abstinere ille debet, cui pollutio etiam præter voluntatem, & citra peccatum contigit, nisi ex Diaboli insidiis pollutio accidisset. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 11., *& 12.*

In Sacramentorum administratione, Ecclesia, salva semper eorum substantia, statuere, & mutare potest, quidquid ad eorumdem venerationem, vel ad accipientium utilitatem conducit. *l.* 2. *cap.* 22. *num.* 18.

Sacramenta in peccato gravi ministrare peccatum grave est: In gravi tamen necessitate baptismus a peccatore sine gravi peccato exhiberi potest. *l.* 3. *c.* 29. *n.* 3.

Sacrificium.

Sacrificia ante legem scriptam fuerunt, quorum tamen non erant finis determinata: Naturalis quippe ratio homini dictat res sensibiles in signum debitæ subjectionis, & honoris Deo offerendas esse. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 13.

Sacrificia legis Mosaicæ quædam *Holocausta*, quædam *Pacifica*, quædam *Propitiatoria* erant, & in his omnibus Animal mundum mactabatur; sed rerum etiam inanimarum Sacrificia dabantur. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 13.

Sacrificia veteris legis Sacrificium novæ legis exprimebant; peculiaris tamen mentio Sacrificiorum Abelis, Abrahæ, & Melchisedech fit in Canone Missæ, quia hæc expresse Divinum Sacrificium nostrum repræsentarunt. *l.* 2. *cap.* 16. *num.* 13. *& num.* 11., *& 12.*, *& n.* 21.

Sacrificia quædam fuerunt Sacrificiis Ægyptiorum vetustiora: quare falsum est, Judæos Sacrificiorum usum ab Ægyptiis hausisse, eumque a Deo in eorum Republica Sanctificatum fuisse. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 14.

Sacrificiorum ritus a veteribus Prophetis manarunt, quibus Christi mors prænunciata fuit, & ab iis Gentes Sacrificiorum usum acceperunt, quem postea fœdis superstitionibus corruperunt. *l.* 2. *c.* 16. *num.* 15.

Sanctum Sacrificium, Immaculatam hostiam, quomodo in quarta Canonis oratione intelligenda sint. V. *Oratio.*

Sacrificium est rei sensibilis oblatio: in qua non semper victimæ destructione opus est, sed satis est immutatio: hæc autem destructio modo proportionato fit etiam in Missa, in qua proinde totum id habetur, quod ad naturam, & essentiam Sacrificii pertinet. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 22.

In Sacrificiis Hæbreorum victima prius eligebatur, inde offerebatur, mactabatur, incedebatur, partem vero Populus comedebat. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 5.

Sacrificiorum veteris legis nonnulla in Dei tantum honorem, & laudem, alia in gratiarum actionem offerebantur. *l.* 2. *cap.* 23. *num.* 16.

Sacrificium Christi Sanctis, Sacrificium Missæ Christo gloriam peperit. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 7.

Sacrificium Missæ a solis Sacerdotibus proprie, a Laicis improprie, & in diverso sensu offertur. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 22., *& 32.*

Sacrificium Missæ est Latreuticum, & Eucharisticum, idest laudis, & gratiarum actionis, & excellentiori modo Sacrificiorum veteris legis proprietates continet. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 26. Est etiam propitiatorium, & expiatorium, non quod immediate peccata quoad culpam dimittat, sed quod Deus ejus intuitu gratiam ad veram pœnitentiam conferat, uti fuit Sacrificium crucis, quo majorem virtutem Missæ Sacrificium non habet. Pœna immediate remittitur ei, pro quo Sacrificium offertur, mensura tamen a Divina misericordia definita. *n.* 27., *& 28.* Est etiam impetratorium bonorum Spiritualium, & Temporalium. *n.* 29.

Sacrificium ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, est virtutis infinitæ, sed ejus effectus finitus est, & plus ei prodest, cui applicatur, quam aliis: Sive tamquam propitiatorium, vel satisfactorium, sive tamquam impetratorium consideretur. *l.* 3. *cap.* 22. *num.* 6.

Sacrificium tamquam satisfactorium Deo offertur pro animabus in Purgatorio detentis, numquam vero pro animabus ad æternas inferorum pœnas damnatis. Sed si forte pro his ignoranter offeratur, ejus fructus i Ecclesiæ thesauro remanet. *l.* 2. *cap.* 27. *num.* 3., *& 5.*

Sacrificii essentia in consecratione, & in Sacramenti consummatione consistit; aut etiam in sola consecratione, & quomodo. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 7. Ad essentiam vero non pertinet, ut aliqui Sacrificio interfint, & de Sacramento participent. *cap.* 22. *num.* 22., *& seqq.*

Sacrificium omne ad Deum refertur, ejusque fructus ad absentes, & præsentes æque pervenire potest. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 22.

Sacrificium facere magnum festum est, summumque in Ecclesia gaudium significat. *l.* 3. *c.* 25. *n.* 24. In Sacrificio peragendo certus ordo servandus est. *n.* 2. *& n.* 26. Plura requiruntur, ut Sacrificium valide, & licite fiat. V. *Validitas. Licita Missa celebratio.* Multiplex est Sacrificii fructus, qui etiam aliis applicari potest. V. *Fructus. Applicatio.*

Sanctitas. Sancti.

Sanctitatis nota est frequens, & quotidiana Missæ celebratio *Append.* 12. *tit.* 2.

Sancti Canonizati cultu publico coluntur, & in eorum honorem, Missa, & Officium conceduntur, iidemque in Patronos eliguntur. *Append.* 12. *tit.* 2.

Sancti, qui in Missæ Canone post consecrationem memorantur, diversi sunt Ordinis, iisque S. Gregorius quasdam Sanctas Mulieres addidit. Sanctorum commemoratio ante consecrationem dicitur *ad Suffragium*, post consecrationem *ad consortium*. *l.* 2. *c.* 18. *num.* 6., *& seqq.*

Sanctorum intercessio Christi meritis nihil detrahit, immo nullius est momenti, nisi per Christum. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 25.

Sanctuarium ante præfationem olim claudebatur. *l.* 2. *cap.* 22. *num.* 25.

Scandalum.

Ob scandali periculum aliquando Sacerdos peccati lethalis sibi conscius, præmissa contritione, Missam licite celebrare potest. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 6., 9., *& 10.*

Scandalum non oritur, si Sacerdos in privato Oratorio celebret, ubi solus adsit Minister, adeoque si initio Missæ recordetur se grave peccatum commisisse, debet Missam dimittere. *l.* 3. *cap.* 22. *num.* 9.

Scholasticus.

Scholastici olim Viri docti, & eruditi appellabantur: *l.* 2. *c.* 22. *num.* 4.

A Scholastico quodam Missæ Canon compositus dicitur apud S. Gregorium. Sed incertum est, utrum hic Scholasticus totum Canonem, an partem composuerit, & utrum hujus Scholastici nomen, fuerit proprium, an appellativum. *l.* 3. *cap.* 22. *num.* 2. *& seqq.*

Scholastici nomen Apostolis etiam, eisque, qui Apostolis proxime successerunt, congruere potest. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 8.

Scriptura.

Scripturæ Sacræ expositio nullo modo negligenda est. *Append.* 23. *in Præf. Bened. XIV. n.* 4.

Secreta.

Secretæ Orationes in quibusdam Missalibus *orationes super oblata* appellantur. Diu tamen *secretæ* appellatæ sunt, ut ab iis distinguantur, quæ elata voce dicuntur. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 20. In fine ultimæ secretæ Sacerdos elata voce dicit *per omnia sæcula sæculorum*, ut populus respondeat *Amen*, & orationes recitatas confirmet. *n.* 22.

Secretæ, non a *secerno*, seu *separo* dictæ sunt, sed quod submissa voce, quæ a solo præferente audiatur, recitari debent, neque audiendi sunt, qui putant eas solum sine cantu esse recitandas. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 2., *& seqq.* Hic mos secretas, Canonem, & Consecrationis verba submissa voce recitandi neque sæculo VIII., neque sæculo X. ex aliqua fortuita causa invectus est, sed ex Apostolica traditione profectus a primis temporibus in Ecclesia custoditur. *an.* 6. *ad* 22.; solum ob Justiniani Imperatoris novellam CXXXVII. aliquam mutationem in Ecclesia Orientali passus est, non in Ecclesia Occidentali, quæ semper vetustissimum ritum Canonem, & Consecrationis verba secreto recitandi retinuit. *n.* 23., *& seqq.*

Secretas, & totum Canonem submissa voce recitari debere Concilium Tridentinum statuit. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 26. Hoc silentium in Canone servandum significat, Jesum se a Judæis abscondisse, cum cogitarent eum interficere. *ib.*

Secreta, Canon, & Consecrationis verba, ut elata voce recitarentur, nonnulli post Concilium Tridentinum curarunt, sed frustra. Solum in Sacerdotum ordinatione Missa nunc elata voce celebrari potest. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 27. 28. *& 29.*

S. Sedes.

Sedes Apostolica Populis ad Fidem recens conversis, linguæ vernaculæ usum ex diversis circumstantiis permittit, vel prohibet. V. *Lingua.*

Sequentia.

Sequentia, seu Rhythmus ita appellatur, quia Graduale consequitur. *Jubilatio* etiam, & *Prosa* dicta est, quod in ea nulla carminis lex servetur. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 20. B. Notkerus earum cantum introduxisse, & quasdam a se compositas ad Summum Pontificem misisse dicitur. *ib.*

Sequentiis quatuor Ecclesia Romana utitur, nempe in Paschate, in

in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, & in Missis Defunctorum, & quinam earum auctores fuerint. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 21. Sequentiam peculiarem FF. Minores in Festo SS. Nominis Jesu habent. *ib.*

Siclus.

Siclus Argenteus communis novem scuta Romana olim pretio æquabat; Siclus vero sanctuarii summam duplo majorem continebat. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 2.

Signa.

Signa Crucis plura in Missa fiunt, & habent diversas significationes V. *Crux.*

Silva.

Silva candida ea, quæ antea Silva nigra appellabatur, dicta est in honorem SS. Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, qui ibi passi fuerunt: eademque in Sedem Episcopalem olim erecta, postea Ecclesiæ Portuensi unita fuit. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 6.

Simonia.

Simoniam esse eleemosynam pro Missa celebranda accipere, Hæretici calumniantur, sed perperam. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 7.

Sors.

Sors pro Missis perpetuis debet esse determinata. *l.* 3. *cap.* 22. *num.* 8.

Sortilegia patrantes gravibus pœnis subjiciuntur in Constitutione a Benedicto XIV. edita. *appen.* 30. *in fin. in not. Hactenus.*

Species.

Species, seu accidentia panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem sine proprio *subjecto substantiali* remanent, sed controversum est, an remaneant *sine subjecto accidentali*, quod quantitas esse potest. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 5.

Species sunt quid reale, & nomine signi in hoc Sacramento veniunt, & ipsæ, non Corpus Christi, franguntur. *l.* 2. *cap.* 2. *num.* 6., *& segg.*

Sub specie panis integer Christus continetur, itemque sub specie vini. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 18. Et sub utraque specie Christus Eucharistiam instituit. *n.* 21. Olim sub utraque Fideles omnes Sacramentum precipiebant, sed nunc sub specie tantum panis ab iis, qui Missam non celebrant, sumi potest. *n.* 18. V. *Communio Populi.*

Speculum.

Specula olim ex æris, & stamni mixtura fiebant, ac laudatissima Brundusii temperabantur. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 1. Et ex speculis Fœminarum, quæ ad ostium Tabernaculi stabant, vas Æneum constructum fuit, in quo Sacerdotes, antequam Altari ministrarent, in lege veteri manus, & pedes abluere debebant. *ib.*

Spongia.

Spongia loco purificatorii in Missa Græci utuntur, quia fuit Sacrificii Cruenti instrumentum. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5.

Sponsi.

Sponsi, & Sponsæ gratia, an a Parocho Missa celebranda sit. *Append.* 21. *tit.* 2.

S. Stephanus.

S. Stephanus in Canone Missæ post consecrationem ante S. Matthiam ponitur, quia Martyrium prior sustinuit. *l.* 2. *cap.* 18. *num.* 5.

Stercoranistæ.

Stercoranistarum error quis fuerit. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 14.

Stipendium.

Stipendium pro Missa juste accipi potest. V. *Eleemosyna.*

Stola.

Stola est quinta ex sacris vestibus. In sacris paginis ut integra vestis describitur; apud profanos Scriptores est muliebre indumentum totum corpus tegens. Nomen traxit a fascia ad ejus oram circumducta, quæ Stola dicebatur. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6. Orarium quoque dicebatur. *n.* 7., *& 8.*

Stolæ usus in Ecclesia antiquissimus est. Eam semper, & ubique Episcopi, & Presbyteri, ac Diaconi primo Ordinationis anno gestabant, quem morem nunc solus Romanus Pontifex retinet. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 8. *& 9.* Olim Stola longior erat, S. Fulgentius eam nunquam gestavit. *ib.*

Stola suave Christi jugum, & vincula, quibus, dum crucem ferret, alligatus fuit; atque obedientiam significat. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 7. *& 8.* Collo circumducenda est, non in humeros pendens rejicienda. Diversimode Diacono, Sacerdoti, & Episcopo aptatur. Dextrum, & sinistrum latus ornat, quod significat Sacerdotem in prosperis, & adversis per arma justitiæ fortem esse debere: colligatur cingulo, quia virtutes virtutibus adjuvantur. *ib.*

Stolam coloris convenientis induere debent Sacerdotes, cum Eucharistiam aliis ministrant. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 11. *& c.* 25. *n.* 1. & cum Eucharistiam ab alio Sacerdote accipiunt. *c.* 27. *n.* 10.

Subdiaconus Epistolam in Missa solemni canit. V. *Epistola.*

Substratorium.

Substratorium dicitur Altaris linteum, super quo Corporale explicatur. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 5.

Sudariolum olim manipuli loco adhibebatur. V. *Manipulus.*

Suffragium.

Suffragia, quæ pro uno Defuncto fiunt, huic magis, quam aliis prosunt. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 14.

Superior.

Superior potest Sacerdoti sibi subjecto præcipere, ut Missam huic, vel illi Personæ applicet. V. *Applicatio. Regulares.*

Superpellicium.

Superpellicei usus cur albæ substitutus sit. V. *Alba.* Superpelliceo indutus sit Sacerdos, qui Eucharistiam extra Missam ministrat. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 11. *& c.* 19. *n.* 1.

Suscipe Sancte Pater &c. dicitur in hostiæ oblatione, & plura continet, quæ explicantur. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 1. *& 2.*

Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem &c. dicitur in medio Altari post psalmum *Lavabo.* V. *Oratio.*

Suspensio.

Suspensionem Romano Pontifici reservatam incurrit, qui pingua stipendia in una Diœcesi pro Missis celebrandis colligit, & Missas in aliam Diœcesim pro minori stipendio celebrandas transmittit. *l.* 3. *in Brev. Apost. post c.* 22. *§.* 5.

Suspensionem, non tamen ipso jure, incurrit Sacerdos, qui cœptam Missam post consecrationem sine legitima causa dimittit. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2.

Symbolum.

Symbolum post Evangelium in Missa recitatur, & ab eo fidelium, seu Sacramentorum Missa olim incipiebat. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 1. Indicat signum, seu tesseram, qua Fideles ab Infidelibus secernuntur, instar signi militaris, vel Syngraphæ contractus. *n.* 2.

Quatuor sunt Symbola: Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum a S. Athanasio compositum. Inter se conveniunt sed secundum contra Arianos, tertium contra Macedonianos clarius explicarunt, quæ in primo continentur. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 3.

Symbolum Apostolicum ab Apostolis compositum fuit quorum suam quisque sententiam in illud contulit. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 6. Initio non fuit litteris commendatum, ne in manus caderet Infidelium, Ante Constantinum solus Tertullianus de illo nonnihil attigit. *c.* 8. *n.* 4.

Nicænum Oues Cordubensis Patrum Nicænorum jussu composuit. *l.* 2. *cap.* 8. *num.* 3.

Constantinopolitanum in Concilio Constantinopolitano II. a S. Gregorio Nazianzeno compositum fuisse dicitur, & in Missa recitatur, non quia sit Multos accommodatissimum, sed quia Hæreses disertius evertit. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 6. In Romana Ecclesia solum Benedicti VIII. tempore, Henrico Imperatore rogante, in Missa recitari cœpit, *n.* 7.

Quamquam forte ante eumdem Pontificem in Romana Ecclesia recitari consueverat, & sub eodem canari cœpit, Henrico postulante *n.* 9. *& 10.* In Hispania, Gallia, & Germania antea in Missa recitabatur: multo ante apud Orientales, quam apud Occidentales hic ritus viguit, cujus auctor Thimotheus Ep. Constan. contra Macedonianos, Cnaphæus adulterinus Antiochenus Episcopus cum nonnullis additionibus Theopaschitarum Hæresim olentibus, primus fuisse dicitur qui in Orient. Ecclesia introduxerit. *num.* 8.

In Missa Mozarabica post Canonem canitur a Clero, a Populo, & a Sacerdote, qui interim Hostiam consecratam super Calicem tenet, ad Fidem realis in Eucharistia præsentiæ Christi profitendam. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 11.

In quibusdam Missis omittitur; in aliis post Evangelium cantatur, & ita Populus ostendit, se Christi Doctrinæ per Fidem assentiri; quare fructum prædicationis Christi, & Apostolorum significat. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 12.

Dum Symbolum Sacerdos recitat, ter caput Cruci inclinat, semel genuflectit, & ad verba, *& vitam venturi seculi* sign Crucis se signat, ut fidei professio sigillo Crucis quodammodo obsignetur. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 13. Olim Crucis signum fiebat ad verba *Carnis resurrectionem*, fortassis quia Symbolum, quod Romana Ecclesia recitabat, in hæc definebat verba, quæ tamen vitæ æternæ articulum continent. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 14. Genuflexio ad verba *& Incarnatus &c.* indicat, adorandum esse Christum, qui tanta humilitate homo pro nobis factus est. *n.* 15. *ib.* Hanc genuflexionem etiam Romanus Pontifex servat; non autem in usu est apud Canonicos Laudunenses, qui stant vultu ad Orientem conversi, dum interim Sacerdos super Altaris gradus genua flectit. *ibidem.*

Symbolicam significationem habent vestes, quæ in Missa adhibentur. *l.* 2. *c.* 10. *per. tot.* V. *Vestes.*

Synodus.

Synodi Diœcesanæ celebrandæ diem S. Carolus Borromæus in Ecclesia Cathedrali indici, & Calendario apponi jussit, & alia a Parochis ante Synodum peragi præcepit, & quænam ea sint. *Append.* 21. *§. Constitutam.*

Synodus triduo absolvi debet: prima die solemnis Processio instituenda est, & ante, vel post processionem Episcopus Missam solemnem de Spiritu Sancto omnino facere debet, & Clero sacram Communionem porrigere, quam, stolis rubeis, etiam Sacerdotes sument, qui eo die non celebraverint. *Append.* 21. *§. Synodali & segq.* secunda die unus ex Canonicis Missam pro Defunctis, tertia die Missam de SS. Trinitate celebrat, & alia plura ab Episcopo fiunt. *ib.*

Syrus.

Syri in Missa post Consecrationem Deum orant, ut panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi immutet, credunt tamen transubstantiationem vi verborum Consecrationis factam esse; eam vere orationem addunt ad Sacramenti effectum consequendum. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 28.

T

Tabacum,

A Tabaco quovis modo sumendo una ante, & post Missæ celebrationem hora abstinendum esse nonnulli Episcopi etiam sub excommunicationis pœna in suis Synodis statuerunt. *Append.* 9. *§. In superiori.* Alii oportere docuerunt, ut Episcopi vetarent, ne ante Missæ celebrationem, aut Eucharistiæ sumptionem Tabacum sumeretur, sed nimiam severitatem præceptum hoc hodie

præferretur, præcipue si censurarum pœna adjiceretur, *Append.* 3. §. *His suffulti*, & *seq.*

Tabacum qui in Basilica Vaticana, aut in Hispalensis Diœcesis Ecclesiis sumerent, olim excommunicationem incurrebant, quasi Tabacum nimiam indecentiam, & turpitudinem importaret. *ib.* Alii jejunium naturale tabaci usu frangi dixerunt, sed parum probabiliter, *ib.*

Tabella.

Tabellæ secretarum, & Evangelii super Altari commodo Sacerdotum introductæ sunt. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 6.

Tabella, in qua Crucifixi imago depicta est, nunc in Missa ad osculum præbetur, quando ante communionem pax danda est, & quare. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 23. V. *Osculum*.

Tabellam in Ecclesiis publice exponi Concilii Congregatio jussit, qua ediceretur Missæ celebrationem pro collatis eleemosynis non esse ultra hebdomadam differendam. *Append.* 8. §. *Haud absimili*. V. *Congregatio Concilii*.

Tabella auroræ, ortus solis, meridiei, & mediæ noctis a Benedicto XIV. descripta, *Append.* 10. *in not. in fine*.

Taxatio.

Taxatio eleemosynæ, seu stipendii pro Missis celebrandis a consuetudine induci, & ab Episcopo extra Synodum fieri posse, consultius tamen in Synodo fieri consuevit. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 10. & 11. Hæc taxatio juxta locorum, & temporum circumstantias statuenda est. *n.* 12. *ib.*

Taxatio pariter eleemosynæ pro Missis, quas Testator celebrari præscripserit sive certo stipendio, ab Episcopo, non ab hæredibus statuenda est. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 8.

Templum.

Templa ab Episcopis consecranda sunt; at benedici possunt ab aliis. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. Ritus consecrandi Templa ex veteri Testamento in novum ex Apostolica institutione traductus est. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 8. & 9. V. *Consecratio*.

Templa primis Ecclesiæ temporibus fuerunt, *Dominicum*, *Domus Dei*, *Basilica*, *Memoria Martyrium*, & *Titulus* appellabantur. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 5.

Templum multipliciter pollui potest. Qui in templo polluto celebraret, nullam pœnam incurreret, sed peccaret graviter, nisi Episcopi consensus accederet. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 4.

Tempus.

Tempus, quod in Missæ celebratione impenditur, aliud interius, aliud exterius est. Primum in recta, integraque verborum pronuntiatione, & in reliquis rite absolvendis constituitur. Secundum Sacerdotis pietati liberum relinquitur: in hoc tamen nimia prolixitas, & nimia brevitas vitanda est. *l.* 3. *cap.* 24 *num.* 3. & *seqq.*

Tempus celebrationis Missæ intra dimidiam, vel intra tertiam horæ partem concludi non; neque audiendi sunt, qui vel quosdam Scripturæ textus ad libitum interpretantes, vel Sanctorum exempla ad proprium sensum detorquentes brevius tempus commendant. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 4.

Tertullianus.

Tertullianus an unquam senserit, Laicos posse Eucharistiam conficere. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 11.

Theologia. Theologi.

Theologia idem ac jus Pontificium diu habita fuit, postea ab eo divisa, sed Canonistis omnino necessaria est. *Append.* 13. *in Præf. Bened. XIV. n.* 11. Theologia Bononiæ locum olim non habuit. V. *Bononia*.

Theologi ab Historiæ tum Ecclesiasticæ tum profanæ probatis scriptoribus probabile argumentum pro rebus suis haurire possunt. *Append.* 13. *in Præf. Bened XIV. n.* 13.

Theologia Scholastica Religioni Catholicæ semper valde profuit sed illa sola Sacerdotes contenti esse non debent. *Append.* 13. *in Pref. Bened. XIV. n.* 18. & *seq.*

Theologiæ lectio in quibusdam Ecclesiis juxta Concilii Tridentini monitum habenda est. *Append.* 13. *in Præf. Bened. XIV. num.* 4.

S. Thomas.

S. Thomas Aquinas attente legendus est, ut in singulis defectibus, qui in Missam occurrere possunt, promptum habeatur remedium. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 11.

S. Thomam Cantuariensem, nonnulli dictitant Missam valde festinanter celebrasse, sed hallucinantur. *l.* 3. *c.* 24. *n.* 4.

Tractus.

Tractus a trahendo dicitur, nam tractim & prolixe canitur. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 18. Est lugentium signum, ideoque pro *Alleluja* a septuagesima ad Pascha dicitur. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 22.

Trinitas.

Trinitatem olim Fideles nominare verebantur, ne iis, qui Trinitatis mysterium ignorabant, multiplicitatem Deorum adorare viderentur; idcirco ad Trinitatem orationes non dirigebant. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Illo metu sublato, utraque Ecclesia fideuter ad Trinitatem explicite quasdam orationes dirigit. *ibid.* Quamquam etiam nunc paucæ orationes ad eam diriguntur. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 2.

Trisagium.

Trisagium *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis* &c. non est idem ac hymnus Angelicus, seu triumphalis *Sanctus*, *Sanctus* &c. qui post Præfationem in Missa dicitur. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 18. Illud quotidie initio Liturgiæ Græci canunt. Latini solum Feria 6. in Parasceve. *ibid.*

V.

Validitas.

VAlidum ut sit Sacrificium, opus est, ut Sacerdos rite, & legitime sit ordinatus. *l.* 3. *c.* 10. *a n.* 1. *ad* 8.

Requiritur præterea intentio actualis. vel virtualis faciendi, quod facit Ecclesia, & quomodo. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 11 Item opus est apta materia, & forma. Materia vero apta est vinum, & panis triticeus, nec sufficit panis ex hordeo, ex spelta, ex farre, aut ex amido. Si panis triticeus cum hordeo & spelta permixtus sit, non est materia apta, si major sit hordei, & speltæ quantitas. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 14. Neque vinum materia apta est, si tanta aquæ quantitas permixta sit, ut vini quantitatem superet, quod ne eveniret, olim cochleari aqua in Calicem immittebatur. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 15.

Ad validitatem Sacrificii, divino jure, & præcepto, a quo nullus dispensare potest, necessaria est panis simul, & vini consecratio. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 18. & 19. Si Sacerdos alterutram tantum speciem consecraret, validum esset Sacramentum, non autem Sacrificium, & ipse magno se peccato adstringeret. *ib.* Validum quoque esset Sacramentum, etiam si Sacerdos, qui illud conficeret, & lethalis criminis Reus, vel Hæreticus, vel Excommunicatus, vel suspensus, vel Degradatus esset. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 1.

Valide consecraret Sacerdos, qui nullis Sacris vestibus, neque ceremoniis, neque precationibus adhibitis, sed cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verba consecrationis super panem, & vinum comuni Mensæ apposita pronunciaret. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 2.

Valide quoque consecratur vinum venenatum. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 13.

Valide, sed illicite in Missa consecrarentur particulæ in Pyxide conditæ, si oblationis, & Consecrationis tempore Pyxis non aperiretur. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 2. Idem dicendum, si particulæ extra Petram Sacram potius consecrarentur. *l.* 4. *c.* 18. *n.* 6.

Ad validitatem ordinationis, præter alia, opus est, ut tam ordinans, quam ordinandus actualem, vel virtualem intentionem habeant faciendi, quod facit Ecclesia, & quomodo. *l.* 3. *c.* 10. *a n.* 2. *ad* 7. explicatur exemplis. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 6. & *n.* 13.

Si quis gravis mali metu ad Ordinem suscipiendum adigeretur, & ut malum effugeret, ordinem suscipere intenderet, valide ordinaretur, secus, si in animo perstiterit non suscipiendi ordinem. *l.* 3 *c.* 10. *n.* 11 Probabilius vero invalidus esset actus illius, qui in baptismo, vel Ordine suscipiendo indifferens esset. *ib.*

Vas.

Vas æneum, in quo Sacerdotes veteris Legis ablui debebant, ante quam Altari ministrarent, ex speculis mulierum constructum fuit. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 1.

Velum.

Velum, quo Calix tegitur, *Peplum*, & *Sudarium* appellatur: ejus usus antiquus est: olim e lino erat, nunc sericum. Triplici utuntur Græcii, tertium aerem vocant. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 7.

Velum ante Præfationem in Missa olim circum Altare juxta quasdam Liturgias oppangebatur. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 15.

Venenum.

Venenum si ante, vel post Consecretionem in Calice deprehendatur, quid agendum sit. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 11. & 12. Aliquando Venenum cum Sanguine Christi hauftum non nocuit. *ib.*

Veni Sanctificator quomodo in Missa dicatur. V. *Oratio*.

Verba.

Verba Græca, & Hebraica in Missa significant, eamdem esse Ecclesiam, ex Hæbreis, & Græcis primum, tum ex Latinis conflatam.

Vestes.

Sacræ vestes necessariæ sunt juxta Sacros Canones ad Missam celebrandam, ita ut in quacumque necessitate graviter peccet, qui sciens aliquam ex iis omittat, secus, si ignoramer. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 1. & 3. Apud Orientales quoque nefas est sine sacris vestibus Missam celebrare, & qui secus fecerit, deponitur. *ib.*

Vestes, quibus induti Sacerdotes ad Altare accedunt, olim fuerunt Clericorum, Laicorumque communes; verosimile tamen est, Apostolos in Missa aliis vestibus usos fuisse, quam quibus, dum per vias incederent, uterentur, *l.* 1. *c.* 7. *n.* 1. & 2. ex Apostolica traditione descendit mos peculiares vestes in Missa adhibendi. *Append.* 2. §. *Nos hanc*.

Stola, Manipulus, Alba, Tunica, Dalmatica, Casela, seu Planeta postea Clericorum dumraxat propriæ vestes, in usu civili, & sacro fuerunt, sed in sacro decentiores adhibebantur. Sic Missionariis in Sinarum Imperio degentibus, ubi indecorum est caput detegere, pileoli usus in Missa concessus fuit, quod tamen a communi diversum esset. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 1. & 3. Superpellicei, & rocchetti usus inductus est, cum Presbyteros pigeret albam gestare, quæ ad talos demittitur. *ib.*

Prima e sacris vestibus est Amictus, secunda Alba, tertia Cingulum, quarta manipulus, quinta Stola, sexta Planeta, seu Casula. *l.* 1. *c.* 7. *a n.* 4. *ad* §. *c.* 1. *per tot.*

Quinque sunt sacrarum vestium colores. V. *Color*. Non satis constat, quando sacræ vestes a communibus diversæ in Ministerio Altaris adhiberi cœperint: D. Hieronymi ætate diversæ fuisse videntur: congruunt tamen mysticæ vestes cum Sanctuarii Sanctitate. *l.* 1. *c.* 10. *n* 10. Ipsi Calvinistæ in suis solemnibus functionibus vestibus utuntur splendidioribus. *ib.*

Unaquæque e sacris vestibus Symbolicum habet significatum. *l.* 2. *c.* 10. *per tot.*

Vestes ad Sacrificium necessariæ ab Episcopo benedicendæ sunt, qui ritus est antiquissimus, & inter vestes benedicendas Cingulum, & Pluviale computantur. Simplices Sacerdotes eas benedicere non pos-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

possunt sine Sedis Apostolicæ facultate, quæ iis, aut Abbatibus ab Episcopo jure suo delegari non potest, licet alii aliter sentiant · *Append.* 2. *a* §. *Maxime, usque ad* §. *Itaque*. Episcopi Titulares in aliena Diœcesi Episcopo Diœcesano permittente, hanc benedictionem peragere possunt · *Appen.* 2. §. *Aliter*. Abbates Regulares pro suis duntaxat Ecclesiis vestes benedicere possunt · *Append.* 2. §. *Si Regulares & seqq.* Hæc benedictio tum pro novis indumentis necessaria est tum quando ex veteribus benedictis aliud indumentum conficitur · *App.* 2. §. *Hoc pacto*.

Viaticum.

Viaticum suscipere infirmi jubentur, sed eo modo, quo decet: quare non facile admittendum, ut duæ Missæ eodem die ab uno Sacerdote celebrantur, ut Viaticum infirmo ministrari possit. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 3. Neque Sacerdoti non jejunio licet ad eumdem effectum Missam celebrare. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 8. Neque particula consecrari potest, quæ ad Altare deferatur, postquam celebrans cœperit Canonem recitare. *l.* 3. *c.* 18. *n.* 5.

Olim si moribundus sanctam non potuisset particulam deglutire, in ejus solatium particula non consecrata deferebatur, vel etiam consecrata, ut eam adoraret, cujus rei mira referuntur exempla, sed hic mos justis de causis sublatus est · *l.* 3. *c.* 19. *n.* 4.

Olim Moribundo, qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non posset, ea poterat sub specie vini, aut panis vini consecrato intincti præberi; sed neque hoc amplius licet. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 5. Quamquam fortassis posset ei sacra Particula vino non consecrato intincta exhiberi, ut olim aliquando factum est · *ib.* Lex de naturali jejunio servando ægrum non obligat, qui sumit Viaticum. *ib.*

Vicarius.

Vicarii, seu Oeconomi, qui Ecclesia Parochiali vacante, vel ob aliam necessitatem ex Concil. Tridentini præscripto deputantur, ut Animarum curam gerant, tenentur Dominicis, cæterisque festis diebus de præcepto Missam pro Populo sibi commisso celebrare, & applicare, *Append.* 7. *n.* 4. *& seqq.* His Vicariis congrua ex fructibus Beneficii portio assignari pro ejusmodi celebratione, & applicatione potest · *Append.* 7. §. 9. *&* 10.

Victima.

Victima pro Sacrificiis apud Hæbreos electa, quasi sanctificata censebatur, & a profano usu semota, ac plura in ea immolanda peragebantur · *l.* 2. *c.* 11. *n.* 3. Totum id, quod in ea immolatione exprimebatur, in Sacrificio Missæ habetur · *ib.*

Victimæ destructio ad Sacrificium requisita, etiam in Missa suo modo fit · *l.* 2. *c.* 16. *n.* 22.

Vigilia.

In Vigiliis *Alleluja* omittitur, exceptis vigiliis Paschatis, & Pentecostes · *l.* 2. *c.* 5. *n.* 19. In his vigiliis olim Missæ per noctem celebrantur; horum dierum erant ipsarum Festivitatum, non vigiliarum Missæ. *ib.*

In Vigilia Nativitatis Christi Missa post mediam noctem celebrari potest. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 5. V. *Hora*.

Vigilius Papa in Basilica Vaticana sub Altare obiit, & quomodo · *l.* 2. *c.* 2. *n.* 23.

Vinum.

Vinum est materia Sacrificii Missæ, idemque deberet esse accurate paratum non est tamen materia apta, si major aquæ, vel alterius liquoris quantitas cum eo permixta sit, quod ne eveniret, parvo cochleari aqua olim in Calicem immittebatur, uteriam nunc quidam faciunt. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 15.

Vinum, dum in Calicem infunditur, non benedicitur, quia significat Christum, qui benedictione non indiget. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 11.

Post Vini Consecrationem in Ecclesia Occidentali aqua non est immiscenda. Græci aquam calidam infundunt, nec improbantur. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 16. Si magna aquæ, vel vini vis infunderetur, probabilius est, adhuc remanere Sacramentum. *ib. &* n. 17.

Vinum ineptum si in Missa forte appositum fuerit; idque ante, vel post Consecrationem advertatur, aliud apponendum est *l.* 3. *c.* 15. *n.* 3. *& seqq.* V. *Defectus*.

Vinum olim a Fidelibus ad Altare offerebatur. V. *oblatis*.

Vinum non consecratum Hostiæ consecratæ contactu non consecratur. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 18.

Vinum post communionem a Sacerdotibus in Missa sumitur, *l.* 2. *c.* 22. *n.* 6. & Populo post communionem præbetur. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 1. *& seqq.* V. *Communio*.

Vinum Diabolicum esse, illudque impios bibere, dixit Tatianus cum suis, ideoque in Missa eo non utebatur. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 1. Idem apud Manichæos in more positum erat, qui Romæ, ne agnoscerentur, Eucharistiam sub specie tantum panis accipere studebant · *l.* 2. *c.* 22. *n.* 22. *&* 23.

Virgo.

Virginum Sanctarum nomina S. Gregorius M. Canoni addidit V. *Canon*.

Unde & Memores Domine, &c.

Quarta est Canonis Oratio, & explicatur · *l.* 2. *c.* 16. *per tot.* V. *Oratio*.

Votiva.

Votiva Missa de Sanctis Canonizatis, non de Beatis celebrari potest, etiam si facultas concessa sit Missam in Beatorum honorem celebrandi. *Append.* 11. *post tit.* 2. §. *Porro*. Potest eadem Missa in Beatorum honorem celebrari, si adsit privilegium, cujusmodi plura extant exempla. *ib.* Missa votiva cultum publicum præfert, qui nomine Ecclesiæ fit · *ib.*

Votivum officium non datur. V. *Officium*.

Vox.

Vox qualis esse debeat, dum preces in Missa recitantur. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 3.

X.

XYsti duo fuerunt primis seculis Romani Pontifices: incertum tamen est, uter in Canone Missæ memoretur · *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 24.

FINIS.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

INDEX ALTER
RERUM NOTABILIUM

Quæ in adjectis Appendicibus, & Decretis S. R. C. ad Sacrosanctum Missæ sacrificium spectantibus continentur, ordine digestus alphabetico, novisque articulis locupletatus.

A

Ablutio.

Ablutio in Missis Nativitatis Domini. *In Decretis S. C. R. num.* 18.

Ablutio Presbyterorum ordinandorum. *Ibid. num.* 163.

Reliquas ablutiones vide in Indice primo.

Altare.

Altare debet esse lapideum &c. *Append.* 14. §. 4.

Loco petræ sacræ, Græci celebrant super linteo consecrato, quod vocant *Antimension*. *Ibid. V. Antimensium.*

Altare cum predella. *In Decretis S. C. R. num.* 95.

Altare fixum consecratum, quomodo execretur. *Ibid. num.* 132.

Altare quot mappis cooperiendum. *Ibid. num.* 22.

Altare majus, & quando Missæ privatæ ibi prohibitæ. *Ibid. num.* 29.

Altare portatile quomodo permissum. *In Decretis S. C. R. num.* 22.

An Episcopus possit illud erigere extra suam habitationem. *Ibid. num.* 99.

An erigendum in cubiculis privatis Regularium. *Ibid.*

Altaris mobilis ubique erigendi Privilegium Episcopis concessum a Bonifacio VIII. *Append.* 18. §. 4.

Eo Episcopi uti possunt etiam sine licentia Ordinarii Localis, & post Concilii Tridentini, & Pauli V. decreta. *Ibid.* §. 5.

Altaris mobilis usum extra propriam domum Episcopis Clemens XI. interdixit. At mox declaratum est posse Episcopum eo uti, si tamquam hospes in Laici alicujus domo sit, aut Diœcesim visitet, aut iter faciat, aut de licentia Sedis Apostolicæ extra Diœcesim in aliena domo maneat. *Append.* 18. §. 6. & 7.

Altaris viatici indultum pro locorum necessitatibus tantum conceditur. *Ibid.* §. 31.

Tenor Privilegii Fratribus Prædicatoribus concessi pro locis, in quibus Ecclesiæ desunt, & Hæretici Catholicos opprimunt. *Ibid.* §. 32.

Altaria Beatorum, an permissa. *In Decretis S. C. R. num.* 62.

In Altari sub quo sunt sepulta cadavera mortuorum, non est celebrandum. *Ibid. num.* 135.

In Altari privilegiato, diebus quibus occurrit festum primæ & secundæ classis, non potest celebrari pro defunctis. *Ibid. num.* 48.

Privilegium Alexandri VII. circa Missas de festo duplici in Altaribus privilegiatis celebratas. *Ibid. num.* 84.

Reliqua fusius in primo Indice.

Ambrosianus Ritus.

Ambrosiana Ecclesia quoad Missas de Requiem. *Decr. S. R. C. nu.* 149. 150.

Annulus.

Annuli usus in Missa vetatur omnibus Presbyteris etiam in dignitate constitutis. Append. 20. §. IV. *num qui incipit*: Insuper Prothonotariis vetatur. *Et in Decretis S. C. R. num.* 90.

Qualis Canonicis concedatur. *Ibid. n.* 77.

Indultum in hoc dignitatibus & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis concessum. *Ibid. num.* 172.

Anniversarium.

Anniversaria adimplenda non sunt infra octavas privilegiatas. *Decr. S. C. R. num.* 145. *V. Missæ Conventualis. Missæ Defunctorum.*

Antimensium.

Antimensium Græcorum quid sit. *Append.* 14. §. 4.

Super Antimensiis celebrare prohibetur Latinis, si non desint Ecclesiæ Ritus Latini, & Altaria lapidea. *Ibidem* §. 6.

Secus si non adsint. §. 7.

In hoc Benedictus XIV. dispensat Presbyteris Latinis in Russia Polonica degentibus. §. 8. *& seqq.*

Archipresbyter.

Substitutus Archipresbyteri non debet cantare Missas ad Archipresbyterum pertinentes, nec honores Archipresbyteri prætendere. *Decr. S. C. R. num.* 3.

Sed spectant ad Canonicum successive. *Ibid. n.* 28.

Aurora.

Aurora pro Missa, quando non adest physice, attenditur politica, & moraliter. *Decr. S. C. R. num.* 176.

Lamb. Miss.

B

Baptismus.

Ministrari nequit, extra casum necessitatis in Oratoriis privatis, præterquam filiis Regum, ac Principum. *Append.* 18. §. 19.

Beati.

Beati nondum Canonizati Missa, & officium. *Decr. S. C. R. num.* 52. 55. 60. 61.

Eorum imagines & privilegia. *Ibid. num.* 52. 58. 59. 62.

Benedictio.

Qui habent usum Mitræ & insignium Pontificalium, etiam in Missis privatis benedicunt cum versu: *Sit nomen Domini benedictum*: non possunt tamen benedicere populo extra actum celebrationis. *Decr. S. C. R. num.* 30.

De reverentia alicui facienda ante Benedictionem sine Missæ in aliquibus casibus. *V. Decr. S. R. C. num.* 5.

Quomodo danda Benedictio. *Ibid. num.* 94.

Cæteras Benedictiones vide in Indice primo.

Bugia.

Sacerdotibus omnibus, qui tamen requisita ad hoc dignitate non polleant, prohibetur in Missa usus instrumenti cum candela, quod vulgo Bugia nuncupatur. *Append.* 20. §. IV. *num. qui incipit*: Insuper Sac. Congreg. *& seqq.*

Ne quidem permittitur Protonotariis Apostolicis, neque Referendariis utriusque signaturæ &c. *Ibid.*

C

Calix.

Calices stannei nulla Ecclesiæ lege prohibiti sunt; immo certis in casibus expresse permissi. *Append.* 14. *num.* 3.

Canonici.

Consuetudo immemorabilis, ut præter Diaconum & Subdiaconum Canonico solemniter celebranti assistat unus Cappellanus cum pluviali, servanda est. *In Decr. S. R. C. num.* 1.

Qualis annulus Canonicis in Celebratione Missæ concedatur. *Ibid. num.* 77.

Canonici Missam celebrantes coram Episcopo, ubi sedere debeant. *Decr. S. R. C. num.* 23.

Celebratio Missæ.

Non est celebranda Missa aperto capite. *Append.* 21. §. 22. Afferuntur exempla Pontificiæ dispositionis. *Ibid.*

Permittitur celebratio Missæ sedendo, attenta Apostolica dispositione, Sacerdotibus, excepto Canone. *Append.* 21. §. 29.

De facultate celebrandi Missam totam sedendo, consulenda omnino tota *Append.* 21., in qua ipse Summus Pontifex dicit se uti ea facultate, postquam plura exempla attulit aliorum Pontificum, qui in hoc cum aliquibus dispensarunt.

De sessione a Sacerdote, Diacono, & subdiacono facienda in solemni Missarum celebratione. *V. Decr. S. C. R. num.* 27.

Celebrare non licet in Altari ubi expositum est SS. Sacramentum. *Ibid. num.* 87. 88.

Quid agendum, quando Sacerdoti sit onus recitandi aliquam orationem post celebrationem. *Ibid. num.* 85.

Quando celebrans in Missa solemni procedere debeat ad paratam sedem, & regredere ad Altare. *Ibidem num.* 91.

Cingulum.

Illud lineum potius, quam sericum congruit esse. *Decr. S. R. C. num.* 113.

Et potest esse coloris paramentorum. *Ibid. n.* 19.

Cæcitas.

Cæcis celebrare omnino interdicitur. *Append.* 20. §. II.

Cæci ne ad Tonsuram quidem admittuntur, ut per illam beneficia Ecclesiastica consequi valeant. *Ibid.*

Cæremoniæ.

Cæremoniæ novæ non inducendæ, neque aliquæ immutandæ absque expressa licentia. *Decr. S. R. C. num.* 19.

Commemoratio.

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum non est celebranda, nec facienda in die Dominico. *Decr. S. R. C. num.* 8.

In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia a Sacerdotibus possunt applicari ad libitum. *Ibid. num.* 76.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Commemoratio Pontificis, Episcopi, & Regis in Missa facienda. *V. Orationes Canonis.*

Communicantes &c.

Quando Commemoratio pro consecratione Episcopi sub unica conclusione cum oratione Missa terminanda. *Decr. S. R. C. num.* 130.

Italo-Græci, quoad commemorationes in Missa, laxiorem disciplinam servare debent, *Append. 16. §. 21.*

Commemoratio de SS. Sacramento facienda est in Missa, quæ celebratur in Altari, ubi idem Sacramentum expositum est. *Decr. S. R. C. num.* 141. 157. 160.

Communio.

Ante Communionem, ideſt Antiphonam, quæ in Missa post sumptionem recitatur, velo cooperiendus est Calix. *Decr. S. R. C. num.* 103.

Communio Paschalis in Ecclesia Parochiali servanda est. Et Regularibus veritum in die Paschatis sacram Eucharistiam distribuere in eorum Ecclesiis non Parochialibus. *Append.* 18. §. 23. Non tamen id veritum aliis diebus intra terminum Paschale, salvo implemento Præcepti in Parochiali Ecclesia. §. 22.

In Oratoriis privatis extra Communionem Paschalem licebit Sanctam Eucharistiam sumere, si Episcopi licentia accedat. §. 23. In hac autem re Episcoporum statuta servanda. §. 24. *& Append.* 20. §. III.

Crux.

Crux parva cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa; sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. *Decr. S. R. C. num.* 70. 127. 147.

Si vero in Altari adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia Crux dum celebratur Missa. *Ibidem num.* 72.

Cruces quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte crucis. *Decr. S. R. C. num.* 73.

E

Episcopus.

Episcopo celebranti septimum candelabrum adhiberi debet in Missis tantum solemnibus, non in Vesperis, neque in Missis defunctorum. *Decr. S. R. C. num.* 10.

Episcopo debetur assistentia, quando facit ordinationes in Missa solemni. *Ibid. num.* 11.

Episcopo administratori amovibili Ecclesiæ vacantis assistenti Missæ, non debent Canonici facere circulos. *Ibid. n.* 139. Quid sit facere circulos. *V. ibid. num.* 140.

Eucharistia.

Quando in Missa solemni ministratur sacra Eucharistia clericis vel laicis, reliqui de clero stare debent. *Decr. S. R. C. num.* 133.

In Missis Defunctorum non præbetur populo Eucharistia cum particulis præconsecratis, extrahendo Pyxidem a custodia sed cum particulis in eadem Missa consecratis. *Ibidem num.* 146.

Vetustior recentiorque traditur Ecclesiæ Græcæ disciplina quoad Communionem sub utraque specie. *Append. 16. in Encycl. ad Missionar. per Orientem deputatos. §.* 25.

Ritusque effundendi aquam tepidam in Calicem post consecrationem, & ante consumationem. *Ibid. §.* 26.

Ritus ministrandi Eucharistiam infantibus illico post Baptismum, quando obtinuerit, & quare obsoleverit. *Ibidem.* §. 24.

F

Feria.

Feria V. Majoris Hebdomadæ an celebratio sit de juribus Parochialibus. *Decr. S. R. C. n.* 119.

G

Gloria.

Dicitur in Missis votivis S. Mariæ. *Decr. S. R. C. n.* 12.

Græci.

In Græcorum Ecclesiis unica per diem Missa celebratur. *Append. 16. in Encycl. ad Missionar. per Orientem deputatos. §.* 37.

H

Hostia.

Pars Inferior Hostiæ, non autem pars superior præcidi debet, quando dicitur, *Pax Domini sit semper vobiscum. Decr. S. R. C. num.* 73.

I

Jejunium.

Jejunium naturale parvitatem materiæ non patitur. *Append.* 19. §. 2.

Potuitque Ecclesia, docuitque, ut naturale jejunium communioni præmittendum statueret. §. 3.

Ab hac jejunii lege solus Pontifex dispensare potest. §. 4. Quæ dispensatio causam prærequirit, & quam. §. 5.

Afferuntur aliqua exempla communionis sumptæ a non jejunis. §. 6. *& seqq.* & nonulla alia recentiora exempla Pontificiæ dispensationis. §. 9. *& seqq.*

Syri, Armenique, cum jejunant, a piscibus abstinere debent, *Append. 16. in Encycl. ad Missionarios per Orientem deputatos.* §. 47.

Iis veterem jejunii disciplinam relaxari nunquam passa est Sedes Apostolica. *Ibid.*

K

Kalendarium.

Quo Kalendario uti debeant Græci in Latinis Ecclesiis celebrantes in definiendo Paschali die. *Append. 16. in Encycl. ad Missionar. per Orientem deputatos* §. 41.

Emendatio Kalendarii qua cura sub Gregorio XIII. peracta fuerit. *Append. 16. in Encycl. ad Missionar. per Orientem deputatos.* §. 43.

An ejusdem Kalendarii indictio Orientales obstrinxerit. §. 44.

Quid de hac re certum sit. §. 45. & 46.

L

Latini.

Dispensatur Latinis in Russia Polonica degentibus sacrum facere super Antimensis, sive Thronis Græcorum. *App. 14. per tot.*

Latinis non licet ad Græcum Ritum transire, neque Græcis Latinum Ritum semel amplexis, ad illum reverti, nisi Apostolica intercedat dispensatio. *Append. 16. in Encycl. ad Missionar. per Orientem deputatos.* §. 20.

Locus.

Locus in quo Missa celebranda est, designatur. *Append.* 20. §. III.

M

Missa.

Quid constitutum sit de celebratione Missæ in navibus. *Append. 21.* §. 23.

Missa de Dominica Pentecostes non potest repeti in sabbato quatuor temporum Pentecostes. *Decr. S. R. C. n.* 45.

Missa ad postulandam gratiam bene moriendi, *Ib. n.* 125.

Missæ celebratio in Oratorio privato. *V. Oratorium.*

Rubricæ Missalis Romani vetant sessionem in Missis privatis, quam concedunt in solemnibus, dum Kyrie, Gloria, & Credo a Choro decantatur. *Append. 31.* §. 8.

De celebratione Missæ sedendo. *V. Celebratio.*

Missa de Sancto Patrono, seu Titulari. *Decr. S. C. R. n.* 124.

Missa Conventualis.

De festo, seu de feria currenti omnino cantanda est. *Decr. S. C. R. n.* 18.

Ad quem pertineat de Choro. *Ibid. n.* 20.

Missa conventualis non potest celebrari pro Anniversario. *Ibid. n.* 35.

Missa Conventualis de feria in Cathedralibus, & Collegiatis omnino est dicenda ultra Missam festi; & abusus sunt reformandi. *Ibid. n.* 32. Neque est omittenda, etiamsi fieri debeat aliquod Anniversarium; sed tunc cantandæ duæ Missæ, altera de die, altera de Requiem. *Ibidem. n.* 36.

Missæ Conventuales possunt, si adsit consuetudo, infra Octavam Corporis Christi cantari sine Diacono, & Subdiacono, exceptis diebus festis, Dominicis, & Octava. *Ibid. n.* 14.

Missa Defunctorum.

In duplicibus primæ classis, etiam præsente cadavere, non potest cantari Missa defunctorum. *Decr. S. R. C. n.* 23. 153.

Potest tamen unica, die Dominica, & aliis festis, quæ non solemniora. *Ibid. n.* 169.

Missa de Requiem potest celebrari extra Altare, ubi expositum est SS. Sacramentum, dummodo hæc expositio non fit pro publica causa. *Ibid. n.* 158.

Missæ privatæ defunctorum celebrari non possunt a Sacerdotibus recitantibus officium de festo duplici, & confluentibus ad Ecclesias ubi fit de semiduplici. *Ibid. n.* 161. Similiter si recitaverint de semiduplici, & confluant ad Ecclesiam ubi fit de duplici. *Ibid. n.* 82.

Missæ defunctorum non possunt celebrari nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. *Ibid. n.* 86.

In Missis defunctorum non extrahenda Pyxis e Tabernaculo ob communicandum populum, sed particulæ in ipsa Missa sunt consecrandæ. *Ibid. n.* 146.

Anniversaria & Missæ de Requiem quæ certo die dici non debent, transferri possunt in sequentem. *Ibid. n.* 24. Et tunc can-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cantanda est Missa sive ut in Anniversario, sive ut in quotidianis: verba tamen: *Cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus &c.* non sunt varianda. *Ibid. n.* 174.

Missa ut in die obitus, ultra Missam de communi defunctorum, celebranda erit præsente corpore, quando quis obierit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. *Ibid. num.* 46.

Non licet in Altari privilegiato dicere Missam de Requiem, quando occurrit festum primæ vel secundæ classis. *Ib. n.* 48.

Missæ exequiales defunctorum in die depositionis celebrari solemniter possunt in festo duplici alicujus Sancti, dummodo non sit de præcepto. *Ibid. n.* 54.

Missæ privatæ defunctorum dici possunt quocumque die, præterquam in festis duplicibus, & dominicis diebus. *Ib. n.* 56. 69.

Missæ cantatæ mortuorum infra Octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ nisi præsente corpore. *Ibid. n.* 89. Neque in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis, & Pentecostes. *Ibid. n.* 98.

Abstinendum est a celebratione Missarum defunctorum in Ecclesiis, ubi exponitur SS. Sacramentum. *Ibid. n.* 301.

In Vigilia Epiphaniæ non licet dicere Missam privatam defunctorum. *Ibid. n.* 302.

Missæ de Requiem in Ecclesia Ambrosiana. *Ibid. num.* 145. 150.

Alia nonnulla de Missis defunctorum, *V. ibid. nn.* 34. 97. 1. 308, 110, 111. 154. *seqq.* 144. *seqq.*

Missæ Rogationum.

Potest eas Episcopus facere cantare per suos Canonicos, etiam in Ecclesiis Regularium. *Decr. S. R. C. n.* 4.

Missæ Votivæ.

Non possunt suffragari pro Missa Conventuali. *Decr. S. R. C. num.* 31.

Missæ votivæ jam acceptæ, quæ non possunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de festo occurrente, cum applicatione Sacrificii. *Ibid. n.* 24.

Missæ votivæ prohibentur infra Octavam Corporis Christi. *Ibid. num.* 13. In Vigilia Epiphaniæ. *Ibid. n.* 138.

In iis diebus, quibus fieri non potest de festo duplici, prohibentur Missæ votivæ privatæ. *Ibid. n.* 34.

Ubi adest consuetudo immemorabilis potest tolerari Missa votiva de B. V. singulis diebus, exceptis tamen solemnioribus, dummodo post eam celebretur etiam Missa Conventualis, seu diei festi currentis. *Ibid. n.* 39.

Missæ votivæ dici nullo modo possunt in Dominica Palmarum. *Ibid. n.* 44.

Missa votiva de Beata Virgine in Vigilia Pentecostes non potest dici. *Ibid. n.* 49.

Missale.

Rubrica Missalis Romani circa inclinationes, & manuum junctiones servandas. *Decr. S. R. C. n.* 155.

De facultate celebrandi cum Missale Romano concessa Cappellanis Monialium. *Dec. S. R. C. n.* 117.

Usus Missalis Romani semel introductus in aliqua Ecclesia, quæ particulare Missale habebat, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis. Sic de Breviario. *Decr. S. R. C. n.* 16.

Missionarii.

Missionariorum quale sit munus, & quam methodum in eo utiliter obeundo sectari debeant. *Append. 16. in Encycl. ad Missionar. per Orientem deputat., §.* 19.

N

Nativitas.

NAtivitatis Domini nocte, post cantatam primam Missam, aliæ duæ immediate non sunt celebrandæ. *Decr. S. R. C. num.* 41. 43. 92. 96.

In Natali Domini in tribus Missis post sumptionem sanguinis, eundo & redeundo in medium Altaris, non est facienda genuflexio. *Ibid. num.* 97. 1. 107.

In prima & secunda Missa non debet fieri purificatio Calicis. *Ibid. num.* 118.

Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ votivæ privatæ, & pro defunctis. *Ibid. num.* 126.

Episcopus celebrans in Pontificalibus de Natali Domini, non genuflectit ad *Verbum caro factum est*. *Ibid. n.* 128.

O

Officium.

DUplex officium recitandum est de Sancto, ubi habetur insignis reliquia. *Dec. S. R. C. n.* 27. Et etiam Missa cum Credo. *Ibid.*

Orationes.

Orationes ordinatæ ad impetrandam pluviam non sunt recitandæ inter Missarum solemnia, ne Sacrificium interrumpatur. *Decr. S. R. C. n.* 7.

Genuflectendum non est ad orationes in Missa solemni, in qua dicitur Gloria, & Credo, vel solum Gloria, neque in votivis. *Decr. S. R. C. n.* 9.

De quarta Oratione in Missa a summo Pontifice, vel Episcopo adjecta, quando tertia ad libitum. *Ibid. n.* 131.

Quæ possit esse tertia Oratio ad libitum Sacerdotis dicenda. *Ibid. n.* 148.

In orationibus Canonis Summi Pontificis commemoratio fiebat in Ecclesia orientali ante Photii Schisma. *Append. 16. §.* 13. *& seqq.*

Monumenta ex quibus vetustissimus in Ecclesia Latina probatur hujus commemorationis Ritus. *Append. 16. §.* 20. Viguit etiam primis saeculis in Græca Ecclesia. *§.* 21.

Quid importet commemoratio Pontificis. *§.* 22.

Romæ solius Pontificis fit mentio, & quare. *§.* 20.

Pontifex celebrans quomodo pro se oret. *Ibid.*

Archiepiscopi nunquam fit mentio a Latinis in Missa. *Ibid.*

Explicatur locus S. Gregorii VII. ubi solius Papæ nomen in Ecclesia recitari jubet. *§.* 21.

Græcis orientalibus licitum est pro Metropolita & Patriarca orare in Missa, modo hi non sint hæretici vel schismatici, *§.* 22. Ratio hujusmodi sanctionis. *§.* 23.

Episcopus celebrans qua formula pro se oret in Missa. *Append. 16. §.* 20.

Commemoratio de Episcopo omnino facienda est, etiam ab exemptis. *Decr. S. R. C. n.* 47. Non vero de alio. *Ibid. in nota.*

Commemoratio Imperatoris Regumque in Missa an, & a quo tempore fiat in Latina Ecclesia. *Append. 16. §.* 26. Quænam nunc servetur consuetudo. *Ibid.*

Apud Orientales Nationes universim receptus usus orandi in Missa pro Rege. *§.* 27. Explicatur quomodo in ipsis licere, permittique possit. *Ibid.*

Oratorium.

De Oratoriis privatis in domibus Laicorum extant monumenta tum primis, tum posterioribus Ecclesiæ saeculis. *Append. 18. §.* 9. De iis abrogandis sæpe cogitatum. *Ibid.*

Ad eorum erectionem & usum Episcoporum licentia semper requisita fuit. *§.* 10. Sed hæc facultas a Conc. Trid. Episcopis adempta est, idcoque ad solum Romanum Pontificem devoluta. *§.* 11.

Providæ leges a S. Sede præscriptæ pro Oratoriorum privatorum erectione & usu. *§.* 12.

Ampliores concessiones quoad numerum Missarum, diesque, & horas quibus celebrari valeant. *§.* 13.

Indultariorum præsentia requiritur pro celebratione Missæ in Oratorio privato. *§.* 14. Indultarii autem distinguuntur ab iis, quibus solummodo conceditur, ut Missam ibi audiendo, præcepto satisfaciant. *§.* 15. Indultarii vero dicuntur ii, quibus litteræ Apostolicæ directæ sunt. *Ibid.*

Baptismus extra casum necessitatis ministrari nequit in Oratoriis privatis, præterquam filiis Regum ac Principum. *§.* 19.

Neque Sacramentum Pœnitentiæ extra casus a jure permissos, non obstantibus privilegiis Regularium. *§.* 20.

In Oratoriis privatis extra Communionem Paschalem, licebit S. Eucharistiam sumere, si Episcopi licentia accedat. *§.* 23. In hac autem re Episcoporum statuta observanda. *§.* 24.

Decretum Clementis XI. circa celebrationem in Oratoriis privatis. *Append. 18. in fin.*

Habens facultatem erigendi Oratorium, non indiget altera facultate erigendi altare ligneum, dummodo parieti ita colligetur, ut portatilis imaginem non præferat. *Decr. S. R. C. num.* 68.

Episcopus non habens facultatem concedendi ut Missa dicatur in Oratoriis privatis; eam non potest concedere petentibus. *Ibid. num.* 167.

Oratoria privata in Episcoporum ædibus extructa jam usque a prioribus Ecclesiæ saeculis. *App. 18. §.* 1. Quibus Conc. Trid. de aliis Oratoriis privatis decernens, nihil detrahit. *§.* 2. Sed nihil etiam statuit de eorum facultate extra Ecclesias Episcopales, & extra Diœcesim. *§.* 3.

In privatis Episcoporum & Cardinalium Oratoriis seu Cappellis plures quotidie Missæ celebrari possunt etiam a Sacerdotibus, qui non sint de Familia, licet Episcopus vel Cardinalis abiit: & qui Missam in iis audiat, licet non sit de Familia, ecclesiastico præcepto satisfacit. *Decr. S. R. C. n.* 64.

Non potest prohiberi celebratio Missæ in Oratorio ruri ædificato per Laicum, antequam celebretur Missa Parochialis. *Decr. S. R. C. n.* 37. 36. *&* 68. Secus si Oratorium sit intra Parochiæ fines situm. *Ibid. V. Parochialis.*

An contradicente Parocho, & assistente ordinario loci licita sit Missæ celebratio in Oratorio privato. *Decr. S. R. C. n.* 122.

An contradicente Parocho possint recitari Horæ Canonicæ in Oratoriis Confraternitatum. *Ibid. nn.* 121.

An in iisdem possit celebrari Missa ante Parochialem. *Ibid. num.* 123.

Ordo.

In ordinum collationibus dicenda semper est Missa de feria occurrente. *Decr. S. R. C. nn.* 152.

Presbyteri ordinandi tenentur inchoare Missam cum Episcopo celebrante solum a *suscipe sancte Pater*. *Ibid. n.* 162.

Debent legere Missam in terram genuflexi. *Ibid. nn.* 163.

Non debent facere omnes actiones, quas Episcopus ordinans in Missa facit. *Ibid. n.* 164.

Non est necesse eos de illo Calice ablutionem sumere, quem in ordinatione sua tetigerunt. *Ibid. n.* 165.

P

Palla.

IN Sacrificio Missæ non est adhibenda palla drappo serico in parte superiori cooperta. *Decr. S. R. C. nn.* 122.

Palmatoria.

Ea uti non possunt Canonici in celebratione. *Decr. S. R. C. num.* 109. *&* 163. *V. Bugia.*

Paracleſia.

Quid ſint. *Append. 16. in Encycl. ad Miſſionarios per Orientem deputatos. §. 39.*

Ad quid ſtatutæ apud Græcos. *Ibid.*

Nec Latini Sacerdotes ab illis excluſi; cum ideo ſecundum Altare in commodum Latinorum Sacerdotum in Græcis Eccleſiis fuerit erectum. §. 40.

Parochus.

Cappellani ſocietatum non poſſunt prohiberi a Parocho celebrare Miſſam ante Parochialem. *Decr. S. R. C. nu. 42.*

An celebratio Miſſæ feria V. in Cœna Domini ſit de jure parochiali. *Ibid. nu. 119.*

An celebratio Miſſarum ſolemnium per annum ſit de eodem jure. *Ibid. nu. 120.*

Paſſio.

Paſſio in Miſſis privatis legi debet in cornu Evangelii. *Decret. S. R. C. nu. 72.*

Pax.

Si adſit uſus dandi pacem cum oſculo, dandum eſt. *Decret. S. R. C. nu. 2.* Sic tamen datur omnibus in choro ſedentibus, non laicis, licet Magiſtratus, Barones, & Nobiles ſint, quibus datur per tabellam, quæ prius a dante pacem oſculatur. *Ibid. in nota.*

Diaconus & Subdiaconus accipiunt pacem ab Epiſcopo celebrante, ſtatim poſt Diaconos aſſiſtentes ſi in Miſſa communionem non recipiunt. *Decr. S. R. C. nu. 13.*

Planeta.

Uſus Planetarum complicatarum. *Decr. S. R. C. nu. 96.*

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum non eſt miniſtrandum in Oratoriis privatis præter caſus a jure permiſſos, non obſtantibus privilegiis Regularium. *Append. 16. §. 20. & Append. 20. §. III. nam. qui incipit* poſtremo.

R

Regulares.

REgularibus non licet, contradicente Epiſcopo, exorcizare, etiam in propriis Eccleſiis, & Cœnobiis. *App. 18. §. 34.*

Ritus.

Tridentinum Conc. omnem quandocumque Rituum mutationem prohibet. *Append. 22. §. 8.*

Ritus commixtio non inducitur ex quo Græcus, Armenus, vel Maronita celebret in Latina Eccleſia juxta Ritum ſuum. *Append. 16. in Encycl. ad Miſſionar. per Orientem deputatos. §. 33.* At contra ſi Latinus in fermentato, Græcus in azymo, vel alteruter nunc in azymo, nunc in fermentato conficeret. *Ibid. §. 34. & ſeqq.*

Ritus Nationi Illyricæ conceſſus a Joanne VIII. *Append. 15. §. 1.* Interverſus pluribus irreptis abuſibus. *Ibid.* Quibus proſcriptis vetuſtior redintegratur, noviſque ſanctionibus ejuſdem firmitati conſulitur. *Ibid.*

Rituum conſervatio ſemper a Romanis Pontificibus curata. *Append. 16. §. 2. Et in ſeq. Encycl. ad Miſſionar. per Orientem deputatos per tot.*

Etiam in unione curanda cum Orientalibus, cautum ſemper, ut explosis erroribus Orthodoxæ Fidei appoſitis, Ritus eſſet illæſus. *In eadem Encycl. ut ſupra §. 6.* Præclarum in id affertur S. Leonis IX. factum. *Ibid. §. 7.* Innocentii III. & Honorii III. reſcripta de Græcis Ritibus retinendis. §. 8. Quod etiam iterato conſtituit Innocentius IV. § 9. & Alexander IV. §. 10.

Unio Græcorum in Lugdunenſi Concilio ſtipulata ſub conditione ne quid Græcus Ritus immutaretur. §. 11. Quod idem actum in Conc. Florent. §. 12. Idem etiam actum in unione Ruthenorum ad unitatem Catholicam. §. 14.

Triplex præcipuum Sedis Apoſtolicæ munus admittendi Græcos Ritus in Latinam Eccleſiam, interdicendi noxios in Græca, & eidem permittendi innoxios. §. 27. *& ſeqq.*

Presbytero Græco Ritu ordinato, petenti licentiam ingrediendi Religionem Cappucinorum, & celebrandi Miſſam Ritu Latino, S. R. C. conceſſit licentiam poſt ingreſſum Religionis & emiſſionem Profeſſionis. *Decr. S. R. C nu. 6.*

Romanus Pontifex.

Romanorum Pontificum ſollicitudo, ne novitates & abuſus in ſacros Ritus irrepant. *Append. 15. nu. 1.*

Eorumdem ſollicitudo in revocandis ad unitatem Orientalibus. *Append. 16. §. 1.*

Aliquæ cæremoniæ quæ fiunt in conſecratione Pontificis habentur in *Append. 21. §. 24.*

S

Sabbatum.

SAbbato ſancto prohibentur omnino celebrationes Miſſarum, etiamſi occurrat feſtum Annuntiationis. *Decr. S. R. C. nu. 99. 100.*

Sabbato Sancto pro collatione ſacrorum Ordinum, Epiſcopus in ſuo domeſtico Oratorio tenetur Miſſam cum Prophetiis, prout in Miſſali, celebrare. *Ibid. nu. 151. 166.*

Sacerdos.

Sacerdotibus exteris, ſive Regulares ſint, ſive ſæculares, celebratio permitti non debet, niſi litteras commendatitias Epiſcopi proferant. *Append. 20. §. 1.*

Sacerdotibus cæcutientibus permittitur, ut diebus feſtis ac duplicibus Miſſam votivam B. V. profeſtis autem pro defunctis celebrent. §. 11. Prorſus vero cæcis nequaquam permittitur celebratio. *Ibid. & Append. 22. §. 22.*

De Sacerdote celebraturo Miſſam privatam, & tranſeunte ante Altare ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum, quid agere debeat. *Decr. S. R. C. nu. 40. 159.* Quid ſi tranſeat ante Altare, ubi ſit populi communio. *Ibid. nu. 105.*

Sacerdotes confluentes in alienas Eccleſias, in quibus feſtum ſolemniter peragitur, debent ſe conformare Ritui, & colori earundem Eccleſiarum. *Decr. S. R. C. nu. 114. 115. 124. 2. 156. 168.*

Subdiaconus.

Deficiente Subdiacono in Miſſa ſolemni, data neceſſitate, poteſt ſubſtitui Clericus in minoribus, ſed abſque manipulo. *Decr. S. R. C. nu. 104.*

T

Thuriſicatio.

OBlatorum & Altaris feria VI. in Paraſceve, quomodo facienda. *Decr. S. R. C. nu. 106.*

Incenſato Altari in quo expoſitum eſt SS. Sacramentum, non debet poſt illud incenſari Crux. *Ibid. nu. 142.* Secus feria VI. in Paraſceve. *Ibid. in not.*

Thuriſicatio Reliquiarum & imaginum ſanctorum. *Ibidem. nu. 154.*

V

Veſtes.

SAcerdotes ad Templum pergentes rem divinam facturi, longa veſte induti eſſe debent. *Append. 20. §. IV.*

Eaque nigra omnino debet eſſe, non cinericia, vel alterius cujuſque coloris. *Ibid.*

Vigilia.

In Vigilia Epiphaniæ prohibentur Miſſæ votivæ. *Decr. S. R. C. nu. 138.*

Et in Vigilia Pentecoſtes. *Ibid. nu. 49.*

FINIS.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS NONUS

CONTINENS

DE FESTIS D. N. JESU CHRISTI, & B. M. VIRGINIS

LIBROS DUOS;

UNA CUM ALTERO DE SANCTIS, QUORUM OFFICIUM, ET MISSA CELEBRANTUR IN CIVITATE, ET DIŒCESI BONONIENSI.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

QUOTQUOT EXSTANT

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA



JOSEPHO
LUSITANIÆ, ET ALGARBIORUM REGI FIDELISSIMO.

EMMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU.



N tam effusa Lusitanorum lætitia, quæ ad exteras etiam Gentes jam inde pervenit, ex quo Paternum Imperium susceptisti, patere, FIDELISSIME REX, ut mea etiam erumpat vox aliqua, quæ & gestientis animi testis sit, & ejus observantiæ, quam natalis soli jure, & beneficiorum Tuorum magnitudine Tibi maximam debeo.

Neque vero quisquam est, qui silere possit hoc tempore, aut cujus non hæc opinio sit, tantam, Te Rege, Lusitaniæ Regno felicitatem obtigisse, quantam cogitatione assequi nemo possit. Ex eo itaque luctu ac mœrore, quem Parentis Tui JOANNIS V. Regis obitus attulerat, tam incredibilis animorum ad lætitiam conversio facta subito est, ut nova quædam oborta lux offusas non mentibus hominum tantum, sed florentissimis etiam Regionibus tenebras depulisse videatur. Videbant Regem Optimum immatura morte sibi ereptum; de quo cum cogitarent, Regiarum virtutum ejus desiderio consolari dolorem suum nullo modo poterant: Te vero cum adspexissent; non illum amplius ereptum, sed præsentem adhuc intueri, & superstitem arbitrabantur: refers enim non oris tantum imagine, sed etiam animi, JOANNEM V. Parentem Tuum; atque ita refers, ut parem animi magnitudinem, idem consilium, ac Religionis studium, parem in rebus gerendis providentiam, & in tuos caritatem, quæ in Parente Tuo fuit, inesse in Te sentiat, & sibi restitutam, Te Rege, Lusitania gratuletur.

Atque ille quidem superiores Reges, qui in Lusitania fuerunt, omnes vicerat: quid enim in iis fuit, aut esse potuit, qui amplissimo Regno summa cum laude præfuerunt, quod in JOANNE V. collectum non fateamur? qui tamen modo e beatissimis illis sedibus, in quibus, ut sperare par est, felicius regnat, ita Tibi favet, ita Te spectat in singulis Orbis terrarum partibus dominantem majori tot Regnis animo; ut a Te uno vinci facile patiatur. Quam-

quam hæc maxima JOANNIS Regis laus eſt, atque ejuſmodi, in qua haud ſcio an parem habiturus unquam ſit, quod Te potiſſimum genuit: non enim ſibi dumtaxat Filium quæſivit, in quem dominatum, & ſuas omnes laudes transfunderet; ſed incredibilem quamdam Luſitaniæ felicitatem, quæ intercipi interitu ipſo ſuo non poſſet, & Regiarum virtutum exemplar abſolutiſſimum ceteris Gentibus comparavit.

Noli itaque mirari, REX FIDELISSIME, ſi quocumque incedis, obortis præ gaudio lacrymis Te omnes intuentur tamquam aſſertorem ſalutis ſuæ; ſi mirifice colunt, & diligunt; ſi, cum renunciatus Rex es, tanti ubique populorum concurſus facti ſunt, tam lætis clamoribus Luſitania univerſa perſonuit, quod poſt hominum memoriam nemini contigit; ut cum ad Te unum delatum Regnum eſſet, idem ad ſingulos perveniſſe videretur; tamquam enim non Rex ampliſſimus vectigalibus, ſed filiis Parens optimus imperares, tanta omnium ſalutem providentia tueris, tanta ſingulorum utilitatibus vigilantia ſtudes, quanta ipſi ſibi conſulere non potuiſſent. Effectum profecto a Te fuit, ut, cum Tua omnibus benignitas pateat, de fortuna queri nemo poſſet, nemini inopia gravis eſſet, nemini ſolitudo; illi dumtaxat ſe miſeros agnoſcerent, quos ſceleris non pœniteret: egregiis enim conſiliorum Tuorum Adminiſtris, & æquiſſimis delectis Judicibus, non pacatior privata domus, quam totum Regnum eſt; non expeditior patrimonii unius, quam communium fortunarum adminiſtratio. Quare omittas, quæſo, præclariſſimam illam Tuam vocem, qua Judicibus edixiſti, quid in ſententiis ferendis ſequi eos oporteret: *contra Te ipſum enim*, ajebas, *facturos, qui contra æquitatem quidpiam ſuſcepiſſent*. Nam quis improbitati relictus, Te Principe, locus eſt? Certæ olim ſedes erant, ubi vocem mittere leges conſueverant; fugitabant has rei; ne pœnas darent: ſua cuique domus Tribunal nunc eſt, ne peccent: timori prius omnibus Judex fuerat, quod cenſorem odiſſent; inquirunt modo ſinguli in mores ſuos, quod Te diligunt. O præclaram Rempublicam, in qua voluntatibus omnium & ſtudiis amor Principis moderatur!

Dabis mihi hanc veniam, REX FIDELISSIME, ut libere dicam, quod ſentio. Cum tantis opibus floreas, tam late regnes, tot ubique terrarum Populi Te ſupplices colant, id unum efficere non potes, ut timearis. Atque excubiæ quidem, & arma, quæ Te circumſtant, etſi non ad vim inferendam, ſed ad vitæ præſidium, & ad Regiæ dignitatis ornamentum comparata ſunt, ſpectari tamen ſine aliquo timore non poſſent; terrentur enim homines inſtructorum militum adſpectu, & periculum reformidant, quod arma non denuntiant. Verum cum inter ea medius apparueris tanta oris benignitate, quantam capere ſumma fortuna vix poteſt; ut nimbi placent cum Iris affulſerit, ita & hæc etiam delectant potius, quam terreant. Quamquam habes Tu, ſi iſta deſint, longe firmius præſidium, quod dies noctesque ad Tuam cuſtodiam excubet, populorum charitatem: hac late præcingeris, & ad omnem fortunæ caſum muniris, quæ Tibi, non gladiorum, aut Palatinarum ſecurium acie, ſed laterum, & corporum objectu ſecuritatem pollicetur.

Nullæ igitur intentandæ minæ ſunt, ut colaris: nulla proponen-

da

da ſupplicia, ne legibus detrectetur . Minuit Tibi , ac prope ademit commune omnium in Te ſtudium , eam poteſtatis partem, qua pœnam inflrgis ; auxit alteram , quæ optimis Principibus multo gratior eſt , & optatior , qua præmia largiaris . Ac virtutis quidem ornandæ ratio tum id arduum habet , & impeditum , quod propter multiplices latebras , quibus obtegitur hominum animus , non facile pateat quanta demum ea ſit ; tum illud in meritorum æſtimatione difficile ad judicandum , quid cuique maxime , quid Reipublicæ expediat : ut in honoribus , magiſtratibuſque mandandis , nec privatorum bono deeſſe , & communi utilitati conſulere, ea eximiæ ejuſdem ſapientiæ ac pene incredibilis eſſe videatur . Tuæ certe fuit , Rex Fidelissime , qui tam præclare utrumque præſtitiſti , ut ambigi merito poſſit , benignitas ne Tua major in largiendo , an in providendo conſilium fuerit illuſtrius . Multa erant toto Regno , quæ , ut ſuus rectefactis honor tribueretur , Principis liberalitatem requirerent : multa , quæ niſi delectos curatores nacta eſſent , detrimenti aliquid communis felicitas acceptura videretur. Quid vero de egregia Tua in Regno adminiſtrando ſapientia Joannes V. præſagierit , id ipſum documento eſt , quod diuturno morbo implicitus , quæ minus efficere ipſe per valetudinem potuit , Tibi demandanda cenſuit ; ut quo plura eſſent, cum decederet , quæ Regia auctoritate decerni oporteret, eo manifeſtius fieret , qualem poſt ſe , quantumque Regni moderatorem reliquiſſet . Et vero quid tam privatæ rei uſpiam fuit , quod , ſi conſultum ei per Te oportuit , vigilantiam Tuam non ſenſerit ? quid publici negotii , quod prudentiam deſideraverit ? quid ad Provinciarum cuſtodiam opportunum , & ad Luſitani nominis gloriam , quod conſilium ſubterfugerit ? Forum ne , an Tribunal, aut ulla muneris alicujus curatio eſt , quibus cum ſelectiſſimos viros præfeceris , non leges ipſæ , non æquitas , hominum loco aſſidere videantur ? Aucti honorum titulis Regni Primores ; unde tamen novus in Urbes , & populos ſplendor propagaretur : communita novis Proceribus Aulæ authoritas , qui in præclaras familias , & bene de re publica meritas novam dignitatis lucem inveherent. Ex quo ſi perſpicuum eſt , maximum Te quidem eſſe , cum alios magnos facis ; illud etiam facile agnoſcimus , cum ejus amplitudinis, qua frueris, participes facias Tuos , nihil prope eſſe, quod ab aliorum commodo Tibi velis eſſe ſejunctum . Cum autem probe intelligeres , quantum in armis ad tuendam populorum tranquillitatem ſit poſitum , eos vero , qui mare teneant , maxime omnium opibus , & potentia florere ; quid antiquius Tibi fuit , cum imperare cœpiſti , quam ut arcibus validiſſima præſidia imponeres, naves inſtrueres , terreſtribus maritimiſque copiis fortiſſimos Duces præficeres ; atque omnia ita componeres , ut excitatis ad bellicam laudem Luſitanorum animis , iſti quidem avitam virtutem æmularentur , Tu vero Deceſſores Tuos , qui Luſitanorum nomen in ultimos etiam terrarum fines tanta cum gloria invexerunt , pacis bellique artibus anteires.

Illud vero ſingularis ejuſdem , non dicam fortunæ , quæ veram laudem non habet , ſed prudentiæ Tuæ fuit , quod in tam multiplici Miniſtrorum delectu, & in tam varia munerum publicorum partitione , nulla hominum , ut aſſolet , querimonia fuerit , nul-

lus ne in animi quidem latebris tacitus dolor reſederit; nec minor ad eos, qui beneficium acceperunt, quam ad alios, qui eo uſi non ſunt, lætitia pervenerit. Mirum id quidem eſt, & pene inauditum; cum blandiri ſibi homines conſueverint, nec facile aliis in meritorum comparatione concedere præſertim in tanto ad rem publicam gerendam aptiſſimorum virorum numero, quos quidem tam multos eſſe, ſalutare Regno eſt, ipſis vero glorioſum. Obſtupeſcent profecto reliquæ ætates, tam egregiam in Te animi vim extitiſſe, tantam in æſtimandis hominibus (quæ laus Principis maxima eſt) ingenii perſpicacitatem, ut in re difficillima, quodcumque ſtatuiſſes, id non ſolum communi omnium ſuffragio, ſed eorum etiam, qui poſthabiti eſſent, ſententia probaretur. Illi dumtaxat, pace Tua dixerim, REX FIDELISSIME, qui modo vivunt, qui Te propius intuentur, mirari deſierunt; nihil enim eſt tam præcipuum, & ad laudem illuſtre, quod a Te non expectent. Ac ſolent quidem homines, cum ad Regnum adminiſtrandum novus Princeps aceeſſerit, in eum oculos tamquam in orientem Solem omnes convertere, & pro ſuo quique ſenſu, quid ſibi, quid Regno polliceantur, conjicere. Tu ſubito, quantus eras, exortus es: nec temporis ſpatium, quod conſilii celeritate præverteres, expectandum Tibi fuit, ut maximus appareres; ſed ex Aulæ ſpecula circumlatis in ſubditos Tibi populos oculis, non propinquis tantum terris, ſed etiam remotiſſimis, providentiæ Tuæ lucem attuliſti. Quid enim a Luſitania tam procul ſitum, quam India eſt? quam Braſilia? Non interjacentia tamen tantorum æquorum ſpatia, non immenſa locorum longinquitas beneficentiam Tuam remorata eſt; quia ſub ipſum Regni initium alterius ſecuritati ac victoriæ ſubmiſſis copiis proſpiceres; alteram, novo inſtituto Regiis redditibus ad cauſas celerius cognoſcendas Senatorum Tribunali, moleſtia liberares, & remiſſo quod in diem pendebatur ex auri fodinis vectigali in iiſdem exercendis alacriorem efficeres: atque id tam celeriter, ut prius beneficium collatum ſit, quam Gentes illæ id futurum inaudierint; prius acceperint, quam ſperarint: cum uno eodemque nuncio allatum ad eas ſit, & Te Regem inauguratum, & ſe novo bono munifice auctas; ut una cum Regii nominis Tui auſpiciis ad illos portus e Luſitania felicitas navigaret.

Verum fuerit optimi Principis, & ad communem populorum ſalutem nati amiciorem Braſilium ærariis, quam ſuo inveniri! Quid de me dicam, quem longe a Luſitania ſejunctum tam benigno animo complecti ſemper voluiſti? Equidem cum Tua beneficia recordor, quæ mihi hærent intimis infixa ſenſibus, ita commoveor, ut non ſolum Tibi debere me totum putem, ſed potentiſſimum Regem privato homini, ac ſubdito, tam multa, tam ſingularia tribuiſſe, vix ipſi mihi credibile videatur. Hoc Tuæ clementiæ major laus eſt, qua Divinam imitaris; cum, non quid ego merear, ſpectas in beneficio collocando, ſed quid ipſe poſſis, & velis. Nam, ut ea omittam, quæ in me, cum eſſem in Luſitania, liberaliter contuliſti; quale beneficium eſt, quod & rerum mearum fautor ampliſſimus apud JOANNEM V. Patrem Tuum Regius adhuc Princeps extiteris: nec ita multo poſt Rex factus me potiſſimum Romæ delegeris, cujus opera in publico negocio uteris,

reris, datisque ad me literis curam in agendo meam, & sedulitatem probaveris? Quale illud etiam, quod de me ad BENEDICTUM XIV. honorifice scripseris, ut optimi, sapientissimique Pontificis, cui tantum debeo quantum nemo fortasse alius, Tuo in me suffragio benignitas augeretur. Multum profecto ad Regiæ clementiæ testimonium id fuit, Tuæ certe munificentiæ parum; quam Tibi parem esse non duceres, si non eadem Regiæ etiam magnitudinis amplitudinem superares. Quid enim dicam, quam large Patris Tui munificentiam, qua usus in me est, non æmulari solum volueris, sed etiam vincere; ut in Filii beneficio grata viveret Genitoris memoria, cujus perennium instar fluminum alteri quidem initium, alteri vero incrementum deberetur? Quid memorem Regio, quod Romæ est, Tabulario me Præfectum appositum? quid eorum Causas, de quorum cælesti honore Tuo jussu agitur, omnes mihi concreditas, & demandatas?

Infinitus pene sim, si recenseam singula; largior enim in me ornando fuisti, quam complecti cogitatione ipse possim. His ita quotidie magis afficior, ut quoniam nullam meritorum Tuorum partem assequi me posse sentio gratiis agendis, quas & ago Majestati Tuæ, habeboque, dum vivam, maximas, aliquo saltem cupiam literarum monumento publice profiteri, quid debeam. Quamquam Tua facit in Deum pietas, REX FIDELISSIME, qua Patrem æmularis, eaque Religio, qua Te ipso major es, ut & præstem, quod cupiam, & Tibi acceptum referre debeam, quod possim. Nam, cum præ manibus haberem BENEDICTI XIV. Volumina, quæ per me recudi idem voluit, eorum vero aliquot Authori ipsi sapientissimo, aliquot JOANNI V. Parenti Tuo nuncupassem; tanta mihi ejus Operis, in quo de Domini, Beatissimæ Virginis, Sanctorumque celebritatibus agitur, cum Tuis, Conjugisque Tuæ REGINÆ FIDELISSIMÆ moribus consensio visa est, ut illud tam eximiæ pietati Vestræ deberi diutius non posset. Cui enim notum non est, quanta utriusque Vestrum cura sit Divini cultus augendi; quantum Religionis tuendæ studium; quam aperte demum ostenderis, *velle Te, quæ ad Deum, Sanctosque pertinent, ea ubique ita peragi, præcipue vero in Sacrosancta Patriarchali Basilica Lisbonensi, ut nihil de summo splendore, nihil de pristina dignitate detrahatur?* Agnosces profecto, cum Volumen hoc inspexeris, assiduas sacris in rebus supremi Pastoris vigilias & curas Tuis simillimas: miraberis singularem, dignamque tanto Pontifice sapientiam: nec deerit in eodem etiam, quod diligas; Tuo enim potissimum Nomini Author ipse Sanctissimus, Tuique amantissimus Opus id suum inscribi voluit, testem Paternæ erga Te memoriæ, testem benevolentiæ.

Quin etiam, ut Tibi per literas Idem ipse significavit, publicam disputationem, in qua nostra Sacrorum Rituum Schola hujus Voluminis doctrinam non in Synopsim redactam, ut in aliis Voluminibus factum a nobis est, sed qualis ab Authore prodiit, ad eam magis illustrandam, coram lectissima Romanorum Præsulum, ac doctissimorum virorum corona propugnandam hoc anno suscipiet, Tibi nuncupari jussit, pollicitus Se palæstram ipsam pridie, quam concertatio instituatur, præsentia sua honestaturum.

Excipe igitur, REX FIDELISSIME, ea, qua soles benignitate sup-

plices

plices Tuos, qualemcumque hanc perennis obsequii mei, devinctique animi significationem: nec spectare quæso velis in hac re, quod meum est; sentio enim, quam tenue id sit, & exiguum: sed illud potius, quid Tibi a Pontifice tribuatur, quod amplum arbitraberis. Rogo Deum Optimum Maximum, ut Majestatem Tuam diu sospitet ad Catholicæ Fidei præsidium, & Regnorum Tuorum felicitatem, & incrementum,

SA-

SACRORUM RITUUM SCIENTIÆ AUDITORIBUS.

QUAM vobis in Liturgicis meis Exercitationibus pag. 178. nuper ſpopondi, nunc ſolvo fidem. Aureus SS. D. N. BENEDICTI XIV. Tractatus de Chriſti Domini, ac Deiparæ Virginis Feſtis a Cl. Viro Michaele Angelo Jacomelli ab intimo Sacello Pontificio in Latinum verſus, en iterum prodit in lucem. Huic alius ejuſdem Pontificis Tractatus accedit de Sanctis, quorum officium Bononiæ celebratur, Latinitate a nobis nunc primum donatus. Locupletiſſimum præterea adjungimus Indicem, in quo adornando ſuam locavit operam P. Hieronymus Lombardi S. J. In hujuſce Operis capitum, ac librorum partitione, ultimam Italicam editionem Patavinam ſecuti ſumus. Porro cum plurimum vobis prodeſſe poſſit hoc Opus in iis quæſtionibus diſſolvendis, quas de Miſſæ Sacrificio, Divinique Officii recitatione agitamus in dies, illud vobiſmetipſis tamquam certiſſimum diligentiæ meæ pignus, atque opportuniſſimum laboris veſtri adjumentum, libenti animo impertiar. Interea, ut novos currentibus adjungam ſtimulos, rogo vos, ut Præfationem præmiſſam Operi SS. D. N. BENEDICTI XIV. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio* a pag. v. uſque ad VII. ſedulo percurratis, in qua quid a vobis requiram, & quid a me præſtabitur, ſatis dilucide expono. Ne quid vero deſideretur, quod aliquo vobis adjumento eſſe poſſit, Epiſtolam ad Summum Pontificem ſcriptam, & Scholæ noſtræ methodum ex Liturgicarum Exercitationum Tomo fideliter hic tranſcribo.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV. P. O. M.

BEATISSIME PATER.

ACCIDIT ſæpe liberalibus diſciplinis, quod quibuſdam uſuvenire fluminibus ſolet, ut quemadmodum hæc cum excreverint imbribus, ſeipſa aliquando non capiunt; reſidunt vero brevi, & paulatim exareſcunt: ita illæ cum expetitæ fuerint impenſius, magnaque ad eas diſcipulorum multitudo confluxerit, his commutata voluntate paularim dilabentibus, penitus deſerantur. Timendum hoc tamen non fuit in Sacrorum Rituum facultate, quæ ſub tutela Sanctitatis Veſtræ in hac Gregoriana Univerſitate lucem aſpexit; ſiquidem non ſolum novæ aliæ ejuſdem Cathedræ in aliis Univerſitatibus inſtitutæ ſunt, ſed tot novis aucta eſt Auditoribus, ut eorum numerus aliquot legibus coercendus eſſet. Hoc enim ſecundo anno tercentos circiter numerabam; nam cum hoc ſtudium aliquod ſaltem dialecticæ præſidium requirat, illud in primis decernere viſum eſt, ut nemo inter Auditores recenſeretur, qui Philoſophiæ operam daret. Cæteris, qui Theologiam, aut Canones audiunt, vel qui hujuſmodi diſciplinis ſtuduerunt, liber patebit ad nos aditus.

Cum autem propoſitum mihi ſit ea, quæ ſingulis annis prælegerim, Typis excudere, & hujuſmodi libellum item quotannis diſcipulis diſtribuere, ne id indiſcriminatim fiat, & temere, ſed potius ad augendam adoleſcentium in hoc ſtudio alacritatem maxime valeat, ducentos ex omnibus deligendos cenſui (hos *de numero* voco) qui cum mihi ſe frequentia probaſſent, aut ſtudendi voluntate, id a me munus acciperent.

Quamquam mirum eſt, qua animi contentione ſacra hujuſmodi ſtudia omnes exerceant; præcipue vero ii, qui in Collegiis verſantur. Etſi eorum modeſtia faciat, ne eos nominem, tacere tamen id certe non poſſum, illos magnæ etiam mihi voluptati eſſe, cum ita ſe gerant; magnæ etiam dignitati.

Jam vero duæ publicæ Diſputationes ſequenti anno habebuntur, quemadmodum aliæ item duæ habitæ hoc anno ſunt. Maximas autem Sanctitati Veſtræ gratias agere debeo, quod ex iis, quos ad publicas diſputationes ſelegi, duos pluribus benevolentiæ ſignis complexa ſit, alteri etiam Canonicatum in Patria ſua benigne contulerit. Ut autem de me etiam aliquid dicam, id mihi hoc anno propoſitum fuit, ut omnem Scholæ formam, & materiarum diviſionem ſimul conjungerem. Liturgicas etiam Exercitationes, & Liturgici Theſauri Collectionem molitus ſum. Ea omnia in ſeparato Tomo, qui inſcribetur *Acta Scholæ Sacrorum Rituum Anno* 1750. pleno calamo conſcribo. Opus hujuſmodi cum Sanctitati Veſtræ probatum jam ſit, ſatis etiam proficuum ſtudioſis Adoleſcentibus futurum confido. Ne vero ulterius eadem repetendo Sanctitati Veſtræ moleſtus ſim, mihi, & Auditoribus meis pignus Paternæ benevolentiæ Apoſtolicam Benedictionem humillime flagito.

Ex Collegio Romano 21. Junii 1750.

SANCTITATIS VESTRÆ

Humillimus, Addictiſſimus Servus, & Filius obſequentiſſimus.
Emmanuel de Azevedo Societatis Jeſu.

ME-

METHODUS

IN SCHOLA SACRORUM RITUUM SERVANDA.

I. SINGULIS annis typis edetur Volumen ducentas ad minimum complectens paginas, in quo sequentia contineantur: nimirum 1. Titulus materiæ, de qua agendum eo anno erit, & ipsius Operis dedicatio. 2. Syllabus Auditorum, qui Scholæ nomen dederint usque ad Kalendas Januarias. 3. Materia eo anno proposita, & viginti aliæ quæstiones, vel de eodem argumento, vel potius de aliis in Sacra Rituum Congregatione agitari solitis. 4. Epistola Summo Pontifici quotannis exhibenda. 5. Demum duplex libellus pro totidem publicis disputationibus.

II. Quoniam vero Volumen hoc ducentas circiter paginas complectens in Auditorum præsertim utilitatem cedere debet, hinc plura illius edentur exemplaria, quæ, divisa per folia, ita dispertientur, ut exacto annuo Scholæ curriculo, ducenti ex Auditoribus, qui Scholæ assidui interfuerint, totum singuli Volumen gratis obtineant.

III. Porro ex 200. iis paginis satis erit, si Professor 100. quotannis repleat lucubrationibus a se de novo elaboratis; reliquas vero vel suis, vel aliorum rebus iterum cusis, prout utilius judicaverit, supplere poterit; imo Auditorum laboribus uti, si qui fortasse sui ingenii, atque studii specimen præbere meruerint.

IV. Quotannis igitur duas exhibebit disputationes publicas, quarum altera versetur circa materiam, de qua illo anno actum in Schola fuerit, vel totam comprehendendo, vel aliquam illius partem elucidando. Altera vero circa materiam aliquam ex iis, quæ in Sacra Rituum Congregatione agitari solent quæ plerumque ex 20. ultimis Exercitationibus primo anno propositis desumetur. Et huic duplici materiæ duplex respondebit libellus, quem supra innuimus.

V. Si quando occasio tulerit, ut inter privatas Scholæ exercitationes agendum sit de peculiari aliqua re, ut ita dicam, extra ordinem; non id fiet, nisi aliquot diebus ante Auditores præmoneantur, ut nempe tractari pro dignitate possit.

VI. Viginti illæ Quæstiones, sive Exercitationes, quas addendas diximus aliis octoginta circa materiam in titulo quotannis propositam discutiendis, tractabuntur privatim, cum iis scilicet Auditoribus, quibus major erit sui progressus cura: quibus etiam folia in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione imprimi solita communicabuntur, & negotia ibidem contenta, atque Sacræ Congregationis Decreta.

VII. Tempus integrum octoginta propositis Quæstionibus tribuendum totidem dies complectetur, numerandos a Festo Præsentationis Beatissimæ Virginis usque ad Festum S. Aloysii Gonzagæ.

VIII. Scholæ vero exercitium incipiet hora 22. cum dimidio usque ad 23. Primo quadrante fiet explicatio; secundo unus ex Auditoribus aliquid ex proposita quæstione deducet, & argumenta ab alio Auditore objecta confutabit: ex qualibet vero Quæstionum decade una pro disputatione semipublica, sive, ut ajunt, menstrua seligetur, quam aliquis ex Auditoribus primo quadrante elucidabit, & in secundo objectionibus cum Præceptoris, tum alicujus Auditoris satisfaciet.

IX. Ante S. Aloysii Gonzagæ Festum, ut supra innuimus Epistola Summo Pontifici exhibebitur, in qua Scholæ ratio reddatur, designeturque, quos eo anno progressus fecerint Auditores.

X. Denique Sacrorum Rituum Professor in rebus ad Scholam pertinentibus non tam propriæ eruditionis & doctrinæ laudem, quam Auditorum utilitatem præ oculis habebit. Cum præsertim in Thesauri Liturgici collectione, quam curare debet, magnam sit habiturus materiam, in qua ingenium tum suum, tum amicorum exerceatur, si qui forte erunt, qui Operi utilissimo adjutrices manus præstare velint.

XI. MATERIA SINGULIS ANNIS DISCUTIENDA.

1.	*De Sacrosancto Missæ Sacrificio.*	vel potius	*De Missali Romano.*
2.	*De Divino Officio.*		*De Breviario Romano.*
3.	*De Sacramentorum administratione.*		*De Rituali Romano.*
4.	*De Benedictionibus & precibus.*		*De Pontificali Romano.*

In primis duobus argumentis non solum Missale, & Breviarium, sed etiam Ceremoniale Episcoporum, & Martyrologium Romanum elucidari possunt; siquidem præfixus Scholæ finis est, virum Ecclesiasticum optime instructum reddere in intelligentia librorum Liturgicorum, quibus Ecclesia Romana nunc utitur. Hujusmodi vero argumenta *Exercitationes nostræ Liturgicæ* pertractant, ad quas magno præsidio nobis sunt Opera BENEDICTI XIV. in quibus de Missa, de Festis, & de omnibus fere rebus ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus fuse differitur. Pro viginti tamen Exercitationibus de rebus in Congregatione Sacrorum Rituum agitari solitis, peculiares Scholæ nostræ facimus octo tomos *De Canonizatione Sanctorum*, quos unico Volumine in Synopsim redactos complexi sumus.

XII. Thesaurus Liturgicus, & peculiares in eo dissertationes de rebus, quas Ecclesiastica, vel profana Historia, Conciliaresque Sanctiones ad Sacrorum Rituum illustrationem suppeditabunt, non ad Scholæ exercitium, neque ad ejusdem Auditores spectant, sed eas peculiari titulo dedicamus *Sacrorum Rituum Academicis* dignitate & scientia clarissimis, quorum plurimos vel Codices & dissertationes nobis transmittendo, vel suppeditando materiam, vel protectione sua studia nostra promovendo, benevolentissimos nobis magno Literariæ reipublicæ bono experti sumus.

IN-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

INDEX
LIBRORUM, ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De Festis Domini Nostri Jesu Christi.

CAP. I. *De Festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, & Octava Nativitatis ejusdem, quæ Kal. Januarii celebrantur.* pag. 1.
II. *De Festo Epiphaniæ, quod postridie Nonas Januarii celebratur.* 8.
III. *De Sanctissimi Nominis Jesu Festo, quod secunda post Epiphaniam Dominica celebratur.* 26.
IV. *De Dominica Palmarum.* 28.
V. *De Matutinis Tenebrarum, quæ quarta, quinta, & sexta Feria majoris hebdomadæ Vesperi recitantur.* 35.
VI. *De Feria quinta in Cœna Domini.* 38.
VII. *De Feria sexta in Parasceve.* 60.
VIII. *De Sabbato Sancto.* 108.
IX. *De Dominica Paschæ ac duobus Festis, quæ consequuntur.* 126.
X. *De Festo Ascensionis quod Feria quinta celebratur, quæ Dominicam quintam post Pascha consequitur.* 127.
XI. *De Festo Pentecostes, quod prima Dominica celebratur post Dominicam infra Octavam Ascensionis.* 141.
XII. *De Festo Sanctissimæ Trinitatis.* 150.
XIII. *De Festo Corporis Christi, quod Feria quinta celebratur post Dominicam, quæ Pentecostem proxime consequitur, seu post Octavam ejusdem Pentecostes.* 151.
XIV. *De Festo Inventionis S. Crucis. Die 3. Maji.* 153.
XV. *De Festo Transfigurationis Domini, quod die 6. Augusti celebratur.* 157.
XVI. *De Festo Exaltationis Sanctissimæ Crucis. Die 14. Septembr.* 162.
XVII. *De Festo die Natalis Domini Jesu Christi. Die 25. Decemb.* 164.

LIBER II.

De Festis Beatæ Mariæ Virginis.

CAP. I. *Olim quot institutæ Solemnitates in honorem Deiparæ. Proponitur hujus secundi Libri materia, ac primum agitur de Festo Desponsationis B. M. Virginis cum S. Joseph. Die 23. Januarii.* 178.
II. *De Festivitate Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Die 2. Februarii.* 182.
III. *De Festo Sanctissimæ Annunciationis. Die 25. Martii.* 186.
IV. *De Festo Dolorum Beatissimæ Virginis. Feria 6. Hebdomadæ Passionis.* 191.
V. *De Festo Visitationis Beatissimæ Virginis. Die 2. Julii.* 195.
VI. *De Festo Beatæ Virginis de Monte Carmelo. Die 16. Julii.* 107.
VII. *De Festo Dedicationis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Nives. Die 5. Augusti.* 200.
VIII. *De Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis. Die 15. Augusti.* 204.
IX. *De Festo Nativitatis Beatissimæ Virginis. Die 8. Septemb.* 214.
X. *De Festo Nominis Mariæ. Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem.* 217.
XI. *De Festo B. Mariæ de Mercede. Die 24. Septembris.* ibid.
XII. *De Festo Rosarii Beatissimæ Virginis. Prima Dominica Octobris.* 218.
XIII. *De Patrocinio Beatissimæ Virginis. Tertia Dominica Novembris.* 221.
XIV. *De Festo Præsentationis Beatæ Virginis. Die 21. Novembris.* 222.
XV. *De Festo Conceptionis Beatæ Virginis. Die 8. Decembris.* 224.
XVI. *De Festo Translationis Almæ Domus Lauretanæ. Die 10. Decembris.* 231.
XVII. *De Festo Expectationis Partus Beatæ Virginis. Die 18. Decembris.* 233.
XVIII. *De Festo Sanctæ Mariæ in Sabbato.* 234.

LIBER III.

De quibusdam Sanctis de quibus celebratur Officium cum Missa in Civitate, & Diœcesi Bononiensi.

CAP. I. *De SS. Hermete, Aggæo, & Cajo. Die 4. Januarii.* 236.
II. *De Sancto Raymundo de Pennafort. Die 23. Januarii.* 238.
III. *De Sancto Zama Episcopo Bononiæ. Die 24. Januarii.* 239.
IV. *Se Sancto Guarino. Die 6. Februarii.* 243.
V. *De Sancta Juliana Vidua. Die 7. Februarii.* 244.
VI. *De Sancto Faustiniano Episcopo Bonon. Die 26. Februarii.* 247.
VII. *De Sancto Basilio Episcopo Bononiensi. Die 6. Martii.* 248.
VIII. *De Sancta Catharina Bononiensi. Die 9. Martii.* 250.
XI. *De S. Tertulliano Episcopo Bononiæ. Die 27. Aprilis.* 252.
X. *De Sancto Theodoro Bononiæ Episcopo. Die 5. Maji.* 253.
XI. *De Sancto Pio V. Die 5. Maji.* 257.
XII. *De Beato Nicolao Albergato S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiensi. Die 10. Maji.* 258.
XIII. *De S. Proculo Milite, ac Martyre. Die 1. Junii.* 261.
XIV. *De Sancto Parisio Confessore. Die 11. Junii.* 266.
XV. *De Sancto Paterniano Bononiæ Episcopo. Die 12. Julii.* 267.
XVI. *De Sancto Dominico. Die 4. Augusti.* ibid.
XVII. *De S. Bononio Abbate. Die 30. Augusti.* 269.
XVIII. *De B. Petro de Arbues. Die 17. Septembris.* 270.
XIX. *De Sancto Eusebio Bononiæ Episcopo. Die 26. Septembris.* ibid.
XX. *De S. Petronio Bononiæ Episcopo. Die 4. Octobris.* 272.
XXI. *De Commemoratione Omnium Sanctorum. Die 1. Novemb.* 278.
XXII. *De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Die 2. Novembris.* 279.
XXIII. *De Sanctis Vitale, & Agricola. Die 4. Novembris.* 280.
XXIV. *De Sancto Jucundo Episcopo Bononiæ. Die 14. Novembr.* 282.
XXV. *De Sancto Felice Bononiæ Episcopo. Die 4. Decembris.* 283.
XXVI. *De Sancto Floriano. Die 16. Decembris.* 285.

APPENDIX MONUMENTORUM

De quibus fit mentio in hoc Libro III.

Lectiones propriæ S. Guarini, quæ recitantur a Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris. 288.
Lectiones propriæ ejusdem S. Guarini, quæ recitantur a Canonicis Regularibus Lateranensibus. ibid.
Lectiones propriæ Officii S. Julianæ, quæ olim recitabantur a Monialibus SS. Vitalis, & Agricolæ. ibid.
Lectiones in Octava Sanctæ Julianæ Viduæ. 290.
Lectiones, quæ recitantur a PP. Dominicanis in honorem Sanctæ Julianæ. 291.
Lectiones S. Proculi Episc. & Martyris, & alterius S. Proculi Militis & Martyris, quæ olim recitabantur a Monachis Ordin. S. Benedicti. ibid.
Ex Hymnario antiquo manuscripto Hymni de Sancto Proculo. 292.
Lectiones S. Proculi Militis, & Martyris, quæ recitantur a PP. Dominicanis. 293.
Lectiones S. Parisii. ibid.
Lectiones SS. Vitalis, & Agricolæ, quæ olim recitabantur a Monialibus S. Vitalis. 294.
Lectiones infra Octavam. ibid.
Lectiones eorundem Sanctorum, quæ recitantur a PP. Dominicanis. 295.
Lectiones S. Floriani, quæ recitantur a PP. Dominicanis. ibid.
Lectiones S. Floriani, quæ extant in Archivis Vicentiæ. 296.

Monumenta Translationis Capitis Sancti Petronii Episcopi, & Patroni Civitatis Bononiæ.

Congregatio Monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti eximiæ pietati Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. *morem gerens, quantum sua intererat, dono obtulit Sanctitati Suæ Ven. S. Petronii Caput in Basilica Sancti Stephani asservatum, & Donationem publicis Tabulis consignavit.* 297.
Copia decreti Capituli Definitorialis habiti in Regali, ac Venerabili Monasterio SS. Petri, & Catharinæ ad Magellum de Neapoli die 25. Novembris 1741. 298.
Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Nerius Tituli Sancti Eustachii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Corsinus Jure Abbatis Commendatarii Basilicæ Sancti Stephani Ven. Sancti Petronii Caput BENEDICTO PAPÆ XIV. *dono dedit, publico edito Instrumento.* ibid.
Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. *Sancti Petronii Caput Insigni Collegiatæ Ecclesiæ eidem Sancto Antistiti dicatæ munificentissimo attribuit, ac in illam solemni ritu transferri mandavit, custodiæ leges adjecit, aliaque disposuit.* 299.
Primicerius, Canonici, & Capitulum Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Petronii Bononiæ Pontifici Beneficentissimo pro accepto præclaro munere gratias agunt. 300.
Literæ Apostolicæ Sanctissimi Domini Nostri, quibus hortatur Abbatem Conventualem Sancti Stephani Bononien. ut S. Petronii Caput tradat Episcopo Amathuntæ Pontificio Nomine illud propediem requirenti. ibid.
Abbas Conventualis Sancti Stephani Bononiensis Summo Pontifici rescribit. 301.
BENEDICTUS XIV. PONT. MAX. *ad augendam solemnis Translationis Capitis Sancti Petronii celebritatem, die illius anniversaria Missam, & Officium proprium indulget.* ibid.
Publicum Instrumentum &c. 302.
Aliud publicum Instrumentum. 303.
Aliud publicum Instrumentum. 304.
BENEDICTI XIV. *Epistola ad Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis, cum ad eamdem Corpus S. Proci Martyris mitteret.* ibid.
BENEDICTI XIV. *Literæ Apostolicæ in forma Brevis eisdem inscriptæ, quæ pro authentico publicoque Instrumento præfati doni valituræ sunt.* 307.



UAB Biblioteca de Ciències Socials

DE FESTIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, & de Octava Nativitatis ejusdem, quæ Kal. Januarii celebrantur.

Quatuor proponuntur examinanda.



Festum Circumcisionis & Octavæ Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Kalendis Januarii celebratur. Ut ad hoc argumentum paratiores aliquando accedamus, primo de Institutione Circumcisionis; secundo de illius effectibus; tertio de Circumcisione Christi Domini verba faciemus: tum de Festo ipso dicere aggrediemur, quo fit Circumcisionis commemoratio, & Circumcisum Dominum adoramus.

Deus fuit Circumcisionis auctor.

2. Quod ad primum attinet, Circumcisionis ritum a Deo institutum esse constat in cap. 17. Geneseos, ubi legimus, Deum Abrahamo apparuisse, multaque illi pollicitum, Circumcisionem imperasse; quo quidem præcepto quinque continentur. Primum ad sexum pertinet, ut soli masculi circumciderentur: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*. Secundum masculorum circumcidendorum conditionem statuit: Deus enim jubet, ut Abraham se, suosque filios, atque etiam servos circumcidat: *Omne masculinum in generationibus vestris, & tam vernaculus, quam emtitius circumcidatur*. Tertio certum Circumcisionis tempus statuitur, octavus nempe post natum puerum dies: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*. Quartum partem designat corporis, in qua fieret circumcisio: *Circumcidetis carnem præputii vestri*. Quinto denique declaratur, eum esse usum seu finem instituendæ Circumcisionis, *ut sit signum fœderis inter me & vos*, eamque legem nullo non tempore duraturam: *erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*; addita sanctione, ut qui legi non paruissent, pœnas luerent: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*.

Circumcisionem Deus præcepit Abrahamo. Lex deinde promulgata per Moysem.

3. Circumcisionem, quam Abrahamo Deus præcepit, institutam esse oportuit multo ante Mosaicæ legis promulgationem: ut notat D. Thom. 3. par. quæst. 70. art. 2. Leges enim, ut ratio postulat, feruntur populo convocato, populique Deo fidelis convocatio per sensibile Circumcisionis signum facta fuit. Post quadringentos circiter annos ab Abraham Deus Moysem elegit, qui legem promulgaret, in qua ipsa quoque Circumcisio continebatur, ut in Levit. c. 12. *Et die octavo circumcidetur infantulus*. Ac si quis ex Gentibus Judaicam Religionem voluisset amplecti, opus illi erat juxta eam legem non sese tantum, sed filios suos omnes subdere Circumcisioni. *Quod si quis* (Exodi cap. 12.) *peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ; si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo*. Huc pertinet planeque consentit, quod narratur Cap. 14. Judith, prodigiis, quæ a Deo fiebant in Israel, commotum Achior, relicto idolorum cultu, veram Religionem amplexum, sese circumcisum voluisse, atque ita in populum Israeliticum immigrasse. Christus Dominus Joann. c. 7. cum ante octodecim menses die quodam Sabbati miro plane modo Paralyticum a morbo restituisset, multis Hebræorum ob eam rem de illo detrahentibus dixit: *Unum opus feci, & omnes miramini*, ut eorum perfidiam argueret: *Pro-*

pterea, inquit, *Moyſes dedit vobis Circumciſionem (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus). Si Circumciſionem accipit homo in Sabbatho, ut non ſolvatur lex Moyſi; mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbatho?* Quibus verbis illud declarare voluit, quemadmodum præceptum de ſervando Sabbatho, & lex de Circumciſione lata per Moyſem, ſeu potius per illum inſtaurata, qua vetus, & Patriarcharum uſu venerabilis cæremonia præcipiebatur, nihil obſtabat, quominus Judæi Sabbatho circumciderent, ita ſe quoque, immo potiore jure, nihil impediente Sabbatho, Paralyticum ſanitati potuiſſe reſtituere, ne ab ea charitatis lege recederet, qua jubemur laboranti proximo opem ferre, tantoque ſtudio & animi contentione, quantam res ipſa poſtulaverit, præbere illi auxilium, ſicut ipſe Chriſtus Dominus cum miſero illo ſeſe geſſerat Paralytico, cui novem & triginta annorum ſpatio nemo fuerat, qui de ferenda ope cogitaſſet.

Circumciſio non ab Ægyptiis ad Hebræos, ſed ab his ad Ægyptios profecta eſt.

4. Quæ hactenus a nobis dicta ſunt, ſatis aperte declarant, quod priore loco propoſueramus examinandum, videlicet Inſtitutionem Circumciſionis. Verum quis crederet, non defuiſſe, qui rei clariſſimæ, quam nemo ſanæ mentis negaverit, tenebras obducere conarentur? Extitere audaces homines, rerumque novarum cupidi, Marshamus & Spencerus, qui affirmare auſi ſunt, Hebræos Circumciſionis ritum ab Ægyptiis accepiſſe, afferentes Herodotum lib. 2. cap. 10. & Diodorum Siculum Biblioth. lib. 1. cap. 17. qui Colchos, Ægyptios, & Æthiopes ſibi pudenda corporis circumcidere ſolitos, eamque conſuetudinem ab Ægyptiis ortam eſſe diſerte teſtantur, quorum Novatorum effrænatam fregerunt audaciam viri doctiſſimi, qui Herodoto & Diodoro profanis Scriptoribus, in iis quæ de Circumciſionis origine tradiderunt, fidem omnem eſſe abrogandam apertiſſime demonſtrarunt: Moyſem, qui ſcripſit Pentateuchum, vetuſtiſſimum eſſe primumque ex omni Gente ſcriptorem: Herodotum multis poſt ſæculis ſub Dario Hyſtaſpe, Xerxe, & Artaxerxe Longimano, Diodorum vero Julii Cæſaris & Auguſti ætate floruiſſe; neutrum autem Hebraicorum rituum habuiſſe notitiam: apud Ægyptios quidem alioſque finitimos populos fuiſſe Circumciſionis conſuetudinem, ut conſtat ex Hieremiæ cap. 9. *Ecce dies venit, dicit Dominus, & viſitabo ſuper omnem, qui circumciſum habet præputium, ſuper Ægyptum, & Juda* &c. non tamen ab Ægyptiis ad Hebræos, ſed ab his ad Ægyptios, vicinoſque illis populos Circumciſionem eſſe profectam: eas Gentes vel amicitia, qua cum Abrahamo, Joſepho, & Moyſe jungebantur, eorumque, quos plurimi faciebant, exemplo ductas, vel Judaicæ religionis, quam miraculis Deus tantopere illuſtraverit, fama permotas, vel frequentiſſimis, Salomonis præſertim ætate, Hebræos inter, & Ægyptios commerciis intercedentibus, Judaicorum rituum ſplendore captas, in ſuos mores Circumciſionis conſuetudinem induxiſſe. Hanc vero rem totam magna eruditione argumentorumque vi pertractarunt Natalis Alexander Hiſt. Vet. Teſtam. tom. 1. diſs. 6. Graveſon. Hiſtor. itidem Vet. Teſt. tom. 1. pag. 339. & de myſter. & annis Chriſti diſſert. 9. pag. 192. Honoratus a S. Maria de uſu Criticæ t. 2. lib. 3. diſſert. 3. Franciſcus Valeſius de ſacra Philoſophia Cap. 18. & Calmet diſſert. de Origine & antiquitate Circumciſionis. *De Natali Jeſu Chriſti* opus edidit Typis Amſtelodamenſibus anno 1689. Antonius Bineus, & ad ejus calcem Diſſertationem addidit *de Chriſti Circumciſione*, in qua ille, etſi hæreticarum partium homo, negat ad Hebræos ab Ægyptiis Circumciſionem eſſe traductam, ſed Hebræos ita a Deo juſſos ritum illum inſtituiſſe. *Circumciſionis ritum non puto Judæos Ægyptiis debere. Credi par eſt Circumciſionis legem ab ipſo Numine Abrahamo Gentis patri traditam fuiſſe. Etenim, ſi ſacris litteris ſua conſtet fides & reverentia, agnoſcendum omnino eſt, Circumciſionis ritum ab ipſo Deo Abrahamo datum in ſui fœderis ſignum.* Deinde diſputat, an a Judæis Ægyptii circumcidendi morem acceperint; idque negat fieri potuiſſe; Ægyptii enim a Judæis, eorumque rebus omnibus maxime abhorrebant: ac in ea demum verba rem omnem concludit: *Sentio nec Judæos ab Ægyptiis, nec hos ab illis mutuatos eſſe Circumciſionis ritum, ſed idem inſtitutum apud utramque gentem ex cauſa invaluiſſe diverſa: apud Judæos ex præcepto Numinis, ut fœderis, cujus ſignum erat, fidem ratam faceret & firmam: apud Ægyptios, quibus omnibus circumcidendi mos non communis fuit, ut Judæis &c. ſed a Sacerdotibus in primis uſurpatus ex ſtudio munditiei.*

De effectibus Circumciſionis data in ſignum, quo Hebræi aliarum gentium diſcernerentur.

5. Quod ad Circumciſionis effectus attinet, S. Hieronymus in Cap. 3. Epiſt. ad Galatas ait Chriſtum oportuiſſe naſci ex ſemine Abrahæ; cumque a Chriſto ad Abrahamum multa eſſent ſæcula evolvenda, ne Abrahæ ſoboles cum cæteris Gentibus miſeretur, opus fuiſſe, ut Iſraeliticus populus Circumciſionis ſigno ſecerneretur, ex quo factum eſſe arguit S. Doctor, ut in celebri illa quadraginta annorum peregrinatione in Deſerto nullus Hebræorum circumcideretur, quod toto illo tempore ab omnibus Gentibus populus ille ſejunctus eſſet. *Quia ex ſemine Abrahæ erat Chriſtus oriundus & ad Abraham uſque ad Chriſtum multa erant ſæcula tranſitura, providens Deus, ne ſoboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, Gregem Iſraeliticum quodam Circumciſionis cauterio denotavit. Denique per quadraginta annos in Eremo nullus eſt circumciſus: ſoli quippe ſine Gentis alterius commixtione vivebant. Statim ut Jordanis ripam tranſgreſſus eſt populus, circumciſio neceſſario futuro ex commixtione Gentium providit errori.* Cum quo conſentit D. Chryſoſtomus Hom. 39. in Geneſim, ubi loquens de Circumciſione, quam Deus Abrahamo præceperat, ait: *Volebat eos, qui ex ipſo propagandi erant, facere ſuum peculiarem populum & ut poſtea cum multitudo propagaretur, non ſe Gentibus illis quarum hæreditatem occupatura erat, commiſceret.* Et S. Irenæus lib. 4. cap. 30. ait, Circumciſionem datam fuiſſe Abrahamo in ſignum, *ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ.* Idem docet Theodoretus quæſt. 67. in Geneſim. Id etiam fatetur Joſephus lib. 1. Antiquitat. Cap. 2. *Quia ſcilicet dolebat genus Abrahæ cum aliis Gentibus permiſceri, ideo corporali hac nota inſigniri, ac diſcerni voluit.* Et D. Th. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ad pr. de Circumciſione loquitur in hunc modum: *Ratio Circumciſionis principalis fuit ad proteſtationem unius Dei. Et quia Abraham fuit primus, qui ſe ab Infidelibus ſeparavit exiens de domo ſua, & de cognatione ſua, ideo ipſe primus Circumciſionem accepit.* Atque ut ejuſmodi proteſtatio & imitatio fidei Abraham Judæorum animis quam firmiſſime inhæreret, ideo in eorum carne datum eſt ſignum, cujus memoria excidere illis non poterat. Ob eamque rem vulgo ab illis Gentibus *Circumciſi*, & rurſus ab iis omnes Gentes *incircumciſorum* nomine appellabantur. Et D. Paulus, cum Hebræos & reliquas Gentes nominare illi contingit, non aliis quam Circumciſionis, & præputii vocibus uti ſolet.

Quinam effectus fuerint Circumciſionis. Sa-

6. Atque id qui in dubium revocet, puto eſſe neminem. Jam vero de Circumciſionis effectibus

Sacramenta veteris legis per se non conferebant gratiam justificantem ex doctrina D. Th. & omnium Theologorum.

ctibus tota quæstio huc redit: Sacramenta veteris legis, ut Theologi omnes cum D. Th. 3. part. quæst. 62. art. 6. consentiunt, neque ipsa per se gratiam justificantem conferebant, neque virtutem habebant eamdem conferendi gratiam ex Passione Christi. Cum enim virtus Passionis Christi per fidem & Sacramenta nobis applicetur, & applicatio per fidem fiat per actum animæ: applicatio vero per Sactamenta fiat per usum quarumdam exteriorum rerum; potest quidem id quod est posterius tempore, priusquam sit, movere; quia præcedit in actu animæ ut loquitur S. Doctor; eo prorsus modo, quo finis seu causa finalis etsi posterior tempore, tamen quia ab agente desideratur, agentem ipsum commovet & impellit; quod autem in natura rerum nondum est, secundum exteriorum rerum usum movere non potest: quare cum causa efficiens non possit suo effectu esse posterior causa finali; inde fit, quod etsi veteres Patres, æque ac nos, per eamdem Fidem Passionis Christi justificabantur; gratia tamen, quæ in Sacramenta novæ legis a Passione Christi defluxit, non potuit in Sacramenta Veteris legis derivari; quæ propterea Sacramenta in lege veteri nil quidquam aliud erant, quam Fidei protestationes, & signa effectuum ex Christi Passione prodeuntium. *Sic enim manifestum est* (verba sunt S. Doctoris) *quod a Passione Christi, quæ est causa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad Sacramenta novæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis: & tamen per fidem Passionis Christi justificabantur antiqui Patres, sicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius Fidei protestationes, inquantum significabant Passionem Christi, & effectus ejus. Sic ergo patet quod Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad Gratiam justificantem, sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.*

Discrimen inter veteris, & novæ legis Sacramenta unde exstat, variæ sententiæ. Veteris legis Sacramenta ex opere operantis, novæ legis ex opere operato gratiam conferunt.

7. Non nemo arbitratur, hanc quam attulimus D. Thomæ doctrinam ita omne suum robur obtinere ex alio quodam ejusdem S. Doctoris principio, Sacramenta nimirum esse causam physicam gratiæ, ut elevari, vel omnino ruere possit, si aliorum Theologorum sententiam amplectamur, qui Sacramenta non nisi moralem gratiæ causam esse putant. Quamobrem Theologus, qui nuperrime ad celebris Estii Theologiam additiones suas appposuit, monet Thomistas, ut strenue propugnent, Sacramenta physice gratiam producere, ne labantem, nutantemque videant Angelici Doctoris doctrinam de discrimine Sacramentorum utriusque legis, ut videre est in notis ad §. 29. lib. 4. distinct. 1. Quidam vero putant, etiamsi velimus Sacramenta nonnisi moraliter gratiam operari, non tamen tolli discrimen illud, a S. Thoma ex ea quam attulimus ratione petitum, inter utriusque legis Sacramenta; & similitudinem quamdam afferunt ad hunc modum. Duo sunt, quorum alter, ut laborum suorum mercedem accipiat, testimonia profert earum rerum quas gesserit; alter ut mercedem itidem assequatur, syngraphan exhibet, qua se hoc vel illud facturum pollicetur. Profecto nonnisi moralis causa utrobique deprehenditur: & quemadmodum ea testimonia efficaciam habent mercedis obtinendæ, syngrapha vero non item; eodem plane modo etiamsi Sacramenta moraliter tantum producant gratiam, nihil tamen impedit, quin dicamus novæ legis Sacramenta vim & efficaciam habere ex meritis Passionis, & Crucis, quam Christus Dominus jam subierit; veteris vero legis Sacramenta, quæ signa sunt tantummodo futuræ passionis, eadem vi & efficacia. Vid. Suarez in 3. par. D. Th. t. 3. quæst. 62. art. 6. disp. 10. sect. 2. Utcumque vero sit de acutis hujusmodi Theologorum disputationibus, illud certe nobis est exploratum, veteris legis Sacramenta figuram fuisse gratiæ, quam conferebant per fidem & pietatem tum ministrorum, tum suscipientium, sive ut Theologi dicunt *ex opere operantis*; & rursus Sacramenta novæ legis continere gratiam, eamque digne suscipientibus conferre ex merito Passionis Christi, ac propterea, ut iidem Theologi dicere solent, *ex opere operato*. Quamobrem Eugenius IV. in Decreto, seu Instructione Armenorum ait: *Novæ legis septem sunt Sacramenta &c. quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Quæ doctrina egregie explicatur in Catechismo Romano part. 2. de Sacram. in genere num. 29.

Varia de effectibus Circumcisionis Theologorum sententiæ.

8. Quod de Sacramentis veteris legis hactenus diseruimus, idem de Circumcisione sine ulla controversia dici posse videtur. Verum cum Circumcisio sit legis naturæ Sacramentum, non vero legis Mosaicæ; nova oritur quæstio, quæ ad ejus effectum pertinet. Veteres Theologi in diversas abiere sententias. Quidam affirmarunt, per Circumcisionem gratiam quidem non conferri, sed aboleri peccatum. Alii arbitrati sunt, Circumcisionem gratiam ita conferre, ut removeatur quidem culpa, non tamen ut proprii effectus gratiæ producantur. Nonnulli denique putarunt, Circumcisionem gratiam conferre, dignumque æterna vita hominem reddere: concupiscentiam tamen, qua ad peccandum impellimur, minime coercere. Has omnes opiniones commemorat, & refellit D. Th. 3. par. q. 62. art. 6. *ad tertium*; nec quisquam est qui hoc tempore earum aliquam tueatur. At duo etiamnum inter Theologos disputantur: an Circumcisio originali peccato remedium attulerit: & an produxerit gratiam ex opere operato.

Circumcisionem & remedium fuisse peccati originalis, & gratiam contulisse putat Juvenius. Huic sententiæ favere videtur D. Augustinus.

9. Uterque effectus a quibusdam Circumcisioni tribuitur, ut nimirum non modo remedium esset, & peccatum originale deleret, sed etiam conferret gratiam ex opere operato. Quam quidem sententiam innixam esse ajunt illis verbis cap. 17. Genes. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit:* eaque verba ad litteram intelligenda esse contendunt, ut sensus sit; si quis masculus non servato Circumcisionis pacto, cujus tantummodo beneficio ab æterna morte liberari potest, circumcisus non fuerit, anima ejus peribit; eodem plane modo quo dicimus, infantis non regenerati baptismate animam perire, propterea quod non observata fuerit baptismatis institutio, cujus ope tantummodo salutem æternam consequi potuisset. Vide Estium in lib. 4. distinct. 1. §. 29. & duobus sequent. Atque huic doctrinæ magnum addit pondus S. Augustinus, qui plurimis in locis expresse eam tradit; ut videre est lib. 16. de Civit. Dei cap. 27. de Peccato Orig. cap. 30. & 31. & de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. Juvenius autem in Commentario de Sacramentis disput. 2. de Baptismo quæst. 1. art. 2. hanc opinionem saltem ut probabilem proponit, præsertim propter expressam D. Augustini auctoritatem. Neque eo deterretur, quod si Circumcisio remedium peccato originali afferebat, cum nonnisi octavo post natum puerum die conferri posset, ejusmodi remedio caruisse oportet pueros, qui intra octo illos dies morte prærepti essent, atque adeo Hebræos omnes toto peregri-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nationis suæ tempore in deserto, quorum incompertum est circumcisum fuisse quempiam. Cui objectioni respondet, Hebræorum infantes intra dies octo mortuos, per fidem patrum suorum sensibili aliquo signo declaratam, justificatos; cum Hebræis vero in deserto nulla certa statione peregrinantibus, itinere ipso occupatis, & identidem, huc & illuc abeuntibus, sublata proinde facultate circumcidendi, fuisse dispensatum; vel etiam illos neglectæ Circumcisionis culpam contraxisse; vel denique eorum, qui nati per illud tempus essent, obiisse neminem, omnesque simul esse tandem circumcisos. Et quamquam non afferat D. Thomæ auctoritatem, hanc tamen esse doctrinam ipsius Angelici Magistri ex 3. par. quæst. 70. art. 4. ubi nullum peregrinationis tempore masculum circumcisum fuisse probat ex Josue Cap. 5. *Populus qui natus est in deserto, per quadraginta annos incircumcisus fuit.* Nullumque incircumcisum in deserto e vivis esse sublatum arguit ex illo Psalm. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus.*

Eam sententiam alii quamplurimi impugnant.

10. Quidam vero adversus hanc doctrinam acerrime pugnant, contenduntque Circumcisionem nunquam originalis culpæ fuisse remedium, gratiamque nunquam contulisse ex opere operato. Ac præter eam rationem (quod scilicet, si Hebræis petendum fuit a Circumcisione culpæ originalis remedium, necessario consequitur, tum pueros infra octo a nativitate dies mortuos, tum Judæos in deserto quadraginta annorum spatio omni ope caruisse, qua originali peccato mederentur) proferunt etiam ex Genes. cap. 17. eadem quæ superius attulimus verba: *Hoc est pactum meum, quod servabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos.* Ubi non ait Deus, Circumcisionem esse peccati remedium, neque gratiam producere, sed signum, quo veluti discrimine Judaicus populus a cæteris Gentibus segregaretur: signum singularis amoris, quo Deus illum populum complectebatur; signum religionis & cultus, quo vicissim ille populus præcipuum Deo honorem tribuere debebat. Afferunt etiam textum ex D. Pauli epist. ad Romanos cap. 3. *Quid ergo amplius Judeo est, aut quæ utilitas Circumcisionis? Multum quidem per omnem modum. Primum, quia credita sunt illis eloquia Dei:* atque observant in illo verbo *primum* significari primam, & præcipuam, quæ ex Circumcisione oritur, utilitatem; cumque eam Apostolus in lege a Deo Hebræis tradita, & in Oraculis solum constituat, inde arguunt, Circumcisionem, juxta literalem sensum Apostoli, gratiam justificantem non conferre.

Quid illi ad Augustini loca responderint.

11. Quia vero D. Augustini contraria sententia, propter gravissimam tanti Doctoris auctoritatem, maxime ut par est commoventur, declinare eam student, ita tamen, ut ne summi viri meritis quidquam detrahatur. Profecto S. Doctor versione LXX. interpretum usus est, in qua textus ille Geneseos ita legitur: *Masculus qui non circumcidetur carne præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum suum dissipavit:* quam lectionem sequitur etiam D. Ambrosius Epist. 77. & Origenes lib. 2. super Epist. ad Romanos cap. 3. prope finem. Jam vero verba illa *octavo die* desunt in codicibus Hebraicis, in Paraphrasi Chaldaica, & in Latina vulgata, ut apparet in textu a nobis supra allato: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Igitur ex verbis illis *octavo die* D. Augustinus adductus est ut crederet, Deum de infantibus loqui; mortemque quam iis minitatur, pœnam esse peccati originalis, cujus tantummodo ante octavum diem infantes rei esse poterant; & testamentum, seu pactum, seu præceptum, a quo dicuntur in textu infantes defeciisse, non esse præceptum de Circumcisione, sed præceptum, quod Adam prævaricatione sua violavit. Verum verba illa *octavo die* desunt in versione vulgata, qua & utimur & uti debemus; quo quidem patefieri videtur nobis via ad illum textum ita explicandum, ut salva semper veneratione Sanctissimo viro, de cujus auctoritate nefas est quidquam imminui, non de infantibus verba illa accipiantur, sed de adultis; non de morte spiritali & æterna, sed de pœna, quia incircumcisus a populo electo segregatus erat; non denique de præcepto quo Adam pomum comedere prohibitus est, sed de Circumcisione, quam Deus Abrahamo ejusque posteris imperavit. Ad hunc modum loquuntur Venerab. Card. Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 2. de effectibus Sacram. cap. 17. Natalis Alex. Hist. Eccl. Vet. Testam. Ætat. 3. cap. 1. num. 4. Calmet ad illum locum Genes. cap. 17. & Tournely de Sacram. in genere qu. 3. Concl. 3. ubi respondet objectionibus in fine: omnium vero optime Coquæus in notis ad cap. 27. lib. 16. D. Augustini de Civit. Dei.

Alia aliorum sententia D. Thomæ sententia, statuitur. Circumcisio fuit Sacramentum veteris legis quæ gratiam conferebat ex opere operantis.

12. Ut ex his ambagibus sese expedirent alii aliam viam ingressi sunt. Theophilus Raynaudus tom. 13. pag. 94. ait, Circumcisionem non ideo institutam fuisse a Deo, ut peccati originalis esset remedium, sed in infantibus qui intra dies octo morerentur, originalem deletam esse culpam per illud idem Sacramentum, seu Sacrificium, quo delebatur in lege naturæ, & ante Circumcisionem a Deo datam Abrahamo, juxta S. Augustini doctrinam lib. 5. contra Julianum cap. 2. *Nec ideo credendum est, & ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris Fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluit.* Quod vero ad Hebræos circumcisos attinet, quibus illud legis naturæ remedium non adhibebatur, iis putat in ipsa Circumcisione originalem labem, non quidem ex ipsius vi circumcisionis, sed ex sola Dei liberalitate abstersam fuisse. Docet Card. de Lugo in Tractatu de Sacramentis disput. 3. sect. 3. Circumcisionem juxta institutionem suam omni justificandi virtute delendique peccatum fuisse expertem; sed cum ad eam rem legis naturæ remedium per aliquod signum externum protestativum Fidei in Christum venturum adhiberi oporteret, parendumque esset legi Circumcisionis a Deo datæ Abrahamo, ac renovatæ per Moysem; Hebræos utrumque præstitisse, usos ipsa Circumcisione, per quam infantibus, applicata in Christum venturum fide, originalis macula elueretur; atque in hunc modum certa quadam norma & regula, in Circumcisione pueros justitiam esse consequutos. Nos vero D. Thomæ doctrina hujus rei examen expediemus, qui 3. part. quæst. 38. art. 3. ad tert. ait: *Ad tertium dicendum, quod Circumcisio instituta erat ad remedium originalis peccati: sed Baptismus Joannis ad hoc non erat institutus, sed solum erat præparatorius ad Baptismum Christi:* & in eadem 3. par. quæst. 70. art. 4. ait, communem esse sententiam de remissione peccati originalis in Circumcisione. *Respondeo dicendum, quod ab omnibus communiter ponitur, quod in Circumcisione peccatum originale remittebatur;* & in ea docet non *ex opere operato*, ut loquuntur Theologi, *sed ex opere*

ope-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

operantis gratiam juſtificantem eſſe collatam: *In Circumciſione autem conferebatur gratia non ex virtute Circumciſionis, ſed ex virtute fidei Paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio: ita ſcilicet quod homo, qui accipiebat Circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis.* Cui doctrinæ adhæret Eugenius IV. in Decreto ſupra a nobis allato, ubi poſito inter utriuſque legis ſacramenta illo diſcrimine, ut vetera gratiam producerent ex opere operantis, nova conferant ex opere operato, Circumciſionem quoque complectitur, quæ data quidem Abrahamo, fuit tamen Moſaycæ legis Sacramentum. Et Innocentius III. in Decretali *Majores* de Baptiſmo loquens de Circumciſione & Baptiſmo expreſſe docet, per Circumciſionem deleri conſueviſſe originale peccatum: *Quoniam etſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad Regnum Cœlorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum; ſed per Sacramentum Baptiſmi Chriſti ſanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum Cœlorum etiam pervenitur, cujus januam Chriſti ſanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſeravit.*

De Chriſti Circumciſione differitur.

13. Denique Circumciſionem Chriſti Domini, quod tertium eorum eſt & poſtremum; quorum examen ſermoni de Circumciſionis Feſto prævertendum putavimus, ex ſolius D. Lucæ Evangelio compertam habemus cap. 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.* Ubi S. Lucas refert nomen Chriſto Domino inditum, de quo ſermonem eo rejicimus, cum de Feſto Nominis Jeſu agemus. Circumciſum Chriſtum Dominum commemorat; ſed ubi, a quo circumciſus fuerit, quove inſtrumento, altum ſilentium. Quod argumento eſt, harum rerum notitiam ad æternam animarum ſalutem minime pertinere; idque in hiſtoria Feſti hujus diei animadvertit Bailletus. Verum ſi quis ad Evangelicam Hiſtoriam uberius illuſtrandam expedire putet de iis etiam paucula quædam afferre, laborem hunc minime detrectamus.

Ubi, & a quo Chriſtus quoque inſtrumento fuerit circumciſus.

14. Neque in Templo, neque in Synagogis, ſed in privatorum ædibus Judæi circumcidebant, ut conſtat ex prima inſtitutione: domi enim ſuæ & ipſe Abraham circumciſus eſt, & ibidem filium ſervoſque ſuos circumcidit. Geneſ. cap. 17. Quamobrem concludendum videtur Chriſtum Dominum in Bethleemitica ſpelunca, ubi natus eſt, circumciſum eſſe. *Natus eſt in Bethlem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Hieruſalem, in ulnas acceptus a Simeone*: verba ſunt S. Epiphanii hæreſ. 20. cui aſſentiuntur non ii modo Auctores, quos inferius proferemus, ſed Cornelius quoque a Lapide in cap. 2. Lucæ verſ. 21. & Sandinus Hiſtor. ſacræ Familiæ cap. 2. de Chriſto Domino. Porro Circumciſio Sacerdotale miniſterium non erat, ac ne Leviticum quidem, ſed laicum, & a Patrefamilias plerumque adminiſtrabatur. Et ſane Abraham primus Circumciſionis miniſter familiæ ſuæ maſculos omnes per ſe ipſe circumcidit, ut in Geneſ. cap. 17. Iſaac itidem filium ſuum circumcidit, ut eſt Actor. cap. 7. neque Sephora Moyſis uxor moram ullam injecit, quin ab Angelo increpita quod filium haberet incircumciſum, ſtatim illum circumcideret. Et in lib. 1. Machab. cap. 1. *Mulieres quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur ſecundum juſſum Regis Antiochi.* Ex quibus omnibus affirmari poſſe videtur, vel a B. Virgine, vel a S. Joſepho Chriſtum Dominum fuiſſe circumciſum. Hanc ſententiam amplexus, in ſacris quoque populi concionibus docuit P. Joannes Interian de Ayala in præclaro Opere anno 1730. Matriti edito, cui titulum indidit, *Pictor Chriſtianus*: & quamquam ab ea receſſit, ratus peculiares quoſdam miniſtros circumciſioni præfectos fuiſſe, ut omni diligentia, & amoto omni periculo circumciderentur infantes; nobis tamen perplacet prima ejus ſententia, cui manifeſtiſſime favet S. Ephrem Syrus in Orat. de Circumciſione Domini, ubi e Circumciſione argumentum ducit, Chriſtum Dominum veram carnem aſſumſiſſe. *Si non erat caro, Joſeph quem circumcidit?* Et Auctor ſermonis de Lamentatione Virginis, *ipſa genuit eum, lactavit eum, octava die circumcidit.* Id quoque Deus videtur Joſue imperaſſe: *Eo tempore ait Dominus ad Joſue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael.* D. Thomas 3. par. quæſt. 70. art. 3. *ad ſecund.* hæc habet. *Dicendum quod cultellus lapideus non erat de neceſſitate Circumciſionis: unde non invenitur tale inſtrumentum præcepto divino determinatum, neque etiam communiter tali inſtrumento Judæi utebantur ad circumcidendum, ſicuti neque modo utuntur. Leguntur tamen aliquæ Circumciſiones famoſæ cultello lapideo factæ, ſicuti legitur Exodi 4. & Joſue 5. per quod figurabatur, Circumciſionem ſpiritualem eſſe faciendam per Chriſtum, de quo dicitur 1. ad Corinthios 10. Petra autem erat Chriſtus.* Vid. Suarez in 3. part. tom. 3. quæſt. 70. art. 3. diſp. 29. ſect. 3. ver. *Secunda quæſtio.* Verum ex his deduci poſſe, Chriſtum vel lapideo, vel chalybeo, vel ferreo cultro fuiſſe circumciſum, non temere affirmaverim. Idem P. Ayala eod. loco cultrum fuiſſe putat vel ferreum, vel chalybeum, ex quorumdam profanorum Scriptorum auctoritate, qui tradunt Circumciſionem fieri ſolitam non petra, ſed ferro. A qua ſententia nos plane deterret S. Auguſtini auctoritas, qui Tractat. 5. in Joann. cap. 30. ait: *Cultellis enim petrinis circumcidebant, & petræ nomine Chriſtum figurabant.* Tum etiam D. Bernardi verba in Epiphania Domini ſerm. 4. num. 1. *Populo duræ cervicis cultellus erat neceſſarius, & lapideis cordibus merito cultri lapidei debebantur, qualibus a Jeſu Nave facta Circumciſio memoratur.* Si igitur Patrum auctoritate conſtat, Hebræos, etſi nullo præcepto adſtrictos, lapideo tamen cultro uſos eſſe; ratio poſtulat, ut eodem modo Chriſtum Circumciſum eſſe dicamus: *Quem nemo poteſt arguere de peccato, ipſe peccati remedium & verecundum pariter, & auſterum ſine ulla neceſſitate ſuſcepit; nec repulit cultrum lapideum, in quo ſolo vetus illa, quæ eraderetur, culpa non fuit.* Verba ſunt D. Bernardi ſerm. 1. in Circumc. Domini num. 1.

Pictores Chriſti Circumciſionem non recte repræſentant in Templo.

15. Vide, ſi lubet, laudatos P. Ayalam, P. Honoratum a S. Maria tom. 2. de Regulis Critic. lib. 3. diſſert. 3. Serry exercit. 33. Eminentiſſimum Card. Gottum de veritat. Relig. Chriſt. tom. 4. par. 2. cap. 9. §. 3. qui Chriſtianos Pictores graviter increpant, quod ſuis tabulis Circumciſionem Chriſti in Templo factam repræſentent. Menologium Imperatoris Baſilii narrat, octavo a Nativitate die voluiſſe Chriſtum ad eum locum deferri, ubi Judæos circumcidi mos erat; ibi circumciſum a parentibus domum eſſe reductum. Tradit Nicephorus Bethlehemi in domo Joſephi circumciſum: ſed veritati propius videtur eſſe, quod ſcribit Epiphanius Hæreſi 20. Bethlehemi quidem circumciſum fuiſſe, in eodem tamen ſtabulo, ubi in luce editus.

Lex Circumciſionis etiam tum, cum

16. Circumciſionis præceptum ſtabat etiam tum, cum natus eſt Chriſtus; qui quamvis nullo modo ea lege teneretur, graves tamen & juſtæ cauſæ fue-

natus est Jesus, vigebat. Præcepta legalia quando vi sua caruerint.

fuerunt, cum circumcidi voluerit. Stetisse etiam tum, cum natus est Christus, Circumcisionis legem, ex eo patet, quod ceremonialia præcepta nonnisi in Christi Passione sublata fuerint, cum perfectum est humanæ redemptionis mysterium. Duo distinguit tempora D. Hieronymus: alterum Nativitatem inter & Passionem Christi, quo tempore negat legales ceremonias fuisse mortuas, & omni obligandi vi caruisse; multoque magis negat fuisse lethales & mortiferas, propterea quod qui eas observaret, minime peccato se adstringeret: alterum post Passionem Christi, cum abrogatis illico legalibus ceremoniis, non modo quisque iis observandis solutus est, sed etiam qui eas servasset, peccatum commisisset. D. Augustinus autem tria tempora distinxit: primum ante Christi Passionem, *eam legalia neque erant mortifera, neque mortua*: alterum post Promulgatum Evangelium, *in quo legalia sunt mortua & mortifera*: tertium inter Christi Passionem & promulgationem Evangelii, cum legales ceremoniæ omni prorsus vi destitutæ sunt, nec quisquam iis observandis tenebatur; sed nulla sese culpa alligabar, si quis ex Judaico populo Christi fidem amplexus eas etiam tum observasset, modo in iis spes opesque suas esse sitas minime crederet, nec eas ad salutem ita necessarias putaret, ut absque iis fides in Christum justificare non posset. Atque id de Hebræis tantummodo dictum volumus, qui Christi fidem amplexi essent; hi enim ceremonias legales, tempore inter Nativitatem & Passionem Christi interjecto, observare sine culpa poterant: de iis vero non item, qui ab Ethnico idolorum cultu ad Christi fidem transierant; his enim nulla erat causa, cur ceremonias legales observarent. Quod quidem in causa fuit, quamobrem D. Paulus non Titum patre & matre gentili natum, sed Timotheum, cui mater Judæa fuerat, circumcideret.

Christus Circumcisionis lege non fuit adstrictus.

17. Doctrina hæc est D. Thomæ 1. 2. quæst. 103. art. 3. & 4. ac per eam illustratur, quod a nobis superius dictum est, tempore scilicet Nativitatis Christi Domini adhuc Circumcisionis legem robur habuisse. Inde ut ad alia duo veniamus, quæ dudum innuimus, Christum scilicet Circumcisionis lege non fuisse adstrictum; justas tamen & graves causas illi fuisse, cur circumcidi voluerit; dupliciter potest accipi Circumcisio, vel tanquam peccati originalis remedium, vel tanquam signum fœderis & promissionum inter Deum & Abraham ejusque posteros. Cum igitur Christus Jesus in Incarnatione sua nulla originali labe contactus esset, idemque plane jus haberet, quod æternus Pater, qui Abrahamum in suam amicitiam acceperat, ejusque posteros in populum sibi charum selegerat, cumque humanam ideo carnem assumpsisset, ut antiqui fœderis promissiones impleret, immo ut novum perfectumque fœdus iniret; nemo est qui non videat, Christum Dominum liberum fuisse ab observanda lege Circumcisionis, etsi tempore quo natus est, nihil ei legi quidquam roboris esset detractum, quemadmodum dixerunt Justinus Martyr, Tertullianus, Irenæus, & Chrysostomus, quos refert Calmet in cap. 2. Lucæ num. 21. Dominicus Sotus in 4. sentent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. apposite ad hanc rem ait: *Christus nulla lege ad Circumcisionem tenebatur, quia neque virili semine, quo originale contrahitur, genitus erat, ac subinde neque linea masculina naturalis erat filius Abrahæ.*

Quibus rationibus circumcidi voluerit.

18. Christus Dominus tamen ideo Circumcisionis legi, qua sane minime tenebatur, parere voluit, ut exemplo suo virtutem obedientiæ nobis commonstraret; cumque venisset in similitudinem carnis peccati, remedium illud, quo caro a peccati labe solebat abstergi, sibi etiam adhibendum putavit, legisque jugum propterea subire voluit, ne deinceps quisquam alius eo onere premeretur. *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret:* sunt verba D. Pauli ad Galatas cap. 4. Vide D. Thomam 3. par. quæst. 37. art. 1. Alias quoque causas, quibus Jesus Christus circumcidi voluit, videre est apud Patres. S. Bernardus serm. 4. in Epiphania Domini ita loquitur: *Sed & propterea voluit circumcidi, ut ostenderet, se esse auctorem veteris legis. sicut & Evangelii; quoniam qui per se ipsum ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c. ipse idem per servum suum dixerat prius: Omnis anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo. Quod si solum Baptisma suscepisset, videri poterat refugisse Circumcisionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si vero circumcideretur, & non baptizaretur, quomodo mihi persuaderi posset baptizari, Circumcisione relicta? Nunc itaque post Circumcisionem Baptisma suscipiens, illud mihi tenendum tradidit, quod ultimo loco suscepit.* Petrus autem Blesensis serm. 7. in die Circumcisionis ait: *Sententia, quæ contra peccatum lata est, non facit eum sibi obnoxium, qui immunis est a peccato &c. Circumciditur ergo, ut nobis sit forma humilitatis. Circumciditur etiam, ut qui per triginta annos operaturus erat salutem in medio terræ jam ab ipsis cunabulis negotium nostræ salutis incipiat ab uberibus matris suæ, degustans primitias Passionis &c. Circumciditur ergo Caput Ecclesiæ Christus Jesus non pro se, sed pro membris.*

De Festo Circumcisionis Domini. Varia ejus Festivitatis nomina.

19. Cum igitur ea tractaverimus, quæ, antequam de Circumcisionis festo sermonem haberemus, præmittenda censuimus, de eo nunc dicere aggrediamur. In Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ a Venerabili Cardinali Thomasio edito, quem nonnulli Gelasio propter preces ab eo additas, nos S. Leoni Magno, ejusque Prædecessoribus tribuendum putamus, Festum hoc, de quo agimus, non Festum Circumcisionis appellatur, sed Festum Octavæ Domini. Simile inditum est nomen huic Festo in Kalendario Romano nongentis & amplius adhuc annis scripto, quod vulgavit Joannes Fronto. Ex quibus Bailletus in Historia hujus diei arguit, haud ita vetus hoc Festum. Ad argumenta quæ affert, accedit, quod in libris Juris Canonici Festum itidem non Circumcisionis, sed Octavæ Domini appellatur, ut videre est in Can. *Pronuntiandum* de Consecr. dist. 1. Cum autem Circumcisio Domini, quemadmodum lex Judaica jubebat, octavo die facta fuerit, idem plane est dicere Festum Octavæ, & Festum Circumcisionis. *Octava & Circumcisio uni concinunt Sacramento*: verba sunt Ivonis Carnotensis in serm. de Circumcis. Domini. Thomassinus autem in Tractatu de dierum Festorum celebratione lib. 2. cap. 8. num. 12. ita scribit: *Quotquot igitur arbitrati sunt recoli Kalendis Januarii octavum Nativitatis diem, ita interpretamur, ac si de Circumcisione loquuti essent: quod tam est verum, quam Circumcisionis rite peragendæ legitimum diem octavum eumdem esse.* Quapropter in citato Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ fit in secretis Missæ precibus commemoratio Circumcisionis; & Kalendarium Romanum superius laudatum monet legendum S. Lucæ Evangelium, in quo narratur historia de Circumcisione Domini; & in Sacramentario S. Gregorii legitur: *Per Christum Dominum Nostrum, cujus hodie Circumcisionem & Nativitatis Octavam*

cele-

celebrantes: quæ verba quamvis in quibusdam Codicibus desint, reperiuntur tamen in vetusto Codice Vaticano, teste Baronio in Not. ad Martyrolog. Roman. ad primam diem Januar. In antiquo Ecclesiæ Occidentalis Martyrologio a Francisco Maria Florentino edito, notisque illustrato, Festum Kal. Januar. hunc habet titulum: *Circumcisio Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem*. Similem inscriptionem habet Martyrologium Usuardi, quod ita, ut reperit in Parisiensi Monasterio S. Germani, nuper vulgavit Benedictinus quidam Monachus. In Martyrologio nostro Romano Circumcisio, & Octava Nativitatis Domini conjunguntur: *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi, & Octava Nativitatis ejusdem*: Quod si in Corpore Juris Canonici, ut vidimus, Festum hoc appellatur Festum Octavæ, in eodem Corpore Juris Festum etiam Circumcisionis Domini nominatur, ut videre est in cap. *Conquestus* de Feriis.

Festi hujus antiquitas.

20. Atque ut hujus Festi antiquitatem luculentius demonstrent, qui hoc argumentum susceperunt, afferunt ex Concilio Turonensi ann. 567. Canonem 17. tom. 5. Collect. Labbeanæ pag. 857. ubi hæc leguntur; *Ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur*.

Canon Concilii Turonensis 17. illustratur. De superstitionibus, quas Gentes Kal. Januarii celebrabant.

21. Concilium illud fœdas superstitiones innuit, quas Kalendis Januarii in honorem Jani & Strenuæ Deæ Ethnici celebrabant; & viri muliebribus, fœminæ virilibus personis susceptis, comessationes & aleas agitabant: hisque interdum Christiani quoque immiscebantur. Adversus hasce superstitiones coortæ sunt atroces veterum SS. Patrum querelæ, & præsertim D. Augustini serm. 198. qui secundus est ad hunc Januarii diem: *Acturus es celebrationem strenarum sicut Paganus, lusurus aleæ, & inebriaturus te. Quomodo aliud credis, aliud speras, aliud amas? Dant illi strenas, date vos eleemosynas: avocantur illi cantionibus luxuriarum, avocate vos sermonibus Scripturarum: currunt illi ad Theatrum, vos ad Ecclesiam: inebriantur illi, vos jejunate*. Idemque D. Augustinus, seu quis alius gravis Auctor in Appendice novæ editionis Operum illius S. Doctoris, morem ejusmodi commemorans virorum, fœminarumque, diversi sexus faciem mentientium subdit: *Jam vero illud quale & quam turpe est, quod viri nati tunicis muliebribus vestiuntur, & turpissima demum demutatione puellaribus figuris virile robur effœminant: non erubescentes tunicis muliebribus inserere militares lacertos; barbatas facies præferunt, & videri fœminæ volunt*.

Eodem die, quo celebratur circumcisio Christi, olim Gentis Jani & Strenuæ festum agitasse probatur ex Martyrio S. Almachii. Almachius male confunditur cum S. Telemacho.

22. His consonant, quæ in suis sermonibus dixerunt S. Petrus Chrysologus, & S. Maximus Episcopus Taurinensis. Concilia etiam Turonensi, quod supra memoravimus, posteriora, eum morem exagitabant, ut videre est apud Martene Tract. de ant. Eccl. disciplina in divinis celebrandis Offic. c. 13. pag. 104. edit. primæ. Extat etiam adversus hasce superstitiones Sermo Faustini Episcopi apud Bolland. tom. 1. mens. Januar. pag. 3. & hac die tum in Usuardi, tum in Romano nostro Martyrologio fit S. Almachii commemoratio, qui sub Alipio Romæ Præfecto Martyrii coronam est consequutus, quod hæc verba propalam pronunciaverit: *Hodie Octavæ diei Dominicæ sunt: cessate a superstitionibus Idolorum, & a sacrificiis pollutis*: & in quibusdam Sacramentariis ponitur hac die celebranda Missa *ad prohibendum ab idolis*, ex quo facile intelligitur, superstitionem olim Gentilium hac die debacchari solitam, ut observat Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 33. Baronius, & Bollandus S. Almachium, & S. Telemachum unum e duobus faciunt; idque minime probari posse videtur: nam, quod inferius demonstrabimus, passus est Almachius sub Theodosio, Telemachus vero sub Honorio; & ille quidem, quod Christianos, qui se solemni hac die cum Ethnicis immisti fœdis superstitionibus commacularent, acerrime increpuisset; Telemachus vero, quod Gladiatorum furorem coercere, ludosque diros & atroces tollere voluisset; cujus rei causa ab Oriente se Romam contulerat.

Jejunium olim in die Circumcisionis celebrabatur, sed non nisi ad tres post meridiem horas producebatur.

23. Concilii Turon. Canon. 17. quem superius attulimus jejunium quoque innuit ab Ecclesia indictum, ut ab Ethnicorum comessationibus & compotationibus Christiani quam longissime recederent. Et sane haud aliter hæc verba interpretari licet: *Et hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur*, ut observat Martene loco supra allato: *Quibus ex verbis facili negotio quisque conjicere potest jejunium illud, ad nonam saltem horam productum fuisse, cum in Missa celebranda, ea, quam exigit Circumcisionis Festum, solemnitate ad minus integram horam impendi oporteret*. Hoc jejunium, quod hac die celebrari solitum erat, commemorant etiam Ordo Romanus in Biblioth. PP. T. 13. pag. 667. Albinus Flaccus Auctor Octavi sæculi in Tract. de Divinis Offic. Tit. de Kalendis Januar. Et bene Thomassinus sapienterque observavit, Ecclesiam, ut duas res diversissimas, minimeque sibi congruentes, solemnitatem Festi, & jejunium conjungeret, non vetuisse, ne quisquam jejunium, ut tum mos erat, rumperet, nisi vesperi, idest tribus horis post nonam elapsis, sed voluisse, ut cuilibet liceret hora nona comedere, quod idem est, ac tribus, & amplius horis post meridiem. *Difficile creditu videtur, latam fuisse legem de jejunio festo die; sed colebatur illud aliquot dumtaxat horis usque ad nonam; nec sine magna deliberatione vel exemplo*: quam ad rem affert similem casum a Theophilo Episcopo Alexandrino decisum.

Ante finem 4. sæculi videtur hoc festum celebrari consuevisse.

24. Quoniam vero ex verbis Concilii Turonensis deduci non potest, tot res in eo memoratas tunc potissimum fuisse constitutas ad celebrandum Festum Circumcisionis; quin etiam cum ipsa Concilii verba eas res multo antea sancitas & in morem introductas demonstrent, *Patres nostri statuerunt*; nemo est qui antiquitatem & solemnitatem Festi non videat. Honoratus a S. Maria tom. 2. de Regulis & usu Criticæ lib. 3. dissert. 3. art. 1. probat S. Almachii martyrium, de quo supra memoravimus, ante finem contigisse IV. Sæculi imperante Theodosio Magno, Alipio Urbis Præfecto. Et postquam art. 2. ostendit, Ecclesiam publicas preces & jejunia Ethnicorum superstitionibus, quæ Kalend. Januarii celebrabantur, objecisse, refert art. 3. in Gallia genus quoddam Festi subdiaconorum introductum fuisse, quod in Sacri Ordinis decus, & ædificationem cum minime cederet, tandem sublatum est, ut narrat Bailletus quoque in Historia hujus diei.

Olim duæ in hac die Missæ celebrabantur, altera de B. Virgine: altera de Christi Circumcisione. Unde mos extiterit

25. In vetustis quibusdam Missalibus binæ Missæ hujus diei reperiuntur; altera de B. Virgine; de Circumcisione altera. Et Durandus Scriptor 13. sæculi in Rationali lib. 3. cap. 15. testatur ætate sua duas hac die Missas celebrari solitas de Circumcisione, & Beata Virgine, quod quidem nunc abolitum est. Verum inde factum est, ut in Festi hujus, tum Officio, tum Missa plura contineantur, quæ ad Beatissimam Virginem spectant.

celebrandi Missam de B. Maria.

stant. In Romano Kalendario Frontonis, quod supra laudavimus, ad eum diem, quo scriptum est Octavam Domini celebrari, ea etiam adnotantur: *Natale S. Mariæ*, quæ Martene mendosa esse putans ita corrigit: *Natale S. Martinæ*. Sed nihil mutandum, & prior lectio ut vera retinenda est, *Natale S. Mariæ*; quod significat festum solemnemque diem in honorem B. Virginis. Unde vetus & pia consuetudo orta est, quæ postea obsolevit, duas celebrandi Missas; quod colligitur ex Micrologo, cujus ea verba sunt cap. 39.: *Nuper cum Nativitatem Domini celebraremus, nullum tam speciale officium Matri ejus attribuere potuimus: unde non incongrue illam specialius in Octava Domini veneramur; ne solemnitate Filii sui expers esse videatur, quam tamen in eadem solemnitate post Dominum maxime honorandam esse non dubitamus*. Belletus etiam luculentius cap. 71. *In Circumcisione*, inquit, *duo simul facta concurrunt, Parientis scilicet, & Partus propter Octavas. Unde sane est, quod eo die duas Missas celebrare debeamus; primam de B. Virgine, scilicet Vultum tuum*; aliam de Octavis nimirum *Puer natus est nobis*; & dicitur illo die Evangelium Lucæ *Postquam impleti sunt dies octo*.

CAPUT II.

De Festo Epiphaniæ, quod postridie Nonas Januarii celebratur.

Epiphania quid significet. Tres hac die apparitiones Christi recoluntur.

1. EPiphaniæ Festum celebratur sexta die Januarii. Epiphania manifestationem significat: *Epiphania Græcæ linguæ vocabulo manifestatio dici potest*; verba sunt D. Augustini serm. 203. alias 64. de diverſ. Idem ait S. Bernardus serm. 3. de Epiphania: *Solemnitas igitur hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quippe apparitio est. Hodie ergo apparitio Domini celebratur*: Tres apparitiones seu manifestationes Christi hac die ab Ecclesia recoluntur. Commemoratio fit adorationis Magorum, qua Dominus Jesus demonstratus est Gentibus: Baptismatis, quod ab Joanne susceperit, cum voce delapsa de Cœlo, *Hic est filius meus dilectus*, Judæis innotuit: & conversionis denique aquæ in vinum, qua factus est manifestus discipulis.

Ternæ illæ apparitiones.

2. Bollandus in præfatione generali ad Vitas Sanctorum cap. 4. §. 3. profert fragmentum Polemei Silvii, seu P. Annei Sylvii scriptum anno 448. ubi mense Januarii hæc notata sunt: *Octavo Idus Epiphania, quo die, interpositis temporibus, & stella Magis Dominum natum nuntiavit, & aqua vinum facta, vel in amne Jordanis Salvator baptizatus est*: de quo Sylvii fragmento mentionem pariter facit Ruinartus Act. Martyr. sinc. & select. in fin. in Admonitione ad Kalendaria subsequentia. S. Bernardus serm. 1. in Epiphania Domini loquitur de tribus hisce Domini apparitionibus seu manifestationibus. *Itaque in prima apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera Matris infans apparuit: in secunda vero verum esse Dei filium, Patris indicat testimonium: in tertia vero verus esse Deus demonstratur, ad cujus imperium natura mutatur*. Hoc eodem sermone S. Bernardus uno eodemque Epiphaniæ Festo tres hasce apparitiones celebrari testatur. Consonat sermo Ivonis Carnotensis de Epiphania Domini. Amalarius autem lib. 3. de Ecclesiast. Officiis cap. 33. ita scribit: *Præsens Officium nocturnale certat intimare tria insignia nobis manifestata per adventum Christi, ideſt adventum Magorum, & Baptismum Christi, & miraculum ex aqua factum a Christo*. Cum hoc eodem die, ut dudum diximus, etiam Christi Baptismus celebretur, propterea Festum hoc ab aliquibus dictum est Festum Illuminationis, seu Festum luminum: verum D. Hieronymus vehementer contendit, ejusmodi denominationem omnino rejiciendam, & Festum hujus diei Festum Epiphaniæ esse appellandum. Vid. Tillemont. Nota 9. in fin. ad Jesu Chr. vitam.

Olim in die Epiphaniæ celebratur memoria miraculi multiplicationis quinque panum.

3. Est quoddam Bruxellense manuscriptum Martyrologium, quod P. Sollerius retulit in notis ad Martyrologium Usuardi, ubi monemur, non modo adorationis Magorum, Baptismatis Christi, & conversionis aquæ in vinum, sed multiplicationis etiam panum, & piscium hoc eodem die memoriam recoli consueviſſe; quod confirmat etiam D. Augustinus serm. 28. de Tempore, qui primus est de Epiphania. *Hodie illud colimus, quo se in hominem Deus virtutibus declaravit, pro eo quod in hac die, sive quod in Cœlo stella ortus sui nuntium præbuit, sive quod in Cana Galilææ in convivio nuptiali aquam convertit in vinum, sive quod in Jordanis undis aquas ad reparationem generis humani suo Baptismo consecravit, sive quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. In quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur & gaudia*. Fortasse ea fuit peculiaris quarumdam Ecclesiarum disciplina, ut etiam nunc est Ecclesiæ Mediolanensis, quod notat Galesinius in Not. ad Martyrol. pag. 12. *De iis præterea quatuor celebrandis morem hodie adhuc Ecclesia Mediolanensis retinet, ut ex illius hymno cognoscimus*. Et sane ex iis, quæ diximus, aperte constat, in Epiphania, juxta universalem disciplinam, celebrari solitam esse Manifestationem Christi in Magorum adoratione, in Baptismo, in conversione aquæ in vinum, quemadmodum nunc celebratur, nulla facta mentione de multiplicatione piscium & panum. Sextam Januarii diem scribit Orosius lib. 6. tribus Augusti triumphis fuisse celebrem; ex quo conjicit Florentinius in exercitat. 3. de Historia Magorum, quam in suo Martyrologio inseruit, Ecclesiam fortasse in hoc uno die tria Redemptoris nostri miracula conjunxisse, quæ inanibus Ethnicorum triumphis opponeret. *Nec improbabile est Romanam Ecclesiam diem 8. Id. Januarii Baptismo, Nuptiarum prodigio, & Magorum adorationi, hoc est triplici Christi triumpho aptasse, ut Romanos a solemnitate profana averteret. Celebris enim dies erat, ut Orosius adnotavit, ob triplicem Augusti triumphum; ut celebris quoque exinde apud Christianos fieret ob triplicem Domini gloriam nempe barbarorum Regum, & Gentium adorationem, divinæ in Baptismo Filiationis testimonium, atque ex mutatæ aquæ prodigio gloriæ suæ manifestationem*.

Totius tractatus hujus partitio.

4. Nos igitur Romanæ Ecclesiæ disciplinam sequuti, primo de adventu Magorum; secundo de Christi Baptismate; tertio de miraculo, quo aqua in vinum conversa est, sermonem habebimus.

De adventu Magorum in Bethlehem.

5. Magorum adventum & adorationem narrat S. Matthæus cap. 2. Refert Magos ab Oriente Hierosolimam venisse percunctatos ubi natus esset Rex Judæorum; se enim stellam in Oriente conspicatos ideo venisse, ut eum adorarent. *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Herodem autem Regem cum tota Hierosolyma vehementer fuisse commotum: quamobrem Sacerdotes, & Scribas populi convocasse, & ab eis quæsiisse, ubi Christus esset nasciturus. Ut vero comperit juxta Prophetiam nasciturum in Bethlehem; *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel*, Magos

ad te

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ad se accersisse; ab iis tempus cognovisse quo stella apparuerat dimissisque Bethlehem iis dixisse; Ite, quærite de puero, quem ubi inveneritis, facite ut rescíscam; mihi enim certum est illuc me conferre, illumque adorare. *Et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Præterea sacer textus, Magos abiisse narrat; stellam, quam vidissent in Oriente, antecedendo iis præluxisse, *usque dum staret supra, ubi erat puer*; Magos, ubi eam denuo vidissent, exultasse gaudio, domum denique ingressos puerum reperisse cum matre; & in genua provolutos aurum, thus, & myrrham ei obtulisse, monitosque per somnium ne redirent ad Herodem, *per aliam viam reversos esse in Regionem suam.*

Quid illa tandem stella fuerit, quæ Magis monstravit iter variæ sententiæ.

6. Non hic de stella loqui est animus, cum plurima de ea congesserimus in lib. 4. de Canonizatione par. 1. cap. 25. ubi scripsimus, extare de hac stella prophetiam in lib. Numer. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga ex Israel*: varias esse de illius sideris natura sententias; quosdam quidem tradidisse, novum illud fuisse in Cœlo creatum astrum; alios putasse, Angelum lucido quodam corpore stellæ instar assumpto Magis viam præmonstrasse; nonnullos etiam censuisse, nil aliud fuisse quam flammeum quoddam in in media aeris regione phænomenon, ut apud Calmet *Dissert. in Magos qui Jesum adoraturi venerunt*: & Joannem Federicum Miegium Dissert. *de stella a Magis conspecta* in Thesauro Dissertationum in Novum Testamentum, quæ e Museo Theodori Hasei, & Conradi Ikenii depromptæ sunt tom. 2. pag. 118. & sequen. eam tandem esse verisimiliorem sententiam, sidus illud Meteoron fuisse clarissima luce coruscans, quod Angelus in Astri figuram formaverat, quodque suspensum in media aeris regione ab Oriente ad Occidentem movebat, ut monstrarent Magis iter, haud aliter quam quod de columna nubis narratur, qua Judæi deducti sunt per desertum; seu etiam astrum fuisse tum primum creatum, non illud quidem in Cœlo, sed in aere non longe a terra, quod nutu Dei moveretur; idque expresse docet S. Thomas 3. par. quæst. 36. art. 7. Sapienter monet Lamy Harmon. Evang. lib. 1. cap. 11. quiddam id esse ex iis, quæ inani labore viri docti persequuntur. *Neque enim hisce quæstionibus vacat immorari, de quibus postquam multa dixeris, hæc cogaris fateri incerta. Quærenda sunt, ut interdum monco, quorum investigatio utilis est, aut saltem possibilis;* aitque, nihil quidquam aliud exploratum nobis esse, quam insolitum quemdam fulgorem eorum in se oculos convertisse, qui sideribus contemplandis operam dabant, eorumque animos monuisse de magna re aliqua, inusitata, nova, inaudita cogitanda, quæ tum temporis accidisset. Nunc igitur de numero Magorum, de eorum nominibus, qui illi, qualesque fuerint, ubi infantem Jesum repererint, & quo eum cultu adoraverint, verba faciemus; nam unde profecti, & quando Bethlehemum pervenerint, commodiore loco infra disputabimus.

De Magorum numero: tres illos fuisse docet recepta in Ecclesia sententia.

7. Tres fuisse Magos, etsi S. Matthæus de eorum fileat numero, qui tantummodo ait, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam*, expresse tradit S. Leo Serm. 30. in Epiphan. Cap. 1. *Tribus igitur Magis in regione Orientis Stella novæ claritatis apparuit*: & Cap. 2. *Sequuntur tres viri superni Numinis ductum*; quod confirmat serm. 32. de Epiph. Cap. 5. *Tres Magos..... Stella perduxit*; idque pluribus aliis in locis, ut Serm. 33. Cap. 2. Serm. 34. Cap. 1. & 2. Serm. 35. Cap. 1. Serm. 36. Cap. 2. & Serm. 37. qui sermones omnes in Epiphania Domini habiti sunt. Idem tradit S. Cæsarius Serm. 139. Hanc esse communem omnium hoc tempore, veramque sententiam testatur Calmet: *Communis atque unica nostra ætate ferme in Ecclesia recepta sententia paria docet*; cui tamen opinioni adversatur Auctor Imperfecti Oper. in Matthæum homil. 2. ex quibusdam apocryphis monumentis Magorum numerum duodenarium fuisse affirmans. Quia vero non omnibus communis opinio arridet, ac fere semper est aliquis, qui receptæ sententiæ haud timide adversetur, non defuit hac ætate, qui cum prorsus nemo inter veteres Patres, S. Leone excepto locis citatis, tres fuisse Magos tradiderit, eorum propterea numerum definiri posse negaverit. Atque is est P. Serry Exercit. 34. num. 4. Nam Danielem Rhoden hæreticum hominem nihil moramur, qui idem negat Dissertatione *de primis Salvatoris Veneratoribus Magis* in Thesauro Dissertationum in novum Testamentum Amstelodami anno 1702. edito, tom. 2. pag. 70. §. 5. Verum deserenda nullo modo est sententia S. Leonis auctoritati innixa, quæ suffragatorem etiam habet S. Maximum Taurinensem Episcopum in una ex ejus Homiliis: *Bene charissimi in uno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi, quia in uno Christo Jesu, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda*: quam præterea tuetur Ecclesiæ traditio, & summo consensu ii Scriptores amplexi sunt, qui non temere, sed consilio, maturoque examine ei subscripserunt. De hac sententia in hunc modum loquitur Natalis Alexand. Hist. Eccl. pr. Seculi Cap. 1. art. 4. num. 3. *Plures fuisse Magos, qui Christum adoraverunt certum est: tres fuisse, vulgaris opinio S. Leonis, & Auctoris Sermonum, qui Eusebio Nysseno tribuuntur, suffragiis confirmat.* Suspicatur Tillemontius Not. 12. in vit. Jesu Chr. ex tribus muneribus auri, thuris, & myrrhæ, quæ Christo Domino Magi obtulerunt, hanc de tribus Magis excitatam esse sententiam, quam fulciri tamen fatetur S. Leonis Sermonibus, initique etiam Sermoni Eusebii, sermonique qui Cæsario tribuitur. Baronius ad ann. 1. Chr. num. 30. ita ait: *Fidelium pia traditio tenet, eosdem tres numero fuisse, secundum tria munerum genera, quod & S. Leo in suis Sermonibus sæpe tradit.* Maldonatus in cap. 2. Matth. *Illud*, inquit, *certum est plures fuisse, cum Evangelista numero semper multitudinis Magos appellet, & probabile est plures fuisse duobus, quia non duali, ut vocant, sed plurali usus est numero. Fuisse tamen tres, etsi non certa, tamen probabili conjectura ex donorum numero colligitur: credibilius enim est, diversa, quam eadem omnes munera dedisse, quod id magis usitatum, & gratius accipientibus, honorificentius dantibus esse soleat. Certe hac opinio aliqua, aliæ nulla ratione probari possunt.* Cæterique omnes docent, hanc esse de numero Magorum sententiam, quam omnino sequi debeamus. Videantur P. Graveson de Myster. & ann. Christi Dissert. 8. pag. 172. Honoratus a S. Maria tom. 2. de Regulis & usu Criticæ lib. 3. Dissert. 4. art. 2. pag. 272. Cardinalis Gottus Tract. de verit. Relig. Christ. tom. 4. par. 1. cap. 2. §. 3. num. 19. P. Ayala in Opere cui titulus, Pictor Christianus, lib. 3. cap. 3. num. 4. Sandinus Histor. Sacræ Famil. de Christo Domino cap. 3. Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 2. disp. 14. sect. 2. qui hanc esse ait communem veterum Patrum opinionem, & Ecclesiæ sensum, quod confirmat Theoph. Raynaudus tom. 7. in Opere, cui titulus Diptyca Mariana num. 16. Huc accedit, quod S. Leonis ætatem præcessit in Ecclesia opinio de ternario numero Magorum. Nam in veteribus Romæ Cœmete-

meteriis, unde erutæ fuerunt imagines tum depictæ, tum sculptæ, & Romæ editæ ann. 1737. ea etiam imago inventa est, quæ tom. 1. Tabula 22. impressa exhibetur: ad quam Tabulam hæc observatio apponitur: *Magorum deinde expressa apparet adoratio. Ubi illud potissimum observandum, tres fuisse Magos ex veteri Ecclesiæ Latinæ Traditione, & juxta S. Leonis sententiam, qui primus Magorum numerum statuisse creditur; sed multo antea constantem in Ecclesia fuisse hanc opinionem, ex eo manifeste colligitur, quod plures ex his depictis sculptisque imaginibus Leonis ætate observaveris vetustiores.*

Quæ Magorum fuerint nomina.

8. Quæ vero Magorum nomina, qui, qualesve illi fuerint, modo quærendum est. Tillemontius loco cit. putat duodecimo Seculo Indagari cœptum Magorum nomen, prudentique consilio Baronium ait in suis Annalibus quæstionem hanc præteriisse. Casaubonus exercit. 2. in Baron. Annales §. 10. ita scribit: *Puduit jure merito harum ineptiarum Cardinalem Baronium, apud quem in tam prolixo de Magis sermone de illorum nominibus ne verbum quidem.* Bollandistæ tom. 1. mense Maji pag. 7. ajunt: *Nullus Scriptor vel Græcus vel Latinus profertur per tot sæcula usque ad Friderici Barbarossæ tempora, qui nomina nunc vulgata usurpaverit.* Serry, P. Honoratus a S. Maria P. Graveson, Card. Gottus, Sandinus in locis citatis, & Calmet in laudata superius Dissertat. §. *Nomina*, Bailletus in Histor. adoration. Magorum num. 2. & Lamy Harmon. Evangel. lib. 1. cap. 11. pag. 45. §. *Numerus Magorum* docent de Magorum nomine nihil nobis esse compertum. Quod quidem non eo dictum volumus, ut Colonienſis Ecclesiæ piæ Traditioni quidquam detrahatur, quæ Ecclesia, ut testatur Bollandus ad diem primam Januar. pag. 8. sextam pag. 323. & undecimam pag. 664. Magos sub nominibus Melchioris, Balthassaris, & Gasparis veneratur; eorumque corpora Galesinius in Not. ad Martyrolog. pag. 13. & Saxus in Histor. Corporum SS. Gervasii & Protasii num. 38. referunt Constantinopolim allata, inde ab Eustorgio Episcopo Mediolanum avecta, post sexcentorum septuaginta annorum cultum, quem in Basilica ab eodem Episcopo ædificata fideles illis tribuerunt, tandem sub Friderico Ænobarbo illinc amota, & ab Episcopo Reinoldo Coloniam asportata.

De Magorum qualitate: An Reges fuerint.

9. De Magorum vero qualitate duo disquirenda sunt. Primum, quid Magorum nomine Matthæus sibi voluerit; secundum, num Reges fuerint, de quo nihil a Matthæo traditum est. Quidam ex Patribus putant, eos Astrologiam judiciariam, alii vero Magiam naturalem esse professos. Verosimilius tamen est, Philosophos fuisse astrorum scientia peritos. *Gens quæ spectandorum syderum arte pollebat*, inquit S. Leo Serm. 4. de Epiphan. viros nimirum scientia illustres, veri Numinis cultores, qui quemadmodum Job, ejusque amici, Legis scriptæ rituumque Judaicorum ignari, Deum rerum omnium arbitrum nihilominus venerabantur, illumque Dominatorem expectabant, quem Balaamus venturum prædixerat; & hujuscemodi viros S. Matthæum Magorum nomine significasse accurate probat Calmet in sæpe laudata Dissert. præter Rhoden Dissert. *De primis Salvatoris Veneratoribus Magis* in Thesauro Dissert. in Nov. Testam. Antelodami ann. 1702. edito tom. 1. pag. 69. §. 2. Quod vero ad Regiam eorum dignitatem attinet, idem Calmet declarat, se omnem operam in ea re disquirenda collocaturum fuisse, si Ecclesiæ illud interesse quidquam arbitratus esset. Sed cum neque in sacris litteris, nec apud Patres quidquam ea de re expressum habeamus, nihilque ab Ecclesia definitum sit, unicuique permittit, quæ sibi libuerit, sequi opinionem, concluditque regiam hanc dignitatem nullo niti solido fundamento. Gravesonus de Misteriis & ann. Chr. dissertat. 8. pag. 172. aperte declarat utriusque opinionis probabilitati se nihil imminutum velle. Alii vero strenue propugnant, Magos nunquam regia dignitate insignitos; tum quia S. Matthæus, ne de nascentis Christi gloria quidquam detractum esset, profecto de ejusmodi dignitate nunquam siluisset, nec solo Magorum sapientumve vocabulo usus esset; tum quia sacer textus Reguli qualitatem non prætermisit, ubi narrat ejus filium a Christo Domino esse sanatum. Huc etiam accedit, Herodem ita cum iis colloquutum esse, ut appareat Magos inferioris fuisse ordinis: *Ite, & interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis renuntiate mihi*: qua quidem forma & ratione loquendi nunquam usurus fuisset cum Regibus. Neque vero Herodes tam facile passus esset, tres Reges in suum ipsius regnum ingredi; neque ipsi eo se contulissent, quia Herodi prius Legatos suos præmisissent: nec denique Herodes tam sero resciviſſet, cum Bethlehemum non plus quam sex passuum millia distaret ab Hierosolymis, se a Magis irrisum, qui adversus id quod promiserant, declinato Regis conspectu, Judæa abjerant.

Magos Reges fuisse, qui inter Catholicos credunt, non putant id esse Fidei articulum, quod contumaciter Beza.

10. Duo autem in hac controversia sunt præmittenda: Primum, eos, qui Magos Reges fuisse putant, non id esse articulum Fidei, quod Theodorus Beza jocularem in modum perperam Catholicis exprobravit, sed dumtaxat opinionem valde probabilem esse contendere. Monuit id loco citat. Maldonatus: *Præterquamquod Ecclesia, Magos fuisse Reges non certa & Catholica Fide, sed probabili opinione credit. Licuit enim Christiano Pœtæ Patrum nostrorum memoria salva religione dicere* (Joannem Baptistam Mantuanum intelligit:) *nec Reges ut opinor erant. Licuit multis nostro tempore Catholicis, & eruditis Theologis idem dicere, suamque opinionem, non ut ille* (Beza) *risu, sed magnis argumentis confirmare.* Lamy quidem Harm. Evangel. lib. 1. cap. 11. eorum sententiam sequitur, qui Magos negant regia fuisse præditos dignitate, nec quisquam est, qui ea de re illum criminetur. Eidem sententiæ suffragatur, qui veteres imagines e vetustis Romæ cœmeteriis erutas typis editas Romæ exhibuit ann. 1737. tom. 1. in explicat. Tabulæ 38. Alterum quod præmittimus est, eos, qui Magos fuisse Reges tuentur, non alios Regum nomine intelligere, quam quos Scriptura cujuspiam vel exigui oppidi Dynastas appellare Reges solet. *Hos igitur fuisse Reges*, inquit Baron. ad ann. Chr. 1. num. 30. *dixerimus usitato more Divinæ Scripturæ, quæ cujusque Oppidi Dominum Regem appellare consuevit, ut patet de quinque Regibus, quos Abraham armatis suis vernaculis debellavit.* Idem sentit Natal. Alexand. H. Eccl. sec. 1. cap. 1. art. 4. *Viros tamen potentes & divites, Toparchas forte, vel Dynastas fuisse probabile est:* cui consentit doctus Auctor Adnotationum ad Historiam Vitæ, Doctrinæ, & Miraculorum Jesu Christi Urbini editam ann. 1730. Cap. 7. lit. C. *Multi interpretum Regiam illis tribuunt dignitatem: sed ex toto Evangelii contextu nil amplius videtur extundi posse, quam quod iis esset magna apud suos populares auctoritas.* Bene etiam Gretserus tom. V. Operum suorum nuperrimæ edit. Ratisponen. lib. 1. de Festis cap. 30. *Adde quod Regium nomen magnam latitudinem habet &c. Neque enim necesse est, ut omnes, qui vel fuere, vel appellantur Reges, sint tanti, quanti Rex Hispaniæ,*

ſpaniæ, & Galliæ. Pavet Scripturæ phraſis : maxime in libro Joſue, ubi Regis nomen illis tribuitur, qui hodie vix Principis nomenclaturam tueri poſſent.

Magos Reges fuiſſe, ideſt Dynaſtes.

11. Quibus prænotatis, Magos Reges fuiſſe aſſirmabimus. In Oriente Reges plerumque Magos fuiſſe teſtatur Tertullianus lib. adverſus Judæos c. 8. *Magos Reges fere habuit Oriens;* quod Plinii & Philonis auctoritate probat etiam Cardinalis Baronius ad ann. Chr. 1. num. 29. Tillemontius id eſſe verum agnoſcit; ſed illud probandum eſſe ait, Magos, qui Chriſtum adoraverunt, Regia præditos fuiſſe dignitate, quæ quidem non idcirco illis aſſeritur, quod in Oriente Reges plerumque fuerunt Magi. Serry eadem ratione utitur ad auctoritatem Paſchaſii Radberti 9. ſæculi Scriptoris declinandam, qui lib. 1. Commentar. in Matthæum affirmat, Magos illos, qui venerunt Bethlehemum ut Chriſtum Dominum adorarent, Regia dignitate fuiſſe illuſtres. *In his regionibus ad Orientalem plagam Hieroſolymorum Magos Reges extitiſſe, nemo qui hiſtorias legit Gentilium ignorat: quo profecto Reges eos fuiſſe opinamur.* Laudatus igitur Serry in Reſponſionibus ad Sandinum pag. 34. ita ſcripſit: *Ex hoc quod Gentilium hiſtoriæ fidem faciant, Reges Orientales, ac maxime Chaldeos Magos olim fuiſſe, hoc eſt Philoſophos ſideralis ſcientiæ peritos, non ſequitur, ut Paſchaſius intulit, Magos omnes, atque illos maxime, qui Chriſtum adoratum venere, Reges extitiſſe:* idemque magna vi urget Rhoden in allata Diſſertatione §. 4. Nos dicimus, S. Cæſarium Arelatenſem Serm. 137. in Appendice Sermonum S. Auguſtini loqui de Magis, qui Chriſtum adoraverunt. Illi Magi tres eſſe dicuntur. S. Hieronymus in Daniel. cap. 2. ubi tradidit Reges & Principes Philoſophicam Magiam profiteri ſolitos appoſite ad rem noſtram hæc ſubjicit. *Unde & in Nativitate Domini Salvatoris ipſi primum ortum ejus intellexerunt, venientes in ſanctam Bethlehem adoraverunt Puerum, ſtella ejus deſuper oſtendente.* Conſonat S. Hilarius lib. 4. de Trinit. §. 38. *Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum, & munerantes, & laborem veniendi uſque in Bethlehem Judæ tanti itineris metiamur. In Principum enim labore totius Ægypti labor demonſtratus eſt.* Nec juvenci, qui quarto ſeculo floruit, Chriſtiani Poetæ, magnæque exiſtimationis viri, ſileri poteſt auctoritas.

Gens eſt Eoi Phœbo orto proxima Regni,
Aſtrorum ſolens ortuſque obituſque notare:
Horum Primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti Proceres Solymam per longa viarum
Deveniunt, Regemque adeunt, orantque doceri,
Quæ regio imperio Puerum Judæa teneret
Progenitum, & ſeſe ſtellæ fulgentis ab ortu
Admonitos veniſſe viam, quo ſupplice dextra
Exortum terris venerabile numen adorent.

Locus Juvenci, & ipſamet Eccleſia hanc probant ſententiam.

12. Obſervandum in his carminibus, eos qui ſummi eſſent ordinis, Magos appellari: *Horum Primores nomen tenuere Magorum;* & ex his eos delectos, ut venirent Bethlehemum, qui inter cæteros eſſent præſtantiſſimi: *Hinc lecti Proceres.* Id autem permagnum huic opinioni pondus affert, quod in Epiphaniæ Feſto de Magorum adoratione Eccleſia Davidico illo utitur vaticinio Pſal. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent:* idque a priſcis temporibus. Quamquam autem textus ille æque ac Iſaiæ oraculum: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui,* de Regibus ethnicis, barbariſque gentibus intelligantur; tamen Eccleſia, quæ vaticinia illa ad Magorum adorationem accommodat, ſatis aperte declarat, propenſiorem ſe ad eam ſententiam eſſe, quæ regis vocabulo eo ſenſu quem ſupra expoſuimus accepto, Magis, de quibus loquimur, regiam aſſerit dignitatem.

Eamdem qui probant ſententiam Scriptores magni nominis.

13. Baronius loco citato poſt allatam Theophylacti auctoritatem ait: *Ac, quod Magi fuerint Reges, etiam Theophilactus aſſerit; idemque Fidelium pia traditio tenet.* Suarez l. c. Sect. 2. in fine ita de hac ſententia loquitur: *Sententia hæc plauſibilis eſt; eamque Chriſtianus populus jam olim imbuit.* Theophilus Raynaudus loco ſupra laudato pag. 97. num. 15. magnum Scriptorum aggerit cumulum, Magis regiam dignitatem tribuentium, *late accepto Regis nomine pro quovis Toparcha.* Natalis Alexand. in Commentar. ad Cap. 2. Matthæi quod in Hiſtoria Eccleſiaſtica affirmaſſe oſtendimus, minime retractat, ſed potius confirmat. *An Reges proprie fuerint, anxie diſputandum non putamus, cum ea de re ſileat Evangelium, & Oraculum illud Davidicum Pſal. 71. v. 10. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, vocationem Gentium, & Procerum etiam ex Gentibus a Chriſto, & ad Chriſtum prænuntiet, unde ſubditur, Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſervient ei. Magos tamen adoratores Chryſti Dynaſtas fuiſſe, ac Regulos probabile eſt.* Plura vero ſi quis cupit, adeat Galeſinium in Not. ad Martyrol. pag. 13. Honoratum a S. Maria tom. 2. de uſu & Regulis Criticæ lib. 3. diſſert. 4. art. 2. Ayalam in Opere, *Pictor Chriſtianus*, lib. 3. cap. 3. num. 5. Sandinum in Hiſtor. Sacr. Familiæ Cap. 3. & Card. Gottum de verit. Relig. Chriſt. tom. 4. par. 1. cap. 2. §. 14. & ſeq.

Melchioris Cani de hac re doctrina.

14. Monet celebris Theologus Melchior Canus lib. 11. de loc. Theolog. cap. 5. qui palam affirmare audeat Magos non fuiſſe Reges, eum in prudentiæ regulas magnopere peccaturum; ex eo enim nonniſi rumores & querelas paſſim orituras in vulgus, qui jam contrariam imbibit opinionem, eamque ſolidis fundamentis innixam. *Hanc opinionem, ut quæ plauſibilis ſit ac popularis, Chriſtifideles jam olim libenter induerunt. Neque operæ pretium judico, ſi quis in Concione publica eam diſſuadere conetur; nam diſſuadere nihil attinet; ac fruſtra niti, & nihil aliud quam laborando odium quærere extremæ dementiæ eſt. Quod ſi paucis forte quibuſdam fidem argumentatione tua feceris, multas tamen in populo querelas, diſſidia, ac lites induces. Sine ergo, plebem probabiliſſimam opinionem, præſertim quæ penitus inſedit, atque inveteravit, cum ſuis Majoribus retinere.*

Cur Evangeliſta ſileat regiam Magorum qualitatem, Cani cenſura.

15. Inſignis idem Theologus docet, quomodo rationem illam diluamus, Magos ab Evangeliſta Reges minime appellari, qui ſi ea præditi fuiſſent dignitate, ſane ab Herode honorificentius fuiſſent excepti. *Quod enim Regum nomen Evangeliſta ſuppreſſerit, id omnino nihil eſt; non enim exiſtimavit Evangelii teſtimonium Regio apparatu cumulandum, quod Magorum ſapientiam, & gravitatem ampliſſime ornaverat. In veritate ſane occulta confirmanda, Regia appellatio obſcura, & otioſa erat; Magorum vox præclara & opportuna. Nam, quod Herodes Magos parum honorifice exceperit, hoc aut Herodiani faſtus indicium eſt, aut Romanæ gloriæ, & Majeſtatis. Indignum vero eſt magni Regis tumorem in minutorum invidiam odiumque convertere.*

Aliæ aliorum rationes aſſerendæ Regiæ Magorum qualitatis.

16. Melchioris Cani veſtigia tenuerunt alii a nobis memorati, qui Magos Reges fuiſſe arbitrantur. Addunt etiam, Herodem eorum non minimam habuiſſe rationem, qui cum ab iis acceperet, natum eſſe Regem Judæorum, quo nuncio

tantopere commotus est, eos veluti alicujus conjurationis participes neque conjici in vincula jusserit, neque interfici, neque e sui Regni finibus pelli: quod certe fecisset, nisi eorum dignitate ab inferenda injuria fuisset deterritus: Magos autem non nisi sua dignitate fretos cum Herode ausos esse adeo libere colloqui. Nam quod eos Bethlehemo abiisse Herodes tam sero resciverit, id quidem eamdem habet difficultatem, sive Magi fuerint Reges, sive non fuerint; nec ad hanc quæstionem propterea pertinet, nec alio referendum est quam ad Herodem ipsum, cujus intererat omni studio & diligentia de nunciato sibi novi Regis ortu certiorem fieri velle: quemadmodum autem Dei nutu factum est, ut Magi per aliam viam in suam ipsorum patriam Herode inscio remigraverint, ita supremæ ejusdem voluntati visum est, ut Herodes multo serius, quam par erat, ad eorum profectionem adverteret animum.

Ubi Christus repertus sit a Magis.

17. Quæ polliciti sumus ut expleantur, jam dicere debemus, ubi Jesum Magi reperirint, quove eum cultu adoraverint. De loco quæstio oritur ex illis S. Matthæi verbis cap. 2. v. 11. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus*; quibus nonnulli adducti sunt ut crederent, Christum infantem non in spelunca repertum a Magis, ubi natus erat, sed in domo quadam, in quam parentes cum puero commoditatis gratia diverterint. Ita Epiphanius lib. 2. contra Hæreses, hær. 51. *n.* 9. *tom.* 1. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria non in præsepi vel in spelunca, sed in domo*. Idem ait Theophylactus in cap. 2. S. Matthæi; quem sequitur Maldonatus in Comment. ad eumdem locum. *Mysterio jam erat satisfactum. Necessitatem cessisse credendum est; & Mariam aut Joseph omni diligentia commodiorem locum quæsivisse suadet ipsorum pietas*. Quidam vero contendunt, in eadem spelunca repertum a Magis, in qua natus erat; nec quidquam eos movet verbum illud *domus*, quo Evangelista utitur, cum quilibet apud Hebræos locus, & volucrum quoque nidus *domus* nomine appelletur, ut in Psal. 103. v. 17. *Erodii domus*, hoc est Ciconiæ nidus. Hanc esse S. Hieronymi sententiam colligitur ex ep. 47. *alias* 17. *ad Marcellam n.* 10. *tom.* 1. *Ecce in hoc parvo terræ foramine Cœlorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus a Pastoribus, hic demonstratus a Stella, hic adoratus a Magis: & hac die canit Ecclesia: Hodie Stella Magos duxit ad Præsepe*. Ideo vero S. Epiphanius aliter sensit, quod non tredecim post dies, sed duos annos post nativitatem Magos Jesum adoraturos venisse arbitratus est, ut infra demonstrabimus. Ayala l. c. num. 3. primam, Suarez loco cit. Sect. 4. posteriorem sequitur opinionem, eamque dicit esse communem Patrum sententiam. Idem affirmat Theophilus Raynaudus loc. c. num. 15. Quaresmius elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. Cap. 7. lib. 6. hæc scribit: *Cæterum communis ante proposita sententia retinenda est, quæ asserit, Christum nedum esse in specu natum, sed etiam in eodem a Magis adoratum*. Card. Gottus in sæpius laudato Opere Cap. 11. §. 4. num. 37. utrique sententiæ tribuit probabilitatem. Cornelius vero a Lapide ad Cap. 2. Matth. vers. 2. in eam sententiam videtur esse propensior, quæ statuit Jesum Christum in Præsepi a Magis repertum esse: ait enim, Bethlehemi, quæ parva Civitas erat, unicum patuisse viatoribus publicum diversorium, cui veluti appendix in usum equorum jumentorumque stabulum jungebatur; itaque S. Matth. domus nomine, quo Magos introisse narrat, Præsepe seu Stabulum, quod domus erat appendix, significare voluisse; & Calmetus ad Cap. 2. Matth. vers. 2. publicum Bethlehemi diversorium accurate describit, concluditque, si quidem putemus, Magos biennio a Jesu Christi nativitate ad eum adorandum venisse, verisimilius esse Beatam Virginem, occupatis omnibus diversorii cubiculis, non alibi, quam in stabulo puerum parere potuisse; postquam vero diversorium a viatoribus vacuum fuit, in mundiorem locum se contulisse cum puero, quem propterea Magi in domo invenerint. Et laudatus Auctor in Notis ad J. Chr. vitam Cap. 7. lit. I. ait: *In domo igitur, non in spelunca, seu caverna Magi Jesum Christum adorarunt. Etsi sacer textus id expresse non diceret, quis credat B. Virginem tamdiu in tam incommodo permansisse loco, quo non aliud eausæ fuit ut secederet, quam quod paritura cum esset, frequentissima hominum multitudine Bethlehemi loca omnia complerentur*.

Christum in Præsepi repertum a Magis probabilius est ex D. Hieronymo.

18. Cæterum si hujus quæstionis enodatio petenda esset ex tempore, quo Magi Bethlehemum pervenerunt, & ea sententia, quæ Christum Dominum non in Præsepi, sed in Domo a Magis repertum esse statuit, hoc uno niteretur fundamento, quod Magi biennio post Jesu Christi nativitatem advenerint; Nos qui non tanto post tempore Magos venisse credimus, facile respondere possemus, non in domo, sed in Præsepi Magos Divinum Puerum invenisse: certum enim nobis est, ne tantillum quidem a communi opinione recedere, Magos scilicet tredecim tantummodo diebus a Christo nato ad Præsepe pervenisse. Verum cum hanc sententiam aliæ quas supra attulimus, rationes tueantur, non repugnamus, quin sua utrique opinioni probabilitas constet; neque tamen dissimulabimus propter expressam D. Hieronymi auctoritatem, qui tamdiu loca illa Redemptionis nostræ consecrata Mysteriis incoluit, propensiores nos in eorum esse sententiam, qui putant infantem Jesum in Præsepi a Magis fuisse inventum. At de cultu, quo Redemptorem nostrum illi adoraverunt, fidentiore animo disseremus.

De cultu, quo Magi Christum infantem adoraverunt.

19. S. Matthæus in sæpe laudato cap. 2. v. 11. ait: *Et procidentes adoraverunt eum; & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*. Ad hæc verba ita scribit a Lapide; *Erasmus censet Magos non cognovisse Christum esse Deum; ideoque non Latria, sed cultu civili eum ut Regem Judæorum adorasse, idest veneratos esse. Verum contrarium docent Patres & Interpretes, scilicet Magos instinctu Dei agnovisse Christi Divinitatem, eamque Latria adorasse; adeoque ei Thus, quod soli Deo debetur, obtulisse*. Idem plane scribunt cæteri Sacri textus Interpretes.

Magi Divinitatem Christi habuerunt cognitam.

20. Novi tamen Testamenti versio Trevoltiensis an. 1702. edita (cujus lectionem Christifidelibus primum egregii quidam Gallicani Antistites, deinde S. Romana Sedes Apostolica Decreto 2. Martii 1704. interdixit) quædam item dissertatio ab Auctore Bibliothecæ Criticæ Basileæ anno 1709. edita dubitationem excitant magna sane audacia, num Christi Divinitatem Magi Dominum adorantes perspectam habuerint. Verum Honoratus a S. Maria tom. 2. de Regulis Crit. lib. 3. dis. 4. ar. 5. firmissime probat, Magos non civili, sed vero latriæ cultu perspectam sibi & cognitam Jesu Christi Divinitatem adorasse; id communiter ad eum D. Matthæi locum Patres Theologosque sentire; severioris etiam Criticæ adhibitis regulis, non aliter ea verba explicanda, nec secus posse intelligi; nec Theologica Censura illum expertem fore, qui hunc sensum in dubium revocare audeat.

Quod constat ex

21. Et sane Magi ubi Puerum Jesum viderunt,

humi

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Qualitate munerum.

humi strati munera ea que pretiosa illi obtulerunt, Orientalium morem sequuti, qui non sine muneribus Reges adire solent, quemadmodum filii Jacob Josephum fratrem, & Regina Saba Salomonem allatis secum muneribus convenerunt, ut est in Genes. cap. 43. & Regum lib. 3. cap. 10. Hæc autem si non satis significant, Magos Divinitatem Christi cognitam habuisse; genus ipsum & ratio munerum profecto id aperte declarat. *Attende quid obtulerint, & cognosce quid crediderint*, inquit S. Fulgentius serm. de Epiphania 4. n. 9. Et Calmetus Irenæi, Origenis, Basilii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Hilarii, Bernardi, Juvenci, & Sedulii doctrinam sequutus hæc habet in cap. 2. Matthæi: *Omnes fere Patres in his muneribus agnovere Mysterium, quod Jesu Christi Divinitatem, Regnum, & Humanitatem indigitabat. Thus Deo convenis: Regi aurum, Homini mortali, cujus corpus opobalsamis conditur, myrrha.* Communem hunc omnium Patrum consensum vel ipse Rhoden sequutus in citata Dissert. §. 8. *Quod vero*, inquit, *præcise has tres species, nempe aurum, & thus, & myrrham dederint* (Magi), *& non alias, id plus in recessu habere videtur, nempe ut auro eumdem Regem, thure Deum, myrrha hominem esse indicarent, uti Ecclesiæ Doctores docent unanimi consensu, illum quidem quia aurum subditi Regibus pendunt, istum quia Deo thus adolemus, hunc quia degustaturus erat mortem. Nam Judæi cum myrrha mortuos sepeliunt, ut corpus maneat incorruptum.*

Patres ex qualitate munerum affirmant, Magis cognitam fuisse Christi Divinitatem.

22. Ne quis vero dicat, Deo quidem convenire thus, Regi aurum, homini myrrham, non inde tamen necessario confici, qui talia obtulerit, eum perspectam Infantis habuisse divinitatem; atque ita eludere conetur, aut declinare vim auctoritatemque Patrum; Nos hic quædam breviter afferemus ex Patribus, qui divinitatem Christi Magis exploratam fuisse disertissime docent. Prodeat S. Ambros. lib. 1. de Fide Tom. 2. cap. 4. 31. *Unum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt, auro Regem fatentes, ut Deum thure venerantes. Thesaurus enim Regni; Sacrificium Dei; Myrrha est Sepulturæ.* S. Bernardus ser. 2. de Epiph. n. 4. lucem, quæ bono Latroni affulsit, confert cum ea quæ Magis illuxit; & quemadmodum nemo inficiabitur, illum Christi divinitatem cognovisse, ita quisque fateatur oportet, hos ejusdem divinitatis gnaros fuisse. *Videte quam oculata sit Fides, quam lynceos oculos habeat diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem Latro in Patibulo, Magi in Stabulo cognoscunt: ille clavis infixum; isti pannis involutum.* D. Joannes Chrysostomus Homil. 8. in Matthæum n. 1. tom. 7. animadvertit, Magos eo miseriæ puerum redactum & in vili jacentem tugurio nulla alia re ad adorandum impelli potuisse, quam quod illum bonorum omnium auctorem fuisse crediderint: *Ideo autem nihil eorum quæ sub sensum cadunt, ibi magnum erat, sed Præsepe, tugurium, Mater inops, ut nudam Magorum philosophiam perspicias, atque discas, eos non ut hominem purum, sed ut Deum & beneficum ipsum adisse.* Miratur S. Leo serm. 33. in Epiphan. 4. cap. 3. tom. 1. qui Magi, simul ac conspicati sunt Stellam, conjecerint ex ea, ejusmodi munera afferenda esse, quæ ad Christi Divinitatem, Regnum & Humanitatem indicandam essent aptissima: verum mirari desinit, cum animadvertit, ad externam stellæ internam Fidei lucem accessisse, ut illud Magi crederent, quod par erat. *O perfectæ scientiæ mirabilem Fidem, quam non terrena sapientia erudivit, sed Spiritus Sanctus instituit! Unde enim hi viri cum proficiscerentur de patria, qui nondum viderant Jesum, nec aliquid contuitu ejus, quo eum tam ordinate venerarentur, adverterant; hanc deferendorum munerum servavere nationem? nisi quia præter illam Stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, ut priusquam labores itineris inchoarent, eum sibi significari intelligerent, cui in Auro regius honor, in Thure divina veneratio, in Myrrha mortalitatis confessio deberetur.* Complures alias huc possemus auctoritates congerere; sed instar omnium nobis erit Ecclesiæ auctoritas, quæ in Epiphania Dominum precatur his verbis: *Deus qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus stella duce revelasti*; & Sedulii Hymno utitur, quo ita de Magis canitur: *Deum fatentur munere.* Est autem observandum, verba illa, *Deus qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus Stella duce revelasti*, reperiri etiam in S. Gregorii Sacramentario tom. 3. pag. 7. in Missa hujus diei, quæ hanc quoque Orationem habet: *Deus illuminator omnium Gentium da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus adspirasti.*

Baptismus J. Christi, & miraculum aquæ in vinum conversæ. Neque Christus Baptistam, neque hic illum antea de facie noverat.

23. Ecclesiam hac Epiphaniæ die non adorationis modo Magorum, sed etiam Baptismi Jesu Christi, & vini in aquam conversi memoriam colere, supra memoravimus: utrumque longiore sermone nunc persequemur. Narrat Matthæus cap. 3. v. 13. ex Galilæa Jesum ad Jordanem descendisse, ut a Joanne Baptismum susciperet. *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo*: Joannem id recusasse, quin potius se ab eo baptizandum affirmasse: *Joannes autem prohibebat eum dicens; Ego a te debeo baptizari; & tu venis ad me?* Monitum a Christo ita facto opus esse, eum denique baptizasse: *Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo: Sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.* Existimavit nonnemo, jam inde a pueritia Jesum inter & Joannem primo notitiam, deinde familiarem consuetudinem intercessisse; cui opinioni fidem affirmare videtur locus ex Evang. Joann. qui cap. 1. 29. & 30. *Altera*, inquit, *die vidit Joannes Jesum venientem ad se: & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit, qui ante me factus est.* Hanc vero opinionem nullo modo quis tueatur: neque enim intelligi potest, quomodo Jesus & Joannes ante Baptismum, multoque minus a pueritia alter alterum noverit, alter alterius consuetudine usus sit; Christus enim Nazarethi in Galilæa altus est atque educatus; Joannes vero in montanis Judææ prope Hierusalem, ex quo loco postea secessit in desertum, ut accurate in hanc rem observat Estius Commentar. in Joann. cap. 1. vers. 33. Quod si Joannes videns Jesum ad se venire dixit ea, quæ supra ex Evangelio retulimus, tamen illa quoque addidit. *Et ego nesciebam eum.* Hæc porro verba non pugnare cum superioribus, mox demonstrabimus. Noverat Joannes Baptista humani generis natum esse Reparatorem, noverat in lucem editum esse [illegible], nam dixerat apud Matthæum cap. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*: ad quem locum Estius: *Tacite*, inquit, *Christi divinitatem insinuat. Unde nec recurrendum hic ad hyper-*

hyperbolem, quæ in hoc ſimplici & aperto Joannis teſtimonio non debuit admitti: quandoquidem nec in aliis humanis teſtimoniis admiberi debet. Cum illum tamen nunquam antea vidiſſet, ac ne de facie quidem noſſet, ſimul autem ac vidit, ſtatim agnoverit afflatu divino, potuit dicere: *Et ego neſciebam eum*: quæ cum ſuperioribus minime pugnant, ut monent Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus: id enim ſimile eſt illius, quod Samueli contigit, qui cum probe ſciret inter Iſai liberos eſſe, qui aliquando Regnum adipiſceretur, nec eorum quempiam de facie noſſet, ubi primum oculos in Davidem convertit, divinitus monitus ipſum eſſe cognovit, qui Regia poteſtate aliquando potiretur, ut habetur lib. 1. Regum cap. 16. ita Joannes Baptiſta Chriſtum baptizare annuebat, nec illud prius perſuaderi ſibi paſſus eſt, quam illa verba intellexerit: *Sine modo; ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*: quorum verborum ea ſententia eſt: Cum Spiritus Sanctus nondum delapſus ſit, nec cœleſtis vox audita, non potes recuſare, quin me Baptiſmo abluas, etſi potior te ſim; Baptiſmum enim non ut Chriſtus, ſed ut unus hominum ſuſcipio. Ita Maldonatus in cap. 3. Matth. num. 15. Pergit Matthæus loco citato v. 16. 17. & narrat, ut Jeſus aqua eſt egreſſus, Cœlos fuiſſe apertos, Deique Spiritum in Columbæ ſpeciem ſuper eum eſſe delapſum. *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei Cœli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut Columbam, & venientem ſuper ſe*: vocemque de Cœlo auditam: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Idem legitur in Evangelio D. Marci cap. 1. & Lucæ cap. 3. Aquam autem in vinum converſam refert S. Joannes cap. 2. v. 1. qui narrat, quibuſdam nuptiis, quæ in Cana Galilææ celebrabantur, Beatam Virginem adfuiſſe: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi*: Chriſtum Dominum cum ſuis diſcipulis eo fuiſſe invitatum; cumque jam vinum deeſſe inciperet, Mariam Virginem ei dixiſſe: *Vinum non habent*. Cui Jeſus reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*. Pergit Evangeliſta, Matrem eos qui miniſtrabant monuiſſe, ut quidquid juſſiſſet Jeſus exequerentur. Ex quo intelligitur, impiam eſſe Hæreticorum quorumdam blaſphemiam, qui Chriſtum Jeſum eo quo ſupra narravimus modo reſpondentem, temere garriunt ſanctiſſimæ Genitricis ſuæ petitionem iratum rejeciſſe; quod quantopere a re ipſa aberret ac veritate, illud aperte declarat, quod ut mox dicemus, Chriſtus Jeſus Matris ſuæ precibus ductus aquam in vinum convertit; ut hac ratione aliiſque pluribus diſſerit Theophilus Raynaudus tom. 7. in opere, cui titulus, *Diptycha Mariana*; multoque melius Calmetus, qui Origenis, Auguſtini, Gregorii, aliorumque melioris notæ Interpretum ſequutus auctoritatem, ait ad citatum cap. 2. Joan. verſ. 4. Salvatorem noſtrum tunc loquutum non tamquam hominem & Mariæ Filium, ſed tamquam Deum, eumque quatenus Deum dixiſſe Beatæ Virgini. *Quid mihi & tibi eſt? tuum non eſt mihi præſcribere tempus miracula operandi. Ego novi momentum illud, quo poteſtas mea eniteſcere debet*. Narrat præterea S. Joannes, ſex urnas illic fuiſſe lapideas, duas trelve menſuras capientes, quæ Judæorum purificationibus inſerviebant; Jeſum juſſiſſe eas impleri aqua, eaſque, cum impletæ eſſent uſque ad ſummam oram, ad Architriclinum afferri; qui cum aquam in vinum verſam deguſtaſſet, nec ſciret unde eſſet vinum ejuſmodi, ſcirent tamen ii qui aqua urnas compleverant, ſponſo ad ſe advocato ait, moris apud omnes eſſe, convivas primum optimo omnium, quæ in cella ſint, vino invitare, deterius vero, cum ſe quiſque largius ingurgitaverit, tunc apponere; illum contra tam ſero ſuaviſſimum vinum prompſiſſe. *Dicit Mater ejus Miniſtris: Quodcumque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua, & impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc & ferte Architriclino; & tulerunt. Ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet; miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam, vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc*. Denique monet Evangeliſta, hoc primum fuiſſe Miraculum, quo Jeſus ſuam declaraverit gloriam, eoque Diſcipulos magis magiſque in Fide confirmatos eſſe. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli ejus*. In apocrypho libro de infantia Salvatoris plura alia referuntur miracula; ſed celebri illo decreto ſuo, Gelaſius hunc librum exploſit. Eſt qui putat, cum Chriſtus Dominus non plus quam duodecim annos natus in Templo cum Doctoribus diſputaverit, eoſque in ſui admirationem impulerit, quod narrat Lucas cap. 2. converſionem propterea aquæ in vinum non primum fuiſſe omnium miraculorum, ſed eorum, quibus gloriam ſuam & divinitatem palam fecerit. Ita Maldonatus in Joan. cap. 2. num. 11. ſed ea de re inferius ſermonem habebimus.

De Baptiſmo Joannis quæſtiones aliquot ex D. Thoma. Baptiſmus ille tantummodo diſponebat ad gratiam.

24. De Joannis Baptiſmate plures ſunt articuli apud S. Thomam 3. par. quæſt. 38. In primo quæritur an decuerit eum baptizare; & reſpondet S. Doctor, decuiſſe multis quidem rationibus, ea præſertim, quod Baptiſmate ſuo homines ad Baptiſmum Chriſti adſuefaceret, eoſque ad pœnitentiam inductos præpararet ad Chriſti Baptiſmum digne ſuſcipiendum. In ſecundo quæritur, utrum Joannis Baptiſma a Deo fuerit inſtitutum; & reſpondet juxta S. Joannis auctoritatem: *Qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum &c.* Baptiſmum Joannis quoad ritum a Deo fuiſſe, non autem quoad effectum; ritum enim baptizandi a Deo fuiſſe, qui Joanni revelavit ut baptizaret, effectum vero Baptiſmi fuiſſe ab homine: *quia nihil in illo Baptiſmo efficiebatur, quod homo facere non poſſet: unde non fuit a ſolo Deo, niſi in quantum Deus in homine operatur*. Et Sotus in 4. ſentent. diſtinct. 2. quæſt. 2. art. 1. hunc Angelici Magiſtri textum ita explicat: *Baptiſmus Joannis partim fuit a Deo, partimque ab ipſo Joanne; nam ſi ritum baptizandi conſideres, familiari Spiritus Sancti revelatione ad id Joannes fuit miſſus ... Si autem effectum, nihil in eo fuit, quod Joannes ipſe non poſſet præſtare; quoniam, ut illico dicturi ſumus, Gratiam non conferebat, ſed tantum abluebat corpora*. In tertio articulo quæritur, utrum in Baptiſmo Joannis gratia daretur: reſpondet autem, baptiſmum illum non contuliſſe gratiam, ſed tamen ad eam diſpoſuiſſe, tum hominibus ad Fidem Chriſti per doctrinam inducendis, tum etiam, ut diximus, ad Chriſti Baptiſmum aſſuefaciendis, præparandiſque per pœnitentiam, ut effectus Baptiſmatis Chriſti digne ſuſciperent. Eſtius in 4. ſentent. diſtinct. 2. §. 2. uberrime tractat de diſcrimine Baptiſmatis Chriſti & Joannis. Et Venerabilis Card. Bellarminus tom. 3. Controverſ. lib. 1. de Sacram. Baptiſmi cap. 21. & ſeq. adver-

adversus hæreticos nostrorum temporum, quos S. Tridentina Synodus anathemate percussit sess. 7. Can. 1. de Baptismo: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*, demonstrat Baptismum Joannis efficacia illa omnino caruisse, qua Baptismus Christi vi sua & ex opere operato, ut loquuntur Theologi, peccata hominum delet. Uno verbo tria sunt Baptismata, quorum meminit Scriptura. Primum erat Judæorum, nimirum sacra quædam ceremonia, qua vel se præparabant si quid incœptarent, vel ad aliquam legalem maculam eluendam utebantur. Alterum est Baptisma Joannis, quo homines ad sanctificationem per Christi baptismum suscipiendum præparabantur. Tertium denique est Jesu Christi Baptisma, vi sanctificandi & remittendi peccata præditum. Baptismus Joannis si non post baptizatum Jesum, certe post Joannem conjectum in vincula cessavit, ut advertit Sanctus Thomas ead. quæst. 38. artic. 5. Quamquam in Persida & Arabia quidam populi male compactum Religionis systema, & ex Christianorum, Judæorum, & Mahometanorum ritibus conflatum sectantes, quotannis Joannis Baptismo (ut illi ajunt) se abluunt, & Joannis Discipuli appellari volunt. Vide Calmet Dissert. de Baptismo art. 2.

Quanam Judæi ratione uterentur confitendi peccata sua, varia sententiæ.

25. S. Matthæus de Baptismo Joannis loquens ait: *Baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua*. Idem ait Marcus cap. 1. v. 5. *Et egrediebatur ad eum omni Judææ regio, & Hierosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua*. Hinc inter sacros Interpretes orta est controversia, quanam ratione confitendi peccata sua uterentur. Cajetanus Cardinalis putat, eos non voce peccata sua, sed se abluendo peccatores esse confiteri consuevisse, ut ablutio idem esset ac confessio. Hæc vero opinio adversari videtur Evangelii verbis, in quibus duo tamquam diversa legimus, baptizari, & peccata sua confiteri. Tostatus arbitratur, voce quidem expressam, non tamen distinctam de criminibus Judæorum fuisse confessionem, solamque declarationem, qua se peccatores esse proderent. Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 136. conatur ostendere, Judæos gravia confiteri solitos esse peccata, adulterium puta, homicidium, blasphemiam, non tamen peccata cordis. Suarez in 3. par. tom. 2. quæst. 38. art. 3. in Commentario ait, propriam iis fuisse & vocalem confessionem. Joannes Morinus lib. 2. de administratione Sacram. Pœnitentiæ cap. 20. & duobus sequentibus profert veteres Hebræorum libros, quibus luculenter ostendit, disciplinam apud eos fuisse confitendi peccata, atque ita eos necessariam hujusmodi confessionem credidisse, ut sine ea nulla esset pœnitentia, nulla peccata abolerentur. Calmet ad cap. 3. Matthæi vers. 6. ait, Grotium nihil dubitasse, quin a Judæis peccatorum fieret coram Sacerdote confessio, exceptis illis criminibus, quæ mortis supplicium mererentur; ea enim cônsuevisse Domino confiteri. Verisimile tamen esse Calmet opinatur, Judæos, qui S. Joannem ingenti confidentia adibant, peccata omnia illi confessos esse, quem esse Prophetam noverant, spectatæque fidei & virtutis virum; quemadmodum etiam disputat in cit. Dissertat. de Baptismo.

Judæis per eam confessionem non remittebantur peccata.

26. Verum sive quorumdam, sive omnium peccatorum fuerit illa confessio, certe neque Sacramentum fuit, neque peccata remittebat, quemadmodum remittuntur per Confessionem a Christo Domino institutam. *Hæc tamen confessio non erat Sacramentum, nec peccata condonabat, uti fit in Confessione a Christo instituta*. Ita Cornelius a Lapide in vers. 6. cap. 3. Matthæi. Constat itidem, Judæorum Confessionem non accipienda gratia, sed salutaribus monitis consiliisque Sacerdotum hauriendis utilem fuisse, ut bene animadvertit Sotus loco cit. art. 2. ubi de iis loquens, qui peccata sua confitebantur, ait eos confessos esse, *non ut gratiam tamquam per Sacramentum susciperent, sed ut aliqua salutaria monita & consilia a Sacerdote audirent, & illis forsan castigatorias aliquas pœnitentias imponerent*. Atque in hunc modum ab iis confessionem coram Baptista factam esse. *Non solum autem peccata sua generatim confitebantur, qui ad Baptismum Joannis veniebant, fontes se declarando, sed speciatim graviora, quibus obnoxii erant, peccata confitebantur, ut veniam, consilium, ac remedium peterent a Propheta baptizante, ejusque apud Deum precibus juvarentur*: quæ verba sunt Natalis Alexandri n. 7. in cap. 3. S. Matthæi. Confessio denique coram Joanne non ea vi prædita fuit, ut peccatorum remissionem pararet per illius Baptismum proxime obtinendam, sed ut confitentes beneficio pœnitentiæ, quam postea egissent, & per Christi Baptismum, ad quem per eam pœnitentiam disponebantur, remissionem consequerentur, juxta D. Th. doctrinam qu. 38. art. 3. *ad secundum*, ubi ita loquitur. *Dicendum quod illa confessio peccatorum non fiebat remissionem peccatorum statim per Baptismum Joannis exhibendam, sed consequendam per pœnitentiam consequentem, & per Baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat*. Idque ante Divum Thomam docuit Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 10. *Quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa vero in Domini Baptismo id fieret*. Idem docuit in Enchiridio de Fide, Spe, & Charit. c. 49. *Non renascebantur, qui Baptismate Joannis baptizabantur, sed quodam præcursoria illius ministerio, qui dicebat*: Parate viam Domini, *huic uni e in quo solo renasci poterant, parabantur*.

ut per confessionem a Christo institutam.

Cur Christus a Joanne baptizari voluerit, rationes aliquot ex D. Thoma.

27. Atque ut eo regrediamur, unde fortasse non ita inutiliter divertimus, D. Th. cit. 3. par. q. 39. art. 1. quærit, num conveniens fuerit, ut Christus a Joanne baptizaretur: & conveniens fuisse respondet, ut aquæ sanctissimæ illius carnis contactu mundatæ Baptismatis vim obtinerent, seu quod idem est, ut aquæ sanctificarentur. Addit S. Doctor, quod cum venisset in similitudinem carnis peccati, quamquam sibi nihil opus erat baptismate, decebat tamen ut illud susciperet, ut ejus Baptismate, qui indigebant, postea baptizarentur. Eadem iterat art. 2. ubi quærit, an oportuerit Christum Dominum suscipere Baptismum Joannis: & art. 4. docet, Christum Dominum ideo in Jordane baptizari voluisse, ut illud intelligeremus, quod quemadmodum filii Israel trajecto Jordane in terram Promissionis ingressi sunt; ita nos per baptismum Christi in veram promissionis Terram ingredimur, nobisque per eumdem Baptismum aperitur porta Regni cœlestis. Et in eo Jordanis loco, quo Dominus Jesus baptismum suscepit, si Bedæ habenda sit fides, seu quis alius sit Auctor de Locis Sanctis cap. 13. sacra Ædes Monasteriumque in Joannis Baptistæ honorem postea sunt ædificata. Gregorius autem Turonensis de Gloria Martyr. cap. 17. narrat, leprosos, qui in eo se abluissent loco, sanitatem esse consequutos. *In Jordane habetur locus, in quo Dominus baptizatus est. In uno etenim reflexu aqua ipsa revolvitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cum autem advenerint, sæpius lavantur in flumine, donec ab infirmitate*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

vitate purgentur. De publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt: sanati autem ad propria discedunt. Decuisse autem, ut Christus a Joanne baptizaretur, docet Maldonatus in cap. 3. Matthæi v. 13. qui ait, a veteribus Theologis traditum, id maxime fuisse conveniens; tum quia Joannes jussus est baptizare, *ut confluentibus undique ad eum populis, Christum illis ostenderet*; tum quia cum viderent homines non gravatum esse Christum Dominum ad servi Baptismum accedere, *ipsi non gravarentur ad Baptismum Domini venire*. Porro de sacra Æde in D. Joannis Baptistæ honorem extructa adi Quaresmium Elucidar. Terræ Sanctæ tom. 2. l. 6. c. 6.

Christo baptizato decuit, Cœli ut aperirentur Spiritus Sanctus super eum descenderet, & vox æterni Patris audiretur, ex D. Thoma.

28. Idem S. Doctor art. 5. quærit, utrum Christo baptizato & orante, cœli debuerint aperiri, pluresque rationes affert cur debuerint aperiri; quarum ea potissima est, ut Baptismi, quem in nova lege instituebat, significaretur effectus, Regni scilicet cœlestis adeptio beneficio & applicatione meritorum Christi. Art. 6. multas & graves causas profert, quamobrem conveniens fuerit, ut super Christum baptizatum Spiritus sanctus in Columbæ specie descenderet. Et art. 8. loquens de Patris voce, quæ baptizato Christo audita est, ait conveniens fuisse, ut omnium quotquot aderant auribus ea vox audiretur, ad conciliandam Christo Domino auctoritatem, e jusque originem, vocationem, & doctrinam approbandam, qua Mundus universus renovandus erat. Et quia Judæi dubitabant, num Joannes esset Christus, ut constat ex Lucæ cap. 3. v. 15. *Cogitantibus omnibus in cordibus suis ne forte ipse* (Joannes) *esset Christus*, idcirco ut eorum animis ejusmodi dubitatio eximeretur, æternus Pater sensibili signo, voceque e Cœlo demissa declarare voluit, non Joannem, sed Jesum esse Christum, & Messiam per tot sæculorum seriem expectatum, Filium suum unice dilectum, a se missum in hunc mundum, ut fractum & attritum genus humanum repararet.

Num Christus per immersionem fuerit baptizatus. An prodigia post Baptismum contigerint. Quomodo cæli sint aperti. Quo sensu intelligenda sint illa, sicut columbam.

29. Prius vero quam hinc manum amoveamus, non abs re esse putavimus, pauculas quasdam leviter perstringere quæstiunculas, quas de Baptismo a Christo suscepto sacri solent Interpretes excitare; quarum prima est, utrum Christus, quemadmodum cæteri omnes qui eodem Baptismate abluebantur, in Jordanem immersus fuerit, an vero, ut vulgo a Pictoribus pingi solet, capite tantum fuerit aqua perfusus: cui quæstioni ex Matthæi textu cap. 3. v. 16. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua*, facile est respondere, priore e duobus illis, quos innuimus, modis baptizatum fuisse. *Secunda* quæstio est, num superius memorata prodigia contigerint, dum Christus Jesus baptizaretur, an vero postquam Baptismate ablutus ex Jordane egressus est; nec dubitare quisquam potest, postquam ille aquis emersérat, ea contigisse, ex illis Matthæi luculentissimis verbis: *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei Cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem, sicut Columbam.* Et consentiunt duo alii Euangelistæ Marcus, & Lucas, quorum alter cap. 1. v. 9. *Baptizatus est*, inquit, *a Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua vidit Cœlos apertos, & Spiritum tamquam Columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de Cœlis: Tues Filius meus dilectus, in te complacui.* Alter rem narrat his verbis cap. 2. v. 21. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est Cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum, & vox de Cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus: in te complacui mihi. Tertia*, quomodo Cœli aperti sint, de quo videatur D. Th. 3. par. qu. 39. ar. 5. *ad secundum*. Calmetus in cap. 3. Matthæi vers. 16. D. Hieronymi, Auctoris Operis imperfecti, & Maldonati auctoritate ductus, nullo revera Cœlos patuisse putat hiatu, sed lucem repente quamdam illuxisse, quæ ab altissimo Cœlo descendisse, vel e diffracta nube prorupisse videretur, instar fulminis, quod inter confertissimas nubes aere disjecto coruscat; illudque ostentum non modo a Christo, & Apostolis, sed ab universo populo visum esse. Et cum eo Cornelius a Lapide ad hunc locum vers. 16. & Suarez 3. par. to. 2. disp. 22. sect. 1. consentiunt. *Quarta*, num Columba vera fuerit, quæ super Christum delapsa, simul cum radio, quo ejus caput tactum est, & cum splendore illo, quo circumfusus est Dominus, ostendit non ad alium, quam ad Christum Dei Patris vocem pertinere. Toletus Cardinalis in Euang. Joann. cap. 1. Not. 70. totam hanc rem longo sermone persequitur. Quidam arbitrantur, non veram Columbam fuisse, sed Columbæ speciem, suamque sententiam Matthæi verbis fulciunt: *Sicut Columbam*: Marci, *tamquam Columbam*, Lucæ, *corporali specie sicut Columba*: Joannis, *quasi columba*: Quam opinionem Suarez etiam l. cit. sect. 2. amplectitur; & cum eo idem sentit Thyræus de *Apparitionibus Spirituum* lib. 1. de *Apparitione visibili* n. 6. Verum D. Tho. qu. 39. art. 7. propterea quod Spiritus Sanctus dicitur Spiritus veritatis, idcirco ait ipsum veram formasse Columbam; nec ideo dici delapsum in speciem, vel in similitudinem Columbæ, quod ea non esset vera Columba, sed ne quisquam putaret illum apparuisse in specie substantiæ suæ. Calmetus Disser. de Baptismo art. 3. quorumdam affert, & merito damnat sententiam, qui temere sane & audacter putant, Columbam cum Spiritu Sancto hypostatice fuisse conjunctam. Etsi enim irrationalis natura non omnino est unionis ejusmodi incapax, tamen cum ea minime decebat divinam majestatem conjungi. Neque Spiritum Sanctum in missione sua cum visibili creatura hypostatice conjungi oportuit, quemadmodum Filium in Incarnatione cum humana natura necessarium omnino fuit hypostatice uniri. Non enim, ut observat D. Th. 1. par. q. 43. art. 7. *ad quartum*, Spiritus Sanctus sub Columbæ specie apparuit, ut per ejus Columbæ naturam aliquid operaretur ad merendum, satisfaciendum, sanctificandum, quod quidem per humanam naturam præstitit Filius: Et Calmetus in c. 3. Matth. testatur, communem esse & omnium Sanctorum Patrum sententiam in Christi Baptismate Spiritum Sanctum non phantasticæ, sed veræ Columbæ forma esse delapsum. Quam quidem sententiam satis aperte tuetur D. Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 22. nu. 24. to. 6. & 7. *Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum Sanctum autem fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus Sanctus: sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus Columbæ sine aliorum Columborum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare; cum natura corporea & in visceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandam Columbam imperio Domini voluntatique serviret.* Maldonatus in cap. 3. Matthæi ad ea verba, *sicut Columbam*, rem hanc totam accurate, ut omnia, per-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

pertractat. Scribit enim, inter hæc duo esse discrimen, si quis dicat veram, ut nostræ columbæ sunt, delapsam esse Columbam; & si dicat, verum corpus columbæ specie delapsum: cum D. autem Augustino verum fuisse corpus concludit. *Utrum autem verum fuerit corpus, columbæ speciem præseferens, an ne corpus quidem re ipsa fuerit, sed quasi corpus esset, ita ab adstantibus visum, diversa est quæstio. In qua Augustini probo sententiam, verum fuisse corpus; quia si verum non fuisset, aut non ab omnibus visum esset, aut tot fuissent facta miracula, quot homines fuerunt, cum miraculum non in Columbæ corpore, sed in oculis hominum fieret, quod non est temere concedendum.* Extat in Thesauro Dissertationum in Novum Testamentum Amstelodami edito anno 1702. to. 2. Dissertatio Augustini Varenii *de Columba super Capite Christi visa*, ubi §. 26. huic sententiæ subscribit his verbis: *Hæc præsens autem penes Jordanem patefactio quia externis objecta fuit oculis, verosimile haud quidquam est, Deum Baptistæ, aliorumque qui aderant, oculos perstringere voluisse nudo, & inani phantasmate. Et licet certo affirmari nequeat, naturalem aliquam talem fuisse columbam, quales nostræ, corporeum tamen quid fuisse, quod sua quidem constiterit materia, plane rejicere maxime dubitamus.* Lamy in Harmon. Evang. lib. 2. cap. 5. ostendit, in Christi Baptismate Personarum in Deo patefactam esse Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quæ personæ numero distinguuntur. Pater enim e Cœlo Jesum appellat suum Filium super quem Spiritus Sanctus delabitur. Nam Spiritus Sanctus si virtutis tantummodo, & non Personæ esset nomen, quemadmodum vera Persona is erat, super quem descendebat, *illusisset Deus Joanni & cæteris Judæis*, ut fuse idem Auctor ostendit.

De Miraculo in nuptiis in Cana Galilææ. Primum illud fuit Christi miraculum. Editum fuit a Christo nullo exteriori signo. An aqua in rubrum vinum conversa.

30. Angelico Doctore duce, de aqua in vinum conversa disputabimus. Hic 3. par. qu. 43. art. 3. ait Christum Dominum, non prius quam docere inciperet, debuisse miracula edere; nec nisi firma perfectaque ætate debuisse eum palam facere doctrinam suam. Et in resp. ad *secundum* addit, magnis prædicandos esse Discipulos laudibus, quod antequam miracula edentem vidissent, sequuti eum fuerint. Primum igitur hoc miraculum edidit Christus Dominus, quod manifeste constat ex verbis Joan. cap. 2. v. 11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus.* Et Tertullianus de Baptismo cap. 9. *Prima*, inquit, *rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias aqua auspicatur.* Consonat S. Epiphanius Hæresi 51. §. 16. *Tertio postea die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ post biduum illud; idque primum prodigiorum omnium extitit.* Non minus igitur quam ratione, probatur auctoritate, primum a Christo Jesu editum esse miraculum conversionis aquæ in vinum. Et quamquam in secunda Dominica post Epiphaniam in Antiphona *post Communionem* in Missa legitur: *Hoc signum fecit Jesus primum coram Discipulis suis*; hæc tamen verba non ita sunt accipienda, quasi Christum Dominum alia miracula, Discipulis non præsentibus, edidisse significent; sed ita, ut causam explicent declarentque miraculi, ut nimirum Discipuli in eum crederent, quemadmodum advertit Estius in Joann. cap. 2. vers. 11. Id ipsi quoque lib. 4. de Canonizatione observavimus par. 1. cap. 2. n. 4. & c. 23. num. 11. ejusdem miraculi naturam examinavimus; de quo miraculo ad ea, quæ eo loco observavimus, duo præterea addi possunt; quorum alterum omni dubitatione caret, alterum in controversia positum est. Quod omni dubitatione caret, illud est, in hoc miraculo nullo Christum Dominum verbo, nulloque exteriori signo usum esse, quod tamen in aliis miraculis adhibuit. Itaque apposite S. Maximus scripsit: *Sola voluntas Domini tacentis ipsum effecit.* Quod autem controversiam habet, illa quæstio est, utrum aqua in vinum rubrum conversa sit, ita ut non modo substantia, sed mutatus sit etiam color. Et sane Ecclesia canit, *aquæ rubescunt hydriæ*, quod ad coloris mutationem refertur; falso enim quidam negant, Palæstinam vinum ferre rubei coloris; nam locus est Isaiæ cap. 63. v. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* Atque hanc interrogationem excipit ea responsio, *Torcular calcavi solus.* Et in Deuteronomio, & in libris Machabæorum vinum uvæ sanguis appellatur. Contra tradit Joannes in Evangelio, Architriclinum degustando comperisse, aquam in vinum conversam: *Ut autem gustavit aquam vinum factam.* Cum igitur ejusmodi mutationem Architriclinus gustando deprehenderit, consequi videtur, non immutatum fuisse colorem; priusquam enim Architriclinus ex gustatione vini sensum perciperet, jam in ejus oculos incurrisset illa mutatio.

Sponsus in iis nuptiis non fuit Joannes Evangelista, sed, vel Simon Cananæus, vel Nazhanael. De hydriis in convivio illo adhibitis.

31. Sunt qui Joannis Evangelistæ nuptias eas fuisse putant, ad quas vocatus est Christus, quem quidem Joannem ajunt, ubi vidit admirandam illam aquæ in vinum conversionem, conjugii abjecisse consilium. Baronius ad ann. Christi 31. §. 30. eos Scriptores optimo jure reprehendit; & Nicephoro potius tribuendam esse fidem putat affirmanti, sponsum in illis nuptiis fuisse, vel Simonem Cananæum, qui in duodecim Apostolorum numerum adscitus Zelotes appellatus est, vel Nathanaelem e Cana Oppido in Galilæa Gentium. Illud autem de Joannis conjugio commentum ex Augustini verbis putat esse confictum Præfat. in Joan. *Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, & cui Matrem Virginem Virginis commendavit.* Quo respexit etiam D. Thomas 2. 2. qu. 186. art. 4. ad prim. *Joannem tamen volentem nubere* (Christus) *a nuptiis revocavit.* Verum Augustinus, ut observat Baronius, dicit Joannem revocatum esse a nuptiis, non quod uxorem duxerit, eamque reliquerit, sed quod eam prorsus non acceperit. Huc accedit, ut animadverterunt Benedictini Augustinianorum Operum editores, quod Præfationis illius Augustinus minime fuit Auctor. Præterea in fine Operis in Joannem, quod exploratum est ab Augustino scriptum esse, disertissime ait S. Doctor, Joannem a conjugio abductum, non quod se ab uxore segregaverit, sed quod nullam uxorem habuerit. *Plus amatum, quod neque uxorem duxerit, & ab insunte ætate castissimus vixerit.* Quamobrem concludendum esse videtur, non Joannis Evangelistæ eas fuisse, de quibus agimus, nuptias, eumque in perpetuo cœlibatu vixisse, quod ipsi monuimus lib. 3. de Canonizat. c. 37. num. 1. De hydriis autem, in quas aquam inditam fuisse novimus, si quid opus est dicere, verisimile nobis videtur, non defuisse qui religionis impulsu quodam eas conservaret; Principesque Occidentales, earum quampiam in Palæstina repertam, sacrarum Hierosolymitanarum expeditionum temporibus, in Europam asportasse. Quæ Lutetiæ Parisiorum in Monasterio Portus Regii asservatur, e Palæstina a S. Ludovico Francorum Rege aveeta esse dicitur, de qua Dissertationem edidit Lancellottus in *Cronologia ad magna Vitræana Biblia*. Alteram Coloniæ esse dicunt, tertiam Tungris in Eburonibus. Alia etiam, de qua Bononiæ festum celebratur, in templo Servorum B.

Mariæ cuſtoditur. Ferunt autem, Vitalem Bacilerium ejuſdem Ordinis Generalem ab Urbano VI. Romano Pont. ad Sultanum Ægypti ablegatum, ut adverſus Turcas junctis cum Cypriorum Rege viribus Princeps ille arma ferret, inde per Palæſtinam redeuntem eam hydriam reperiſſe, & Bononiam ad Cœnobium ſuum attuliſſe. Eſt etiam alia quædam ex illis hydriis, quæ Muſiniani, in Bononienſi Diœceſi, in D. Bartholomæi Templo ſervatur, ut videre eſt apud Maſinium *in Bononia perluſtrata* pag. 201. & 429. Bailletus, ſeverioris cenſuræ vir, *in Hiſtoria hujus Feſti*, expenſis Hebraicis verbis, quæ inſculpta leguntur in Pariſienſi hydria, lapidis etiam natura, ipſiuſque hydriæ capacitate conſiderata, ſi non ea fuerit ex hydriis, quæ in nuptiis illis ſunt adhibitæ, certe aliquam fuiſſe ait ex iis, quibus Judæi in quotidianis ſuis ablutionibus utebantur. De Colonienſi autem, & Tungrenſi vehementer dubitat. Nos vero & has & Bononienſem in ſua venerationis poſſeſſione relinquentes ad alia pergemus. Monere interea juvat, Diſſertationem extare *de ſex hydriis in Cana Galilææ* Auctore Joanne Tamingio in Tom. 2. Diſſertationum in Novum Teſtamentum e Muſæo Haſæi & Ikenii. Ibi multa quidem deprehendas ab homine hæretico impie dicta adverſus hydrias, quas in aliquibus locis Catholici cum veneratione cuſtodiunt, eaſdem eſſe exiſtimantes, quæ in nuptiis in Cana Galilææ adhibitæ ſunt: plura tamen in ea Diſſertatione de hydriarum magnitudine & capacitate perpulchra continentur, & ſcitu jucunda.

An eodem anni die tertia illa miracula contigerint, quæ in die Epiphaniæ recoluntur.

32. Eccleſia, quemadmodum ſupra docuimus, in Epiphaniæ Feſto, Magorum adorationem, Chriſti Baptiſmum, & aquam in vinum converſam ſolemni celebritate commemorat. Verum magna quædam reſtat adhuc dijudicanda controverſia de tempore quo hæc geſta fuerint, & utrum etſi non eodem anno, eodem tamen anni die poſtridie nonas Januarii tria illa perpetrata fuerint miracula. *In hac dilectiſſimi celebritate* (verba ſunt S. Maximi Serm. de Epiphania) *ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici eſt Feſtivitate lætandum: ferunt enim Chriſtum hodie vel ſtella duce a Gentibus fuiſſe adoratum, vel invitatum ad nuptias aquam vertiſſe in vinum, vel ſuſcepto a Joanne Baptiſmate Jordanis fluenta conſecraſſe. Sed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die noverit ipſe, qui fecit.*

Chriſtus ſexta Jan. die baptiſmum ſuſcepit.

33. Chriſtum poſtridie Nonas Januarii a Joanne Baptiſmum ſuſcepiſſe, verus eſt Eccleſiæ traditio; nec quiſquam eſt, qui aliter ſentiat, uno Epiphanio excepto, cui ne ſeveriores quidem Critici aſſentiuntur, qui alioqui ſententiis ab omnium opinione remotis mirifice delectantur. *Quod vero ad menſem & diem, quibus baptizatus eſt Chriſtus, ſpectat, id factum eſſe ſexta Januarii ex communi & antiqua traditione Euſebius Pamphili ad Marinum ſcribens teſtatur. Confirmat hoc ipſum Hieronymus, ac denique omnes Scriptores Eccleſiaſtici, uno dumtaxat excepto Epiphanio, ut vidimus; qui ſicut audiendum non eſt, dum ait Chriſtum natum ſexta Januarii, ita nec cum dicit baptizatum eſſe ſexto Idus Novembris; cum & eidem contradicant Ægyptii, licet de die Natalis Domini æque ipſi conſentiant.* Hæc Baron. ad annum Chriſti 31. num. 18. Et cum eo conſentiunt Tillemontius Not. 16. ad J. Chr. Vitam: Graveſonus de Myſter. & ann. Chriſti pag. 217. Serry Exercitat. 45. num. 5. Honoratus a S. Maria tom. 2. Animadverſionum ad Criticæ Regulas lib. 3. Diſſert. 4. pag. 277. Sandinus Hiſtor. Sacræ Familiæ, de Chriſto Domino pag. 72. Patavinæ editionis 5 Card. Gottus de Veritate Chriſt. Relig. l. 4. par. 1. c. 17. §. 2. n. 17. Nuperrime vero Bernardus Lamy in apparatu pag. 207. §. 3. Epiphanii ſententiæ aſſentiendum ſibi perſuaſit. *Igitur cum non omnino videatur repudianda opinio S. Epiphanii, & multa concurrant, quibus conjecturam faciam, non multo poſt dies feſtos Expiationis, & Tabernaculorum collatum Baptiſmum Chriſto a Joanne in frequenti populi Judaici concurſu, ultro ſtatuerem pro die hujus Baptiſmi diem octavam Novembris, quoniam dies aliqua ſtatuenda ſit.* Verum, quod notat Graveſonius loco allato, Patris Lamy ſententia non magno plauſu excepta eſt. Præterea cum ab ætate uſque Ambroſii in Mediolanenſi Eccleſia Chriſti Baptiſma, & etiamnum ab Eccleſia Græca, ut videre eſt apud Galeſinium in not. ad Martyrol. pag. 12. ſexta Januarii die celebretur, magnum inde robur ad ſententiam illam accedit, quæ ſtatuit Chriſtum ſexta Januarii die Baptiſmum ſuſcepiſſe.

An eadem Januarii ſexta hi contigerit miraculum aquæ in vinum converſæ, Baronii ſententia.

34. Gravior de eo eſt controverſia, num eadem ſexta Januarii die Miraculum editum fuerit converſionis aquæ in vinum. Suarez 3. par. tom. 2. diſput. 26. ſect. 1. declarat, vel omnia tria illa miracula, ideoque miraculum etiam aquæ in vinum converſæ eadem ſexta Januarii die edita eſſe, vel eo demum nos redigi, ut veram diem, qua geſta ſunt, prorſus neſcire fateamur; affirmandum tamen, ne totam hanc rem dubitationibus implexam omnino relinquamus, eadem die ſexta Januarii & Magos Dominum adoraſſe, & Jeſum Baptiſmo ablutum eſſe, & aquam in vinum eſſe converſam. *Quocirca ne cogamur omnia in dubium vocare, ſentiendum exiſtimo Baptiſmum Chriſti, & alia etiam duo Myſteria ſexta die Januarii facta eſſe.* D. Thomas Lect. 1. in Cap. 2. Joann. pag. 16. litt. B. apertiſſime eamdem tuetur ſententiam, inita in hunc modum ratione temporum vitæ Chriſti Domini: *In Feſto Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit, ſcilicet Adorationis Magorum, quæ fuit primo anno Nativitatis Dominicæ: & Baptiſmi Chriſti, quo baptizatus eſt eodem die* (ſexto Januarii) *revolutis triginta annis, & de Nuptiis, quæ ſunt factæ eodem die* (ſexto itidem Januarii) *revoluto anno.* Verum Baronius etſi, quemadmodum diximus, putet baptizatum eſſe Chriſtum ſexta die Januarii; eodemque, ut mox declarabimus, a Magis fuiſſe adoratum, negat tamen eodem die aquam in vinum eſſe converſam. Legas ſi libet celeberrimi Scriptoris verba ad annum Chr. 31. num. 36. ubi animadverteus, Auguſtinum in ſermone quodam ſuo de Tempore ſcripſiſſe tria illa miracula die Dominico a Chriſto geſta eſſe, neceſſario inde conſequi ait, non potuiſſe miraculum aquæ in vinum converſæ unius anni exacto curſu in eumdem cadere diem, quo ſuperiore anno Chriſtus Baptiſmum ſuſceperit. *Si igitur tam Chriſti Baptiſmus, quam ex aqua vinum factum Miraculum die Dominico contigit, manifeſte probatur, ac in apertam deducitur conſequentiam, nequaquam illud eadem die poſt annum interlapſum accidiſſe, ſed prorſus diverſa: nam ſi præſenti anno in diem Dominicum incidat Feſtum Epiphaniæ, ſequenti anno in alteram incurrat diem neceſſe eſt.* Atque inde concludit Baptiſmum Chriſti, & miraculum aquæ in vinum converſæ eodem quidem anno, ſed non eodem die ſexto Januarii contigiſſe: præſertim cum ex Euangelio Joannis id conſequatur, qui diligentiſſime & accuratiſſime perſequitur ea omnia, quæ ad primum annum pertinent vitæ Chriſti poſt Baptiſmum ſuſceptum ab aliis Evangeliſtis prætermiſſa. Præterea cum Baptiſmo ſuſcepto Chriſtus Dominus cœperit Diſcipulos ſibi adſciſcere, & Evangelium prædicare, incredibile

vi-

videtur ſolidi anni ſpatium tranſire paſſum eſſe, quin aliquo miraculo ſuam doctrinam illuſtraret. Ex quo fit, ut intra eumdem illum annum, quo baptizatus fuit, Chriſtus Dominus ediderit miraculum illud, quod, ut demonſtravimus, ſane primum omnium fuit, aquæ in vinum converſæ.

Incertum quo die miraculum illud contigerit.

35. Et quamquam Eccleſia in Officio ſextæ diei Januarii canit, *Hodie vinum ex aqua factum eſt ad Nuptias*; non propterea ab ea ſententia, quam attulimus, recedit Baronius; qui Eccleſiam ait nil aliud illis verbis intelligere, quam eo die fieri ejus miraculi commemorationem, quo aqua in vinum converſa fuit. Quam objectionis illius diluendæ rationem Pererius etiam amplexus eſt in Joan. cap. 2. diſp. 2. num. 8. ubi ait, *Illud hodie non refertur ad tempus rei geſtæ, quaſi ſenſus ſit, eo die tria illa Myſteria eſſe facta*, (ideoque etiam Miraculum converſæ aquæ in vinum) *ſed refertur ad commemorationem, & celebrationem eorum trium Myſteriorum eo die fieri ſolitam, ut ſit eorum verborum hic ſenſus: Hodie colitur & celebratur commemoratio iſtorum trium Myſteriorum.* Bailletus in Hiſtoria Feſti Epiphaniæ §. 1. ubi agit de trium horum ſolemnitate Feſtorum una eademque die celebranda, ait, veriſimile eſſe Eccleſiam quorumdam veterum Patrum opinioni innixam, qui tria illa miracula una eademque die contigiſſe arbitrati ſunt, voluiſſe quidem, ut eadem die trium Myſteriorum fieret commemoratio; non tamen inde confici, eadem die revera tria illa miracula geſta eſſe, cum Eccleſia de eo tantum ſollicita, ut Religio, & cultus uniuſmodi eſſet ubique terrarum, noluerit pronunciare, quo unumquodque illorum miraculorum die contigerit. Thomaſſinus de Celebrat. Feſtorum l. 2. cap. 7. num. 13. & 14. Baronium jure collaudat, quod allatis hiſtoricorum omnium locis concludit, ea de re Patres inter ſe magnopere diſcrepare; atque idem Thomaſſinus monet, res a Jeſu Chriſto geſtas, quocumque illæ tempore & die geſtæ ſint, Chriſtiano homini eſſe commemorandas. Nonnulli ſunt, qui ut probent ex die, quo unumquodque Feſtum celebratur, argumentum minime poſſe confici eodem illo die rem eſſe geſtam, cujus memoria recolitur, Feſti Sanctorum Innocentium exemplum afferunt. Illud enim ante Epiphaniam ab Eccleſia celebratur, cum alioqui dubitari non poſſit, quin poſt Magorum diſceſſum ea Sanctorum Infantium cædes facta ſit. De hujuſmodi argumenti robore, & jure ne an non, ex die, quo unumquodque celebratur Feſtum, quiſpiam arguat eodem illo die rem illam eſſe geſtam, cujus memoria Feſto recolitur, paullo inferius diſſeremus. Interea concludendum putamus, incertum omnino eſſe, quo die miraculum illud contigerit, per quod Chriſtus aquam in vinum convertit, & Baronii ſententiam eſſe valde probabilem. Videndus Tillemontius Not. 17. ad J. Chr. vitam, & Card. Gottus par. 2. tom. 4. c. 2. §. 4. num. 39. & 40. ubi omnibus Baronii rationibus explicatis ſtatuit, poſt duos a Baptiſmo menſes Chriſtum Dominum vocatum ad nuptias, & Miraculum aquæ in vinum converſæ exeunte Februario contigiſſe. Hæc de re appoſite ad ea, quæ diximus, ita ſcribit Joannes Baptiſta Caſalius de Veteribus ſacris Chriſtianorum Ritibus edit. Romanæ anno 1647. pag. 419. in append. ad c. 60. *Rectiſſime utique Sancta Mater Eccleſia hæc tria hac eadem die memorat, nempe adorationem Gentium, manifeſtationem in Baptiſmo, miraculi exhibitionem in Cana, non quidem attentis temporibus, quibus ſingula contigerunt, ſed conſideratis rationibus, quod his maxime tribus divinitas Servatoris univerſo Orbi manifeſtata eſt.*

Lamb. Feſt.

An Magi ſexta Jan. die Bethlehemum venerint.

36. Difficillimum vero eſt tempus illud conſtituere quo Magi venerunt ab Oriente, & definire, utrum ſexta Januarii die infantem Jeſum adoraverint. Communis ſententia eſt tredecim poſt Chriſti Nativitatem diebus Bethlehemum eos veniſſe, ideoque ſexta Januarii die vidiſſe Dominum Jeſum. Videantur D. Thom. 3. par. q. 36. ar. 6. Canus lib. 11. de Loc. Theolog. cap. 5. §. *De quarto igitur argumento*. Baronius ad ann. Chriſt. 1. num. 31. Suarez 3. par. tom. 2. qu. 36. art. 8. diſp. 14. ſect. 4. Theophilus Raynaudus tom. 7. in Opere quod inſcribitur, *Diptycha Mariana*, pag. 97. Graveſonus de Myſteriis, & Annis Chriſti Diſſert. 8. pag. 174. & ſeq. Honoratus a S. Maria tom. 2. de Criticæ regulis lib. 3. diſſer. 4. art. 3. Card. Gottus par. 1. tom. 4. de verit. Relig. Chriſtianæ cap. 11. §. 4. num. 27. & ſeq. Sandinus Hiſtor. Sacræ Familiæ de Chriſto Domino pag. 34. & ſeq. edit. Patavinæ. Ayala in Opere quod inſcribitur, *Pictor Chriſtianus*, lib. 3. cap. 3. num. 1.

Varia Scriptorum ſententia.

Alii vero aliam ſunt ſequuti ſententiam. Calmetus in Cap. 2. Matth. contendit, Magos, menſe poſt Chriſti Natalem diem exacto, Bethlehemum veniſſe. Dupinius tom. 1. Hiſtor. Eccleſ. Januario exeunte. Toinardus in Harmonia Evangelica, Kalendis Februar. Tillemontius Nota 9. ad vitam Jeſu Chriſti, & Bailletus in Vitis Sanctorum ad diem 6. Januarii poſt Purificationem B. Mariæ Virginis, id eſt poſt quadraginta dies a Chriſto nato. Serry exerc. 35. num. 6. eorum tuetur ſententiam, qui putant Magos veniſſe vigeſima ſexta, vel vigeſima ſeptima Januarii die. Florentinius exercit. 3. de Magis, quam Notis Martyrologii ſui inſeruit pag. 234. contendit anno, ſeu etiam pluribus annis poſt nativitatem Jeſu Chriſti Magos ad ejus incunabula perveniſſe. Laurentius Benedictus Triebel in Diſſertatione *De Magis poſt Jeſum in Templo repræſentatum adventibus* in ſæpe citato Theſauro Diſſertationum in Novum Teſtamentum tom. 2. poſtquam ea de re fuſe prolixeque diſſeruit, Magos adveniſſe concludit poſt annum treſque hebdomadas a Chriſti nativitate; id tamen negat ſe tamquam certum proponere. *Hanc temporum determinationem, quamquam aliis ut certam, minime venditamus, cum nec Sacra pagina, nec profanus aliquis Scriptor, certi quid determinet.*

Magi tredecim poſt diebus a Natali die venerunt Bethlehemum.

37. Nos vero, qui a communi ſententia minime recedendum eſſe exiſtimamus, dicimus Magos Bethlehemum veniſſe, & Chriſtum Dominum adoraſſe tredecim poſt diebus a Natali die, ideoque ſexta Januarii. Nec quidquam aliud cauſæ nobis eſſe palam profitemur, quamobrem hanc amplectamur ſententiam, quam quod Occidentalis Eccleſia nullo non tempore Myſterium adorationis Magorum ſexta Januarii die conſtantiſſime celebraverit. Tillemontius not. 9. de qua ſupra, argumentum illud acerrime improbat, quo ex die alicujus rei geſta celebratur commemoratio, arguat quiſpiam eodem illo die rem illam contigiſſe. Nec nobis memoria excidit dudum nos docuiſſe, aquam non eadem ſexta die in vinum eſſe converſam qua miraculum illud conjunctim cum Chriſti Baptiſmate, & Magorum adoratione celebramus. Eam tamen Tillemontii doctrinam explodimus, ubi agatur de præcipuis maximiſque Vitæ Jeſu Chriſti Myſteriis: nam in Nativitate, Circumciſione, & Præſentatione celebrandis cum iis diebus probe congruimus, quibus hæc geſta eſſe certo ſcimus. Et rurſus eam doctrinam libenter amplectimur, cum rei geſtæ in ordine temporum certa ſedes tribui nullo pacto poteſt; ut in Feſto Sanctorum Innocentium, quorum cæ-

dem non unius tantum, ſed plurium dierum ſpatio perpetratam oportuit. Verum ſi cui videamur ad hunc modum oblique tantum reſpondiſſe, in promtu eſt etiam qui directe reſpondeamus: argumentum ſcilicet, quo ex die Feſti conſequi dicimus rem, cujus memoria colitur, eodem die geſtam eſſe, tum eſſe nullius roboris, ac plane infirmum, cum graves, & validæ afferuntur rationes, quamobrem negare poſſimus, eam rem eodem die, quo celebratur Feſtum, contigiſſe: tunc enim fateamur neceſſe eſt, Eccleſiam diem potius ſtatuiſſe, quo memoriam Myſterii illius coleremus, quam, quo res ipſa contigerit, indicaſſe; cujuſmodi exemplum præſto eſt in celebritate miraculi aquæ in vinum converſæ. Ubi vero nulla gravis, & valida ratio ſit, cur diem, quo Myſterium contigerit, ab eo, quo Feſtum illius celebratur, ſejungamus, argumentum illud firmum, & magni momenti eſſe exiſtimamus: nihil enim aliud cauſæ fuiſſe putandum eſt, cur Eccleſia Myſterio celebrando certum conſtituerit diem, quam quod eodem die rem ipſam noverit contigiſſe. Atque hanc omnem doctrinam, contrariarum licet opinionum fautor, probat Florentinius loc. cit. pag. 234. in fin. & Honoratus a S. Maria non modo amplectitur, ſed ſtrenue etiam tuetur.

Magi unde profecti.

38. Jam vero ea doctrina veluti quadam norma probe conſtituta, primo diſpiciendum eſt; unde Magi profecti Bethlehemum venerint. Chryſoſtomus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus itidem Alexandrinus putant e Perſide eſſe profectos. Qua quidem ex regione, quæ ab Hieroſolymis decies centenis millibus paſſuum, atque eo amplius diſtat, Magi ſi revera profecti ſint, non fane fieri potuit, ut tredecim tantummodo diebus poſt natalem Chriſti diem, adhibitis etiam ad iter velociſſimis Dromedariis, Hieroſolymam pervenirent; tum quod haud ita veriſimile eſt deliberando inter ſe nihil temporis conſumpſiſſe, ſed ſimul ac Stella illuxerit, iter ingreſſos eſſe; tum quod Hieroſolymis nonnihil temporis colloquio cum Herode habito conſumtum illis oportuit, nec prius a Rege dimiſſos, quam, primoribus convocatis, Herodes ubi Chriſtus eſſet naſciturus ſedulo diſceptaſſet.

Stella non ante illuxit, quam Chriſtus Jeſus natus eſſet.

39. Cujus argumenti ea vis eſt, ut qui communem tuentur ſententiam, ad illud probe evertendum neceſſarium ſibi putent eo decurrere, ut dicant multo ante Chriſti Natalem diem ſtellam apparuiſſe, ideoque Magos multo ante vigeſimam quintam Decembris diem iter illud ſuſcipere potuiſſe. Nos vero exiſtimamus, ſtellam non ante illuxiſſe, quam Chriſtus Dominus fuerit natus, ſed puncto illo temporis, quo in lucem eſt editus Jeſus, in Cœlo coruſcaſſe; nec inde tamen fieri, ut Magi ſexta Januarii die Bethlehemum pervenire non potuerint; illudque adverſariorum argumentum ea vi minime præditum eſſe dicimus, ut eo commoti diem Feſti ab eo, quo Myſterium contigit, ſejungamus.

Quod probatur ex D. Matthæo.

40. Stellam non ante Chriſtum natum, ſed momento illo quo Jeſus in lucem prodiit, apparuiſſe diximus, luculentiſſimis Matthæi verbis inducti cap. 2 v. 1. & 2. *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum:* ex quibus verbis patet, ſtellam non naſcituri, ſed jam nati Regis fuiſſe indicium, nec poſt Chriſti Nativitatem, ſed ipſo Nativitatis ejus momento reſplenduiſſe. Nec prius apparuiſſe ſtellam, quam Chriſtus Dominus in hanc lucem prodierit, fatetur ipſe Florentinius loc. cit. pag. 233. *Inſuper neque Magi de naſcituro Domino inquirebant, ſed ubi jam natus eſſet: quia viderant ſtellam ejus jam nati Regis Judæorum prænunciam.* Nec ab hac ſententia multum abeſſe videtur Joannes Federicus Miegius Diſſertat. *de Stella a Magis conſpecta* tom. 2. Diſſertationum in Novum Teſtamentum pag. 19. §. 13.

41. Illud etiam diximus potuiſſe Magos Bethlehemum ſexta Januarii die pervenire: non enim e Perſide, ſeu Chaldæa, ut quidam putant, quorum e numero eſt Rhoden Diſſert. *de primis Salvatoris Veneratoribus Magis* in Theſauro Diſſertationum in Novum Teſtamentum tom. 2. pag. 72. §. 9. ſed ex Arabia Felice profecti ſunt. Hanc ſententiam ſequitur Tertullianus lib. adv. Judæos cap. 9. & lib. 3. contra Marcion. cap. 13. Davidica illa afferens verba: *Et dabitur ei de auro Arabiæ;* & illa, *Reges Arabum, & Saba dona adducent.* S. Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Magos Arabes vocat. Huc accedit, Arabiam Felicem ad Judææ Orientalem plagam poſitam eſſe; & Matthæum ſcripſiſſe, Magos ab Oriente profectos; ejuſque regionis munera Aurum, Thus, & Myrrham attuliſſe. Grotius tom. 6. Crit. ſacr. pag. 71. & 72. ad ea S. Matthæi verba, *ab Oriente*, vetuſtiſſimam fuiſſe ait Chriſtianorum opinionem, Magos Arabia veniſſe. Quod ſi ex ea regione venerint, cum ab Hieroſolymis, non plus quam octo dierum iter ea regio abſit; potuerunt illi quidem percommode Bethlehemum pervenire, parare itineri quæ opus eſſent, & Hieroſolymis aliquantum temporis immorari, ut oſtendit Petrus de Marca Opuſculo *de Adventu Magorum* a Baluzio edito, adhibitis præſertim juxta Iſaiæ oraculum velociſſimis Dromedariis, ut bene animadvertit Baronius. Eadem fundamenta ponit Lamy in Harmon. Evang. lib. 1. cap. 11. §. *Ambigitur*.

Magi ex Arabia profecti, unde facile illis fuit tredecim poſt dies Bethlehemum pervenire.

42. Id etiam confirmatur auctoritate D. Auguſtini, qui ſerm. 32. de Tempore, qui quartus eſt Epiphaniæ, ita ſcribit: *Hoc enim die Magi Dominum adoraſſe perhibentur, ſtella ſcilicet apparente commoniti, & præcedente perducti. Eo quippe die, quo natus, illi ſtellam in Oriente viderunt, & quem natum indicaverit, agnoverunt. Ex illo igitur die ad hunc diem occurrerunt, Herodem Regem nuntio terruerunt, Judæis ex Prophetica Scriptura reſpondentibus, Bethlehem Civitatem, ubi Dominus natus fuerat, invenerunt. Ad ipſum deinde Dominum Stella eadem ducente venerunt, demonſtratum adoraverunt, Aurum, Thus, & Myrrham obtulerunt, alio itinere redierunt. Manifeſtatus eſt quidem, & die ipſo Nativitatis ſuæ Dominus Paſtoribus ab Angelo admonitis, quo etiam die per ſtellam, & illis eſt longe in Oriente nuntiatus; ſed iſto die ab eis eſt adoratus. Suſcepit ergo devotiſſime iſtum diem celebrandum univerſa Eccleſia Gentium, quia & illi Magi quid jam fuerunt, niſi primitiæ Gentium?* Ubi obſervandum, diſerte Auguſtinum dicere, ſtellam apparuiſſe quando Chriſtus natus eſt; tum a Magis viſam; & nihilominus Magos Bethlehemum veniſſe ſexta Januarii die, quo ab Eccleſia Epiphaniæ feſtum celebratur.

D. Auguſtinus idem ſentire videtur.

43. Superiori argumento aliud etiam adjiciunt & proferunt ex Matthæi Evangelio ductum, quo contendunt minime præſumptioni eſſe locum, qua fulciri videtur opinio noſtra, Myſterium ſcilicet eo die, quo celebratur, contigiſſe. Matthæus cap. 2. verſ. 16. ait, Herodem, ubi ſenſit ſe a Magis irriſum, ira abreptum juſſiſſe trucidari *omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis.* Narrat idem Matthæus, poſtquam

Argumentum adverſus communem ſententiam de Adventu Magorum tredecim poſt dies a Chriſto nato.

quam discessissent Magi, apparuisse Angelum Domini in somnis Joseph, eumque ita monuisse: *Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum;* Josephum una cum Beata Virgine Puerum in Ægyptum abduxisse: *Qui consurgens accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.* Quam quidem Angeli apparitionem, & Josephi fugam in Ægyptum, etsi Matthæus cum Magorum discessu continuata narratione conjungat, certum tamen est nonnisi post quadraginta minimum dies a nato Domino contigisse, cum juxta cap. 2. Lucæ interjecta fuerit Præsentatio in Templo Hierosolymis, de qua nos alibi sermonem habebimus, ut bene notat D. Augustinus de consensu Evangelist. lib. 2. cap. 5. num. 16. t. 3. append. *Ac per hoc intelligitur Matthæus, ubi ait somnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, & per aliam viam regressos in regionem suam, illic prætermisisse quæ Lucas narravit gesta circa Dominum in Templo, & dicta a Simeone, & Anna; ubi rursus Lucas prætermittens profectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tamquam continuam contexuit regressionem ad Civitatem Nazareth.* Itaque S. Augustinus in eodem loco petitam ex duobus illis Evangelistis historiam scribere aggressus de Jesu Christi Nativitate, & Infantia, primo loco ponit Magorum reditum, secundo Præsentationem in Templo post quadraginta dies a Christo nato, tertio Angeli Apparitionem, postremo fugam in Ægyptum: quæ cum certissime gesta sint, quærunt contrariæ sententiæ fautores, qui credi possit pueros a bimatu, & infra Herodem jussisse interfici, qui, quo tempore stella illuxisset, a Magis intellexerat; proindeque ut se ab omni metu liberaret, satis fuisset bimestres, trimestresve pueros necari: quærunt itidem, qui fieri potuerit, ut Herodes, quem credere par est cognoscendi cupidissimum ubi natus fuisset Christus, animoque anxium de Magorum discessu statim factum esse certiorem (Bethlehemum enim haud longe distat ab Hierosolymis) tam longo post tempore infantes jusserit trucidari. Neque enim eo confugere opus est, ut dicamus, quemadmodum supra diximus, ita Deo visum esse, ut, cum sibi placitum esse Magos per aliam viam in regionem suam revertí, nihil quidquam Herodi de nato puero nunciantes, illud pariter voluerit, Herodem minime quidem illico, sed aliquanto post de eorum discessu comperisse. Satis enim totam hanc rem evolvi, & explicari, si dicamus, non tredecim post diebus a Christo nato, sed post Purificationem in Templo, vel juxta Florentinium, & Epiphanium Hær. 51. & juxta Evangelium quoque Matthæi, *a bimatu*, duobus tribusve post annis Magos Bethlehemum venisse. Neque vero, quod Florentinius quoque observavit, multum temporis opus erat Herodi ad deliberandam cædem infantium; cum sexaginta annis ante, M. Cicerone, & Antonio Coss. rumore orto, ac per urbem manante, *Regem pop. Rom. naturam parturire*, eo rumore Senatus commotus censuerit, *ne quis* (ut ait Sueton. in August. cap. 94.) *illo anno genitus educaretur.*

Solutio ejus argumenti. Propriusque significatus vocis ecce.

44. Qui ad hunc modum disputant, ad Matthæi & Lucæ Evangelia provocant. Atqui eorum argumentationis diluendæ ratio ex ipsis Matthæi, & Lucæ Evangeliis desumitur. Matthæus enim cap. 2. vers. 1. scribit: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.* Vox illa *ecce* indicat Magorum adventum Christi Nativitati valde proximum, ideoque tredecim post diebus contigisse: neque enim vox illa adhiberi solet rebus indicandis, quæ longo post tempore contigerint, ut bene advertit Melchior Canus de Loc. Theologic. lib. 11. cap. 5. in Responsione ad 5. argumentum, qui ut illius vocis vim, & potestatem explicet luculentius, locum affert Geneseos ex cap. 24. vers. 15. *Necdum intra se verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur.* Verum quidem est, discessum inter Magorum, & somnium quo monitus est Joseph ut fugeret, mensem saltem interjectum fuisse, & nihilominus Matthæum eamdem vocem *ecce* adhibuisse: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit;* ex quo arguunt Adversarii non admodum voci illi *ecce* fidendum, ut Magorum adventum cum Christi Nativitate continuo conjungamus. Duo tamen consideranda sunt. Primum est, quod si vox *ecce* nihil obest, quominus inter Magorum adventum & Nativitatem Christi integer mensis interjiciatur, certe tamen excludit duorum triumve annorum interjectum. Alterum est, quod vox *ecce* commode adhibetur post intervallum non tredecim modo dierum, sed etiam solidi mensis, & ad rem inopinatam demonstrandam bene redigitur, si certo constet, non plus eo temporis esse elapsum *inter duo facta*, quibus vox *ecce* interponitur, ut *in allato exemplo* inter Magorum adventum, & Angeli apparitionem; Lucas enim ostendit interea Præsentationem in Templo contigisse, ac propterea unius circiter mensis spatium esse elapsum. Ubi vero minime pateat, totum id temporis effluxisse inter utramque rem gestam, ut inter Nativitatem & Magorum adorationem nihil est quod ostendat plus quam dies tredecim decurisse, vox *ecce* naturalem suam vim potestatemque retinet indicandi rem inopinato, nec multo post gestam ab ea re, quam paullo ante narrat historicus, & cum qua vocem *ecce* conjunxit.

Nihil ex Evangelio eruitur, quo inter adventum Magorum, & Christi Nativitatem duo anni interponendi sint.

45. Narrat D. Lucas, quod supra attigimus, suoque loco fuse docebimus, B. Virginem in Templo Hierosolymitano quadraginta diebus post editum Jesum se purificasse. Beata igitur Mater Bethlehemo profecta, Hierosolymam se cum filio Jesu contulerat; itaque si Magi venerunt post Purificationem Matris, Filiique Præsentationem in Templo, qui fieri potuit, quod narrat Matthæus, ut Magi Mariam & Jesum Bethlehemi repererint? *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria matre ejus.* Quam rationem si quis velint diluere, eo confugiant oportet, ut dicant, B. Virginem, Bethlehemo cum discessisset, ut se Hierosolymæ purificaret, Filiumque præsentaret in Templo, rursus Bethlehemum revertisse: atque ea sane est responsio Auctoris, qui scripsit Adnotationes ad Vitam J. Christi in cap. 8. Verum de eo reditu altum apud omnes Scriptores silentium, nec cuiquam verisimile videatur B. Mariam eo rediisse. Nulla ibi domus illi erat; nulla supellex; prætereuntem apud Bethlehemum hora partus oppressit; ibi & circumcidendo filio, & legis præcepto, (tametsi non teneretur) ne qua mulier, nisi certo quodam tempore post partum elapso, Templum ingrederetur, necessario detenta; ut optime loco cit. disputat Melchior Canus, & Baronius ad ann. 1. Chr. num. 31. Quamobrem nemo non videt, ex Matthæi & Lucæ Evangeliis nihil quidquam erui posse, quo inter Magorum adorationem, & Christi Domini Nativitatem duorum, triumve annorum spatium interponamus; aut eam adorationem post Purificationis Festum, aut vigesima sexta, vel vigesima septima Januarii die contigisse statua-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

statuamus; quin potius ex utroque Evangelio colligi; tredecim tantummodo diebus post Christi Nativitatem Magos Bethlehemum venisse. Vide Lamy Harm. Evang. lib. 1. c. 11. pag. 46. ubi de adventu Magorum scribens: *Ante Purificationem*, inquit, *Mariæ, sive ante quadragesimum a Nativitate Domini diem venerunt, quod verum esse Joseph, & Maria demonstrant, tunc temporis adhuc in Bethlehem commorantes; etenim post Purificationem non verisimile est deprehensos in loco, in quem peregrini venerant. Nazareth erat accolatus eorum, & gratis fingitur, quandoque reversos Bethlehem, ut etiam post unum vel alterum annum a Nativitate reperti sint a Magis.*

Cur Herodes Infantum cædem distulerit, eosque a bimatu interfici jusserit.

46. Nec quidquam obstat, quod Herodes pueros a bimatu & infra necari jusserit, aut eorum cædem in adeo longum tempus rejecerit, etiamsi quo tempore stella illuxerat, a Magis probe compertum habuisset, & quo tempore ipsi abierant, se insalutato contra quam promiserant, aliunde, ut credere par est, cognovisset. Non enim admodum inverisimile est, Herodem metu, & pavore veluti furiis miserrime divexatum, ne in re, quam agitaret animo, ullus esset errandi locus, in eam partem peccare maluisse, ut furorem suum, etiam ubi non esset opus, quam latissime funderet, & ad bimulos etiam pueros crudelitatem suam proferret: quod quidem minime fugit Chrysostomum, qui Hom. 7. in Matth. hæc habet: *quod si a biennio, & infra Herodes puevos interfecit, non mireris. Siquidem conveniens in eumdem Tyrannum pavor & furor pro abundantia cautionis, & licentia persecutionis, majus etiam tempus includit, ne quis profecto ejus ætatis, & forte is potissimum propter quem alii interimuntur, effugiat.* Præterea, quod animadvertunt Euthymius, Maldonatus, Jansenius, Estius, & Calmetus in cap. 2. Matth. etsi Herodes tempus, quo stella primum illuxerat, a Magis comperisset, suspicari tamen poterat, puerum ante visam stellam esse natum. Quod si ponamus Herodi momentum illud innotuisse, quo Magi Bethelehemo abierint, est aliquid tamen causæ, cur infantum cædem diutius differret. Cum enim videret Magos, quod erant polliciti, minime ad se rediisse, existimare potuit, nullo reperto puero Rege, pudore deterritos Hierosolymam noluisse reverti. Ubi autem Puer Jesus Hierosolymæ præsentatus fuit in Templo, Annæque, & Simeonis exceptus acclamationibus, tum vero maturandum ratus, nec quidquam expectandum amplius, crudelissimam illam puerorum lanienam edixit. Quæ quidem responsio tota est D. Augustini lib. 2. De Consensu Evangelist. cap. 2. *Illud dico, postea quam nihil Herodi Magi renunciaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, postea quam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo, ac persequendo puero quievisse. Cum ergo post purgationem Matris ejus in Hierusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in templo, quæ a Luca narrantur, quia verba Simeonis, & Annæ de illo prophetantium cum cœpissent ab eis, qui audierant, prædicari, ad pristinam intentionem revocatura erant animum Regis, admonitus per somnium Joseph cum Infante, & Matre ejus fugit in Ægyptum; deinde vulgatis rebus, quæ in Templo factæ, dictaque fuerant, Herodes se a Magis sensit illusum, ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos Infantes, sicut Matthæus narrat, occidit.* Augustini responsionem hanc Tillemontius Not. 9. ad Jesu Christi vitam, eam esse ait, qua nulla melior afferri possit, nulla ad hanc rem quam tractamus concinnior; sibi tamen ab ea minus esse satisfactum. Nos vero illam utpote a maximi ingenii viro, & Ecclesiæ Doctore omnium clarissimo ortam venerati, in ipsius Augustini judicio plane conquievimus.

De celebritate & vetustate hujus Festi.

47. Cum ea omnia quæ ad Mysterium pertinet Epiphaniæ declaraverimus, quædam breviter perstringemus, quæ ad magni hujus Festi celebritatem, & vetustatem attinent. Scribit Thomassinus Tractatu de Festor. celebrat. lib. 2. cap. 7. n. 1. *Nullus sanæ mentis inficiabitur, Epiphaniæ solemnia maxima semper & celeberrima fuisse. Patebit hoc cuivis evolventi priorem librum, & Sacros Festos expendenti secundum annorum seriem in utraque Ecclesia. In illis Epiphania suum semper vindicat locum, tunc quoque cum celebritates plurimæ, quæ nunc aguntur, nusquam comparent.* Et lib. 1. cap. 4. affert testimonia veterum Patrum, & cap. 5. Conciliorum loca, quibus mentio fit de maxima Epiphaniæ Solemnitate. Galesinius in notis ad Martyrolog. pag. 13. ita de hoc Festo loquitur: *De cujus sane diei celebritate pluribus differendum non est, cum res a Patribus tum Latinis, tum Græcis explicata satis admodum in promptu sit.* Et Martene de antiqua Ecclesiæ Disciplina in celebrandis Divinis Officiis cap. 14. n. 3. *Epiphania, ut diximus, inter præcipuas solemnitates semper habita est.* Suarez vero tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 5. num. 9. putat magni hujus Festi celebrationem Apostolis auctoribus tribuendam. Et Gretserus tom. 5. Operum suorum novissimæ edit. lib. 1. de Festis cap. 30. *Festum hoc*, inquit, *antiquissimum est.*

Epiphaniæ Festum multis illustratum miraculis.

48. Itaque apud illos Scriptores testimonia Patrum & Conciliorum reperias. Nos vero hic tantummodo afferemus Acta S. Philippi Heracleensis Episcopi, qui ineunte quarto sæculo Martyrii palmam consequutus est. In iis, ut videre est apud Ruinartium, verba hæc leguntur, quibus sanctus ille Martyr suos in Christo Fratres cohortabatur: *Nutantis sæculi extrema volvuntur, imminet pertinax Diabolus, & potestate pauliſper accepta Servos Christi non venit perdere, sed probare. Epiphaniæ dies sanctus incumbit, quæ res admonitionem nobis præstat ad gloriam. Nullæ ergo impiorum minæ, nulla vos tormenta terreant; nam & patientiam perferendi, & mercedem tolerandi dolores militibus suis Christus indulget.* Neque vero illud silleri potest, quod ea semper fuit apud Christianos hujus Festi celebritas, ut illi vel impiissimi Imperatores adesse voluerint: narrat enim Ammianus Marcellinus lib. 21. Julianum Apostatam, cum esset in Galliis, impietati suæ Christianam Religionem prætexere volentem, in hac die una cum cæteris Christianis sanctorum Mysteriorum celebrationi adfuisse; & Gregorius Nazianzenus idem narrat de Valente Imperatore in Orat. de S. Basilii laudibus, ut videre est in Baronii notis ad Martyrologium Romanum Kalendis Januarii, & apud Bollandum in festo hujus diei. Quamquam supervacaneum jure videri possit, quid homines fecerint enarrare, cum Omnipotentis Dei tot miracula suppetant, quibus magni hujus Festi solemnitatem magnificentissime commendavit. Narrat D. Chrysostomus Homil. 24. tom. 1. Christianos media nocte ab Ecclesia domum esse solitos aquam afferre, eamque ad annum integrum reservare in commemorationem Baptismatis Christi, quo aquæ sunt consecratæ, ejusque anni, atque etiam duorum triumve annorum spatio decurso, eam aquam nullo infici vitio. *Omnes enim in hac solemnitate sub noctem cum aquati fuerint, latices domum referunt, & recondunt, ac per integrum annum conservant, utpote quod hodierna die sanctificatæ sint aquæ: fitque miraculum evidens,*

dum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

dem nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeo biennio, & triennio, sæpe, quæ hodie fuit hausta, incorrupta ac recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quæ fuerint e fontibus eductæ, certat. Quam quidem consuetudinem afferendi domum aquam benedictam adhuc retinet Christiani Orientales, & incorruptæ aquæ miraculum nonnunquam solet contingere. Compertum enim habemus, Josephum Georgerinum Sami in Ægeo mari insulæ Archiepiscopum ann. 1676. dum esset in Gallia, aquam Orientali ritu in Ecclesia consecrasse; in eam Jesu Christi statuam ter immersisse in ejus Baptismi memoriam, eamque aquam vitreo simpulo inclusam multos annos ab omni vitio fuisse expertem, ac fortasse duraturam fuisse diutius, nisi simpulum diffractum fuisset, ut tradit Gravesonus Dissert. 8. De Myster. & annis Christi pag. 185. & Card. Gottus tom. 4. par. 1. de verit. Relig. Christ. cap. 2. §. 5. num. 41.

Fontes quidam in die Epiphaniæ vino manantes.

49. Tradit etiam Epiphanius Her. 51. num. 29. & 30. eodem Epiphaniæ die, quo ut monuimus, aquæ in vinum conversæ memoriam celebramus, illud etiam Christum Dominum edidisse miraculum, ut quidam fontes & omnes singulis annis vino manarent. *Non dubium est, quarta die Tybi secundum Ægyptios Salvatoris ortum accidisse. Sub idem vero postea tempus trigesimo anno vertente primum in Cana Galilææ miraculum edidit, tum cum ex aqua vinum est factum. In cujus rei fidem hodieque pluribus in locis idem quod olim factum est prodigium instauratur; idque ipsum fontes fluviique testantur passim in vina conversi. Cujusmodi ad Cibyram Cariæ Oppidum fons est, qui eadem illa hora, qua Ministri aquam hauserunt, ac Salvator dixit, date Architriclinio, in vinum vertitur. Idem & in Geraseno Arabiæ fonte contingit. Nos ex Cibyræ illo fonte, fratres nostri, ex Geraseno potavimus, qui in Martyrio est. Plerique vero idem & de Nilo Ægypti fluvio confirmant. Quæ causa est, cur Tybi undecimo omnes in Ægypto aquam hauriant ac reservent, idque aliis in locis fieri assolet.* Casaubonus exercit. 13. in Baron. num. 22. pag. 246. etsi secta Calvinianus, nec ita pronus ad credenda miracula, minime tamen miraculo illi, de quo Epiphanius, fidem ausus est abrogare. Et Bailletus ad sextam diem Januarii §. 4. ait, quasdam quidem esse aquas acidulas, fossiliumque per quæ fluunt vi præditas, quæ vini colorem saporemque imitentur, adeo ut etiam facultatem habeant inebriandi; qui tamen propterea miraculo, quod Epiphanius veris gravibusque verbis tradit sua ipsius experientia edoctus, elevare velit fidem, eum a temeritatis nota minime liberat. Adde, quod ex Epiphanii narratione inferri videtur, vinum illud prodigio factum, elapso festo, in pristinam aquæ formam redire. Ita Bailletus loc. cit. Eosdem fontes, ex quibus non amplius aqua, sed vinum scatebat, Baronius commemorat ad ann. Chr. 31. num. 33. ubi ita animadvertit: *Cæterum de dictis fontibus diversis locis positis, vinum scaturientibus, nullum antiquorum, qui ante Christum vixerit, Auctorem mentionem fecisse, memini me legisse: ut plane intelligas, ea omnia virtute hujuscemodi Christi miraculi facta esse.*

In Orientali Ecclesia Epiphania simul, & Nativitas Christi celebratur.

50. In Orientali Ecclesia Festum Epiphaniæ una cum Nativitate Christi conjunctim celebratur, quod observat Tillemontius Nota 4. & 9. ad vitam Jesu Chr. Et in Basilii Imperatoris Menologio Græcorum, quod 9. sæculo scriptum esse constat, vigesimaquinta die Decembris utrumque festum celebratur, ut videre est in eodem Menologio Urbini edito ann. 1727. Vivebat 13. sæculo ineunte Dionysius, qui etiam Jacobus Bar-Salibi appellabatur. Is Armenorum reprehendit consuetudinem sexta Januarii die utrumque Festum celebrandi; ut videre est in ejus Opere apud eruditum virum Assemannum Bibliothecæ Orient. Clementino Vaticanæ tom. 2. cap. 32.

Quædam alia, quæ ad hoc Festum pertinent.

51. Sed ab Orientali ad Occidentalem regredientes Ecclesiam, putamus minime prætereundum, quod in quibusdam Ecclesiis hoc Festum, Vigilia & Jejunio præcunte, celebrabatur. Nunc vero Vigilia præit tantum sine Jejunio. Vide Martene loc. cit. cap. 14. num. 3. In quarumdam Civitatum Ecclesiis etiamnum fit benedictio aquæ in Vigilia Epiphaniæ; de qua consuetudine egimus in nostro Opere de Canonizat. lib. 4 par. 2. cap. 19. n. 22. & num. 59. Testator Auctor libelli, cui Titulus *Gemma Animæ*, lib. 3. cap. 6. in hac solemnitate moris fuisse, ut Officia noctu celebrarentur; posteaque sublata esse hujusmodi nocturna pervigilia, quod ex iis gravissima quædam scandala orirentur. Sed in Ecclesia Mediolanensi Ambrosiano ritu magna populi frequentia noctu canitur Matutinum, Galesinio teste in Notis ad Martyrologium pag. 13. *Ritu Ambrosiano ut die Natali Domini de nocte maximo populi conventu Officium Matutinum hoc die celebratur, accensis more Græco multis luminibus.* Matutinum hujus diei Invitatorio caret, & initium fit ab Antiphona & Psalmo, ad significandum, vel magnum interesse discrimen cum invitatu Ecclesiæ Fideles excitantur ad psallendum, & cum Herodes Scribas legisque Doctores convocavit, ut intelligeret ubi Christus nasceretur, ut observat Albinus Flaccus de Divinis Officiis Tit. de Theophania vel Epiphania; vel ad denotandam Gentium alacritatem, quæ, ut primum stella illuxit, in viam se illico dederunt, ut monet Durandus lib. 6. cap. 16. vel quia Psalmus *Venite exultemus*, quo utimur in Invitatorio, in hoc Officio canitur in tertio Nocturno, ideoque minime visum est in uno eodemque Officio eumdem Psalmum semel & iterum canere, ut notat Martene cit. cap. 14. num. 6. quas omnes rationes refert & probat Gavantus sect. 6. cap. 7. de Epiphania num. 3. Decrevit Nicæna Synodus, Pascha una eademque Dominica ab omnibus celebrandum. Orta deinde controversia, quinam tandem certus ille dies esset, quo Pascha esset ab omnibus celebrandum, Patres Nicæni, quibus compertum erat Ægyptios a vetustissimis usque temporibus Astronomiæ scientiam omnium maxime coluisse, ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum curam ineundi rationes Astronomicas detulerunt, ut adhibito etiam doctorum virorum consilio, verum cujusque Paschatis diem constitueret; neque illud negotii Alexandro tantum, sed omnibus Alexandrinis Episcopis ejus Successoribus datum deinceps voluerunt. Quæ omnia refert Baronius ad annum Christi 325. ubi auctoritate S. Leonis ostendit, Alexandrini Episcopi Paschalem epistolam Romano Pontifici mitti semper consuevisse, qui deinde omnibus Ecclesiis Paschalem diem indicebat. Macrus in Notitia Vocabulorum Ecclesiasticor. verbo *Epiphania* videtur credidisse, Alexandrini Episcopi litteras recta via ad alias Ecclesias mitti solere, quod de Ecclesiis tantum Ægypti intelligendum putamus, idque insinuare videtur Isidorus de Ecclesiasticis Officiis lib. 1. cap. 26. ubi de Epiphania verba faciens hæc habet: *Epistolæ quoque Pontificis Alexandrini ad universas Ecclesias Ægypti vel Monasteria diriguntur, quibus & initium Quadragesimæ, & dies Paschæ denuntiantur.* Hæc omnia confirmat Joannes Baptista Casalius de Veteribus sacris

Chri-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Christianorum Ritibus Romanæ edit. ann. 1647. pags 421. ubi ait, Summum Pontificem acceptam Alexandrini Episcopi epistolam mittere consuevisse Primatibus, & Metropolitanis, ut certus dies illis significaretur, quo Pascha celebrarent, eumque morem retentum, donec Orientales a Romana desciverunt Ecclesia: quo discidio Romani Pontifices, omni communione cum illis abrupta, noluerunt amplius ejusmodi accipere epistolam; cum præsertim Romana Ecclesia Mathematicæ scientiæ rerumque Astronomicarum peritissimis viris tunc temporis abundaret. Nunc vero mos obtinet, ut hac die in Missa, quæ in Ecclesia Cathedrali solemniter celebratur, post Evangelium Archidiaconus, vel Canonicus, vel Beneficiatus, seu quivis alius juxta locorum consuetudinem totius ineuntis anni Festa mobilia populo e suggesto denuntiet.

CAPUT III.

De Sanctissimi Nominis Jesu Festo, quod secunda post Epiphaniam Dominica celebratur.

1. SEcunda post Epiphaniam Dominica celebratur Festum Sanctissimi Nominis Jesu.

Quoto infantibus die a nativitate nomen a Romanis inditum.

2. Narrat Plutarchus Probl. 102. illud apud Romanos in more positum fuisse, ut maribus nono a natali die, fœminis octavo inderent nomen. Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25. Athenienses & Græcos decimo die infantibus nomen imponere solitos tradit. Et Aristoteles lib. 7. Histor. Animal. Cap. 12. refert, pueris nomen imponi septima die, quod multos ante eum diem interire experientia docuerit, eorumque vitæ spem ostendi meliorem, qui septimum diem attigerint.

Judæi octavo pueris die nomen imponebant.

3. Judæi, non quod in lege quidquam ea de re scriptum esset, sed sola inducti consuetudine infantibus octavo die nomen imponebant, cum, ut docuimus, pueros circumciderent, quod ex Lucæ Cap. 1. vers. 59. deducitur, ubi, injecto sermone de nomine filio Zachariæ indito, Joanni scilicet Baptistæ, Evangelista ita ait: *Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens Mater ejus dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes.* Ad quæ verba ita Venerabilis Beda: *Ab Abrahamo exortum est, ut die Circumcisionis nomen imponeretur Infanti; quia & ipse cum Testamentum, ideſt Fœdus a Deo Circumcisionem acciperet, eodem prorsus die cum sua Conjuge nominis augmentum promeruit.* Joannes Spencerus, qui summo studio Judaicorum rituum originem ex Ethnicorum moribus deductam conatur ostendere, eam etiam consuetudinem Judæorum imponendi nomen liberis suis ad eamdem Gentium consuetudinem refert: Hebræos enim in morem accepisse, ut Circumcisionis die infanti nomen imponerent, quia apud Romanos die lustrico, (quem diei Circumcisionis respondere ait) nomen infantibus indebatur. De die lustrico, seu nominali plura congessit Casaubonus in secundam Persii satyram. Bineo, cujus alibi mentionem fecimus, minime probatur Spenceri doctrina de Judaicorum rituum origine ad Ethnicorum superstitiones referenda; quam doctrinam ipsi quoque, ut æquum est, vehementer rejicimus, quamobrem concludit, neque Gentes imponendi nomen die lustrico infantibus inde accepisse consuetudinem, quod Hebræi Circumcisionis die nomen suis liberis inderent; nec Hebræos itidem idcirco Circumcisionis die pueris nomen imponere consuevisse, quod idem apud Ethnicos die lustrico sanctitatum esset: sed sponte sua eamdem consuetudinem ad Judæos, & Ethnicos quodammodo naturaliter esse profectam. Ethnici enim opportunum imponendo nomini lustricum diem existimarunt, quod amici cognatique ad parentis domum eo die convenirent; Hebræi itidem Circumcisionis diem ad eamdem rem aptissimum judicarunt, quod eo die fieret conventus amicorum & cognatorum, qui cæremoniæ circumcidendi pueri vellent adesse.

Octavo die Christo inditum nomen Jesus.

4. Placuit Christo, quod supra diximus, Circumcisionis legi se subjicere, cumque octavo post natalem diem esset circumcisus, eo die illi nomen Jesus inditum fuit, quod Salvatorem significat, ut docet D. Thomas 3. par. qu. 37. art. 2. *Quia igitur Christo hoc munus gratiæ collatum erat, ut per ipsum omnes salvarentur; ideo convenienter vocatum est nomen ejus, Jesus, ideſt Salvator, Angelo hoc nomen prænunciante non solum Matri, sed etiam Josepho, qui erat futurus ejus nutritius.*

Plures Jesus nomine appellati in lege veteri.

5. In veteri Lege quidam etiam hoc eodem nomine sunt appellati, quorum opera temporalem salutem quispiam consequutus esset. Itaque filius Nave appellatus est Jesus, qui Populum Israeliticum ex Ægypti captivitate per Moysem liberatum, suo ductu & consilio, cum Moysi succeſſisset, in promissionis terram traduxit. Idem fuit nomen filio Josedech Sacerdotis, & Syrach, qui Christum Dominum Servatorem nostrum præfigurarunt. Quamobrem D. Thomas loc. cit. ad 2. ait: *Ad secundum dicendum, quod his qui fuerunt ante Christum, potuit convenire hoc nomen Jesus secundum aliquam aliam rationem, puta, quia aliquam corporalem & temporalem salutem attulerunt. Sed secundum rationem spiritualis & universalis salutis hoc nomen proprium est Christo, & secundum hoc dicitur esse nomen novum.* Et S. Bernardus serm. 15. in Cantica num. 8. pag. 23. tom. 1. ita scribit: *Habuit & Judæa quosdam Jesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur.*

Vis, & potestas hujus nominis.

6. Sanctum Jesu nomen omnia ea complectitur nomina, quibus Prophetæ usi sunt, ut venturum Messiam prænunciarent, ideſt Isaias cap. 7. v. 14. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*: & cap. 8. v. 3. *Voca nomen ejus, Accelera: spolia detrahere, Festina prædari*: & cap. 9. v. 6. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis.* Et Zacharias cap. 6. 12. *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Omnia enim nomina hæc, quæ Dei Filio imponenda Prophetæ prænunciarunt, cum ad salutem, cujus Dei Filius nobis auctor futurus erat, aliquo modo referri possint, propterea omnia in nomine Jesu continentur, cui ineſt vis omnis, potestas, causa, & totius nostræ salutis ratio. Itaque D. Paulus ad Philippen. cap. 2. v. 9. ait: *Propter quod & Deus... donavit illi nomen, quod est, super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Et Matthæus cap. 1. v. 20. ubi verba affert, quibus Angelus Josephum per somnium admonuit, *Noli* (inquit) *timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Vid. Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 2. Disput. 15. sect. 2. §. *Tertiam rationem.* Et D. Bernardus Sermone secundo in Circumcisione Domini, commemoratis omnibus hisce nominibus, tandem iis omnibus nomen Jesu contineri ait n. 4. pag. 798. tom. 1. oper. *Magna quidem nomina, sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur? Forte in his omnibus unum illud*

lud invenies, sed expressum quodammodo, & effusum.

Angelus Gabriel ante Christi conceptum, nomen Jesu edidit.

7. S. Lucas ubi narrat, Angelum Beatæ Virgini apparuisse, eique Verbi Incarnationem nunciasse, de imponendo etiam illi nomine mentionem injicit cap. 1. v. 30. *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum*: & cap. 2. v. 21. *Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Cum enim Christus tunc fuerit conceptus, cum B. Virgo respondit, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; & iis B. Mariæ verbis Angeli verba præierint, jure optimo S. Lucas ait, Redemptoris nostri nomen vocatum fuisse ab Angelo, antequam in utero B. Virginis conceptus esset, juxta Cornel. a Lapide in cap. 2. Lucæ. Et D. Bernard. in cit. Serm. 2. verba illa enarrans, *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*, sic ait: *Vocatum est plane, non impositum; nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.*

Festum Nominis Jesu apud Anglos etiamnum celebratur.

8. Ex iis, quæ hactenus diximus, facile quisque videat, in Circumcisionis Festo, Festum quoque Nominis Jesu celebrari: verum quemadmodum etsi Feria quinta in Cœna Domini Festum Corporis Christi celebretur, idem tamen alia die iterat Festum Ecclesia; ita quamvis in Circumcisione Domini Festum Sanctissimi nominis Jesu celebretur, nihilominus, Fidelium postulante pietate, certa quadam & peculiari die idem Festum instauratur; cujus solemnitas adeo præclara est, ut apud Anglos ante hæresim introducta, etiamnum in ejus Gentis Kalendario retineatur; quod testatur Bailletus in Histor. Festi Circumcis.

Tabella S. Bernardini Senensis: in qua depictum nomen Jesus.

9. Magni hujus Festi originem lib. 4. Canonizat. par. 2. cap. 30. a num. 3. ad sextum demonstravimus. Nunc id tantum breviter dicimus, S. Bernardinum Senensem, qui pœnitentiam prædicando Italiam peragrabat, ad contritionem in animis Fidelium excitandam, instituisse, ut, sacra Concione habita, tabella quædam auditorum oculis exponeretur, in qua radiatum Jesu nomen depictum erat, quod cit. loc. pluribus narravimus. Hic unum addimus, quod in Bononiensi Foro cum pictarum chartarum, & talorum ludos vehementer dicendo exagitasset, populo persuasit, ut id genus instrumenta ad se afferrent, quo suam ipsorum pœnitentiam comprobarent. Verum quidam pauperculus opifex, qui ejusmodi chartis pingendis vitam sustentabat, ad eum venit graviter quæstus, se suamque familiam ad famem ea concione redactum esse. Cui S. Bernardinus aliunde prospexit, eo dato consilio, quod refert Sigonius lib. 4. de Episcopis Bononiensibus in vita B. Nicolai Albergati: *Si nescis alia depingere, hanc Imaginem pinge, nec te omnino pigebit: ac circulo facto solem in eo formavit atque in medio nomen Jesu novis quibusdam litterarum formis effinxit: quare nunc etiam sub porticu Boni Jesu cum ipsius Beati effigie cernimus. Quod cum ille fecisset, confluentibus ad emendam Imaginem ex Bernardini auctoritate plurimis, magnas ex ea re pecunias comparavit.*

Tabellæ cultus a S. Joanne a Capistrano vindicatus.

10. Quidam hujusmodi cultui, quem erga sanctissimum nomen Jesu S. Bernardinus instituit, restitere: cumque a Martino V. Pont. Max. qui eam rem, ne quidquam temere fieret, examinari voluit, prohibitus esset eam Tabellam exponere, Apostolico paruit præcepto, teste S. Antonino Histor. par. 3. tit. 44. cap. 5. §. 2. Deinde cum a Pontifice impetrasset, ut de ea controversia, num scilicet cultui Sanctissimi nominis Jesu ad eum modum a se instituto superstitionis quidquam inesset, in Vaticana Basilica solemnis disputatio haberetur; S. Joannes a Capistrano magna animi contentione doctrinæque copia sodalem suum tutatus est, ut non modo Bernardinus omni macula liberaretur, sed cultus SS. nominis Jesu ipso auctore in Tabella cum radiis depicti ab Apostolica Sede probaretur; quod non ii modo, quos attulimus, auctores testantur, sed etiam Damianus Cornejus tom. 4. lib. 4. cap. 10. & 12. & Ayala in Opere a nobis sæpius citato, cui titulus *Pictor Christianus*, lib. 3. in Append. cap. 2.

Officium hujus Festi sub Xisto IV. compositum, a Clemente VII. approbatum pro Franciscana Familia, & ab Innocentio XIII. ad omnem Ecclesiam extensum.

11. Postea vero quam Sanctissimi nominis Jesu cultus, quomodo a S. Bernardino institutus fuerat, ab Apostolica Sede approbatus est, Bernardinus de Busti, qui in Seraphico Ordine Sacri Oratoris laude florebat, nihil ad omnem diligentiam studiumque sibi reliqui fecit, quo Sanctissimum nomen in Ecclesia peculiari Officio celebraretur. Officium itaque a se compositum Xisto IV. & Innoc. VIII. summis Pontificibus obtulit, nec quidquam ab iis potuit impetrare. Tandem Clemens VII. postulationi ejus subscripsit, ut Officium nominis Jesu a Franciscana Familia celebraretur, ut nos loc. cit. fuse docuimus. Quidam vero a Franciscanis Fratribus propagatum quidem hoc Festum, non institutum esse contendunt; ut videre est penes Bolland. tom. 1. Januar. pag. 993. & apud Baillet. loc. cit. Utcumque tamen sit, illud certissimum est, Apostolicam Sedem post Clementem VII. ad multas Ecclesias Officium subinde extendisse. Novissime tandem cum Caroli VI. Imperatoris preces ad Innocentium XIII. essent delatæ, ut Officium illud in universali Ecclesia juberet ab omnibus recitari, diligenti examine re perpensa in Sacra Rituum Congregatione, in qua Nos quoque, qui tum temporis Promotoris Fidei munere fungebamur, nostram voce & scripto sententiam tulimus, tandem die 29. Novembr. ann. 1721. Officium ab Universali Ecclesia secunda post Epiphaniam Dominica celebrandum esse decretum est.

De Sanctissimo nomine Jesus præclara D. Bernardi verba.

12. S. Bernardus cit. serm. 15. n. 6. in Cantic. ubi illud proponitur, *Qualiter nomen Jesus est medicina salubris Fidelibus Christianis in omnibus adversis*, ad ipsius Sanctissimi Nominis venerationem & cultum Fideles excitat. Eam autem propositionem compluribus solidis piisque fulcit rationibus, in hæc præsertim verba: *Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina &c. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, & humilem, corde benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac Sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum Omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium a potente, illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam unde acuam eas; & facio confectionem, cui similem Medicorum nemo facere possit.*

Quædam in eo D. Bernardi loco notanda.

13. Adnotanda verba illa D. Bernardi: *Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum*. Nam Augustinus quoque Confessionem lib. 3. cap. 4. scribit, se antequam ad Catholicæ Ecclesiæ castra veniisset, cum Ciceronis Opera Philosophica

legeret, a terrenis rebus avocatum ad cœlestium rerum contemplatione rapi sensisse. *Et hoc solo in me tanta flagrantia refrigebat, quod Nomen Christi non erat ibi &c. Et quidquid sine hoc Nomine fuisset; quamvis litteratum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.*

Cur Ecclesia non dicat Jesu Christe, ora pro nobis.

14. Adnotanda itidem ea Bernardi verba: *Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium a potente;* quibus probatur formula, qua Ecclesia utitur ad declarandam Christi Divinitatem: *Jesu Christe miserere nobis*, ea explosa, quam nonnulli inducere nitebantur: *Jesu Christe ora pro nobis.* Nam cum nostræ preces terminentur in Christo, qui in Persona Divina subsistit, ejusmodi eas esse oportet, quæ Personam divinam deceant. Divinæ autem Personæ, in qua Christus subsistit, minime convenit orare.

CAPUT IV.

De Dominica Palmarum.

Quid agendum hoc loco in universum?

1. DE Dominica Palmarum, de Quinta, Sexta Feria, & Sabbatho Majoris Hebdomadæ, & Paschate sermonem habebimus, præcedentibus illis tribus Dominicis Quinquagesima, Sexagesima, & Septuagesima, tum etiam Quadragesimali Jejunio omnino prætermissis: nam & de iis, & de Quadragesimali Jejunio jamdiu 14. & 15. nostrorum Edictorum a pag. 80. fuse disseruimus; nec ea, si rem probe inspiciamus, ad id, quod proposuimus, revera pertinent.

De Dominica Palmarum, & quodnam ejus mysterium sit.

2. Itaque ut a Dominica Palmarum exordiamur, qua Domini nostri Jesu Christi Hierosolymam introeuntis solemnis memoria recolitur, præmittendam arbitror ejus rei narrationem ex S. Matthæi cap. 21. Marci cap. 11. Lucæ cap. 19. & Joann. cap. 12. Ea autem est ejusmodi.

Narratio triumphi, quo Christus Jesus ingressus est Hierosolymam.

3. Cum appropinquasset Jesus, & Discipuli ejus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliveti, misit duos ex Discipulis suis, & ait illis: Ite in Castellum, quod contra vos est; & introeuntes illuc invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, super quem nemo adhuc hominum sedit. Solvite illum, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet; & confestim dimittet eos. Et abeuntes invenerunt pullum alligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum. Solventibus autem illis pullum, dixerunt Domini ejus: Cur solvitis pullum? Quia, responderunt, Dominus eo opus habet: & dimiserunt eis pullum. Itaque adduxerunt pullum cum asina ad Jesum; eumque ornantes vestimentis suis, Jesum desuper sedere fecerunt, sicut scriptum est: Noli timere Filia Sion; Ecce rex tuus venit, sedens super pullum asinæ. Et quamquam ad hæc discipuli ejus tunc non animadverterunt; quando tamen Jesus in Cœlum ascendit, & glorificatus est, tunc recordati sunt, hæc propter ipsum facta fuisse, seque ea fecisse quæ fecerint, ut quæ scripta de illo erant, implerentur. Interea plurima turba, quæ ad Festum convenerat, cum audisset Jesum Hierosolymam adventare, cum palmarum ramis obviam ei venit. Multi substernebant vestimenta sua in via: alii autem cædentes arborum ramos, humi spargebant. Cum autem ad radices montis Oliveti perveniisset, cœperunt Discipuli, qui frequentissimi illuc convenerant, abrepti gaudio laudare Deum voce magna propter ea quæ viderant miracula; & tum qui præcedebant, tum qui sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David; Benedictus qui venit in nomine Domini: Et benedictum Regnum David Patris nostri, quod prope est ut constituatur. Pax in Cœlo, & gloria in excelsis. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit ex monumento, & excitavit ad vitam. Nam hoc præsertim miraculo excita multitudo tanta ei obviam venerat. Quidam Pharisæorum dixerunt illi: *Magister increpa discipulos tuos, ut taceant*; *quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Et ut appropinquavit, videns Civitatem flevit super illam dicens: Utinam hoc tam fausto die cognosceres, quæ in tuam felicitatem tibi offeruntur. Verum hei mihi ea abscondita sunt oculis tuis. At veniet tempus tibi adversum, cui inimici tui circumdabunt te vallo, & coangustabunt undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Et cum intrasset Hierosolymam, commota est universa Civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus: Ecce mundus totus post eum abiit. Denique cum intrasset Jesus in Templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit, & non sinebat, quemquam transferre vas, seu supellectilem ullam per Templum, dicens eis: Scriptum est, quia Domus mea Domus orationis vocabitur omnibus gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Quis, & anno Christus Hierosolymam ingressus sit.

4. Disquirenda quædam proponi possunt, quibus uberiorem historiæ sacræ notitiam consequamur. Primum illud est, quo die & anno Christus Jesus Hierusalem introierit. Annum quidem affirmare posse videmur fuisse illum, qui ejus prædicationi ultimus fuit; diem vero fuisse primum hebdomadæ, qui penes nos est dies Dominicus. Id ex Joann. cap. 12. v. 1. eruitur, ubi hæc habentur: *Ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi.* Quo loco postquam retulit Evangelista, Mariam Magdalenam unguento pedes Christi Domini unxisse, & Principes Sacerdotum in eo conspirasse, ut Lazarum interficerent, cujus causa in Christum plures crederent addit: *In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Jesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei.* Itaque venit Jesus Bethaniam ante diem sextum Paschatis, quod eo anno in quintam feriam Hebdomadæ subsequentis cadebat. Cum igitur sex illi dies, qui Paschati antecedebant, fuerint Sabbathum, Dominica, Feria secunda, tertia, quarta, & quinta; cujus quintæ Feriæ vespere Pascha erat celebrandum, necessario inde conficitur, ut cum Jesus in Bethania die Sabbathi constitisset, quo die nefas erat cædere ramos, Dominico die introierit Hierosolymam, unde non plus aberat Bethania, quam duo millia passuum.

Qui fuerint Discipuli, quos misit Jesus, ut asinam ad se adducerent.

5. Secundum est, quinam illi fuerint Discipuli, quos misit Jesus, ut ad se asinam, pullumque adducerent: eorum enim nomina ab Evangelistis omnino silentur. Quidam putant, binos illos Discipulos fuisse Petrum, & Joannem, ea ducti ratione, quod hi, teste Luca cap. 22. præmissi fuerunt, ut pararent Pascha. Verum quod præmissi fuerint, ut curarent Pascha, non inde consequitur, antea missos ut asinam, & asinæ pullum adducerent. Sunt alii, qui suspicantur fuisse Petrum, & Philippum, Hilarii sententiam sequuti; qui cap. 21. in Matthæum col. 712. n. u, putat, ea re utramque vocationem Judæorum.

& Gen-

& Gentium fuisse iudicatam; Philippi enim opera Christi Fidem Samaria est amplexa, & Petrus Cornelium primum ex Gentibus ad Christum convertit: *Æque per Philippum Samaria credidit, per Petrum autem Cornelius Christo, tamquam primitiæ Gentium adductus est*. Sed sit hoc inter incomperta; cum ad rem illustrandam nihil ex Sacris litteris erui possit.

Num Christus asello, & asina, an asello tantum insederit.

6. Tertium est, an Christus Jesus asello tantum, an asello & asinæ in itinere insederit. Et certe Marcus cap. 21. v. 7. testatur asello insedisse: *Duxerunt pullum ad Jesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum*. Consentiunt Lucas cap. 19. *Jactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Jesum*. Et Joannes cap. 12. v. 14. *Invenit Jesus asellum, & sedit super eum*. Unus Matthæus cap. 21. v. 7. utrumque commemorat: *Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*. Divus Hieronymus ad hunc locum observat, haud esse verisimile, in ea itineris brevitate Jesum asino desiluisse, ut in asinam ascenderet: atque credibilius esse, Christum Dominum asino perpetuo insedisse, & asinam vacasse. *Nunc stringendum esse breviter, quod secundum litteram in parvo itineris spatio super utrumque animal sedere non quiverit. Aut enim sedit Asinæ, & Pullus absque sessore fuit; aut si Pullo, quod magis competit, usus est ad sedendum, asina ducta est libera*. Est enim frequens in Scriptura, & apud ipsum Matthæum ejusmodi loquendi modus, quo indefinite pluribus tribuitur, quod nonnisi uni est tribuendum. Istiusmodi est illud Geneseos cap. 8. v. 4. *Requievitque Arca..... super Montes Armeniæ*, idest super unum ex Armeniæ Montibus; illud itidem Geneseos cap. 19. v. 29. *Liberavit Loth de subversione Urbium, in quibus habitaverat*, idest quarum in una habitaverat. Et cap. 23. v. 6. *In electis sepulcris nostri sepeli mortuum tuum:* intellige, in aliquo ex nostris sepulcris, quod tute elegeris. Illud pariter Josue cap. 7. v. 1. *Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathemate:* Acham videlicet Israelita. Et Matthæi cap. 26. v. 8. *Videntes autem Discipuli indignati sunt:* scilicet Judas, qui erat e duodecim Discipulis. Et apud eumdem Matthæum cap. 27. v. 44. *Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi sunt cum eo, improperabant ei*: idest unus ex latronibus. Quamobrem Ecclesia in quadam ex Orationibus, quas adhibet in Distributione, & Processione Palmarum ait: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Jesum Christum super pullum asinæ sedere fecisti*.

Quem Prophetam intelligat D. Matthæus referens oraculum, Dicite Filiæ Sion, &c.

7. Quartum est, Quinam Propheta ille sit, unde verba illa Matthæus depromsit cap. 21. v. 4. & 5. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis*. Cum quo consentit Joannes cap. 12. v. 14., & 15. *Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum; sicut scriptum est: Noli timere Filia Sion; Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ*. Præterea dispiciendum, quo tempore impletum sit illud Christi oraculum apud Lucam cap. 19. v. 41. &c. *Et ut appropinquavit, videns Civitatem flevit super illam dicens, quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*. De lacrymis quas Christus Dominus ea fudit occasione, Dissertationem scripsit Joannes Christianus Artst, quæ continetur in Thesauro Dissertationum in Novum Testamentum tom. 2. pag. 351. ubi ostendit Auctor, eas lacrymas commiserationis, & doloris vi fuisse expressas, quod Hebræis non solum atrocissima omnium, quæ in hac vita sunt, quæque fuerunt, calamitas imminerent, ut mox videbimus, sed etiam futurum esset ut ad æterna dederunt supplicia, propterea quod ex cordis duritia tempus visitationis suæ negligerent. Pulchre etiam Lamy citat. lib. 5. cap. 1. pag. 445. illa verba, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*, ita explicat: *Causa excidii tui erit tempus neglectum oblatæ salutis. Quoties Deus insigne beneficium conferret Judæis, dicebatur visitare plebem suam*.

Oraculum illud desumtum est e Zacharia. Prophetia Christi de excidio Hierosolimitano sub Tito Imperatore impleta.

8. Quod ad primum attinet, Calmetus, Cornelius a Lapide in cap. 21. Matth. & Maldonatus num. 5. putant, duorum huc allata esse verba Prophetarum, Isaiæ cap. 62. & Zachariæ cap. 9. Verum Natalis Alexander ad eumdem Evangelii locum num. 2. contendit, solius Zachariæ textus binos Evangelistas usos, integram retinuisse sententiam verbis quibusdam paululum immutatis. Quod quidem facile intelligi potest, si utriusque Evangelistæ verba cum Zachariæ textu cap. 9. v. 9. conferamus: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*. Quod vero ad secundum attinet, constat inter omnes, Tito Hierosolymam oppugnante, Oraculum illud Christi Domini esse impletum. Nam cum Imperator intellexisset, urbem tum propter ejus amplitudinem, tum propter iniquitatem loci undique cingi militibus non posse, nec ob inopiam lignorum extrui aggerem, aut castella adversus mœnia excitari, consilium suscepit circumducendi murum castellis per intervalla interjectis communitum; ut Judæi, qui omnem spem salutis sibi ademtam intelligerent, & externa auxilia intercluса, aut sese dedere cogerentur, aut fame enecti interirent. Eam expugnationem fuse narrat Josephus de Bello Judaico, & refert etiam Baronius ad ann. Chr. 72. ubi num. 5. postquam murum illum extructum fuisse docuit, ita subjicit: *Sic igitur videas jam divinitus impletum esse, quod illis verbis Dominus prædixerat, dum Hierosolymorum defleret interritum: Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, nempe muro, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt*.

Filium in obsidione Hierusalem mater necavit, ut ejus carnibus famem depelleret. Aliud Christi oraculum impletum.

9. Teterrimum etiam illud contigit, dum obsideretur Hierosolyma, quod Maria Eleazari filia, re omni familiari fortunisque eversa, stimulante fame, in furorem acta lactentem filium necavit, ut ejus carnibus vesceretur, cumque milites, qui cibum sibi quærebant, odore illecti in ejus domum introissent, deprehenso carnis assæ frusto, quam corporis pueri partem compererunt, horribile scelus execrati, inde abierunt. Cujus rei atrocitas cum sui fama civitatem universam complesset, sibi quisque statuens tantam ob oculos dititatem, perinde ac si ipse sceleris auctor esset, cohorruit. Tam immane factum narrat Josephus; & Baronius loc. cit. num. 9. aliud observat impletum fuisse Christi oraculum, de quo Lucas cap. 23. v. 28. &c. Narrat enim Evangelista Jesum Christum, dum sublatas in humeros Cruce, frequentissimo populo stipatus, Calvariæ montem ascenderet, ad fœminas, quæ lacrymis

& gemitibus se prosequebantur, conversum dixisse: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt: Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.*

Alia Christi oracula in excidio Hierosolymæ impleta.

10. Sunt & alia quædam, quæ ad Christi oraculum pertinent de Hierosolymitano excidio. Ea reperies apud Baronium loco citato. Nobis vero innuere satis erit, admirando illo Templo excisso, Urbe a fundamentis eversa, tribus tantummodo turribus, Phaselo, Hippico, & Mariamne servatis, ut apud posteros victoriæ Romanorum essent veluti monumentum, dirutis mœnibus, ea parte excepta, quæ ad Occidentem vergit; omnibusque deletis ædificiis, ut nemo conjicere posset Urbem ibi fuisse, eamque populosissimam, quemadmodum tradit Josephus; & quidem octo & triginta annos post Christi oraculum, impletum fuisse quidquid ille dixit penes Matth. cap. 24. & Marc. cap. 13. & Luc. cap. 21. Nam, & Templum magnificentissimum, cujus structuram Apostoli tanto opere admirabantur, ita dirutum est, ut lapis super lapidem non relinqueretur, etsi ferro & plumbo ad quamdam perpetuitatem immanes illi lapides nexi essent; & urbs, ut modo dixi, eversa; & hæc omnia in illud tempus cecidere, quod a Christo fuerat prænunciatum: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant*, ut habetur apud Luc. cap. 21. v. 32.

Christo Hierosolymam introeunti turbæ vestimenta sua consternere.

11. Jam vero ut reliqua persequamur, quæ ad pleniorem Evangelicæ Historiæ intelligentiam pertinent; quintum est de triumphali Christi Domini nostri ingressu in Hierusalem. Turbæ viam, qua sedenti illi super asellum erat transeundum, vestimentis constravere suis: *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via.* Matth. cap. 21. v. 8. quod quidem est Regiæ potestatis indicium, juxta Judæorum consuetudinem, ut constat ex lib. 4. Reg. cap. 9. v. 3. ubi Jehu Regi narrat Sacer textus ad eumdem modum datam fuisse regni possessionem. *Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem Tribunalis, & cecinerunt tuba: atque dixerunt: Regnavit Jehu.* Id etiam apud Ethnicos factum legimus. Plutarchus enim in Catonis Uticensis vita: *Finito*, inquit, *tempore Provincia abeuntem non votis, & præconiis, sed lacrymis & insatiabili amplexu milites prosequebantur, sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat.*

Ramos itidem palmarum & olivarum.

12. Cæsis arborum ramis turbæ, item ut vestimentis, viam constravere, Matth. loc. cit. *Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via:* Ramos nimirum Palmarum, Olivarumque, quibus Mons Oliveti, per quem Jesus Hierusalem proficiscens transibat, consertissimus erat. Idque ad triumphi celebritatem, splendoremque plurimum conferebat. Ac propterea Levitic. cap. 23. v. 40. in Festo Tabernaculorum, quod mense Septembri agebatur, hæc Deus jubet: *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Et Machab. 1. cap. 13. & 2. cap. 10. legimus, palmas Victoribus in Civitates introeuntibus præferri consuevisse. Narrat Philo, Agrippam frondibus floribusque redimitum Hierosolymam esse ingressum; idemque tradit Josephus de Alexandro. Sed iis similibusque omissis, quæ in hanc rem nullo negotio colligi possent, illud animadvertendum est probe, turbas iisdem gaudii signis Christum Dominum excepisse, quibus Tabernaculorum Festum celebrare consueverant; eosdemque Judæos, qui eo Festo, non modo discessus ex Ægypto memoriam coli existimabant, sed venturi etiam Messiæ contineri præsagium arbitrabantur, rerum a Christo gestarum admiratione captos, illumque tamquam verum Messiam agnoscentes, obviam ei occurrisse, ritusque Festivitatis Tabernaculorum observare voluisse, qui quidem hoc modo præsagii illius fidem confirmarunt.

Acclamationes, quibus turbæ Jesum sunt prosequutæ. Sacerdotes invidia tacti.

13. Postremo Turbæ, quæ illi obviam ierant ramos palmarum manibus gestantes clamabant: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Joann. cap. 12. v. 13. cui consentiunt Matthæus cap. 21. v. 9. *Clamabant dicentes: Hosanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.* Et Marcus cap. 11. v. 9. *Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit Regnum Patris nostri David: Hosanna in excelsis.* Cum ex Monte Oliveti descenderet Jesus, lætabundi Discipuli illum teste Luca cap. 19. v. 37. collaudabant: *Et cum appropinquaret jam ad descensum Montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ Discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini. Pax in Cœlo, & gloria in excelsis.* Postea vero quam ingressus est Hierosolymam, universa commota est Civitas, Hierosolymæ nimirum Cives, ac præsertim Sacerdotes, qui cum audirent acclamationibus, & plausibus exterorum, qui ad Festum confluxerant, ingressum Christi Domini esse celebratum, quasi rerum a Christo gestarum Hierosolymæ omnino fuissent nescii, invidia tacti, ut ejus gloriam obtererent, per contemptum interrogabant: *Quis est hic?* Populus vero ab omni animi ægritudine vacuus simpliciter, & candide respondebat: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ.

De voce Hosanna. Sensus ejus acclamationis.

14. Quæ quidem omnia declarant triumphalem Christi Domini ingressum in Hierusalem. Neque vero prætereundum, vocem Hosanna acclamationem esse, qua Judæi utebantur erga viros de republica optime meritos, & singulari vitæ sanctimonia præclaros, quibus felicitatem, gloriam, & benedictionem adprecabantur. Quapropter voces illæ, *Hosanna Filio David*, acclamationes fuerunt, significationesque lætitiæ & gaudii, quibus populus triumphali illo die Christum Jesum salutavit Messiam David Rege prognatum, lætis illis clamoribus non absimiles, quos arborum ramos manibus tenentes in Festo Tabernaculorum ingeminabant, ut in Psal. 117. vers. 15. Damaso Papæ epist. 15. interroganti Hieronymum, quid sibi vellet *Hosanna*, S. Doctor e fontibus Judæorum illius vocis intelligentiam hausiam explicavit epist. 16. tom. 1. Epistolarum Romanorum Pontificum, quas collegit Constantius. De acclamatione Hosanna Dissertationem conscripsit quidam Winzern, quæ est in tom. 2. Thesauri Dissertationum in Novum Testamentum edit. Amstelodamen. ann. 1702. pag. 164. ubi Auctor de hujus nominis etymologia disputat. Nos tamen contenti satis sumus iis, quæ hac de re scripsit Lamy Harm. Evangelicæ lib. 5. cap. 1. num. 21. pag. 444. Sensum eorum verborum, *Hosanna Filio David*, hunc esse ait: *Jam canamus Hosanna Messiæ, qui filius David est. Jesum pro Messia habemus, & ideo occinamus illi Hosanna, ideſt, serva nos. Quidam Interpretes, ex eo, quod dicatur Hosanna filio David, & non Hosanna Fili David, contendunt non accipiendam vocem Hosanna,*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſanna, quaſi Judæi quærerent a Jeſu, ut illis opitularetur, ſed habendam pro voto, & acclamatione. Sed cum Judæi nullo non tempore Meſſiæ Servatoris adventum expectaſſent, ideoque Diſcipuli poſt Chriſti paſſionem apud Luc. cap. 24. v. 1. dixiſſent: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael*, nemo eſt, quin videat, illos opem ab eo imploraſſe, quem pro Chriſto, & Meſſia habebant; ideoque ſenſus vocis Hoſanna eſſe: *Opitulare quæſo.*

Primis Reipublicæ Hebræorum temporibus equi non adhibiti. Primores viri aſinis & mulis utebantur.

15. Ne cui vero decus illius triumphi, & ornamentum imminutum eſſe videatur, quod Jeſus aſino veheretur, neu quiſquam putet ſibi minime ſatisfactum ab eo, qui dixerit, id ſummæ Chriſti humilitati tribuendum, quam imitatus S. Cœleſtinus V. Siciliæ, & Hungariæ Regibus, Cardinalibus, Proceribuſque fruſtra eum dehortantibus, aſello vectus Aquilam ingredi voluit, dum in ea Civitate Romanæ Sedis poſſeſſionem caperet; teſte Cardinale de Alliaco in ejus Vita lib. 2. cap. 2. ſepoſita etiam Zachariæ Prophetia, docet Calmetus in cap. 21. verſ. 4. Matthæi, pænes Hebræos moris fuiſſe, ut nobiles viri primoreſque non niſi in aſellis equitarent, idque apparet ex Judic. cap. 10. v. 4. ubi triginta filios Jair, qui Judex Hebræorum erat, & Princeps, legimus *ſedentes ſupra triginta pullos aſinarum*: & ex c. 12. v. 14. ubi itidem Scriptura nobis exhibet quadraginta filios Abdon Judicis, Principiſque Iſraelitici populi, Nepoteſque ejus triginta *aſcendentes ſupra ſeptuaginta pullos aſinarum*. Neque enim Deus Hebræorum florente Republica, nec in primorum Regum Regno equorum uſum in ſuo populo probaverat: quare legitur in Pſalm. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus*. Saule regnum adminiſtrante nullus in bello uſus equorum; pedeſtriumque copiarum tantum fit mentio: *Præcepit itaque Saul populo, & recenſuit eos quaſi agnos ducenta millia peditum*. 1. Reg. cap. 15. v. 4. Et David jam ſenex, & multorum, magnorumque Regum, & Gentium, quas perdomuerat, opibus potentiſſimus, cum filium ſuum ſalutari voluit, primoribus Regni præcepit: *Tollite vobiſcum ſervus Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam*. lib. 3. Regum cap. 1. v. 33. Cum vero Salomon ſuſcepiſſet regnum, nimirum etiam equorum uſum introduxit. Nam docet ſacer textus, quadraginta millia equorum eum aluiſſe ad curſum, & duodecim millia ad vecturam. Quia in re Salomonem, quod fuerit ſumtuoſior, peccaſſe obſervant ſacri Interpretes. Conſequuta deinde ſunt tempora Regum Judæ, cum equorum magna vis a Prophetis divino numine atflatis improbata fuit, juxta illud Iſaiæ cap. 2. v. 8. *Repleta eſt terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus*. Et paulo poſt: *Et repleta eſt terra ejus idolis, opus manuum ſuarum adoraverunt*. Sed Judæi, rituum ſuorum tenaciſſima natio, etiam poſt captivitatem Babylonicam equorum uſu fere ſemper abſtinuere. Quapropter cum Machabæus, ejuſque fratres bellum gererent adverſus Syriæ Reges, raro legimus equos adhibuiſſe. Ex quo intelligimus, Judæos non equis uti ſolitos, ſed aſellis, muliſve inequitaſſe, ut optime obſervavit Ayala in opere, *Pictor Chriſtianus*, lib. 5. cap. 5. num. 9. *Quod ſi ita ſe geſſerunt etiam in præliis, ubi pro aris avitaque religione decertabatur, quid putas fecerint in pace degentes iidem non militet, ſed populares? Quid religionis obſervantiores, & qui eam zelo ardentiore curabant?* Paulo ante diximus, non tantiſper Zachariæ prophetiam ſeponere, de qua ſupra loquuti ſumus num. 8. Ea vero vel ipſorum Judæorum ſententia de Meſſia intelligenda eſt. Verba Rabbi Salomonis hæc ſunt: *Locus iſte non poteſt exponi de ullo alio, quam de Meſſia, quia de eo dicitur: Et dominabitur a mari uſque ad mare. Neque ullum reperimus Templi ſecundi tempore, qui, ut iſte, in juſtitia regnaverit*. Et quamquam docet Grotius, prima fronte Zachariæ prophetiam intelligi poſſe de Zorobabele; ipſa tamen Hiſtoria, qua proditum eſt Zorobabelem, cum Propheta ſcripſit, Hieroſolymam jam veniſſe, concidit Grotii doctrina, qui a Sagittario pluribus aliis argumentis confutatus eſt Harmon. Paſſionis Domini par. 1. cap. 4. num. 47. Nec pluris facienda eſt etiam alia quorumdam Interpretum illius Prophetiæ explicatio de Juda Machabæo. Rex enim numquam ſalutatus eſt Judas, quemadmodum neque Zorobabel, nec qui poſt eum Machabæi regia potiti ſunt dignitate, e David erant prognati, ut obſervavit Lamy lib. 5. cap. 1. Harm. Evang. §. *Hoc autem totum factum eſt*. Addit etiam a Propheta virum deſcribi pauperem, *ipſe pauper*, quod neque de Juda Machabæo, nec de Zorobabele poteſt intelligi, qui potens opibus erat, Templumque ædificavit; Evangeliſtas autem ea Prophetia appoſite uſos eſſe, quo Judæi, qui Chriſtum Jeſum, quod neque viribus armiſque inſtructus, nec opibus eſſet conſpicuus, contemnebant, pauperem futurum fuiſſe Meſſiam, & pauperis ſpeciem allaturum, juxta ipſa Prophetæ verba, intelligerent.

Proceſſio in Dominica Palmarum in memoriam triumphalis Chriſti ingreſſus in Hieruſalem.

16. Triumphalem igitur Chriſti Domini ingreſſum in Hieruſalem in Palmarum, Olivarumque benedictione, & in hujus diei Proceſſione nobis proponit Eccleſia. Sacræ Solemnitatis initium ſumitur ab illis verbis, *Hoſanna Filio David &c.* Cantatur Evangelium S. Matthæi a nobis ſupra commemoratum; deinde Sacerdos Deum orat, ut quemadmodum fidelis Populus veſtimentis, Palmarumque ramis viam conſtravit, ita nobis detur, unde Fidei viam paremus, a qua ſublato omni lapide, & ſcandalo, in juſtitiæ ramis opera noſtra frondeſcant. Palmæ deinde populo diſtribuuntur, & fit Proceſſio, in qua cantantur Antiphonæ & Orationes, quæ omnes ad triumphalem Domini Jeſu ingreſſum in Hieruſalem pertinent. Prodit ex Eccleſia Proceſſio: duo, quatuorve Cantores in eam ingreſſi clauſo oſtio, & ad Proceſſionem, quæ forinſecus eſt, facie converſa, primos duos verſus canunt ex Hymno *Gloria, laus, & honor &c.* quos ingeminat Sacerdos, cæterique qui foris ſunt. Deinde qui intus ſunt, reliquos verſus, ſive omnes, ſeu partem canunt: Subdiaconus Crucis haſta pulſat oſtium, quo aperto, Proceſſio Eccleſiam ingreditur cantans: *Ingrediente Domino in ſanctam Civitatem, Hebræorum pueri Reſurrectionem vitæ prænunciantes, cum ramis Palmarum Hoſanna clamabant in Excelſis*; & quæ ſequuntur. Tandem celebratus Miſſa, nec rami Palmarum, vel Olivarum in manibus tenentur, niſi cum cantatur Paſſio, & Evangelium.

Pulcra Ivonis Carnotenſis verba de ea Proceſſione, Iſidori de Palmis & Aſello.

17. De ea Proceſſione in hunc modum loquitur Ivo Carnotenſis ſerm. in Ramis Palmarum: *Hominem humilem ſuper Aſinam & Pullum viderunt* (Hieroſolymitani) *& tamen triumphalem ei gloriam ramos arborum portando, & per viam ſternendo exhibuerunt, laudes ei imperiales cecinerunt, quia præſago ſpiritu eum triumphatorem Diaboli & mortis, & vitæ largitorem cognoverunt. Hujus turbæ, cariſſimi Fratres, formam repræſentatis, cum virentes ramos arborum poſt vexillum ſanctæ Crucis in manibus portatis. Et bene repræſentatis, ſi quod virore ſignatur in manibus, ſemper teneatur in moribus; ſi non hieme decidat, ſi non æſta-*

te

te marceſcat, ut dicere poſſitis cum Pſalmiſta: Benedicam Domino in omni tempore; ſemper laus ejus in ore meo. Et egregie Iſidorus de Officiis Eccleſiaſticis lib. 1. cap. 27. *In ramis enim*, inquit, *palmarum ſignificabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & tropheo Crucis de Diabolo mortis Principe triumphaturus. In aſello autem, ſuper quem ſedendo Hieroſolymam venit, indicabat ſimplicia corda Gentilitatis, quæ præſidendo, atque regendo perducebat ad viſionem pacis.*

Quis auctor illius Hymni: Gloria, laus, & honor.

18. Hymnus ille *Gloria, laus, & honor*, qui cantatur, poſtquam ad Eccleſiæ oſtium Proceſſio pervenerit, a puibuſdam tribuitur Theodulpho Abbati Floriacenſi, qui poſtea fuit Epiſcopus Aurelianenſis ſeculo nono. Andegavis detentum in vinculis, quod cum filiis Ludovici Pii in illum Imperatorem conjuraſſet, ferunt illum hymnum a ſe compoſitum ceciniſſe, cum Imperator in palmarum Proceſſione ſecus carcerem præteriret; carmenque adeo illi fuiſſe probatum, ut veniam & libertatem Auctori impetraverit, eumque in priſtini Principis gratiam reduxerit. Vide Baron. ad ann. Chr. 835. num. 3. & 4. Fleury Hiſtor. Eccl. tom. 10. lib. 46. pag. 205. edit. Pariſien. ann. 1717. Durandum lib. 6. cap. 67. Gavantum ad Rubricas Miſſalis Romani par. 4. tit. 4. in Notis §. 16. Eruditi quidam viri nonnihil ea in re difficultatis repererunt. Quod enim Andegavis id contigiſſe dicatur Dominica Palmarum anno 818. videtur ſuſtineri non poſſe, quod Imperator illa die ab ea urbe abeſſet. Præterea Alcuinus de Divinis Officiis lib. 1. cap. 14. mentionem injicit ejus hymni; cumque opus illud ſuum anno 778. conſcripſerit, inde inferunt, Theodulphum neque illius hymni auctorem eſſe, neque illum ea occaſione ceciniſſe. Atque ita diſputat Menardus in Notis ad lib. Sacramentorum S. Gregorii pag. 56. Belloite in obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis pag. 785. Macrus in notitia vocabulorum Eccleſiaſticorum verbo *Palmarum Feſtum*, & Sarnellus Epiſcopus Vigilienſis Epiſtolar. Eccleſiaſt. tom. 9. Epiſt. 16. Sed tamen hac in re duo ſunt: primum eſt, Theodulphum hymni eſſe auctorem: alterum, ceciniſſe carmen illud Imperatore prope carcerem tranſeunte, ipſumque propterea e vinculis dimiſſum. Cum autem duo hæc ita nexa non ſint, ut unius veritas ab alterius veritate pendeat, nihil profecto cauſæ eſt, cur a communi ſententia recedamus, quæ auctoritate fulcitur gravis Scriptoris Lupi Ferrarienſis Epiſt. 20. ut optime rem hanc expendit Martene De Antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis in Dominica Palmarum cap. 20. num. 13. & Bailletus Hiſtoria feſti hujus Dominicæ num. 4. Quod autem Alcuinus Theodulpho præmortuus in Opere de Divinis Officiis illius hymni mentionem fecerit, id ſane nihil eſt, cum pæne omnium doctorum virorum conſenſu Opus illud, quod ſub Alcuini nomine circumfertur, ab aliquo undecimi ſæculi Scriptore compoſitum ſit.

19. Oſtium deinde Eccleſiæ, ut diximus, aperitur, quod antea erat occluſum, *ut hinc intelligamus clauſum fuiſſe hominibus cœlum Adamo peccante, nec niſi Chriſti morte fuiſſe reſeratum*: verba ſunt Amati Pouget in Inſtitutionib. Catholicis tom. 1. par. 2. ſect. 4. cap. 2. §. 9.

Quid ſignificet in ea Proceſſione oſtium Eccleſiæ occluſum, deinde reſeratum. Ritus benedicendi Palmas olim ſæculo longe vetuſtior.

20. Affirmat Martene ſatis audacter citat. c. 20. num. 2. nullum hujus ritus benedicendi Palmas reperiri veſtigium ante octavum nonumve ſæculum. Cui ſententiæ magnam adfirmare fidem videtur Kalendarium Romanum octavi ſæculi a Frontone editum, ubi ſermo quidem fit de hac Dominica, ſed de Palmarum benedictione omnino ſiletur. Verum eruditus vir P. Meratus Clericus Regularis, & Sacr. Rituum Congregationis Conſultor 2. par. tom. 1. pag. 1004. plura affert validiſſima argumenta, quibus illius ritus vetuſtarem evincit. Profert enim antiquiſſimum Romanæ Eccleſiæ Kalendarium ſub quarti ſæculi finem, aut initio quinti ſcriptum, a Martene editum ad calcem anecdotorum, ubi legitur: *Dominica ad Palmas ad S. Joannem in Lateranis.* Affert & Sacramentarium S. Gelaſii, in quo hujus Dominicæ titulus eſt ejuſmodi, *Dominica in Palmas de Paſſione Domini.* Item Sacramentarium S. Gregorii Magni a Menardo editum, ubi in Oratione, quæ communionem præcedit, expreſſis verbis mentio fit Fidelis Populi, qui ea die aderat cum frondibus & ramis palmarum. Et quamvis Grancolas Commentar. Hiſtoric. ad Breviar. Rom. lib. 2. c. 53. ſuſpicetur, eam orationem Sacramentario S. Gregorii poſterioribus temporibus additam; tamen cum ea reperiatur in Codice Sacramentarii vetuſtiſſimo ante octingentos annos ſcripto e Bibliotheca Chriſtianæ Svetorum Reginæ, quem Codicem vidit, & diligenter inſpexit Venerabilis Cardinalis Thomaſius, non octavo, vel nono ſæculo Ritus benedicendi palmas tribuendus videtur, ſed longe vetuſtior exiſtimandus.

De ritibus, qui olim in hac Dominica ſervabantur, nunc autem obſoleverunt. Catechumenis Competentibus integrum explicabatur Symbolum.

21. Plures in hac Dominica juxta veterem diſciplinam ritus erant, qui nunc deſerti obſolvere. Catechumenorum quidam Competentes appellati: hi Chriſtiana doctrina inſtructi petebant ſacro Baptiſmate ablui; tempuſque expectabant, quo illud Sacramentum conferri ſolitum eſſet: Baptiſmus autem, ut alibi docebimus, Sabbatho ante Dominicam Reſurrectionis ſolemni ritu conferebatur. Quamobrem Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis cap. 12. num. 15. col. 525. tom. 6. oper. *Paſcha*, inquit, *jam propinquabat, dedit nomen inter aliot Competentes.* Et S. Iſidorus lib. 7. orig. cap. 14. verbum illud *Competentes* explicans ait: *Competens vocatur, qui poſt inſtructionem Fidei competit gratiam Chriſti, unde & a petendo Competens vocatur.* Cum quo contentit Auctor de Divinis Officiis, qui liber Alcuino vulgo adſcribitur pag. 53. *Paſcha petitum, ſive Competentium dicitur, quia hodie Symbolum Competentibus tradebatur propter confinem Dominicæ Paſchæ ſolemnitatem, ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam feſtinant, fidem quam confitentur cognoſcant. Competentes enim quaſi ſimul petentes dicuntur, ideſt gratiam Chriſti petentes.* Atque huic generi Catechumenorum, qui *Competentes* nominabantur, licebat manere in Eccleſia lecto Miſſæ Evangelio; unde alii Catechumeni arcebantur, ut Symbolum audirent, & Fidelium oblationi intereſſent: tamen, ſimul ac Canon inciperet, illico abibant, ut videre eſt in ordine Romano. His ipſis Competentibus Symbolum, quod per partes aliis diebus, qui ſcrutinii dies dicebantur, explicatum fuerat, univerſum integrumque hac Dominica exponebatur. Inde frequens huic Dominicæ nomen: *Paſcha petitum, ſive Competentium.*

Caput infantibus baptizandis Sabbatho Sancto, in hac Dominica abluebatur.

22. Cum Sabbatho Sancto infantes quoque baptizentur, iis, qui Baptiſmate abluendi eſſent, caput hac dominica lavari mos erat; ut mundum caput præberent ſacro oleo, quo in Baptiſmo eſſent ungendi. Nam in Quadrageſima, quemadmodum etiam quavis alia jejunii die, ab omni cujuſcemodi ablutione prohibebantur. Quamobrem interdum hæc Dominica appellatur *Capitalavium*, ut obſervat Gavantus ad Rubric. Miſſalis Rom. part. 4. Tit. 7. *de Dominica de Paſſione*, & *de Hebdomada Majori* num. 6. Idque confirmatur ex S. Iſidoro lib. 1. de Divinis officiis Cap. 27. ubi ait: *Tunc* (in hac ſcilicet Dominica) *moris eſt lavan-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lavandi capita Infantum, qui ungendi sunt, ne forte observatione Quadragesimæ sordidata ad unctionem accederent. In quarumdam Civitatum Ecclesiis in more positum erat, ut in Processione Crux nuda & detecta præferretur; in aliis veluti in triumphi pompa sacer Evangeliorum liber, in quibusdam etiam sanctissima Eucharistia gestaretur. Vid. Martene cit. cap. 20. num. 9. & sequent. Baillet. Histor. Festi hujus diei n. 4. & Mabillon. Musei Italic. tom. 2. in Comment. ad Ordinem Roman. pag. 66. edit. Parisien. ann. 1724.

Orientalium ritus in Dominica Palmarum.

23. Eruditus vir Jacobus Goarius in Notis ad Eucholog. Græcorum pag. 745. ritum accuratissime exponit, quo Ecclesia Orientalis celebrat hujus diei solemnia. Et Macrus loc. cit. narrat, Maronitis illud moris esse, ut in Ecclesia integram Olivæ arborem illuc illatam statuant; eamque benedictam ei, qui eleemosynæ nomine plus offerat, adjudicent. Ille autem, qui arboris dominus factus fuerit, in Processione Olivam, & suum ipsius filium, seu quemvis alium puerum arbori impositum, a cognatis & affinibus adjutus, inter lætas acclamationes gestat erectam. Ac deinde, absoluta Processione, omnes impetum in arborem faciunt, & ramusculum sibi quisque revellit, ut suæ pietati, ac devotioni satisfaciat. Gretserus tom. 5. suorum Operum nuperrime edit. lib. 1. de sacris Processionibus cap. 18. scribit de solemni Processione, quæ Dominica Palmarum fit Hierosolymæ. Accuratior tamen ejus Processionis descriptio habetur apud Quaresmium elucidat. Terræ Sanctæ lib. 4. cap. 11. tom. 2. ubi narrat, Antistitem, impositis asello vestibus, illo inequitantem e Monte Olivarum venire, & Hierosolymam ingredi, cui occurrunt alii Ecclesiastici cæterique Fideles, qui viam sanis palliis, herbis, & floribus sternunt: quæ cæremonia magna celebratur pompa in oculis infidelium, & Christiani nominis hostium, qui eam peragi patiuntur, quod nimia siccitate olim arescentes agros uberrima pluvia Deus recreaverit post Processionem, qua Guardianus, & Fratres Terræ Sanctæ a Deo pluviam illam imploraverant, ut videre est ibidem cap. 12.

Romani Pontifices in hac Dominica eleemosynam largiebantur.

24. Sed huic sermoni nostro de Dominica Palmarum, deque iis ritibus, qui in ea quondam reservabantur, nunc autem obsoleverunt, antequam finem imponamus, observandum putamus, quod in libro Sacramentorum S. Gregorii edito a Pamelio tom. 2. pag. 105. & 244. adnotatum legimus, Papam in Sabbatho, quod Dominicam Palmarum præcedit, eleemosynam largiri solitum: *Sabbathum vacat: Dominus Papa eleemosynam facit.* Aliis quoque diebus Romani Pontifices eleemosynas dispertiebant, ut apparet in vita Zachariæ Pontificis apud Anastasium tom. 4. sect. 226. pag. 222. in qua legitur, constituisse illum Pontificem *crebris diebus alimentorum sumptus, qui & eleemosyna usque nunc appellatur; de Venerabili Patriarchio a paracellariis pauperibus, & peregrinis, qui ad Beatum Petrum morantur, deportari, eisque erogari, nec non & omnibus inopibus, & infirmis per universas Regiones istius Romanæ Urbis constitutis.* Sed quæ hoc Sabbatho distribuebatur, multo erat largior in Magdalenæ memoriam, quæ libra unguenti accepta Christi Domini unxit pedes. Quamobrem in allato Alcuini libro pag. 52. ex Collectione complurium Auctorum, qui de Ecclesiasticis Officiis scripserunt, edita Coloniæ anno 1568. leguntur hæc verba: *Unde Apostolicus vir in memoriam devotissimæ mulieris, membris Christi hodie facit, quod ipsa fecit Capiti; & ideo a statione publica vacat; non tamen a celebratione Missæ, quia huic negotio insistit.* De ea eleemosyna meminit etiam Martene cap. 19. num. 28. ubi auctoritatem affert Grimoldi Abbatis, qui in Præfatione libri Sacramentorum a Pamelio editi ait, Papam ea die Stationi adesse non consuevisse, ut superioribus diebus, ut otium sibi esset, quo egenis eleemosynam distribueret. De eadem re loquitur etiam Mabillon. loc. cit. pag. 64.

De fermento, quod Sabbatho ante hanc Dominicam Palmarum dispertiebat Romanus Pontifex.

25. Hoc eodem Sabbatho ante Dominicam Palmarum in Kalendario edito a Frontone pag. 160. legitur, fermentum dari solitum esse: *Sabbatho datur fermentum in Consistorio Lateranensi.* Fermentum illud, quod Sabbatho ante Dominicam Palmarum in Consistorio Lateranensi Pontifex dispertiebat, quid tandem sit, magna est inter sacrarum antiquitatum cultores controversia. Quantum in his rebus valeret Venerabilis Cardinalis Thomasii singularis, & summa doctrina, qui nesciat puto esse neminem. Ea de re vir magnus a Joanne Ciampino studiis, editisque pluribus operibus celebri viro rogatus, ut si quid sibi esset exploratum, expromeret, respondit: in more fuisse, ut singulis Dominicis fermentum, scilicet Sacramentum Corporis Christi Romanus Pontifex mitteret Titulorum Urbis Presbyteris, idest Parochis Urbis, quod ab ipsis Missam celebrantibus sumebatur. Episcopi vero Suburbicarii Romano Pontifici proxime subjecti tamquam Metropolitano, appetente Paschate, Romam suos mittebant Acolythos, qui acceptum fermentum ad se afferrent. Neque tamen id ab omnibus factitatum Episcopis Metropoliticæ jurisdictioni Pontificis Romani subjectis, puta ab Episcopis Apuliæ, Calabriæ, Aprutii, Siciliæ, & Corsicæ, sed ab Episcopis Romæ vicinioribus, qui fermentum, seu Eucharistiam intra octo dies absumerent, ne species corrumperentur. Et quamquam Romanus Pontifex Dominica Palmarum Missam celebrabat, &, ut mos erat, Romanis Presbyteris mittebat eadem die fermentum; tamen ut Episcoporum commodo, qui longius abessent, consuleretur, præcedenti Sabbatho tempus ejusmodi distributionis antecapere solebat, quo Episcopis, qui in Pascatis die coram Papa Eucharistiam sumere non possent, saltem copia, & facultas esset Sacramentum sumendi, quod sibi a Pontifice missum esset. Videatur Card. Thomasii Epistola ea de re ad Ciampinum scripta, quam idem Ciampinus edidit in suo Opere *De perpetuo Azymorum usu* cap. 9. pag. 214. & sequentib. & Martene loc. citat. num. 27. Narrat Mabillonius in Museo Italico tom. 1. pag. 132. se cum Cardinalis Thomasio, qui tum temporis Clericus erat Regularis, sermonem habuisse de significatione vocis *Fermenti*, & cum eo statuisse, nihil aliud fuisse fermentum, quam Eucharistiam. Idem confirmat in Analectis tom. 4. pag. 60. & in Commentariis ad Ordinem Romanum cap. 6. pag. 38. ubi exponit, quæ in primo Ordine Romano peragenda præscribuntur in Missa, quæ in aliqua Ecclesia, ubi esset Statio, ab Episcopo celebraretur; quo in loco jubetur Subdiaconus tradere Archidiacono Fermenti particulam, quod a Papa consecratum fuit, ut Episcopus dicens, *Pax Domini sit semper vobiscum*, illam immittat in calicem. Eumdem significatum huic voci *fermentum* tribuunt idem Auctor in Dissertatione de Azymo, & fermentato cap. 10. Pagius Senior Critic. ad Annales Baronii ad annum 313. num. 18. Pagius junior in vita Innocentii I. num. 8. & Scriptor Anonymus in *Delectu Actorum Ecclesiæ universalis* tom. 2. pag. 180. & 181. Neque tamen inde quisquam arguere posset, quod non nemo suspicari visus est, Presbyteros in Missa tunc panem non consecrasse,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

se, sed panem a Pontifice consecratum comedisse, cæterisque, qui communicare vellent, prebuisse. Panem enim Presbyteri consecrabant, quem una cum Eucharistia sibi a Romano Pontifice missa distribuebant, ut observat Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 23. num. 17. Illud quoque perperam infertur, non azymum, sed fermentatum panem consecrari consuevisse, ut bene advertit Petrus Constantius tom. 1. Epist. Roman. Pontificum pag. 859. *Neque verendum, ne hac postrema intelligentia eorum juvetur opinio, qui Eucharistiam ex fermentato pane olim in Ecclesia Latina confectam putant. Valde enim leve est, quod inde in opinionis hujus gratiam deducitur argumentum. Quippe venerandum illud Sacramentum pro illorum temporum consuetudine, qua sacræ rei arcanum profanis tegere affectabant, cum ad Ecclesias mitteretur, appositè vocatum est fermentum, ut, quemadmodum fermentum in farinam immissum, eique commixtum totam conglutinat, ita eis quoddam unitionis, atque communionis mutuæ vinculum esse significaretur.* Fulbertus Carnotensis in Epistola ad Pinardum, seu Finardum narrat, morem illum fuisse, ut novus Sacerdos ab Episcopo ordinatus ab ejus manibus Hostiam acciperet, quam in plures divisam particulas per quadraginta dies, qui Ordinationem consequerentur, absumeret in memoriam quadraginta dierum, quibus Christus suscitatus a mortuis, antequam in Cœlum ascenderet, Apostolis manifestus apparuit; quæ quidem non universalis Ecclesiæ, sed peculiaris fuit Provinciæ disciplina. Videatur Claudius Espencæus lib. 2. de Eucharistiæ adoratione cap. 14. Atque ea super re dicendum omnino videtur, quod juxta Cardinalis Bonæ sententiam paulo ante attulimus, novos nempe Sacerdotes per quadraginta illos dies Missam celebrasse, & consecrasse panem, quem una cum particula Hostiæ ab Episcopo sibi traditæ in Ordinatione sumerent.

Duo in hebdomada jejunia indicta, Quarta, & Sexta feria ob proditionem Judæ, & Christi mortem.

26. Nunc vero, si quem ipsi nobis præscripsimus ordinem sequi velimus, de Feria quinta majoris Hebdomadæ agendum est. Verum plura de Feria quarta opus est dicere, antequam de Feria quinta sermonem instituamus. Nam ea die post prandium cantantur in Ecclesia Matutinum, & Laudes Feriæ quintæ; & Feria quinta post prandium pariter Matutinum, & Laudes Feriæ sextæ? & Feria sexta denique itidem post prandium Matutinum, & Laudes Sabbathi Sancti. Nec illud prætereundum, scelestum Judam feria quarta de venditione, & proditione Christi Domini egisse, quam ob causam primis Ecclesiæ temporibus duo in hebdomada jejunia erant indicta; alterum Feria quarta, ob eam rationem, quam modo attulimus; Feria sexta alterum, in mortis Jesu Christi memoriam, ut testatur D. Augustinus Epist. ad Casul. aliique complures, quos refert Baronius ad annum Chr. 34. §. 168.

CAPUT V.

De Matutinis Tenebrarum, quæ Quarta, Quinta, & Sexta Feria Vesperi recitantur.

De tribus Matutinis Tenebrarum, ac præcipue de Lectionibus ex Threnis Hieremiæ.

1. AD ea igitur Officia, quæ his diebus recitantur, quæque Officia Tenebrarum appellari solent, sermonem convertimus. In iis id unum Ecclesia videtur tantummodo studuisse, ut suum mœrorem, luctumque, doloriſque sui sensus omnino significaret. Non a suavibus illis invocationibus Officium incipit, quibus Deum orat, ut canendis ejus laudibus labia sibi aperiat. Nullum in iis invitatorium: psalmi hymno illo *Gloria Patri* carent omnes: nulli hymni, non benedictiones, non capitula; ut rerum omnium oblitam Ecclesiam, & ab omni alia cogitatione avocatam, in eo tantum versari merito dixeris, ut de peccatis humani generis ingemiscat, & Christi Redemptoris cruciatibus illacrymetur. In Matutino Feriæ Quintæ primi Nocturni lectiones sunt ex Threnis Hieremiæ, quibus Propheta Hierosolymæ deflet excidium, multoque gravius super sceleribus, quibus Deum Civitas illa irritaverat, ingemiscit. In Matutino Feriæ sextæ, in primi itidem Nocturni lectionibus excisam Hierosolymam deflet, cujus ruinis, Synagoga disjecta, sancta Ecclesia nostra inædificata fuit: in tertia autem lectione de suo statu præsertim Propheta conqueritur, & in iis animi angustiis Redemptoris nostri dolores exprimit; nam in altam fossam, veluti seductor, dejectus fuerat, ut in ea, ope omni destitutus interiret. In Matutino denique Sabbathi Sancti lectione prima Hieremias miserrimi hominis exprimit formam, qui in solitudine dolet, sed tacitus dolet, erectoque animo spem omnem in Dei auxilio, & ope reponit. Cujusmodi hominis, Servatoris nostri, ejusque invictæ patientiæ, & mirificæ mansuetudinis exemplar videmus expressum. In duabus quæ sequuntur ejusdem Nocturni lectionibus, excisum, dirutumque Templum, Patriam misere eversam, extremamque rerum omnium deflet inopiam, qua florentes olim, & beati ejus Cives tunc temporis premebantur: ea porro de afflictis, perditisque Gentis suæ rebus querela perfunctus, suas ad Deum preces convertit, ut tot mala perpessam gentem, tandem placatus recipiat in gratiam, ejusque angores, & contumelias respiciat. Hoc tempore, quo hæc officia recitantur, magnum ante Altare ponitur Candelabrum, cujus figura est ad formam trianguli. Plures illi candelæ accensæ imponuntur, quarum singulæ singulis expletis Psalmis extinguuntur; una tantum excepta, quæ sub Altare accensa occultatur, post Canticum *Benedictus* paullulum obstrepitur: deinde producta, quæ sub Altari latebat, candela, surgunt omnes, ac taciti abeunt, ut videre est in Cæremoniali Episcoporum lib. 2. c. 22.

Olim hæc officia nocte cantabantur. De vocibus filie Aleph, Beth in Threnis Hieremiæ. Versus refellitur.

2. Magnam profecto reprehensionem non effugeret, qui Ecclesiæ addictus nesciret, primis Ecclesiæ temporibus Christianos solitos fuisse nocte intempesta surgere ad psallendum; quam consuetudinem ab omni Fidelium multitudine tunc temporis servatam, quidam tantummodo Ecclesiasticorum, & Religiosorum Ordines retinuerunt. Multæ causæ extitere, quibus illiusmodi pervigilia nocturna sublata sunt; cujus mori veluti quædam umbra etiamnum extat in Matutinis horum dierum, quæ post solis occasum absolvi solent, ac propterea dicuntur Matutina Tenebrarum. In vetustissimo quodam Ordine Romano, ex iis primo qui a Mabillonio editi sunt in Museo Italico cap. 5. pag. 19. tom. 2. præscribitur, ut his diebus cantetur Matutinum media nocte: *Media nocte surgendum est.* Verum multa ante sæcula mos introductus, exemplo etiam Romanæ Ecclesiæ præeunte, ut ea Matutina cantentur post prandium, ut apparet ex Ordine Romano Jacobi Cajetani cap. 82. & apud Petrum Amelium cap. 62. pag. 480. ubi præscribitur, *in die Mercurii de sero hora competenti Dominus Papa veniat ad officium Matutinarum cum Chlamyde de Scarletto cum Capuceo extenso super fronte, non replicato, & sine Mitra.* De Invitatorio, de Hymnis, de Lectionibus, de Capitulis, de Benedictionibus, si quis scire cupiat eorum originem & usum, quatenus spectant ad Officia Divina, adeat

Car-

Cardinalem Bonam in tractatu de Divina Psalmodia cap. 16. Nos illud hic tantummodo observabimus, in Lamentationibus ex Hieremiæ Threnis delumptis, quæ in primis Nocturnis pressis, & flebilibus modis concinuntur, voces illas occurrere Aleph, Beth, Ghimel, quod acrostichide compositæ, primæ strophorum omnium litteræ fervent Alphabeti Hebraici ordinem. Ordo hic in versione Threnorum in alium ex Hebraico sermonem cum minime retineri potuerit, Ecclesiæ placuit, ut sua cuique strophæ initialis littera Hebraica præmittatur, ut optime observat eruditus vir Alexander Mazzinellus studiis in Seminario Montis Falisci olim Præfectus in officio Hebdomadæ Maioris pag. 94. & pag. 365. Quod injuria improbat Vertus in Explicat. Cæremon. Ecclesiæ tom. 4. pag. 431. qui audacter negat, eas canendas esse voces, quæ nihil aliud sint, quam figla quædam, & numeri, qui versus distinguant. Cum enim propter eam, quam modo attulimus rationem in Lamentationibus retentæ sint, nil causæ est, quin & recitentur, dum recitamus Lamentationes, & concinantur cum Lamentationes concinimus.

Ratio cur, singulisqui-usque psalmis expletis, lumina singula extinguantur.

3. De luminibus in cujusque Psalmi fine extinguendis loquitur Amalarius Fortunatus lib. 4. de Ecclesiasticis Officiis cap. 22. *Illuminatur nostra Ecclesia vigintiquatuor luminibus, & per singula Cantica, in quibus non oportet exultare, decidimus mœstitia, quia verus Sol noster occubuit, & sic quasi per singulas horas defectus Solis augetur usque ad plenam extinctionem. Hoc enim fit ter, quia triduo recolitur Sepultura Domini.* Et lib. de Ordine Antiphonarii cap. 44. ait, consuetudinem fuisse in Ecclesia, ut Feria Quinta, & Sexta, & Sabbatho Majoris Hebdomadæ lumina extinguerentur, rogatumque a se Theodorum Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum respondisse: *Soleo esse cum Apostolico in Lateranis, quando Officium celebratur de Cœna Domini. Nihil enim ibi in eadem nocte observatur de extinctione luminum. In feria sexta nullum lumen habetur Lampadum, sive Cereorum in Ecclesia in Hierusalem, quamdiu Dominus Apostolicus ibi orationes solemnes facit, aut quamdiu Crux salutatur.* Quæ verba si ita intelligenda sint, ut in Matutino Feriæ Quintæ in Cœna Domini nulla tunc esset in Capella Papæ extinguendorum luminum in fine cujusque Psalmi consuetudo; certissimum tamen est, eamdem, quæ in aliis Ecclesiis obtinet, etiam in Capella Papæ esse hoc tempore consuetudinem, ut habetur in Cæremoniali Romano, quod tribuitur Marcello Archiepiscopo Corcyrensi lib. 2. cap. 42. *Ponitur Candelabrum in superiore parte triangulari aptum pro quindecim Candelis unius libræ pro qualibet &c. Ad finem cujuslibet Psalmi tam in Matutinis, quam in Laudibus Cæremoniarius facta reverentia Papæ accedit ad Candelabrum quindecim Candelarum, & extinguit unam ex Candelis &c. Cum incipitur Benedictus, Papa surgit stans detecto capite versus ad Altare. Remanet una Candela super Candelabrum. Interim extinguuntur per Cæremoniarium Candelæ supra Altare paulatim, qui ita dispensat tempus, ut in ultimo versu extinguat ultimam Candelam &c. Finita Oratione Cæremoniarius incipit pulsare manibus super gradum Altaris, vel aliquod scabellum, & omnes faciunt fragorem & strepitum aliquantulum. Et mox Cæremoniarius profert Candelam accensam, & omnia silent: surgunt, & discedunt.*

De Candelis ad cujusque finem Psalmi extinguendis.

4. De luminibus, expleto quolibet Psalmo, extinguendis agit Martene, & confirmat ejusmodi consuetudinem de antiqua Ecclesiæ disciplina cap. 22. §. 1. num. 2. Bailletus Histor. Officii

Feriæ Quintæ in Cœna Domini §. 6. num. 17. & 18. ait, eam Officiorum formam, quæ his diebus cantantur sine Hymnis, sine Benedictionibus, omissis Capitulis, Gloria Patri &c. a Scriptoribus illuc referri, quod Ecclesia nimirum voluerit doloris sui sensus ob illatam Christo crudelissimam necem significare. Sed pias hasce cogitationes nullo veritatis fundamento fulciri: nullam enim aliam esse causam, quamobrem his diebus illiusmodi recitentur Officia, quam quod vetustissimis temporibus ad hunc modum singulis diebus Officia recitarentur; nihil autem in Breviarii reformationibus, quod ad hos dies pertineret, innovari placuisse; ideoque quicquid ad Officia hujus Hebdomadæ spectat, ad vetustum Officiorum exemplum retentum esse. Addit etiam plura esse in iis Officiis, quæ rectius prætermitti possent, præsertim ille strepitus, qui in eorum fine edi solet, ac multo meliori consilio revocandam videri veterem illam consuetudinem, quæ in quibusdam Canonicorum Capitulis, & in nonnullis Religiosis Domibus etiamnum manet, ut Episcopi, aliique divites ad suæ quisque domus ostium panem candidum egenis distribuant, unde *Feriæ* quintæ dies in Cœna Domini, dictus aliquando est *Dies Jovis albus*. Eadem plane premit vestigia Vertus tom. 4. explicat. Cæremoniar. Missæ cum de Officiis agit Majoris Hebdomadæ: & de candelis identidem extinguendis sermonem habens, principio illi suo tenacissime adhæret, sacras Cæremonias e causis naturalibus ortas; earum multis post sæculis excogitatas esse rationes Symbolicas ab hominibus, qui piis meditationibus nimis indulgerent; Candelas in Divinis Officiis, quæ intempesta nocte celebrabantur, ideo adhibitas, ne Fideles in tenebris versarentur: candelarum, albescente aurora, & ut dies illuceseret magis, ita subinde aliquam extingui solitam; ex eo factum esse, ut in Majoris Hebdomadæ Officiis, etsi ea non amplius nocte in diem inclinante celebrantur, sed in die ad vesperam vergente, retineatur tamen luminum extinguendorum consuetudo, nec simul omnia eodem momento temporis restinguantur, sed singillatim, & ordine quodam, sicuti dictum est.

Vertus a Langletæ Episcopo Suessionensi confutatus.

5. Hæc vero sacras Cæremonias explicandi ratio satis audax visa est, bonosque viros, & rerum harum peritos vehementer commovit. Quam propterea Vir doctissimus, & Pastorali flagrans zelo Josephus Langletus Episcopus Suessionensis præclaro Opere refutavit, cui titulus, *L'esprit de l'Eglise dans la celebration des mysteres sacrées.* Et sane istiusmodi explicandi ratio non ita facile conciliari potest cum doctrina S. Tridentinæ Synodi, qua Sess. 22. cap. 5. de Sacrificio Missæ docemur, mysticas benedictiones, lumina, vestes, thymiamata, cæteraque ejus generis ab Ecclesia Catholica ex Apostolica traditione adhiberi, ut Fidelium mentibus species injiciatur augustior majestatis Sanctissimi Sacrificii Missæ, & ut per hæc religionis, pietatisque signa, ad altissimarum, divinarumque rerum, quæ illo continentur Sacrificio, contemplationem eorum animi erigantur. *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum Divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia Ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ*

in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Tournely item, ut Langletus, Symbolicarum rationum in sacris cæremoniis vindex. Usus thymiamatis unde sit.

6. Tractat hoc argumentum Tournely Doctor Sorbonicus in Prælectionibus Theologicis de Sacram. in genere pag. 539. & seq. edit. Parisien. anni 1726. ubi sententiam vehementer improbat tum eorum, qui institutas cæremonias putant ad solas causas seu naturales, seu fortuitas esse referendas, rationesque symbolicas mera esse credunt noni sæculi commenta; tum etiam eorum qui cæremonias omnes ad rationem symbolicam revocant, nihilque earum contendunt e naturalibus causis esse profectum. Atque eo rem omnem confert, ut, si qui etiam ritus, vel cæremoniæ ex aliqua naturali causa suam originem traxerint, eas nonnisi symbolica quadam ratione convestitas Ecclesia arripuerit. Idem docet etiam Boucat sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis tom. 5. de Sacram. in genere dissert. 1. de Sacris Cæremoniis. Hanc opinionem mirifice juvat usus sacri thymiamatis, cujus conficiendi modum ad cultum solius Tabernaculi præscripsit Deus Exod. cap. 30. Illud in Sanctissimo Missæ Sacrificio a primis usque temporibus Ecclesia adhibuit, ut apparet in Canone tertio ex iis, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur ex vers. Gentiani Herveti coll. Hard. tom. 1. *Ne liceat autem aliquid aliud ad Altare offerre, quam oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis.* Ait Vertus thymiamatis usum eo fuisse introductum, ut e locis subterraneis, ubi celebrabatur missa, quod tetri esset odoris, arceretur. Verum D. Thomas 3. par. qu. 83. art. 5. *ad secundum* docet non cæremoniali quidem præcepto, sed Ecclesiastica lege nos jussos thymiamate uti: *Thurificatione non utimur quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto.* Quod si in honorem Sanctissimi Sacramenti quandoque illud incendimus, quo sedetur, dilueturque si quæ odoris fœditas sit, eo etiam utimur, ut effetum gratiæ significemus. *Primo quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem; secundo pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ &c.*

Usus luminum non ad depellendas tantum tenebras institutus. Candelæ etiam interdiu accendebantur.

7. Itaque, ut eo revertamur unde digressi sumus, cum eorum sententias minime liceat amplecti, qui sacros omnes ritus, & Cæremonias solis naturalibus causis tribuunt, mysticas autem rationes ad octavi, vel noni sæculi commenta amandant, nec illam quidem fas est opinionem sequi, quæ statuit, ideo in Matutinis horum dierum ad cujusque Psalmi finem unam ex candelis extingui, ut vetus quoquo modo retineretur consuetudo luminum paullatim extinguendorum, pro modo, & ratione diurnæ lucis gradatim accedentis. Nam ii, qui hanc tuentur opinionem, nil aliud causæ fuisse putant, quamobrem in sacris Officiis usus luminum introduceretur, quam ut, depulsis tenebris, Officia noctu recitantibus legere liceret: In celebris Concilii Eliberitani can. 34. an. 305. pag. 254. tom. 1. habiti hæc habentur: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt.* Hujus Canonis sensus doctorum virorum valde torquet ingenia. Garzias Loaisa rem acu tetigisse videtur; qui abunde probat, Sanctorum nomine Fideles intelligi; ac per eum Canonem prohiberi, ne quis in Cœmeteriis interdiu lumina accenderet, quorum multitudine impediebantur Fideles, qui orandi gratia ad Cœmeteria confluebant; ut videre licet tom. 1. Collect. Labbeanæ Concilior. pag. 1222. Itaque primis Ecclesiæ seculis etiam interdiu lumina in Cœmeteriis accedebantur; primisque iridem Ecclesiæ temporibus lumina pariter, cum legeretur Evangelium, accedebantur, etiamsi sol jamdiu exortus luce sua omnia illustraret, quod testatur Hieronymus lib. contra Vigilantium num. 8. pag. 394. tom. 2. oper. *Quando legendum est Evangelium accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Digna quoque sunt, quæ huc afferantur, Claudii Espencæi verba lib. de Eucharist. cultu cap. 11. pag. 1090. ubi postquam ostendit, ritum fuisse in lege veteri, ut ante panes propositionis lumina, & lucernæ accenderentur, qui tamen panes nihilo plus erant, quam typus Eucharistiæ; ac utriusque tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiæ consuetudinem esse, ut ubi legendum sit Evangelium, ab Acholythis & Ceroferariis lumina afferantur; acriter eos increpat, qui, quod eæ cæremoniæ non jam noctu, sed interdiu celebrentur, tamquam rem inutilem lumina rejiciunt; atque in hunc modum de cereis sic concludit: *Cerei accenduntur, deportanturque, non ad tenebras, sole jam rutilante, fugandas; sed ad lætitiæ signum, & lucem illam veram sub typo luminis corporei demonstrandam.* Cum igitur in Divinis Officiis usus luminum non eo introductus sit, ut oculis uti liceat, quod est fundamentum omnium commentationum Verti; eo suffosso, quidquid illi superstructum fuerit, necesse est sponte corruere.

Rationes aliquot Symbolicæ, quamobrem Candelæ subinde aliæ post aliam extinguantur.

8. Nonnulli putant per illud triduum, quo Christus vita caruit, stetisse Fidem in sola B. Virgine Maria, & vel ipsos Apostolos in ea nutasse, juxta illud Matth. cap. 26. v. 3. *Omnes vos scandalum patiemini.* Et paullo post: *Et dispergentur oves:* ad quæ Glossa, *idest a veritate fidei solventur.* Quamobrem cum tota Ecclesiæ ratio in sola B. Maria consisteret, docet Card. Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 30. & lib. 3. cap. 61. ad id significandum, ab Ecclesia consuetudinem esse invectam paullatim extinguendi in his Matutinis candelas omnes, præter unam. Sed non omnes Theologi huic opinioni suffragantur, scilicet Apostolos defeciviisse a Fide, quæ in sola B. Virgine steterit. Neque enim Petrus, cum Christum negavit, culpam aliam admisit, quam quod aperte, & libere Christum ore confiteri veritus est, qui tamen mentem habuit ab omni errore vacuam: neque Christus Joanni, si a Fide excidisset, B. Mariam matrem charissimam suam commendasset. Vide Suarez de Fide, Spe, & Char. Disput. 9. sect. 3. & Melchiorem Canum de Loc. Theolog. lib. 4. cap. 5. Itaque nos alio nosmet convertamus oportet. Observandum igitur est, Rupertum lib. 5. de Divinis Offic. cap. 26. tradere, in his Matutinis etiam ultimam Candelam ea ætate extingui consueviisse; & cap. 28. docet, post extincta omnia lumina, e silice extundi novum ignem, & excitari solitum: ac per priorem quidem candelarum extinctionem significari necem Prophetis ab Judæorum populo illatam, quo crimine Gens illa excæcata fuit; per extinctionem ultimæ innui Christi Domini mortem, qua Judæorum mentes magis magisque oppletæ tenebris fuerunt; novo autem igne, qui extunderetur e silice, novum significari lumen, quod profectum a Christo, de quo scriptum est in Evangelio, *Petra autem erat Christus*, mentibus Christianorum illuxit.

Aliæ ejusmodi symbolicæ rationes, quæ commodiores videntur.

9. Ejusmodi autem explicationem sane non illibenter amplecteremur, si etiamnum in his Matutinis ultima quoque candela extingueretur. Verum cum illa servetur accensa, horum alterutrum videtur dicendum; vel ea candela significari B.

ri B. Virginem, quæ per triduum illud, quo Christus mortuus a nobis abfuit, claram explicitamque Fidem habuerit de Resurrectione Filii sui; quin ex eo tamen quisquam possit arguere cæteros omnes, ideoque etiam Apostolos in infidelitatem incidisse, qui Resurrectionem Christi explicite credere non tenebantur, nisi post legitimam ejus promulgationem, ut disputat Abulensis quæst. 14. Prolog. in Matthæum, & Venerabilis Bellarminus Card. tom. 2. Controvers. lib. 3. de Eccles. milit. cap. 17. Vel, ut observat Mazinellus cit. Opere pag. 85. ideo singulas candelas ex intervallo subinde extingui, quod, cum tempus, quo Christum mori oportuit, adventaret, Discipuli, remisso pristino illo animorum ardore, passim huc illuc aufugerint, promissis non steterint, ac fere omnes ut fuga suæ saluti consulerent, Magistrum suum deseruerint; qui autem ad Calvariæ montem sequuti sunt Christum Dominum, iidem teterrimis illis imaginibus aspectuque mortis perculsi pene obstupuerint. Addit idem Auctor, Candela illa, quæ sub altari servatur, accensa pulchre Christum Jesum significari, quem e Cœlo delapsum ut universum mundum a multis retro jam sæculis in tenebris jacentem suo lumine illustraret, sceleti homines & ingrati extinguere, aut obscurare conati sunt; sed cum maxime credebant illum obscuratum, aut omnino sublatum, tum maxime reviviscentem surgentemque viderunt ad immortalitatem, splendidissimo lumine coruscantem, ab universo mundo prædicari & conspici. Illud quoque ait pag. 124. parvo illo strepitu, qui in fine Laudum in his Matutinis edi solet, magnam illam significari perturbationem confusionemque rerum, quæ, ut alibi demonstrabimus, Christi Domini mortem consequuta est.

CAPUT VI.

De Feria Quinta in Cœna Domini.

Missa hujus diei retinet memoria Sanctissimæ Eucharistiæ a Christo institutæ.

1. DE Matutinis, quæ his diebus recitantur, præmonenda in universum putavimus, quæ hactenus a nobis disputata sunt. Nunc vero de ipsa die Feriæ Quintæ in Cœna Domini est dicendum. Missa ejus diei in eo tantum versatur, ut sacræ illius Cœnæ redintegretur memoria, in qua Cœna Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituturn est, verumque celebratum Sacrificium. In ea enim nocte, cum homines in Christi necem conjurarent, & scelestus Discipulus Magistri sui proditionem moliretur, maximum ille amoris sui indicium atque omnium luculentissimum ostendere voluit, qui Sacrosanctum Corpus suum hominibus dono dedit.

Historia ex Evangelio de parando Paschate Christo Domino. Quæ singulæ aliquot ad eam historiam illustrandam.

2. Narrant Evangelistæ, Dominum Jesum, cum azymorum dies adesset, quo Pascha immolari lex jubebat, duo ex discipulis suis misisse Petrum, & Joannem, ut pararent Pascha, quod iis dixit una se cum iis velle manducare. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Quibus respondit: Ite in Civitatem; & ecce introeuntibus occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans; sequimini eum in domum, in quam intrat, & quocumque introierit dicite patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis: ubi est refectio mea? ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum; & illic parate nobis. Et abierunt Discipuli ejus, & venerunt in Civitatem, & invenerunt sicut dixerat illis. Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Hæc leguntur in Evangeliis, præsertim apud Matthæum cap. 26. Lucam cap. 22. & Marcum cap. 14. *Quænam autem ea esset Civitas, in qua Pascha erat celebrandum, Ite in Civitatem;* quis ille Paterfamilias, apud quem Pascha manducandum esset, *Ite in Civitatem &c. dicetis Patrifamilias domus;* quorsum denique aqua illa, quam manibus gerebat is, cui Discipuli occurrissent, *Occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans*, altum de his omnibus apud Evangelistas silentium. Unde compluscula extiterunt quæstiones, quas sacri tractant Interpretes, ut historiæ lux major affulgeat.

In qua Civitate, & cujus in domo discipuli paraverint Pascha.

3. Verum quod ad Civitatem pertinet, id quidem in disputationem non cadit. Exploratum est enim, non alibi quam Hierosolymæ celebrandum fuisse Pascha, juxta legem Deuteronomii cap. 16. Ex quo factum est, ut Tito obsidente Hierusalem, Hebræi pene omnes interierint; cœpta enim est ea Civitas obsidione premi, postquam Hebræorum populus ad Pascha celebrandum illuc universus confluxerat, quod observat a Lapide in cap. 26. Matth. De Patrefamilias, quis, qualisve fuerit, major est controversia. Hominem fuisse illum paullo copiosiorem, & satis instructam, & ornatam domum habuisse, verisimile est; eum etiam Christo probe cognitum, ipsiusque fuisse discipulum, innuere videntur verba illa, *Magister dicit*, ut observat Natalis ab Alexandro in cap. Matth. 26. num. 2. Illud etiam verisimile est, illum Patremfamilias alium ab eo fuisse, qui gerebat aquam, quod eruitur ex textu S. Marci cap. 14. v. 13. *Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans: sequimini eum, & quocumque introierit, dicite Domino domus, quia Magister dicit &c.* Non enim facile quispiam crediderit, honestum, & fortunatum hominem, cui satis commoda esset domus, ferendæ aquæ laborem suscepisse, ut notat a Lapide ubi supra num. 18. Sed quis ille tandem fuerit, haud temere affirmaverim. Sacri Interpretes alii alias sententias amplexi sunt. Quidam illum putant fuisse Joannem Evangelistam, quod cum Evangelico textu pugnare videtur. Illi enim, & Petro cura demandata est, ut domum quærerent ubi Pascha celebraretur: iis Christus indicia etiam ostendit, quibus eam domum reperirent; eos monuerat, quæ, & quomodo cum Patrefamilias agerent. Quod si Joannes Evangelista illius domus dominus fuisset, nihil opus erat tanto molimine: satis erat, si Christus ei dixisset: Abi cum Petro, & domi tuæ para mihi Pascha. Videatur Baron. ad ann. Chr. 34. num. 22. Quidam vero Marcum quemdam illum fuisse putant, qui Joannes Marcus appellaretur, ideoque alius esset ab Evangelista, qui Marcus unico nomine dicebatur. Compertum est enim, Joanni illi Marco Hierosolymæ domum fuisse, quo Fideles & Apostoli post Christi Domini Ascensionem in Cœlum conveniebant. De eo fit mentio Act. cap. 12. 13. & 15. Et apud Paul. Epist. ad Colossen. cap. 4. & 2. ad Timoth. cap. 4.

Quis Paterfamilias ille fuerit, cujus domi paratum est Pascha Christo, plane non liquet.

4. Hanc sententiam amplectitur Card. Gottus Verit. Relig. Christ. tom. 4. par. 2. cap. 23. §. 4. num. 28. eamque jam antea sequutus erat Serry Exercit. 51. num. 8. ubi etiam ait, hanc Joannis Marci domum in Ecclesiam fuisse conversam, quæ *Ecclesia Sion* vulgo nominabatur. At Calmetus in cap. 26. Matth. num. 18. declarat, se huic sententiæ minime posse suffragari, quam nullo videat suffultam sacræ antiquitatis fundamento. Ad eumdem plane modum disputat Tillemontius Not. 26. ad vitam Jesu Chr. Putat Mauduit dissert. 30. Alphæi, & Mariæ, Jacobi minoris paren-

parentum, fuisse domum illam, ubi Pascha Christus celebraverit. Id vero nec ex Evangelico textu eruitur, nec ad ullam ex his opinionibus stabiliendam quidquam affertur, quod alicujus esse pretii videatur. Concludendum itaque cum Gravesono de Myster. & annis Christi dissert. 9. in fine, de hac re nihil plane liquere. Calmetus autem loc. cit. monet, probabiliter dici posse, aquam illam, quam gerebat is, quem Apostoli jussu Domini sunt sequuti, fuisse subigendo azymo adhibendam, de quo pane infra dicemus. Bene ac sapienter ea de re Maldonatus in Matth. cap. 26. v. 18. *Sed quis homo*, inquit, *ille fuerit, cogendi non sumus dicere; nec enim Evangelistis, qui eum nominare noluerunt, sapientiores sumus; sed si sequamur quo veritatis ducit similitudo, probabile nobis videtur esse, Judæum aliquem fuisse, hominem divitem & nobilem, qui in Christum credidisset, illique esset familiaris; sed occulte tamen, qualem Josephum ab Arimathea, & Nicodemum fuisse legimus Joan. 19. 38. & 39. Itaque si quis aliquem ex illis fuisse suspicetur, temerarium non judicaverim, modo suspicetur, non affirmet; nam Cœnaculum magnum & bene ornatum ostendit non plebejum fuisse hominem: quod Christus Magister illi appellatur, indicat fuisse discipulum: quod jubet illi dici: Tempus meum prope est, declarat fuisse familiarem.*

Christus cum Discipulis comedit Pascha.

5. Loco cæterisque rebus, quibus celebrandæ Paschæ opus erat, probe jam paratis, testantur Evangelistæ, Christum Jesum Pascha cum discipulis suis comedisse. Ita Matthæus cap. 26. v. 19. 20. *Et fecerunt Discipuli sicuti constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis.* Et S. Marcus cap. 14. v. 16. *Paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus ait Jesus.* Et S. Lucas cap. 13. v. 22. *Paraverunt Pascha, & cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo; & ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Ita denique S. Joannes cap. 13. ut ex toto contextu videre licet.

An Christus postremo vitæ suæ anno legale Pascha celebraverit.

6. Nullus igitur est dubitandi locus, quin Jesus Christus Servator noster una cum discipulis suis celebraverit Pascha. In lege Moysis jubetur quisque celebrare Pascha, ut legitur in lib. Numer. cap. 9. v. 13. *Exterminabitur anima illa de populis suis, quia Sacrificium Domino non obtulit tempore suo; peccatum suum ipse portabit.* Et cap. 12. Exodi apparet, Pascha legis institutum in honorem profectionis Populi Hebraici ex Ægypto, cum nocte, quæ præcessit, proxima Angelus exterminator Ægyptiorum primogenitos interfecit, Judæorum ostiis præteritis, quibus agni paullo ante immolati sanguis aspersus erat; & Exodi eodem loco præscribitur ritus servandus in agno comedendo, seu, quod idem est, in celebrando Pascate, seu legali Cœna facienda. Quibus præmissis, etsi certum est, Christum Pascha cum suis discipulis celebrasse, non defuit qui affirmare auderet, eum postremo anno, quo mortuus est, non juxta Hebraicum ritum Pascha celebrasse, seu Legalem Cœnam fecisse, sed vulgarem cœnam parasse, qua Pascha novum instituit, & venerabile Eucharistiæ Sacramentum confecit, fuisque discipulis distribuit.

Vulgarem parasse cœnam, in qua Pascha novum instituit, sententia fuit Marcionis, & quorundam Græcorum tuentium consecrationem in fermentato.

7. Ab hac nimis audaci sententia quilibet profecto se abstineat, dummodo in mentem revocet, secundo illam sæculo a Marcione fuisse excitatam, quem ideirco graviter Epiphanius reprehendit Hær. 42. sexto deinde sæculo revocatam ab Joanne quodam Philopono Eutychianarum partium homine, de quo, etsi nomen reticeat, loquitur Photius Biblioth. Cod. 115. & 116. & sæculo undecimo, cum magna illa coorta esset controversia Græcos inter & Latinos, azymusne, an fermentatus panis sit, in quo Eucharistia confici debeat, quosdam extitisse Græcorum, quos commemorant Theophylactus, & Euthymius in S. Joannem, qui, ut in fermentato Sacramentum conficiendum esse tuerentur, eo confugerunt, ut negarent, Christum Jesum postremo ætatis suæ anno Paschalem agnum comedisse, & legale celebrasse Pascha, universa Græca Ecclesia reclamante, quæ prædicabat, Christum in ultima Cœna Paschalem Agnum comedisse, ut videre licet in Colloquio Cardinalis Humberti apud Baron. Annal. to. 11. in fine; Latinos autem omnes ab ea abhorruisse sententia, paucis tantummodo exceptis, qui haud longe ab ætate nostra absunt, Nicolao de Villa Gagnonis Equite Hierosolymitano, cujus opusculum Salmeron, Santesius, Vasquez, Suarez, Ysambertus veluti hæreticum confixerunt, & Hieronymo Vecchietto Florentino cujus Opus est *de Anno Primitivo*. De hoc opere Marcus Antonius Capellus, teste Allatio in Apibus Urbanis pag. 136. ejusmodi judicium tulit: *Cum enim libri illi tria genera complectantur, Theologica, Astronomica, Chronologica: in Theologicis nihil ferme reperies, quod non insigni aliqua labe aspersum sit, Astronomica sæpe toto videas errare Cœlo, in Chronologicis peccata innumera, & nihil singulare.* Scripsit etiam Capellus adversus Vecchiettum Dissertationem, cui titulus, *De Cœna Christi suprema, deque præcipuis ejus Vitæ capitibus*, quam commendat Petavius de Doctr. Tempor. lib. 12. cap. 6. Ricciolius Chronolog. Refor. lib. 8. cap. 3. Concl. 3. num. 1. & sequen. pag. 301. & Bollandistæ tom. 1. mens. April. pag. 5. num. 4. Librum vero Vecchietti Theologica censura notatum, ne quis legeret neve retineret, vetitum est, & in ejus auctorem graviter animadversum, ut refert Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca num. 114. *Edidit ... librum .... Censorum animadversione in multis ac maximis vitiis deprehensum, ac propterea superiorum decreto cautum, ne in manus hominum perveniret. Etenim contra sacrarum Litterarum fidem, contra Ecclesiæ universæ auctoritatem, contra Sanctorum Patrum sententiam conabatur ostendere, ex Solis Lunæque ratione, quam non bene fortasse deceptus inierat, Christum Dominum, pridie quam pro nobis mortem oppeteret, solemne illud Paschalis Cœnæ Convivium una cum suis non celebrasse; & cum posset temere dicta vel corrigendo vel interpretando ex multis se se incommodis & ærumnis eximere, maluit severissimo Quæsitorum Fidei causæ judicio se committere, atque ultro in vincula conjicere, ubi multos annos exacta jam ætate in tenebris, in squallore, in sordibus jacuit, quam vel minima quidem ex parte de sententia decedere.*

Eam sententiam quidam recentiores rursus extulere; reliqui omnes vehementer improbant.

8. Ex hujus controversiæ historia, quam pertexuimus, qui nesciat quorsum præterea progressa sit, facile credat de medio sublatam sepultamque eam opinionem fuisse, quæ statuit, Christum, pridie quam occumberet, neque celebrasse Pascha, neque agnum comedisse, sed vulgari Cœna usum, in qua Eucharistiæ instituerit Sacramentum. Verum ea sententia usque ad nostram ætatem pervenit. Eam enim in lucem rursus revocavit multis eruditisque rationibus fultam Bernardus Lamy in Opere, cui titulus, *Harmonia & Concordia quatuor Evangelistarum*, anno 1689. edito. Ac fusius rem hanc totam retractat in Dissertationibus, quas anno 1697. edidit sub eo titulo, *Continuatio tractatus historici de veteri Judæorum Paschate*. Tournemine Societatis Jesu Presbiter in quibusdam Thesibus, quas Lutetiæ propugnavit, Patris Lamy sententiam tutatus est; ut ap-

ut apparet ex epiſtola, quam ſcripſit ad ipſum Lamy, atque in ea quædam affert, quæ Lamy nondum obſervaverat. Et Calmetus Diſſertat. de Paſchate ſatis oſtendit, ſe Lamy ſententiæ ſuffragari. Sed reliqui omnes quotquot hæc ſtudia profitentur, ejuſmodi ſententiam acerrime impugnarunt. Vide Tillemontium Nota 26. ad vitam Jeſu Chr. Vvitaſe Doctorem Sorbonicum Par. 1. de Sacramento Euchariſtiæ ſect. 4. Honoratum a S. Maria obſervat. ſuper Critic. tom. 2. lib. 4. diſs. 3. Graveſonum de Myſter. & Ann. Chr. diſſert. 19. §. *Dico primo*, Serry Exercit. 51. num. 6. & ſequen. & Card. Gottum de Veritate Relig. Chriſt. tom. 4. par. 2. cap. 23. §. 1.

Eccleſia non eſt, Chriſtum Judaicum ritu feſſe paſſa.

9. Suarez, quod ſupra tetigimus, in 3. par. D. Th. quæſt. 50. art. 9. ſect. 3. eam ſententiam ut hæreticam notat. *Statuendum primo eſt, Chriſtum ante Paſſionem ſuam Legalem Cœnam cum Diſcipulis celebraſſe, agnumque Paſchalem Ritu Judaico immolaſſe, & comediſſe: quæ res tam aperta eſt in Evangeliſtis, ut mirum ſit, non defuiſſe hoc tempore hæreticos, qui eam negarent.... Hæc ſententia eſt plane hæretica.* Serry, & Card. Gottus ſapienter monent, priuſquam propoſitioni cuipiam hæreſeos notam impingamus, judicium Eccleſiæ eſse expectandum, neque tamen mentionem prætermittunt eorum, quæ Hieronymo Vecchietto ob eam propugnatam ſententiam evenere. Utcumque tamen ſit de ea cenſura, concludendum nobis videtur, Eccleſiam docere, Chriſtum Jeſum poſtremo ſuæ vitæ anno paullo ante mortem legale Paſcha celebraſse, & priuſquam novum Euchariſtiæ Paſcha inſtitueret, ex præſcripto legis Paſchalem agnum comediſse. Concilium enim Tridentinum ſeſs. 22. de Sacrificio Miſſæ Cap. 1. hæc habet de Chriſto: *In Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur.... celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha.* Et in ſacris Hymnis D. Thomæ legimus,

In ſupremæ nocte Cœnæ
Recumbens cum Fratribus,
Obſervata Lege plene
Cibis in Legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Et alibi:

Noctis recolitur Cœna noviſſima,
Qua Chriſtus creditur Agnum & Azyma
Dediſſe Fratribus, juxta legitima
Priſcis indulta Patribus.
Poſt Agnum Typicum expletis epulis,
Corpus Dominicum datum Diſcipulis
Sic totum omnibus, quod totum ſingulis,
Ejus fatemur manibus.

Argumenta ex Evangeliſtis petita ad Eccleſiæ ſententiam confirmandam.

10. Hic Eccleſiæ ſenſus ſacro Evangeliſtarum teſtimonio videtur innixus. Primo enim die azymorum, ut ſupra docuimus, Jeſum Diſcipuli convenerunt, ut videre licet Matth. cap. 26. v. 17. *Prima autem die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum.* Et Marc. cap. 14. v. 12. *Primo die Azymorum quando Paſcha immolabant.* Et Lucæ cap. 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Itaque cum prima Azymorum die, ut infra demonſtrabimus, celebraretur legale Paſcha, & Paſchalis agnus comederetur, jam haud obſcure intelligimus, Apoſtolos non de Euchariſtico Paſchate, quod omnino ignorabant, ſed de eo, quod juxta Ritum Judaicum prima illa die celebrabatur, cogitaſse. Deinde percontati ſunt ab eo ubi parari vellet Paſcha, apud Matth. loc. cit. *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* & apud Marc. loc. cit. *Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha?* Cum autem Diſcipuli hæc a Domino ſciſcitantes nullum aliud quam legale Paſcha cognitum haberent, neceſsarium omnino eſt percontationem ejuſmodi factam eſse non de Paſchate Euchariſtico, ſed legali. Jeſus autem iis reſpondens mandavit, ut Urbem introirent, Patrifamilias ejus verbis nunciarent, ſe velle cum Diſcipulis ſuis apud eum comedere Paſcha; propterea quæ opus eſsent pararent: *Dicite ei...apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis*: ita Matthæus v. 18. Et apud Marcum v. 14. & 15. *Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cenaculum grande ſtratum, & illic parate nobis.* Et apud Lucam v. 8. *Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.* Huc igitur conferendæ vires animi, ut reperiamus, eoquod illud Paſcha fuerit, quod ſibi Redemptor noſter parari juſſit. Illud fuiſse legale Paſcha fatebitur quiſquis rem conſiderat paullo attentius; tum quia in illum cadebat diem, quo legale Paſcha celebrari mos erat, tum etiam quod Apoſtoli de legali Paſchate celebrando Chriſtum interrogaverant. Huc accedit & hoſpitis conditio, & apparatus *cœnæ indictus*, quæ duo idem ſatis probant. Inſtructo deinde apparatu Cœnæ, venit Jeſus in Urbem cum Diſcipulis ſuis, & menſæ accubuit. Aut igitur poſtquam diſcubuit, comedit quæ parata erant, vel non: ſi non comedit, eum (quod quidem haud fas eſt dicere) oportet cibum parari juſſiſſe, quem nec manducare volebat, nec manducavit: ſin autem comedit quod paratum erat, profecto Paſchalem Agnum manducavit, ac propterea legale Paſcha celebravit. Adde quod inter cœnam Apoſtolis dixit: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ut teſtatur Lucas; quæ quidem verba, etſi ad ſacræ Euchariſtiæ inſtitutionem referri poſſint, ad Cœnam tamen, quæ parata erat, maxime pertinent ex vi illius particulæ *hoc*, ideoque ad Cœnam legalem. Nec Hebræorum perfidia Chriſto Domino umquam exprobravit præcepto celebrandi Paſchatis non paruiſſe; quod quidem, ſi legale Paſcha non celebraſſet, Judæi non prætermiſiſſent criminis loco objicere. Quæ omnia ſimul cum aliis rationibus ſi conferantur in unum, illud videntur conficere, Chriſtum Jeſum non vulgarem feciſſe cœnam, in qua Euchariſtiam inſtituerit, ſed pridie quam ſubiret ſupplicium Crucis, legale celebraſſe Paſcha, & agnum juxta ritus Judaicos comediſſe.

Proponitur objectio quædam, & ſolvitur.

11. Neque ea, quæ hactenus conſtabilivimus, ex eo poſſunt everti, quod Agnus, antequam manducaretur, Sacerdotum miniſterio ſacrificandus eſſet in Templo, atque ante dies decem parandus, & qui eum comederet, non aſſidere, ſed ſtare deberet baculo innixus, renibuſque præcinctus; quæ quoniam non legimus neque ab Apoſtolis, neque a Chriſto ſervata, dum illi parabant Paſcha, & Chriſtus una cum illis comederet, inde fluere videtur, non legale Paſcha illud fuiſſe, ſed vulgarem communemque Cœnam. Non enim omnes idem ſentiunt in ea quæſtione, num Paſchalis agnus, antequam comederetur, miniſterio Sacerdotum in Templo eſſet ſacrificandus. Qui putat, Paſchalem Agnum Sacramentum fuiſſe veteris legis, ait, illum quidem Hieroſolymis ab unoquoque domi ſuæ fuiſſe immolandum, & comedendum, negat vero opus fuiſſe ad hanc rem Sacerdotum opera, qui agnum ſacrificarent, juxta illa Exodi verba cap. 12. v. 6. *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* At qui agnum Paſchalem

non

non fuisse solum affirmat veteris legis Sacramentum, sed etiam Sacrificium, non repugnat, Agnum, antequam manducaretur, Sacerdotum opera sacrificandum fuisse, juxta illa verba itidem Exodi 12. v. 27. *Victima transitus Domini est*: quæ sententia fundamentum habet in eo quod refert Josephus de Bello Judaico cap. 17. Cum enim Cestius Præses scire vellet, quot Hebræorum capita essent in Palæstina, narrat Josephus, Principem Sacerdotum Præsidem monuisse, ut expectaret dum Pascha celebraretur; nam cum ad cœnam Paschalem non minus quam decem accumberent, inita Agnorum ratione, facile Hebræorum numerum comperisset; quod quidem indicium facit; non, priusquam in Templo sacrificaretur, Agnum manducari consueviſse. Verum, ut cominus rem agamus, aut necessarium non fuit ejusmodi Sacrificium, & tota corruit objectio: aut si omnino necessarium fuit, Apostolos, qui missi sunt ad Pascha præparandum, quæ ritus Paschatis postulabat, profecto non prætermisisse credendum est. Quod vero ad eos ritus attinet, qui comedendo agno servandi videbantur, monemur ab iis, qui Rituales Hebræorum libros accurate inspexerunt, jam eos ritus per id tempus obsoleviſse: illos quidem, ut improvisæ ex Ægypto profectioni accommodatos, olim fuisse adhibitos, sed Hebreos, cum res suas ita constabiliviſsent, ut pro suo cuique commodo liceret immolare Pascha, ab iis ritibus recessisse; quod argumento allato vim omnem adimit. Vid. Baron. ad annum Chr. 34. num. 41. & Vvitasse de Sacramento Eucharistiæ Par. 1. q. 1. art. 3. sect. 4.

Patres Ecclesiæ in rem hanc. Quæstio de tempore, quo Christus ultimum celebraverit Pascha.

12. Qui vero Sanctorum Patrum loca in rem hanc velit inspicere, quæ ad solidam Traditionem stabiliendam pertinent, adeat auctores citatos, penes quos accurate & fideliter notata reperiet. Adeat itidem Herminier Tractatu de Sacramentis Tom. 2. de Eucharistia cap. 16. ubi post allatas auctoritates, quas indicavimus, de opinione P. Lamy, ita pag. 467. scribit: *A quibus auctoritatibus nescio quomodo recedere potuit laudatus scriptor, qui contendit, Christum hoc anno non manducasse Agnum Paschalem.* Nos vero progredi volentes, & cætera persequi, quæ ad hujus diei mysteria spectant, eam quæstionem pertractandam suscipimus, utrum Christus legale Pascha eo tempore celebraverit, quo Hebræi consueverant, an tempus illud anteverterit; an vero Hebræi illo anno post constitutum tempus Pascha immolaverint.

Sententia Græcorum refellitur.

13. Græci, quibus ex una parte perspectum est, Christum Eucharistiam eo pane confeciſse, qui appositus erat, nec alium panem, si juxta Hebraicum ritum celebratum fuit Pascha, appositum fuisse in mensa, quam azymum, ex altera autem animo imbiberunt, ut infra declarabimus, propugnare, Christum fermentatum panem consecrasse, eo confugiunt, ut dicant, Christum antecepto tempore Pascha celebrasse, quo quidem misero, ac sane infelici perfugio nihil plane juvantur. Quamvis enim eo, quo mortuus est anno, tempus celebrando Paschate antevertisset, tamen non nisi azymum panem comediſset; ex quo sequitur, quod consecrans panem in mensa appositum, non fermentatum, sed azymum consecrasset. Satis enim apparet ex verbis legis, si cui præscripto tempore non liceret celebrare Pascha, & Paschalem agnum alio tempore cogeretur comedere, eum oportuisse panem azymum manducare, ut videre est Numer. cap. 9. v. 10. & 11. *Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud.*

Græcorum impietas adversus Evangelistas.

14. Illud vero, quod Græci assumunt, nititur Evangelio S. Joannis, ut infra docebimus. Quia vero nihil habent quod respondeant contrariis textibus aliorum Evangelistarum, eo venerunt impietatis, ut abjecto omni pudore audaciſsime affirment, Joannem utpote ultimum Evangelii scriptorem errores aliorum Evangelistarum emendasse. Cujusmodi blasphemiam nos cum Baronio explodimus, qui ad ann. Chr. 34. num. 25. *Facessant*, inquit, *hæc ut hæretica ab auribus, ac mente cujusque Fidelis.* Et ipso Baronio præcunte dicimus, quorumdam esse sententiam, Christum eo, quo occubuit, anno legale Pascha antevertisse; quodsdam vero putare, eo quidem die Christum Dominum Pascha legale celebrasse, quo immolari juxta ritum Hebraicum oporteret; Hebræos vero non item; sed in crastinum diem distulisse. Quorum auctorum nomina æque, ac Baronius, recenset Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 4. de Sacram. Eucharist. cap. 7.

Triplex ea de re sententia Mauduisii, Pezronii, Harduini.

15. Tres inter recentiores Criticos eximii viri in hanc causam descenderunt, Mauduisius, Pezronius, & Harduinus. Quorum primus illud assumit, Hebræis vetitum fuisse duo Festa continenter duobus diebus, quorum alter alterum proxime consequeretur, celebrare; id enim illis fuisset graviſsimum, qui ejusmodi diebus plurima facere prohiberentur; cumque primus postremusque azymorum dies, ut infra docebimus, festi essent, ait, Christum vespere Feriæ quintæ, ineunte primo azymorum die, legale Pascha celebrasse; feria vero sexta Cruci affixum esse; Hebræos vero, ne duo festa continuarentur, ideſt feria sexta, qui primus erat dies azymorum, & Sabbathum, celebrasse Pascha feria sexta, primumque azymorum diem in Sabbathum transtuliſse. Qua in re Auctor pulcram deprehendit analogiam; nam quo die comedebatur agnus, qui Christi fuit figura, eodem ipso die in Calvario Redemptor noster cruentum faciebat sacrificium, quo cum Deo genus humanum reconciliaret, & in gratiam reduceret. Pezronius docet, Hebræos Lunaribus mensibus usos esse dupliciter: lunaris enim mensis principium eos computasse, & a conjunctione Solis & Lunæ, & ab ejusdem Lunæ apparitione. Itaque ait Christum Dominum, & Hebræos etiam Paschalem agnum decimaquarta Luna comediſse; sed Christum agnum manducasse vespere Feriæ quintæ; Hebræos vero Feria sexta, inita nimirum, quod ad Jesum attinet, decimæquartæ lunæ ratione ab utriusque luminaris conjunctione, & quod pertinet ad Hebræos, a Lunæ conspectu. Harduinus denique contendit Hierosolymæ Galilæos, & Israelitas alio die Pascha celebrare solitos ab eo die quo ab Hebræis celebrabatur; itaque Galilæos, & Israelitas agnum comediſse vespere Feriæ quintæ; Hebræos vero feriæ sextæ item vespere; ac propterea Christum Dominum utpote Galilæum pridie quam Hebræi Pascha celebrasse. Quæ tres expediendæ hujus rei rationes fuse referuntur a Boucat Theologia Patrum tom. 7. de Eucharist. Institut. dissert. 3. art. 3. Nos vero, qui neque argutari volumus, neque ingenio indulgere, sed tuta ingredi viam, affirmamus, Christum eo quo oportebat die, & quo Hebræi ipsi Pascha celebrabant, paschalem agnum comediſse, ideoque neque Jesum tempus antevertisse, nec Hebræos Pascha distuliſse.

Dies Paschæ apud Hebræos decimaquarta primi mensis.

16. Hebræis lege præscripta fuit decimaquarta primi mensis, qua Pascha celebrari oportebat: *Decima die mensis hujus* (quæ verba sunt in Exodi cap. 12. v. 3. & 6.) *tollat unusquisque agnum per*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

per familias & domos ſuas.... Et ſervabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis hujus; immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael. Primus autem anni menſis apud Hebræos congruit partim cum Martio, partim cum Aprili, & appellatur Abib, ſeu etiam Niſan: ex eo veris initium; qui cum ſeptimus in ordine antea fuiſſet, poſt profectionem Iſraelitici Populi ex Ægypto primus anni menſis conſtitutus eſt, ut in Exodi loc. cit. v. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.*

Die decimaquinta ſolemnitas Azymorum, quæ per ſeptem dies peragebatur, a nemo omnino fermentato.

17. Nec Paſcha ſolum Hebræis, ſed alia etiam fuit ſolemnitas, quæ azymorum dicebatur, quas inter ſolemnitates multum erat diſcriminis. Paſcha enim, ut diximus, in honorem inſtitutum fuit profectionis Hebræorum ex Ægypto, cum exterminator Angelus nocte, quæ præceſſit, proxima percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, præteritis tamen Hebræorum oſtiis, quæ reſperſa reperit ſanguine agni, quem pridie ejus diei immolaverant. Feſtum vero Azymorum in memoriam itidem inſtitutum fuit ejus rei, quæ Hebræis abeuntibus contigit, ut nimirum ad profectionem properantibus otium non fuerit fermentati panis conficiendi, juxta ea quæ leguntur in Exod. cap. 12. v. 39. *Et fecerunt ſubcinericios panes Azymos; neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nulla facere ſinentibus moram.* Itaque decimaquarta primi menſis die Paſcha, & decimaquinta ſolemnitas azymorum celebrabatur, in qua fermentatum panem nefas erat comedere, ſed azymum tantum manducare oportebat; eaque ſolemnitas per ſeptem dies agitabatur, quorum primus, & ultimus feſti dies erant: *Menſe autem primo quartadecima die menſis Phaſe Domini erit, & quintadecima die ſolemnitas. Septem diebus veſcentur azymis; quarum dies prima venerabilis & ſancta erit; omne opus ſervile non facietis in ea... Dies quoque ſeptimus celeberrimus, & ſanctus erit vobis: omne opus ſervile non facietis in eo,* Hæc Numeror. cap. 28. v. 16. 17. 18. & 25. cum quibus ea conſentiunt Exod. cap. 12. v. 19. & 20. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Iſrael tam de advenis, quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma.* Cum autem dies Paſchæ, ut mox docebimus, cum azymorum die congrueret, propterea Agnus Paſchalis nonniſi cum azymis poterat manducari juxta Ezod. cit. cap. 12. v. 8. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus.*

Plura dierum genera apud Hebræos.

18. Penes Hebræos plura genera dierum erant: quidam enim legales & ſacri; naturales alii; alii artificiales: inde dierum diverſæ menſuræ. Legales ſeu ſacros dies Judæi inchoabant ab occaſu ſolis, & ita legalis diei termini erant duo ſolis occaſus; quo diei genere utimur in Eccleſia Catholica. Conſtat ex Levit. cap. 23. v. 32. *A veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.* Naturalium dierum initium a media nocte, finis in mediam noctem conſequentem. Artificialium vero ſpatium inter duos ſolis ortus intercipiebatur. Quapropter etſi ait Scriptura, decimaquarta primi menſis die celebrandum eſſe Paſcha ad veſperam, & decimaquinta Feſtum azymorum; tamen cum decimæquartæ diei veſpera congruat cum initio decimæquintæ; qui rationem dierum legalium probe ineat, facile intelliget, diem Paſchæ in primam diem cadere azymorum. Idque confirmatur ex eo, quod Paſchalis agnus comedendus erat cum azymis, & dies azymorum ſeptimus in vigeſimam primam primi menſis diem deſinebat, ut diſerte habetur in Exod. cap. 12. v. 18. *Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam.* Nam ſi primus azymorum dies a ſecunda decimæ quartæ diei veſpera non inchoetur, ſeptimus azymorum nullo pacto poteſt cum vigeſima prima die congruere.

Anno Chriſti emortuali Hebræis celebrandum fuit Paſcha decimaquarta primi menſis altera ejuſdem diei veſpera.

19. Ex quibus omnibus manifeſto conſtat, etiam eo anno, quo Jeſus occubuit, Hebræis Paſcha celebrandum fuiſſe decimaquarta die primi menſis, ſeu menſis Martii; nec tamen Paſcha celebrandum, ſeu, quod idem eſt, Paſchalem Agnum manducandum illa prima veſpera, qua Paſcha inchoabatur, ſed altera ejuſdem diei veſpera, quæ initium erat primæ diei azymorum. Cum autem narrent Evangeliſtæ ſecunda decimæ quartæ diei veſpera, ineunte prima azymorum die, Chriſtum Dominum eo anno, quo mortuus eſt, Paſcha celebraſſe, ut ii diſertiſſime teſtantur illis verbis, quæ perſpicuitatis gratia huc referre non gravabimur, Matth. cap. 26. v. 17. *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Lucæ cap. 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus,* cum quibus, ut mox dicemus, conſentit & Marcus cap. 14. proculdubio conſequitur, Chriſtum eo die, quo Hebræi conſueverant, Paſcha celebraſſe. Nec vero ex illis Marci verbis cap. 14. v. 12. *Et primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha?* poteſt quiſpiam arguere Hebræos eo anno Paſcha diſtuliſſe; nec enim alio verbum illud *immolabant* quam ad Hebræos referri poteſt. Præterea Jeſus Diſcipulos in Civitatem miſerat, eoſque juſſerat ſuo nomine monere Patremfamilias, ut locum ſibi pararet, ubi manducaret Paſcha; cumque illud juſſerit ſecunda decimæquartæ diei veſpera, nec Paterfamilias imperata facere detrectaverit: luculentiſſime apparet omnia fuiſſe paranda, ut eodem tempore Paſcha celebraret, quo Hebræi eo anno celebrabant. Cumque deinde eo tempore, quod præſtituerat, Paſcha celebraverit, inde neceſſario conficitur Paſcha eo ipſo tempore celebraſſe, quo Hebræi eo anno idem Paſcha celebrarent.

Obſtare videtur Evangelium S. Joannis.

20. Quibus rationibus nihil profecto eſſet, quod quiſquam poſſet objicere, niſi Joannis Evangelium videretur iis adverſarii. Ait enim Joannes cap. 13. v. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Loquitur Joannes de ultima Cœna, in qua Jeſus lavit pedes diſcipulorum, cum & nos, & alii omnes dicunt, illum celebraſſe Paſcha. Quia vero teſtatur Evangeliſta, id *ante diem feſtum Paſchæ* contigiſſe, conſequi inde videtur, Chriſtum eo anno tempus, quo Hebræi Paſcha manducabant, prævertiſſe. Narrat præterea S. Joannes cap. 18. v. 28. Hebræos *adduxiſſe Jeſum a Caipha in Prætorium,* nec Prætorium introiſſe, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha:* unde fluere videtur, eos Paſcha nondum celebraſſe, ideoque aut Chriſtum prævertiſſe, aut Hebræos diſtuliſſe Paſcha. Denique idem Evangeliſta cap. 19. ubi texit hiſtoriam Dominicæ Paſſionis, videtur innuere, illum obiiſſe *in Paraſceve Paſchæ*, nimirum eo die, quo Hebræi ea parabant, quæ Paſchati cele-

lebrando opus essent; quod quidem indicium facit, vel Jesum tempus Paschatis antevertisse, vel Hebræos Pascha distulisse.

Componitur Evangelium S. Joannis cum aliis Evangelistis, Primus utitur mensura diei naturalis, cæteri mensura diei legalis.

21. Ejusmodi tamen objectionibus abunde suppetit qui satisfiat. Ineunda est Joannis concordia, qui dicit *ante diem festum Paschæ*, cum cæteris Evangelistis, qui dicunt, *prima die azymorum*. Patet autem Evangelistarum consensus. Nam tres Evangelistæ, qui Cœnam dicunt factam esse primo Azymorum die, profecto secundam intelligunt vesperam diei Paschæ, quæ initium fuit primæ diei azymorum, atque ita ea diei mensura utuntur, quæ in diebus sacris, & legalibus adhibebatur. Quartus autem Evangelista, qui narrat Cœnam factam esse ante diem festum Paschæ, non negat factam fuisse secunda diei Paschæ vespera; sed, dum ita loquitur, significat, factam ante primum azymorum diem, adhibita non legalium, sacrorumque, sed naturalium dierum mensura, qui a media nocte incipientes in mediam noctem desinebant, vel artificialium, quorum erat initium ab ortu solis.

Etiam nunc ipsi utimur duplici illa computandi ratione.

22. Quod quidem allato exemplo perspicuum fiet magis. Nam ipsi quoque sacros dies computamus a vespera ad vesperam, naturales vero vel a media nocte ad aliam mediam noctem, vel ab oriente ad occidentem solem. Quamobrem anno 1738. quo Pervigilium S. Joannis Baptistæ die vigesima tertia Junii in Feriam secundam, & Festum vigesima quarta die in feriam tertiam cecidit, si quis rem Feria secunda gestam hora vigesima tertia narrando dixerit, die Festo S. Joannis Baptistæ contigisse, recte dicet, ratione habita sacri diei, ejusque mensuræ: Si quis vero eam rem ante S. Joannis festum narraverit gestam, recte item dicet, sumpta nimirum naturalis diei mensura, vel a media nocte ad mediam noctem, vel ab ortu ad occasum Solis: atque hæc si considerentur, neutrum neutri perspicuum est adversari.

Ad eundem modum interpretatur D. Thomas locum illum S. Joannis.

23. Atque hæc est S. Thomæ doctrina 3. part. q. 46. art. 8. *ad Primum: Cum autem dicitur Joannis 13. ante diem festum Paschæ, intelligitur hoc fuisse quartadecima Luna, quod tunc evenit quinta feria: nam Luna existente quintadecima, erat dies solemnissimus Paschæ apud Judæos, & sic eumdem diem, quem Joannes nominat diem festum Paschæ, propter distinctionem naturalem dierum, Matthæus nominat primum diem azymorum, quia secundum ritum Judaicæ festivitatis solemnitas incipiebat a vespera præcedentis diei.* Cui consentit Catechismus Romanus de Sacrament. Eucharist. pag. 134. ubi hæc habentur: *Quod si quis Joannis Evangelistæ auctoritatem opponat, qui hæc omnia ante festum diem Paschæ acta esse commemorat, ea ratio facile dissolvi potest. Etenim quem primum Azymorum diem cæteri Evangelistæ appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festi Azymorum inciperent, quo tempore Salvator noster Pascha celebravit, eum ipsum diem Joannes pridie Paschæ fuisse describit, ut qui diei naturalis spatium, quod ab oriente Sole inchoatur, in primis notandum existimavit.* Hanc semper sequuti nos sumus sententiam reverentia adducti adversus tantæ auctoritatis Scriptores. Neque tamen diffitemur ægre nos eam amplexos. Magnum enim robur futurum Evangelistæ verbis fuisse videbamus, si dixisset, *Ante diem festum Azymorum*, quibus magna vis detrahi videtur, quod dixerit, *Ante diem festum Paschæ.* Cum enim dicamus Pascha celebratum fuisse vespere decimi sexti diei, Joannes, qui narrat celebratum fuisse ante diem Paschæ, innuere videtur anticipatum esse Pascha ante illud tempus, quo celebratum esse narrant cæteri Evangelistæ. Sed in ea sententia tandem conquievimus, postquam nobis omnem amovit difficultatem textus, in quem incidimus, dum Lucæ Evangelium legeremus. Capite enim 22. v. 1. Festum etiam Azymorum Pascha appellatur: *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Et apud Josephum Antiqu. lib. 18. cap. 3. legimus: *Dum celebraretur Azymorum solemnitas, quam Pascha nuncupamus.*

Solvitur argumentum ex eo sumtum, quod Hebræi introire noluerint, ne contaminarentur.

24. Ut autem quæ alia opponuntur dissolvamus, ex eo quod Hebræi in Prætorium introire noluerint, ne contaminarentur, & ut possent manducare Pascha, non sequitur, eos nondum Paschalem Agnum comedisse, ideoque vel Christum prævertisse Pascha, vel Hebræos distulisse. Pascha enim generale quoddam est nomen, quod complectitur etiam oves, & boves, qui in ea mactabantur solemnitate, & per septem illos, qui consequebantur dies, comedebantur; ut apparet ex Deuter. cap. 16. v. 2. *Immolabisque Phase* (idest Pascha) *Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Cum igitur Joannes in concordiam revocandus sit cum tribus aliis Evangelistis, qui diserte affirmant, factam esse Cœnam, & Paschalem Agnum manducatum eo ipso tempore, quo ab Hebræis manducari oportebat, idque antequam Christus in Prætorium duceretur; propterea hæc ita sunt intelligenda, ut Hebræi in Prætorium introire noluerint, non quo sibi fas esset Paschalem Agnum comedere, quem jam manducaverant, sed ne domum Ethnici ingressi contaminarentur, neve ab cæteris Paschalibus escis, quas diebus sequentibus vellent comedere, omnino abstinere cogerentur. Neque illa quidquam itidem adversantur nostræ sententiæ Joannis verba, *In Parasceve Paschæ*, quæ non de parandis Paschalibus escis, sed de iis quibus sequenti Sabbatho usus esset, intelligenda sunt. Quæ si aliorsum accipiantur, non video qui Joannes non adversetur Marco, cujus sunt illa verba cap. 15. v. 42. *Erat Parasceve, quod est ante Sabbathum.* Nec Joannes reprehendi potest, quasi minus proprie locutus sit; eo enim anno Parasceve Sabbathi cecidit in diem Paschæ. Quo loquendi modo sane maxime proprio utimur, cum dicimus, *Dominica Paschæ, Dominica Pentecostes*, quod ea Festa in diem Dominicam cadant. Quod autem, quam Joannes nominat Parasceve Paschæ, ea ideo non sit accipienda pro Parasceve Sabbathi, quod nihil quidquam parare die Paschæ liceret, futilis ratio est, ac nullius momenti. Nam, ut dies Paschæ celeberrimus fuerit, licebat tamen ea parare, quæ usui essent ad victum, quod contra non licebat die Sabbathi; idque probatur ex Exod. cap. 12. v. 16. ubi etsi primus, & ultimus azymorum dies solemnes erant, tamen ita decernitur. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Ut rem conferam in compendium, argumento illi nonnihil roboris esset, ubi Parasceve, quam Joannes commemorat, Parasceve esset Paschæ, non Sabbati, qui dies cadebat in diem Paschæ.

Qui viri docti hoc argumentum alium de pervigilio Assumptionis Mandusii, Pezronii, & Hardouini sententias confutata.

25. Cum a nobis de Pentecoste sermo fiet, hæc ipsa redibit ad manus retractanda materia. Interea, si cui libeat abunde totum hoc argumentum copioseque tractatum inspicere, adeat Baronium, Bellarminum, Gottum, Serry, Bouchat, Gravesonium, Honoratum a S. Maria, & Witasse in locis supra citatis, quibus jungi possunt Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 40. sect. 1. Theophilus Raynaudus tom. 9. pag. 652. Juvenius de

Sacram.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Sacram. diſsert. 4. quæſt. 2. art. 4. §. 1. Tournely de Euchar. tom. 1. pag. 462. edit. Pariſien. & Herminier tract. de Sacramentis tom. 2. de Euchariſt. cap. 16. qui utramque profert ſententiam; alteram nempe Chriſtum anno emortuali ſuo Paſcha cum Hebræis eodem die celebraſſe; alteram, eo anno Hebræos Agnum Paſchalem non manducaſſe decimaquarta die, ſed decimaquinta poſt veſperam, translato azymorum feſto in Sabbathum; declarat autem, primæ ſententiæ pleroſque Theologorum ſubſcribere, nec tamen alteri ſuos deeſſe ſuffragatores ſacrarum Litterarum interpretes magni nominis; ac quæ cuique arrideat magis, eam permittit ſequi ſententiam, licet ipſe ad poſteriorem videatur eſſe propenſior. Maudſii vero, Pezronii, & Harduini peculiares de hac re commentationes apud Gottum, Graveſonium, Serry, & Boucat funditus reperiuntur everſæ. Hebræos enim duobus caruiſſe feſtis diebus, qui ſe continenter exciperent, ideoque anno Chriſti Domini emortuali primum Azymorum diem in Sabbathum rejeciſſe, nullo fulcitur fundamento. Præterea ſi primum Azymorum diem in Sabbathum tranſtuliſſent, ne duo Feſta proxime conjungerentur, nihilominus neceſſe fuiſſet iis eodem revolvi. Nam, decurſa hebdomada, duo Feſta ſimul juncta & ſe invicem excipientia nihilominus occurriſſent; Feria nimirum ſexta, qui ſeptimus fuiſſet Azymorum dies, & Sabbathum; quod ut evitarent fruſtra primum Azymorum diem in Sabbathum tranſtuliſſent. Apud eoſdem quoque Scriptores deprehendas, illud omni itidem carere fundamento, quod Hebræi diem decimum quartum modo a conjunctione Lunæ cum Sole, modo a momento, quo primum Luna fieret conſpicua, computaverint. Harduini vero Syſtema prolixa diſputatione rejecit Auctor libri, cui titulus, *Vindiciæ Veterum Scriptorum contra Joannem Harduinum*. Cæteri vero, qui idem ſyſtema refellunt, obſervarunt, nullum in ſacris paginis extare monumentum, quo duplex fuiſſe Paſcha, alterum Galilæorum, Judæorum alterum poſſit evinci; & a veri abeſſe ſimilitudine, Jeſum Chriſtum, qui eſſet e Tribu Judæ, & regio Davidis ſanguine ortus, quique vel minimum Legis apicem obſervare ſoleret; non cum Judæis, ſed cum Galilæis Paſcha celebraſſe.

Quid patiſſimum Chriſtus in ultima Cœna fecerit.

26. Rem hanc diu multumque verſarunt, & acri judicio examinarunt hæreticarum partium homines, quorum ſententias huc afferre non abs re arbitramur alienum, quod omnes in iis conſentiant, quæ ſuperius expoſuimus. Caſaubonus Exercit. 16. num. 13. profitetur, *Negari non poſſe Matthæi, Marci, & Lucæ verba id videri ſignificare, nimirum* Dominum noſtrum *Paſcha eadem die, & hora celebraſſe, quibus & cæteri Judæi omnes idem faciebant*. Joannes Friſchmutus in Theſauro Diſſert. in Novum Teſtamentum Amſtelod. anno 1702. quod de Hieronymo Vecchietto ſuperius narravimus, occaſione inde capta quæſtionis illius pertractandæ, num Chriſtus Dominus eodem quo Hebræi die Paſcha celebraverit, an diem illum celebrando Paſchate anteverterit, ait, a Chriſto Domino eodem, quo ab Hebræis, die celebratum eſſe Paſcha; ac quotquot adverſus eam ſententiam afferri poſſunt difficultates diſſolvit. Eam Diſſertationem in eodem tomo alia excipit *de ultimo Chriſti Paſchate* diſſertatio, Joanne Sauberto Auctore, qui §. 11. hæc ſcribit: *Controverſia illa, num Chriſtus ab iſto Dei præcepto in obſervando tempore Paſchatis diſceſſerit, eruditorum judicium, atque ingenia mirifice exercuit. Nobis breviter negativa veriſimilior videtur*. In Theſauro item Diſſertationum in Novum Teſtam. Haſei & Ikenii tom. 2. diſſertatio quædam eſt Joannis Chryſoſtomi Harembergii, quæ idem concludit. Quia vero Sagittarius Par. 1. Hiſtor. Paſſion. Chriſti pag. 135. & ſequen. & pag. 183. ad alteram ſeſe adjicit partem, ideirco in hunc modum de illo ſcribit: *Sagittario non induſtria, ſed judicium, & peritia Thalmudica deerat*. Incredibilis eſt Antonii Binei labor in lib. 1. de morte Jeſu Chriſti cap. 1. ſuſceptus, ut materiam hanc illuſtraret. Ibi num. 19. quæſtionem proponit. *An Jeſus uno & eodem die cum Judæis omnibus, an diverſo Paſcha ſuum ultimum celebraverit:* congeſtiſque iis, quæ tum Catholici, tum Proteſtantes alterutrius ſententiæ Sectatores ea de re ſcripſerunt, adductiſque rationibus, quæ ad utramque ſententiam conſtabiliendam faciunt, iiſque accurate perpenſis, tandem num. 32. ita concludit: *Tot argumenta docent clariſſime, longe præferendam eſſe eam ſententiam, quæ Jeſum Paſcha ſuum ultimum celebraſſe ſtatuit eadem die, eademque hora cum omnibus Judæis*. Hactenus de legali Chriſti Paſchate eodem cum Judæis tempore celebrato. Nunc de eo dicendum, quod in ea Cœna Chriſtus fecerit, cuius rei in hac Feria quinta Majoris Hebdomadæ præcipua fit commemoratio.

Hiſtoria depromitur ex Evangeliis.

27. Narrat Matthæus cap. 26. v. 21. Jeſum Chriſtum, cum ad Cœnam jam accubuiſſet, dixiſſe: *Unus veſtrum me traditurus eſt*: iis verbis vehe menter Apoſtolos perturbatos eum interrogaſſe: *Numquid ego ſum Domine?* Quibus Jeſum reſpondiſſe: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*. Judæ vero, qui eum prodidit, interroganti, *Numquid ego ſum Rabbi?* Chriſtum Dominum reſpondiſſe: *Tu dixiſti*. Porro, ut pergit Matthæus, ſumptum Chriſtus Dominus panem, eumque a ſe benedictum fregit deditque Diſcipulis dicens: *Accipite, & comedite: hoc eſt Corpus meum*; & accepto itidem Calice *gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic eſt enim Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Poſtquam vero Canticum cecinisſent, omnes ad montem Olivetum aſcenderunt: *Et hymno dicto exierunt in Montem Oliveti*. Eadem narrat Marcus cap. 14. Lucas vero poſtquam eadem narravit, quæ Matthæus, & Marcus retulit, coortam illam inter Apoſtolos contentionem addit cap. 22. v. 24. *Quis eorum videretur eſſe major?* ac refert, quo pacto eam Jeſus extinxerit. Narrat etiam, monuiſſe Petrum, fore ut eos omnes tentaret Satanas: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*; ſe autem a Patre exoraſſe, ne ejus labaret fides; & juſſiſſe ab eo cæteros fratres ſuos confirmari. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Narrat præterea Joannes cap. 13. ſurrexiſſe Jeſum a Cœna, detractiſque ſibi veſtibus, linteo præcinctum, infectaque in catinum aqua, cœpiſſe *lavare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*; cumque Petrus reſtitiſſet, ne lavaret ſibi pedes: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, & Jeſus illum monuiſſet: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, in ea verba Petrum commotum erupuiſſe: *Domine non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput*. Referuntur in eo capite decimotertio a Joanne prædictione de proditione Judæ. Jeſus enim dixit: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes: ſciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum; propterea dixit: non eſtis mundi omnes*; cumque addidiſſet; *Unus ex vobis tradet me*, tum Joannes eum interrogavit quiſnam ille eſſet; cumque reſpondiſſet Jeſus eum eſſe cui panem in patina intinctum porrexiſſet,

panem intinctum Judæ præbuit dicens: *Quod facis, fac citius*: Quorum verborum sensum ii, qui ad Cœnam accumbebant, minime sunt assequuti; Judæ enim pecuniam custodienti putavere Christum Jesum imperasse, ut eorum aliquid coemeret, quibus in Paschatis Festo opus esset, aut aliquam eleemosynam faceret. Et D. Paulus in prima ad Corinthios cap. 11. v. 23. ait, se a Domino accepisse quod *Dominus Jesus, qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

Quomodo Hebræi ad mensam accumberent.

28. Nobis non est in animo longius hinc digredi, ut quemadmodum Hebræi ad mensam accumberent, seque, antequam discumberent, abluerent, fuse persequamur. Sed paucis quibusdam, quæ ad utramque rem pertinent e sacra Scriptura depromptis, ad ea quæ Christus gessit in ultima Cœna regrediemur.

Hebræos in lecto jacentes cubito innixos ad mensam accubuisse constat ex aliquot Sacræ Scripturæ locis. Ad eum modum Christum & Apostolos in ultima Cœna accubuisse.

29. Hebræis cum cœnabant non in sellis sedere mos erat, sed porrectos jacere in lectis, cubitoque innixos cibum capere. In eo convivio, quo Assuerus Primores regni sui vocaverat, novimus Esther 1. v. 6. Lectulos quoque aureos, & argenteos super pavimentum smaragdino, & pario stratum lapide dispositos fuisse; & cap. 7. v. 8. tradit Sacer textus, Asuerum ab horto redeuntem deprehendisse Amanum in eodem, quo accumbebat Esther, lecto conjectum; quod manifestum facit indicium, eos non sellis insidentes, sed in lectis projectos accumbere consuevisse. *Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, & intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther.* Sancta illa fœmina apud Lucam cap. 7. v. 38. locum, ubi accubuerat Jesus, ingressa, *stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus*, quod quidem illi facere non licuisset, si Christus ad mensam assedisset, quo modo nos pedibus mensæ subjectis in sella quisque sua sedemus. Itaque cum Christus Dominus *in lecto accumberet* capite ad mensam converso, rejectisque ad exteriorem partem pedibus, qua dapes afferebantur, licuit illi mulieri ex adversa parte ad Christum accedere, lacrymis pedes ejus abluere, capillis extergere, unguento inungere. Ex quo intelligitur, Jesum in lecto ad eum, quem diximus, modum recubasse, quod observat Maldonatus ad illud Lucæ caput: *Quia qui ad mensam antiquo more super thoros accumbebant, ita jacebant, ut caput versus mensam, pedes versus exteriorem partem haberent, qua Ministri fercula ferentes mensam obibant.* Joannem denique ex cap. 13. v. 23. Evangelii sui apparet in gremio Domini recubuisse; *Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Et cap. 21. v. 20. *Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui & recubuit in Cœna super pectus ejus.* Quod itidem declarat, non sellis insidentes, sed in lectis jacentes ad mensam accubuisse. In Christi Domini sinum, cum ita jaceret, licuit Joanni caput rejicere; quod quidem, si quemadmodum nos, ad mensam assedissent, minime licuisset. Nec illud, prætereundum, quod Jesus lavit pedes Discipulorum, quin ipsi a mensa surgerent; id vero fieri non potuisset, nisi super thoros accubuissent, facie ad epulas conversa, & pedibus rejectis in exteriorem partem, qua fercula inferebantur. Sagittarius par. 1. Histor. Pass. Chr. pag. 202. & sequent. plurimos Auctores congerit, qui de ratione scripserunt, qua veteres ad mensam accumberent. Et Antonius Bineus de morte Christi tom. 1. pag. 210. icones exhibet, qui ad hunc modum accumbentes repræsentant, alterum a Ligorio e veteribus monumentis descriptum, alterum e Patavino, quod etiamnum extat, marmore expressum, ubi convivium apparet, in quo convivæ ad mensam thoris discumbunt. Apud eumdem Bineum pag. 260. est etiam iconismus, quo ad mensam Christus Jesus, & discipuli in lectis recumbentes exhibentur, &, quæ illi lavat, & ungit pedes, Magdalena. Quapropter absona videri debet Andreæ Bacii opinio, qui lib. 4. de naturali vinorum historia pag. 147. cum inficiari non posset, veteres lectis stratos ad mensam recubuisse, tamen contendit, convivas more nostro, præsertim si prandium paullo esset frugalius, aut cœna parcior, interdum assedisse; non quidem ut sua cuique sella daretur, sed si exempli causa octo vocati essent, duo scamna longa pararentur, quibus quaterni quaternis adversi assiderent: Jesum autem, quem, ut æquum est, humilem fuisse, eamdemque virtutem ab Apostolis postulasse non inficiatur, sella, seu parvo scamno sedentem arbitratur in cœna primum mensæ latus tenuisse, discipulis ad dextrum sinistrumque latus adsidentibus; ac propterea haud ægre illi Magdalenam pedes lavare potuisse: eodemque plane modo adsedisse ad Cœnam, quando Pascha cum discipulis suis celebravit: neque enim intelligere potest, quonam tandem modo, si lectis recubuissent, Joannes Evangelista in Christi Domini sinum reclinare caput suum, & Jesus ita lecto jacens frangere panem, & Apostolis itidem jacentibus dispertire potuisset. Hanc opinionem absonam esse, diximus: omnino enim nova est ac singularis, cujusmodi vel ipse Auctor eam esse agnoscit. Pugnare etiam videtur hæc opinio cum Historia. Ut enim Baccius eam tueatur, textus Evangelici sententiam ita detorquet, ut Joannis recubitus supra pectus Domini nihil aliud significet, quam quod Joannes proximus Jesu sederet; eamque difficultatem plane inexplicabilem dissimulat, nonnisi sublata mensa potuisse Jesum lavare pedes discipulis, si more nostro ad cœnam assedissent.

Hebræi non nisi loti ad mensam accumbebant.

30. Moris etiam erat apud Hebræos nonnisi lotos ad mensam accumbere. Quamobrem Reg. lib. 2. cap. 12. v. 20. cum David a Deo postulasset, ut filium, quem e Bersabea adulterinum susceperat, incolumem sibi servaret, ubi mortuum intellexit, ut declararet, se omni patientia quidvis illatum divinitus perpeti, suaque omnia Deo permittere, omni mœrore animi dejecto jussit, apponi sibi cœnam, ad quam non prius quam lavaretur, accubuit: *Surrexit ergo David de terra, & lotus unctusque est... petivitque, ut ponerent ei panem, & comedit.* Pharisæum etiam legimus apud Lucam cap. 11. v. 37. & 38. maritum quid illud rei esset, quod Jesus vocatus ad prandium accubuisset illotus; quod quidem confirmat, eam tum fuisse consuetudinem, ne quis ad mensam prius accumberet, quam esset lotus. *Rogavit illum quidam Pharisæus, ut prandaret apud se, & ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere: Quare non baptizatus esset ante prandium.*

Balneum ingressi prandebant lavabant.

31. Itaque Hebræi non accumbebant ad mensam, quin lauti prius essent, seu quod idem est, quin balneum adhibuissent. Cum autem exissent e balneo, nihil sibi quidquam lavabant præter pedes, ut a sordibus mundarentur, quibus conspurcari eos oportebat, dum sine calceis & caligis a balneo ad mensam venirent. Quapropter Abrahamus, & Lot Angelis, quos sub hospitum & peregrinorum aspectu domi excepérant, pedes tantum laverunt, ut est in cap. 18. Genes. & Josephus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſephus cum fratres qui e Cananæa advenerant exciperet, prius paravit convivium, ut eſt in eod. lib. Geneſ. cap. 43. v. 16. *Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue convivium, quoniam mecum ſunt comeſturi meridie.* Poſtea vero *Introductis domum attulit aquam, & laverunt pedes ſuos.* In libro Judicum cap. 19. v. 21. ubi ſenex ille tanta humanitate Levitam domi ſuæ exceperat, legimus: *Ac poſtquam laverunt pedes ſuos, recepit eos in convivium.* Et 2. Reg. cap. 11. v. 8. Urias a Rege dimiſſus fuit ad menſam, poſtquam laviſſet pedes. *Vade in domum tuam, & lava pedes tuos &c. Et egreſſus eſt Urias de domo Regis, ſequutuſque eſt eum cibus regius.* Jam vero in novo Teſtamento apud Lucam cap. 7. v. 44. de Phariſæo Jeſus conqueritur, quod ſibi pedes non laviſſet: *Aquam pedibus meis non dediſti.* Et Epiſt. 1. D. Pauli ad Timotheum cap. 5. v. 10. ubi egregiæ viduæ dotes recenſet Apoſtolus, illud etiam ait quærendum, *ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit.* Et ut abunde probemus, qui ad cœnam venirent, iis e balneo egreſſis pedes ſolum fuiſſe lautos, ſatis eſt verba Chriſti Domini referre, quæ habentur Joann. cap. 13. v. 10. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Quibus verbis non modo ad eam conſuetudinem reſpicit, ſed illud etiam ſignificat, ei qui purus eſt ab omni lethali culpa, qua anima Deo fit inviſa, nihil opus eſſe amplius, quam ut lavet pedes, hoc eſt affectiones animi regat, concupiſcentiæ impulſus coerceat, occultam elationem animi comprimat, honorum cupiditatem immoderatam excutiat, ſui ipſius amorem excindat, & iram, & invidentiam, & obtrectandi ſtudium compeſcat. Egregie ad eum locum Auguſtinus n. 4. tom. 3. *Ipſi igitur humani affectus, ſine quibus in hac mortalitate non vivitur, quaſi pedes ſunt, ubi ex humanis rebus afficimur, & ſic afficimur, ut ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipiamus.*

De inſigni hac in re Chriſti Domini humilitate.

32. Neque vero prætereundum eſt, Chriſtum Jeſum, cum Apoſtolis lavare vellet pedes, veſtem potuiſſe, linteo ſe præcinxiſſe, quo lotis pedibus tergendis uſus eſt, ut apud Joann. cap. 13. qua quidem in re maximum exhibere voluit humilitatis exemplum, non modo lavandis pedibus, ſed veſte deponenda, & linteo ſumendo, quod ſervorum erat, ut obſervat Ferrarius de re veſtiaria par. 1. pag. 138. Ejus lintei partem narrat Leo Oſtienſis a quibuſdam Monachis Hieroſolyma profectis ad Caſinenſe Monaſterium allatam eſſe; eam, juxta illorum conſuetudinem temporum, in ignem injectam ſtatim igneo colore incanduiſſe, ſemotis autem carbonibus ad primam formam eſſe reſtitutam; quod quidem veritatem ſacri lintei comprobavit. Propterea, ita ut æquum erat, honorifico in loco fuit collocatum, ut tradit etiam Joannes Chiffletius de Linteis Chriſti ſepulcralibus cap. 6.

Trina Chriſti de Judæ proditione prædictio.

33. Atque hæc hactenus de Hebræorum more accumbendi, & de lavandis pedibus. Nunc de rebus a Chriſto in ultima Cœna geſtis dicendum eſt. De proditione, quam unus ex Diſcipulis Magiſtro moliebatur, trina eſt Jeſu Chriſti prædictio. Prima eſt initio Cœnæ, ut apud Matth. cap. 26. v. 20. & 21. *Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt:* quod etiam legitur apud Marcum cap. 14. Altera eſt, poſtquam Diſcipulis lavit pedes. Joann. cap. 13. v. 10. *Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet... & vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Tertia denique, poſtquam Euchariſtiam inſtituit; ut habetur apud Lucam, qui cap. 22. v. 21. enarrata Euchariſtiæ inſtitutione, refert Chriſtum dixiſſe: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*, & conſonat Joannes cap. 13. Cujus trinæ prædictionis cauſa fuit, vel ut Apoſtolis firmior injiceretur opinio, Chriſti voluntarium fuiſſe interitum, quem, ſi libuiſſet, facile illi fuiſſet evitare, vel etiam ut iteratis illis prædictionibus Judæ daretur pœnitentiæ locus, quemadmodum ſancti Patres, ſacrique Interpretes rem hanc expendunt, quos refert Calmetus ad Matth. cap. 26. num. 21.

Quo tempore Chriſtus pedes laverit Diſcipulorum. Cœna illa triplici ter conſideranda eſt, legalis, vulgaris, Euchariſtica. Chriſtus lavit pedes Diſcipulorum expleta magna ex parte vulgari Cœna.

34. Lavit igitur Chriſtus pedes diſcipulorum; quo vero tempore id fecerit, ſacri diſputant Interpretes. Joannes cap. 13. ait, laviſſe pedes diſcipulorum, *Cœna facta.* Quia vero triplex conſiderari poteſt Cœna; prima, qua Paſchalis Agnus, adhibitis cæremoniis legalibus comedendus unice apponebatur; Secunda, vulgaris quædam Cœna, qua, cum Paſchalis agnus ſatiandæ familiæ plerumque ſatis eſſe non poſſet, quidlibet licebat comedere; Tertia denique Sacroſancta illa Cœna, qua inſtitutum eſt Euchariſtiæ Sacramentum; quærunt propterea Interpretes, quanam tandem e tribus hiſce peracta Cœna, Chriſtus laverit pedes. Suarez in 3. par. D. Th. tom. 3. diſp. 41. ſect. 2. primam inter & ſecundam Cœnam arbitratur Chriſtum laviſſe pedes Diſcipulorum, expleta nimirum legali Cœna, paullo antequam vulgaris altera inciperet. Et ſect. 4. luculenter oſtendit, Dominum Jeſum, poſtquam laviſſet pedes Apoſtolorum, ad menſam iterum recubuiſſe, ſeu, quod idem eſt, ad communem illam vulgaremque menſam, ubi denique Euchariſtiæ Sacramentum confecit; atque eam eſſe ait rerum ibi geſtarum naturalem ſeriem & ordinem: nam primum legali Cœna præcepto legis obtemperatum eſt; conſequutum eſt deinde myſterium ablutionis pedum, *ut quanta reverentia futurum Sacramentum recipiendum eſſet, ſignificaretur*, denique facta eſt ipſius Sacramenti inſtitutio. Alii putant, Chriſtum Jeſum, poſtquam Sacramentum Euchariſtiæ confecit & diſpertivit, laviſſe pedes Apoſtolorum. In ea ſententia eſt Auctor Tractatus *de cardinalibus operibus Chriſti*, qui D. Cypriano falſo tribuitur, de ablutione pedum pag. CIII. *Jam Sacramenta Corporis ſui Apoſtolis Dominus diſtribuerat, jam exierat Judas; cum repente de menſa ſurgens linteo ſe præcinxit, & ad genua Petri lavaturus pedes ejus, ipſe genibus flexis Dominus ſervo conſummatæ humilitatis obtulit famulatum*: quam ſententiam probat Calmetus in cap. Joann. 13. num. 2. Verum communis opinio eſt, Chriſtum legali Cœna expleta laviſſe pedes Apoſtolorum; atque hunc eſſe illorum verborum ſenſum: *Et cœna facta* & paulo poſt: *Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua; & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe:* nec expleta tantum legali Cœna, ſed magna etiam ex parte ſecunda illa vulgari Cœna abſumpta, quod optime probat a Lapide in cap. 26. Matth. verſ. 26. & in cap. 13. Joann. verſ. 2. ſed tamen ante inſtitutionem Euchariſtiæ: *Chriſtus hic triplicem cœnavit cœnam cum Apoſtolis. Prima fuit cæremonialis, qua comedit Agnum Paſchalem. Secunda fuit communis ſive uſualis &c. Tertia fuit Cœna Euchariſtiæ. Itaque Chriſtus poſt duas priores cœnas ante hanc tertiam lavit Apoſtolorum pedes.* Conſonat Maldonatus ad idem caput 13. num. 2. Diximus magna ex parte vulgari cœna abſumpta, quia Chriſtus poſtquam laviſſet Apoſtolorum pedes; iterum rediit ad menſam, ut apparet ex Joann. cap. 13. v. 12. *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, cum recubuiſſet iterum, dixit eis &c.* Et epulæ adhuc erant appoſitæ; pergit enim Joannes,

nes, aitque v. 26. panem in patina injectum intinctumque Judæ præbuisse: *Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.*

Quo Cœnæ tempore Christus Eucharistiam instituerit.

35. Quod tempus illud, quo Christus pedes lavit Apostolorum, definierimus, multum id confert ad tempus reperiendum, quo Eucharistiam instituit. Matthæus cap. 26. v. 26. ait, inter cœnam, scilicet communem, Sacramentum illud esse institutum: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit.* Idem ait Marcus cap. 14. v. 22. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem.* Lucas vero cap. 22. v. 20. Eucharistiæ institutionem videtur ponere post cœnam expletam: *Similiter & calicem postquam cœnavit dicens &c.* Idem ait D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. v. 23. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Sunt qui locis hisce omnibus probe perpensis, putant, Christum Jesum inter vulgarem cœnam panem consecrasse ac distribuisse, eaque absoluta, consecrasse itidem & distribuisse sanguinem. Alii arbitrantur, panem & vinum consecrasse ac distribuisse, nondum peracto tempore Cœnæ vespertinæ, seu nondum sublata mensa, quod tempus sæpenumero sub cœnæ nomine continebatur. Vide Estium in cap. 2. Epist. 1. ad Corinth. num. 25. qui priore rejecta, alteri sententiæ suffragatur. Verum ablutio pedum ante Eucharistiæ institutionem facta fuit: ea enim innuere Christus voluit, mundos eos esse oportere, qui Sacramentum susciperent, quod certe non innuebatur, pedes abluendo post Eucharistiæ institutionem, ut bene arguit Maldonatus loc. citat. *Præterea cum hac pedum lotione... docere Christus voluerit, oportere eos, qui ad sumendam Eucharistiam accederent, esse mundos, credendum est, post omnem aliam cœnam, & ante Eucharistiæ traditionem, eam adhibuisse, ne quid aliud videri posset significare.* Cumque sub finem secundæ seu vulgaris cœnæ facta fuerit, ut docuimus, pedum ablutio, qua Christus perfunctus ad mensam, ubi aliquot remanserant patinæ, reversus est, in id tempus apte videtur conjici Eucharistiæ institutio. Ratio autem conciliandi Matthæum & Marcum cum Luca & Paulo ea videtur esse, ut verba illa, *cœnantibus & manducantibus*, apud Matthæum & Marcum reditum Christi ad mensam significent post lavatos pedes discipulorum, quo tempore paullulum cibi præterea sumsit; verba autem illa, *postquam cœnavit*, apud Lucam & Paulum, finem manducandi ostendant, ut bene advertit Calmetus in cap. 13. Joannis loc. cit.

Cur Lucas & Paulus mentionem faciunt, expletæ Cœnæ cum Calicem commemorant?

36. Hæret adhuc scrupulus, cur Lucas & Paulus, dum calicem commemorant, mentionem expletæ Cœnæ injiciant, nihil autem de Cœna dicant, cum de pane loquuntur. Venerabilis Bellarminus Cardinalis tom. 3. controv. l. 1. cap. 2. de Sacram. Eucharistiæ ejusmodi eximendo scrupulo eam adhibet observationem, Lucam scilicet duos commemorare Calices, alterum ante, alterum post consecrationem panis adhibitum. De primo ita loquitur Evangelista cap. 22. v. 17. *Et accepto Calice gratias egit, & dixit: Accipite & dividite inter vos.* De altero vero hæc habet v. 20. *Similiter & Calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est Calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Primus ad legalem cœnam referendus, qui ejus cœnæ distributus fuit initio cum vino minime consecrato. Quamobrem idem doctissimus Cardinalis probat, falso argui in Calice non fuisse sanguinem ex illis verbis: *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in Regno Dei*: ea enim verba loquutus est Jesus, ut apud Lucam luculentissime apparet, non post secundi Calicis consecrationem, sed post primi distributionem. Calix vero secundus ad cœnam Eucharisticam referendus, qui sub vulgaris mensæ finem consecratus est, Jesu Christi sanguinis plenus. Idcirco Lucas & Paulus de Calice loquuti ea addiderunt verba, *Postquam cœnavit* (nam cum de pane loquerentur, nihil opus erat ejusmodi additionem, quem neque bis fractum, nec semel initio communis cœnæ, & iterum in ejusdem cœnæ fine dispertitum referunt Evangelistæ) non ut significarent, panem quidem inter cœnam, calicem vero post cœnam consecratum esse; sed ut ostenderent, cum duo Calices essent, se non de primo loqui, cujus distributio facta fuit initio cœnæ, sed de secundo, quem Christus sub ejusdem cœnæ finem consecravit, quod fuse probant Cajetanus in Luc. cap. 22. Joannes Esselius in Matthæum, Estius in primam Epist. ad Corinth. & a Lapide in Matth. cap. 26. vers. 29. Atque hic est idem ille Calix, qui multos annos Hierosolymæ conservatus fuit, ut ex Beda intelligimus, sive is, sive alius auctor sit Libri de Locis Sanctis cap. 2. ubi hæc leguntur: *In Platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat, Exhedra est, in qua Calix Domini scriniolo reconditus per operculi foramen tangi solet & osculari, qui argenteus calix duas hinc inde habens ansulas sextarii Gallici mensuram capit, in quo est & illa spongia Dominici potus ministra.* Vide Baronium ad annum Christi 34. §. 63.

Expenduntur Christi pluvii & Ascensi Cœnæ.

37. Plures in institutione Eucharistiæ considerantur Christi Domini actiones. Primo enim Jesus accepit panem, deinde Deo Patri suo gratias egit; tum eumdem panem fregit, & distribuit discipulis dicens: *Accipite, & manducate: hoc est corpus meum.* Et accepto Calice, gratias itidem egit Deo Patri suo, & Apostolis præbuit, ut ex eo biberent, dicens: *Bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Atque ita non modo in fine cœnæ utrumque consecravit, panem nimirum, & vinum (neque enim eorum opinionem sequimur, qui putant panem inter cœnam, vinum autem, expleta cœna, fuisse consecratum) sed juxta verisimiliorem sententiam, inter utramque consecrationem panis & vini, & utriusque distributionem nihil quidquam gestum est, nihilve dictum, ut colligitur ex Matthæo, Marco, & Luca. Et sane postulabat Sacramenti & Sacrificii Eucharistici ratio, ut totum id, nulla re alia interposita, continenter perficeretur: ad naturam enim ejusmodi sacrificii, quod ad exemplum refectionis instituebatur, æque pertinebat consecratio panis & vini, ut optime disputat a Lapide in cap. 26. Matth. vers. 27. Atque hæc de Christi actionibus, ut polliciti sumus, dixisse sufficiat, ne omnia persequamur, quæ in ultima cœna Christus gessit, tametsi omnia mysteriorum plena sint, & veneratione dignissima. Neque tamen argumentum hoc dimittemus, quin eas explicemus quæstiones, azymumve, an fermentatum panem Christus consecraverit; utrum consecrando pane & vino certis quibusdam conceptisque verbis usus sit; num se ipse communicaverit; num Judæ corpus suum præbuerit; quid expleta cœna denique gesserit.

38. Du-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Christus consecravit azymum; non tamen improbat Ecclesia Occidentalis ritum Orientalis consecrandi fermentatum. Græcorum injuriz adversus Occidentalem Ecclesiam. Panis triticeus materia necessaria Sacramenti. Ecclesia Latina præscriptus annus tempus inter Photii, & Cerularii schismata intersectus.

38. Dubitari minime potest, quin Christus panem azymum consecraverit: nam, ut supra docuimus, legale Pascha eodem tempore, quo Hebræi celebravit, ideoque prima azymorum die, cum nulli fas erat fermentatum panem habere domi. Sed cum Christus panem azymum consecraverit, non inde tamen recte inferas, solum consecrari posse azymum: *quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit (forsitan non quia res quæ fiebat hoc exigebat, sed quia cœna in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat) panem tamen fermentatum non prohibuit*; verba sunt Algeri lib. 2. de Sacram. Corporis, & Sanguinis Domini, cap. 10. in Biblioth. Patr. tom. 21. pag. 283. Quamobrem Concilium Florentinum anno 1439. habitum, cui Latini & Græci subscripsere, ita rem hanc definivit: *item in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Domini veraciter confici, Sacerdotes quoque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, juxta suæ Latinæ vel Orientalis Ecclesiæ consuetudinem*, ut videre licet tom. 13. collat. 22. col. 1136. Concil. Collect. Labbeanæ. Atque ibi duo observanda. Primum quanto diligentius Latina Græcam Ecclesiam, quam Græca Latinam observaverit. Latina enim Ecclesia nunquam Græcorum disciplinam improbavit consecrandi fermentatum, ut videre licet in Constitutionibus Gregorii IX. Eugenii IV. Leonis X. Clementis VII. & in Enchiridio Græcorum Beneventi anno 1717. a Cardinali Quirino tunc temporis Archiepiscopo Corcyrensi edito. Verum adversus Latinam Ecclesiam non fuit par & mutua Græcorum observantia & studium, quod spectat ad consecrationem azymi. Etsi enim Photius S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani nefarius oppressor, quem in Romano Concilio Summus Pontifex Nicolaus condemnavit, in decem illis calumniarum plenis capitibus, quæ anno 858. adversus Latinos edidit, nihil quidquam de consecratione azymi attigerit, ut apparet ex Epistola 51. Hincmari Rhemensis ad Odonem Episcopum; id tamen opposuit Latinæ Ecclesiæ anno 1043. Michael Cerularius, quod constat ex ejus Epistola, & alia quadam nomine Leonis Archiepisopi Bulgarorum scripta ad Joannem Episcopum Tranensem, in quibus vehementer exagitat Romanam Ecclesiam, Apostolicam Sedem, & Ecclesiam Occidentalem universam, quasi adhibito pane azymo judaizet; quam calumniam Summus Pontifex S. Leo IX. disjecit Ep. 1. cap. 5. Cumque anno 1054. ad pacem Latinos inter & Græcos conciliandam, bellumque adversus Normannos inferendum, Legatos suos Constantinopolim misisset Cardinales Humbertum Episcopum Sylvæ Candidæ, Fridericum Archidiaconum & Cancellarium, & Petrum Archiepiscopum, ex his Humbertus Hebraice, Græce, & Latine doctissimus publica disputatione rationes, quæ adversus panis azymi usum a Græcis & Schismaticis afferebantur, dissolvit, ut videre est in ejus Dissertatione de Azymo apud Baron. Annal. tom. 11. Alterum observatu dignum est, quod exploratum habemus, Christum panem azymum consecrasse, & Eucharistiæ materiam necessariam esse panem triticeum. Certissimum itidem est, Latinam Ecclesiam laudabiliter azymum consecrare, at in Orientalibus Ecclesiis consecrari fermentatum, exceptis tamen Maronitis, ut testatur Morinus Præfat. in Ordinationes Maronitarum; & Armenis, ut apparet ex Constitutione Gregorii VII. in Enchiridio supra allato: *De reliquo quia cognovimus, Ecclesiam vestram azyma sacrificare, & ob hoc a Græcis dumtaxat imperitis quasi de hæresi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate illorum multum mirari, sed nec ab instituto discedere*. Verum quo tempore cœperint Græci fermentatum panem, & Latini, seu Occidentales azymum consecrare, non ita compertum est. Etenim D. Thomas in 4. sentent. dist. 2. quæst. 2. quæstiunc. 3. ait, utramque Ecclesiam azymum adhibuisse usque ad ea tempora, quibus hæresis Ebionitarum erupit: eos autem hæreticos declarasse, ideo se panem azymum consecrare, ut Hebræorum Christianorumque ritus jungeretur, atque ita præcepto servandæ simul utriusque legis Moysis & Christi satisfieret: quamobrem Latinam æque ac Græcam Ecclesiam, ut ab aliis hæreticis quam longissime abessent, disciplinam consecrandi panem fermentatum amplexas esse; ea vero hæresi oppressa, refert S. Thomas, & cæteri Scholastici Theologi, Orientalem Ecclesiam usum fermentati retinuisse, Occidentalem vero disciplinam panis azymi revocasse. Verum recentiores viri docti, qui ubi agitur de rebus non juris, sed facti, veteribus & germanis monumentis se adhærere profitentur, in alias alii abiere sententias. Sirmondus in brevi præclaraque Dissertatione de Azymo tom. 4. Operum suorum edition. novissimæ contendit, in Latina Ecclesia octingentos & amplius annos fermentati usum communem fuisse; azymi vero disciplinam per id temporis invectam fuisse, quod inter utrumque schisma Photii, & Cerularii intercessit. Mabillonius in Dissertatione, quam de hoc argumento conscripsit, & Christianus Lupus tom. 3. ad Decreta & Canones Conciliorum Dissertat. de Actis S. Leon IX. cap. 7. & sequen. putant, ab Apostolicis usque temporibus ductam in Latina Ecclesia azymi disciplinam, nec umquam esse intermissam. At vir sapientia æque ac eruditione clarus Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 23. edit. novis. docet, penes Græcos fermentatum semper fuisse adhibitum; Latinos vero primis Ecclesiæ sæculis, ut cuique se temporum locorumque opportunitas obtulisset, promiscue azymo pane & fermentato usos esse; decimo vero sæculo in Ecclesia Latina disciplinam azymi confirmatam.

Quid Bocquillotus, & quid Heterodoxi hac de re sentiant.

39. Bocquillotus Tract. Histor. de sacra Liturgia lib. 1. Cap. 11. statuit, Jesum Christum in azymo consecrasse; non tamen in animo habuisse, Apostolis eorumque Successoribus præcipere, ut in Missa panem azymum fermentato anteponerent. Plura deinde argumenta & conjecturas affert, quibus ostendere studet, nongentorum spatio annorum utrumque in utraque Ecclesia tum Occidentali tum Orientali panem azymum & fermentatum promiscue fuisse adhibitum; atque in Sirmondi tandem sententiam descendit, in Ecclesia Latina statutum fuisse per illud tempus, quod inter Photii & Michaelis Cerularii Schismata interjectum est, ut panis tantum azymus consecraretur. Pertractarunt Heterodoxi quoque hoc argumentum; inter quos Philippus Julius Retmejer dissertationem, Andrea Schmidio Præside, publico proposuit examini, typisque Amstelodamensibus edidit anno 1727. quæ dissertatio extat in tom. 318. Miscellaneorum in celebri Bibliotheca Dominici Cardinalis Passionei. In ea igitur confirmantur omnia, quæ statuere Sirmondus & Bocquillotus; & Sirmondi quidem ibi fit mentio, non tamen Bocquilloti, cujus tamen opus multo antea editum fuit. Ejus auctor Lutheranarum partium ait §. 11. Lutherum noluisse de usu panis azymi quicquam immutare, quem probe sciret verum esse panem, ideoque aptam consecrationi materiam, & cuilibet potestatem fecisse juxta regionis consuetudinem

nem consecrandi in azymo vel fermentato; qua quidem in re nihil a Catholica Ecclesia statuisset alienum, si, quod tamen minime fecit, ad Concilium Florentinum respexisset, cui placuit ut in Orientali fermentatus, in Occidentali Ecclesia panis azymus adhiberetur; ideoque Sacerdos Græcus juxta Orientalem disciplinam in fermentato, Latinus juxta Occidentalem ritum in azymo consecraret, ut docet etiam D. Th. 3. Par. Quæst. 74. art. 4. atque etiam Græcus in Occidente, & Latinus in Oriente in suo quisque pane, qui sui ritus esset, consecraret, ut monet Herminier tom. 2. de Sacramentis Cap. 12. de Eucharistia pag. 412. Si cui autem symbolicæ significationes arrideant, idem Herminier docet, in azymo carnis Christi sinceritatem & puritatem, in fermentato Divinitatis & humanitatis unionem in Christo significari. Vid. Casalium de veteribus Sacris Christianor. Ritib. Cap. 87. in fine.

Non interiore & occulta benedictione, sed verbis adhibitis Christus Eucharistiam confecit; quæ videtur fuisse S. Trident. Synodi doctrina, non tamen de fide.

40. Christum Jesum conflat panem & vinum consecrasse; verum quonam tandem modo ejusmodi consecrationem confecerit, inter se Theologi discrepant. Quidam externa; alii interna & occulta benedictione, nullis verbis adhibitis, *per potestatem excellentiæ* ab omni verborum necessitate absolutam, arbitrantur panem consecrasse; sed tamen formulam quamdam & concepta præscripsisse verba, quibus posteri consecrando pani uterentur. Ita Summus Pontifex Innocentius III. lib. 4. Mysterior. Missæ cap. 6. *Dici potest, quod Christus virtute Divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute; quam indidit verbis.* Atque ad hanc opinionem accessit Durandus lib. 4. de Divinis Offic. cap. 41. num. 15. & Ambrosius Catharinus in duobus, quæ conscripsit de hoc argumento, opusculis, misitque ad Synodum Tridentinam. Quoniam vero Pontifex non decreto edito, sed suam opinionem declarando id affirmavit, recedere nolumus a D. Thomæ sententia, qui 3. par. q. 78. art. 1. diserte docet, Christum Jesum Eucharistiam confecisse non sola interiore & occulta benedictione, sed iisdem verbis adhibitis, quibus nunc Sacerdotes utuntur: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.* Favet huic sententiæ Concilium Tridentinum sess. 13. Cap. 1. ubi hæc habentur: *Hoc admirabile Sacramentum in ultima Cœna instituit, cum post panis, vinique benedictionem, se suum corpus præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est: quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, a Divo Paulo postea repetita sunt.* Ea enim verba, *post benedictionem* innuunt, Christum non consecrasse *per benedictionem*, sed per verba, quæ ab Evangelistis & Divo Paulo referuntur: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.* Quamobrem Romani Catechismi Auctores ita de panis consecratione loquuntur par. 2. de Sacramen. Euchar. n. 19. *Itaque a Sanctis Evangelistis Matthæo & Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse formam: Hoc est Corpus meum: scriptum est enim: Cœnantibus illis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & dixit: Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum. Quæ quidem consecrationis forma cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo Catholica Ecclesia usa est.* Idem Catechismus paullo post eadem ait de Consecratione Calicis. Sylvius in 3. par. D. Th. tom. 4. Quæst. 78. art. 1. hac de re ita disputat: *Quamvis dubium non sit, quin Christus per potestatem excellentiæ potuerit solo imperio panem & vinum convertere in Corpus & Sanguinem suum; ut certum tamen asserendum est, quod ad hoc usus fuerit verbis, & quidem iisdem illis, quibus nunc utimur.* Sic autem id esse certum, ut veluti Fidei articulus sit credendus, negat Tournely in Prælection. Theologic. de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento pag. 439. ubi advertit, Sacram Tridentinam Synodum propensiorem se in eam sententiam ostendisse, non tamen anathema sanxisse in eos, qui adversæ sententiæ suffragarentur. Et sane Alphonsus Salmeron e Societate Jesu Theologus magni nominis, qui Tridentino Concilio interfuit, *tom. 9. Tract. 13. pag. 88. Non dissimulabo*, inquit, *quod in Concilio Tridentino, cum quidam Theologi id peterent, ut explicaretur forma, qua Christus confecit hoc Sacramentum, auditis hinc inde rationibus, nihil esse definiendum prudenter Patres censuerunt.* Bene igitur Tournely, postquam statuit Jesum Christum iisdem verbis, quibus Sacerdos utitur, panem & vinum consecrasse, in hunc modum concludit: *Quamvis igitur sententia conclusionis nostræ certa sit, ac vera, non tamen Fidei certitudinem hactenus assequuta est: neque nostro quidem judicio privatorum est, non audita prius Ecclesiæ voce atque sententia, definire hanc aut illam opinionem hæreticam esse, aut hæresim redolere.*

Christus in ultima cœna suum ipsius Corpus & Sanguinem sumpsit. Non Judæ tribuit.

41. Christum Jesum in ultima cœna Corpus suum & Sanguinem sumpsisse ipsi nos docuimus XXXVIII. Institutione Edit. Latinæ §. 5., & fuse probat S. Thomas 3. par. qu. 81. art. 1. ubi affert auctoritatem D. Hieronymi epist. 150. ad Hedibiam qu. 2. *Dominus Jesus Christus ipse convivia & convivium, ipse comedens, & qui comeditur:* atque illud observat, quod quemadmodum antequam ferret Baptismatis legem, ipse voluit baptizari, ita cum Corporis & Sanguinis sui instituret Sacramentum, non prius Apostolis suis distribuit, quam ipse sibi sumeret. Quamobrem est in Act. Apostolor. cap. 1. *Cœpit Jesus facere, & docere.* Sylvius in 3. par. quæst. 81. art. 1. quæ docuit D. Thomas, confirmat, eosque profert Theologos, qui eamdem tuentur sententiam, aitque Christum panem & vinum consecratum sumpsisse Sacramentaliter, non tamen gratiam, seu gratiæ augmentum accepisse, cujus plenitudinem jam inde a conceptus sui momento consequutus erat, sed spiritualem illam fuisse sumptionem cum devotione & sanctitate conjunctam: & sane actualem spiritualis dulcedinis sensit delectationem. Vasquez, Christum in ultima Cœna sumpsisse Eucharistiam, testatur communem esse sententiam. Idem confirmant Orientales Theologi, quorum testimonia refert Renaudotius tom. 1. Collect. Liturgiar. Oriental. pag. 237. Utrum vero Judæ Corpus suum præbuerit, vetus est, atque etiamnum existit inter Theologos, sacrosque Interpretes controversia. Tres enim Evangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas diserte tradunt in lepali Cœna, qua Paschalem Agnum comedit, *discubuisse cum duodecim Apostolis suis;* Sed ad communem cœnam non ita compertum, multoque minus ad Eucharistiam duodecim numero fuisse convivas, qui accubuerint.

Varia de re hac sententia.

42. Quidam ex veteribus arbitrati sunt, Judam Eucharistiæ institutioni non adfuisse; cumque Jesus illum ut sui proditorem demonstrasset, foras erupuisse. Alii ajunt cum Magistro suo ad finem usque Cœnæ non permansisse. Alii denique putant, panem Judæ Christum dedisse, & quidem consecratum, sed dum proditori porrigeret, pani consecrationem ademisse, ut videre est apud Calmetum ad cap. 26. Matth. num. 23.

Jesus Eucharistiam Judæ non dedit.

43. Nos vero, quibus propositum est communes & a plerisque probatas opiniones sectari, dicimus

cimus Jesum Eucharistiam Judæ tradidisse: quod quidem ita demonstramus. Eucharistiam iis omnibus præbuit Redemptor noster, quotquot cum eo primum ad legalem, deinde ad communem cœnam accubuerant. Id patet ex D. Marco cap. 14. v. 22. & 23. *Et manducantibus illis accepit Jesus panem &c. & ait &c. Sumite: hoc est Corpus meum. Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes.* Observanda diligenter sunt ea verba: *Et manducantibus illis*, quæ ad eos referuntur, qui ad legalem cœnam excepti, communi etiam Cœnæ adfuerunt, in qua Christus Eucharistiam confecit. Magna etiam in eo verbo vis est, *omnes*, quo ex iis nemo excluditur. Judas igitur sine ulla dubitatione cum cæteris Apostolis ad legalem cœnam accubuit: id vero patet ex verbis illis Marci cap. 14. v. 17. *Vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.* Itaqua Judam Eucharistiam sumsisse oportuit. Huc accedit, quod Christus Jesus, ut docuimus, post lotos Apostolorum pedes Eucharistiam instituit; cumque exploratum sit ex Joannis cap. 13. Christum Dominum Judæ etiam lavisse pedes, necessario inde consequitur, illum Eucharistiam quoque sumsisse. Præsertim vero quia non modo adfuit cum Eucharistia institueretur, sed aliquantisper restitit: instituto enim Sacramento, & discipulis tradito, dixit Jesus, inter eos qui aderant, esse quempiam, qui se prodituros esset; nec inde prius Judas excessit, quam illi Jesus panem intinctum præbuisset; quæ omnia observare licet apud Joannem loc. cit. Judam communicasse quidem diximus; sed negamus pane illo intincto communicasse, qui nunquam consecratus fuit: sumsit enim Eucharistiam, quæ omnibus, quotquot aderant, fuit distributa ante panem intinctum, qui Judæ soli datus est. Docet id S. Augustinus tract. 62. in Joannem n. 3. tom. 3. *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit*, dum scilicet panis intinctus illi a Christo præbebatur. *Intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut Sanctus Lucas evidentissime narrat, ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per bucellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, sortassis per panis tinctionem illius significans fictionem.* Estius, quem in ea esse sententia diximus, ut putet, Eucharistiam a Christo fuisse institutam, expleta communi cœna, etiamsi nondum amota fuisset mensa, in qua cœnatum fuerat, Evangelii textum in cap. 13. Joannis pag. 556. enarrans, ubi scribit Evangelista, Christum Judæ panem intinctum tradidisse, eorum quidem opinionem non vult amplecti, qui putant, Christo post ablutionem pedum ad communem mensam reverso continuatam esse cœnam; sed cum fateatur panem intinctum, & Judæ traditum non fuisse consecratum, Judas enim antea Christi Corpus & Sanguinem acceperat, rursus affirmat, post reditum ad mensam nihil profani esse comesum. *Videtur ergo; quod nullum profanum cibum, aut potum postea Apostolis dederit, sed Sacrum solummodo, scilicet Corpus suum & Sanguinem, quem etiam Judæ ut occulto peccatori denegare noluit.* Et de pane intincto addit, *illum non fuisse panem mysticum, idest corpus Christi; jam enim ante sumpserat Corpus Christi & Sanguinem cum aliis: sed eo signo porrectæ offulæ Christum designasse proditorem non omnibus discipulis, sed soli Joanni: nec ideo instituit postcœnium, sed ex reliquiis panis & vini, quæ in mensa erant, particulam panis vino intinxit, & proditori dedit indicii causa, non alimenti.* Sagittarius Harmon. Histor. Passion. tom. 1. pag. 204. fatetur, panem intinctum Judæ traditum Eucharisticum non fuisse; plures deinde refert opiniones de liquore, quo panis intinctus fuit, plane a communi sensu remotas: quid enim aliud credi potest, quam vino intinctum fuisse?

Patres, & Theologi, qui docent Eucharistiam ab Juda fuisse susceptam.

44. Eucharistiam a Juda fuisse susceptam, præter Cyrillum Hierosolymitanum, Joannem Chrysostomum, Hieronymum, & Augustinum, differte docet etiam D. Thomas 3. par. qu. 81. art. 2. & in 4. sentent. dist. 2. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 1. & 2. & in cap. 13. Joann. Lect. 3. & 4. cui assentiuntur Theologi omnes apud Suarez 3. par. tom. 3. disp. 41. sect. 3. apud Theophilum Raynaud. tom. 9. cap. 9. Operis *de Juda* pag. 662. apud Cornel. a Lapide in cap. 13. Joann. vers. 30. apud Baronium ad ann. Chr. 34. §. 62. apud Serry exercit. 51. num. 7. apud Cardinalem Gottum de Verit. Relig. Christ. par. 2. tom. 4. cap. 23. §. 4. num. 29. apud Sandinum in Historia Apostolica pag. 214. edit. Patavinæ, & apud Sylvium 3. par. quæst. 81. art. 2. qui hanc sententiam ait veriorem, & communi consensu esse probatam. Consonat denique Ecclesia, quæ in Festo Corporis Christi canit: *Panis vivus & vitalis hodie proponitur, quem in sacræ mensa cœnæ turbæ Fratrum duodenæ datum non ambigitur.* Nam si duodecim distributum fuit Sacramentum, Judæ etiam, qui in eo numero fuit, distributum fuisse minime dubitandum.

De Hymno, quem dixit Jesus antequam exiret in montem Oliveti.

45. Cœnam Juda egresso admirandus ille sermo consequutus est Jesu Christi, quem accuratissime & diligentissime retulit Joannes cap. 13. & sequen. Et apud Matthæum legimus cap. 27. Redemptorem nostrum, *hymno dicto, exiisse* cum Apostolis *in Montem Oliveti.*

Hymnus ille fuit gratiarum actio: quibus tamen constaret verbis incompertum.

46. De hoc hymno illud verissime dici potest, *Varii varia.* Multum de illo inter se discrepant Hebræi Scriptores, ut videre licet apud Sagittarium tom. 1. Histor. Passion. Christi pag. 309. Quidam e nostris putant, Redemptorem Hymnum composuisse novum, qui quidem per quorumdam manus circumferebatur. Ei erat titulus: *Hymnus Domini, quem dixit secrete SS. Apostolis suis, quia scriptum est in Evangelio: Hymno dicto, ascendit in Montem.* Quædam ejus fragmenta ad Calmetum reperias in c. 26. Matth. v. 30. qui tamquam Priscillianistarum commentum ex quibusdam apocryphis scripturis haustum ejusmodi hymnum explodit, Augustino præeunte Ep. ad Ceretium Episcopum 273. alias 253. Baronius ad annum Chr. 34. num. 65. veterem quemdam Ritualem Hebræorum librum affert, quo Judaicæ continentur Cæremoniæ, unde eruit, moris apud illos fuisse in cœnis aliarum solemnitatum quosdam canere Psalmos, qui earum Mysteriis essent accommodati; & in Paschatis Festo Psalmum 113. concinere solitos, *In exitu Israel*, & breviores quosdam alios. Grotius in caput 26. Matth. tom. 6. Critic. sacr. pag. 904. conjicit, nihil quidquam aliud hymnum illum fuisse, quam gratias, quas Christus egerit Deo Patri post ea verba apud Joann. cap. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*; præsertim quia Christus postquam illum habuit sermonem, qui eodem cap. 17. continetur, exiit cum Apostolis suis, & trajecit torrentem Cedron. *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum Discipulis suis trans Torrentem Cedron.* Joannis 18. Verum id non probat Calmetus, qui nescire se ait, cur

Jesus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſeſus orandi formulam non recitaverit, qua Hebræi in iſtiuſmodi circumſtantiis uti conſueverant. Eccleſiaſtici cap. 32. hæc habentur: *Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis.* Quamobrem concludendum videtur, illum hymnum fuiſſe gratiarum actionem, quin de verbis, quibus continebatur, quidquam ad nos pervenerit, atque hinc laudabilem ſanctamque profectam eſſe conſuetudinem Chriſtianorum gratiarum ſublata menſa Deo agendarum, ut obſervat Baronius loco cit. & longe antea Theophylactus Commentar. in Evang. S. Marci cap. 14. pag. 109. *Et antequam, & poſtquam bibiſſent, gratias egerunt: ut & nos diſcamus, quod oporteat gratias agere Chriſto, & ipſum laudare & ante, & poſt cibum.*

Ritus, & Cæremoniæ quas hac die adhibet Eccleſia. Miſſa tota eſt de Euchariſtiæ inſtitutione.

47. Jam vero explicato Myſterio, tandem ad Ritum & Cæremonias, quas hodierna die adhibet Eccleſia, deducenda eſt oratio. Miſſa in Cœna Domini tota in Euchariſtiæ inſtitutione verſatur. Ejus enim introitu declarat Eccleſia, nulla re gloriari ſe magis, quam Domini noſtri Crucе, cui vitam, ſalutem, & reſurrectionem ſuam refert acceptam. Poſt Hymnum *Gloria in excelſis* campanarum uſus interdicitur. In Epiſtola narrat D. Paulus, ſe accepiſſe a Domino, Chriſtum Jeſum Sacram celebraſſe Cœnam, & Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſe. Evangelio continetur hiſtoria ablutionis pedum. Dicitur *Agnus Dei*, ſed ſine oſculo pacis. Binas Sacerdos conſecrat hoſtias, quarum alteram ſumit, alteram ad Feriam Sextam reſervat; hoſtia enim eo die non conſecratur. Quædam etiam exiguæ hoſtiæ, quæ vocantur particulæ, reſervantur, ſi morbo laborantibus eæ forte opus ſint. Quæ vero reſervatur hoſtia, in alium, quam quo utitur Sacerdos, injicitur Calicem, quem Diaconus Palla, & Patena tectum Velo circumdat, & ponit ſuper Altare. Bellotte ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis pag. 800. num. 3. de hac Cæremonia loquitur, eorumque improbat conſuetudinem, qui Hoſtiam injiciunt in Pyxidem: in Calicem enim immittendam eſſe dicit, & velo, ſive ſindone involvendam, quæ eſt Laudunenſis Eccleſiæ conſuetudo. Tutius tamen eſt, & honorificentius Hoſtiam in Calicem injici, pallaque, ac patena obtegi, velo obducto, ut diximus. Sacerdos deinde Clerum univerſum Euchariſtiæ Sacramento reficit; & vel ipſis Presbyteris præbetur Euchariſtia ſub una tantum ſpecie. Miſſa peracta fit Proceſſio, in qua Sacerdos Calicem geſtat, in quem hoſtiam reſervatam conjecit. Denique hoſtia ita in Calice condita in aliquo Eccleſiæ Sacello, ſeu Altari, ad id quam potuit ornatiſſime parato, collocatur. Poſt hæc Veſperæ recitantur: quibus abſolutis, nudantur Altaria; ac deinde in iis Eccleſiis, ubi ea eſt conſuetudo, fit a Prælato, vel alio Superiore pedum ablutio, quæ ceremonia *Mandatum* appellatur; in Miſſa vero, ſi ab Epiſcopo celebretur, ſacra etiam olea conficiuntur.

Uſus campanarum cur interdicatur. Cur itidem non detur oſculum pacis.

48. De diſciplina, qua hymno dicto *Gloria in excelſis*, campanarum uſus uſque ad Sabbathum Sanctum interdicitur, verba fecimus inſtitutione 20. cit. edit. ubi docuimus, per hos dies intermitti campanarum ſonum, & ligna quædam adhiberi fragoris in modum obſtrepentia, ut extet memoria illius conſuetudinis convocandi per illorum lignorum ſtrepitum primis Eccleſiæ ſæculis Fideles ad Divina Officia; in veteribus Ritualibus præſcribi, ut campanæ per hos dies ſileant, quæ cum Chriſti Prædicatores ſignificent, ideo earum ſonum intermitti; quod Apoſtoli Chriſtum in maximis cruciatibus paſſionis, arrepta fuga, deſeruerint. De Communione Cleri, deque ejus vetuſtate ſermonem habuimus inſtitutione 38. Huc addi poteſt, Pariſienſis, & aliarum quarumdam eſſe conſuetudinem Eccleſiarum, ut hoc die Sacerdotes non ab alio ſuſcipiant Euchariſtiam, ſed Miſſas celebrent privatas, quæ tamen omnes ante abſolutam ſolemnem, ſeu conventualem Miſſam peractæ ſint, ut videre eſt apud Bellotte ad Ritus Eccl. Laudunen. pag. 802. num. 7. Idem eruditus Auctor pag. 800. num. 3. loquitur de Proceſſione, in qua Sacra geſtatur Hoſtia, & in loco antea parato reconditur, quod Paſtophorium appellat, D. Hieronymi in cap. 40. Ezechielis auctoritate, qui eo nomine vocat Tabernaculum, in quo ſervatur Corpus Chriſti, qui Eccleſiæ, animarumque noſtrarum verus eſt ſponſus: aitque Hoſtiam non in Pyxide, ſed in Calice, vel in Sacra Sindone locandam eſſe, prioremque illam conſuetudinem Eccleſiaſticæ diſciplinæ adverſari contendit. Notat Mazzinellus in erudito opere, quod de Officio Majoris Hebdomadæ ſcripſit, Eccleſiam cæremoniis lætitiæ, & gaudii, quibus ob inſtitutum Euchariſtiæ Sacramentum vehementer ſe lætari oſtendit, quædam etiam mœroris ſigna immiſcuiſſe, quæ indicium facerent, memoriam ſibi in animo hærere Paſſionis Chriſti, quæ cum memoria Euchariſtiæ bene conjungitur; cujuſmodi ea eſt cæremonia prætermittendi in Miſſa oſculum pacis; tum quod diebus luctui, & mœrori deſtinatis prætermittebatur, tum etiam ut declaret, ſe proditoris Judæ oſculum execrari. Obſervat item idem Auctor, longe antea Redemptionis noſtræ Myſteria prænunciata fuiſſe, quam implerentur; inter eas contumelias, quæ Paſſionem eſſent conſequuturæ, & illud futurum fuiſſe, ut Meſſiæ veſtes detraherentur, & inter ſatellites, alioſque id genus homines ſortito diſpertirentur; ob eamque cauſam voluiſſe Eccleſiam nudando Altari, quod pluribus Scripturæ locis Jeſu Chriſti ſymbolum eſſe cognoſcimus, ipſius nuditatem ſignificare, qua in ejus Paſſione vix quidquam aliud contumelioſius. Denique obſervat, pedum ablutionem *Mandatum* appellari, tum quod ea cæremonia ab ea voce initium ſumit, tum etiam quod mandatum ejus rei, & exemplum nobis dederit Chriſtus Dominus, cum dixit: *Si ergo ego lavi pedes veſtros Magiſter, & Dominus, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

De nudandis Altaribus Peculiaris Vaticanæ Baſilicæ ritus abluendi Altare Confeſſionis Apoſtolorum.

49. De nudandis Altaribus agit Iſidorus de Officiis Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 28. Amalarius de Eccleſiaſticis Officiis lib. 1. cap. de ſexta varietate Cœnæ Domini; Rabanus Maurus de Inſtitut. Clericor. lib. 2. c. 36. de Cœna Domini; Rupertus Maurus de Inſtitur. Clericor. lib. 5. cap. 31. Joannes Belet in Explicatione Divinor. Officior. cap. 103. Durandus lib. 6. cap. 76. Gretſerus tom. 5. poſtremæ edit. ſuorum operum lib. 1. de Feſtis cap. 17. pag. 59. acerrime caſtigat Hoſpiniani temeritatem, qui piam hanc abluendorum hoc die altarium conſuetudinem improbat: *Nec placet Hoſpiniano mos eodem die lavandi Altaria; quia mallet frangi, & deſtrui, quam ablui. Mallet talem Altarium lotorem, qualem Tiguri fuit Zuinglius, & Genevæ Calvinus.* In Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica, ubi beneficio, & liberalitate Clementis XI. Canonici Theologi munus plures annos ſuſtinuimus, mos eſt, ut abſoluto Matutino, quod canitur veſpere Feriæ quintæ, univerſus ſacroſanctæ illius Baſilicæ Clerus Choro egreſſus ſe conferat ad Aram maximam, ſeu Altare Confeſſionis Apoſtolorum, illudque antea

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tea jam nudatum, ut ritus postulat, Canonici primo, deinde cæteri e Clero, vino, & aspergillis abluant. Ejusmodi cæremoniam descripsit Matthæus Patriarcha Antiochenus Vaticanæ Basilicæ Canonicus Decanus, & Altaristæ in Cæremoniali ejus Basilicæ lib. 2. cap. 10. quod manuscriptum asservatur in Capituli Tabulario, cui diu præfecti fuimus. Suaresius Episcopus Vasionensis, & Vaticanæ Basilicæ Vicarius de ea re anno 1678. opusculum edidit. Verum accuratissime omnium, & eruditissime de illiusmodi ritu scripsit Joannes Christophorus Battellus Archiepiscopus Amasenus, tunc temporis ejus Basilicæ Beneficiatus Dissertatione anno 1702. Romæ edita, cui denuo impressum addidit in fine Suaresii Opusculum. Ejusmodi ritum non solum aram maximam, sed cætera etiam Altaria abluendi retinent etiamnum Fratres Ordinis Prædicatorum, teste Cavalerio Episcopo Gravinensi in Statera Sacra tit. 4. num. 127. & Carmelitæ, ut videre licet apud Fantonum in Cæremoniali Carmelitarum lib. 2. cap. 35. §. 5. pag. 242. Pluribus etiam in Ecclesiis Galliæ, Germaniæ, & aliarum remotissimarum Regionum eadem cæremonia adhibetur, quod Battellus cap. 3. abunde probavit germanis monumentis. Probat idem Auctor cap. 6. pag. 101. in quibusdam Ecclesiis altarium ablutionem fieri solitam Feria sexta; cujus rei investigando originem, reperit, probabile esse ejusmodi ritum e Gentium consuetudine derivatum esse, qui lustrali aqua aras expiabant, vel e Ritu Judaico, juxta quem post sacrificium hostiæ expiationis mundabatur Altare, & ungebatur. *Probabile præterea crediderim, hunc morem initio ad munditiem potius, quam ad aliquod denotandum mysterium fuisse institutum, ut forte tum ab Ethnicis, tum a Judæis usurpabatur; cum etenim in toto anni curriculo, hoc tantum triduo sanctioris hebdomadæ Altaria ex vetustissimo ritu denudata retineantur, nullum sane tempus aderat aptius aut commodius ipsis Altaribus detergendis, atque mundandis.*

Vertus ea de repugnantia scribit.

50. Ea Battelli sententia valde arridet Verto, ut apparet in Præfat. ejus Operis, quod inscribitur *Explicatio cæremoniarum Ecclesiæ* tom. 2. pag. 36. Verum hoc qui conveniat non video cum eo, quod scribit tom. 4. pag. 37. non feria tantum quinta majoris hebdomadæ, sed singulis quibusque diebus, sacrificio Missæ peracto, altaria antiquitus, atque etiamnum in quibusdam Ecclesiis nudari solere; & quemadmodum Crux, Candelabra, & Toralia, seu Tobaleæ altari imponebantur, cum Missa esset celebranda, ita ea peracta, omnia hæc auferri consuevisse. Quod observavit etiam Mazzinellus in Notis ad Officium Major. Hebdom. pag. 157. *Sacrificio peracto, & ab Altari Eucharistia amota, juxta communem consuetudinem Tobaleæ complicabantur, & Altari ornatus omnis detrahebatur. Itaque ritus nudandi altaris, & hostiæ alio transferendæ* (quod intelligit de Processione, quæ fit Feria V.) *reliquum quiddam est, quod superfuit ex iis, quæ quotidie fieri solebant, quodque etiamnum non sine mysterio retinetur.* Quamobrem nobis verisimilius fit, ritum hujusmodi abluendorum hac die Altarium ex eo manasse, quod eadem die Christus Apostolorum pedes abluerit, ut observant Goarius in Notis ad Eucholog. Græcor. *in ordinem magna feria quinta observari solitum in lotione sacræ mensæ* num. 1. Bellotte in Observationib. ad rit. Eccles. Laudunen. pag. 808. lit. E. & duo septimi sæculi celebres, clarique Scriptores S. Eligius Episcopus, & S. Isidorus Hispalensis id ipsum confirmant. Ille enim Homil. 8. de Cœna Domini ait: *Propter humilitatis formam commendandam eo die pedes eorum* (Christus) *lavit: & hinc est, quod eodem die Altaria, Templique parietes & pavimenta lavantur, & vasa purificantur.* Alter lib. 1. de Ecclesiast. Offic. cap. 38. *de Cœna Domini* postquam Redemptoris nostri, qui pedes Apostolis abluit, humilitatem laudavit, *Hinc est*, inquit, *quod eodem die Altaria, Templique parietes, & pavimenta lavantur, Vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata.* Id vero a Battello loc. cit. probe notatum Vertus, quod vidisset sententiæ suæ repugnare, dissimulavit.

De ablutione pedum, quæ fit e genis hac die in memoriam humilitatis Jesu Christi, qui abluit pedes Apostolorum.

51. In Concilio Toletano XVII. cap. 3. pag. 1813. collectionis Hardnini grave refertur præceptum de ablutione pedum Feria V. in Cœna Domini. Illi enim Patres, cum Christus hoc die Discipulis suis laverit pedes, interrogant: *Cur nos piæ actionis exhibitione imbuti, exemplorum ejus non simus devotissimi sectatores?* Et Garzias Loaisa ad hoc Decretum Toletanum monet, laudabile quidem esse quocumque tempore aliorum lavare pedes; præceptum tamen esse in hac die, ut Christi exemplum imitando Pontifices, & Sacerdotes sibi subditis pedes lavent. De ablutione pedum satis prolixe loquitur Bailletus de Feria 5. Major. Hebdomad. §. 3. nu. 8. multaque affert scitu digna; & ostendit, magno apparatu in Monachorum Cœnobiis ejusmodi ablutionem fieri consuevisse: domi enim Monachis, egenis vero, mendicisque extra Monasterium Abbas pedes abluebat. Regulares Abbates multas per eam occasionem eleemosynas dilargiebantur; cumque, quibus abluti essent pedes, ad mensam accerserentur, inde ea orta est circa nonum sæculum corruptela conviviorum in honorem Cœnæ Christi Domini instruendorum, suavissimis vinis, & bellariis mensæ appositis. Affert idem Auctor, quæ Rupertus Cardinalis Pullus, & B. Petrus Abbas Cluniacensis, qui duodecimo sæculo floruit, de ejusmodi abusu sentirent: qui quidem multum contulerunt, ut certis denique finibus ejusmodi consuetudo contineretur. Addit etiam illud, quod cum ea Jesu Christi actio abluendi pedes non ad Sacerdotium unice pertineat, non modo summi Pontifices, Episcopi, & Presbyteri, sed ex Laicis etiam viri summi, puta Imperatores, & Reges, ab se alienum non putarunt, Feria Quinta in Cœna Domini lavare pedes in memoriam summæ humilitatis, quam abluendis Apostolorum pedibus Redemptor noster exhibuit. Codinus Libro de Officiis Aulæ Constantinianæ ablutionem pedum describit, in qua ab Imperatoribus Constantinopolitanis pedes duodecim pauperibus lavabantur. Narrat Elgaldus Monachus in vita Ruperti Regis Franciæ, hac die magnum illum Regem, omni sibi ornatu regio detracto, cilicio indutum pedes abluere, ac sui ipsius capillis detergere solitum, apud Martene de ant. Disciplina in Divinis celebrand. Offic. cap. 22. pag. 280. num. 3. primæ edit. Sanctam itidem Bertam Ordinis Vallisumbrosæ Abbatissam apud Bollandistas ad diem 20. Martii quotannis magna hac Feria Quinta Sanctimonialibus suis pedes lavisse legimus. Et Zacharias summus Pontifex pluribus de rebus, de quibus a Bonifacio Episcopo Moguntino consultus erat, respondens, id quoque rescribit, Sanctimonialibus, æque ac viris, licere hac die lavare pedes, Denique Bailletus monet, eamdem lavandi pedes consuetudinem in Ecclesia Græca vigere: Duodecim pauperculis lavari pedes vel a Patriarchis, vel ab Episcopis: suum cuique ex duodecim Apostolorum nominibus nomen imponi: litem inde sæpenumero oriri, qui Judas Iscariotes appellandus: si omnes ab eo no-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mine sibi imponendo abhorreant, conjectis in urnam singulorum nominibus, sortito dirimi litem; ideoque plura a rei gravitate aliena contingere. Hanc erudite materiam tractat Josephus Vicecomes lib. 3. de Ritibus Baptismi cap. 17. & Gretserus tom. 5. suorum Operum novissimæ editionis lib. 1. de Festis cap. 17. Iis porro, qui Baptismo abluendi erant, morem fuisse hac die lavandi pedes in Mediolanensi, multisque Hispaniæ, & Africæ Ecclesiis, ostendit a Lapide in cap. 13. Joann. vers. 7. & Calmetus ad eumdem locum vel. 8.

Errores hæreticorum de hac pedum ablutione.

52. Augustinus quoque hac de re verba facit Ep. 54. alias 118. pag. 127. & rationem affert, quamobrem qui Sabbatho Sancto baptizandi essent, iis Feria Quinta in Cœna Domini pedes abluerentur. *Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus sit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem Quadragesimæ sordidata cum offensione sensus ad Fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniversariæ celebratur.* Et epist. 55. alias 119. ad Januarium pag. 141. tradit, alicubi eam consuetudinem nunquam esse receptam abluendi baptizandorum pedes, ne qua fides iis adfirmaretur, qui Baptismo nullum esse robur falso autumabant, nisi pedum etiam ablutio intercederet. *Ne ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere* (ablutio pedum) *multi hoc in consuetudine recipere noluerunt.* Non desuere inter Hæreticos recentiores, qui ablutionem pedum in ultima Cœna verum esse Sacramentum contenderent: nam & signum fuisse sensibile: *cœpit lavare pedes discipulorum;* & præceptum fuisse additum: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis;* ac promissam denique gratiam; *si non lavero te, non habebis partem mecum.*

Refellitur error hæreticorum, qui putant ablutionem pedum esse Sacramentum.

53. Hunc vero errorem nobis neque est in animo refellere, nec ad institutum nostrum pertinere arbitramur. Est eorum munus, qui controversias de Religione pertractant. Et sane non defuerunt muneri suo pulchre obeundo: nam demonstrarunt, ablutionem pedum signum quidem fuisse sensibile; id tamen minime satis esse, quo verum constituatur Sacramentum: signo enim opus esse constanti, & in Religione perpetuo, practico, & sanctificantem gratiam efficiente; id vero ablutioni pedum omnino deesse, nec Christi Domini verbis ad Petrum, *nisi lavero te, non habebis partem mecum*, illud significari, quod Petrus secluſa pedum ablutione, adeoque gratia, quæ cum ejusmodi ablutione conjungeretur, a Cœlorum Regno fuisset exclusus; sed illorum verborum eam esse sententiam, Petrum, nisi lavari sibi pedes passus esset, vel non futurum Eucharistiæ participem, vel pervicaciore animo parere detrectantem, contumaciæ tandem reum, non fuisse cœlorum regni futurum compotem. Illud nobis monere visum est, Romanam Ecclesiam se ab ea consuetudine abstinuisse, ne eorum videretur fovere errorem, qui pedum ablutionem ad Baptismi substantiam pertinere arbitrabantur, quod testatur S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. num. 5. idque in Ecclesia Hispana Concilii Illiberitani Canone quadragesimo nono interdictum.

Plura apud veteres Christianos ablutionum genera. Mos abluendi pe-

54. Ablutiones juxta veterem disciplinam non fuisse unius modi, nemo negaverit. De puerorum ablutione in Sabbatho ante Dominicam Palmarum, quæ *Capitolavium* appellabatur, nos alibi quædam attigimus. Adultis, quibus suscipiendus esset Baptismus, pedes Feria Quinta in Cœna Domini morem fuisse in aliquibus Ecclesiis ut lavarentur, jam innuimus. Ritum etiam fuisse quemdam in Provincia Rothomagensi tradit Mabillonius loc. cit. pag. 65. ut Episcopus Sabbatho ante Dominicam Palmarum pauperibus pedes abluerit, & ex Ecclesiasticis quisque viris sibi quempiam egenum adsciscerit hominem, cui pedes item lavaret in Mariæ memoriam, quæ Jesu Christo pariter pedes lavit. At nos de sola pedum ablutione, quæ in hac Feria Quinta fit in memoriam ablutionis pedum Apostolorum, sermonem nostrum conferendo in compendium, dicimus: Primo, sanctum hujusmodi ritum anno 694. a Toletano Concilio XVII. Capite 3. expresso præcepto ad consuetudinem revocatum esse, adversus eos qui non paruissent addita illa sanctione: *Si quisquam sacerdotum hoc nostrum distulerit adimplere Decretum, duorum mensium spatiis sese noverit a sanctæ Communionis perceptione frustratum*: Secundo, Romanum Pontificem a vetustissimis usque temporibus ejusmodi hac die servasse consuetudinem, quam tamen non uniusmodi semper fuisse, infra demonstrabimus: Tertio, eamdem in Bononiensi Ecclesia consuetudinem a vetustis temporibus ductam etiamnum retineri. Est enim in Ecclesiæ D. Stephani interiore Cavædio rotundum quoddam vas ex candido marmore, cujus altitudo sesquipedalis, tredecim vero pedum extremæ oræ ambitus, a Joanne Cardinale Mediceo, qui postea Leo X. summus Pontifex, tum temporis Monasterii S. Stephani Abbate Commendatario, super basi locatum. In eo vase quædam est Inscriptio Luitprantis, seu Liprantis Longobardorum Regis, rarum quidem monumentum, ut in Regionibus Cispadanis omnia Longobardorum Regum monumenta rarissima. Eam eruditi Viri complures exscribere, & interpretari conati sunt. Omnium vero felicissime Valerius Zani in Dissertatione, quam typis impressam edidit Carolus Cæsar Malvasia, inseruitque operi suo, cui titulus *Marmora Felsinea*, pag. 187. Inter cætera ejus Inscriptionis verba leguntur hæc: *Hic jussi humiliter præcepta sua obtulerunt* (Reges Longobardi) *unde tunc vas impleatur in Cœnam Domini Salvatoris. Et si qua munera contingat minueri, Deus requiret.* Integram affert Mabillonius in Museo Italico tom. 1. pag. 198. aitque, doctos credidisse viros, ad pedum ablutionem in Feria 5. Majoris Hebdomadæ vas illud fuisse adhibitum; se quidem suspicari, eo destinatum, ut vino impleretur ad illud convivium, quod post ablutionem pedum celebrabatur. Quod quidem indicio est, ab Episcopo pedes ablui consuevisse in ea Ecclesia, quæ Cathedralis tunc temporis esset; cum præsertim in eadem inscriptione fiat mentio Barbati Episcopi, qui a Sigonio in Historia Episcoporum Bononiensium prætermissus, Episcopali illi Chronologiæ omnino est adjiciendus.

des Feria 5. in Cœna Dominica Romana, Ecclesia, & in Ecclesia Bononiens. Inscriptio singularis Bononiæ in Ecclesia S. Stephani.

Ea consuetudo in Romana Ecclesia non semper fuit uniusmodi.

55. Hanc consuetudinem a vetustissimis usque temporibus servatam a Romano Pontifice non semper uniusmodi fuisse, paullo ante ideo diximus, quod in Ordine Romano Cencii Camerarii habetur, Romanum Pontificem, Missa peracta, duodecim hac die Subdiaconis, post prandium vero tredecim pauperibus pedes abluere consuevisse. At in Ordinibus Romanis a Mabillonio editis præsertim decimo num. 12. & decimoquarto num. 91. legitur, Papam duodecim Diaconis, atque hi si deessent, duodecim Capellanis lavare pedes: in Cæremoniali vero Augustini Patritii Piccolominei Episcopi Pientini, qui liber Marcello Archiepiscopo Corcyrensi tribuitur, præscribitur

bitur lib. 2. cap. 26. ut hac die Pontifex tredecim pauperculis hominibus veste candida indutis abluat pedes, quod iterum præscribitur cap. 49. Ille autem numerus etiamnum retinetur; tredecim enim Pontifex pedes abluit pauperibus, omnes qui sint sacerdotes, ut tota res ad exemplar Christi Domini referatur expressius, qui Apostolis abluit pedes.

Rex Daniæ, Florentiæ dum esset, rogat cur tredecim pauperibus pedes abluantur.

56. In quibusdam Ecclesiis duodecim tantum, in quibusdam aliis Ecclesiæ Romanæ more tredecim pauperibus pedes abluuntur; ut in Ecclesia Florentina. Contigit autem, ut Florentiæ cum esset Danorum Rex ann. 1709. & ad ablutionem pedum vidisset paratos tredecim, ad eos conversus, qui una secum aderant, interrogaverit: *Et cur tredecim?*

Variæ doctorum hominum rationes ejus ritus explicandi.

57. Id autem susceperunt viri docti explanandum. Sarnellus Episcopus Vigilensis tom. 1. epist. 13. duplicem cum Ruperto Abbate in Romana Ecclesia ablutionem observat; alteram in Mariæ memoriam, quæ in domo Pharisæi lavit, unxitque pedes Christo Domino; alteram quæ ipsius Christi refert actionem, qua pedes abluit Apostolis suis. Utramque vero concludit ablutionem in unam coaluisse, tredecimque hominibus lavari pedes, ut in uno abluendo, Mariæ actio cum Christum abluit, in cæteris duodecim actio Christi abluentis repræsentetur. Aresius Episcopus Tortonensis lib. 3. *delle sacre Impresa* pag. 341. putavit tertium illum decimum exprimere Paulum Apostolum, non quod ille Cœnæ adfuerit, quem constat post Christi Domini Ascensionem ad Apostolatum fuisse vocatum, sed ob Ecclesiæ Romanæ erga eum obsequium & venerationem, quæ Ecclesia illi, & B. Petro Christianam fidem refert acceptam. Hanc sententiam Frescobaldus Florentinus Presbyter evertere conatus est in Dissertatione, cui titulum indidit, *Pedilavium*. Eam tamen haud ita a veritate alienam judicavit Orlendius Ordinis Prædicatorum cap. 13. sui Operis, quod inscripsit: *Duplex lavacrum in Cœna Domini fideliter exhibitum*. Fuere alii, qui tertiodecimo illo repræsentari putarunt D. Matthiam, qui in Judæ locum postea suffectus est. Frescobaldus omni studio conatus est ostendere, Patremfamilias exprimi, cujus in domo Christus Dominus celebravit Pascha: contendit enim, Jesum illi itidem, ut duodecim Apostolis suis, pedes abluisse, quod Orlendius vehementer improbat. Quidam denique duplex illud lavacrum, de quo supra diximus, alterum quo Missa peracta duodecim Subdiaconis, alterum post prandium, quo tredecim pauperibus pedes abluebantur, considerantes, ajunt, primo illo lavacro ablutionem pedum Apostolorum exprimi, alterum vero institutum fuisse in ejus memoriam miraculi, quod ætate contigit S. Gregorii Magni. Nam cum Sanctus ille Pontifex duodecim quotidie pauperibus prandio exceptis ministraret, vidit decimum tertium, Angelum nimirum, sibi ex improviso adesse. Ejus miraculi historia miro artificio depicta cernitur in pariete Romæ in templo S. Gregorii, cui picturæ illud Distichon subjectum est.

Bis senos hic Gregorius pascebat egentes.
Angelus & decimus tertius accubuit.

Laudabilem inde illam esse ortam consuetudinem, ut Romani Pontifices tredecim quotidie pauperes, omnes plerumque Sacerdotes, e Xenodochio Sanctissimæ Trinitatis accersitos prandio excipiant.

Duplex ablutio

58. Quibus præmissis, ajunt, nec sane videntur abesse a veritate, ablutione duodecim Subdiaconorum, ut brevitati serviretur, sublata, utrumque lavacrum in unicam ablutionem esse compactum tredecim Sacerdotum egentium; atque inde consuetudinem manasse, ut tredecim Sacerdotes singulis diebus prandio exciperet Romanus Pontifex, qui tredecim illis, quibus hac die ad mensam excipi obtigerit, etiam lavet pedes. Vide Meratum par. 2. tom. 1. Observat. ad Gavantum pag. 1069. & seq.

pedum in unam reductæ: inde factum, ut tredecim pedes abluantur.

De Oleis Sanctis. Quis, quibusque eorum usus.

59. In Romano Pontificali summorum Pontificum Clementis VIII. & Urbani VIII. jussu recognito describitur ab Episcopis in Missa servandus Ordo benedicendi Oleum Catechumenorum, & Infirmorum, & conficiendi Chrismatis. Oleum Catechumenorum Ecclesia adhibet in Baptismali Fonte benedicendo, in Sacramento Baptismatis conferendo, in Ecclesiis, & Altaribus tum firmis, tum mobilibus consecrandis, in Presbyteris initiandis, in Rege, Reginaque benedicendis & coronandis. Infirmorum vero sacro oleo utitur Ecclesia in Sacramento Extremæ Unctionis administrando, & Campanis benedicendis. Sacrum denique Chrisma adhibet in Sacramentis Baptismi, & Confirmationis, in Consecratione Episcopi, in Consecratione itidem Patenæ, & Calicis, & in Campanæ benedictione, in qua etiam una cum Chrismate Oleum, ut diximus, Infirmorum adhibetur.

Quibus rebus conficiatur Chrisma.

60. Oleo & balsamo Chrisma conficitur cap. Unic. de Sacra Unctione. Balsamo ex Occidentali India advecto ad Chrisma conficiendum plerique omnes utuntur Europæ Episcopi; cui veri balsami est natura, vis tamen paullo debilior. De hujusmodi balsamo ex Occidentali India consilium extat celebris Martini Navarri, qui vi, & natura verum esse Balsamum probat. *Eo tamen hodie ad Chrisma utitur omnis fere Europæ Ecclesia: ac esse genuinum ostendit in consiliis Martinus Navarrus*: verba sunt Christiani Lupi in Dissertatione de octava Synodo generali tom. 4. pag. 344. & Sambovius, *Balsamum*, inquit, *Judaicum sit, vel Indicum, perinde est. Soli quidem Judææ olim concessas has arbusculas fuisse credebatur. In Indiis tamen utrisque postea repertæ sunt; ex quibus quod exsudat adsportatur ad nostras regiones: immo & apud nos quædam invisuntur arbusculæ Balsami ex Indiis delatæ.*

Chrismatis consecratio ex Traditione Apostolica.

61. Referendam esse ad Apostolicam traditionem consecrationem Chrismatis Basilius nobis est Auctor, qui libro de Spiritu Sancto cap. 27. *Benedicimus autem*, inquit, *& aquam baptismatis, & oleum unctionis, imo ipsum etiam, qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione?* Chrisma non nisi ab Episcopo conficiendum; quamobrem cum Fortunatus Episcopus in Carthaginensi secundo Concilio pag. 952. collectionis Harduini, Presbyteros quosdam conquestus esset ausos esse Chrisma conficere, *ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant*. Quod Can. 26. Concilium Carthaginense tertium pag. 964. confirmavit: statuit enim, *ut Presbyter, inconsulto Episcopo, Virgines non consecret, Chrisma vero numquam conficiat*. Et consonant Canones omnes relati a Gratiano in Can. *Si jubet* 1. & Can. *Presbyter* 2. 26. quæst. 6. præter alia plura Sanctorum Patrum, & Conciliorum loca apud Christianum Lupum loc. cit. pag. 1421. & apud Martene de antiqua Ecclesiæ Discipl. in Divinis celebrandis Offic. cap. 22. §. 3. pag. 239. edit. primæ. Atque idem Christianus Lupus verba illa, ex vita S. Silvestri in libro Pontificali *constituit Chrisma ab Episcopo confici*, in hunc modum interpretatur: *Vocem*, constituit,

ſtituit, *uſurpat pro conſtitutum utique divino Jure declaravit*.

Oleum Catechumenorum, & infirmorum benedicit Epiſcopus. Controverſia quædam inter Theologos de Oleo non benedicto ab Epiſcopo.

62. Eſt etiam Epiſcopi Catechumenorum oleum, & Infirmorum benedicere. Nondum tamen ea eſt dirempta inter Theologos controverſia, num ad Extremæ Unctionis Sacramentum, etſi illicite, valide tamen adhibeatur Oleum ex oliva, quod Epiſcopus nec benedixerit, nec ſacrarit; in qua quidem controverſia placet pleriſque eorum ſententia, qui ſtatuunt, nihil agi adhibito Oleo non conſecrato ab Epiſcopo, ut videre licet deciſ. 65. num. 6. & ſequen. Clericati tit. de Extrema Unctione.

Diſciplina benedicendi Olea Feria 5. videtur introducta ſæculo 7.

63. Diſciplinam illam benedicendi Feria Quinta Majoris Hebdomadæ, & conſecrandi Olea tertio introductam eſſe ſæculo a S. Fabiano Pontifice libere profecto affirmare poſſemus, ſi genuinum monumentum illud eſſet, quod Gratianus refert in Can. *Litteris veſtris* de Conſecr. diſtinct. 3. Verum cum viri docti plurimis de cauſis ſpuriam eam S. Fabiani Epiſtolam ſuſpicentur, & Can. 20. Concilii Toletani primi quinto ſæculo habiti ſtatuatur, non eſſe Presbyteris conficiendi Chriſmatis facultatem, idque muneris eſſe Epiſcoporum, qui poſſunt *omni tempore* Chriſma conficere, veriſimile nobis fit, circa ſeptimum ſæculum cœptum eſſe confici Chriſma Feria Quinta in Cœna Domini. Extat enim hoc die hujus ſolemnitatis mentio in Sacramentario S. Gregorii, in Veteri Ordine Romano, & apud alios Auctores, qui de Divinis Officiis per illud tempus ſcripſerunt, & in Decretali *Quoniam* de ſentent. Excommunicat. in 6. ubi ſtatuitur, Feria Quinta in Cœna Domini etiam tempore Interdicti conficiendum eſſe Chriſma, quo opus eſt ad Baptiſmum, & Confirmationem adminiſtrandam; quæ duo Sacramenta etiam interdicti tempore conferuntur. Et D. Th. 3. par. qu. 72. art. 12. *ad tertium* pag. 230. de die, quo conficiendum eſt Chriſma, hæc habet: *Quia ſolemnis Baptiſmus, ad quem requiritur uſus Chriſmatis, in Vigilia Paſchæ celebratur, congrue ordinatum eſt, ut per biduum ante ab Epiſcopo Chriſma benedicatur, ut poſſit per Diœceſim deſtinari. Dies etiam ille ſatis congruit ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur.*

Numerus Presbyterorum, Diaconorum, & Acolythorum, qui huic benedictioni adhibentur, tam quam teſtes.

64. Denique in eodem Pontificali Romano præſcribitur, ut præter Miniſtros, qui Epiſcopo inſerviunt, duodecim Presbyteri, ſeptem Diaconi, Acolythi, aliique ſacræ huic cæremoniæ adhibeantur candida omnes induti veſte: qui quidem mos, ut Presbyteri interſint, veluti teſtes, minime tamen ut miniſtri, cum ſit vetuſtiſſimus, inde Presbyteris elati ſunt animi, ut conficiendi Chriſmatis ſibi quoque facultatem eſſe contenderent; ut advertit Martene loc. cit. pag. 240. num. 3. *Et quidem huic præſumptioni occaſionem præbere potuit antiquiſſimus Eccleſiæ uſus Presbyteros una cum Epiſcopo adhibendi ad Chriſmatis conſecrationem, ſi non ut cooperatores, ſaltem ut tanti myſterii teſtes.* Bellotte in Obſervat. ad ritus Eccleſ. Laudunen. pag. 794. num. 7. obſervat, in Ordine quodam Romano Sacerdotes appellari cooperatores; ſed appoſite hæc addit: *Verum cooperatores dixeris eos, qui in ipſa Conſecratione Chriſmatis adhibentur tamquam Miniſtri, & inſpectores, ut eſt in Pontificali: ſolius eſt enim Epiſcopi Chriſma ſacrum conficere, minime Presbyterorum ex Concilio Florentino in Decreto de Armenis, ubi materia Sacramenti Confirmationis dicitur eſſe Chriſma ex oleo & balſamo per Epiſcopum conſecrato, adeo ut Presbyteri dicantur Cooperatores in hac Conſecratione Chriſmatis quoad ſolemnitatem, & miniſterium, minime vero quoad eſſentiam; quamquam nefas ſit Epiſcopo ſub gravi peccato ſacrum Chriſma conficere non vocatis, ſeu præſentibus Cooperatoribus Presbyteris.*

Ritus benedicendi Olea apud Orientales.

65. Atque hæc ſunt, quæ ad Eccleſiam Occidentalem pertinent; a quibus Orientalis Eccleſiæ ritus in quibuſdam paullulum differt. Græci enim in Chriſmate conficiendo non modo oleum, & balſamum, ſed ad triginta quinque aromatum genera immiſcent, vino etiam haud ita parce indito, ut videre licet in Eucholog. Goarii, idque nos multo antea innuimus Edict. 6. & ea de re tractat Card. de Lugo lib. 1. Reſponſ. Moral. dub. 8. Præterea Presbyteri Græci in adminiſtrando Extremæ Unctionis Sacramento pro re nata Oleum infirmorum conficiunt, ut in eorum Euchologiis *In officio Olei ſancti*; quod illis a Clemente VIII. permiſsum eſt *in Inſtructione ad Epiſcopos Latinos: Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum ejuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Maxima etiam apud eos celebritate quondam confectum eſt Chriſma ab eorum Patriarcha cum Archiepiſcopis, & Suffraganeis Epiſcopis. Quam commemorat conſuetudinem Innocentius IV. Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum Apoſtolicum Legatum in collectione maxima Conciliorum P. Harduini pag. 364. *Singuli quoque Epiſcopi in ſuis Eccleſiis in die Cœnæ Domini poſſunt ſecundum formam Eccleſiæ Chriſma conficere ex balſamo quidem, & oleo olivarum &c. Sed ſi ſuum antiquum Ritum in hoc Græci potius ſervare voluerint, videlicet quod Patriarcha una cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis ejus Suffraganeis, & Archiepiſcopi cum Suffraganeis ſuis ſimul Chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur.* Antiquum Pontifex ejuſmodi Ritum appellat, qui quidem a quibuſdam tribuitur hæretico homini, & ingenii perverſitate in primis nobili Petro Fulloni Patriarchæ Antiocheno ſeculo quinto; non quod ipſe in Orientalem Eccleſiam conſuetudinem conficiendi Chriſmatis primus invexerit, ſed quod auctor fuerit, ut quod antea propemodum ſecreto, magna deinceps celebritate, & populi frequentia conficeretur, ut notat Lupus loc. cit. pag. 1423. Bailletus in Feſto hujus diei §. 5.

De infuſſatione in ampullam Chriſmatis & Olei Catechumenorum ejus veritas aſſeritur.

66. De benedictione, & conſecratione ſacrorum Oleorum, & Chriſmatis, quæ Feria Quinta in Cœna Domini conficiuntur, diſſerit Pouget in Inſtitutionibus Catholicis tom. 2. cap. 8. §. 5. pag. 895. atque hunc ritum oſtendit ab Apoſtolica traditione profectum; & Proteſtantes provocat, ut Concilium aliquod, aut quempiam afferant ex Sanctis Patribus, qui hunc ritum obſervatum eſſe vel neget, vel improbet. Eo etiam loco oſtendit, a ſæculo uſque quinto & ſexto fletiſſe diſciplinam illius inſpirationis, qua Epiſcopus, & Presbyteri ampullæ Chriſmatis, & olei Catechumenorum ſemel, iterum, & tertio inhalant, itidemque iisdem ſæculis illum fuiſſe ritum, ut Epiſcopi, & Presbyteri Chriſma, & Oleum jam benedictum ſalutent illis verbis, *Ave ſanctum Chriſma: Ave ſanctum Oleum.* Duo de ſacris Ritibus celebres Scriptores Amalarius de Eccleſiaſtic. Offic. lib. 1. cap. 12. & Rupertus Abbas lib. 5. de Divinis Offic. cap. 12. docent, Chriſmatis ampulla Chriſti Domini corpus in B. Mariæ utero formatum ſignificari: apertam ab Epiſcopo, cæteriſque Miniſtris ampullam ſalutari, ut innuatur, Dominum Jeſum ſeſe videndum corporaliter iis exhibuiſſe, quos Reſurrectionis ſuæ teſtes

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſies eſſe voluit: eam deinde occluſam ſalutari a cæteris, ut ſignificetur, Chriſtum poſt Aſcenſionem, licet non amplius conſpicuum, a nobis quotidie adorari. Theologi itidem de hoc inhalandi ſuper olea ritu, ac de ea ſalutatione oſtendunt, neutrum Idololatriæ inſimulari poſſe, quod calumniantur hæretici: ea enim aſpiratione, qua olea afflantur, exprimi ipſum ſuper Olea Spiritus Sancti delapſum ad Jesu Chriſti exemplum, *qui inſufflavit in Apoſtolos*, ut oſtenderet ſuper ipsos Spiritum Sanctum illabi, apud Joann. cap. 20. Neque mirum eſſe, quod res etiam salutentur inanimes. Nam & S. Andreas ubi primum Crucem aſpexit, ſalutavit: *Salve Crux pretioſa*; & S. Paula ſimul oculis proſpexit Bethlehem, ipſam civitatem itidem ſalutavit, teſte Hieronymo in Epiſtola, quam de ejus morte conſcripſit. Gregorius pariter Nazianzenus Cathedram, Templumque ſalutavit in Oratione, quam in Conſtantinopolitano Epiſcopatu abdicando habuit ad Clerum. Neque nos Chriſma, & Oleum *phyſice*, *& abſolute*, ut Theologi loquuntur, ſed *relative*, *& moraliter*, tamquam Chriſti Symbolum, ſalutamus. Vid. Bellarm. tom. 3. Controverſ. lib. 2. cap. 13. de Sacram. Confirmat. Juvenin. de Sacram. diſput. 2. de Confirmatione qu. 2. cap. 5. art. 4. num. 4. Tournely de Sacram. Confirm. art. 3. pag. 501. Edit. Pariſien. Witaſſe de Sacram. Confirmat. tom. 2. part. 5. art. 1. pag. 507. Videndus etiam Bellotte citato Opere pag. 791. num. 4. qui de Salutatione illa loquens, qua a duodecim Presbyteris ſancta olea ſalutantur, & de oſculo, quod Sacris ampullis, quibus Olea continentur, ab iiſdem Sacerdotibus defertur, hæc omnia jure optimo fieri ait: *Debetur enim rebus ſacris reverentia ratione ſanctitatis, quia ex eo quod ad cultum Dei deputantur, divinum quiddam in ſe habere cenſentur: unde honor, qui iis defertur, ſuapte natura redundat in Deum.*

Vetus diſciplina reconciliandi hac die Pœnitentes. Tunc olim Miſſæ celebrabantur.

67. Poſt ſacrorum Oleorum benedictionem, & Conſecrationem in Pontificali Romano præſcribitur cæremonia, qua eadem hac Feria Quinta Pœnitentes, qui primo Quadrageſimæ die Eccleſia publice pulſi fuerant, reconciliantur, quæ quidem cæremonia non in Romano ſolum Pontificali reperitur, ſed etiam perquam vetus eſt. Conſtat enim, hac die olim fuiſſe conſuetudinem ternas celebrandi Miſſas, quarum prima erat pro Pœnitentibus reconciliandis, ſecunda pro ſacris oleis benedicendis, tertia denique in memoriam inſtituti a Chriſto Domino Euchariſtiæ Sacramenti. Ternis autem illis Cæremoniis in unum contractis ſua cuique unius Miſſæ pars aſſignata eſt. Sæculo ſeptimo, Morinus de Sacr. Pœnit. lib. 7. cap. 19. oſtendit, cæptas eſſe feria quarta Cinerum publicas pœnitentias imponi. Et lib. 9. cap. 29. abunde oſtendit vetuſtatem Ritus Eccleſiæ Romanæ, aliarumque Occidentis Eccleſiarum Pœnitentes Feria Quinta in Cœna Domini reconciliandi. De eo Ritu ita S. Innocentius epiſt. 1. cap. 7. pag. 998. collectionis Conc. P. Harduini: *De Pœnitentibus vero, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum, Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Et S. Hieronymus Epiſt. ad Oceanum de pœnitentia Fabiolæ pag. 455. *Quis hoc crederet, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reverſa &c. ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur, & tota Urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in Ordine Pœnitentium, Epiſcopis, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora luri-da, ſqualliidas manus, ſordida colla ſubmitteret?* Notat Morinus, eos Pœnitentes reconciliari conſueviſſe, qui pœnitentiæ ſuæ tempus expleverant, vel qui ab Eccleſia gratiam impetraverant, ut, etiam pœnitentiæ tempore nondum expleto, reconciliarentur. De reconciliatione Pœnitentium Feria Quinta in Cœna Domini agit Martene lib. 1. par. 2. de ant. Eccleſ. Ritibus cap. 6. art. 4. & Tractatu de antiqua Eccl. Diſciplina in Divinis celebrandis Offic. cap. 22. §. 2.

Varia Pœnitentium genera. Quorumdam in Galliis Eccleſiarum diſciplina, quæ etiamnum viget de repræſentandis in hac die Pœnitentibus.

68. Nobis non eſt in animo tractatum conſcribere de publicis veterum Chriſtianorum Pœnitentiis, nec de variis Pœnitentium generibus, quorum quidam *Auditores* appellabantur; qui ſacco & cilicio induti extra Eccleſiam detinebantur, eamque prohibebantur ingredi; alii nomine *Subſtrati* ex Auditorum claſſe egreſſi, in ultimam tantum Eccleſiæ partem admittebantur, nec adeorant niſi Miſſæ Catechumenorum, hoc eſt uſque ad Offertorium; tunc enim Eccleſia excludebantur, ne ineffabilibus adeſſent Myſteriis; alii denique *citra oblationem Communicantes* appellabantur, e *ſubſtratorum* claſſe ad hanc tertiam tranſgreſſi, quibus integræ Miſſæ licebat adeſſe, quin tamen Euchariſtiæ participes fierent. Ne illud quidem examinandum ſuſcipimus, num, quemadmodum ob tria illa graviſſima crimina infidelitatis, luxuriæ, & homicidii publica pœnitentia imponebatur, ut conſtat ex Tertulliano, Paciano, & Gregorio Nazianzeno, ita publica etiam peccati confeſſio injungeretur. Ceterum credimus, ſi peccatum publicum eſſet, publicam poſtulari conſueviſſe ab Eccleſia confeſſionem; contra vero in pœnitentia publica pro peccatis occultis, non publicam confeſſionem eſſe poſtulatam, niſi forte ipſe Pœnitens ultro ſe oneri ſubjiceret, aut Epiſcopus in Fidelium utilitatem, & ædificationem id ſibi putaret a Pœnitente exigendum, quod erudite oſtendit Cabaſſutius Diſſertatione edita in notitia Conciliorum. Nulla enim umquam Eccleſiæ major cura fuit, quam ut ne occulta peccata Sacerdotum fidei a Pœnitentibus commiſſa enuncientur, & ut Confeſſionis ſigillum quam diligentiſſime cuſtodiatur. Itaque quamquam ex publica pœnitentia nec crimen ullum, nec, ſi quod fuiſſet, criminis qualitas argui poterat; nam ab omni peccato vacui, vel leviculæ culpæ affines etiam publicam pœnitentiam ſubibant; tamen veteres Patres, ſi qua ſibi oboriebatur dubitatio, ne indicta alicui pœnitentia publica ad occulti ſuſpicionem criminis patefieret aditus, vel iiſdem temporibus, cum publice pœnitentiæ doctrina floreret, haud ægre publicam cum privata pœnitentia commutabant; quod probat Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 8. num. 5. Itaque ut rem in pauca conferamus, præceptum dicimus eſſe Apoſtoli in Epiſtola prima ad Timotheum cap. 5. verſu 20. ut publici peccatores publice arguantur. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant:* Concilium autem Tridentinum ſeſs. 24. cap. 8. publicam quidem ſtatuiſſe peccatoribus publicis pœnitentiam, ſed tamen Epiſcopis permiſiſſe, ut, ſi videretur, in occultam privatamque permutarent. *Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam, Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Sanctæ hujus Synodi veſtigiis inſiſtens magnus ille Diſciplinæ

plinæ Ecclesiasticæ assertor & vindex Sanctus Carolus Borromæus tertio, & quinto Mediolanensi Concilio jussit, Parochos proximo ante Quadragesimam mense ad Episcopum publicorum peccatorum nomina afferre, ut peccatores ejusmodi ab Ecclesia ineunte Quadragesima pulsi, Feria quinta in Cœna Domini ad Romani Pontificalis præscriptum in gratiam Ecclesiæ reciperentur; quod etiam a Benedicto XIII. Pont. Max. de nobis optime merito, dum Beneventanam Ecclesiam regeret, factitatum comperimus. Bellotte ad Rit. Eccl. Laudunen. pag. 787. num. 4. narrat, eos Presbyteros, qui in Cathedrali Laudunensi Publicorum Pœnitentium Feria IV. Cinerum partes egerant, *qui in capite jejunii in Spiritu humilitatis & animo contrito Pœnitentium personam sibi induerant*, Feria V. in Cœna Domini e choro egressos venire in Capitulum, ut generalem ibi peccatorum absolutionem consequantur. Testatur etiam, in matricibus Ecclesiis eam fuisse quondam consuetudinem, ut plebis nomine fieret confessio, qua peccatorum omne genus contineretur, eaque peracta Populo generalis impertiretur absolutio. Morem hunc ait etiamnum retineri in Diœcesi Laudunensi, & in omnibus ejus Parochiis: nam Ecclesiæ Rector plebis nomine generalem omnium peccatorum Confessionem facit, singulaque peccata nominat juxta formam, quæ in eo Rituali præscribitur, omnesque monet, ut *Confiteor* recitent; quo recitato, generalem Populo absolutionem impertit. Publicam autem absolutionem hujusmodi veram esse peccatorum remissionem negat, sed solam esse cæremoniam; quamquam nonnulli eam inter Sacramentalia collocant, ac per illam peccata venialia deleri existimant. Hanc vero cæremoniam perutilem esse ait, ut populus de recta ratione confitendi peccata doceatur, & audientibus alicujus refricetur peccati memoria, quod Sacerdoti confiteantur, ut debent.

Olim per se ipsi Romani Pontifices has omnes cæremonias exequebantur. In Vaticana Basilica consecrantur olea a Cardinali Archipresbytero.

69. Eas omnes, quas commemoravimus, cæremonias celebrandi Missam, reconciliandi Pœnitentes, consecrandi Olea, & abluendi paupeRum pedes ipsi per se quondam Romani Pontifices hac die exequebantur. Constat id ex Ordine Romano decimo, quem sæculo undecimo scriptum edidit Mabillonius in Museo Italico tom. 2. Eosdem item Ritus omnes descriptos reperias in Ordine Romano decimoquarto, cujus auctor Cardinalis Cajetanus Bonifacii VIII. Nepos. In eo Ordine num. 83. ubi oleorum consecrandorum traditur Ritus, salutationem illam invenias: *Ave Sanctum Chrisma*; *Ave Sanctum Oleum*: quam etiam affert Ordo Romanus decimusquintus Petri Amelii num. 66. apud Mabillon. cit. tom. 2. Musei Italici. Nunc vero a Cardinali Romæ Vicario sacra Olea in Lateranensi Basilica conficiuntur. In Vaticana autem Basilica consecrantur a Cardinali Archipresbytero, qui si ad Episcopalem gradum non ascenderit, mandat alicui Episcopo, ut ea conficiat, ex Joannis XIX. Pont. Max. privilegio, qui Episcopo Sylvæ Candidæ, ad cujus Diœcesim illa Vaticani pars pertinebat, ubi ea Basilica excitata est, facultatem concessit olea sacra in eadem Basilica conficiendi, teste Mabillonio in Commentario in Ordinem Romanum cit. tom. 2. Musei Italici pag. 71.

Bulla in Cœna Domini publicatur a Romano Pontifice. Vetus hæc disciplina,

70. Bullam celeberrimam publicat hac die Romanus Pontifex, quæ Bulla in Cœna Domini appellatur. Quod apud D. Thomam nulla ejus fiat mentio, quidam putant anno 1420. sub Martino V. tum primum eam publicari cœptam, cum in Constantiensi Concilio condemnati fuerunt Bohemorum errores. Ita Sotus in 4. sentent. Dist. 22. qu. 2. art. 3. concl. 5. Verum cum Toletus Cardinalis se in Vaticana Bibliotheca vidisse testetur Bullam in Cœna Domini, quam publicaverit Gregorius XI. eam propterea Martino V. antiquiorem esse oportet. Gregorius enim Undecimus vivebat anno 1371. illumque non primum fuisse constat, qui Bullam ejusmodi ediderit. Vid. Tolet. Card. lib. 1. Instruct. Sacerdot. cap. 19. num. 4. & Fragosius de obligatione summi Pontific. disput. 3. num. 1. in Biblioth. Pontif. tom. 5. & Gibalinus in Synopsi Censurarum §. *Hujus Bullæ*. Neque enim Cardinalis Toleti testimonio quidquam fidei detrahi potest propter doctissimi viri gravitatem & dignitatem, cum insuper testimonio accedat Petri Amelii Pœnitentiarii, & Bibliothecarii Gregorii Papæ XI. qui in Ordine Romano apud Mabillonium §. 64. eam describit cæremoniam, qua etiamnum in publicanda Bulla in Cœna Domini utimur. Cardinalis etiam Cajetanus, qui vixit sub Bonifacio VIII. cum in suo Ordine Romano 14. §. 92. ritum hunc describat, atque etiam veluti ætate sua antiquiorem proponat, manifesto ostendit, ejus initium ante annum 1294. quo Bonifacius VIII. Pontifex creatus fuit, omnino referendum esse. Quamobrem fateri oportet vetustissimum esse ejusmodi Ritum, cujus origo obscura plane sit. Illud vero non prætermittendum, in more quondam positum fuisse, ut semel, iterum, ac tertio ea Bulla singulis annis publicaretur, Feria V. in Cœna Domini, in Ascensionis Festo, & in die Dedicationis Basilicarum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli 18. Novembris, teste Joanne Andrea in cap. *Quod olim* de Judæis, & cap. *Ut Officium* de Hæret. in 6. Eam vero trinam publicationem ad unicam esse redactam, quæ fit hac Feria quinta, unde ei Bullæ nomen inditum *in Cœna Domini*, tradunt Cardinalis, & Joannes Ananias eodem cap. *Quod olim* de Judæis.

cujus initium statuendum est ante annum 1293. Olim non solum in Cœna Domini, sed etiam die Ascensionis, & die Dedicationis Basilicarum SS. Apostolorum Petri, & Pauli publicari consuevrat.

CAPUT VII.

De Feria sexta in Parasceve.

Cur Feria sexta majoris Hebdomadæ dicatur Feria sexta in Parasceve.

1. DE quo hactenus die loquuti sumus, is Feria quinta in Cœna Domini appellatur. Nunc ad eum diem sermonem nostrum convertimus, qui vocatur Feria sexta in Parasceve, cujus origo nominis ex eo ducitur, quod Hebræi, ut Sabbatho insequenti ab omnibus curis vacui, omnibusque negotiis expediti essent, edulia, & quidquid sibi opus erat, hac die parabant; qui dies ab Apostolicis usque temporibus Jesu Christi Passioni, & morti commemorandæ destinatus fuit. Itaque, ut instituti nostri ratio postulat, primum de Christi Domini nostri, Passione, & morte, quanta possumus brevitate, & perspicuitate differemus, totiusque rei tractationem in quasdam dividemus partes.

Narratio ex Evangelio a trajecto torrente Cedron ad hortum sanguinis in horto, quæ est prima pars Passionis Christi.

2. Dicto hymno, seu cantico illo, de quo supra verba fecimus, torrentem Cedron trajecit Jesus cum Discipulis suis, venitque ad Montem Olivarum, ubi de Passione sua, de Apostolorum fuga, ac de sua Resurrectione omnia prædixit. Cumque in locum quemdam perveniissent, qui appellabatur Gethsemani, ingressus Jesus in hortum, discipulos remanere jussit, dum ipse ad orandum pergeret; adductisque secum Petro, Jacobo, & Joanne, tædio captus magno in mœrore cœpit esse, & pavore: tum ab ipsis ad jactum lapidis cum recessisset, in genua provolutus, oravit Patrem, ut, si ei liberet, a se illum Calicem amoveret; ita tamen, ut non quod ipse peteret,

fieri

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fieri vellet, sed omnia ad arbitrium Patris voluntatemque referret. Deinde humo erectus, discipulos somno captos deprehendit, quos ad vigilantiam, & orationem cohortatus, iterum ut oraret ab eis secessit, eademque plane obiecratione idem, quod modo diximus, a Patre precatus est. Cumque se iterum ad Discipulos contulisset, eosque invenisset somno itidem consopitos, rediit illuc unde venerat; ac tertio in eumdem plane modum easdem preces ad Patrem fundenti adfuit Angelus e Cœlo, qui pavore jacentem erexit. Delapsus denique in quamdam veluti agoniam, longiusque, & vehementius orationem suam protrahens, sanguineo cœpit sudore perfundi; cujus veluti guttæ in terram decurrerunt. Tertio demum rediit ad Discipulos, quibus dixit, ut dormirent, ac quiescerent; sibi jam horam adesse, eumque prope esse, qui se proderet. Quaresmius elucidat. Terræ Sanctæ lib. 4. cap. 7. tom. 2. etiamnum demonstrari ait locum, ubi tres illi Apostoli constiterunt, quo pii Fideles devotione ducti se conferunt: & cap. 9. locum ipsum describit, quem Fideles pari, qua locum, ubi secessit Jesus ut oraret, pietate venerantur.

De Christi tædio.

3. De Christi tædio, & mœrore ita Matthæus cap. 26. versu 38. *Tunc ait illis* (Jesus Apostolis): *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Marcus cap. 14. versu 33. *Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum, & cœpit pavere, & tædere, & ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Lucas cap. 22. versu 43. *Et factus in agonia prolixius orabat.*

Verus fuit Christi mœror. Pulcherrima D. Thomæ doctrina de animi motibus in Christo. Quomodo concilientur ea de re veteres Patres ex Thomassino.

4. Vero mœroris, & tristitiæ sensu Jesum Christum esse commotum, luculenter ostendit Augustinus in Psal. 93. pag. 1014. cujus ea sunt verba sane pulcherrima: *Tristitiam sic assumpsit, quomodo carnem. Nolite enim putare, quia hoc dicimus non fuisse tristem Dominum: Si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum Evangelium dicat*, tristis est anima mea usque ad mortem; *ergo & quando dicit Evangelium*, Dormivit Jesus, *non dormivit Jesus; & quando Evangelium dicit*, manducavit Jesus, *non manducavit Jesus*; &c. *Quidquid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum est. Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem; quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram.* Ostendit Divus Thom. 3. par. qu. 15. art. 4. eosdem in Christo, qui in nobis, fuisse, sed alio quodam modo animi motus, & affectiones. Nam quidam in hominum animis interdum motus excitantur, qui ad ea feruntur, quæ cum eo pugnant, quod honestum, & licitum est. Id vero cadere in Christum minime potuit. Interdum etiam motus animi judicium rationemque prævertunt; contra omnes in Christo affectiones, & appetitus nonnisi ad arbitrium nutumque rationis oriebantur. Sæpe vero affectiones & motus ejusmodi non intra appetitus sensitivi fines sese continent, sed vi rationem secum trahunt; in Christo autem humanæ naturæ motus ita intra appetitus sensitivi fines consistebant, ut rationi minime obstarent. Et art. 6. affert illa Matthæi verba: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ostenditque, Christum vero mœrore oppressum fuisse: quemadmodum enim delectatio divinæ contemplationis ita per virtutem divinam in mente Christi continebatur, ut nihil ex ea ad sensitivas vires pertingeret, verosque dolores, & cruciatus propterea Christus cum acerbissimo sensu pertulerit, ut alibi demonstrabimus; sic cum in appetitu sensitivo non modo dolor esset, sed etiam tristitia, & Christus quidpiam vel noxium sibi, ut Passionem, & mortem suam timere potuerit, vel noxium cæteris, ut peccatum Discipulorum, aut Judæorum scelus, qui nefarie illum necarunt; inde fit, ut Christus in vero fuerit mœrore, sensibilique tristitia, item ut verum, sensibilemque dolorem perpessus est. Ad hunc igitur modum differit Angelicus Doctor sequutus veteres Patres, quorum testimonia congerit Thomassinus Theologicorum Dogmat. tom. 2. lib. 4. cap. 11. atque num. 18. sententias, & dicta Patrum, quæ inter se videntur discrepare, ita concilianda esse, ut si qui humanas affectiones Christo negent, rursus alii tribuant, hi de Christo ut homine, illi ut Deo loquuti esse censeantur. *Hinc affectum fuisse metu, aut mœrore, alii annuunt, alii renuunt, nempe illi de homine, ii de Deo verba faciunt.* Si qui vero, cum de Christo loquuntur etiam ut homine, humanas illi affectiones tribuunt, aut ab eo abfuisse autumant; altero modo de animi motibus loquuntur, qui rationem perturbant, altero de iis affectionibus, quæ rationis parent imperio. *Rursus mortem timuisse, de eaque impendente turbatum, tristatumve esse, hi consentiunt, illi dissentiunt: nimirum de præsusorio, & obnoxio, statimque dissipabili per mentis imperium tristitiæ sensu omnes consentiunt; de vehemente, & contumaci, orationisque frenorum impatiente, omnes dissentiunt.* D. Hieronymus de tristitia, & mœrore Christi ita scribit in cap. 26. Matthæi pag. 218. *Contristabatur autem non timore patiendi* (*qui ad hoc venerat ut pateretur, & Petrum timiditatis arguerat*) *sed propter infelicissimum Judam, & scandalum omnium Apostolorum, & rejectionem populi Judæorum, & eversionem miseræ Hierusalem.* Et cum eo consentit D. Ambrosius in Lucam lib. 10. cap. 22. n. 5. pag. 1516. *Dolet ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem: & nos æstimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres: infirmatus enim es, sed propter peccata nostra.*

Oratio Christi in horto.

5. De Christi oratione in horto hæc habet Matthæus cap. 26. versu 39. *Procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me Calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu &c. Iterum secundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua &c. Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertio, eumdem sermonem dicens.* Marcus vero cap. 14. versu 35. *Procidit*, inquit, *super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora; & dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer Calicem hunc a me: Sed non quod ego volo, sed quod tu.* Et Lucas cap. 22. versu 41. *Et positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer Calicem istum a me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Calix quid significet in sacris paginis. Transeat a me Calix iste, penes Hebræos formula erat solemnis in conviviis. Duplex in Christo voluntas explicatur.

6. Apud Syros illa vox *Abba* idem, quod Pater, significat. Quamobrem D. Paulus ad Rom. cap. 8. *Accepistis*, inquit, *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ac Hebræi, qui Græca utebantur lingua, Syriacam vocem *Abba* retinuerunt, qua filii parentes salutabant: qua voce servis non licebat dominos suos compellare, ut observat Lamy Harm. Evangel. lib. 5. cap. 26. num. 43. Calix in sacris paginis ponitur pro cruciatu & pœna; Isa. cap. 51. vers. 17. Psal. 10. vers. 7. Psal. 74. vers. 9. Cum vero Christus a Patre precatus fuerit, ut, si fieri posset, a se Calix amoveretur: *Transeat a me Calix iste*: ad eam consuetudinem id est referendum, qua in solemnibus conviviis ex præscripto Religionis agitari solitis, plenum vini poculum omnibus conviviis præbebatur, ex quo omnes in orbem paullulum

lum vini degustabant; si cui vero vel non liceret, vel non liberet bibere, is sese excusabat dicens, *Transeat a me calix*, ut observat Calmetus in cap. 26. Matth. vers. 39. Sed illuc maxime advertendus nobis est animus, binas in Christo Jesu fuisse voluntates, divinam, & humanam; duos item intellectus, divinum pariter, & humanum. Nam cum ex duplici constaret natura, Dei nimirum, & hominis, suam cuique naturæ proprietatem fuisse oportet, ut naturæ divinæ nihil omnino deesset, quod Dei sit; & humana omnibus prædita esset facultatibus, quæ, excepto peccato, ad humanitatem pertinent; quemadmodum in sexta Oecumenica Synodo definitum fuit sub Agathone Pontifice, cujus epistolam in eo Concilio recitatam Patres approbarunt adversus Monothelitarum errores. Atque humana quidem voluntas duas in partes dividitur, quarum altera rationalis dicitur, altera sensitiva, quam communem habemus cum cæteris animantibus. Et quamquam rationalis tantum appetitus vere ac proprie voluntas appellari possit, interdum tamen etiam appetitus sensitivus dici solet voluntas: & sane pueri, qui ratione nondum utuntur, quædam expetere, quædam rursus aspernari videntur, ut cujusque rei vel voluptate trahuntur, vel fastidio absterrentur. Fuit itaque in Christo humana voluntas, nec rationalis tantum, sed etiam sensitiva; humana enim præditus fuit natura, quæ naturam animantis complectitur, quemadmodum species continet genus; sensus autem, & appetitus sensui respondens ad perfectionem animantis pertinet. Porro etsi in Christo esset divina simul, & humana voluntas, tum rationalis, tum sensitiva; tamen inter eas voluntates nulla umquam pugna extitit, nulla contentio; rationalis enim in eo voluntas semper cum divina voluntate consensit, nec rationali voluntate, quatenus rationalis est, seu quatenus movetur judicio, & deliberatione rationis, Christus quidquam voluit, quin esset voluntati divinæ consentaneum. Quod autem ad sensitivam voluntatem pertinet, cum ea numquam a rationali dissenserit, propterea inter sensitivam voluntatem, & divinam fuit in omni re summa consensio. Etsi enim sensitiva voluntas, proprio quodam ac naturali motu percita, ea expetebat, quæ sensus propria essent, fugiebatque contraria, atque inde interdum fieri potuit, ut divina, rationalisque voluntas quiddam vellent ab eo, quod vellet sensitiva diversum; nulla tamen oriebatur inter eas voluntates discordia: ita enim earum unaquæque movebatur, ut neque rationalis, ut in cæteris hominibus justis a sensitiva impediretur, aut retardaretur, neque sensitivam rationalis voluntas reprimeret, nisi quantum suo vellet imperio. Ut paucis concludamus, Christus divina, & rationali voluntate ita sensitivam moveri volebat, ut naturæ quidem suæ ordinem teneret, sed sub dominatu esset rationis, eique in omni re obtemperaret, neque adversus rationem perturbationem ullam excitaret. Hæc communis est Theologorum omnium doctrina, quam disertissime tradit S. Thom. 3. par. qu. 18. art. 1. usque ad finem. Ad Catholicam Fidem ita pertinet, ut nefas sit ab ea dissentire. Quapropter Agatho Summus Pontifex in Epistola ad sextam Synodum, Actione sexta: *Prædicamus*, inquit: *in Christo duas voluntates non contrarias, juxta quod impii asserunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem, sed potius subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati*. Et sane quod hactenus diximus, ipsi Christi oratione confirmatur. Ait enim: *Transeat a me Calix iste*; & rursus: *Non sicut ego volo*: quibus verbis humanam voluntatem non rationalem, sed sensitivam exeruit, quæ a morte, & Passione, tamquam formidolosa, & naturæ adversa refugiebat. Cum autem dixit: *Sed sicut tu vis*: voluntatem divinam exeruit, quam communem habebat cum Patre. In illis autem verbis, *non mea, sed tua voluntas fiat*, rationalis voluntas ostenditur prorsus cum divina consentiens, qua monemur de recta ratione Deum obsecrandi, ut a nobis mortem prohibeat, & a gravissimis doloribus liberet.

An omnis oratio Christi exaudita sit. Quid dicendum de illa Oratione: Transeat a me Calix iste.

7. Quæstionem proponit idem D. Thomas 3. par. qu. 21. art. 4. num omnis Christi oratio semper exaudita sit a Patre; aitque, esse orationem nihil aliud, quam voluntatem humanam ad Dei voluntatem relatam; proindeque tunc dicit orantis exaudiri voluntatem, & preces, cum Dei adimpletur voluntas. Addit, hominis voluntatem proprie esse eam, quæ recta ratione, & maturo judicio ducitur; nec vere dici posse, nos quidpiam velle absolute, quod sensitiva voluntate velimus; tunc enim volumus, non absolute, sed *secundum quid*: concluditque, Christi Domini, qui voluntate rationali nihil voluit, præterquamquod noverat Deum velle, omnem licet humanam impletam esse voluntatem, omnemque item ejus orationem exauditam esse. At verba illa, de quibus agimus, expendens, *transeat a me calix iste*, docet, si juxta quorumdam Sanctorum Patrum sententiam ita intelligenda sint, ut Christus significare voluerit, sese velle alios Martyres suæ Passionis imitatores fieri, aut si iis verbis precatus est illud a Deo, ne timore mortis perturbaretur, in utroque sensu, quod petiit, omnino esse impletum. Si vero ea verba juxta aliorum sensum accipienda sint, tamquam significantia Christi desiderium, ut a se Calix Passionis summoveretur, aut per ea Christum petiisse, ne sibi a Judæis Calix ille traderetur, profecto non id, quod oravit, factum est: ratio enim obstitit petitioni; nec voluit, ut ea impleretur, illud potius voluit, ut de ejus voluntate naturali, & sensu, qui hominem ostendebat, moneremur.

Ea oratio Transeat a me &c. fuit sensitivi desiderii significatio, nec a rationali & deliberata voluntate profecta: idcirco non exaudita.

8. Rem ut paucis expediamus, ea Christi exaudita est Oratio, quæ a rationali, & deliberata proficiscebatur voluntate, qua impleri volebat voluntatem Patris. *Iterum secundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. Neque vero deliberatæ huic voluntati ea obstitit conditio, *Si non potest hic Calix*: neque eadem voluntas censeri potest suspensa, aut non absoluta propter ea verba. *Si possibile est, transeat a me Calix iste*, aut propter illa, *Si vis, transfer Calicem istum a me*. Christus enim probe noverat, eam conditionem, *Si non potest hic Calix*, mutari nullo modo posse propter æternum Patris Decretum; eamque conditionem. *Si possibile est*, aut *Si vis*, impleri non posse. Pater enim volebat, ut Filius pro salute humani generis moreretur. Igitur non est exauditum, quod a sensitiva voluntate profectum est, *Transeat a me Calix iste*; quo non absoluta voluntas, quinimmo ne vera quidem aut propria oratio, sed naturalis & sensitivi desiderii significatio continebatur. Videatur Sylvius in 3. par. D. Th. tom. 4. Quæst. 21. art. 4. ubi egregie suo more, quæ in hoc, & præcedenti numero docuimus, explicat, & confirmat.

Historiam de sanguineo sudore quidam falsa pu-

9. Ut primam Passionis Jesu Christi partem absolvamus, de Angeli apparitione, qui ei addixit animum, & de sanguineo sudore nunc pauca dabimus. Nam in lib. 4. de Canonizat. Sanctorum

tate ducti ex Evangelio expunxerunt. Verus Sanguis e Christi corpore manavit.

rum part. 1. cap. 26. hoc argumentum fuſe pertractavimus. Ibi S. Hilarium ſequuti obſervavimus, quoſdam Chriſtianos inani pietate ductos, hiſtoriam de ſudore ſanguineo, & de Angeli Adventu ex Evangelio Lucæ ſuſtuliſſe, veritos, ne ea Chriſti hoſtes abuterentur; nefas vero eſſe de ea dubitare, quam vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres genuinam & Canonicam compererint, & amplexi fuerint; cum præſertim Sancta Tridentina Synodus ſeſſ. 4. pronunciaverit, integros Sacræ Scripturæ libros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in vulgata editione habentur, pro Sacris, & Canonicis eſſe ſuſcipiendos. Vid. Tillemon. Vita Jeſu Chr. Not. 28. Igitur, ut paullo ante diximus, apparuit Angelus e Cœlo delapſus Chriſto Domino addens animum: ſicut enim ſe ſubjecit teſtati hominum, a quibus Cruci affixus eſt, ita ſe dolori tradidit, ut iiſdem ſuus animus commoveretur affectibus, quibus quilibet pius vir in ejuſmodi diſcrimine obnoxius eſt. Ita enim ſe probavit hominem adverſus futuros de veritate carnis ſuæ errores. Quaſi autem divinitatis in ſe habitantis virtute deſtitutus, & aliquantiſper Angelis minor factus, opus habuit Angelorum ſolatio. Iterum hic dicimus, aliquos Orthodoxos hiſtoriam de ſudore ſanguineo, & Angeli adventu ſuſtuliſſe, quia eo Evangelii loco abutebantur Ariani ad detrahendam Chriſti Divinitatem, quaſi in ejus humanam naturam, quæ Divinitati unita eſſet, tanta triſtitia cadere non poſſet. Sunt aliqui etiam nunc, qui verba illa expendentes, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, proverbio quodam, aut emphaſi dicta opinantur, ut amariſſimi fletus vis, lacrymarumque copia ſignificetur. Diſputant etiam, ſi verus ſanguis e Chriſti membris manavit, utrum id miraculo ſit adſcribendum. In noſtro Opere, quod modo memoravimus, hiſtoriam de ſanguineo ſudore ſemper Canonicam habitam eſſe docuimus; omnemque antiquitatem de textus ſinceritate fidem facere; qui vero e Sacris Codicibus eam hiſtoriam expunxerunt, non alia eos ratione defendi poſſe, quam quod optima voluntate id fecerint. Verus autem fuit ſanguineus ſudor; nam vox illa *Sicut* non ſemper veritatem negat, immo perſæpe confirmat. Ad Auctores, quos ibi allegavimus, adjicito Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 26. & Clotzium Heterodoxum Scriptorem Tractatu *de ſudore Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſanguineo*, qui Exercit. 4. num. 1. & ſequen. auctoritate Veterum Patrum demonſtrat, ſudorem illum vere fuiſſe ſanguineum, & particulam *ſicut* dici quidem poſſe ſimilitudinis, *ſed quæ non ad ſanguinem, ſed ad guttas, ſive grumos referatur hoc ſenſu: Fuit ſudor ejus ſanguineus ſimilis guttis, quia guttatim decurrebat; guttis, inquam, non quibuſcumque, ſed craſſiſſimis, & concretis*. Et Exercit. 12. ſudorem hunc ſanguineum miraculo contendit eſſe adſcribendum. Conſentit cum eo Saggittarius item Heterodoxus Harmon. Hiſt. Paſſ. Chr. tom. 1. Par. 2. cap. 3. pag. 349. & ſequen. In eo tantum diſſentit, quod num. 62. in eam opinionem, cui plures etiam favere videntur Catholici, propenſiorem ſe eſſe oſtendit, ut propter acerbiſſimum animi mœrorem, & graviſſimam luctam ſanguis concretus ita intumuerit, ut neceſſario per ſudorem eruperit. Antonius Bineus tom. 2. de morte Chriſti lib. 2. cap. 2. num. 34. obſervat Hiſtoriam de Angeli adventu, & de ſudore Chriſti Sanguineo ab aliquibus Codicibus abfuiſſe Hilarii & Hieronymi ætate, ut teſtatur hic lib. 2. adverſus Pelagianos, ille lib. 10. de Trinitate; ac propterea diſpiciendum, utrum antea in Codicibus ea haberetur hiſtoria, & inde fuerit ablata, an vero ex integro addita fuerit; cumque cauſam habeamus, quamobrem veriſimile ſit, fuiſſe eam hiſtoriam expunctam, nec quidquam cauſæ ſit, cur adderetur, facile quivis intelligat, eam olim fuiſſe in Codicibus, & inde improvido ſane, & inconſulto conſilio fuiſſe ablatam. Quod quidem argumentum nobis omnino probatur; minime tamen illud quod idem Auctor ſcribit num. 39. ubi ex illa particula *ſicut* probare ſtudet, non ſanguinem e Chriſti corpore manaſſe, ſed veri ſudoris magnam vim erupuiſſe, guttaſque ejus fuiſſe magnitudinis, cujus eſſe guttæ ſanguinis ſolent. Atque hæc ſunt, quæ adjicienda putamus iis, quæ in illo Opere noſtro docuimus. Secunda igitur Paſſionis Chriſti pars explicanda eſt, ſed antequam ad eam enarrandam aggrediamur, illud præterire non poſſumus, quod inter errores Armenorum, quos Guido Carmelita recenſet, & illum deprehendimus nullum unquam Jeſum Chriſtum emiſiſſe ſudorem, humanamque a divina natura fuiſſe abſumtam, ut abſumitur aceti gutta in mare dejecta. Aliquot etiam fuere homines pietate præſtantes, qui ſcire ſibi viſi ſunt, quot guttæ ſanguinei ſudoris e corpore Chriſti manaverint, eaſque centum quinquaginta & octo fuiſſe affirmant, ut videre eſt apud Drexelium Part. 2. de Chriſto moriente cap. 2. §. 4. Earum partim humum irrigaſſe, unde flores eruperint, quibus ſcriptum erat: *O mors quam amara eſt memoria tua!* tradit Jacobus Marcantius in Hort. Paſtor. Tractatu 3. Lect. 16. Propoſit. 3. partim eſſe linteo abſterſas, cumque linteum guttis illis ita imbutum magna veneratione in Monte Sancto Bavariæ cuſtodiri tradit Gretſerus de Cruce tom. 1. lib. 1. cap. 97. & Quareſmius Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 4. cap. 14. §. 4. Nos Armenorum errorem anathematizamus: quod autem ad alias, quas attulimus, pias narrationes, ſua cuique fides eſto, de qua nihil detractum volumus; nec earum veritas quanti ſit, examinare nobis eſt animus.

Sequitur pars ſecunda Paſſionis ab adventu militum in horto in Chriſtum ingruentium ad lacrimas Divi Petri.

10. Cum tertio Chriſtus, ut dictum eſt, ad Diſcipulos ſuos rediiſſet, dixit eis, ut dormirent jam, & requieſcerent, tempus jam veniſſe, ac prope eſſe eum, qui ſe proditurus eſſet; & dum ita loqueretur, Cohors illi adfuit militum cum gladiis & fuſtibus, præeunte Juda, qui cum illos monuiſſet, eum eſſe Chriſtum, cui oſculum oppegiſſet, oſculum Chriſto obtulit. Tunc illi Jeſus: Amice, quid ita huc veniſti? Itane vero per oſculum Filium hominis prodis? Deinde gnarus eorum, quæ futura erant, proceſſit, & turbam interrogavit: Quem quæritis? Illi autem reſponderunt, ſe Jeſum quærere Nazarenum: ubi vero Jeſus ſe illum dixit eſſe, omnes ceciderunt in terram. At ii qui in ejus erant comitatu, jam tum providentes quorſum ea res evaſura eſſet, Chriſtum interrogarunt: Domine, gladius ne adhibendus? atque illico Simon Petrus, educto gladio, Malchum quemdam ex familia Principis Sacerdotum percuſſit, eique amputavit auriculam. At Jeſus ceſſare eos juſſit, & tacta aure Malchum ſanavit. Principibus vero Sacerdotum, Miniſtris Templi, Senioribus, turbæque cæteræ exprobravit, quod tamquam ad latronem veniſſent cum gladiis & fuſtibus, ut ſe comprehenderent; cum toties antea docentem in Templo comprehendere potuiſſent. Verum hæc pro illorum furore efficere nequiverunt, quin manus in eum injicerent, & vinctum ad Annam adducerent. Tum vero Diſcipuli omnes fuga dilapſi Jeſum deſeruerunt; & adoleſcens quidam, qui

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

sequebatur eum amictus sindone, ab iis comprehensus, eadem illa sindone, qua tenebatur, rejecta, ab eorum manibus elapsus est. Annas autem vinctum duci jussit ad Caipham, ubi pessime acceptum virulentis irrisionibus, sputis, plagis, atque omnibus contumeliis ludificatum, oculis etiam objecto velo, colaphis cædebant, & irridentes dicebant, ut sese prophetam esse ostenderet, ac, qui se percussisset, divinaret. Simon aut Petrus, qui in domum Caiphæ introierat, semel, iterum, ac tertio Magistrum suum abnegavit; at, cum oculos ejus in se conjectos animadvertisset, inde egressus, amare flevit.

Quis, & unde esset Judas Iscariotes.

11. Antequam ulterius progrediamur, pauca quædam afferemus, quæ ad cognoscendum pertinent, quis qualisque fuerit quisque eorum, quos supra nominavimus. Judas appellatus *unus ex duodecim*, & a Sacris Evangelistis dicitur Iscariotes. Erat Judas unus Apostolorum: *Unus e duodecim* (inquit Chrysostomus in Serm. de proditione Judæ Tom. 4. pag. 456.) *hæc erat caterva regalis: de hoc choro Judas egressus est.* Idem Chrysostomus ait, a patria dictum esse *Iscariotem*. *Judas*, inquit, *Iscariotes. Quid mihi ejus patriam dicis? utinam ipsum quoque nescire licuisset.* Hieronymus vero in cap. 28. Isaiæ, & in Matth. cap. 10. putat, Judam Iscariotem fuisse e Tribu Ephraim. Eam Hieronymi sententiam refert Baronius ad an. Chr. 32. num. 9. qui tamen putat in vocem *Iscariotes* duas voces coaluisse, nimirum *Is*, quæ significat hominem, & *Cariote*, quod est oppidum in Tribu Juda, de quo mentio fit Josue cap. 15. vers. 25. Utcumque tamen sit, facile quivis intelligat, falsam esse Ubertini & Rubisi i sententiam, qui Judam somniarunt fuisse Picentem, illudque nomen illi inditum a Cariotte Piceni oppidulo, nec minus eos errasse, qui vel Gallum, vel Germanum fuisse Judam affirmarunt.

Quis ille fuerit, cui amputata fuit auricula.

12. Cui vero amputata fuit auricula, eum servum fuisse Principis Sacerdotum, tradit Matthæus cap. 26. Idem docet Marcus cap. 14. quibus consentit Lucas cap. 22. Nomen autem illi fuisse Malchum a Joanne cap. 18. compertum habemus: *Erat autem nomen servo Malchus.* Quidam putant, Malchum, cum a Christo Domino sibi esset auricula restituta, Fidem Christi amplexum esse, ut videre est apud a Lapide in cap. 26. Matth. vers. 51. §. *Denique Christus*. Sunt alii qui existimant, Malchum fuisse, qui colaphum Jesu impegerit dicens: *Sic respondes Pontifici?* Verum nos, qui de neutra istarum opinionum quippiam detractum volumus, illud monendum putamus, secundam apud nonnullos gravem difficultatem pati; constat enim, eum qui colaphum impegerit, fuisse quemdam ex Ministris, qui Annæ summo Sacerdoti adstabant. *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu*, Joann. cap. 18. vers. 22. Cum autem Evangelista fileat illum fuisse Malchum, quem tamen paulo ante commemoraverat, videtur minime posse propugnari Malchum fuisse, qui alapa Christum Dominum percusserit, ut advertit Calmetus in Dictionar. Sacr. Script. verbo *Malchus*.

Quis fuerit adolescens, qui rejecta sindone elapsus est e manibus satellitum.

13. De illo autem adolescente, qui, rejecta sindone, e manibus eorum, a quibus comprehensus erat, elapsus est, ita S. Marchus cap. 14. versu 50. *Tunc discipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis.* Quis ille adolescens fuerit plures fuere sententiæ. Hieronymus, sive quis alius Auctor sub ejus nomine in Psalmos, & Epiphanius putarunt, illum fuisse Jacobum fratrem Domini Jesu, qui appellabatur Justus; Chrysostomus, & Ambrosius, fuisse Joannem Evangelistam, Theophylactus quemdam ex iis fuisse arbitratur, qui in domo fuerant, ubi Christus cœnam celebravit; eumque una cum Apostolis sequutum esse Christum urbe egressum, & proficiscentem ad hortum Olivarum, ut videre est apud Calmetum in cap. 14. S. Marci §. 51. Baronius ad ann. Chr. 35. §. 68. & 69. rejicit eorum opinionem, qui putant, hunc adolescentem fuisse Jacobum Domini fratrem, qui tunc temporis non adolescens, sed provecta erat ætate. Suarez in 3. par. D. Thom. tom. 2. qu. 45. art. 8. disput. 34. sect. 3. in eo quod ad S. Jacobum pertinet, Baronium sequitur; sed in eo, quod ad S. Joannem attinet, ab ejus sententia discedit: contendit enim, Joannem tunc fuisse annos natum ferme triginta, ut ne adolescens quidem dici potuerit. Tillemontius Nota 3. in Vitam S. Joannis quærit, num dici possit, adolescentem illum fuisse unum quemvis in vicinia habitantem, qui vestibus exutus in lecto jaceret; excitato autem clamore, & strepitu, lecto desiluisse sindone amictum; & domo egressum, sindone in eorum manibus, qui se comprehenderant, relicta, aufugisse. Lamy Harmon. Evangelicæ lib. 5. cap. 27. pag. 545. ea de re ita scribit: *Quis vero fuerit hic juvenis quærere vanum est; nec enim illud sciri potest. Suspicantur quidam, fuisse Joannem Christo dilectum: sed quare id temporis fuisset Joannes nudus, aut prope nudus?* Antonius Bineus de morte Christi tom. 2. lib. 2. cap. 4. num. 14. hanc rem fuse pertractat. & concludit: *Probabilius nihil est, quam hunc juvenem ex vicina aliqua villa armorum, virorumque strepitu excitatum accurrisse, ut cerneret, cognosceretque quid ageretur intempesta nocte. Quare, quisnam fuerit, indagare nemo mortalium potest.*

Difficultas de Pontificatu Annæ & Caiphæ. Cur Christus ad Annam primum ductus fuerit, D. Augustini & D. Chrysostomi sententia.

14. Narrat Matthæus, Marcus, & Lucas, Jesum adductum in domum Principis Sacerdotum. Verum Joannes cap. 18. vers. 13. tradit, primo adductum in domum Annæ soceri Caiphæ, qui eo anno Pontifex erat. *Et adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Et paullo post versu 24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Sed cum Lucas cap. 3. vers. 2. narret, Joannem Baptistam prædicare cœpisse *sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha*, magna inde oritur controversia. Satis enim compertum est, unum tantummodo penes Hebræos summum fuisse Sacerdotem; qui si quo impedimento a sacris faciendis prohiberetur, ea provincia ad præfinitum tempus alteri cuipiam demandabatur. Quamobrem tradit Josephus Antiqu. lib. 27. cap. 8. cum Matthiæ summo Sacerdoti impedimentum quoddam præter ejus voluntatem noctu superveniisset, quo detentus non potuerit sacrificare, illius tantum Sacrificii partes datas esse Josepho Ellemi filio. Baronius hoc argumentum accurate pertractat ad ann. Chr. 31. num. 8. ac putat, qui primus esset in 72. Virorum Collegio, seu Synedrio, eum appellatum esse Principem Sacerdotum, etsi esset alter ab eo longe præstantiori præditus dignitate; & ad ann. Chr. 34. num. 70. ait, Christum Jesum primum adductum esse ad Annam Synedrio Præfectum, qui cum potestatem quidem haberet cognoscendi de Prophetæ doctrina, non tamen judicandi, ferendique sententiam sine Concilio, illum ideo misit ad Caipham summum Sacerdotem, cujus erat eos convocare, quibus consultis judicium suum ferret. Sed hæc sententia Casaubono minus placet, itidemque aliis, ut videre licet apud Tillemontium nota 15. ad J.

ad J. Chr. Vitam. Duo ſanctitatis & doctrinæ lumina de hac re ſcripſerunt, Auguſtinus, & Chryſoſtomus; quorum alter tract. 113. in Joann. ait, Chriſtum Dominum ad Annam primum fuiſſe adductum, vel quia Caiphas id conſenſit, vel quia adduci non poterat ad Caipham, quin ante domum Annæ tranſiret; qui cum ſocer eſſet Caiphæ, jure poterat a genero ejuſmodi honorem exigere. Et Chryſoſtomus Homil. 83. in Joannem putat, Chriſtum ad Annam primum fuiſſe ductum veluti in ſpeciem triumphi. Utramque ſententiam ſequitur Voſſius Harmon. Evangel. lib. 2. cap. 1. §. 21. ubi hæc habet: *Hoc honoris eſt habitum Annæ, quia ſoret ſocer Caiphæ Principis Sacerdotum; quem credibile eſt nihil magni ſine ſocero agere ſolere, & erat ejus domus in via, ut prætereunda foret euntibus ad Caipham, quemadmodum ait Auguſtinus in Joannem Tract. 113. ut veriſimile ſit milites voluiſſe oculos ſenis paſcere ejus ſpectaculo, quem in triumphum ducerent, ut eſt apud Chryſoſtomum. Quibus omnibus ſuffragatur Lamy Harmon. Evangel. lib. 5. cap. 28.*

Quis fuerit ille Diſcipulus notus Pontifici, qui in ejus atrium cum Jeſu introivit.

15. De eo, qui Petrum in domum Caiphæ introduxit, Joannes cap. 18. verſu 15. hæc ſcripſit: *Sequebatur autem Jeſus Simon Petrus, & alius Diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jeſu in atrium Pontificis.* Quærunt, quis ille Diſcipulus fuerit, qui notus erat Pontifici, & Petrum in ejus domum introduxit. *Exivit ergo Diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.* Sic enim eodem loco pergit Joannes. D. Hieronymus epiſt. 96. alias 26. putat, fuiſſe eumdem Joannem Evangeliſtam, qui propter generis claritatem notus eſſet Pontifici; verum Baronius ad ann. Chr. 34. n. 71. in eo quidem conſentit, quod Joannes Petrum in domum Caiphæ introduxerit; negat tamen propter nobilitatem fuiſſe notum Pontifici. Joannes enim piſcator erat, & ſarciendis retibus erat intentus, cum a Chriſto ſimul cum Jacobo Zebedæi fratre ſuo vocatus eſt, Matth. cap. 4. D. Thomas in cap. 18. Joan. Lect. 3. ait, S. Joannem propterea notum fuiſſe Pontifici, quod ſeu Pater ejus, ſeu quivis alius affinitate, vel cognatione illi proximus in familia eſſet Pontificis. Liranus in cap. 18. Joann. hæc habet. *Dicunt aliqui, quod Joannes erat peritus in lege, & propter hoc habebat notitiam cum Pontifice. Sed hoc non eſt veriſimile, quia erat piſcator, & de navi a Chriſto vocatus fuerat &c. Ideo alia fuit cauſa notitiæ cum Pontifice, quia forte miſſas a Patre ſuo pluries portaverat piſces ad domum Pontificis; vel forte quia aliquis de cognatione ejus ibidem ſerviebat; vel aliqua alia cauſa, quam aliqui aſſignant, quia deſcenderat de David, & Sacerdotes habebant iſtas genealogias.* Quod igitur, ut bene compertum affirmari poteſt, illud eſt, Petrum introductum fuiſſe in domum Caiphæ ab alio quodam Diſcipulo, atque hunc notum fuiſſe Pontifici; quis autem fuerit, & quanam cauſa notus eſſet Pontifici, plane incompertum. *Quiſnam iſte ſit Diſcipulus non temere affirmandum eſt, quia tacetur*: verba ſunt Auguſtini Tract. 113. in Joannem pag. 786. Auctor Gloſſæ, quæ dicitur Ordinaria, *Quis ſit iſte*, inquit, *Diſcipulus, quia hoc tacetur, non temere definiatur*. Et Joannes Lamius Tractatu de eruditione Apoſtolorum cap. 2. pag. 36. & cap. 17. pag. 388. fatetur non liquere, an S. Joannes fuerit ille Diſcipulus, de quo loquimur. Idem ſcribit Antonius Bineus de morte Jeſu Chriſti tom. 2. lib. 2. cap. 4. num. 21. in fine, & num. 22.

De Juda proditione.

16. Poſtquam de iis hominibus, quorum in hac ſecunda Paſſionis parte mentio fit, ſermonem habuimus, quædam dicenda ſunt de rebus in eadem Paſſionis parte geſtis, quarum ſprima eſt Judæ proditio. Chriſtum alibi docuimus prædixiſſe, ab uno ex ſuis ſe proditum iri, & haud obſcure ſignificaſſe, Judam proditorem illum fore. Apud Judam pecuniæ deponebantur ad eleemoſynas; qui ut erat avariſſimus, magnum avaritiæ ſuæ indicium edidit, cum ungente Maria pedes Chriſti, pretioſo unguento adhibito, obmurmurans dixit, longe fuiſſe melius futurum, ſi eo vendito unguento, pecunia, quæ inde conficeretur, diſtributa eſſet pauperibus, ita ſuam avaritiam miſericordia in pauperes prætexens. *Dixit ergo* (ait Joann. cap. 12. verſ. 4.) *unus ex diſcipulis ejus Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Deinde cum Principes Sacerdotum conſilia de Chriſto interficiendo inire intellexiſſet, diabolico captus ſpiritu pactus eſt cum iis tanti, tamque nefarii ſceleris pretium. Id narrat Lucas cap. 22. verſ. 2. *Quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent: timebant vero plebem. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim; & abiit, & locutus eſt cum Principibus Sacerdotum & Magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis: & gaviſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare, & ſpopondit.* Igitur Judas (ut narrare pergit Lucas) occaſionem aucupabatur, qua in eorum manus Magiſtrum ſuum traderet, quod teſtantur cæteri etiam Evangeliſtæ, & in Cœna Feriæ quintæ cum panem intinctum in patina ſibi porrigi vidiſſet a Chriſto, atque ſibi audiſſet verba illa dici, *quod facis, fac citius*, ac propterea ſua perfidioſa conſilia detecta eſſe intelligens, ſtimulante Diabolo, foras erupit; Principes Sacerdotum convenit; iiſque monitis jam adeſſe tempus, adducta ſecum cohorte venit ad Jeſum, quem probe noverat venturum in hortum Gethſemani, ac per ſimulationem amicitiæ oſculo eum prodidit; ut habetur apud Joann. cap. 18. Horribile proditionis ſcelus ad Judæ avaritiam Patres tamquam ad originem referunt. S. Auguſtinus in Pſal. 63. inquit, *avaritia illa quæ captivavit Diſcipulum comitem Chriſti, captivavit & militem cuſtodem ſepulchri. Damus, inquiunt, vobis pecuniam, & dicite quia vobis dormientibus, venerunt Diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum.* Et Leo magnus ſerm. 9. de Paſſione cap. 4. pag. 131. *Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum ſitit lucrum, pervenit ad laqueum, & tam ſtulte impius fuit, ut triginta argenteis & Dominum venderet & Magiſtrum.* Suarez in 3. par. tom. 2. quæſt. 46. ſect. 1. pag. 336. teſtatur, hanc eſſe communem omnium Patrum ſententiam. *Dicendum eſt ergo, Judam propter avaritiam Chriſtum vendidiſſe. Hæc eſt communis ſententia omnium Patrum.* Et paullo poſt obſervat, tam effrænata fuiſſe Judam cupiditate pecuniæ, ut non ea contentus, quam in colligendis eleemoſynis ſubripiebat, vel ipſum Magiſtrum vendiderit, quo fieret pecunioſior. *Tanta fuit cupiditas Judæ, ut expleri non potuerit iis, quæ furabatur, niſi etiam Magiſtrum ſuum venderet.* Denique concludit veriſimile ſibi fieri, pluribus a Juda criminibus eſſe Chriſtum inſimulatum, ut de tanti ſceleris & perfidiæ atrocitate pœnes Hebræos nonnihil minueretur, quod obſervavit etiam Cornelius Janſenius in Concord. Evang. cap. 128. pag. 877. *Quamquam autem Evangeliſtæ factum Judæ ſimpliciter deſcribant, prætermiſſis iis, quæ apud Principes prætexuit, quemad-*

madmodum & alias facere solent, tamen rationi consentaneum est, Judam apud Principes quibusdam modis proditionem sui Domini, ad quam se offerebat, palliasse, ut scilicet dixerit; se scandalizatum in Magistro suo... Naturale siquidem est hominibus sub aliquo colore palliare propriæ iniquitatis factum.

Refelluntur quædam opiniones circa Judæ proditionem.

17. Arbitrantur nonnulli, Judam vendidisse Christum, non ut interficeretur, sed quod speraret illum ex Judæorum manibus elapsurum; quæ quidem opinio nullo fulcitur fundamento. Etenim Judas aut credebat, Christum Jesum esse Hominem Deum, & hac ratione illud quoque credere debebat, e suis ipsis manibus evasurum; aut credebat esse merum hominem, & hac ratione non erat cur speraret, illum turbæ hominum elabi posse. Huc accedit, quod ab ipso Magistro suo jam intellexerat, futurum ut traditus in manus Principum Sacerdotum & Scribarum ab iis morte condemnaretur, & post biduum Cruci affigeretur, ut est in Matthæi cap. 20. & 26. ex quo rejicitur opinio eorum, qui Judam putant Christum vendidisse, falsa spe ductum, ut non dederetur neci, sed aufugeret. Bene ad hanc rem scribit Sagittar. Histor. Passionis Christi tom. 1. pag. 455. *Mirum jam olim & hodie repertos, qui Judæ proditionem quadantenus excusare, atque tantum crimen elevare conati sunt. Nobis certe omnes displicent colores, qui ad sucandam, aut excusandam ejus mentem afferri solent, existimantes, eam revera fuisse nigram, & tenebris Diaboli densissimis infectam; quippe qui ex animi sententia Christum habuerit odio, cum de Regno ejus mundano ac carnali nulla spes superesse videretur.*

Dignitate oris, & majestate Christus irruentium in se militum impetum retudit, ut illi interram conciderent.

18. Ex iis, quæ in secunda Passionis parte contigerunt, alterum illud est examinandum, cum Redemptor noster gnarus eorum, quæ futura essent, aliquantulum progressus turbam interrogavit, quemnam illi quærerent; iisque respondentibus, *Jesum Nazarenum*, dixit, *Ego sum;* Atque ii omnes in terram conciderunt retrorsum. Eam rem ita narrat Joannes c. 18. versu 4. *Dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* S. Thomas 3. par. quæst. 44. art. 3. ad primum observat, plura illiusmodi in vita Christi Domini occurrere sane mirifica. Nam ex Matth. cap. 9. habemus, hominem ad telonium suum adsidentem, simul ac audivit vocem Christi Jesu, qui jussit illum sequi se, illico, relicto telonio, sequutum esse Dominum. Matthæi itidem cap. 21. legimus, Christum Dominum in templum ingressum, eversis argentariorum mensis, illinc vendentes, & ementes ejecisse; & Lucas cap. 4. narrat, eum per medias transisse turbas, quæ adversus eum tumultuabantur. Eadem itidem virtute factum est, quod refert Joann. loc. cit. ut turba omnis, ubi Christus se esse Jesum Nazarenum respondit, in terram concideret. Cœleste enim nescio quid & divinum ex ejus oculis emicabat, ut docet idem Sanctus Doctor loco supracitato pag. 146. sequutus D. Hieronymum, & ex ejus ore divina eminebat majestas, quæ causa fuit eorum omnium, quæ commemoravimus. *Ex quibus omnibus patet, quod Christus, quando voluit, virtute Divina animas hominum immutavit non solum justificando, & sapientiam infundendo, quod pertinet ad miraculorum finem; sed etiam exterius alliciendo, vel terrendo, vel stupefaciendo, quod pertinet ad ipsa miracula.* Augustinus tract. 112. in Joann. *Ubi nunc*, inquit, *militum cohors, & ministri Principum & Pharisæorum? ubi terror & munimen armorum? Nempe una vox dicentis*, Ego sum, *tantam turbam odiis ferocem, armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit: Deus enim latebat in carne.* Verba autem illa, *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*, ait fuisse verba imperantis; nolebat enim interfici Apostolos, qui etsi tandem morituri erant, tamen ad eum fidei gradum nondum pervenerant, quo eum pervenisse oportet, qui æternam salutem consequatur. *Inimicos videt, & hoc faciunt, quod jubet. Sinunt eos abire, quos non vult perire. Numquid non erant postea morituri? Cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum sic in eum credebant, quomodo credunt quicumque non pereant?* Affert Calmetus in cap. 18. Joann. vers. 8. Patres, qui verba illa, *Sinite hos abire*, affirmarunt esse jubentis & imperantis; & verba illa enarrans Joannis, *Ut impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, putare ait nonnullos, Christum Jesum de morte animæ, alios de corporis morte, communem tamen esse sententiam, de utraque morte loquutum esse. Præclara in hanc rem sunt verba Chrysostomi Homil. 82. in Joannem. *pag.* 490. *Miretur autem quis, quomodo non eos etiam ceperint, & conciderint, cum maxime Petrus illos concitaret, cum multavit servum. Quis illos detinuit? Non alius, quam ipsa vis, quæ illos supinos prostravit. Quod significat Evangelista, cum declarans id non ex illorum voluntate profectum esse, sed ex comprehensi virtute atque sententia, addit, ut sermo impleretur, quem dixit, nullus ex eis periit.* Maldonatus in Cap. 18. Joann. num. 6. de hac secunda Christi actione aliquot proponit quæstiunculas. Prima est, quid ita voluerit Dominus Jesus potentiam suam ostendere, nec statim pati, ut manus sibi milites injicerent, seque in vincula ducerent, ac respondet cum Ruperto, id causæ fuisse, cur id Jesus fecerit, ut satellites, *viso miraculo, nullam culpæ suæ haberent excusationem.* Secunda est, quamobrem Christus, cum infinitæ suppeterent rationes declarandæ suæ potentiæ, eam voluerit potius ostendere eo modo, quo diximus, nempe respondendo. *Ego sum*; ac sapienter respondet, ut illis ostenderet, quod etsi responsione illa potius excitandi fuissent ad manus in illum injiciendas, tamen eadem responsione *non solum non posse eos viribus fuit, si iis uti vellet, resistere, sed ne sustinere quidem nomen suum.* Tertia est, quando, & quomodo milites, qui humi procubuerant, in pedes se receperint, antequam Christus eos secundo interrogaret, *Quem quæritis?* ut est apud Joann. Cap. 18. *Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis?* aitque: *Credendum eadem Christi virtute, qua ceciderant, surrexisse, postea quam tandiu jacuissent, quam opus erat, ut ejus, quem comprehendere volebant, patientiam experiri possent.*

Miraculum restitutæ Malchi auriculæ.

19. Tertium est, quod narratur de auricula Malcho restituta, de quo miraculo lib. 4. de Canonizat. par. 1. Cap. 16. num. 33. satis disseruimus, atque illuc Lectorem rejicimus.

De fuga Discipulorum. Ejus fugæ Prophetia in veteri Testamento.

20. Quartus est Discipulorum fuga, de quibus ita Matthæus Cap. 26. versu 56. *Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerent.* Et Marc. cap. 14. *Tunc Discipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt.* Hujus fugæ prophetia est in veteri testamento pluribus in locis; Psal. 21. versu 12. *Tribulatio proxima est; quoniam non est qui adjuvet.* Psal. 68. versu 21. *Et sustinui qui simul contristaretur,... & non inveni.* Isaiæ cap. 63. versu 5. *Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi, &*

non

non fuit qui adjuvaret. Zachariæ Cap. 13. versu 7. *Framea suscitare super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute Pastorem, & dispergentur oves*. Quo oraculo usus est Jesus Matth. Cap. 26. versu 31. cum proficiscens cum Discipulis ad Montem Olivarum dixit: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur Oves gregis*. Egregie adversus Grotium de hac prophetia disputat Huetius demonstrat. Evangel. Propositi. 9. Cap. 120. Putat Chrysostomus, Joannem non aufugisse cum ceteris Discipulis hac illa dilapsis, quando Jesu Christo injecta sunt vincula; ac propterea in illis Matthæi, & Marci verbis, *Omnes Discipuli, relicto eo, fugerunt*, subaudiendam aliquam exceptionem. Verum cum ea vox differtissime complectatur omnes, videtur ad veritatem esse propius, omnes quidem profugisse, Joannem vero & Petrum revertisse; ut apparet ex Joanne Cap. 18. versu 15. *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius Discipulus*: quod bene advertit Calmetus in Cap. 26. Matth. vers. 56. Et multo ante eum idem consideraverat Maldonatus in Cap. 26. Matth. num. 56. *Dicendum, statim quidem omnes diffugisse; sed paullo post Petrum & Joannem rediisse, & Christum secutos fuisse*.

De alapa Christo impacta eramPontifex Christi respondi bene ederet cum ejus consilio nasito Matth. cap. 3.

21. Quintum est maximus ille injuriarum cumulus & contumeliarum, quas in Christum Jesum congesserunt Hebræi, præsertim vero colaphus illi impactus: cum enim a Pontifice de Discipulis & doctrina sua interrogaretur, & respondisset, propalam se docuisse semper, & in Synagoga, & in Templo, ab iis propterea qui se audissent illa posse quærere, scelestus quidam & nefarius homo sublata manu impegit illi colaphum dicens: *Sic respondes Pontifici?* Cui pacate Jesus: *Si male*, inquit, *locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Terrimas vero & nefarias ejusmodi contumelias prophetavit Isaias cap. 5. versu 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me*; cum iis quæ sequuntur. Inter probra & contumelias alapæ & sputa in faciem injecta omnium habita sunt semper gravissima, ut videre licet Num. cap. 12. num. 14. & Deutoron. cap. 25. num. 9. Alia etiam in sacris paginis exempla deprehendimus de impacta alapa & accepta; sed longe alio modo, quam quo Christus accepit. Sedecias lib. 3. Regum cap. 22. vers. 25. coram Rege Achab Michæam Propheram in maxilla percussit; cui Propheta: *Visurus es*, inquit, *in die illa, quando ingredieris cubiculum*. Et Actorum cap. 23. vers. 3. Principes Sacerdotum Ananias jussit ab iis, qui aderant, Paulum in faciem cædi; cui Apostolus: *Percutiet te Deus*, inquit, *paries dealbatæ; & tu sedens judicas me secundum Legem, & contra Legem jubes me percuti?* De alapis Christo Domino impactis cecinit Sedulius:

His alapis nobis libertas maxima plausit.

Quo in loco Poeta ad eas alapas respexit, quibus servi libertate donabantur, quod legitur apud Isidorum lib. 9. Origin. cap. 4. *Manumissus dicitur, quasi manu emissus. Apud Veteres enim quando manumittebant, alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant*. Quærit Augustinus, cur non eo usus fuerit consilio, cujus ipse fuit auctor Matthæi cap. 5. vers. 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: aitque consilium non intelligendum ad litteram; verum illius consilii sensum esse, tranquillo animo preferendam injuriam, nosque paratos esse oportere, eamdem potius injuriam perpeti, quam illatam ulcisci; omne autem consilium illud a Domino Jesu fuisse completum, qui pacate nihil aliud respondit, quam quod opus esse existimavit propulsandæ calumniæ, quæ adversus se, suamque innocentiam & doctrinam intendebatur, ut bene ostendit Suarez loc. cit. disput. 35.

In Caiphæ ne, an vero in Annæ domo series illa injuriarum in Christum illata fuerit, & utrum ante, an post latam mortis sententiam.

22. Quærunt sacri Interpretes, in domo ne Annæ, an Caiphæ omnia ea contigerint: & quidam putant in domo Annæ ea accidisse, quæ quidem opinio congruit cum Evangelico textu Joannis, qui postquam illam commemoravit injuriam, subjicit: *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*: cui opinioni suffragari videtur Calmetus in cap. 18. Joann. vers. 19. quamquam fatetur, communem esse sententiam, id in domo Caiphæ contigisse. Sunt igitur alii, qui, ut dicebamus, communem sequuti sententiam putant, factum id esse in domo Caiphæ: ait enim Joannes interrogatum fuisse Christum a Pontifice: *Pontifex ergo interrogavit Jesum de Discipulis suis, & de doctrina ejus*; Pontifex autem eo anno erat Caiphas: ita ut verba Joannis, *& misit eum Annas*, vim habeant præteriti pluſquam perfecti, quasi dixerit, *miserat*, ut advertit Natalis Alexander in cap. 18. Joann. vers. 22. & sequen. & multo antea observaverat Suarez cit. Disput. 35. pag. 341. *Præteritum illud* misit, *positum est pro præterito pluſquam perfecto* miserat. *Juxta quam expositionem non est necesse aliquid horum factum esse in domo Annæ, sed in domo Caiphæ*: ac post eos Auctores Duhamel in id. cap. 18. Joannis num. 24. *misit pro miserat: nam Hebræi carent præterito pluſquam perfecto*. In piis quibusdam meditationibus scriptum est, Christum alapa accepta in terram cecidisse; sunt aliæ quædam, in quibus percussoris manus ferrea manica, seu chirotheca armata fuisse traditur; quædam etiam referunt, ex ore Christi tantum sanguinis alapæ vi effluxisse, ut ex eo omne pavimentum maduerit, & in ejus Divina facie digitorum extitisse alte impressa vestigia. De his aliisque id genus legendus P. Ayala in Opere cui titulus, *Pictor Christianus*, lib. 3. cap. 4. num. 7. In quibusdam itinerariis legimus, illum, qui Christo Domino alapam impegit, etiamnum sceleris sui pœnas luere in domo Pilati, seu Gubernatoris Hierosolymæ: Vicentinum quemdam nobilem virum, nomine Petrum Brantium Penalium, a Turca quodam illuc adductum, vidisse impium illum ab una ad alteram partem magni Conclavis perpetuo inambulantem, atque inclamantem: *sic respondes Pontifici?* Vide Quaresmium Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 4. cap. 3. & 4. ubi ejus historiæ veritatem demonstrat. Verum utcumque judicandum sit de piis istiusmodi meditationibus, illud quidem notandum, Lucam cap. 22. horribilem hanc contumeliarum seriem ita referre, ut contigerit antequam Concilium convocaretur, de quo inferius sermonem habebimus; Matthæum autem cap. 27. & Marcum cap. 14. hæc eadem narrare tamquam gesta post latam mortis sententiam. Nulla tamen propterea inde oritur pugna seu discrepantia: easdem enim putamus contumelias Christo illatas semel atque iterum, ante videlicet & post Concilium vocatum, ut bene perpendit Baronius ad ann. Chr. 34. num. 72. pag. 140. editionis Lucensis 1738. *Hæc ergo cum ante coactum Concilium Lucas accidisse scribat, Matthæus vero atque Marcus post sententiam mortis in eum latam facta dicant, easdem contumelias a perfidissimis atrocissimisque, ac procacibus illis Ministris*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

niſtris iterum repetitas eſſe adverſus Dominum Jeſum facile poſſumus intelligere.

De Petri lapſu.

23. Ultimum denique eorum, quæ in ſecunda Paſſionis Chriſti parte contingere, eſt lapſus D. Petri, qui Chriſtum negavit; de quo, ut perſpicui ſermonis rationem ineamus, hæc examinanda ſuſcipimus; an, & quodnam peccatum Petrus negando Chriſtum commiſerit; quoties in illud lapſus ſit; a quonam Petrus in illud peccatum, & quando impulſus fuerit. Hilarius num. 4. pag. 805. in cap. 26. Matth. verba illi Petri perpendens, *Non novi hominem*, ait: *Et vere prope jam ſine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnoverat*. Verum Hieronymus ad eumdem Matthæi locum tom. 6. pag. 225. aliter ſentit: *Scio*, inquit, *quoſdam pii affectus erga Apoſtolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem; & eſſe ſenſum: Neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quam frivolum ſit, prudens Lector intelligit.* Et D. Auguſtinus tract. 36. in Joann. acriter eos caſtigat, qui Petrum a peccato excuſare contendunt.

Petrus Chriſtum negando peccavit.

Et ſane cum Petrus antea Chriſto Jeſu pollicitus eſſet, paratum ſe eſſe cum eo conjici in vincula, & vel ipſam mortem oppetere, ac ſe numquam ab eo receſſurum; quis tam audacter eum non peccaſſe affirmaverit, qui oblata occaſione, cum Fidei, quæ periclitabatur, confeſſione opus eſſet, negavit ſe eſſe ex ejus diſcipulis, immo vero falſo juramento ſe ne noviſſe quidem cum, affirmavit? Profecto eum graviſſime peccaſſe, qui non fateatur, puto eſſe neminem. *Ubi eſt*, inquit Auguſtinus Tract. 113. in Joannem pag. 786. num. 2. *illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſidentis? Ubi ſunt verba illa, quando ait: Quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te ponam? Hoccine eſt ſequi Magiſtrum, ſe negare Diſcipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut, hoc ne fiat, vox Ancillæ formidetur? Sed quid mirum ſi Deus vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit?* Et D. Thomas Quodlibet 9. art. 14. rem theologice expendens ita concludit: *Abſque dubio Petrus peccavit mortaliter negando Chriſtum: quod quidem patet ex duobus. Primo quia negavit Fidem in loco, ubi periclitabatur, & ejus Confeſſio requirebatur. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem: ut dicitur ad Rom. 10. in quo videtur, quod ſit de neceſſitate ſalutis confeſſio Fidei in caſu prædicto; & ſic præcipue mendacium in his, quæ Fidei ſunt, eſt perniciosiſſimum, ſecundum Auguſtinum in libro de Mendacio. Secundo quia defectui confeſſionis & mendacio addidit perjurium & blaſphemiam, quia ut dicitur Matthæi 26. cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem, quæ conſtat eſſe gravia peccata. Unde Gloſſa dicit ibidem: Tertio cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem: quia perſeverare in peccato dat incrementum ſcelerum, & qui minima ſpernit, cadit in majora.*

Peccavit graviter ſemel iterum ac tertio: non tamen a Fide defcivit. Lucas ea dere Pecta Prudentii.

24. Itaque peccavit Petrus, & quidem graviter; nec ſemel tantum, ſed iterum, ac tertio: non ita tamen peccavit, ut Fidem amitteret, ſed tantummodo Charitatem; non enim intrinſecus diſſentiendo, ſed extrinſecus negavit; neque etiam extrinſecus negavit, Chriſtum eſſe Deum aut Meſſiam, ſed eum ſe noviſſe, & ex illius fuiſſe ſectatoribus; ut apparet ex Matth. cap. 26. v. 69. ubi cum illi diceretur: *Et tu cum Jeſu Galilæo eras*, reſpondit, *neſcio quid dicis &c. Non novi hominem &c. cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem.* Idque habent & Marcus cap. 14. Lucas cap. 22. & Joannes cap. 18. Prudentius lib. Cathemerinon Hymn. 1. v. 58. ita ſcripſit.

Flevit negator denique
Ex ore prolapſum neſas,
Cum mens maneret innocens,
Animuſque ſervaret fidem:

quod tamen a gravi peccato non liberat, ut bene docet Auguſtinus de mendacio ad Conſentium cap. 6. num. 13. pag. 455. *Quis ita evaneſcat, ut exiſtimet Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lacrymis diluit, quod ore negaverat, ſi ſaluti ſufficiebat quod corde credebat? Cur loquens in corde ſuo veritatem, tam amaro fletu punivit mendacium, quod ore depromſit? niſi quia magnam vidit eſſe perniciem, quod corde quidem credidit ad juſtitiam, ſed ore non confeſſus eſt ad ſalutem.* Triplex diximus ejus fuiſſe peccatum, qui ter ſe noviſſe Chriſtum, eumque ſequutum eſſe negaverit. *Ter me negabis*: ſunt verba Chriſti apud Matthæum. *Ter me es negaturus*, apud Marcum. *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me*, apud Lucam, & apud Joannem: *Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Quodnam autem & quam multiplex peccatum fuerit Petri, duo conſulendi ſunt egregii Theologi, Suarez tom. 2. par. 3. diſput. 35. ſect. 1. & Card. Gottus de veritate Relig. Chriſt. tom. 4. part. 2. cap. 24. §. 3.

Quis Petrum ad negandum impulerit. Diſcrepantia videtur ea de re eſſe apud Evangeliſtas.

25. De iis, quæ hactenus perſequuti ſumus, non ita magnam videmur nobis oſtendiſſe difficultatem. Major quædam difficultas in eo eſt, quis Petrum ad negandum impulerit, & quando Chriſtum negaverit; quæ quidem oritur ex eo, quod Evangeliſtæ non eumdem loquendi adhibuerint modum. Matthæus cap. 26. narrat, primo negaſſe interrogatum ab ancilla; iterum negaſſe ab alia ancilla interrogatum; tertio denique ab iis interrogatum, qui aderant. Ad eumdem plane modum loquitur Marcus cap. 14. Lucas vero cap. 22. ait, primo negaſſe interrogatum a muliere, negaſſe iterum ab homine interrogatum; tertio denique negaſſe interrogatum itidem ab alio homine. Et S. Joannes narrat, primo negaſſe interrogatum ab ancilla; negaſſe iterum a pluribus; tertio interrogatum a ſervo Pontificis, qui cognatus erat ejus, cui Petrus amputavit auriculam. Præterea tradit Matthæus, Chriſtum Jeſum prædixiſſe Petro, fore ut ſe ille ter negaret, antequam ea nocte cantaſſet Gallus: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Et eodem plane modo eam rem narrant cæteri Evangeliſtæ, Marco tamen excepto, qui cit. cap. 14. ait, primo Petrum negaſſe, & cum egreſſus eſſet foras, Gallum cantaſſe: *Et exiit foras ante atrium, & Gallus cantavit*; negaſſe autem iterum ac tertio, & Gallum iterum ceciniſſe: *Et ſtatim Gallus iterum cantavit*; ac Petro tum in memoriam veniſſe, quæ ſibi prædixerat Jeſus, cum videlicet ter Magiſtrum ſuum negaturum, antequam Gallus ſemel atque iterum cantaret: *Priuſquam Gallus cantet bis, ter me negabis.*

Conciliantur Evangeliſtæ: Conſenſus etiam eorum oſtenditur de tempore, quo Chriſtum Petrus negavit.

26. Verum multa ſuppetunt, quibus ea, quæ inter Evangeliſtas eſſe videtur, diſcrepantia e medio tollatur. Divus Thomas Lect. 4. in cap. 18. Joannis conciliandos ſuſcipit Evangeliſtas in eo, quod quæritur, quiſnam Petrum ad negandum impulerit: docet autem, primo negaſſe interrogatum ab ancilla; inde egreſſus cum eſſet, ac rediiſſet, ab alia ancilla interrogatum negaſſe, quæ tamen ancilla non ſola fuit, ſed cum aliis colloquuta eſt, qui Petrum itidem interrogarunt; tertio denique negaſſe interrogatum ab aliis,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

liis, tametsi cognatus Malchi, cui amputaverat aurem, testabatur illum esse e Sectatoribus Christi. Sunt alii item, qui quod attinet ad tempus, quo Petrus Christum negavit, ostendendum suceperunt Evangelistarum consensum. Verisimilior autem concordia est, si, cum Gallus bis cantet, primo media nocte, atque iterum duabus, aut tribus horis ante ortum solis, cumque secundus ille cantus vulgo dici soleat cantus Galli, Matthæus, Lucas, & Joannes, qui narrant Christum a Petro ter negatum esse ante cantum Galli, loquuti esse dicantur de cantu Galli duabus, tribusve horis ante solis ortum, qui passim Galli cantus, seu Gallicinium vocatur. Marcus autem, qui narrat Petrum primo negasse, deinde Gallum ceciniſse, atque iterum ac tertio negasse, iterumque Gallum cantasse, tempus trium illarum negationum descripsit accuratius, quarum primam ponit ante primum Galli cantum, nocte media, reliquas duas ante Gallicinium, appetente aurora. Vid. Tillemont. not. 4. ad vitam S. Petri.

Quando Christus respexerit Petrum, qui videtur fuisse in alio loco. Conciliantur Lucas & Marcus.

27. De amaro Petri fletu Matthæus, Marcus, & Lucas inter se consentiunt quem narrant vehementer illacrymatum, ubi primum, audito Galli cantu, memoria repetens ea, quæ sibi Jesus dixerat, se gravissime peccasse animadvertit. Verum cum illud habeamus ex Luca, quod, dum cantaret Gallus, *conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: quia priusquam Gallus cantet, ter me negabis*; nova inde oritur difficultas, qui tandem Jesus, qui in superiori esset Conclavi, respicere potuerit Petrum, qui, teste Marco, *erat in atrio deorsum*. Quidam Interpretes a sensu litterali non recedendum existimantes, ut constet veritas illius obtutus, quo Christus respexit Petrum, satis, esse putant, si prima domus contignatio, seu inferior domus pars, ubi tunc erat Christus, subdiali atrio, in quo Petrus versabatur, paucis quibusdam ponatur gradibus altior. Nonnulli etiam animadvertunt, Judæorum Concilium noctu esse dimissum, iterum illucescente die, ut mox dicemus, convocandum, ac per id tempus Christum traditum esse familiæ Pontificis, & vetadæ custodiendum plebi, a qua tot tantisque contumeliis, quas refert Lucas, affectus est; atque inde sibi verisimile fieri dicunt Petrum, qui esset cum illis domesticis, a Christo visum esse. Divus Augustinus, considerato tum quo Christus, tum quo Petrus erat loco, ait Christum neque eum respexisse, neque oculis corporis videre illum potuisse. *Non potest dici, quod corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit*, sed interioris illum gratiæ adjutorio respexisse, & ad pœnitentiam adduxisse. *Et ideo quod ibi scriptum est: respexit eum Dominus; intus actum est; in mente actum est; in voluntate actum est*: quæ verba sunt S. Doctoris lib. 2. de Gratia Christi cap. 45. pag. 250. Nec ab hac dimovetur sententia, quod Lucas dicat: *Et conversus Dominus respexit Petrum*; nam lib. 3. de Consensu Evangelist. cap. 6. num. 26. ait, quotidie nos ita precari, *Domine respice me; respice, & exaudi me*; quæ precandi forma ad interiorem gratiam impetrandam pertinet. Consonat S. Leo serm. 9. de Passione cap. 4. ubi hæc habet: *respexit oculis mentis, non corporis; misericorditer, non corporaliter; quia Petrus foris erat & inferius; Christus vero intus & superius*. Verum qui in legendis historiis a sensu litterali ægre recedunt, ante primorum virorum ædes atrium apud veteres fuisse considerant, quod intelligitur ex Sulpicio Apollinari apud A. Gellium Noct. Atticar. lib. 16. cap. 5. *Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset. In eo loco qui Dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant, & neque in via stabant, neque intra ædes erant*. Itaque cum verisimile sit, ante januam ædium Caiphæ hujusmodi locum fuisse, ubi Petrus constiterit, lubenter eam, quam supra retulimus, opinionem amplectuntur, dimisso nempe Concilio, Christum Jesum Ministris fuisse traditum, a quibus in atrium adductus, ubi reliqui Ministri & famuli cum Petro sedebant ad prunas, potuit corporalibus oculis eum respicere.

Tertia pars Dominicæ Passionis a testimoniis in Christum latis ad flagellationem. Hujus partis divisio.

28. Venimus nunc ad tertiam Dominicæ Passionis partem, quæ plura continet capita. *Primum* eo pertinet, quod Principes Sacerdotum falsos subornarint testes, ut Christus ultimo supplicio necaretur, & Sacerdos vestimenta scidit sua, cum interrogatus ab eo Christus, se Dei Filium esse respondit. *Alterum* est de pœnitentia Judæ, qui fusis projectisque in Templum denariis, inde egressus laqueo se suspendit. *Tertium* est de iis, quæ Christo contigerunt, cum ad Pilatum adductus est. *Quartum* est de ille ritu ac reditu a Pilato ad Herodem, & ab Herode rursus ad Pilatum. *Ultimum* denique Pilati continet gesta a Christi reditu ab Herode usque ad flagellationem, & latam mortis sententiam.

Duo judicia adversus Christum habita, alterum noctu, summo mane alterum, de quo loquitur S. Lucas.

29. Testantur Evangelistæ, a Principibus Sacerdotum, & universo Concilio conquisitos fuisse ubique testes, ut Jesum morte damnarent; nec inveniri potuisse: quidam enim ad falsum testimonium dicendum accesserant, sed nihil conficiebant, quod Christum læderet; alii eum dixisse testabantur, posse se Templum Dei destruere, & post triduum denuo illud ædificare, at nullius roboris eorum testimonium habebatur. Itaque summus Sacerdos interrogavit eum, quid responderet; tacentemque adjuravit *per Deum vivum*, ut diceret, Filiusne Dei esset. Cumque Jesus respondisset se Filium Dei esse, illum autem visurum Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei in nubibus Cœli; summus Sacerdos scidit vestimenta sua, clamitans eum blasphemasse; non amplius testibus opus esse; cumque cæteros interrogasset, quid cuique videretur, succlamarunt omnes: *reus est mortis*. Ita rem gestam narrant Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. Ea omnia noctu contigere. Itaque cum ejus Concilii Acta omnia essent irrita, tum quod non generale Concilium esset, tum quod noctu habitum, lex autem prohiberet, ne noctu & clanculum jus diceretur; ideo, ut primum dies illuxit, iterum convocati sunt Seniores populi, & Principes Sacerdotum, & Jesum coram se adesse jussum rursus interrogarunt, num Filius Dei esset; & respondente illo se Filium Dei esse, omnes uno ore dixerunt, nihil opus esse testibus, ex illius ore omnia se audivisse. Atque hoc est Judicium summo mane latum, de quo Lucas loquitur cap. 22. v. 66. *Et ut factus est dies, convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ*.

Falsi testes verba Christi proferunt cum additionibus, & malignis interpretationibus. De more Hebræorum scindendi ve-

30. Verba, quæ Jesus Hebræis dixerat, sunt ea quæ affert Joannes cap. 2. v. 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Ea vero non de Templo, sed de corpore suo, & de Resurrectione sua voluit intelligi; sed nefarii testes lædendi cum cupidi testati sunt illum dixisse: *Possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud*, ut est apud Matth. cap. 26. v. 61. & Marcum cap. 14. v. 58. *Ego dissolvam Templum hoc manufactum, & per triduum*

aliud

Vestimenta sua in signum doloris. An summo Sacerdoti id licuerit facere,

aliud non manufactum ædificabo. Qua in re quivis videat, quantum Christi verbis falsi testes addiderint, & quam perperam aliorsum, atque ea verba dicta sunt a Christo, intellexerint. Maldonatus in cap. 26. Matthæi num. 61. pag. 674. cum Origene, Beda, Theophylacto, Euthymio, Chrysostomo, & Hieronymo observat, eos testes jure optimo falsos testes appellari, *Novissime autem venerunt duo falsi testes*, ea ratione, quia, *quod Christus dixerat, & malo animo, & diverso sensu, & aliis verbis recitarunt*. Quoniam vero ne illud quidem quod testes dixerant, quamvis verum esset, satis erat ut morte damnaretur; neque enim cogitata, sed facta leges morte puniunt; ad aliud decurrere crimen oportuit, nimirum Jesum blasphemasse, cum se Filium Dei esse affirmavit, non quidem adoptione, quemadmodum omnes justi Filii Dei sunt, sed natura, seque ipse verum Deum esse dixit, idque adjuratus per Deum, *Adjuro te per Deum vivum*. Qui enim ad hunc modum adjurabatur, fari eum & vera proloqui oportebat, ut apparet Levitic. cap. 5. vers. 1. Numer. cap. 5. vers. 21. Proverb. cap. 29. vers. 24. Judic. cap. 7. vers. 2. & lib. 3. Regum cap. 8. ver. 31. Idque observat Maldonatus loc. cit. num. 63. pag. 675. ubi illa verba, *Adjuro te per Deum vivum*, notat eo loquendi modo significari, *Dei nomine & quasi mandato aliquem aut ad loquendum, aut ad faciendum obstringere*. Quod autem Sacerdos sciderit vestimenta sua, scire opus est, morem Hebræorum fuisse, ut in signum doloris, aut ad detestandam blasphemiam sua vestimenta scinderent. Quidam viri docti putant, numquam summo licuisse Sacerdoti vestes sibi lacerare, quod evinci existimant ex Levitic. cap. 21. vers. 10. ubi habetur; *Vestimenta non scindet*. Itaque S. Leo serm. 55. pag. 125. Caipham, qui ut Christi verba audiit, vestem suam discidit, ad hunc increpat modum: *Caiphas ad exaggerandam auditi sermonis invidiam scidit vestimenta sua, & nescient quid hac significaret insania, sacerdotali se honore privavit. Ubi est, Caipha, rationale pectoris tui? Ubi continentiæ cingulum? Ubi super humerale Virtutum? Mystico illo sacratoque amictu ipse te spolias, & propriis manibus Pontificalia indumenta discerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de Principe Sacerdotum: De Capite suo Cidarim non deponet, & vestimenta sua non dirumpet*. Verum cum verba illa Levitici ad privatum luctum pertineant, nec Sacerdoti esset interdictum in luctu publico vestem discindere, ut in lib. 1. Machab. cap. 11. v. 71. *Et scidit Jonathas vestimenta sua*, non admodum firma videtur ea doctorum virorum sententia, ut bene notat Natalis Alexander in Matth. cap. 26. num. 45. Et ad eumdem locum Calmetus pag. 249. §. 65. ait communem esse meliorem Interpretum opinionem, legem illam Moysis in Levitico de luctu privato esse intelligendam, neque complecti nisi tempus, quo Sacerdos esset in Templo, eaque sola scindi non potuisse vestimenta, quæ sacra essent, & quæ in publicis adhiberentur solemnitatibus. De hac porro scissione vestis duo sunt capita, quæ attigimus. Primum, an divina lege vetitum esset, ne Sacerdos vestem sibi scinderet? Baronius ad ann. Chr. 34. num. 73. vetitum fuisse respondet: *Divina lege Sacerdotibus vetitum erat, ne sua scinderent vestimenta. Sed Caiphas illa contempta, quo cæterorum adstantium animos in Christi perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus summorum omnium Pontificum, quorum sit memoria, sic sua vestimenta conscidit*. Hæc Baronii responsio nititur iis, quæ Levitici cap. 10. v. 6. Moyses dixit Aaroni, ejusque filiis: *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere*: & iis, quibus cap. 21. v. 10. ejusdem Levitici summo Pontifici præscribitur, *ut caput suum non discooperiat, & vestimenta non scindat*. Verum neuter textus is esse videtur, unde quis arguere possit, generatim vetitum fuisse, ne summus Pontifex vestimenta sibi scinderet. Nam Moyses videtur vetasse, ne Aaron, ejusque filii id facerent ea occasione, qua Nadab & Abiu igne Cœlo delapso absumpti fuerant. Deus enim voluit, ne Aaron, ejusque filii Eleazar & Ithamar tristitiam ullam significarent: Alter autem Levitici textus videtur prohibere, ne Sacerdotes scinderent vestimenta Sacerdotalia, aut ne vestem ullam sibi discinderent in luctu propter alicujus mortem, etsi in Hebræis in more positum esset. Alterum est, an Caiphas Sacerdotalia sibi disciderit vestimenta. Sacerdotalia sibi vestimenta Caipham discerpsisse non modo credidit S. Leo, ut modo diximus, sed affirmat Eucherius, Hieronymus, Theophylactus, Beda, & Glossa ordinaria, quos sequitur Gerardus Vossius in Harmon. Evangel. de Passione Domini cap. 6. & cum illis Patribus concludit, inde verum extitisse Vaticinium, fore ut Sacerdotium Leviticum deleretur. Id vero haud facile admitti potest. Ponere enim oporteret, Caipham in eo nocturno Concilio Sacerdotalibus vestimentis indutum fuisse. Verum Act. Apostolor. cap. 23. v. 5. D. Paulus in Concilium intromissus jubenti Ananiæ Sacerdotum Principi, ut illi alapa impingeretur, audacter & libere maledixit, &, quod ita summo maledixisset Sacerdoti, increpitus respondit: *Nesciebam, Fratres, quia Princeps est Sacerdotum*: quod sane neque dixisset, neque dicere potuisset, si Ananias Sacerdotalibus vestitus fuisset indumentis. Quamobrem dici posse videtur, occasiones quasdam fuisse; quibus quidam populi etiam Ethnici scindere vestimenta solerent, de qua consuetudine fuse Sagittarius Histor. Pass. Chr. tom. 1. pag. 427. num. 38. id præsertim penes Hebræos in usu fuisse, ut videre est in Tractatu de luctu Hebræorum Martini Geyeri; tum communem eorum fuisse consuetudinem, ut ubi blasphemiam audirent, scinderent vestimenta. *Consuetudinis Judaicæ est, cum aliquid blasphemiæ, & quasi contra Deum audierint, scindere vestimenta sua*: ut ait D. Hieronymus; atque inde ortum esse, ut Caiphas sibi vestes discerpserit.

De Judæ proditione deplorationi, & miserum exitu.

31. De Judæ proditione pauca quædam paullo ante attigimus. Nunc vero reliqua persequemur. Ubi primum accepit, Jesum ultimo supplicio condemnatum, pœnitentia tactus Principibus Sacerdotum & Senioribus, quos ab eis acceperat triginta denarios, retulit inclamans, se sanguinem justum prodidisse. At illi nihil id ad se pertinere dixerunt; ejus esse, id ut ipse videret. Rem ita narrat Matthæus cap. 27. qui addit, Judam denarios projecisse in Templum, atque inde egressum laqueo se suspendisse: Sacerdotes autem pecuniam humo sublatam collegisse, atque ex ea, quoniam in ærarium templi nefas erat ejusmodi argentum conjicere, agrum sepeliendis peregrinis coemisse; quo Jeremiæ impletum fuit oraculum, de quo mox sermonem habebimus.

Discutitur, quadrent triginta argentei Judæ tributi.

32. Præter ea, quæ alibi observavimus, tria sunt etiam de Judæ proditione digna quæ referantur, & expendantur; quantum scilicet pretii a Sacerdotibus acceperit, quænam ejus mors fuerit, & qui fuerit impletum Jeremiæ oraculum. Matthæus ait: *constituerunt ei* (Judæ) *triginta argenteos*. Baronius ad ann. Chr. 34. num. 36. & sequen. considerat, ex eo pretio campum esse emptum ad sepulturam Peregrinorum, eumque Urbi proximum, nec temporariam illam fuisse emptionem, ut,

ut, quemadmodum in more positum erat apud Hebræos, anno Jubilæi prædia ad priores dominos redirent, ita ager ille tandem in venditoris dominium recidere deberet; ex quibus omnibus num. 19. concludit, quod Judas iniquitatis suæ pretium accepit, triginta argenti pondo fuisse. *Sic igitur, ut dictum est, accepit Judas id proditionis præmium triginta libras, quas cum facti pœnitens projecisset in Templum, suburbanus ager figuli emptus est in sepulturam peregrinorum.* Suarez 3. part. tom. 2. disp. 34. sect. 1. pag. 337. eam Baronii sententiam minime amplectitur; eos autem triginta argenteos putat fuisse triginta nummos argento cusos, qui vel siclum, vel sicli semissem conficerent. Calmetus in cap. 26. Matth. pag. 243. §. 15. idem plane sentit; ac triginta siclos observat mancipii pretium fuisse. Exodi cap. 21. versu 32. *Si servum, ancillamque invaserit, triginta siclos argenti Domino dabit: bos vero lapidibus opprimetur.* Quidam, sicli valore expenso, initaque ratione ad nostratem monetam, putant Redemptorem nostrum octodecim scutorum Romanorum pretio fuisse venditum: inter eos Serry Exercitat. 52. & Eminentissimus Gottus de verit. Rel. Christ. tom. 4. par. 2. cap. 24. §. 1. pag. 82. & sequen. In Thesauro Dissertationum in Nov. Testam. Amstelodami edito anno 1702. tom. 2. pag. 210. extat Dissertatio Marci Georgii Schvvartzen *de pretio, quo Servator noster æstimatus*, ubi §. 26. commemoratis aliorum opinionibus, concludit triginta argenteos, quanti venditus est pactione Judæ Christus Dominus, quindecim thaleros Imperiales conficere. Judas, ut refert Matthæus cap. 26. *pœnitentia ductus* retulit triginta argenteos, iisque projectis in Templum, *abiens laqueo se suspendit*. Lucas Actor. cap. 1. versu 18. ita mortem Judæ describit: *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus*. Œcumenius in cap. 1. Actor. narrat, Judam, postquam se suspendit, nondum laqueo præfocatum in terram decidisse, ac aliquandiu vivum ita corpore intumuisse, ut se loco movere non posset; vehiculo denique, quod illac lente trahebatur, protritum, ut ejus viscera huc illuc dispergerentur. Quam historiam neque Baronius amplectitur, ut videre est ad annum Christi 34. num. 75. & vehementer impugnat Casaubonus Exercitat. 6. in Baronii Annales. Joannes Varnecius in Dissertatione *de suspendio Judæ* tom. 2. Thesauri Dissertationum in Nov. Testamentum e Museo Hasei & Ikenii pag. 308. num. 25. refutatis aliorum sententiis, probabile existimat, Judam projectis argenteis fortasse ad suos redire meditantem, raptum a Diabolo strangulatum, & ita in præceps actum fuisse, ut ad terram adlisum corpus ejus, disruptum, ejusque viscera dispersa sint. Sed cum dissertissime narret sacer textus, nefarium proditorem se suspendisse, nullus hic difficultati, neque operosæ interpretationi locus esse videtur, quod S. Lucas dicat dispersa esse viscera ejus. Verisimile enim est, cadaver arbore decussum, dejectumque in viam, deinde, quod projectis cadaveribus solet contingere, crepuisse; nisi quis malit decidisse in ventrem, atque ita crepuisse, ut videre licet apud Calmetum in cap. 26. Matthæi §. 5. & apud Tillemontium Nota 29. in Vit. Jesu Christi. Vetus quæstio est, cujus generis arbor illa fuerit, ad quam Judas se suspendit; & ficum fuisse ait Juvencus:

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas,
Infamem rapuit Ficus de vertice mortem.

Et si Quaresmio fides habenda sit Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 4. cap. 21. quinquaginta annis antequam ille in eas se contulisset regiones, prægrandis ostendebatur ficus, ad quam senes narrabant sese Judam suspendisse: eam vero, cum ipse esset in Terra Sancta, arefactam esse tradit ac cæsam. D. Matthæus cap. 27. v. 3. *Tunc videns Judas*, inquit, *qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: Peccavi tradens sanguinem justum*: ad quæ verba D. Ambrosius lib. 10. Commentar. in D. Lucam, *Etsi cassa*, inquit, *est pœnitentia proditoris, quia peccavit in Spiritum Sanctum; est tamen nonnullus in scelere pudor culpam agnoscere*. Principes Sacerdotum (pergit Matthæus versu 7.) facto consilio, *emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum: propter hoc vocatus est ager ille Haceldama; hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem*. Nulla certa ratio constat, quamobrem ager ille appellatus sit *ager figuli*. Quidam existimant ita appellatum, quia a figulo quodam possideretur, vel quod figuli ab illo agro figulinam vasis fingendis effoderent. Valde autem verisimile est, cum Hierosolymitanis civibus vel publicus, vel suus cuique campus esset, quo cadavera injicerentur, ac ejusmodi locus peregrinis deesset, idcirco agrum illum iis sepeliendis emptum esse. Quaresmius loc. cit. cap. 23. de loco, ubi ager ille situs est, ac de præsenti ejus statu loquitur. Narrat, hoc tempore quosdam Armenos illuc injici, qui a suis decepti sacerdotibus haud ita parvam pecuniam expendunt, ut illic sepeliantur; sibi enim pollicentur æternas futuræ viæ pœnas evadere, quæ propter peccata sibi immineant. Quorundam opinionem refert, qui putant hujus agri humo viginti horarum spatio cadavera exedi, & absumi; id tamen falso affirmari, experiundo se comperisse.

Prophetia Jeremiæ de pretio, quo Christus venditus. Verba, quæ Matthæus Jeremiæ tribuit, extant apud Zachariam.

33. Major est de Jeremiæ oraculo difficultas. Matthæus enim cap. 27. versu 9. postquam a Juda redditum esse narravit argentum, & ea emptum pecunia agrum, subjicit: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel*. At non apud Jeremiam, sed apud Zachariam textus ille deprehenditur. Nam Zachariæ cap. 11. vers. 12. & 13. habetur: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Projice illud ad Statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad Statuarium*.

Diversa interpretum opiniones.

34. Vehementer laborant Sacri Interpretes in hujusmodi difficultate diluenda, ut videre est apud Maldonatum in cap. 27. Matth. num. 9. & Duhamel in id. cap. littera B. Quidam contendunt, illud esse Jeremiæ oraculum, licet apud eum scriptum non reperiatur. Alii Jeremiæ quidem esse, sed eo usum Zachariam; solent enim dicere Hebræi, in Zacharia fuisse spiritum Jeremiæ. Alii dicunt, irrepsisse mendum culpa librariorum, qui pro Zacharia scripserunt Jeremiam. Calmetus in cap. 27. vers. 9. opiniones hasce omnes refert, earumque ultimæ videtur suffragari, atque idem sentit Huetius Demonstrat. Evang. Propos. 9. cap. 125. *Verosimile primum est, librariorum oscitantia evenisse, ut Jeremiæ nomen extruderet nomen Zachariæ*. Audacissima vero, nulloque pacto eorum ferenda opinio, Evangelistas in minutis quibusdam rebus deceptos esse temere affirmantium. *Absit ut cum illis sentiamus, vel minimum errorem in Sacris litteris reperiri, quas integras non dubitamus Spiritu S. inspirante*

conſcriptas eſſe. Sunt verba Eſtii in cit. cap. 27. v. 9.

Pulchra ejus difficultatis ſolutio ex Divo Auguſtino.

35. Itaque deſerenda minime nobis videtur Auguſtini reſponſio, qui lib. 3. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 7. familiare eſſe ait apud Evangeliſtas, cum duorum verba, & teſtimonia volunt afferre, unum tantum, non utrumque nominare, ut apud Marcum cap. 1. & duobus ſequentibus, ubi producto textu, cujus prima pars eſt Malachiæ, Iſaiæ altera, Malachiæ nomen reticetur, & ſolius fit mentio Iſaiæ. Quod cum ita ſit, obſervat S. Doctor injectam apud Jeremiam de venditione agri mentionem, de qua ſiletur in Zacharia, ut videre eſt Jerem. cap. 32. verſu 7. *Eme tibi agrum meum*, & quæ ſequuntur. Cum autem Zacharias, ut vidimus triginta argenteos commemoret, ait, Matthæum ſolum Jeremiam nominaſſe, & Zachariam præteriiſſe, licet ex utroque Propheta verba illa deprompſerit. Hanc ejuſmodi difficultatis diluendæ rationem ſequitur Calmetus loc. cit. & Natalis Alexander in cap. 27. Matth. §. 5. Si quis vero dicat, allata verba neque apud Jeremiam reperiri, neque apud Zachariam; præterea non apparere, quamobrem e duobus factis unum Matthæus conflaverit, & Judæ affinxerit; huic ſatisfactum eſſe arbitramur, ſi moneamus, moris eſſe Apoſtolorum, cum veteris teſtamenti proferunt teſtimonia, non verbis hærere, ſed ſenſum reſpicere, quod obſervavit pulchre Hieronymus lib. 5. in Amos cap. 5. p. 306. Tom. 6. oper. edit. Veron. *In omnibus Scripturis Sanctis obſervandum eſt, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de veteri Teſtamento non verba conſiderare, ſed ſenſum*. Utrumque vero factum Matthæus cap. 27. verſ. 10. divino ſpiritu afflatus Judæ affinxit, ut conſtat ex ipſius verbis, quæ neque apud Jeremiam leguntur, neque apud Zachariam: *Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus*. Quapropter Auguſtinus loc. cit. pag. 116. de his verbis ſermonem habens, *Unde magis*, inquit, *ex perſona ipſius Evangeliſtæ accipiendum eſt eleganter, & myſtice inſertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit, ad hanc rem, quæ de Chriſti pretio facta eſt, hujuſmodi pertinere Prophetiam*. Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 30. videtur eam amplecti ſententiam, ut Jeremiæ, & Zachariæ oracula in unum coaluerint: *Ex duobus vaticiniis primo Jeremiæ cap. 32. ubi emit agrum, & altero apud Zachariam unum vaticinium conflatum*.

Jeſus adducitur in Prætorium, quo Judæi non introierunt. Pilati cum Judæis colloquium.

36. Ex iis quæ poſtea evenerunt, illa ſunt maxime memorabilia; Judæos a Caipha adduxiſſe Jeſum in Prætorium; illuc tamen eos non introiſſe, ne ut alibi diximus, a manducando Paſchate abſtinere cogerentur. Itaque Pilatus foras egreſſus eos rogitabat, quo demum crimine Chriſtum inſimularent. At illi, qui de crimine non habebant quod commode poſſent proferre, reſponderunt, ſe illi Chriſtum non tradituros fuiſſe, niſi homo eſſet maleficus, ſe quidem comperiſſe, ab eo Gentem omnem ſeduci, & operam dari, ne tributum Cæſari penderetur; jactare etiam, ſe Regem eſſe, & Chriſtum. Pilatus autem Judæis Jeſum permittebat, quem comprehenderent, & ex ſuis legibus judicarent. Verum illi reſponderunt, ſibi non licere quemquam interficere; qua quidem in re impletum eſt Chriſti Domini oraculum.

Quis, & unde eſſet Pilatus varia opiniones. Ejus indoles & mores.

37. Pontium Pilatum, quem quidam Romanum, alii Italum fuiſſe volunt. Petrus autem Comeſtor Gallum e Delphinatu, & Theophylactus natum in Ponto, conſtat decem annorum ſpatio Procuratorem Cæſaris Judææ præfuiſſe, & ut erat præferoci animo, eam provinciam ita devexaſſe, ut ſeditioni, quæ paullo poſt excitata eſt, cauſam præbuerit. De Pilati indole ſcripſit Philo Legat. ad Cajum; & paucis verbis, qui Philonem e Græco convertit, Pilatum ita deſcribit pag. 1034. operum Græco-latin. Francofurti. *Erat pervicaci duroque ingenio*: deinde illi exprobrat *venditatas ſententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem ſæviſſimam*, quorum ſcelerum in hac etiam vita pœnas luit. Eum enim Vitellius Syriæ Præſes inde exegit, Romamque miſit, ut in judicio cauſam diceret; cumque crimina, quibus premebatur, non potuiſſet refellere, perpetuo carcere Viennæ in Gallia damnatus eſt, ubi eo furoris devenit, *ut ſua ſe tranſverberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſierit*. Sunt verba Adonis Viennenſis Epiſcopi in Chronico. Igitur ad hujuſmodi hominem tot ſceleribus obrutum adductus eſt Jeſus: & quoniam Hebræi propter eam, quam ſupra innuimus cauſam, in Prætorium ingredi noluerunt, ex indulgentia quadam ipſe egreſſus eſt ad colloquium. De criminibus, quæ Hebræi Chriſto objiciebant, meminit Lucas cap. 23. verſu 2. *Hunc invenimus ſubvertentem Gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*. Reliqua S. Joannes perſequitur cap. 18. verſ. 31. *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam*. Lamy Harm. Evang. lib. 5. Cap. 31. verba D. Joannis, *Exivit ergo Pilatus ad eos foras*, ita explicat: *in exteriorem porticum, ſive exterius veſtibulum*.

Quo ſenſu locutus ſit Pilatus.

38. Si quiſquam eſset, qui in animum induceret, eas omnes afferre opiniones, quæ de hac re circumferuntur, profecto juſtæ magnitudinis librum conficeret. Quidam arbitrantur, Pilatum, cum dixit, *Accipite eum vos*, per ironiam eſſe loquutum, quaſi illud voluerit dicere: Cum veſtro judicio tot criminibus convictus ſit, injurium ſane eſset, hominem hunc e veſtris manibus auferre. Alii vero ex communi ſententia, Pilatum ſerio loquutum eſſe affirmant, illudque voluiſſe, ut cauſa omnis apud Hebræos ageretur, quæ tota fere in rebus ad religionem pertinentibus verſabatur.

Quando jus gladii Judæis ademptum. Rabbinorum & Scaligeri diverſa opinio.

39. Scribunt Rabbini, quadraginta annis ante everſam a Romanis Hieroſolymam Hebræis jus gladii eſſe ademptum; quod ſi verum eſſet, anno Paſſionis Chriſti id contigiſſet. Verum Scaliger, pluresque alii viri docti putant, Hebræos jure illo privatos ſexaginta annis ante Hieroſolymæ excidium, cum, Archelao Judææ Tetrarcha Viennam in exilium pulſo, Judæa fuit in provinciam redacta.

Alii putant jus gladii nunquam Judæis ereptum.

40. Nonnulli ſunt, quibus non arridet ea ſententia, quos inter adnumerandus Lamy loc. cit. qui hanc opinionem ſuſpecto Thalmudis textui dixit innixam. Itaque exiſtimant Hebræis jus illud ſontes ultimo ſupplicio damnandi non fuiſſe ereptum. Stephanus enim ab Hebræis juſſus eſt extra portam Hieroſolymæ interfici; & Chriſtus Dominus ſemel atque iterum ibi fuit, ut lapidibus obrueretur in Templo; Paulo autem opus fuit Cæſarem appellare, ut Hebræorum declinaret juriſdictionem. Scribit Philo Legat. ad Cajum Hebræis licuiſſe ſuis legibus uti, quas Tiberius rumpi noluerit. Ex quibus omnibus confici videtur, ideo Hebræos reſpondiſſe, *Nobis non licet occidere quemquam*, quod eſſet Paſcha; die autem Feſto non licebat quemquam duci ad ſupplicium. Vid. a Lapide in Cap. 18. Joan. num. 31. Suarez 3. par. quæſt. 47. art. 4. & Baronius ad ann. Chr.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Chr. 34. num. 77. qui observat, Hebræos jam Christum condemnasse, cum dixerunt: *Reus est mortis*: quamobrem ea verba, *Nobis non licet interficere quemquam*, non aliter explicari posse, quam quod essent dies Azymorum, quibus lege vetitum erat capitalem sententiam exequi. Hanc sententiam confirmat D. Augustini auctoritas, qui Tract. 114. in Joannem *pag.* 789. *num.* 4. hæc scribit: *Intelligendum est, eos dixisse non sibi licere interficere quemquam, propter diei Festi sanctitatem, quam celebrare jam cœperant*. Quidam, ut Seldenus de Synedrio Hebræorum lib. 2. Cap. 15. §. 10. & 11. Scriptores quosdam Judæos sequuti, narrant quadraginta annis ante excidium Templi tantam fuisse scelerum illuviem, tantam Præsidum auxilio, & ope impunitatem, ut Hebræi Judices, licet non essent a Romanis jurisdictione privati, tamen a Judiciis capitalibus abstinerent. Quidam etiam, ut Edmundus Merillius in Notis Philologicis ad Christi Passionem in Evang. S. Joann. §. 8. ea verba, *Nobis non licet occidere quemquam*, ad genus supplicii referunt. Illum enim in Crucem sustolli volebant, quod supplicii genus Hebraicis moribus omnino erat incognitum. *Intelligebant de eo genere supplicii, cui Christum adjici postulabant, videlicet supplicio Crucis Judaicis legibus incognito.*

Terlor videtur sententia Judæis reponus jus gladii.

Quid apud illos fuerit Judicium zeli. Christus damnatur a Judæis propter ea quæ ad religionem pertinent; a Pilato morti addicitur propter imminutam imperii majestatem.

41. Verum Calmetus in idem Cap. 18. Joann. vers. 31. accurate observat, Judæa in Provinciam redacta, Procuratores Cæsaris capitales causas ad se suumque Tribunal avocasse; & quamquam Ananus Jacobum Fratrem, seu Cognatum Christi Domini, & nonnullos alios interfici jussit, præterquamquod Josepho teste ea de re apud Procuratorem, & Agrippam Regem est accusatus, illud facere est ausus occasionem nactus, cum nullus per id tempus in Judæa esset Cæsaris Procurator. Nec quidquam ea obsistunt, quæ paullo ante memoravimus, nex illata Stephano, periculum in quo versatus est Jesus, & alia his similia: ea enim pertinent ad judicium zeli, ut Hebræi vocabant, quo fas esse sibi putabant quasi per popularem tumultum repente coortum, qui propalam violaret & contemneret legem, eum perimere, Romanis ea in re conniventibus. Cum igitur non eam viam ingressi fuerint ad perdendum Jesum, sed rationem inierint eum condemnandi servata judiciali forma, bene responderunt Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam*. Pergit Joannes *Cap.* 18. *vers.* 32. *Ut impleretur sermo, quem dixit significans qua morte esset moriturus*: quibus verbis significat impletum fuisse Christi oraculum, qui dixit, se non ab Hebræis, sed a Gentibus esse necandum, ut apud Matthæum Cap. 20. versu 19. *& tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget*; & apud Lucam itidem cap. 18. & Marcum cap. 10. Id vero minime probat Antonius Bineus tom. 3. de morte Chr. lib. 3. cap. 1. qui eo maxime commovetur, quod S. Stephanum lapidibus obrutum esse constet, nonnisi causa quodammodo cognita; quod cum judicii zelo componi nullo pacto potest. *Et statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum Sanctum, & legem*; ut est in Act. Apostolor. Cap. 6. versu 13. Illud etiam apud Bineum vim magnam habet, quod in Actis Apost. Cap. 25. versu 24. adversus Paulum prodeunt aliquot testes, & postulationes apparent Hebræorum ajentium, *non oportere eum vivere amplius*. Itaque dicendum est, vel Hebræis licuisse sontes reos capitis damnare, dummodo a Romano Præside sententia probaretur, ut putat Lamy Concord. Evang. loc. cit. *Iterum ergo dicam, modo non dissentiret Romanus Præses, poterant Judæi sævire in eos, quos sententiabant sontes esse*; vel Hebræis (licet etiam tunc potestas esset in blasphemos, cæterosque, qui contra legem Moysis scelera perpetrassent, animadvertendi capitali pœna,) jus tamen minime fuisse puniendi, qui Romani Imperii majestatem imminuissent: ejus enim generis causæ ad Romanum Præsidem pertinebant; atque ejusmodi erat causa Christi Domini, quem Hebræi tributum dari prohibuisse, & seditionem in populo excitare voluisse criminabantur. Id ipsum attingit Lamy loc. cit. & fuse persequitur Bineus loco itidem cit. pag. 31. & Christianus Thomasius Dissert. de *injusto Pilati judicio* tom. 2. Dissert. in Nov. Testam. e Museo Hasei & Ikenii p. 350. num. 61. Videatur etiam eruditus vir P. Bacchinus in celebri Dissert. de Originibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ par. 1. pag. 195. cujus ea verba sunt: *Duplex hujusmodi jus clare constat ex Evangeliorum historia: etenim ad Judæorum tribunal reus mortis pronunciatus Christus, quod se filium Dei dixerit: blasphemiæ enim crimen ad Synedrium spectabat: apud Pilatum tamquam Crucis reus agitur, quod prohibuerit tributum dari Cæsari, & seditione in populo tentata Regem se fieri curaverit, quod a Pilato tamquam Cæsaris Procuratore cognoscendum erat. Cum itaque Pilatus Judæis dixit: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum: jus blasphemi plectendi Synedrio asseruit; ubi vero Synedrii reposuerunt: Nobis non licet interficere quemquam, fassi sunt, nullum jus sibi competere de criminibus Augusti majestatem lædentibus cognoscendi. Cum autem a Pilato Christus Augustæ & Romanæ Majestatis læsæ reus est pronuntiatus, supplicio Crucis addictus est, qui si de blasphemia a Synedrio judicatus fuisset, non Crucis supplicio, sed lapidibus damnatus, contra quod prædixerat, obiisset. Ideo Joannes a Judæis Pilato dictum: Non licet nobis interficere quemquam, referri debere ad Crucis supplicium ostendens, immediate subjunxit: Ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat, significans, qua morte moriturus esset.*

Pilati variæ interrogationes, & Christi responsiones.

42. Postquam Pilatus audisset, Hebræi quæ sibi responderant, reversus in Prætorium, accersitum ad se Christum interrogavit, an esset Rex Judæorum; qui vicissim interrogavit Pilatum, scisciteandine hoc quæreret gratia, an vero quod ab aliis illud sibi esset insinuatum. Cui Pilatus respondit: Quid? sum ne ego Judæus? Gens tua & Pontifices te mihi tradiderunt. Quid fecisti? Tum Jesus ea dixit, quæ habentur apud Joannem cap. 18. vers. 36. *Regnum meum non est de hoc Mundo. Si ex hoc Mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ne traderer Judæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc.* Profecto Christus probe noverat, Pilatum non ex se rogasse, sed ex instinctu Judæorum, num Jesus esset Rex; sed ideo Christus rogavit Pilatum, illane interrogatio ex curiositate, an ex inimicorum criminationibus esset profecta, ut declararet, se nolle ad inutiles quæstiones verbum ullum proloqui. Ubi vero Jesus respondit se Regem esse, *dicit ei Pilatus: ergo Rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego*, addidit autem, Regnum suum non esse ex hoc mundo, in Cælo esse & suum imperium, & eos quibus ipse imperet; se in hac terra in animos hominum potestate uti; quibus declaravit, se reum non esse læsæ Majestatis, nullumque Principem hujus mundi debere de eo quidquam suspicari, aut ab eo sibi cavere.

Pilatus Christum

43. Illud etiam Judæi criminati sunt inter cætera, commoveri ab eo populum, doctrinamque dis-

amandat ad Herodem Galilææ Tetrarcham

disseminari usque a Galilæa per omnem Judæam: *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc*, ut est Lucæ cap. 23. versu 5. Hinc factum est, ut Pilatus audito Galilææ nomine, cum comperisset Jesum Galilæum esse, ideoque Herodis jurisdictioni subjectum, illum miserit ad eum Principem, qui tum temporis Hierosolymæ morabatur. Id autem Herodi vehementer placuit: multa enim de Christo communi omnium sermone acceperat, & in eam spem erat ingressus, ut signum aliquod ab eo fieri videret. Cum igitur de multis Jesum interrogasset, nec verbum ab eo ullum elicuisset, Principibus Sacerdotum & Scribis criminationes in eum urgentibus, *sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum; & facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem*, ut ait Lucas cap. cit. versu 11. & 12.

Quamobrem Pilatus Christum ad Herodem miserit. Herodes veste alba Jesum indutum ad Pilatum remittit. Herodes & Pilatus redeunt in gratiam: quæ illis causa simultatis fuerit.

44. Pilati jurisdictio non ultra Judæam porrigebatur; Galilææ vero Tetrarcha erat Herodes Antipas; idcirco secundum Romanorum leges cum criminatio esset de perduellione & affectato Regno, & Herodes ad Pascha celebrandum Hierosolymis degeret, Pilatus Jesum illi remisit; ille autem Princeps spe sua frustratus, cum nullum signum vidisset, (Christus enim non ad ostentationem, aut explendam curiosorum hominum vanitatem miracula edebat) sprevit illum *cum exercitu suo*, hoc est cum omnibus qui in ejus erant comitatu, & *illusit, indutum veste alba*, quæ primarium deceret virum: sic enim Deo placitum est, ut per hanc quoque rationem ejus innocentia declararetur; nam Regis quamvis scelesti cor in manibus ejus est, juxta ea, quæ observat Baronius ad ann. Chr. 34. num. 79. & sequen. qui penes Hebræos *ait* fuisse morem, ut rei pullata veste induerentur, & idcirco Deo placuisse, ut Unigenitus Filius suus ab omni crimine purus candida vestiretur. Illo autem die, postquam Pilatus Jesum ad Herodem remisit, cum fuissent inimici, in gratiam alter alterius rediere. Eam autem *nonnulli* docent simultatis fuisse causam, quod Pilatus Galilæos quosdam jussisset interfici, interea dum illi Hierosolymis sacrificarent; ex quo factum, ut eorum sanguis cum hostiarum sanguine misceretur, quemadmodum tradit Lucas cap. 13. v. 1. *Aderant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum*. Rufinus in Exposit. Symboli Apostolorum Christum *reconciliationis xenium* appellat inter Pilatum & Herodem. De causa simultatis, quæ inter eos intercesserat, consentit etiam Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 31. *Inter Reges & Romanos Præsides ex æmulatu facillime odia nascebantur; forsan etiam ob Galilæos a Pilato nuper trucidatos, dum sacrificia offerrent Hierosolymis, adeoque ob jurisdictionem Herodis usurpatam*. Accedit Antonius Bineus de morte Chr. tom. 3. lib. 3. cap. 2. in fine. Pulchra Baronii observatio confirmari potest e D. Ambrosio in Lucam cap. 23. pag. 1526. qui de alba veste, qua indutus est Christus, ait: *Immaculatæ indicia Passionis, quod Agnus Dei sine macula cum gloria peccata mundi susciperet*.

Consilium Pilati, ut Jesum a morte liberaret. Jesus Barabbæ posthabitus.

45. Rediit igitur Christus ad Pilatum, qui illud Hebræis proposuit, ut, quoniam nec ipse, neque Herodes quidquam in eo comperissent, cur illum capite damnarent, leviori plecteretur supplicio, flagrisque cæderetur: sed cum Judæi vehementius flagitarent, ut neci dederetur, Pilatus, ut Jesum a morte eximeret, id consilii cepit. Mos erat die Paschatis reum aliquem dimitti; cumque Barabbas seditionis & homicidii reus detineretur in vinculis, Pilatus optionem dedit populo utrum vellent dimitteret; sed Principum Sacerdotum, & Seniorum impulsu populus postulavit, ut Barabbam dimitteret; atque ita nefario & facinoribus noto homini Christus posthabitus est; ut est in Matth. cap. 27. Marc. cap. 15. Luc. cap. 23. & Joann. cap. 18. Matthæus cit. cap. v. 19. narrat, Pilatum, dum sederet pro Tribunali, per internuncium ab uxore monitum esse, ne se in causa justi illius hominis immisceret: *Sedente autem illo pro Tribunali, misit ad eum uxor dicens: Nihil tibi, & justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum*.

Hebræorum consuetudo liberandi reum die Paschæ. Somnium uxori Pilati immissum fuerit divinitus, an a diabolo, incertum.

46. Apud Matthæum cap. supradicto v. 15. legimus: *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent*; Apud Lucam cap. 23. v. 17. *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum*; Et apud Joannem cap. 18. v. 39. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha*. Unde inter eruditos orta est controversia, num in Paschate tantum, an vero in Pentecoste etiam, & Festo Tabernaculorum unus reorum dimittendus esset. Sagittarius tom. 1. Histor. Passion. Christi nullum de hac re tulit judicium, ut videre est pag. 556. Casaubonus Exercitat. 16. §. 20. videtur in eam sententiam esse propensus, ut singulis tribus illis Festis unus reorum esset dimittendus. Verum S. Joannes ait, *in Pascha*, quo verbo, quod Matthæus & Lucas indefinite dixerant, *per diem solemnem*, *per diem Festum*, videtur Joannes Paschatis festo determinare. Itaque verosimilius esse videtur, in Paschate tantum, quæ celeberrima omnium esset solemnitas, reum dimitti consuevisse, ut bene observant Antonius Bineus de morte Jesu Christi tom. 3. lib. 3. cap. 3. num. 3. & Joannes Conradus Hottingerus Dissertatione de Ritu dimittendi reum in Festo Paschatis tom. 2. Dissertationum in Nov. Testam. e Museo Hasei & Ikenii pag. 356. a num. 5. ad 10. Cum autem nihil reperiatur in Lege, cui inniti possit ea consuetudo, alia inter doctos viros orta est quæstio, an a Romanis ad Hebræos transierit; constat enim in Lectisterniis liberari consuevisse apud Romanos, qui in vinculis publicis detinebantur; quamobrem Grotius in Matthæum cap. 27. num. 15. & Vossius Harm. Evang. lib. 2. cap. 5. §. 4. & 5. contendunt, eam consuetudinem a Romanis ad Hebræos esse traductam. Id vero minime probatur Bineo & Hottingero locis cit. Et sane Joannes loquitur de consuetudine apud Hebræos introducta: *Est autem consuetudo vobis*; & ad eumdem modum Matthæus: *Consueverat*; Lucas vero hac consuetudine scribit obligationem induci: *Necesse autem habebat*. Quamobrem longe credibilius est, morem hunc a Judæis inductum, ut excussum Ægyptiacæ servitutis jugum recoleretur, in cujus commemorationem institutum est Pascha; Romanos autem Principes, qui subjectis quibusdam Gentibus indulserant, ut patriis legibus, sacrisque ritibus uterentur, Judæis jus liberandi unum e fontibus reis a pœna capitis in Pascha non ademisse. Pilati vero uxori quidam existimant nomen fuisse Claudiæ Proculæ; & Cornelius a Lapide testatur, apud Græcos in Sanctorum numero adscriptam. At hæc plane incerta; quemadmodum item nihil certi statui potest, divinitus ne immissum fuerit illud, quo divexata est, somnium, an a Diabolo profectum, qui jam suspicaretur quidpiam; & Christi morte ne Regnum suum everteretur, metueret. Ignatius Martyr epist. 8. ad Philippenses tom. 2. Bibliothecæ veterum Patrum pag. 81. ait,

81. ait, somnium illud a Diabolo fuisse immissum: *Cacodæmon terrebat mulierculam, turbans eamdem in somniis, & ut a crucifigendo cessarent moliebatur,... quia sentiebat suam perniciem.* Idem sentit Beda in Matthæum. Verum Origenes, Theophylactus, Euthymius, Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus somnium illud arbitrantur immissum esse divinitus, ut antequam Christus injustissima damnaretur sententia, hoc quoque somnio illum esse innocentissimum palam fieret.

Quarta Dominicæ Passionis pars a flagellatione Christi ad tandem reperatum ad Calvariæ locum.

47. Ad quartam Dominicæ Passionis partem venimus; cum Judæi flagris cæsum, corona ex intextis spinis injecta illusum, & Cruci damnatum ad Calvariæ locum Christum Jesum adduxerunt. Sed antequam progrediamur, in ea ratione, qua Pilatus in causa Christi usus est, paucis quibusdam observandis aliquantisper immorabimur.

Pilatus quinquies conatur eripere Christum morti eripere. Pilatus nefario se scelere obstrinxit, qui Jesum tamquam justum est interfici.

48. In tota Passionis serie constat, quinquies illum conisum esse e Judæorum manibus Jesum eripere. Primo apud Lucam cap. 23. v. 4. *Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine.* Secundo apud eumdem Lucam cap. eod. v. 20. *Iterum autem Pilatus locutus est ad eos volens dimittere Jesum.* Tertio v. 22. *Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam.* Quarto apud Joannem cap. 19. v. 4. *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.* Quinto denique ibid. vers. 12. *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Conatus est etiam in Judæorum animis commiserationem erga Jesum excitare, cujus rei gratia ostendit eum populo spinis coronatum, dicens: *Ecce homo*: ut est in Joann. cap. 19. Ad quem locum S. Augustinus Tract. 116. in Joannem: *Si Regi*, inquit, *invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est: fervet ignominia, frigescat invidia.* Intumescente vero tumultu, cum jam videret eum non posse eripi, *accepta aqua lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis*; imitatus Judæorum morem, qui, ut constat ex Deuteron. cap. 21. v. 6. cum testari vellent, nihil mali a se admissum, manus propalam suas lavabant. *Lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est.* Psal. 72. v. 13. *Lavi inter innocentes manus meas.* Psal. 25. v. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas.* Pilatus enim, etsi homo Romanus erat, Hebraico tamen ritu idcirco uti voluit, ut, quam prætendebat, suam persuaderet omnibus innocentiam, quod considerat Maldonatus in cap. 27. Matthæi num. 24. *Credo, Pilatum, quamvis Romanum hominem, in causa tamen hominis Judæi, & apud Judæos Judæorum cæremonia suam innocentiam testari voluisse.* Consonat Gretserus de Cruce lib. 1. cap. 14., ubi, etsi plura affert, quibus ostendat, etiam Romanos eadem cæremonia uti consueviss, quo suam palam facerent innocentiam, tamen censet, Pilatum ideo lavisse manus, ut Hebræorum ritui adhæreret. Quidam contendunt, Pilatum permisisse tantum Christi necem, atque suam fulcient opinionem iis Joannis Evangelistæ verbis cap. 19. v. 16.: *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Ita Lactantius Divinar. Instit. lib. 4. cap. 18. *Tum Pontius & Judæorum clamoribus, & Herodis Tetrarchæ instigatione metuentis, ne Regno pelleretur, victus est. Nec tamen ipse sententiam protulit, sed tradidit eum Judæis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent.* Ita etiam Chrysostomus Orat. 2. de eleemosyna: *Et postquam vehementer sed cessit: videt, ipse quidem suffragium non tulit, instare eos ipsi vero propria utentes dominatione, omne dein effecerunt.* Alii vero sunt, qui probabilius existimant, capitalem a Pilato latam esse sententiam, ut ex Lucæ verbis eruitur cap. 23. v. 24. *Adjudicavit fieri petitionem eorum*, Judæorum videlicet, qui ad necem Jesum deposcebant. Nam more Præsidum Romanorum, qui vellent proferre sententiam, sedit in Tribunali, ut bene considerat Bineus de morte Christi tom. 3. lib. 3. cap. 4. num. 54. & Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 13. qui illud etiam observat, Christum ab Ethnicis Pilati militibus Cruci esse affixum, qui Præsidis sententiam sunt exequuti. Quamobrem infelix gravissimo se scelere astrinxit, quo tamen perfidorum facinus Judæorum longe fuit tetrius, & horribilius: qua de re S. Leo serm. 8. de Passione cap. 2. *Excessit quidem Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & invidiosis vocibus increpatum ad effectum sui sceleris impulerunt: sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum.* Baronius ad annum Chr. 34. num. 92. de Pilati culpa ait, quamvis Hebræorum in Synedrio adversus Christum Dominum justum latum fuisset judicium, quod certe iniquissimum fuit; Pilatum tamen, qui ejus Judicii iniquitatem agnosceret, etiam postquam illud probasset invitus, ex Romanis legibus ad decem dies supplicium proferre potuisse; Tiberius enim, qui illum in Judæam miserat Senatus Consulto, quod refertur a Suetonio & Dione, jusserat damnatorum supplicia decem diebus differri; quod Pilatus si feciisset, Judæorum impetum & furorem compressisset. Et quamvis iisdem legibus liceret, si qua tumultus popularisque seditionis esset suspicio, capitalia supplicia prævertere; nihil erat tamen ejusmodi, quod Pilatus posset sibi metuere, qui Romanarum Legionum munitus esset præsidio. Baronii observationem probat Joannes Gerardus Vossius Harm. Evang. de Passione cap. 12. ubi hæc habet: *Contra leges Romanas peccat Pilatus indulgens Judæis festinam illam supplicii executionem.* Itemque Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 14. §. penult. Et quamquam Bineus tom. 3. de morte Christi lib. 3. cap. 15. num. 6. contendat, nihil peccasse Pilatum adversus Romanas leges, quibus licebat aliquando nondum decem diebus elapsis sententiam exequi, juxta legem Ulpiani, *Si quis* §. *Quid tamen* ff. de injusto rupto & irrito facto Testamento, & Modestini legem 16. ff. de Appellationibus; tamen quia leges illæ de manifestis latronibus, aut de oborta aliqua seditione loquuntur, *nisi forte latro manifestus, aut seditio prærupta, factioque cruenta, vel justa causa, quam mox Præses litteris excusavit, moram non recipiant*; & alibi *ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitores, vel duces factionum*; ad Baronii observationem defendendam, satis est ostendere, Pilato causam defuisse quamobrem Judicii exequutionem festinaret, quod quidem facile demonstratur: nam seditionis quidem Christus accusabatur; sed non satis erat criminatio; crimen probatum esse oportebat etiam ex Romanis legibus, quibus non latrones, sed manifesti latrones excipiuntur, *nisi forte latro manifestus*: neque itidem satis erat qualecumque seditionis crimen, sed *seditio prærupta, factioque cruenta*. Quamobrem, cum apud Pilatum Judæorum perfidia Christum quidem Jesum ut seditionis auctorem criminaretur, non tamen probaret, jure optimo Baronius Pilatum, quod

Baronius vindicatur.

mor-

mortem Chriſto maturaverit, ut iniquum Judicem reprehendit. Facit ad hanc rem Diocletiani & Maximiani Conſtitutio, non ſane contemnenda, quia poſterior ætate ſit; ipſi enim naturæ, & communi ſenſui innititur: *Cumque a populo exclamatum eſſet; iterum dixerunt: Vane voces populi non ſunt audiendæ; nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.* Ita legitur in l. *Decurionum* 12. Cod. de Pœnis; quod quidem multo antea docuerat Plato Dial. 2. *de legibus*: *Non debet*, inquit, *verus Judex, quæ determinanda Judicio ſunt, ab aliis diſcere, & quaſi ſtupefactus tam clamore multorum, quam ignorantia ſua ita ferre ſententiam.* Plura etiam affert argumenta e legibus depromta Chriſtianus Thomaſius Diſſert. de injuſto Pontii Pilati judicio, quibus iniquitatis Pilatum reum facit.

Pilatus, conſcientia ſibi reclamante, dimiſit Barabbam, Jeſum flagellatum Judæis tradidit.

49. Itaque Pilatus etſi probe noverat Chriſtum eſſe inſontem, alienumque habebat animum a decernenda illius morte, quin potius eum liberandi cupidiſſimus erat, ut ſupra oſtendimus, tamen *dimiſit illis Barabbam; Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur:* ut eſt in Matth. cap. 27. verſ. 26. Marcus autem cap. 15. v. 15. *Pilatus*, inquit, *volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.* Lucas cap. 23. v. 19. *Emendatum ergo illum dimittam.* Joannes cap. 19. v. 1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit.* Idem plane contigit in S. Agapii martyrio, qui neci deditus eſt, eodemque tempore depoſcente populo ſceleſtus homo dimiſſus, ut videre eſt apud Euſebium lib. de Martyribus Palæſtinæ cap. 6. *Trahitur* (ſunt verba Euſebii) *in medium ſtadium una cum noxio quodam, qui Dominum ſuum peremiſſe ferebatur. Poſt hæc is quidem, qui dominum ſuum interfecerat, beſtiis objectus veniam & clementiam Imperatoris promeruit eodem pene modo, quo ille, qui temporibus Servatoris noſtri fuit, Barabbas. Quam ob cauſam totum repente Amphitheatrum acclamationibus & laudibus perſonare cœpit; quia ſcilicet Imperator cruentum homicidam benigniſſime ſervaverat, & honore ac libertate donaverat.*

Conſilium Pilati in permittenda flagellatione. Damnati ante Crucis ſupplicium flagellari ſoliti. Semel ne tantum, an bis Chriſtus cæſus ſit.

50. Poſt dimiſſum Barabbam flagellatio Chriſti apud Matthæum conſequitur cap. 27. cujus verba ſuperius attulimus, & apud Marcum cap. 15. verſu 15. *Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.* Item apud Joannem cap. 18. & 19. *Clamaverunt ergo rurſum omnes dicentes: Non hunc, ſed Barabbam; erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit.* Quæritur, quanam tandem ratione Pilatus Chriſtum flagellis cædi juſſerit. Sunt qui putant, idcirco Pilatum juſſiſſe Chriſtum Dominum flagris verberari, ut experiretur, num ea pœna Judæorum animos poſſet explere, atque ita Chriſtum ſupplicio Crucis liberare. Hæc ſententia illis D. Lucæ verbis innititur Evang. cap. 13. *Emendatum ergo illum dimittam.* D. Auguſtinus Tract. in Joannem 116. *Hoc Pilatus*, inquit, *non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi ut ejus injuriis Judæi ſatiati ſufficere ſibi exiſtimarent, & uſque ad ejus mortem ſævire deſiſterent.* Quod probat Chriſtianus Thomaſius in Diſſert. de injuſto Pilati judicio §. 28. & vel ex hoc ait, Pilati teterrimam emicare iniquitatem, quem, Chriſti innocentia cognita, nullo modo æquum fuit jubere Chriſtum flagris verberari, ut illum morti eriperet. Quidam vero morem proferunt eos verberandi, qui Cruci affigendi eſſent: *multi occiſi, multi capti, alii verberati cruci affixi*, ſcribit Livius de ſervis conjuratis lib. 34. Curtius l. 8. eodem ſupplicio ſcribit Alexandrum Magnum juſſiſſe eos affici, qui obſirmata contumacia Petram Urbem defenderant: *Omnes*, inquit, *verberibus affectos ſub ipſis radicibus Petræ crucibus juſſit affigi.* Et D. Hieronymus in cap. 27. Matthæi: *Sancitum eſt*, inquit, *ut is, qui crucifigitur, prius flagellis verberetur.* Vide etiam Lamy Concord. Evangel. Diſſertat. de Cruce §. 6. qui eadem de re multo plura congeſſit. Itaque arbitrantur, Pilatum juſſiſſe Jeſum flagellis cædi, & id exequutioni mandatum, quod juxta morem, quem ſupra memoravimus, antequam damnati crucifigerentur, fieri conſueverat. Hæc eſt Antonii Binei ſententia tom. 3. de Morte Chriſti lib. 3. cap. 4. num. 5. Quidam autem quod Matthæus & Marcus flagellationem ponant ante latam mortis ſententiam; Joannes vero inſuper nonnihil temporis inter utramque interjiciat, binas fuiſſe flagellationes colligunt; alteram ante latam mortis ſententiam, quam ſedando Judæorum odio Pilatus fieri juſſerit; alteram, ut verborum conſuetudo ſervaretur, antequam Crucis ſupplicium exequutioni mandaretur; quæ eſt Calmeti ſententia in cap. 27. Matthæi verſ. 26. Sed nullus eſt in Evangeliis locus, cui duplex flagellatio inniti poſſit, proindeque Sagittarius duplicem flagellationem vehementer rejicit tom. 1. de Paſs. Chriſti par. 2. pag. 587. num. 118. itidemque Bineus loc. cit. Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 9. §. *Nec quidquam cauſæ*, & Cardinalis Gottus de verit. Relig. Chriſt. tom. 4. Par. 2. cap. 25. §. 2. num. 8. Quamobrem D. Auguſtini, quam ſupra retulimus, ſententiam amplecti juvat, rejectaque duplici illa flagellatione, Evangeliſtas adhibita Lirani doctrina conciliabimus, qui in cap. 27. Matthæi ita ſcribit: *Licet iſta flagellatio Chriſti ponatur hic poſt ſententiam Judicis, tamen fuit ante facta, ut habetur Joannis 19. Quare ad hanc intentionem eum præcepit Pilatus flagellari, & illudi, ut Judæi eſſent ſatiati ſanguine ejus, videntes eum ſic punitum etiam ultra condignum; & ideo ponitur hic quaſi per recapitulationem.*

Chriſtum ad Columnam flagellatum fuiſſe, vetuſtiſſima traditio. Eam Columnam Romam aſportavit Joannes Cardinalis Columna in Templum S. Praxedis in Equilitio.

51. Sacri ſilent Evangeliſtæ, quemadmodum Chriſtus fuerit flagellatus; ex quo ſilentio complures inter ſacros Interpretes & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritos profectæ ſunt controverſiæ. Rei flagellabantur vel in Prætorio, antequam ad ſupplicium deducerentur; vel per viam, dum ad patibulum rapiebantur. Cum vero reus cædebatur in Prætorio, ad columnam alligabatur, ut videre eſt apud J. Lipſium de Cruce lib. 2. cap. 4. Cum autem Redemptor noſter in Prætorio fuerit cæſus, vetuſtiſſima traditio eſt, ad columnam fuiſſe alligatum. Quare Prudentius in Diptycho 41. tom. 5. Bibliothecæ Patrum pag. 1057. ita ſcripſit:

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque columnæ
Adnexus tergum dedit, ut ſervile, flagellis.

D. Hieronymus in epitaphio Paulæ hæc ſcribit: *Oſtendebatur Illi Columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Conſonat Beda in cap. 23. *Lucæ: ille*, inquit, *qui ſolvere compeditos ſolet plena Deo membra verberibus ſubdidit. Quæ videlicet columna in Eccleſia Montis Sion poſita, Dominici cruoris uſque hodie cernentibus veſtigia certa demonſtrat.* Atque inde impudentiſſima Calvini calumnia repellitur, qui hanc Columnam auſus eſt dicere a Pontificiis omnino eſſe confictam, ut bene arguit Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 10. Hanc vero columnam ſexto adhuc ſeculo ſumma Chriſtiani

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sliani veneratione Hierosolymæ colebant, quam ligulis etiam textilibus cingebant, easque pellendis morbis quibusdam adhibebant, Gregorio Turonensi teste lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 7. *Ad hanc vero Columnam multi fide pleni accedentes corrigias textiles faciunt, eamque circumdant: quas rursum pro benedictione recipiunt diversis infirmitatibus profuturas.* Eam anno 1213. Joannes Cardinalis Columna Apostolicus Legatus sub Honorio III. Romam asportavit; quæ in Ecclesia S. Praxedis in Exquiliis locata etiamnum eodem loco prostat Fidelium veneration, quod ipsi innuimus lib. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 2. cap. 10. num. 21., & abunde ostendit P. Honoratus a S. Maria in suis Observationibus ad Criticæ regulas lib. 5. Dissertat. 5. art. 3. Joannis Cardinalis Columnæ vitam scripsit de Attichy lib. Florum Historiæ Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium. Cardinalem creatum fuisse narrat ab Honorio III. Illum militari virtute Provincias aliquot Ecclesiasticæ ditionis Romanæ Ecclesiæ vindicasse, Legatumque Apostolicum contractas ex provinciis, quæ sunt Juris Romani Pontificis, copias in Infidelium regiones traduxisse; Damiatam expugnasse; aliquot victoriis potitum in potestatem venisse Theodori Angeli Comneni, qui opibus potens Imperatoris partes agebat, & ab eo aliquandiu in vinculis detentum: Honorii III. tandem opera illinc dimissum Romam rediisse, nec quidquam aliud secum attulisse, quam Columnam, de qua dudum loquuti sumus, eamque in Ecclesia sui Tituli S. Praxedis collocasse, ubi etiam nunc asservatur. Quaresmius in Elucidat. Terræ Sanctæ lib. 5. cap. 11. & sequen. Tom. 2. contendit, etiam nunc Hierosolymæ in Ecclesia S. Sepulchri hanc extare Columnam, ad quam vinctus & cæsus est Jesus; eumque Romæ eam esse negare nolit in Ecclesia S. Praxedis, ait Christum Jesum semel atque iterum flagris verberatum, primum quidem, inscio Pilato, in domo Caiphæ; iterum vero jussu Pilati: primæ flagellationis Columnam eam esse, quæ Roma adservatur in S. Praxedis Ecclesia; alteram vero etiam nunc extare Hierosolymæ. Sed Quaresmium facile refutari quisque intelligit, qui consideret, de flagellatione in domo Caiphæ altum esse apud Euangelistas silentium. In ea domo (ut scribit Matthæus) perfidissimi Judæi dumtaxat in Christi faciem expuerunt, & colaphis eum percusserunt dicentes: *Prophetiza quis est, qui te percussit?* Marcus & Lucas nihilo plus ad ea, quæ scribit Matthæus, addunt; ideoque suffoisso duplicis flagellationis fundamento, Quaresmii de duplici Columna sententia corruit.

Duo flagellationis genera. Flagra cujusmodi essent in Christi flagellatione, incertum.

52. Virgisne, hoc est arborum ramusculis in fasciculos colligatis, an flagris & funibus Christus cæsus sit; nudusne, an vestitus ad columnam alligatus fuerit; quot, & unde fuerint, qui eum verberarunt satellites; quinam denique verberum numerus, ex Evangelistis nobis compertum non est. Duo fuere flagellationis genera; alterum, cum virgæ adhibebantur, & ad hunc modum verberatus est Paulus Apostolus, ut ipse scribit 2. ad Corinth. cap. 11. versu 25. *Ter virgis cæsus sum;* alterum cum flagra & funes. Interdum vero, ut acerbior esset pœna, tenuia quædam frusta ligni, aut exigui ossiculi extremis funibus, atque etiam parvuli unci ferrei alligabantur. Baronius ad ann. Chr. 34. num. 84. observat, Christum Jesum, qui, ut ait Apostolus, formam servi assumpserat, noluisse virgis cædi, quæ pœna erat liberorum hominum; sed flagris, quibus mancipia cædebantur. Vide Lipsium de Cruce l. 2. c. 3 qui totam hanc rem satis illustrat. Et quamquam Rabbini aliquot probare conentur, in Republica Hebræorum summum etiam Sacerdotem, vel ipsum Regem, cum ita a Synedrio decretum fuisset, & peccatum ejusmodi pœnam postulasset, flagellatione punitos esse; eos tamen egregie confutat Calmetus Dissertat. de suppliciis sacræ Scripturæ §. *Flagrorum supplicium.* Utrum autem, quo acerbior Christo esset flagellatio, addita sint flagris lignea, vel ossea frustula, aut unci ferrei, ut traditur in Revelationibus S. Birgittæ lib. 4. cap. 70. *Flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis, non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus laceratur,* nos nihil ejusmodi scire fatemur cum Lipsio lib. 2. de Cruce cap. 3. *An tale aliquod flagris genus, quo Christus etiam noster cæsus? Imaginantur, aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego affero: sed illud Evangelistæ cæsum esse, & quidem flagro.* Illud concludendum, crudelissimam fuisse eam flagellationem, sive quod Judæi ad immanitatem satellites incenderent, sive quod Pilatus confideret, quo pœna hæc sævior esset, eo sibi fore facilius a morte illum eripere. Quamobrem Redemptor noster, injecta de suis cruciatibus & contumeliis mentione, priore loco posuit flagellationem apud Matthæum c. 20. v. 19. & apud Lucam cap. 18. vers. 32.

Christus Jesus nudus omnino alligatus est ad Columnam.

53. Nudusne Christus affixus fuerit Cruci, quæremus alibi. Quod vero ad flagellationem pertinet, affirmamus, cum ad columnam milites illum alligarunt, omnia ei vestimenta detraxisse: *Christus cum alligatus fuit columnæ, ut flagellaretur, omnium sententia omnino nudus fuit;* ita Suarez 3. part. tom. 2. disp. 36. sect. 4. Calmetus in ea, quam supra attulimus, Dissertatione loquens de supplicio flagrorum, ostendit, ubi primum sententia Judicis morti quispiam addiceretur, ei satellites illico vestes detrahere consuevisse, &, si opus fuisset, etiam vi discerpere, ut usque ad ilia nudaretur: sed a communi non videtur sententia recedendum, quam cum Suarez sequitur Durantus Episcopus Montis Feltri in Notis ad Revelationes S. Birgittæ num. 4. *A Doctoribus vero dubitari solet, an omnibus penitus vestibus fuerit denudatus Christus, ita ut nec aliquod velum haberet, quo verenda tegerentur; & quidem cum ad Columnam flagellatus est, omnino fuisse nudum, omnes ferme asseverarunt, & hanc esse communem opinionem omnium affirmat Franciscus Suarez.* Præsertim vero quod ea esset apud Romanos consuetudo. Cicero in Verrem l. 5. c. 62. *Repente hominem proripi, atque in medio foro nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet.* Suetonius in Cajo c. 26. *Quæstorem suum in conjuratione nominatum flagellavit, veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent.* Et apud Livium. *Missi lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt.* Et apud A. Gellium Noct. Attic. l. 10. cap. 3. de M. Mario homine nobili: *Vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est.*

De numero satellitum qui flagris Christum cæciderunt. Singularis quædam Bedæ opinio.

54. Quatuor fuisse, qui Christum verberarunt, lictores seu satellites, affirmat Jansenius Iprensis Episcopus in cap. 27. Matthæi. In sua quadam ecstasi ait S. Maria Magdalena de Pazzis, se vidisse a sexaginta satellitibus cædi Jesum, ut viribus integri fessis succederent. Verum si Pilatus, ut ait Hieronymus in cap. 27. Matthæi, sententiam more Romanorum tulit, justitque more itidem Romanorum Jesum verberari, unum tantummodo dicendum videtur fuisse lictorem, qui Christum flagellaverit; notissima enim est formula: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito.* Utcumque tamen sit de ejusmodi more Romanorum, etiamsi Pilatus in animo habue-

UAB Biblioteca de Ciències

buerit, ut Romano more Jesus verberaretur; verisimile admodum est, propter eas, quas supra memoravimus causas, minime illi fuisse obtemperatum, pluresque fuisse lictores, de quorum tamen numero nihil nos certi quidquam habere concludit Eminentissimus Gottus loc. cit. §. 1. num. 11. Singularis est Bedæ sententia in Marc. cap. 15. lib. 4. qui unum tantum scribit, eumque fuisse Pilatum, qui Jesum flagris cæciderit: *Jesus autem flagellatus non ab alio, quam ab ipso Pilato intelligendus est. Scribit enim aperte Joannes; Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Deinde subjungit: Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.* Liranus in Joann. cap. 19. Bedæ verba ita molliter flectit: *Pilatus flagellavit Jesum non per se ipsum immediate, sed per milites suos, & ministros:* nam ibi locum habere videtur vulgatum illud apud Jurisperitos: *Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur.* Militaris erat disciplina, ut in fustuario Tribunus primam infligeret plagam, ut videre est apud Polybium lib. 6. Quod si hæc consuetudo Tribunorum ab exercitu ad Præsides, & Procuratores Provinciarum, qui verberibus aliquem condemnassent, traducta fuisset, eaque consuetudine fuisset usus Pilatus, non tamen vere dici posset, Pilatum unice Christum Jesum flagris verberasse. Sed modus loquendi est scriptoribus familiaris, ut Magistratus id facere dicatur, quod fieri jubet.

55. Si quæramus, qua ex gente lictores fuerint, quive numerus verberum, quæ Christo impegerint, plures difficultates offendimus. Serry Exercit. 56. §. 6. Calabros fuisse putat. Hi enim primi omnium in Italia a Romanis ad Hannibalem defecerunt; ac in pœnam defectionis parere jussi sunt Magistratibus Provinciarum, & servorum vicem obire; quorum operam propterea verisimile est Pilatum, qui Judææ præerat, in Christi flagellatione, & nece adhibuisse. Baronius ad ann. Chr. 34. num 85. ait, verum quidem esse ex Festo Pompejo, & A. Gellio Calabros a Romanis ignominiæ causa, quod defciverint ad Hannibalem, ea pœna esse damnatos: sed cum alii etiam ex aliis Gentibus in quibusdam regionibus turpissimo illi adscicti fuerint ministerio, nihil adversus Calabros inde confici. Sandinus Histor. Familiæ Sacræ cap. 14. Baronio suffragatur, & vehementer oppugnat P. Serry, qui tamen Responsionum suarum ad Sandinum cap. 5. suam tueri conatur sententiam, Calabros fuisse Christi carnifices. Perimezius olim Episcopus Oppidensis de natione tortorum Christi par. 2. §. 3. qui liber Romæ typis impressus est ann. 1727. ostendit, Judæos fuisse, qui Jesum in horto comprehenderint, in Prætorio flagris verberaverint, in Calvario Cruci affixerint; Romanos vero milites, qui Romano parebant Præsidi, e variis Gentibus collectos adfuisse, & nonnihil operæ suæ contulisse, ut in horto vincula Christo injicerentur, infligerentur flagella, imponeretur corona, de eo turpissimum denique Crucis sumeretur supplicium. Eruditus vir P. Joannes Laurentius Berti tom. 5. de Theologicis disciplinis lib. 29. Cap. ult. §. 7. pag. 587. postquam materiam hanc pertractavit, ita concludit: *Ex his constat perperam in Bruttios* (qui nunc Calabri appellantur) *unius Auli Gellii auctoritate conflari calumniam.*

Cujus gentis ii satellites fuerint.

56. Nobis de ea quæstione satis esse videtur, quæ alii scripserint, retulisse. Idem dicimus de verberum numero. Deuteronomii cap. 25. vers. 2. statuitur, quadraginta tantum posse aliquem plagis verberari: *Sin autem cum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant.* Et Paulus 2. ad Corinth. 2. ait, se *quinquies* a Judæis cæsum, numerumque declarat verberum, quæ per singulas verberationes acceperit: *Quadragenas una minus accepi.* Judæi enim sibi non licere existimarunt, numerum a lege præscriptum excedere, ut observat Estius ad illum D. Pauli locum num. 24. Ex his videtur illud profluere, quod Christus Jesus non plures quam quadragenas plagas acceperit. Verum nullus præscriptus Romanis legibus verberum numerus, & Pilatus nullum ad Hebraicam legem videtur habuisse respectum: nam, ut alia prætereamus, Christus Dominus non humi stratus, ut lex Judæorum jubet, sed ad columnam alligatus verbera accepit. Quibus verisimile nobis fit, longe pluribus, quam quadragenis cæsum esse verberibus. Eckius *de Christi Passione* ait, quinquies mille trecentas & triginta quinque eas fuisse plagas. Lodulphus in vita Christi quinquies mille quadringentas triginta quinque. Lanspergius Homil. 50. illum auget numerum ad quinquies mille quadrigentas & sexaginta. Sed ea prorsus incerta, ut bene Durantus in notis ad Revelationes S. Birgittæ lib. 1. cap. 10. num. 5. quamobrem nihil certum de numero affirmantes, plurima concludimus verbera fuisse, quæ Christus acceperit, & gravissima. *Unde licet verisimilius sit, flagella multum excessisse quadragenarium numerum propter rationes adductas, & quia Christus non more Judæorum, sed Romanorum flagellatus est; tamen quantus fuerit ille numerus, affirmare non possumus, quia neque in Evangelio habetur, neque in Scriptura, neque a Sanctis Patribus traditus est.* Hæc Suarez 3. part. tom. 2. quæst. 46. art. 2. Disp. 35. sect. 2. & consentit cum eo Calmetus in cap. 19. Joannis. Utcumque igitur sit de carnificum, & verberationum numero, certum est, Jesum fuisse cæsum crudelissime, ut prophetavit Isaias cap. 50. & quemadmodum scripsit Augustinus, quem affert D. Thomas in Catena Aurea: *Ecce Dominus aptatur ad verbera, ecce jam cæditur: rapit sanctam cutem violentia flagrorum: repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt. Proh dolor! Jacet extensus ante hominem Deus, & supplicium patitur Deus, in quo nullum peccati vestigium potuit inveniri.*

De numero verberum. In Deuteronomio non plura quam

57. Etsi Pilatus non jussit, Jesum Christum post flagellationem Spinis coronari; nihilominus milites effrænata licentia ausi sunt illum in Prætorium trahere, &, universa convocata cohorte, veste seu chlamyde illum vestire purpurea, ejus capiti coronam e spinis intextam imponere, arundinem in ejus manus injicere, & amaris illusionibus ludificari, & flexis illum genibus per ludibrium adorare, & salutare veluti Judæorum Regem, conspuere, & caput ei ferire arundine, atque omnibus illum afficere contumeliis. Hæc omnia referunt Matthæus cap. 27. Marcus cap. 15. & Joannes cap. 19. quæ quidem injuriæ, irrisiones, & ignominiæ illi ideo illatæ, quod se Regem dixerit, ut recte observat Calmetus in cap. 27. Matthæi vers. 28. ubi etiam, ea vestis quo fuerit colore, suscipit investigandum. S. Matthæus cap. 27. vestem hanc appellat *chlamydem coccineam.* Marcus cap. 15. purpuram vocat: *Induunt eum purpura.* Joannes cap. 19. *Purpureum vestimentum.* Coccineus color in sacris paginis peccati symbolum est. Isaiæ cap. 1. vers. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt:* & in rogum, quo vacca rufa cremabatur,

tur, Sacerdos coccinum injiciebat, ut videre est Numeror. cap. 19. ut significaret, peccata populi una cum vacca igne absumi. Quamobrem pulchre Lamy Concord. Evang. lib. 5. cap. 33. *Non sine Dei providentia*, inquit, *obtigit Christo, qui factus est peccatum, idest victima pro peccato, ut rubri coloris amictu velaretur*. Baronius ad ann. Chr. 34. n. 89. eruditissime ostendit, chlamydem militarem fuisse vestem, cujus color apud Romanos purpureus, qui illum a Lacedemoniis morem acceperunt: de corona vero dissentit ab iis, qui putant, eam e marinis juncis fuisse intextam; tum quod ejusmodi junco spinæ sint tantum in vertice, caudex vero & rami spinis omnino careant; tum quod Hierosolymæ, quæ longe abest a mari, haud ita facile quis intelligat, qui militibus marinus juncus præsto fuerit; itaque statuit, coronam fuisse e rhamno, qui terrestris est frutex, ac verisimile esse, prope Hierosolymam natum esse eum, quem milites ad coronam adhibuerunt; idque affirmat probabilius esse etiam P. Ayala in Opere quod inscripsit *Pictor Christianus* lib. 3. cap. 15. num 9. De Rhamno ita Plinius lib. 24. cap. 14. *Inter genera ruborum Rhamnus appellatur a Græcis, candidior, & fructuosior. Is floret, ramos spargens rectis aculeis, non ut cæteri, aduncis foliis majoribus*. Opinioni, quæ favet rhamno, adstipulatur Natalis Alexander in cap. 27. Matthæi num. 12. & P. Joannes Laurentius Berti tom. 5. de Theologicis Disciplinis lib. 29. cap. ult. num. 4.

58. Hæc vero ut videamus quam sint firma, quærendum est, ubi gentium sit spinea corona; ea enim probe inspecta, facile judicabimus, e junco ne marino, an non, intexta fuerit. De spinea corona lib. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 2. cap. 14. num. 13. & cap. 3. num. 8. verba fecimus; ubi plurium Scriptorum gravissimorum auctoritate ostendimus, decimotertio sæculo Francos Imperatores, qui Constantinopoli tunc temporis morabantur, cum in magna essent difficultate nummaria, Sacra Lipsana, spineam scilicet Coronam, lanceam, arundinem, & spongiam Venetis oppignorasse; Balduinum vero secundum, quicquid in iis reliquiis sibi juris esset, Ludovico Francorum Regi cessisse, qui repræsentata pecunia eas pignore liberatas in sacello regii Palatii Parisiensis collocavit. Vid. etiam Baillet. Histor. hujus diei art. 3. numer. 25.

Corona spinea, lancea, spongia, & arundo a Regis Francorum conditæ sunt in Sacello Regii Palatii Parisiensis.

59. Spinea igitur corona etiamnum extat; quam qui vidit probeque inspexit, cum e junco esse marino testetur, profecto prorsus sublata est omnis dubitatio. *Corona fuit de juncis marinis, sicut etiam vidimus in thesauris Regis Francorum, quorum acies non minus spinis duræ sunt, & acutæ*; ut ait Durandus in Rationali Divinorum Officiorum lib. 6. cap. 77. §. 17. Neque etiam de ejus forma dubitari amplius ullo modo potest; oculati enim testes non ad modum fasciæ, quæ tempora & frontem cingat, formatam esse dicunt, sed instar habere pilei, quo cranium & superior pars capitis tegitur. Ita Bailletus ubi supra, & Serry exercit. 52. num. 7. quod tamen antea multis evicerat Durandus in notis ad Revelat. S. Birgittæ lib. 7. cap. 15. num. 2. & post eos omnes, observarunt etiam Sandinus Histor. Sacræ Familiæ cap. 15. & Gottus de verit. Relig. Christianæ in sæpius jam allato cap. 25. §. 3. Si Durando, quem supra attulimus, haberi deberet fides, tuta quidem esset sententia de Corona marinis juncis intexta: sed cum Martinus del Rio Lect. 9. de Passione, se Parisiensem illam Coronam vidisse testetur, & e marinis juncis factam esse neget, spinasque illas *nil quicquam cum juncis marinis commune habere*, propterea inter eas quæstio hæc annumeranda est, in quibus, quam quisque probaverit sententiam, arbitratu suo sequi potest. Thomas Bartholinus Gasparis filius Tract. de Cruce pag. 177. variis prolatis opinionibus, tandem pag. 183. ita concludit: *Judicandi arbitrium cuivis committo*; & Bineus cit. lib. 3. cap. 4. num. 12. de iis omnibus, qui de spinarum natura scripserunt, judicium ferens ait: *Nemo attulit aliquid certi; & profecto afferri omnino nequit &c. Hoc enim tantum scimus, quod Coronam de spinis cum plexuissent milites, imposuerunt capiti Jesu*.

Corona apparet esse e junco marino, illius sit ejus forma.

60. Matthæus & Marcus, quæ superius attulimus, narratis de veste & spinea corona, referunt deinde, carnifices eam Christo vestem detraxisse, ejusque vestibus iterum indutum ad Calvarium traxisse, ut Cruci eum affigerent. Verum Joannes, qui Christi passionem diligentissime persequutus est, narrat, Pilatum populo Christum ostendisse eo habitu, quo illusus erat a militibus, indutum veste purpurea, & spineam coronam capite gestantem, & dixisse Judæis, *Ecce homo*; Pontifices vero, & Ministros conclamasse, ut crucifigeretur; cumque Pilatus respondisset, ipsi crucifigerent; se enim nullam comperisse causam, cur mortis supplicio eum plecteret; Judæos legem suam urgendo dixisse: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*. Nefaria sane vox non absimilis ab illa, quam populum dixisse tradit Matthæus cap. 27. Postquam enim Pilatus manus suas lavit, ut declararet, se nihil ad ejus justi cædem contulisse, vociferati sunt omnes: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*; qui est Gentis illius idiotismus, ut Levitic. cap. 20. num. 9. 10. & sequen. Ea verba vero quid valeant, etiamnum declarat ab illis temporibus perpetuus usque in hanc diem super Judæos miseriarum cumulus, & obfirmatissima eorum cæcitas. *Perseverat*, inquit Hieronymus tom. 7. operum lib. 4. in Matth. cap. 27. columna 230., *usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos; & sanguis Domini non auferetur ab eis*. Absurda prorsus est eorum interpretatio, qui non ad Christum referunt verba illa, *Ecce homo*, sed ad quemlibet eorum, qui aderant, ita ut ea verborum sententia sit: O homo, quisquis es, vide hic, quem tibi ob oculos statuo, quam male multatus sit: Tuos hoc converte oculos, ac si tantillo humanitatis sensu tangitur tuus animus, te hujus hominis commiserescat. Apertissime enim constat verba, *Ecce homo*, ad Christum Dominum referenda, ut sententia sit: In hunc miserum tam misere habitum, quæso, respicite, cui longe alius quam Regis inest aspectus: Videte verberibus flagrisque excarnificatum; si vestrum odium ut Rex inflammavit, illi in hanc miseriam dejecto tandem ignoscite; ac si non omnis ab animo vestro humanitatis sensus abest, non dubito, quin illum, licet crudelitate, & odio flagrantes, liberum tandem abire patiamini.

Christus crucifigendus videtur in ea veste fuisse, in qua coronatus fuit, & illusus ab militibus. Terribili Judæorum imprecatio, qua se devoverunt.

61. Pergit Joannes cap. 19. Pilatum ubi Hebræos clamare audivit, Christum Jesum capitali crimine adstringi, quod Filium Dei se fecisset, vehementius fuisse perterritum: fortasse enim timuit, ne divino fatu esset ortus, ac suspicari cœpit vera esse, quæ a Christo audierat. Eum igitur rursus adduci jussit in Prætorium, diligentius, unde esset ortus, inquisiturus, interrogavitque: *Unde es tu?* Atque Jesum, qui nihil omnino respondebat, monuit, sibi potestatem esse tum dimittendi eum, tum crucifigendi. Cui dixit Jesus. *Non haberes potestatem adversum me ullam*,

Pilatus anxius quid consilii capiat, variis rationibus huc illuc impellitur. Tandem Christum morti tradidit.

niſi tibi datum eſſet deſuper; ideſt niſi Deus permiſiſſet, ut in tua eſſem poteſtate, & ipſe niſi voluiſſem juxta voluntatem Patris in tuam dari poteſtatem. Tandem accuratam ſuam Joannes narrationem explet, novaſque rationes a Pilato initas refert, quo Chriſtus dimitteretur; ſed ut Judæos clamantes audivit: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris; omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari*: tum vero ejuſmodi vocibus victus, *adduxit foras Jeſum, & ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabbatha*, hoc eſt lapidibus ſtratus, iterumque Chriſtum eorum oculis objecit dicens: *Ecce Rex veſter*, eoſque interrogavit: *Regem veſtrum crucifigam?* cumque ſuccłamatum eſſet: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*, tradidit eum Judæis crucifigendum, ſcripto Hebraice, Græce, & Latine titulo pœnæ cauſam indicante, quem juſſit ſupra Crucem poni, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. Hunc autem titulum mutare noluit, quamvis Pontifices Judæorum illum monuiſſent: *Noli ſcribere*, Rex Judæorum: *ſed, quia ipſe dixit*. Rex ſuum Judæorum. S. Ambroſius ſerm. 20. in Pſalm. 118. §. 38. & 39. illud conſiderat, quod dixit Chriſto Pilatus, ſibi poteſtatem eſſe cum vel dimittendi, vel Cruce damnandi: *Audite*, inquit, *quid Judex iniquitatis loquatur: Poteſtatem habeo dimittendi te, & poteſtatem habeo crucifigendi te..... Mala poteſtas, licere quod non liceat. Poteſtas iſta tenebrarum eſt &c. & §. 36. Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis; ſed juxta leges & jura pronuntiat, ſcitis juris obtemperat, propriæ voluntati non indulget*. Theophilactus, qui ambitione magis, quam morum aſperitate ægrotum animum geſſiſſe cenſuit Pilatum, quæ tamen, ut alibi oſtendimus, illum fefellit opinio, ſuper illis verbis, *Ecce Rex veſter*, ita ſcribit: *Sæpe diximus, quod Pilatus magis fuerit mollis, & ambitioſus, quam aſperis moribus. Vide etiam & nunc, quod forma quidem examinis & judicii utitur, ſed omnino molliter rem agit. Ecce enim, inquit, Rex veſter. Neque enim Jeſum condemnat, neque Judæos manifeſte confutat, ſed quaſi occulte exprobrat eis ut ſycophantis, quaſi dicat: Ecce qualem hominem dicitis attentaſſe invadere regnum, vilem ſcilicet, & nihil tale attentare audentem, & ita accuſatio veſtra falſa. Quid enim habet ille, quid Tyranni? Num milites divitias, nobilitatem? Ecce Rex veſter. Quæ utilitas, ſi hunc occideritis, qui homo ne in minimo quidem nocere poterit?* Denique quidam Pilatum per ironiam loquutum eſſe exiſtimarunt, quod nobis non fit veriſimile; nam perſuaſum habebat, Jeſum fuiſſe verum Chriſtum Judæorum, ut obſervat Lamy Harm. Evangel. lib. 5. cap. 33. *Dicit eis Pilatus non ironice, ut quidam volunt, nam valde commovebatur hinc conſcientia, inde timore Cæſaris, & ſeditionis; dicit, inquam, Regem veſtrum crucifigam? ideſt Chriſtum veſtrum: putabat enim vere eſſe Chriſtum eorum*.

Chriſtus bajulat ſibi Crucem. Quis ille fuerit Simon Cyrenæus, qui ſucceſſit ferendo illi onus.

62. Id moris erat, ut Cruciarii ſuam portarent crucem ad locum ſupplicii: quamobrem Redemptor noſter *bajulans ſibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus, Hebraice autem Golgotha*, ait Joannes cap. 19. Tertullianus adverſus Judæos cap. 11. notat, Iſaacum, qui humeris tulerat ligna, quibus erat immolandus, Chriſti typum fuiſſe, qui ſuam humeris portavit Crucem, in qua magnum illud, quo expiatum eſt ome genus humanum, æterno Patri ſuo obtulit ſacrificium. *Cum Iſaac a patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum jam tunc denotabat in victimam conceſſi a Patre, lignum Paſſionis ſuæ bajulantis*. Jeſus, Cruce humeris ſublata, aliquantum confecit *itineris*, ac fortaſſe ad Urbis portam pervenit; ſed cum innumeris plagis & cruciatibus affectum vires deficerent, narrant Matthæus cap. 27. Marcus cap. 15. & Lucas cap. 23. redeunti e villa Simoni Cyrenæo impoſitam Crucem, non ita tamen, ut Simon partem Crucis ferret a tergo Chriſti: quemadmodum exiſtimavit Cajetanus locum illum Lucæ, *impoſuerunt Crucem Simoni, ut portaret illam poſt Jeſum*, ita enarrans: *Chriſtus ferebat illam in anteriori parte, Simon in poſteriori; & ita ibat poſt Jeſum*; ſed ut, exonerato Chriſto, impoſitam ſuis humeris Crucem ſolus Simon ad Calvarium portaverit, juxta Hieronymi ſententiam, qui in cap. 27. Matthæi, *Hoc*, inquit, *intelligendum eſt, quod egrediens de Prætorio Jeſus, ipſe portaverit Crucem ſuam, poſtea obvium habuerit Simonem, cui portandam Crucem impoſuerint*. Cum eo ſentit Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 19. Tom. 3. oper. edit. Maurin. *Unde intelligitur, quod ipſe ſibi portabat Crucem, cum exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus eſt, de quo tres* (Evangeliſtæ) *commemorant, cui poſtea data eſt Crux portanda uſque ad locum. Ita utrumque factum invenimus, primo id quod Joannes dixit, deinde quod cæteri tres*. Videatur Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 15., qui dicit contrariam inoleviſſe ſententiam, quod pictores ita depingere Simonem cœperint, ut non totam Crucem, ſed alteram ipſe partem portaret, Chriſtus Dominus alteram. Quæritur quis ille Simon Cyrenæus fuerit. Cyrenenſem illum fuiſſe certum eſt. Sed cum tres Cyrenarum nomine fuerint Urbes, una in Lybia, in Syria altera, tertia in Cypro inſula, cujus nationis eſſet propterea incertum. Simonem hunc refert Marcus cap. 15. Alexandri & Rufi patrem fuiſſe. Gentilis ne an Judæus, incompertum. Judæum fuiſſe, putant communiter recentiores, quod prædia habuerit Urbi vicina; & arreptus ſit, ut in onus Chriſto ſuccederet, dum rediret *e villa*, quod ſane idoneum ſatis argumentum eſſet, niſi Græcus textus haberet *venientem ex agro*. Vid. Tillemont. Nota 32. in Vita Jeſu Chr. Cum tamen in Actis Apoſtolorum cap. 19. verſ. 33. Alexandri mentio injiciatur, & Rufi in Ep. ad Romanos cap. 16. verſ. 13. ſunt qui credant, Simonem Chriſto faviſſe, ob eamque rem, inſtigante nonnemine Judæorum, abreptum coactumque Crucem ferre: Chriſti autem Jeſu fautorem fuiſſe inde colligunt, quod pater eſſet Alexandri & Rufi, qui, ut modo innuimus, cenſentur inter Chriſti diſcipulos.

Chriſti verba ad fœminas, quæ illi tam fœde multato illacrymabantur.

63. Magna turba populi, & mulierum proficiſcentem Jeſum ad Calvarium ſequebatur. Et fœminæ quidem naturali quodam commiſerationis ſenſu fortaſſe perculſæ, cum illum ita peſſime multatum viderent, lacrymabantur. *Sequebatur autem illum turba multa populi, & mulierum, quæ plangebatur, & lamentabantur eum*. Ad eas autem converſus Jeſus dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros; quoniam venient dies, cum ſteriles beatæ ſibi eſſe videbuntur, & optabunt, ut ſupra ſe montes corruant; ita miſerrimam Hieroſolymorum indicans everſionem. *Incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos*: quibus verbis hac occaſione uſus eſt Jeſus, quæque multo antea Oſeas adhibuit cap. 10. v. 8. cum loqueretur de Samaria, quæ, ſi peccata ſpectes, & pœnam, Hieroſolymæ fuit imago. Addidit Jeſus: *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quorum eſt ea ſententia: Si mihi juſto tot ingeruntur mala, quid peccatoribus fiet? Hic enim loquendi modus proverbialis

bialis est apud Hebræos, qui ligni viridis probos, aridi nomine malos homines significabant: quamobrem dicere consueverant, si duo ligna sint, alterum viride, aridum alterum, futurum ut viride cum arido comburatur, ut significarent probos viros propter paucitatem facile a malorum hominum opprimi multitudine. *Excindam viride lignum, & aridum;* sunt verba apud Exechielem cap. 20. v. 47. quod Propheta ipse *justum & probum* cap. 21. interpretatur.

De Sudario a S. Veronica ad Christi faciem admoto. Vindicatur hæc reliquia ab hæreticorum calumniis.

64. Pia traditio est, sanctam fuisse quandam fœminam, Veronicam nomine, quæ ad Christi faciem sudore turpatam, & sanguine, telam admoverit, ubi Sanctissimi vultus impressa extiterit imago, quæ nunc asservatur in Vaticana Basilica, & Sanctum Sudarium appellatur. Ea de re lib. 4. Canonizat. Sanctorum part. 2. cap. 31. num. 12. disseruimus, quo propterea Lectorem mittimus. Incredibile est, quo furore Reiskius hæreticis partibus addictus sacram hanc Reliquiam impugnet in Exercitationibus Historicis de Christi imagine cap. 2. Sed ad ea, quæ loco citato attulimus, accedunt quæ scripsit Berti tom. 5. de Theologicis Disciplinis lib. 29. cap. ult. num. 5. qui omnia commonstrat fundamenta, quibus pia hæc traditio innititur, ut jam in tuto sit, quæ Sancto Sudario debetur veneratio. In eo libro de Canonizatione innuimus, piæ illi fœminæ, quæ ad Jesu faciem Sudarium applicuit, Veronicæ nomen fuisse impositum; nec deesse qui existimet, nomen illud *Veronica* conflatum ex *vera icon*, unde nomen extiterit Veronicæ. Apud Chiffletium in Christi Historia *de linteis sepulchralibus Christi* cap. 34. extat Jacobi Pantaleonis Epistola, qui fuit Urbanus Papa IV. Hic sorori suæ misit S. Sudarii ectypon hæc scribens: *Ideirco vos rogamus, ut propter reverentiam illius, quem repræsentat, recipiatis eam in Sanctam Veronicam, seu veram ipsius imaginem, & similitudinem.*

An Christo ad supplicium euntí titulus mortis scriptus a Pilato prælatus fuerit.

65. Duo Redemptori nostro latrones additi comites, qui trahebantur ad necem: *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur*, inquit Lucas cap. 23. v. 32. Quod autem nusquam in Evangeliis legatur, dum raperetur ad supplicium, prælatum illi fuisse titulum culpæ indicem, quem Pilatus scripserat; propterea fuere, qui id quærendum putarunt.

Videtur prælatus, quod ea esset Romanorum consuetudo.

66. Verum, cum ea esset Romanorum consuetudo, ut reorum collo titulum indicem supplicii appenderent, ut apud Sueton. in Cajo cap. 32. & in Domitiano cap. 10. aut præferri juberent, ut apud Eusebium lib. 5. Eccl. Hist. cap. 1. pag. 206. tom. 1. Edit. Valesii, qui Attalum Martyrem narrat circumductum in Amphitheatro, *præcedente ipsum Tabella, in qua Latino sermone inscriptum erat: Hic est Attalus Christianus;* Et apud S. Ambrosium serm. 90. qui narrat jussu Judicis nudatam esse S. Agnetem, nudamque in lupanar adductam, præeunte satellite, qui magno clamore dicebat: *Agnetem sacrilegam Virginem, Diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam*; hinc verisimile fit, cum duceretur Jesus ad Calvarium, eandem servatam esse consuetudinem.

De Titulo Cruci imposito.

67. Apud S. Matthæum cap. 27. v. 37. legimus. *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus Rex Judæorum:* Apud Marcum cap. 15. v. 26. *Erat titulus causæ ejus scriptus: Rex Judæorum:* Apud Lucam cap. 23. v. 38. *Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Judæorum:* & apud Joann. cap. 19. v. 19. *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus, & erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum; Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Si quas viri docti, quique Passionis historiam eruditionis apparatu, & copia enarrarunt, quæstiones recensere velimus, in longius quam par est nostra producetur oratio. Eas si cui voluptas sit cognitas habere, adeat Bineum tom. 3. & Sagittarium tom. 2. qui eas exponunt, & diligenter expendunt. Nos pauca quædam attingemus. Ac primum illud animadvertimus, tribus linguis titulum scriptum fuisse, Latina propter Majestatem Imperii; Hebraica ratione loci, ubi exequutioni mandabatur sententia; Græca propter Hellenistarum multitudinem, qui ad Pascha celebrandum convenerant Hierosolymam, ut advertit Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 34. num. 20. Deinde illud quoque observamus, jam, ut constat ex D. Joanne, titulum Cruci impositum, lectumque fuisse, cum a Pilato Judæorum Pontifices eum immutari flagitarunt. Itaque ne dicamus, Pilatum Judææ Præsidem, tanta præditum dignitate, quod non sit verisimile, ad Calvarium se contulisse, ut Crucis adesset supplicio, dicere oportet, reversos Hierosolymam Pontifices post mandatam exequutioni sententiam id a Pilato postulasse. Postremo animadvertimus, quæri solere, irane & superbia Pilatus, an quod carere se legitima potestate putaverit, verbum nullum vel immutare, vel addere voluerit. Sane ira superbiaque Pontificum postulationem videtur aspernatus. Etsi enim juxta Pauli Constitutionem in D. de Re judicata leg. 45. sine Principis auctoritate sententiam judici non liceat immutare (*De amplianda, vel minuenda pœna damnatorum post sententiam dictam sine principali auctoritate nihil est statuendum*) vetitum tamen non videtur, ne mutaretur titulus juxta ejusdem Pauli verba, qui respondit leg. 42. *Rescindere sententiam suam præcedentem Prætorem non posse; reliqua autem, quæ ad consequentiam quidem jam statutorum pertinent, priori tamen sententiæ desunt, circa condemnandum reum, vel absolvendum, debere supplere, scilicet eodem die.*

Titulus Crucis in Basilica S. Crucis in Hierusalem Romæ conditus a S. Helena; ubi sub Innoc. VIII. repertus est.

68. Testatur Ambrosius de Obitu Theodosii, & Rufinus Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. a S. Helena repertum esse titulum Crucis alio, quam quo Crux reperta fuit, loco. Quem titulum sancta fœmina Romam asportatum in Basilica S. Crucis in Hierusalem, quam quarto ædificavit seculo Constantinus, collocavit. Eam Basilicam sæpius antea restitutam, sub Innocentio VIII. anno 1492. Petrus Gundisalvus Card. de Mendoza cum reficeret, tituli Crucis Christi Hebraice, Grece, & Latine scripti reperta est pars intra parietem, quo ante mille annos Placidius Valentinianus Imperator conjecerat. Eadem fere die expugnata Granata, magnaque clade Mauris a Ferdinando Hispaniarum Rege Catholico affectis, idem Innocentius Pontifex cum Cardinalium Collegio, ob victoriam de Christiani nominis hostibus partam, ad eam Basilicam ad gratias Deo immortali agendas se contulit; Alexander vero Sextus, qui Innocentio successit, Bulla anni 1496. quæ est quarta inter ejus Constitutiones in Bullario Romano, narrat anno paullo ante memorato postrema Januarii Dominica, per eam, quam supra monuimus occasionem, titulum Crucis esse repertum; iisque plenariam omnium peccatorum indulgentiam concedit, qui eo die Basilicam visitaverint.

Argumenta quæ evincunt illum esse titulum Crucis.

69. Ad inscriptiones, quæ, ne illius rei memoria interiret, in Basilica positæ sunt; & ad gravissimorum de septem Ecclesiis Romæ Scriptorum consensum Lælii Petroni, qui ea vixit ætate, accedit historia apud Bosium de Cruce lib. 1. cap. 2. Narrat itaque Petronius, cum sacra illa ædes reficeretur, supra plumbeam capsam laminam marmoream esse repertam, in qua incisa erant hæc verba: *Hic est titulus veræ Crucis*; in eam vero capsam, cujus duorum palmorum erat longitudo, asserculus sesquipalmum longus conjectus fuerat, in quo incisa & cruore tincta erant hæc verba, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*: cui tamen postremæ voci *Judæorum* deerant aliquot litteræ: *Sed illud* Judæorum *non erat perfectum: quia illud* Rum *nonnisi usque ad* R *inclusive remanserat, & illud* UM *ceciderat, quia erat tabula ab ea parte corrosa, & vetustate deficit.* Insessura in Manuscriptis Diariis Petronii historiam confirmat, & cæteri Auctores synchroni omnes consentiunt, ut videre licet apud Raynaldum ad ann. Chr. 1492. n. 14. Spondanum ad eund. ann. num. 7. Honoratum Nicquetum Histor. Tituli Crucis lib. 1. cap. 267. & sequent. Honoratum a S. Maria observat. ad regulas Criticæ lib. 5. dissert. 4. art. 1. §. 1. qui leviculas quasdam ea de re difficultates a Bailleto injectas dissolvit, & apud Angelum Roccam de Sanctissima Crucis Particula cap. 1. tom. 1. pag. 257. Quæri solet, an etiam crucibus latronum, qui cum Christo sunt crucifixi, impositus fuerit titulus. Sagittarius tom. 2. Histor. Pass. Christi pag. 373. id quamobrem negari debeat ait se non videre; illum enim fuisse morem, qui in omnibus fontibus condemnatis usurparetur; nec mirum Evangelistas eam rem siluisse, quorum studium in eo præcipuum fuit, ut unice Christi Passionem scriberent. Id tamen negat Chrysostomus Homil. 81. in Joann. quem sequuntur Gretserus de Cruce lib. 1. cap. 26. Theophilus Rainaudus de S. Latrone cap. 2. num. 5. Nos libentius hanc sententiam amplectimur.

Divisio postremæ partis Passionis Domini. Christum in Cruce oportuit pati.

70. Postrema Dominicæ Passionis parte Crucifixio Jesu Christi, mors, & sepultura continentur.

71. Fuse agit D. Thomas de Passione Christi 3. par. qu. 46. cujus articulo quarto eam proponit quæstionem, *Utrum Christus pati debuerit in Cruce*, pluribusque allatis rationibus, quas apud illum videas, concludit debuisse. Earum prima ab exemplo virtutis desumitur. Christus enim in Cruce mortem obeundo declarare voluit, nullum justo homini genus mortis vel atrocissimæ esse timendum, cujusmodi ea mors fuit, qua ipse e vita sublatus est; Crucis enim supplicium longe est omnium teterrimum & crudelissimum.

Pulcherrima D. Thomæ doctrina de atrocitate Passionis & dolorum Christi.

72. Quærit articulo 5. *utrum Christus omnes passiones sustinuerit:* & art. 6. *Utrum dolor Passionis Christi fuerit major omnibus doloribus.* Quod ad primum pertinet, omnes ostendit perpessum esse Christum ægritudines, quæ quidem extrinsecus in hominem irruunt; non enim de iis loquitur, qui existunt & oriuntur intrinsecus, cujusmodi sunt corporis morbi. Id vero luculenter appareret, si animadvertamus, multa illum a Gentilibus, & Judæis, a viris & a fœminis (nam ancillæ Petro occasionem negandi præbuere) multa a Principibus eorumque Ministris, & a populo, & a suis ipsius familiaribus, & amicis esse perpessum, qui a Juda proditus, a Petro negatus fuerit. Porro in amicitia maxime fuit læsus, qui ab amicis fuit desertus, in existimatione tot tantisque in eum congestis blasphemiis, in honore & gloria innumeris prosciissus maledictis, & irrisionibus contumeliisque illusus, in anima tristitia & pavore oppressus, in corpore plagis & vulneribus dilaceratus. Præterea in capite propter spinas, in manibus pedibusque propter clavos, in facie propter alapas & sputa, toto denique corpore propter innumera verbera, dolores pertulit. Quod attinet ad alteram quæstionem in art. 6. ait: Christi dolores inter omnes omnium dolores fuisse gravissimos, juxta illud Threnorum. *Attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Nam de doloribus corporis eadem iterat, quæ articulo 5. persequutus est, & nos recensuimus. De dolore autem animi causas considerat, unde ille profectus est: peccata scilicet humani generis, quorum causa tantopere patiebatur; peccata Hebræorum aliorumque quorum consilio vel opera nex illi est illata; & scandalum ejus morte discipulis partum. Hinc vero gradum facit S. Doctor ad doloris magnitudinem pro qualitate tum animæ, tum corporis Christi. Recte enim observat, corpus, utpote perfectissime formatum, delicatissimo tactu fuisse præditum, ideoque dolores sensisse atrocissimos; animam vero, cum dolori & tristitiæ permisisset omnem vim suam exerere, caruisse illo solatio, quo miseri plerumque fruuntur, quorum interior tristitia, externusque dolor a superiore parte animi aliquantum leniri solet. *Nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis per quandam derivationem seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores: quod in Christo patiente non fuit, quia unicuique virium permisit agere quod est sibi proprium.* Concludit denique, ultro Christum Passionem & dolorem assumsisse, ut a peccato hominem liberaret; tantum autem ex iis sumsisse, quantum ratio postulabat ejus fructus, quem inde proficisci oportebat; ac propterea non dubitandum, quin Passio & dolores Christi gravissimi fuerint.

Christi anima in superiori parte, utpote quæ divinitate fruebatur, inter maximos dolores summo semper gavisa est gaudio adversus Cani & Serry sententiam.

73. Quoniam vero inter acerbissimos dolores angoresque maximos clara & intuitiva Dei visione Christus fruebatur, cum qua non videtur convenire posse tristitia, usque enim a primo sui conceptus momento viator fuit æque ac comprehensor, ideoque vera perfectaque beatitudine præditus, celebris Melchior Canus de Locis Theologicis lib. 12. cap. 13. in fine; ejusmodi mysterium ut explicaret, scripsit, Dominum Jesum, quemadmodum animæ gloriam cohibuit, ne in corpus sese funderet, ita, dum esset in Cruce, eam, quam necessario a clara Dei visione profluxisse opportuit, continuisse lætitiam. Hanc Cani doctrinam cæteri Theologi frigide exceperunt, quin etiam censura notavere. Eam tamen novissime suscepit tuendam P. Serry in nuperrima operum Cani editione, quam adornavit Patavii ann. 1714. ut videre est cap. 8. *Defensionis*. Verum cum diserte doceat D. Thomas loc. cit. art. 8. etiam inter acerbissimos, quibus Christus cruciabatur, dolores, ejus animam divino gaudio fuisse perfusam; nos cæterorum omnium Thomistarum sequuti sententiam, dicimus animam Christi in superiori parte summum semper fruitionis gaudium percepisse, interea dum ejus corpus cruci affixum crudelissimis doloribus angebatur; ita tamen ut neque illud gaudium ad inferiorem partem, neque dolores illi ad superiorem pertingerent, evidenti sane miraculo, quemadmodum miraculum etiam illud fuit, quod viator æque Christus & comprehensor esset, & de gloria animæ nihil ad corpus derivaretur.

Decuit Christum pati Jerosolymis, & inter

74. Alteram idem S. Doctor art. 10. proponit quæstionem, *utrum Christus fuerit convenienti loco passus*, & art. 11. *utrum conveniens fuerit, Christum*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Latrones crucifigi ex D. Thoma.

ſtum cum latronibus crucifigi. Ad primam reſpondet, Chriſtum maxime decuiſſe Hieroſolymis pati: tum quod Deus Hieroſolymam elegerat ubi fierent ſibi ſacrificia, quæ nihil aliud demum fuerunt, quam figura Paſſionis Chriſti, quæ verum fuit Sacrificium; tum quod Paſſionis virtus ad univerſum Mundum cum deberet dimanare, conveniens fuit, illum Hieroſolymis pati, quæ Civitas eſt in medio terræ habitabilis ſita, & quaſi umbilicus. Ad ſecundam vero quæſtionem ait, oraculum eſſe Iſaiæ, *Et cum ſceleratis reputatus eſt*; quod quidem fuerat adimplendum. In ejus vero prophetiæ implemento obſervat, Judæos Chriſtum inter duos latrones crucifigendo, in animo habuiſſe ejus famam omnino proterere, perinde ac ſi eorum ſceleris fuiſſet particeps; Dei vero illud fuiſſe conſilium, ut declararetur, quid facturus eſſet Chriſtus de vivis & mortuis, quos in duas claſſes diſpertitos, alteram prædeſtinatorum ad dexteram, alteram reproborum ad ſiniſtram ipſe judicabit, eoſque vocabit ad gloriam; hos ad æterna detrudet ſupplicia.

Quæ contigerunt in Calvario.

75. Sed ut ad hiſtoriam redeamus, poſtquam Jeſus ad Calvarium pervenit, appoſitum illi fuit vinum felle mixtum, quod cum deguſtaſſet, noluit bibere. Itaque inter duos illum latrones Cruci affixerunt, quorum unus erat ad ejus dexteram, alter ad ſiniſtram. Fuit titulus Cruci impoſitus; milites vero poſtquam eum ſuſtulerunt in Cruce, veſtimentis ejus quadrifariam diviſis, ſic ut ſuam quiſque tolleret partem, ſortes jecerunt, ut quæ cuique pars ſortito obtingeret, illi aſſignaretur. De tunica vero ſine commiſſura continuo ductu contexta dixerunt inter ſe: *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit*; quod ubi feciſſent, adſidentes eum ſervabant.

Calvarius unde nomen traxerit. ibi Adam ſepultus.

76. De Calvario hæc habet Matthæus cap. 27. v. 33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus*. Marcus cap. 15. v. 22. *Et perducunt illum in Golgotha locum, quod eſt interpretatum Calvariæ locus*. Lucas cap. 23. v. 33. *Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ*. Joannes cap. 19. v. 17. *Exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice Golgotha*. Calvarium ſeu Golgotha cranium ſignificat, quod exiguo illi monti nomen eſt inditum, vel quod ille tumulus humani cranii inſtar haberet, vel quod in eo hac illac eorum crania eſſent diſperſa, qui ob ſcelera ſua morte mulctati fuerant. Hieronymus in cap. 5. ad Epheſios Tom. 7. oper. edit. Veron. col. 649. ait, ætate ſua percrebuiſſe opinionem, eo in loco Adamum fuiſſe ſepultum; inde locum nomen traxiſſe. *Hæc*, inquit, *vera ſint, nec ne, Lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plauſu ac tripudio ſunt excepta*. Idem S. Doctor in cap. 27. Matthæi eodem tomo col. 133. de hac re agens, cum qui hanc tueretur ſententiam rogat, cur in eodem loco duo latrones ſint crucifixi; ſeque proniorem eſſe declarat in eam opinionem, quæ ſtatuit, locum ita dictum a calvariis & oſſibus eorum, qui ultimo ſupplicio ibi necabantur. *Sin autem quiſpiam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, ut ſanguis ipſius ſuper Adæ tumulum diſtillaret, interrogemus eum, quare & alii latrones in eodem loco crucifixi ſint? Ex quo apparet, Calvariam non ſepulcrum primi hominis, ſed locum ſignificare decollatorum, ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret gratia*. Tertullianus, Origines, Epiphanius, Chryſoſtomus, & Auguſtinus favent opinioni, quam rejicit Hieronymus; & Baronius ad ann. Chr. 34. num. 112. ſatis firmo fundamento fultus vult, locum ideo Calvarium appellatum, quod Adam ibi ſepultus fuerit; atque ab Hieronymo, ut ſibi ab eo diſſentire liceat, veniam petit; quam facile illi S. Doctorem fuiſſe daturum putamus, quem epiſt. 46. alias 17. Paulæ & Euſtochii ad Marcellam tom. 1. op. cit. edit. Col. 199., quæ vel ab eo ſcripta vel dictata fuit, manifeſto conſtat eam ſequi ſententiam, quam aliis in locis rejecerat. *In hac Urbe* (Hieruſalem) *immo in hoc tunc loco & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam: unde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter, Calvaria appellatur, ſcilicet, quod ibi ſit antiqui hominis Calvaria condita, ut ſecundus Adam, ideſt ſanguis Chriſti de Cruce ſtillans, primi Adam & jacentis Protoplaſti peccata dilueret*. Tumulus ille, ſeu collis, ubi Chriſtus Cruci affixus eſt, e cranione primi hominis Adæ, quem ibi ſepultum ferunt, an ex reorum craniis, qui ſupplicio affecti fuerint, hac illac diſperſis Calvarii nomen traxerit, quæſtio eſt inter eruditos viros diu multumque verſata. Quidam enim ægre animum inducunt ut credant, Judæos eorum calvarias, qui publico judicio necati eſſent, paſſim inſepultas reliquiſſe. Nam Deuter. cap. 21. jubet Deus eorum corpora ante occaſum ſolis terræ mandari. Quod tamen argumentum facile refutare poteſt, qui non hac illac fuiſſe dicat diſperſas Calvarias, ſed ei tumulo (qui Hebræis idem erat, ac Romanis Tarpejus, vel ſcalæ Gemoniæ) quod capite damnati ſupplicio ibi plecterentur, inde Calvarii nomen fuiſſe derivatum. *Capitis igitur locus idem fuerit, ac decapitationis locus*, ait Voſſius in Harmonia. Quod autem ad originem ſpectat ejus nominis e capite Adæ ibi ſepulti deductam, præter Patres ſupra memoratos, haud ſpernenda etiam videtur pia quædam traditio, qua Fideles impulſi ad Palæſtinam iter ſuſcipiunt, quod illis perſuaſum ſit, non modo Chriſtum Jeſum in Calvario fuiſſe ſublatum, ſed eo etiam Adæ corpus fuiſſe injectum. Cui traditioni pia etiam *innititur illa* pictorum conſuetudo, ut ad inferiorem Crucis partem hominis calvariam depingant. Recentiſſimi duo de Calvario ſcripſerunt Auctores, Cardinalis Cozza Comment. Hiſtorico-Dogmat. in D. Auguſt. lib. de Hæreſibus Par. 2. cap. 3. ſeu 25. n. 163. & Quareſmius Elucidat. Terræ Sanctæ lib. 5. cap. 32. & ſeq. tom. 2. ubi veterem præſentemque Calvarii formam deſcripſit.

Conciliantur Marcus, & tres alii Evangeliſtæ, qui vinum cum felle mixtum Chriſto oblatum ſcribunt. Marcus vero vinum myrrhatum.

77. De vino felle mixto ita Matthæus cap. 27. v. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum guſtaſſet, noluit bibere*; atque item Marcus cap. 15. v. 23. *Et dabant ei bibere, myrrhatum vinum, & non accepit*. De potu aceti, cujus mentionem faciunt cæteri duo Evangeliſtæ Lucas & Joannes, alibi ſermonem habebimus; quem potum Chryſoſtomus eumdem fuiſſe exiſtimat cum eo, quem referunt Matthæus & Marcus. Sed ſententia hæc ſuſtineri nequit: non enim obſcure Matthæus & Marcus ſignificant potum, de quo ipſi loquuntur, oblatum fuiſſe Chriſto, priuſquam tolleretur in Crucem; Lucas vero & Joannes de potu ſcribunt, qui Chriſto jam in Crucem ſublato, quin etiam prope moribundo præbitus eſt. Præterea de vino Matthæus & Marcus, de aceto loquuntur Lucas & Joannes. Contendunt quidem nonnulli, ſi Græcos Codices conſulas, poſſe te facile evincere, Matthæum & Marcum de aceto loqui, ſed in veteribus Codicibus alii æque verſati id obſirmate negant. Diſerte autem Matthæus cap. 27. alterutrum ab altero potum diſcriminat. Narrat enim, ſimul ac Jeſus Calvarium conſcendit, dediſſe eos illi *vinum bibere cum felle mixtum*: deinde idem v. 48. de eo ſcribit jam morti proximo: *Et continuo currens*

vens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Ad hunc modum egregie, ut omnia, disputat Maldonatus in cap. 27. Matthæi vers. 34. cui nos assentimur. Missio igitur aceto, nunc de vino differendum, de quo loquuntur Matthæus & Marcus.

Duplex Christo potus oblatus.

78. Duos Christo potiones oblatas contendit Baronius ad ann. Chr. 34. num. 95. unam vini cum felle mixti, alteram vini myrrhati; vinum vero myrrhatum ait optimum fuisse, & odoris suavitate laudatissimum, damnatis ad supplicium propinari solitum, quo miseri illi paullum levarentur. Nicolaus Faber vir eruditione clarus, qui magnum illum Annalium Ecclesiasticorum parentem faciebat plurimi, scripsit ad eum, multo sibi videri verisimilius, oblatum Christo vinum myrrhatum, quo mentis sensuumque turbatione obortа, adimeretur illi dolor, aut leniretur; quod a Judæis factitatum esse contendit. Huic rescripsit sapientissimus Cardinalis, & postquam declaravit, vehementer sibi probari singularem ejus doctrinam, addidit, non tamen se hac de re cum illo sentire posse. Non enim myrrhato vino homines obstupescere, sed potius puriore mentis luce perfundi: & si quidem id moris erat penes Hebræos, ejusmodi vinum iis, quibus ultimum supplicium esset subeundum, propinare, ut stupidiores fierent, illud certe potasse oportuit duos illos latrones, qui cum Christo fuerunt in Crucem acti, quos tamen constat ex eorum sermonibus rationis & mentis fuisse compotes. Illud igitur vult Baronius, non odio Hebræorum, sed cujuspiam misericordia myrrhatum Christo vinum oblatum esse; quod cum Christus potare noluisset, ab iis qui Christo erant infensi, vinum cum felle mixtum esse illi propinatum. Suarez 3. par. tom. 2. disp. 36. sect. 3. hanc Baronii sententiam probabilitate non carere arbitratur. A Lapide in Cap. 27. Matth. v. 34. ait Baronii sententiam alios amplecti noluisse. At Calmetus ad eundem Matthæi locum Baronio suffragari videtur. Observat enim, Christum potare myrrhatum vinum ideo noluisse, ut omni careret solatio, & de Calice, qui in Passione sibi sua exhauriendus erat, ne tantillum quidem amaritudinis diminueretur. Quidam vero Marcum & Matthæum ita conciliari putant, si dicamus, Matthæum, cum ait propinatum Christo vinum cum felle mixtum, nihil aliud quam amarissimum vinum significare voluisse: Marcum vero, qui dicit, *dabant ei bibere myrrhatum vinum*, disertius explicasse, vini amarorem illum e myrrha ortum. Lamy in Harm. Evang. lib. 5. Cap. 34. pag. 590. textum Thalmudis affert, quo probare studet, *iis*, qui ad capitale supplicium ducerentur, Hebræos vinum thure mixtum præbere consuevisse, quod thus mentem minuat, & morituram citius extinguat: Judæos autem Christo non thus, sed myrrham miscuisse; cum enim quidquid illi ingratum esse posset, exquirerent, *pro benigni saporis thure, amarissimam myrrhæ propinarunt: ne quid deesset, quo violentum suum in Servatorem animum proderent*. Verum ut sua sermoni nostro perspicuitas constet, duo sunt nobis præstanda. Primo conciliandi sunt Matthæus & Marcus; ille enim de felle, hic de myrrha loquitur: qua in re D. Augustini & Bedæ non a vero abesse videtur opinio, utrumque & fel & myrrham in vinum fuisse indita; & Matthæum quidem fel, Marcum vero myrrham memorasse. Deinde videndum, quonam tandem modo id contigerit, quisve myrrhatum vinum paraverit, quisve eo fel indiderit, vel vinum felle mistum obtulerit. qua in re verisimile videtur, pias quasdam, quæ aderant, fœminas, Christum Dominum miseratas, myrrhatum vinum attulisse, quo ille reficeretur; iis autem, cum non liceret proxime ad Crucem accedere, opus fuisse operæ uti militum, qui proni ad omne scelus, vel potionem felle corruperunt, vel pro myrrhato vino felle mistum obtulerunt. Id Maldonatus innuit loc. cit. Liranus, & Petrus Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis in hanc propendent sententiam; quam ut certissimam proponit Casaubonus exerc. 16. num. 80. nec desunt qui ea de re ad hunc modum disputent apud Bineum de morte Christi tom. 3. lib. 3. c. 5. num. 27. & sequen.

An Judæis usitatum esset Crucis supplicium.

79. Serpente æneo fuisse Crucem præfiguratam ipse Jesus Christus docuit apud Joann. cap. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Nunc igitur cum de Crucifixione differendum sit, quæstiones aliquot de Cruce moveri solitas referemus, de quibus quid Interpretes scripserint, innuemus. Prima quæstio est, utrum Crucis supplicium Judæis esset usitatum. Quidam Crucem proprium fuisse putant Romanorum supplicium, non vero Judæorum. Nam quod Hai Rex jussu Josue in Crucem actus fuerit, itidemque idem supplicium quinque Chananæorum Reges subierint apud Josue cap. 8. vers. 29. & cap. 10. vers. 26. & septem Saulis filii Cruci pariter fuerint affixi, lib. 2. Regum cap. 2. vers. 9. ejusmodi supplicium dicunt non ex Judæorum, sed Barbararum illarum Gentium more fuisse jussu Josue adhibitum: septem vero Saulis filios non ab Hebræis crucifixos, sed a Gabaonitis, qui reliquiæ erant Amorrhæorum, nec inter filios Israelis censebantur. Verum ante Christum Jesum apud Hebræos Crucem esse adhibitam, jure nemo inficiabitur. Alexander enim Hircani filius teste Josepho de Bello Judaico lib. 1. cap. 3. octingentos in media civitate captivos crucingi jussit. Quod observavit Serry Exercit. 5. num. 1. Sagittarius tom. 1. de Pass. Chr. Par. 2. pag. 694. complures ex Rabbinis affert locos, quibus probare nititur, Hebræis non fuisse Crucis supplicium, sed quatuor tantum apud eos usurpata esse genera supplitiorum, gladium, laqueum, ignem, lapidationem: quæ est etiam sententia Lamy Harm. Evang. Dissertat. de Cruce §. 10. Contra Calmetus in Dissertatione de suppliciis putat crucifigendi morem etiam ab Hebræis receptum esse.

Terrimum mortis genus, quo seditiosi, servi, & scelerati apud Romanos sui criminis pœnas luebant.

80. Quod vero omni caret dubitatione, Romani facinorosos homines Cruci affigebant, præsertim servos; quamobrem Juvenal. Satyr. 6. *pone Crucem servo*; Liberos etiam interdum; sed vilioris conditionis homines, si atroci quodam scelere fuissent convicti, ut probat Lipsius de Cruce lib. 1. cap. 12. & 13. Cui consentit Lamy in Dissertat. de Cruce §. 1. pag. 573. ubi ait: *Servorum, latronum, sicariorum, & seditiosorum supplicium Crux erat, cui illi affigebantur, & in ea pendebant, donec fame, siti, doloribus enecarentur, post mortem suam canum & corvorum velicti cibus. Itaque supplicio illo non aliud apud Romanos infame magis, & acerbum magis*. Igitur cum Christus Jesus a Judæis insimulatus esset blasphemiæ, *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, Joann. cap. 19. cumque ejus criminis non Crux pœna esset, sed lapidatio ex Levitic. cap. 24. verisimile sit, Pilatum Crucis supplicio illum condemnasse non propter scelus blasphemiæ, quo fuerat falso insimulatus, sed propter seditionis & affectati Regni crimen, de quo itidem falso accusatus fuerat: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, &*

pro-

prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse: Luc. cap. 23. v. 2.

Maxima ejus supplicii apud Romanos infamia.

81. Inter crimina vero, quæ Romanis legibus supplicio crucis plectebantur, numerabatur sedi-tio, ut jam innuimus; & constat ex Paulo Jurisconsulto leg. 38. §. 2. Dig. de Pœnis: *Auctore seditionis, & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestiis objiciuntur, aut in insulam deportantur*: atrox sane & infame supplicium; quamobrem Cicero in Verrem l. 5. cap. 66. *Facinus*, inquit, *est Civem Romanum vinciri, scelus verberari, prope parricidium necari; quid dicam in Crucem tollere? Verbo satis digno res tam nefaria appellari nullo modo potest*. Supplicium etiam censetur omnium teterrimum & crudelissimum: *Illa morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium*, ait Augustinus Tract. 36. in Joannem. At illud Redemptor noster voluit subire supplicium, ut moneremur, neminem esse, qui non possit illum imitari, quod animadvertit Lactantius, qui lib. 4. Divinarum Instit. cap. 26. eam proponit quæstionem: *Dicat fortasse aliquis, cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? Cur infami genere supplicii? quod etiam homini libero quamvis nocenti videatur indignum*. Et respondet in hunc modum: *Ut is, qui humilis advenerat, humilibus & infirmis opem ferret, & in omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infirmi solent, ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari*. Videndus Gretserus de Cruce lib. 1. cap. 38. & 39. ubi magna eruditionis copia, quam probrosum fuerit supplicium Crucis ostendit. Cum enim plurimi in dies adversa conflictati fortuna mortem sibi inferrent, ideirco Romani, ut a conscisscenda sibi morte homines deterrerent, jusserunt, qui sese interfecissent, eorum corpora Cruci per ignominiam affigi. Præterea Ethnici Christianos ut infames trucidabant, quod Christum crucifixum adorarent, quos refellit Arnobius lib. 1. adversus Gentes. Quam vero atrox illud fuerit supplicium, Poetæ declarant, qui Crucem *sævam, duram, horrendam*; Callistratus Jurisconsultus *summum supplicium*; Ulpianus *supremum*; Apulejus *extremam pœnam*; Ausonius *pœnæ extremum* appellant.

Crucis varia figura.

82. Secunda quæstio ad Crucis pertinet formam; nam controversiam, e qua esset materia, prætermittimus; nihil enim tuto affirmari potest, quam quod lignea fuerit, & forsan eodem aut simili ligno, quorum duorum latronum factæ fuerant Cruces, ut advertit Rocca in allato Opere cap. 2. pag. 257. *Ex obvio & prompto aliquo ligno, & robusto quidem ad corporis pondus perferendum, aut sustentandum apto Crucem ipsam fuisse crediderim cum eodem Lipsio, qui eam e quercu tamquam crebra & frequenti olim & nunc in Judæa, robusta item & fixioni laturæque apta factam fuisse censet*. Ut igitur de forma disseramus, duo fuere Crucium genera; alterum enim fuit simplex, ex unico prægrandi palo aut trabe, quo condemnati vel clavis affigebantur, vel funibus alligabantur: compositum alterum, e duobus enim lignis constabat. Crux vero composita plures continebat species; quædam enim *decussata* dicebatur, quod duo sese ligna ad angulos acutos secarent, & figuram litteræ X. referebat, cujusmodi Crux B. Andreæ Apostoli pingitur; quædam *commissa* nominabatur, quæ lignum habebat rectum, cujus vertici transversum alterum lignum imponebatur, nec ulla recti ligni pars ultra transversum extabat; ejus formam littera T pulchre exprimit: quædam denique *immissa* dicebatur, in qua recti ligni vertex ultra transversum lignum aliquantum porrigitur, ut videre est apud Lipsium de Cruce lib. 1. cap. 6. & sequen. & apud Gretserum lib. 1. cap. 1. & Calmetum in cap. 27. Matthæi vers. 32. *Decussatæ, Commissæ, & Immissæ* Crucis imaginem vide apud Bineum t. 3. de morte Christi pag. 228.

Forma Crucis Christi non simplex. Cruci, quæ dicitur immissa, affixus est.

83. Simplici Cruci Christum non esse affixum plane est exploratum. Ejusmodi Cruci confixum esse Aman apparet ex cap. 5. Esther, ubi legimus eam fuisse *excelsam trabem*. De Cruce decussata neminem meminisse comperimus. Quæstio igitur eo redit, *commissæ* ne, an *immissæ* cruci Christus fuerit affixus. Evangelistæ enim tradunt quidem, titulum Cruci fuisse impositum: utrum autem titulus superiori ligni recti fixus fuerit parti, quæ supra transversum lignum extaret, an vero desinente Cruce in lignum transversum, huic ipsi affixus esset, id Evangelistæ non explicant. Tertullianus favet posteriori sententiæ; nam lib. 3. contra Marcionem cap. 22. *Ipsa*, inquit, *est littera Græcorum Tau, nostra autem T, species Crucis*. Ad quem locum notat Rigaltius: *Hoc ipsum imitati videntur Patres nostri, dum, ut in Missalibus antiquis, initio Canonis in littera T, ubi legitur*, Te igitur, clementissime Pater, *solent picturam exhibere Crucem Christi, in cujus hodie locum successit ipsa Crucis imago pagina proxima præcedenti*. Consentiunt Innoc. III. Sermone 1. quem habuit in Lateranensi IV. Concilio apud Labbeum tom. 11. Concilior. pag. 133. & Auctor Glossæ ad Clementinam de summa Trinitate & Fide Cathol. qui dicunt Crucem sine titulo formam habuisse litteræ T; eam autem formam amisisse, cum Pilati jussu fuit illi impositus titulus. Quod si apud Romanos Crux *immissa* adhibebatur, ut esset ubi causæ mortis titulus imponeretur; & apud omnem videmus antiquitatem Christi Crucem ad hanc formam esse depictam; profecto statuendum videtur, Christum Cruci immissæ affixum fuisse. Vide Lipsium lib. 1. de Cruce cap. 10. Casalium par. 1. de veter. Sacr. Christ. Ritib. Bar. ad ann. Chr. 34. nu. 93. Calmetum loco citato, Ayalam in opere, *Pictor Christianus*, lib. 3. cap. 18. num. 1. & 2. Gottum de verit. Relig. Christ. tom. 4. par. 2. cap. 27. §. 2. ubi Serry, qui Tertullianum sequitur, aliosque, quos supra attulimus auctores, rejicit. Pro Cruce *immissa* pugnat Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 1. & 2. ideoque nimis mihi videtur esse solicitus P. Berti de Theologicis Disciplinis tom. 5. lib. 29. cap. ult. qui de hac re ad quam tandem se applicet sententiam, dubius hæret: statuit enim Crucem Domini non fuisse, *decussatam*; sed *commissane*, an *immissa* fuerit, decernere non audet. *Indubitatum est*, inquit, *Crucem Domini constasse duobus lignis, arrectario & transverso, non decussatam; sed rectis compactis angulis. Num vero titulus appensus esset stipiti arrectario, sive, ut inquit Tertullianus, staticulo aliquantulum eminentiori, vel diverso ligno ad verticem Crucis defixo, omnino me latet*.

An Crux Christi præalta fuerit, an vero brevis.

84. Illa etiam ad formam Crucis pertinent; longane, an brevis; & utrum suppedaneo instructa, scilicet asserculo seu tabella, cui pedes Crucifixi niterentur, cujusmodi Cruces aliquas depictas videmus, & an in media cruce lignum quoddam esset impactum, in quo cruci affixus quoddammodo insideret. Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 7. Aprilis observat, ut supra innuimus, vilioris conditionis homines fuisse, qui in Crucem tollebantur: si quispiam vero primarius vir ejusmodi puniendus esset supplicio, Cruci excelsæ affigebatur, ut videre licet lib. Esther cap. 6. & 7. & apud plures profanos Scriptores, quos

affert

UAB Biblioteca de Ciències Socials

affert idem Baronius. Huc pertinet quod Lipsius lib. 3. de Cruce cap. 13. affert ex Suetonio, Galbam imploranti cuidam leges, seque Civem esse Romanum testanti, per irrisionem jussisse *præter cæteras altiorem & dealbatam statui Crucem*; quem locum Lipsius quasi enarrans: *altiorem*, inquit, *ut digniori*, *albatam*, *ut Civi*. Vide etiam Lamy citata Dissertatione de Cruce §. 10. Quamobrem cum nec Romani Christum Jesum e nobilitate hominem, sed fabrum, aut fabri filium existimarent, verisimile admodum est, ejus Crucem haud valde fuisse excelsam; præsertim vero, quod eam ipse portare, & Simon Cyrenæus deinde pro eo subire illud onus coactus fuerit, cui ferendæ, si paullo fuisset excelsior, vires hominis pares non fuissent. Huc accedit, Joanne teste cap. 19. vers. 20. Hebræos legisse titulum Cruci impositum. *Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus*; cum autem characterum forma non admodum grandis esset, ut etiamnum licet inspicere, hinc intelligi potest haud ita altam Christi Crucem fuisse. Ita nostri disputant Scriptores, quibus assentiuntur Auctores Protestantes, qui de Christi Cruce scripserunt, Hermannus Witsius sacrar. exercitat. 16. *de Crucifixione & morte Christi* num. 5. & 6. & Sagittarius t. 2. de Passione Christi Part. 2. pag. 790., qui etiam observat, non satis commode potuisse Jesum Matrem & Joannem alloqui, si prælatæ Cruci affixus fuisset.

An suppedaneo & sedili instructa.

85. De suppedaneo ita Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 6. *In stipite erecto foramen manifestum est. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est. Super hanc vero tabulam tamquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ*. De ligno vero, quod in media Cruce fixum eminet, ita scribit Justinus Martyr in Dialogo Tryph. pag. 188. edit. Maurinæ. *Quod in medio figitur, ut ei insideant qui crucifiguntur, ipsum etiam veluti quoddam cornu eminet, & cornu speciem exhibet cum aliis cornubus conformatum, & fixum*. Serry exercitat. 53. num. 6. his auctoribus affirmat, Crucem suppedaneo & sedili fuisse instructam. Card. Gotius loc. cit. §. 2. ait, se non ita fidenter affirmare posse, in Cruce Domini fuisse suppedaneum & sedile. Eandem ingreditur viam Sandinus Hist. Sacr. Famil. cap. 15. At Calmetus in cap. 27. Matthæi vers. 32. favere videtur opinioni de suppedaneo; tum quod plures Jesu Christi Crucifixi cum suppedaneo depictæ imagines reperiuntur, tum quod hominis cadaver, etsi paullulum temporis solis manibus sustineri posse credit sine suppedaneo, non tamen ad multum tempus, quin discissis manibus ipso sui pondere decidat. Et synopsis Criticorum Sacrorum in Matthæi c. 27. pag. 674. & 675. ita rem hanc concludit: *Crucifixionis modum hunc fuisse tradunt, ut amœæ manus brachiis expansis in ligno Crucis transverso clavis affigerentur, ambo vero pedes ligno cuidam ab hasta, seu erecto ligno Crucis justo loco prominenti velut basi insistentes, & juxta se mutuo positi itidem clavis affigerentur*. Eadem sentit Gravesonius de Mysteriis & annis Christi Dissert. 20. quæst. 2. pag. 455. De suppedaneo & sedili controversia est, quæ peritissimorum virorum torquet ingenia. Lamy Dissert. de Cruce S. Justini usus auctoritate §. 5. sedile quidem probat, suppedaneum rejicit. Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 24. gravibus assentitur auctoribus, qui statuunt fuisse in Christi Cruce suppedaneum. *Denique*, inquit, *nummus vetus apud Lipsium tabulam suppedaneam spectandam offert; ut hæc sententia propter auctoritatem tantorum virorum minime videatur rejicienda, quamvis hujus ligni suppedanei in Cruce nullum extet vestigium apud profanos auctores*. Thomas Bartholinus in Tract. de Latere Christi aperto Lipsiæ edito anno 1685. suppedaneo favere videtur. Franciscus Fevardentius in Notis ad S. Irenæi opera lib. 2. ca. 42. veteres multas Jesu Christi imagines se vidisse testatur ita Cruci affixi, ut pedes suppedaneo inniterentur. Hujus exhibetur imago similis ab Arringhio in Roma subterranea. Idem etiam in veteribus nummis observavit Franciscus Nansius, quem ob id ipsum laudat Scaliger, & Vossius. Idem videre est apud Lipsium in Notis ad l. 2. cap. 10. & apud Franciscum Cornelium Curtium Tractatu de Clavis Dominicis pag. 125. & sequen. Sagittarius Par. 2. Histor. Passion. Christi pag. 794. & sequen. quantopere suppedaneo repugnat, tantopere sedili favet. *In stipite illius* (Crucis) *arrectario impactum lignum fuit, in quo sederet, cum Cruci affigeretur. At non fuit suppedaneum, in quo innixi & simul fixi pedes*. Ratio autem omnis, quamobrem vel suppedaneum, vel sedile, vel utrumque Cruci appositum fuisse volunt, huc tandem redit, quod fieri non posse videatur, ut humanum corpus manus & pedes clavis transfixi sine alio sustineant adminiculo. Id olim propositum fuit Nicolao Fontanæ, An manus clavis transfixæ pares sint ferendo corpori inde pendulo. Ejus responsio extat in calce Tractatus Thomæ Bartholini de Cruce Christi; in qua, inita vel a se, vel ab aliis experientia, compertum esse ait, sedili, & sine suppedaneo posse corpus in Cruce sustineri. Cui tamen experimento nec Bartholinus de Latere Christi aperto, nec Sagittarius, nec Bineus acquiescunt; qui reputantes Christum non funibus adhibitis, sed solis clavis Cruci affixum, cum jam ita male mulctatus esset, ut vix pellis ossibus adhæresceret, illud Fontanæ experimentum sibi negant satisfacere, quod in corporibus validis vegetisque initum sit, ex quo magis apparet, quam difficile sit in ea re quidquam statuere.

Jacentine, an vivæ Cruci Christus fit affixus.

86. Tertia quæstio est de quibusdam, quæ ad ipsius Crucifixionis modum pertinent; erectane Crux fuerit, Christo Domino jam illi affixo, an vero in Crucem jam erectam ipse sublatus; quænam, & quot confixæ fuerint clavis corporis partes; nudulne omnino, an velo alicui parti obducto; num denique cum spinea corona capiti imposita crucifixus sit. Verisimilior sententia est, Christum non jacenti, sed erectæ Cruci affixum: ostendit enim Lipsius de Cruce lib. 2. cap. 7. ad eum plerumque modum fontes crucifigi solitos. Et apud veteres Scriptores frequentissime illa occurrunt, *Tollere in Crucem*, *ferre in Crucem*, *agere in Crucem*, *ascendere in Crucem*, *salire in Crucem*, *excurrere in Crucem*; quibus manifeste patet, Crucem jam fuisse erectam, cum fontes affigerentur. Certe de Christo Jesu Athanasius serm. de Passione *Venit*, inquit, *ad locum, ubi erat illi ascendenda Crux*. Et Hilarius lib. 10. de Trinitate: *In lignum elevatus est*. Dupliciter olim crucifigi homines consuevisse constat; vel enim Cruciarii porrectæ, humique jacenti Cruci affigebantur, quod colligitur ex Actis Martyrii S. Pionii ubi hæc habentur: *Ultro se vestimentis spoliavit, & in Cœlum suspiciens, ac Deo gratias agens, super lignum se ipsum extendit, militique tradidit, ut Cruci affigeretur*. Et paullo post: *Eum igitur ligno fixum erexerunt*. Vel in Crucem jam erectam scalis adhibitis sustollebantur; quod constat ex loco Ciceronis in Verrem lib. 5. cap. 66. *Quid*

attinuit, cum Mamertini more & instituto suo Crucem fixissent post Urbem in via Pompeja, te jubente figere in ea parte, quæ ad fretum spectaret? Quinam e duobus his modis in Christi Crucifixione adhibitus, inter se viri docti diserepant. Bineus lib. 3. de Morte Christi cap. 6. num. 3. Lipsii opinionem probat. *Cum Cruciarius perveniſſet ad supplicii locum, Crux, quam ipse gestaverat, tandiu in terra defigebatur, vel fixa aliquando ante fuit. Crucem enim defigi prius solitam, quam Cruciarius defigeretur, multis veterum locis Justus Lipsius ostendit.* S. Bonaventura, Rodulphus, & Toletus existimant, Crucem jam fuisse ante erectam, quam Jesus defigeretur, eumque scalis, funibusque in Crucem esse sublatum. Contra Salmeron tom. 10. tract. 35. videtur existimare, Christum Cruci humi jacenti affixum; idque Ecclesiam putat innuere, quæ Feria 6. in Parasceve Crucem humi jacentem poni jubet, & a Clero ac populo adorari. Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 21. neutrum tuto dici posse fatetur, cum de modo fileant omnes Evangelistæ; exaltatio enim Crucis, de qua loquuntur, æque vera est, utrovis modo Christum Cruci affixum statueris. Probabilius tamen putat humi jacenti Cruci affixum esse. *Alii probabilius existimant, Christum affixum Cruci adhuc humi jacenti; quin, ut multi testantur, in Terra Sancta demonstratur locus Crucifixionis distans aliquos passus a loco, in quo Crux est infixa terræ; deinde quia sententia hæc est convenientior piorum cogitationibus & meditationibus de Passione Domini; tertio quia modus hic multo est facilior & expeditior, quam si Corpus Cruci jam erectæ affigatur.* Videatur etiam Quaresmius in elucidat. Terræ Sanctæ lib. 5. cap. 36. tom. 2. qui hanc eandem sequitur sententiam, & nobile describit Sacellum in eo loco erectum, ubi pia traditione proditum est, Christum Cruci humi jacenti affixum esse.

Christus in manibus, & pedibus Cruci affixus fuit quaternis clavis non funibus alligatus.

87. Manus Christi & pedes clavis perforatas fuisse diserte non tradunt Evangelistæ. Et sane funes interdum manibus pedibusque adhibiti, nullatenus transfixis per clavos, ut videre est apud Lipsium l. 2. de Cruce c. 8. Affirmare ausus est Westphalus hæreticarum partium homo, Christum non clavis transfixum, sed funibus vinctum. Verum Cornelius Curtius libro de Clavis Dominicis cap. 2. hæretici hominis fregit audaciam. Nihil enim disertius, nihil enim ad crucifixionem Domini accommodatius iis verbis ex Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*: quem locum Hebræorum perfidia omni conatu frustra studuit aliquot interjectione punctorum, & versiculorum ordinem perturbando corrumpere, ut videre est apud Calmetum ad illum Psalmi locum, & apud Berti Tom. 5. De Theologicis Disciplinis l. 29. cap. ult. §. 6. Quamvis enim Evangelistæ in Crucifixionis historia aperte non dixerint, Christum Cruci fuisse clavis affixum; id tamen satis luculenter ostendunt, cum Thomam Apostolum narrant dixisse: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Joann. cap. 20. v. 25. Videatur Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 19. qui duos latrones Cruci clavis affixos ostendit. Scriptura enim eodem verbo utitur *crucifigere* tum in Christi, tum in latronum Crucifixione. Ostendit Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus Dissertatione de Corona Ferrea vetustiorem, ac propterea dignam, quam omnes amplectantur sententiam esse eorum, qui statuunt, non ternis, sed quaternis clavis Christum Cruci affixum. Et Rocca de Particulæ Crucis tom. 1. pag. 262. veteres omnes refert imagines Christi quatuor clavis crucifixi. Idem affirmat Bellarminus de septem Christi verbis in Proœmio. Franciscus Cornelius Curtius Tract. *de Clavis Dominicis* eandem tuetur opinionem, Alphonsus Tostatus in Paradoxis ait Paradoxo 3. c. 10. majorem clavorum numerum, quam quibus opus sit, admitti non oportere; longiori autem clavo ambos trajici pedes posse, si alter alteri superimponatur; ac ternis propterea tantum clavis Christum affixum esse Cruci. Quamobrem opinionem de tribus tantummodo clavis adhibitis in Fidelium animis jam inveteraſſe nemo negaverit; præsertim quod Pictores tribus clavis Christum affixum Cruci hoc tempore pingunt, ut notat Baronius ad ann. Chr. 34. num. 118. & ad ann. 326. num. 52. & Quaresmius in elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 5. cap. 23. Verum cum tenendum omnino sit, ut infra docebimus, nullum e Christi corpore os fractum esse, nec ita facile quis intelligat, longiori & crassiori clavo utrumque pedem alterum alteri impositum trajici potuisse, quin os aliquod frangeretur, relinquenda videtur Tostati sententia ut bene observat Rocca loc. cit. pag. 264. & Ayala in Opere, *Pictor Christianus*, lib. 3. cap. 17. nu. 9. Atque eam de quatuor clavis opinionem sequuntur Serry exercitat. 54. nu. 3. Gottus loc. cit. §. 2. & Sandinus Hist. Sacr. Famil. cap. 15. Gretserus autem lib. 1. de Cruce cap. 20. optime ad hunc modum disputat: *Nec quicquam pietati officit, tribusne, an quatuor clavis Christus crucifixus venerantium oculis subjiciatur, dummodo pax & concordia animorum inconcussa permaneat, utpote in controversia sacris litteris, nec a Doctoribus Ecclesiæ definita.* Mirari se ait Serry, nec sane injuria, Mellonium, *De Sacris Stigmatibus*, & Cornelium a Lapide ex maculis, quæ in sancta apparent Taurinensi Sindone, conjeciſſe; non in vola manus, sed paullo superius, qua manus cum extrema coit brachii parte seu carpo, ubi venæ tentantur a Medicis, clavos fuisse adactos. Quod omnino rejicitur illis Thomæ Apostoli verbis apud Joannem cap. 20. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum.* Et Psal. 21. v. 18. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, & Zachariæ 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et consentit Gottus loc. cit. num. 12. Jani Nicii Erithræi Frater æneam quandam Jesu Christi Crucifixi imaginem reperit, in qua clavi non in vola manus, sed in carpo erant infixi. Et Petrus Paulus Ruben egregius pingendi artifex Antuerpiæ ad hoc exemplum Christi crucifixi depinxit imaginem. Ejusmodi tamen imagines rejicit Thomas Bartholinus Tract. de Cruce §. 9. pag. 72. & sequen. Bineus de morte Christi tom. 3. lib. 3. cap. 6. num. 9. Chiffletius in Crisi historica de Linteis sepulcralibus Christi §. 31.

Nudus Christus Jesus Crucis est affixus.

88. Nudusne omnino, an tectis aliquo velo secretioribus partibus corporis, Christus Dominus in Crucem actus fuerit, quæstio est, quam lib. 3. de Canonizat. Sanctorum cap. ultim. num. 17. pertractavimus, variasque de ea sententias attulimus. D. Anselmus lib. De Passione Domini scribit, B. Mariam amictum capitis sui Filio dedisse, quo eas sibi tegeret partes. S. Birgitta in Revelationibus narrat, idque se ait a B. Maria accepisse, hominem quendam miserationis sensu tactum Jesu Christo velum dedisse, quo tegeretur; quæ non minima fuit ipsi Jesu consolatio. Quaresmius pag. 443. utramque conciliare studet historiam, nempe B. Mariam detractum sibi velum cuidam homini dedisse, qui illud traderet Filio. Sed hæ piæ quædam sunt commentationes, quæ dirimendæ controversiæ nihil quicquam proficiunt. Durantus in cap. 70. lib. 4. Re-

4. Revelat. S. Birgittæ num. 4. rationes affert utriusque sententiæ. Sed apud veteres mos erat, ut fontes nudi omnino crucifigerentur; quod colligitur ex Ariano in Epictet. lib. 4. cap. 26. qui lavantium nuditatem in balneo cum eorum confert nuditate, qui Cruci affigebantur. *Ut in balneo vestibus exutus, & te ipsum extendens, ut solent crucifixi, hinc inde friceris.* Quamobrem D. Augustinus adversus Faustum lib. 12. Christi e Cruce pendentis nuditatem cum Noe vino madidi comparat nuditate. Itaque statuendum, maxime decere Christi crucifixi imagines pingi cum velo secretioribus partibus circumducto, id tamen a veritate historiæ esse alienum, ut præter Serry, Gottum, & Ayalam abunde probat Lorinus in Psalm. 21. num. 18. Lipsius de Cruce lib. 2. cap. 17. Calmetus in cap. 27. Matth. num. 35. & Suarez 3. par. tom. 2. disput. 36. num. 4. Præter D. Augustinum etiam D. Ambrosius lib. 10. in Lucam tom. 1. oper. edit. Maur. col. 1527. Christi e Cruce pendentis nuditatem conferens cum nuditate Adæ in statu innocentiæ, satis declarat se existimare, Christum nudum omnino in Crucem fuisse sublatum. *Refert considerari qualis Crucem ascendit. Nudum video. Talis ergo ascendat, qui seculum vincere parat, ut seculi adjumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit. Vicit ille, qui tegumenta deposuit; & talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formavit: talis in Paradiso homo primus habitavit, talis ad Paradisum homo secundus intravit.* Morem autem fuisse, ut nudi omnino fontes rei crucifigerentur, apparet ex Artemidoro lib. 3. cap. 58. qui, *Crucifigi*, inquit, *bonum pauperi, quia sublimis est crucifixus; noxium vero diviti, quia nudi crucifiguntur.* Gretserus quidem lib. 1. de Cruce cap. 22. probare nititur, velo Jesu Christi partes, quas tegere jubet pudor, tectas fuisse, & tamen vere dici posse nudum fuisse Cruci affixum; nam vulgo nudus ille dicitur, qui veste omni detracta, eas partes tectas habet. Idem etiam probat ex linteo Aquisgranensi, quo Christi Corpus est involutum, in quod apparet, easdem partes obducto velo fuisse velatas. Negat etiam Tostatus in Opusculis, Paradoxo 34. verisimile esse, satellites, etsi odio & crudelitate flagrarent, ita Jesum nudasse, ut pars corporis quælibet omnium oculis appareret. His tamen aliisque piis considerationibus a communi, quam superius retulimus, opinione avelli non possumus.

Christus e Cruce pendens habuerit ut spineam Coronam.

89. Quod attinet ad spineam coronam, quamvis id non tradiderint Evangelistæ, vetus est tamen & pia traditio, illam Christi capiti fuisse impositam, cum crucifigeretur. Tertullianus enim lib. contra Judæos id disertissime docet, qui Jesum e Cruce pendentem ita describit: *Inhærens Crucis cornibus, & Corona Spinea in capite ejus circumdata.* Neque vero verisimile videtur Hebræos voluisse illud tolli opprobrium, quo Christi regnum vehementius detestarentur. Præterea etiamsi opus fuisset, ut, cum detrahenda illi esset vestis inconsutilis, detraheretur etiam corona, potuerunt milites illi jam nudato rursus eandem coronam imponere. Vide Durantum in cap. 14. lib. 7. Revelat. S. Birgittæ num. 2. Mellonius in elucidatione stigmatum S. Sindonis cap. 12. n. 18. locum Origenis, qui ait coronam semel impositam Christo nunquam fuisse detractam, ita explicat, ut non censenda sit detracta, quæ, simul ac detracta, rursus acriori cum dolore illi fuerit imposita. Videatur etiam Ayala loc. cit. num. 6. qui hanc testatur communem esse sententiam. Jam vero, quod supra docuimus, pia quædam fœmina ad Redemptoris vultum sudarium admovit, in quo ejus extitit impressa imago. Illud autem sudarium sanguine tinctum est, qui per faciem Jesu Christi manabat; cumque non aliunde sanguis ille quam e capite spinis undique compuncto potuerit erumpere; fateri oportet, Christum saltem ad Calvarium Coronam illam gestasse. Nulla certe alia ratio est, cur coronam illi milites detraxerint, quam quod fieri non potuisse videtur, ut sertum illud spinis implexum gestans tunica inconsutili Christus nudaretur. Id tamen non evincit, sine ea corona illum fuisse cruci affixum; vel enim vix detracta rursus illi fuit imposita; vel vestis inconsutilis ita superne fuit aperta, ut etiam non detracta corona, detrahi potuerit. Ita Suarez loc. cit. Disput. 36. sect. 4. Gretser. lib. 1. de Cruce cap. 22. quæ jam attulimus, omnia probantur: ait enim: *Non videtur improbabile, eos* (satellites) *Coronam insigne Regni affectati in Sacrosancto Christi Capite reliquisse, etiamsi opus fuisset illam detrahere, cum inconsutili veste Christum exuerent; nam in caput Domini jam vestibus exuti facile reponi potuit. Quamobrem vere repræsentant antiquæ Picturæ & Scripturæ Christum in Cruce pendentem coronatum.* Consentit Quaresmius Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 5. cap. 24. & Sagittarius Harmon. Hist. Pass. Chr. Par. 2. pag. 667. varia profert quorundam exempla, qui affectati regni crimine convicti, cum ferrea corona capiti imposita populo videndi vel vivi, vel mortui sunt expositi.

Vestes fontium militibus supplicii munus obeuntibus lege addicebant, Christi dispertitæ vestes.

90. Cruci Jesu affixo vestimenta ejus milites inter se divisérunt, teste Matthæo cap. 27. Marco cap. 15. Luca cap. 23. & Joanne cap. 19. v. 23. 24. quorum ultimus id accuratius ita describit: *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes unicuique militi partem) & Tunicam. Erat autem Tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam; sed sortiamur de illa, cujus sit; ut Scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Quomodo autem divisæ fuerint Christi vestes, fuse scripsit Suarez loc. cit. disput. 37. sect. 1. Vestes eorum, qui ultimo afficiebantur supplicio, militibus munus suplicii obeuntibus leges addicere observat Calmetus in cap. 27. Matth. num. 35. De forma tunicæ inconsutilis prolixe agit idem Auctor in cap. 19. Joannis vers. 23. Matthæus, Marcus, & Lucas de divisione vestium rem ita narrant, ut in omnes jactæ sortes esse videantur. Verum D. Joannes, cujus modo verba retulimus, luculenter ostendit, quatuor milites, qui Christum Dominum sustulerunt in Crucem, vestes in quatuor partes divisisse.

De Tunica inconsutili.

91. Tunicam vero inconsutilem, quæ divisa nullius pretii fuisset, integram sorte ductam esse. Eam a B. Maria textam, & infanti Jesu datam, pia est opinio, quam vetustam esse oportet; eam enim Euthymius commemorat. Ac, si conjecturæ locus sit, hanc tunicam inconsutilem Christus super interulam, si quidem interula uteretur, omnium vestium corpori proximam gestasse, eaque totum corpus ab humeris ad pedes videtur contexisse. Eam vero textilem fuisse censemus ad illud exemplum, quo nunc acu tibialia texuntur. Ita sentit Lamy lib. 1. Harm. Evangel. cap. 34. Ostendit autem diligens in primis Auctor Braunius, gravibus quibusdam testimoniis adhibitis, lib. 1. cap. 16. de Vestitu Sacerdotum Hebræorum, ad hunc modum integras quasdam tunicas texi consuevisse. Hæc tunica inconsutilis etiamnum asservari dicitur Augustæ Trævirorum, eamque ab Helena Constantini Matre dono datam

tam ferunt Agricio Episcopo, qui illam in sua condidit Cathedrali. Salmeron autem tom. 10. Commentariorum in Nov. Testam. tract. 38. custodiri eam refert Argentolii, oppido haud longe a Lotetia Parisiorum dissito. Utrum vero quemadmodum Christi, ita etiam duorum latronum vestes sortito sint distributæ, haud ita facile est divinare: ea enim de re omnino tacent Evangelistæ. Maldonatus in cap. 27. Matthæi num. 35. putat etiam latronum vestes sortito esse divisas; ea enim fuit consuetudo, ut cruci affixorum vestes inter satellites dividerentur; Evangelistas autem nihil de ea re scripsisse, quod non latronum, sed Christi historiam texerent.

Amarulenta Judæorum in Jesum convicia.

92. Pergunt Evangelistæ, ac narrant, quomodo Jesu in Crucem sublato illuderent Principes Sacerdotum, Scribæ, & Seniores, & populus universus, & amarulentis illis dicteriis insultarent: Alios salvos fecit; se ipsum non potest salvum facere: Si Christus est a Deo electus, nunc descendat e Cruce. Si Deus illum diligit, salvet eum. Si Filius Dei es, descende de Cruce. Si Rex Israel es, salva te ipsum. Vah qui destruis Templum Dei, & post triduum reædificas, salvum fac temetipsum. Scribit Matthæus: *Prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua*: ubi observandum est, Hebræos interdum caput movere consuevisse, ut commiserationis, interdum vero ut admirationis cum commiseratione conjunctæ, interdum etiam, quemadmodum hic, ut derisionis signum darent, ut apud Isaiam cap. 37. v. 22. *Despexit te, & subsannavit te, virgo filia Sion, post te caput movit, filia Hierusalem.* Et Psal. 118. v. 25. *Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.* Et Ecclesiastic. cap. 13. v. 8. *Et in novissimo deridebit te, & postea videns derelinquet te, & caput suum movebit ad te.* Et Threnor. cap. 12. v. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiam Hierusalem.*

De septem Christi verbis. Prima Christi verba. D. Thomæ doctrina de gravitate peccati Principis Judæorum, & populi. Christus non pro Principibus oravit, sed pro populo, & gentibus.

93. Septies in Cruce Christum loquutum esse constat ex Evangelio. Prima verba sunt ea, quæ habentur apud Lucam cap. 23. v. 34. *Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Quæstionem proponit D. Thomas 3. par. qu. 47. art. 5. Utrum Christi persecutores eum cognoverint? & Judæorum respondet quosdam quidem majores, quosdam vero fuisse minores. Majores autem, scilicet Principes eorum, cum manifestissima vidissent Divinitatis Christi signa, iis noluisse habere fidem, sed odio & invidia flagrantes omnia pervertisse; quamobrem ipse Christus apud Joannem cap. 15. v. 22. *Si non venissem*, inquit, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et paullo post: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Expendit idem S. Doctor locum D. Pauli 1. ad Corinth. cap. 2. v. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Docet autem eorum ignorantiam fuisse quodammodo affectatam, eaque non modo illos non excusari, sed gravius eorum fieri peccatum. Minores vero, seu populum mysteria Scripturæ cognita non habuisse; ac si quispiam eorum ex multitudine miraculorum suspicatus sit, Christum esse Dei Filium, majorum opera ab ejusmodi opinione fuisse revocatum. Unde illa Actorum cap. 3. v. 17. *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, sicut & Principes vestri.* Ad aliam deinde venit quæstionem S. Doctor art. 6. *Utrum peccatum Christum crucifigentium fuerit gravissimum?* Et ait, peccatum Principum Judæorum fuisse gravissimum non tam ex suo genere, quam ex eorum malitia; Gravissimum item fuisse Judæorum minorum peccatum, si spectetur peccati genus; eorum tamen ignorantia aliquid de peccati gravitate diminui. Denique verbis illis, *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*, concludit Deum orasse Patrem, non pro Principibus Hebræorum, sed pro populo, & pro Gentilibus, qui eum quidem Cruci affixerunt, sed ignorantia aliquo modo excusabantur.

Suarez putat, Christum orasse etiam pro Principibus Judæorum. Omnes videntur peccasse, nescii quid facerent. Christus a Deo exoravit omnibus auxilia sufficientia ad salutem. Hanc non omnes tamen adepti sunt.

94. Sequutus est S. Doctor Bedæ doctrinam, qui verba illa ex D. Luca enarrans, *Pro illis*, inquit, *rogat, qui nescierunt quid facerent, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Multo autem magis fuit excusabile peccatum Gentilium, per quorum manus crucifixus est.* Hæc vero illius loci explicatio Suarez minime arridet, qui loc. cit. qu. 47. art. 6. contendit, Christum generatim orasse pro omnibus; excusationem autem ex ignorantia omnibus convenire potuisse, saltem ad veniam de perpetrato crimine impetrandam; quæ quidem ignorantia licet in Principibus Judæorum fuerit affectata; aliquid detrahit de audacia, & contemptu Dei, quæ in Judæorum scelere continentur; præsertim vero quia ejusmodi explicationi favere videntur illa ex Actis Apostol. *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, sicut & Principes vestri.* Hesselius in Explicat. Passion. Christi putat, Jesum non pro iis tantum orasse, qui ex ignorantia, sed etiam pro iis, qui odio, invidia, pessimaque voluntate peccaverunt; ac propterea etiam pro Scribis, legis Peritis, & Sacerdotibus, qui Prophetas legerent, ac Hebdomadarum Danielis rationem inire potuissent; nam de his etiam potuisse dici, *non enim sciunt quid faciunt*; vel quod peccati sui quantitatem ignorarent, vel quod in eo, qui omni comes est peccato, judicii errore versarentur. Id autem probat, & animadvertit, Christum exemplo suo nos docere voluisse, oportere nos non modo pro iis orare, qui errore ducti, sed etiam pro iis, qui mala mente impulsi nos oppugnent. Quoniam vero inde videt argui posse, quosdam ex iis, qui ex animi malitia in Christum Dominum peccaverunt, æternam salutem esse adeptos, concedit, confirmatque ex Act. Apostol. cap. 6. v. 7. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat Fidei:* & ex cap. 13. ubi Paulus dicit, quosdam Principes & Sacerdotes, qui Christum, & Prophetas singulis quibusque Sabbathis legi solitos ignorabant, *judicantes impleviſſe.* Quæ omnia Estio probantur in cap. 13. Lucæ vers. 34. Docet Sylvius Commentar. in 3. par. D. Thomæ quæst. 47. art. 5. inter Christi persecutores fuisse nonnullos, illum qui probe noverint Messiam in lege promissum; tanta autem fuisse perfidia, ut ad ejus præclara & admiranda opera animum noluerint adjicere, sed argumenta sint aucupati, quamobrem illum insectarentur. Plebejos & minores generatim Christum ut Messiam non cognovisse; eorum vero, qui vi miraculorum perculsi in eam essent cognitionem ingressi, quosdam odio, malisque artibus Pharisæorum revocatos, in priorem cæcitatem recidisse. Et art. 6. probabilius esse docet, illum orasse *tam pro peccantibus ex invidia, malitia, odio, quam pro peccantibus ex ignorantia; tam pro majoribus, quam pro minoribus, scilicet illis, qui erant prædestinati.* Quod vero ad Lucæ textum attinet, in quo versamur, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, illum ita explicat: *Pater ignosce illis, quia per ignorantiam nescientes quid faciunt, valde miseri sunt.* Et qu. 21. art. 4. vult, *Christum non orasse pro omnibus suis crucifixoribus, sed pro iis solum, qui erant prædestinati.* Jesus

enim dixit apud Joann. cap. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Quorum in numero non modo quidam fuere, qui per aliorum seditionem, sed nonnulli etiam, qui per malitiam in Christum Dominum peccaverunt. Superius num. 7. & sequen. docuimus, omnem Christi orationem, quæ ex rationali & deliberata voluntate proficiscebatur, efficacem fuisse; quamobrem Joann. cap. 11. legitur: *Quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*: Et illud, *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Inde fit, ut Sylvius Quæst. 21. art. 4. sententiam illam tueatur, Christum pro solis prædestinatis orasse. Verum qui dicat Christum Dominum orasse pro omnibus, orationem ejus fuisse exauditam, omnibus a Deo exorasse auxilia sufficientia ad salutem, etsi non omnes salutem adepti sunt; is facile omnem videatur diluere difficultatem. Nam Christus dicens, *ignosce*, nihil quidquam aliud a Deo petiit crucifixoribus suis, quam auxilia, quibus opus est ad conversionem & pœnitentiam; in præsenti enim providentia non nisi pœnitentibus & conversis ignoscitur.

Secunda Christi verba in Cruce. Evangelistæ discrepare videntur. Matthæus & Marcus tradunt, utrumque latronem Christo improperasse. Lucas, alterum tantum, & ab altero reprehensum.

95. Secunda Christi verba sunt ad Latronem, *Hodie mecum eris in Paradiso*, quæ refert itidem Lucas cap. 23. Medium inter duos Latrones diximus Christum ad Calvarium ductum esse, ut crucifigeretur. Medium inter utrumque nunc dicimus crucifixum: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo Latrones, unus a dextris, & unus a sinistris*; ita Matthæus cap. 27. & cum eo consentit S. Marcus cap. 15. Atque narrat uterque Evangelista, Christum ab utroque latrone maledictis esse prosciissum: *Id ipsum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei* &c. *Et qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei.* Sed quædam videtur esse discrepantia inter ambos hos Evangelistas, & S. Lucam, qui cap. 23. v. 39. scribit, Latronum alterum, dum in Christum contumeliosa verba evomeret, acriter ab altero reprehensum, qui postea Christum oravit, ut cum ad suum perveniisset Regnum, memor esset sui: *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum; Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Hæc vero cum ea, quæ ex Matthæo & Marco retulimus, videantur evertere, quæritur qui Evangelistæ inter se possint conciliari.

Conciliantur Evangelistæ ex D. Augustino. Latrones & ipsi clavis affixi sunt.

96. Docet D. Hieronymus in cap. 27. Matthæi, Tom. 7. op. edit. Ver. col. 235. inter se nihil Evangelistas discrepare, & principio quidem utrumque latronem in Jesum convicia & maledicta conjecisse; alterum vero eorum, ut solem obscurari vidit, tremefieri terram, & saxa disrumpi, resipuisse: *Non quod discrepent Evangelia, sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, & priorem negationem sequenti confessione emendaverit.* Verum S. Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum ad eos conciliandos aliam ingreditur viam. Ait enim, Matthæum & Marcum modum adhibuisse loquendi, qui frequens est in sacris paginis, ubi sæpe pluralis pro singulari numero ponitur. Itaque in Epist. ab Hebræos, *clausserunt ora leonum*; ubi tamen de solo Daniele est termo: *sectæ sunt*, quod refertur ad Isaiam; & Psalmo 2. v. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*; quæ Herodem jungunt & Pilatum, quorum alter Rex, alter Princeps erat, ut apparet ex Act. Apostol. cap. 4. vers. 6. Hanc Augustini sententiam libentius Interpretes sunt amplexi; quod testatur Scriptor Synopsis Critic. Sacr. in Matth. cap. 27. pag. 677. *Pluralem numerum usurpari, ubi unus e multis, sed indefinite indicatur, veteres novique interpretes monuerunt.* Atque etiam multo verisimilius est, de uno tantum latrone Evangelistas loqui; nam qui bonus potuisset latro alterum, quod blasphemaret, increpare, si ipse etiam paullo ante blasphemasset? Vid. Tillemont. not. 34. ad Vit. J. Chr. qui illud addit, quemadmodum fuit Christus, ita & latrones clavis affixos fuisse Cruci; nam Evangelistæ tum Christi; tum latronum crucifixionem eodem modo & iisdem plane verbis narrant: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo Latrones*; Matth. cap. 27. v. 38. *Et cum eo crucifigunt duos Latrones*; Marc. cap. 15. Neque vero difficile fuisset, cum tres illæ repertæ sunt Cruces, eam qua Christus, ab iis Crucibus, quibus latrones fuerant affixi, discernere, si Crux tantummodo Christi Domini fuisset clavis perforata.

Fortasse Latrones fuerunt ex iis, qui tunc temporis Judæam infestabant, nec alium sibi Regem esse, quam Deum dicebant. Singularis gratia Dei, quod Latro Christum Regem crediderit.

97. Quænam fuerint latronum nomina, & Martyrne dicendus, an Confessor bonus latro, disputare prætermittimus, qui jam de iis diseruimus lib. 4. par. 2. de Canonizat. Sanctor. cap. 12. num. 10. Illud obiter animadvertimus, quod cum Judæa tunc temporis quibusdam Hebræis latronibus esset infesta, qui Deum sibi solum Regem esse statuentes, Romano propterea Imperio non esse subjectos jactitarabant; cumque probabile sit, latronem hunc, de quo loquimur, ex eorum numero fuisse, sane eximia fuit divinæ gratiæ vis, qua Christum credidit & fassus est Regem. *Et dicebat ad Jesum: Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Hæc procul dubio ad cœleste Regnum sunt referenda (noster enim Servator saturatus opprobriis jam in mortis limine versabatur) non ad Regnum illud, cujus Messiam fore compotem Judæi somniaverant; nec ad terrenum illum dominatum, quo futurum sibi falso pollicebantur, ut Israelitici Regni splendor restitueretur & gloria. Quamobrem exclamat S. Leo Serm. 2. de Passione: Tom. 1. oper. pag. 120. *Quæ istam fidem exortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? Quis Prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula; cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum; ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant; & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicii sui esse consortem.* Nunc vero de verbis, quæ illi dixit Jesus, *hodie mecum eris in Paradiso*, pauca quædam observabimus.

Quo sensu intelligenda illa, Hodie mecum eris in Paradiso.

98. Marcionem ea verba ex Lucæ Evangelio sustulisse, narrat Epiphanius Hæres. Marcion. & Origenes refert, eadem verba itidem deleta fuisse a quibusdam simplicioris ingenii Catholicis, quod putarent non posse cum eo congruere, quod nobis traditum est de Christo Domino, cujus corpus eo die in sepulchro erat, anima autem in sinum Abrahæ descenderat, ut inde Patriarcharum animas secum abduceret. Hesychius Hierosolymitanus post vocem illam *Hodie*, comma ponebat, ut sensus esset: Tibi hodie dico; mecum eris in Paradiso. Verum ut recta ex iis Jesu Christi verbis eruatur sententia, non est opus tanto molimine; ut observat Calmetus in cap. 23. Joann. num. 43.

D. Augustini & D. Thomæ vocis illius hodie

99. Justinus Martyr qu. 75. 76. & 85. ad Orthodoxos ait, Paradisum illum terrestrem intelligendum esse, unde pulsus est Adam. Verum præter-

explicatio. Quis Paradisus ille sit, quem Latro nomisat.

præterquamquod nulli compertum est, quandiu ille Paradisus extiterit, quove tempore sublatus fuerit; hujusmodi sententia cum petitione Latronis minime convenit. Latro enim non terrestrem Paradisum, sed Beatorum Sedem, & cœlestem Dei visionem postulaverat. S. Cyrillus Catechesi 13. pag. 198. edit. Maurin. *Nondum*, inquit, *Abraham ille fidelis ingressus est, & Latro ingreditur; nondum Moyses & Prophetæ, & Latro intrat.* Ex quibus verbis intelligi potest Cyrillum putasse, primum omnium fuisse latronem, cui visione beatifica contigerit perfrui. Advertit Antonius Augustinus Toutée ad illum S. Cirilli locum, eam posse tribui Cyrillo sententiam, ut Christus ad Inferos vigesima quarta diei hora descenderit, postquam antea Latronem in Paradisum adduxisset. Verum expeditior & apertior sententia Cyrilli verbis tribui potest, primum scilicet omnium Latronem fuisse, cui Christus Paradisum pollicitus sit. Quod vero attinet ad vocem *hodie*, quæ Interpretes tantopere exercuit, docet D. Augustinus epist. 187. alias 57. ad Dardanum cap. 3. verba illa, *hodie mecum eris in Paradiso*, non de Paradiso intelligenda esse; non enim Christus illo venturus erat die in Paradisum: *Non ex his verbis in Cœlo existimandus est esse Paradisus; neque enim ipso die in Cœlo futurus erat homo Christus Jesus*: sed ita intelligenda esse, ut Paradisus esset in Inferno, quo anima Christi illo die futurum erat ut descenderet. Restat igitur, ut si secundum hominem dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso*; in Inferno intelligatur esse Paradisus, ubi erat eo die futurus secundum humanam animam Christus. Et D. Thomas, qui nunquam ab Augustino recedit, 3. par. qu. 52. art. 4. ad tertium hæc scribit: *illud verbum Domini est intelligendum non de Paradiso terrestri corporeo, sed de Paradiso spirituali, In quo esse dicuntur, quicumque divina gloria perfruuntur. Unde Latro loco quidem cum Christo ad Infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei: Mecum eris in Paradiso; sed præmio in Paradiso fuit, quia ibi Divinitate Christi fruebatur, sicut & alii Sancti.* Maldonatus in cap. 27. Matthæi num. 44. varias affert loci hujus intelligentias: ait enim nomine Paradisi Cœlum a quibusdam accipi, quo etsi Christus non nisi post quadraginta dies ascendit, tamen ut Deus ubique est, & ideo eodem illo die in Cœlo erat: alios existimare scribit, Paradisum quemcumque locum vocari, ubi sit Christus, & unde Deus perspiciatur; animam autem Latronis futuram Christo fuisse comitem, eodemque die Deum visuram; vere propterea dictum esse, futurum ut eo die cum Christo esset in Paradiso. Utramque refutat Maldonatus sententiam; eamque demum amplectitur, quæ statuit, Paradisi nomine intelligendum esse Abrahæ sinum, ubi Sanctorum animæ, donec ad Cœlum pateret aditus, morabantur: illuc enim eo die Christus descendit; illuc Latronis animam secum adduxit. Hæc sententia probatur Lamy, qui Harm. Evangel. lib. 5. cap. 35. Christi verba ita explicat: Non modo tui memor ero cum Regnum meum suam plenitudinem consequetur, sed hodie magna tibi afferam solatia, & ad illam te sedem mecum adducam, ubi tranquille degunt animæ Abraham, Isaac, Jacob.

Tertia Christi verba in Cruce.

100. Tertia, quæ Christus protulit, verba, refert Joannes cap. 19. v. 25. *Stabant autem juxta Crucem Jesu Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.*

Discipulus, quem diligebat Jesus, erat Joannes Zebedæi filius. Maria Cleophæ uxor, soror B. Mariæ. Ephesi B. Maria obiit. S. Joseph tempore crucifixionis jam vivis abierat.

101. Quænam illa fuerit Maria Magdalene, quæ Crucifixioni adfuit, nos alibi examinabimus. Interea satis sit hæc adnotasse: Discipulum, quem diligebat Jesus, fuisse Joannem filium Zebedæi: Mariam Cleophæ, quæ simul cum B. Virgine & Maria Magdalene morti Christi Jesu adfuit, juxta probabiliorem sententiam sororem fuisse B. Mariæ, & uxorem Cleophæ, qui fuit Pater Jacobi minoris: Christum Dominum Beatam Virginem ideo matris nomine non appellasse, quod ejus commiseresceret:

> .... *matrem sine nomine Matris,*
> *Ne Materna pium cruciaret viscera nomen.*

ut cecinit Jo: Baptista Mantuanus. Ut autem præcipuum suum in Matrem amorem declararet, ei dixisse, ut Joannem deinceps in filii loco diligeret; itidemque Joanni, ut B. Mariam perinde ac Matrem coleret: Joannem mandata Christi abunde implevisse, qui omni officio & pietate B. Mariam semper coluit, domi secum habuit, donec mansit in Palæstina, profectusque Ephesum eam secum adduxit, ubi tandem Beata Mater ex hac vita ad Cœlum convolavit. Quod autem Christus Joanni Matrem commendaverit, sacri inde Interpretes arguunt, D. Josephum tum temporis in vivis non fuisse. Vid. Calmet. in cap. 19. Joann. num. 27. & Natalem Alexandrum ad idem caput num. 25. & seqq.

Quarta Christi verba refert Matthæus cap. 27. v. 46. *Clamavit Jesus voce magna dicens: Eli Eli lammasabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et Marcus cap. 15. v. 34. *Exclamavit Jesus voce magna dicens: Eloi Eloi lammasabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Narrat uterque Evangelista, eos qui aderant credidisse, illum Eliam inclamasse. Quinam hi fuerint, id qui crediderint, non satis exploratum esse potest. Quidam putant fuisse Romanos linguæ Hebraicæ imperitos. Alii vero animadvertentes Romanis Eliam hominem fuisse plane ignotum, putant fuisse Judæos Hellenistas, qui Hebraicæ quidem linguæ imperiti, quis esset tamen Elias, probe noverant. Sunt alii, qui arbitrantur, fuisse Judæos Hierosolymitanos, qui licet linguæ periti, se non intelligere simularunt, ut Christum irriderent. Vid. Calmet. Cornel. a Lapide, & Nat. Alexand. in cap. 27. Matthæi. Syriaca vero sunt verba, *Eli Eli lammasabacthani*; nam post reditum a Babylonia Hebræi vulgo ea usi sunt lingua, quæ ex Hebraica & Chaldaica simul permixtis coaluit. Maldonatus in cap. 27. Matthæi num. 47. ex omnibus illis, quas modo recensuimus, sententiis de eo quod quæritur, quinam tandem ii fuerint, qui existimarunt Christum invocasse Eliam, eam amplectitur, quæ statuit id a Romanis creditum esse: *affirmare Romanos milites fuisse audeo.* Hanc porro rationem affert, Matthæus & Marcus narrant, illos, seu illorum aliquem, qui dixit, *Eliam vocat iste*, eundem illum fuisse, qui Christo acetum obtulit: Lucas autem & Joannes scribunt, eos, qui acetum obtulerunt, fuisse milites; unde confici videtur Romanos fuisse milites, qui Christum invocare Eliam crediderunt. Idem Maldonatus num. 46. considerat, apud Matthæum Christum exclamasse *Eli Eli*, & apud Marcum *Eloi Eloi*, apud Hebræos autem idem esse *Eli*, & *Eloi*: *utroque enim*, inquit, *modo Hebræi dicunt*, Deus meus, & Eli, & Eloi.

Quarta Christi verba Eli Eli &c. verba Syriaca sunt; Judæi ea se non intelligere simulabant.

& Eloi. Quæritur igitur, utra Christus tandem sit usus voce, conjicitque Maldonatus, non *Eloi*, sed *Eli* adhibuisse vocem, tum quod verba recitabat ex Psal. 21. tum quia adstantes crediderunt, Eliam ab eo fuisse vocatum.

Impia Calvini blasphemia. Non illa fuere verba Christi desperantis, sed magis dolorum suorum acerbitatem declarantis.

103. Verba illa fuisse Christi desperantis nefaria ausus est affirmare blasphemia impius Calvinus; propterea quod omnem Dei iram, quam peccata nostra concitassent, ideoque etiam damnatorum pœnas, inter quas desperatio, experiri Christo oportuit. Quæ quidem horribilis blasphemia se ipsa jugulat. Si enim Christus pendens e Cruce desperavit, graviter profecto peccavit; nec propterea Dei iram placavit, quin imo magis incendit. Huc accedit, quod cum jam in eo esset ut expiraret, dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; quæ profecto verba non sunt desperantis. Statuendum est igitur juxta Psal. 21. qui totus est de Christo, ubi habetur: *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* verba Christi non ex impatientia, aut diffidentia esse orta, nec iis significari, ejus humanitatem in extremis vitæ doloribus a Divinitate fuisse derelictam, aut æterni Patris benevolentiam imminutam; sed atrocissimos animi dolores cruciatusque corporis, omnesque illas acerbitates declarari, quas æterni Patris jussu perferebat, ut quibus reum se ipse supposuerat, omnium omnia crimina expiarentur. Digni sane sunt qui legantur Sermones Leonis Magni de Passione Domini 65. & 66. ubi plurima reperias, quæ huc respiciunt. Estius in cap. 27. Matthæi docet, non ideo in hunc modum Christum exclamasse, ut significaret, a misericordia Dei se penitus esse rejectum, quemadmodum ii rejiciuntur, qui in desperationem inciderunt; sed illud ostendere voluisse, humanam naturam suam tot, tantisque acerbitatibus esse circumfusam, nihil ut solatii a divina natura, quæ *illi unitate personæ conjuncta erat*, acciperet. Christus enim ita acerbissimas sentire voluit pœnas, ut merus quilibet homo sensisset. Advertit etiam, paullo ante Christum Patris nomine Deum compellasse, *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*. Quærendum propterea, cur omisso nomine Patris, Dei nomine postea usus sit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Cumque responderi posse videat, hæc verba ex Psalmo, quem supra diximus, esse desumpta, ubi est nomen Dei, non Patris, notat, illa etiam, *In manus tuas commendo &c.* ex Psalmo sumpta esse. Sicut autem Christus hoc loco voci *Domine* vocem *Pater* substituit, eodem modo videtur haud ægre pro *Deus meus* debuisse vocem adhibere *Pater meus*: atque ita tandem concludit: *Cur id non fecerit, afferri potest ratio, quia non conveniebat, ut Filius diceret se a Patre derelictum; cum illis nominibus summa inter eos charitas, & conjunctio significetur: sed creaturam, ideo hominem ab eo relinqui in pœnis non inconvenienter dicitur, quia Deus est totius creaturæ Dominus.* Addit præterea, Christum, cum peccatoribus a Deo misericordiam petit, voce *Pater* jure optimo uti: *Pater dimitte illis*; eandemque adhibere vocem, cum suum Spiritum Deo commendat: *Pater in manus tuas &c.* Ea enim charitas, dulcisque continetur conjunctio. Adversus autem Calvini blasphemiam, qui ait Christum desperasse, vel ipse Gerardus Vossius Harm. Evang. cap. 9. qui tandem id dici possit, vehementi quodam animi impetu rogat, cum ipse Christus iisdem illis verbis se ad Deum convertat, *Deus meus, Deus meus*. Grotius vero in Matthæum, & Glassius lib. 5. Tract. 2. cap. 5. probant, tum in Græco, tum in Hebraico sermone verba illa *ut quid* præcantis esse verba, non desperantis. Videatur etiam Maldonatus in cap. 27. Matthæi, qui, refutato impio illo Calvini errore, exclamat: *Faceſſat igitur iſta blaſphemia. Satis blaſphemiarum a Judæis in Cruce pendens Chriſtus accepit: opus non eſt, ut ab hæreticis interpretibus ad dexteram Patris ſedens plures accipiat.*

Quinta Christi verba. Acetum illi sitienti præbitum est.

104. Quinto loquutus est Jesus, cum sitire se dixit; & acetum illi præbitum est. Id vero solus Joannes refert cap. 19. v. 28. *Postea sciens Jesus, quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Matthæus postquam narravit Christum exclamasse, *Eli Eli lammasabacthani*, iisque verbis quosdam credidisse Christum Eliam inclamare, pergit: *Unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere;* atque alios dixisse: *Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.* Consonat S. Marcus cap. 15. v. 36. *Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo potum dabat ei dicens: Sinite, videamus an veniat Elias ad deponendum eum.* Et Lucas cap. 23. v. 36. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei.* Et Joannes loco supra cit. v. 29. *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus.*

In tam impiis Scripturarum cavillis. Aliunde Christi sitis fuerit illius sitis causa.

105. Haud mirum esse ait Lyranus, Jesum, tot jam laboribus exantlatis, tantaque sanguinis copia effusa, sitim esse perpessum. *Tantum laboraverat, & de sanguine emiserat, quod corpus ejus erat dissecatum, & adustum, & propter hoc sitiebat supra modum.* Sitis hujus, qua Servator noster laboraverit, causas fuse persequitur Joannes Jacobus Schevchzerus in *Physica Sacra* in textum S. Joann. cap. 19. longo illum tempore cibo, potuque abstinuisse; diutissime vigilasse; huc & illuc violenter raptatum discurrisse; magnam vim sanguinis amisisse; spineam coronam capite gestasse; flagellis teterrime cæsum, ignominiosissimum mortis genus præsens animo habuisse; infinitos in Cruce sustulisse cruciatus; in ipsa Cruce pendentem totum pene sanguinem profudisse; viscera ejus ex inflammatione confragrasse, & in pectoris cavum lympham defluxisse. Scripturas vero in hac re impletas, luculentissime patet. Psalmo enim 68. v. 22. habetur: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*; cujus prima pars oraculi spectat ad id, quod supra narravimus de vino felle mixto, de quo loquitur etiam Matthæus cap. 27. v. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*; altera pars ad illud pertinet, de quo nunc agimus, ut observat Suarez 3. par. tom. 2. disp. 37. §. *Ultimo tandem.*

Sensus an sacris Christo acetum oblatum fuerit. Cum illis tur Evangelistæ.

106. Putant nonnulli, S. Cyrillo sibi duce adscito, sæpius Christo Domino oblatum fuisse acetum; nam, ut dudum ostendimus, quidam Evangelistæ dicunt, præbitum illi acetum postquam dixisset; *Eli Eli lammasabacthani*; & S. Joannes narrat, id factum esse, postquam Jesus dixisset: *Sitio*. Huc accedit, quod Matthæus narrat, quendam ex iis, qui aderant, Christo acetum obtulisse, cæteros vero dixisse: *Sine, videamus*. At Marcus cap. 15. v. 36. ait, illum ipsum, qui acetum obtulit, dixisse cæteris: *Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum*. Verum nihil opus esse videtur, ut acetum sæpius illi oblatum dicamus; nam quod scribat Joannes, Christum dixisse, *Sitio*, idque taceant alii Evangelistæ, non inde inferri potest, aut Evangelistas inter se discrepare, aut ad tollendam discrepantiam oportere actus multiplicari. Nam S. Joannes, qui enucleate omnia, quæ contigerunt in Passione Christi,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sti, descripsit, aliquid amplius narravit, quod alii quidem tacent Evangelistæ, non tamen negant. *Alii Evangelistæ quamvis hæc prætermiserint, non tamen negarunt*, Ait Suarez loc. cit. §. *Majorem*, Quod vero attinet ad discrimen inter *fine*, & *finite*, vide a Lapide in cap. 27. Matth. vers. 49. Pulchre observat Maldonatus in cap. 26. Matthæi num. 48. Matthæum & Marcum ita eam rem narrare, ut militum quidam accurrisse videatur, qui acetum caperet, cum Jesus Eliam visus est inclamasse; quæ quidem non satis constant, (*quæ non satis inter se videntur cohærere*) quid enim aceto cum *Elia?* Ostendit itaque, historiam hanc a Joanne illustrari; qui narrat, Jesum, qui probe noverat consummata esse omnia, se scilicet ea passum, quæ Patris sui decreto debuerat perpeti, nec quidquam aliud reliqui sibi esse, quam spiritum emittere, sitire se dixisse, ut Scriptura impleretur; atque ita sitim suam eandem esse, de qua David in Psalmo supra allato cecinerat, jamque tempus incidisse, cum, ut Scriptura impleretur, acetum sibi esset propinandum.

Duplex hyssopi genus. Hyssopus imposita fuit hastæ vallatæ, qui ad datas preces aspergillum parietaria, aut mura ei herba,

107. Cur autem & quomodo acetum illi oblatum fuerit, longe difficilius est explicare. Ajunt Matthæus & Marcus, spongiam aceto imbutam arundini impositam fuisse; Joannes vero & hyssopum aceto addidit. Nam hyssopum arundinis usum præbuisse, non ita facile quis credat, qui sciat hyssopum molliem esse herbam haud ita altam, cujus codex sustinendæ spongiæ prorsus impar est. Quamobrem lib. 3. Regum cap. 4. v. 33. Salomon *disputavit super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete:* quibus verbis ejus herbæ exilitas demonstratur. Idcirco aliqui ex Sacris Interpretibus arbitrati sunt, hyssopum aceto fuisse permixtum; eoque liquore spongiam imbutam. Nonnulli putant spongiam hyssopo veluti quodam funiculo alligatam fuisse arundinis vertici; alii calathiscum implexis hyssopi ramusculis intextum, quo aceto imbuta spongia contineretur. Calmetus in cap. 27. Matthæi vers. 48. & cap. 19. Joan. vers. 29. suffragari sententiæ illorum videtur, qui spongiam putant hyssopi calamo fuisse impositam. Duplex enim observat hyssopi genus, alterum parietarium, quod parietibus; alterum vallense, quod in campis innascitur ad sesquipedis, & interdum ad duorum altitudinem pedum assurgens: justæ autem proceritatis hominem, duos qui pedes longum baculum teneat, posse ait, sublatis brachiis, ad altitudinem novem pedum pertingere; nec eo amplius opus esse, ut quis os hominis in Cruce pendentis attingat. Cruces enim plerumque haud ita sunt altæ, ut etiam, quod in historiis proditum est, crucifixorum corpora a feris interdum discerperentur; quod S. Blandinæ corpori contigisse narrat Eusebius lib. 5. cap. 1. & fuse ostendit Lipsius de Cruce lib. 3. cap. 2. & Gretserus itidem de Cruce lib. 1. cap. 7.

Fortasse acetum sibi milites attulerant, quod apud Romanos milites potus ille esset usitatus. Putatur acetum exhibitum crucifixis, ut acrius torquerentur.

108. Verisimile etiam eidem Calmeto videtur, milites acetum secum attulisse, quo, cum scirent se diu multumque ibi servandis crucifixorum corporibus remansuros, vires reficerent, ac recrearent. Quam sententiam juvat Spartiani locus in Pescennio Nigro cap. 10. *Idem jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos.* Nec refragatur Synopsis Critic. sacr. quæ in cap. Joann. 19. pag. 1373. militum quidem ait usitatum potum ad sedandam sitim fuisse acetum, sed eos Christo illud obtulisse, ut illum irriderent. Illud tamen addit, acetum paratum esse, crucifixis exhibendum, quo vel maturius interirent, vel prorogata diutius vita acrius torquerentur. *Acetum pro crucifixis paratum erat, vel ut citius morerentur; nam acetum valde vulneratis nocet, vel potius ut diutius in tormentis viverent; acetum enim & semianimes recreat appositum ori, aut naribus, & sanguinem copiose fluentem sistit admotum vulneribus; vel ut sitim restinguerent. Certissimum est milites Romanos, & pauperes alios acetum vini loco bibisse. Christo autem dederunt, ut ei illuderent, pro juvante, & jucundo potu nocentem, & acetum offerentes.* Baronius ad ann. Chr. 34. num. 124. & sequen. aceti & hyssopi naturam, spongiæque usum expendens ait, ea omnia esse adhibita, ut prolata crucifixis vita cruciatus etiam prorogaretur. Quid calamus, quid hyssopus fuerint, quonam modo spongia, acetum, & hyssopus adhibita sint, fuse explicant Maldonatus loc. cit. Lamy Concord. Evang. lib. 5. c. 35. & Joannes Jacobus Schevehzerus in Phisicæ sacræ loco superius allato.

Incertum, quis Christo acetum obtulerit.

109. Non nemo existimat a Judæo oblatum fuisse Christo acetum. Sed ab aliquo præbitum est, qui Cruci esset proximus; & Hebræi quidem Romanis immisti militibus proximi erant; sed militum erat crucifigere, & Crucem custodire; ex quo verisimile fit, non a Judæo, sed a Romano milite acetum fuisse oblatum; præsertim vero cum Lucas cap. 23. v. 36. a militibus id factum esse scribat: *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei.* Sunt etiam qui credant, acetum oblatum, spongiamque adhibitam ad sanguinem cohibendum. Sed hoc non facile intelligi potest; non enim acetum haustum e vulnere exeuntem sanguinem remoratur, cumque spongia ori, non manibus, aut pedibus adhibita sit, unde magna vis sanguinis defluebat, aperte inde apparet, acetum non cohibendi sanguinis gratia fuisse oblatum. Ita argumentatur Casaubonus Exercit. 16. num. 87. qui num. seq. scribit, morem fuisse parandi acetum, ut iis, qui animo defecissent, spiritus revocaretur; milites vero, ut Servatori nostro magis magisque illuderent, acetum obtulisse. Porro in re, quæ in sacris litteris non admodum enucleatur, omnes opiniones afferimus de aliqua ejus circumstantia, ut quam quisque probaverit, eam amplectatur: nullam enim esse novimus de ea circumstantia, de qua loquimur, Traditionem.

Romanus Pontifex in solemni Missa sanguinem per fistulam exsorbet. Mystica allusio ad arundinem Christo porrectam ex Rocca.

110. Romanus Pontifex, cum solemnem celebrat Missam, Sanguinem e Calice per fistulam exsorbet, itidemque Diaconus, & Subdiaconus. Nonnulli putant, usum fistulæ introductum, ut cum Summi Pontifices provectiore plerumque sint ætate, arceatur periculum effundendi sanguinis Christi. Verum Rocca in Tractatu de solemni Communione summi Pontificis tom. 1. Operum suorum pag. 27. hanc rationem minime probat: si enim hujusmodi ratio firma esset, etiam in Missis privatis ad eundem modum oporteret sanguinem a Romano Pontifice sumi; quod minime fit: neque id opus esset Diacono & Subdiacono, quorum ætas plerumque haud ita gravis. Itaque adhiberi ait fistulam a Romano Pontifice, ut repræsentetur arundo, cui spongia fuit imposita, quæ aceto imbuta Christi ori admota est; eodemque modo a Diacono & Subdiacono ebibi sanguinem, ad significandam communicationem Passionis Christi. *Calamo denique Summus Pontifex in hauriendo Christi Sanguine utitur, ut calamum Christo cruci affixo porrectum ad potandum, amarissimamque Passionem exprimat. Ministri vero, Diaconus scilicet Cardinalis, & Subdiaconus Apostolicus eodem utuntur calamo ad ejusdem Passionis communicationem insinuandam.* Hæc Rocca pag. 31.

Verius fortasse mos hic ad ve-

111. Nos eam evertere rationem minime volumus, quam tamen meram tantummodo cogita-

tio-

terem disciplinam refertur.

tionem ex Auctoris pietate profectam putamus, nullo alioquin fultam veteri monumento; atque illud esse in causa arbitramur, quamobrem hoc modo Romanus Pontifex, Diaconus, & Subdiaconus sanguinem ebibant, ut vetus retineatur consuetudo, qua quondam populo sub utraque specie Eucharistia præbebatur. *Quia sanguinis* (inquit Lindanus in *Panoplia Evangelica* lib. 4. cap. 56.) *effusio propter incultioris populi rusticitatem merito timebatur, Calicibus canna esi ferruminata affabreque inserta.* Agit etiam de hac re Macrus Vocabular. Eccl. verbo *Sipbon*, ubi eundem fuisse ait usum fistulæ quondam etiam Abbati Montis Cassini ad exsugendum Sanguinem Christi. De Abbate Cassinensi quod scribit Macrus, illud testatur etiam Joannes Baptista Casalius de veteribus Sacris Christianorum ritibus cap. 81. qui præterea vetustas quasdam affert Carthusianorum Constitutiones, a Guigone compositas, qui S. Bernardo coævus fuit. In iis hæc habentur cap. 40. *Ornamenta aurea vel argentea præter Calicem, & Calamum, quo Sanguis Domini sumitur, in Ecclesia non habemus.* Et quamvis cum Rocca consentiat, nos tamen a nostra sententia non recedimus; cum præsertim idem Casalius fateatur, Innocentium III. ubi agit de Communione summi Pontificis, non loqui de causa hauriendi sanguinem per fistulam, quam causam ille Pontifex, cæteroquin a symbolicis sacrorum mysteriorum explicationibus minime alienus, non allegoricam agnoverit, sed historicam.

Sexta Christi verba in Cruce. Lutheranorum & Calvinistarum profligatur interpretatio.

112. Sexta, quæ Christus protulit verba refert Joann. cap. 19. v. 30. *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est*, ut jam impleta esse oracula ostenderet, iisque, quas prædixerat, acerbitatibus omnibus se jam esse perfunctum. *Completæ sunt Scripturæ: non est amplius, quod insaniam populi furentis expectem: nihil minus pertuli, quam me passurum esse prædixi*; ut ait S. Leo serm. 53. 4. de Passione pag. 123. Tom. 1. Lutherani & Calviniste ut Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium de medio tollant, omnemque satisfactionem nostram funditus repudient, sane nimis perperam verbis illis *Consummatum est* abutuntur; perinde ac si Christus declarare voluerit, omnia sacrificia esse expleta; nullum deinceps aliud offerendum; nihilque jam reliqui esse ad plenam satisfactionem, & sanctificationem nostram. Verum cum Servator noster ita loquutus penderet e Cruce, & pro nobis tot tantosque cruciatus esset perpessus, quis non intelligat, iis verbis illud significare voluisse, omnibus se perfunctum esse cruciatibus, quos sibi ipse destinaverat perferendos, nec quidquam aliud sibi reliquum esse, quam mortem oppetere, & *ponere animam*, quam non alio consilio assumpserat, quam ut moreretur, nec alia de causa, quam ut moreretur, retinebat? Haud sane negaverimus, inter veteres Scriptores fuisse nonnemínem, qui verba illa *consummatum est* ita interpretatur, ut Christus Jesus veteris legis figuras impletas esse significare voluerit. Verum bonam hic postulamus fidem; quid interpretationi huic cum abolendo Eucharistiæ Sacrificio? Quid cum nostrorum operum satisfactione explodenda; cum præsertim veteres iidem Scriptores eam interpretationem sequuti, & Sanctum Eucharistiæ Sacrificium, & bonorum operum satisfactionem admiserint. Vide Maldonatum in cap. 27. Matthæi num. 50.

Postrema Christi verba Clamor. Christi tot cruciatibus fracti miraculo adscribendus.

113. Postrema verba denique tradit Lucas cap. 23. v. 46. *Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens expiravit.* Ac de valido vocis Christi clamore Matthæus cap. 27. v. 50. idem testatur *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Item Marcus cap. 15. v. 37. *Jesus autem, emissa voce magna, expiravit.* Et paullo post. v. 39. *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* Neque enim est intra fines naturæ, ut tot cruciatibus fractus, ac propemodum protritus homo in ipso mortis limine ea verba tanto clamore proferat, Cornelius a Lapide in cap. 27. Matth. vers. 50. putat, magna voce Christum clamasse adhibitis viribus, quas illi Divinitas suppeditabat. Verum D. Thomas 3. part. qu. 47. art. 1. ad secundum docet, Christum, ut declararet non per vim sibi animam adimi, robur corporis ita sibi conservasse, ut in extremo vitæ momento tanto vocem clamore potuerit tollere. *Dicendum, quod ut Christus ostenderet, quod Passio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamaret.* Unde autem illæ vires profectæ, apertissimum certe est tanti clamoris miraculum. Maldonatus in cap. 27. Matthæi num. 46. locum illum de Christo in Ep. ad Hebræos expendit: *In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Deinde ait, id humanæ naturæ vires superasse, ut Christus Jesus jam ferme moriens alta voce clamare potuerit. *Solet enim non solum morientes, sed timentes etiam mortem vox in primis deficere.* Cujus miraculi vim, magnitudinemque etiam juxta naturæ leges illustravit Joannes Jacobus Schevchzerus in *Physica sacra* ad cap. 27. Matthæi vers. 46. & vers. 50. De Centurione ita Matthæus cap. 27. v. 54. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* Et Lucas cap. 23. v. 47. *Videns autem Centurio quod factum erat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo justus erat.*

Centurio clamore Christi, terræmotu, aliisque prodigiis permotus fatetur Christum esse Dei filium. Conciliatio Evangelistarum cum D. Augustino.

114. Discrepare ea in re fortasse videantur inter se Evangelistæ. Marcus enim confessionis, quam Centurio edidit, causam tribuit magno vocis clamori, quam Christus protulit in ipso mortis momento; cæteri vero Evangelistæ eam causam in terræmotum conferunt, aliaque prodigia, quæ tunc evenere. Præterea Matthæus, & Marcus tradunt, Centurionem dixisse: *Vere hic homo filius Dei erat*; Lucas autem: *Vere hic homo justus erat.* Quivis tamen facile intelligat, Centurionem & ab illo clamore, & ab iis quæ tum acciderunt, æque potuisse ad credendum impelli, ut nulla propterea ea de re sit Evangelistarum pugna. Quod autem spectat ad Centurionis verba, quæ varie ab Evangelistis referuntur, ita S. Augustinus lib. 3. de Consensu Evangelist. cap. 20. Tom. 3. op. edit. Maur. part. 2. Col. 130. *Sed vel utrumque dictum a Centurione intelligere debemus, & aliud illos, aliud istum commemorasse, vel fortasse Lucam exprimere voluisse sententiam Centurionis, quomodo dixerit Jesum filium Dei; Forte enim non eum Unigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat, sed ideo Filium Dei dixerat, quia justum crediderat, sicut multi justi dicti sunt filii Dei.*

Quis ille centurio. Alius fuit a Longino

115. Huic Centurioni quidam Longini nomen tribuunt, quem Christi Fidem amplexum, dimissa militia, ferunt Martyrii coronam consequutum esse, ut videre licet apud Metaphrastem ad diem 16. Octobris; Bollandistas ad diem 15. Martii; & Baronium ad ann. Chr. 33. num. 131. Cum iis consentit Menologium Græcorum ad diem 16. Octobris. In Ecclesia Latina fit commemoratio

S. Lon-

S. Longini militis, qui tamen est alius a Centurione; miles enim ille fuit, qui Christi latus lancea trajecit, ut est in Martyrologio Romano ad eundem diem *Cæsaræ in Cappadocia Passio S. Longini, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur*. Tillemontius Not. 38. ad vitam Jesu Chr. affert quæcumque Græci, & Latini de Longino, & Centurione tradidere; nec eorum probat sententiam, qui eos omnes Scriptores conciliare conati, putant Centurioni & militi idem Longini nomen fuisse, atque utrumque Martyrii palmam consequutum esse. Et Card. Gottus de verit. Relig. Christ. tom. 4. par. 1. in fine cap. 31. §. 2. num. 25. nihil ait posse statui de Centurione, incertumque omnino esse, & Martyrium, & nomen.

116. Ad prodigia venimus, quæ Christi mortem sunt consequuta. Primum illud est, de quo Matthæus cap. 27. v. 45. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*; ideſt a meridie usque ad tres horas post meridiem. Idem refert prodigium Marcus cap. 15. v. 33. *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque ad horam nonam*. Et S. Lucas cap. 23. v. 44. *Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam; & obscuratus est Sol*.

De prodigiis, quæ Christi mortem consequuta sunt. Primum tenebræ a meridie tota terrarum orbe obortæ.

117. In eo prodigio existit controversia, Judææne soli, an toti terrarum orbi illo solis deliquio lux erepta fuerit: quod quidem lib. 4. de Canoniz. Sanctor. pertractavimus par. 1. cap. 25. num. 5. & sequen. ubi testimonio præsertim Phlegontis Hadriani liberti, qui sexdecim in libros distributam scripsit historiam, probavimus universo terrarum orbi solis lumen ademptum. Locus autem Phlegontis est: *Quarto anno centesimæ secundæ Olympiadis magna & excelsa inter omnes, quæ ante eam acciderunt, defectio solis facta. Dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in Cælo visæ sint; terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subvertit*. Hæc vero Eclipsis, quam refert Phlegon, cum tradita ab Evangelistis probe congruit; idem enim utriusque annus Tiberii Cæsaris decimus nonus, eadem hora sexta, & in utraque terra concussa est. Et quamvis Phlegon eam Eclipsim non dixerit contigisse in Plenilunio, id tamen haud negat, sed Astronomicarum rerum imperitus prætermisit. Huetius vero in Demonstrat. Evangelica proposit. 3. scribit, Hadrianum Gresonium in historia Sinensi adnotasse, in illis Regionibus eodem illo tempore visam Solis extraordinariam Eclipsim, quæ Quamvutium Imperatorem vehementer commovit. Bertus tom. 5. de Theologic. discipl. lib. 29. cap. ult. pag. 587. multiplici eruditione ostendit, non Judæam modo, sed universum terrarum orbem tenebris circumfusum; idque fuisse miraculum: nihil enim ejusmodi lunæ pleno orbe potest contingere; trium autem spatio horarum tenebris illis fœdatam Telluris faciem. Doctorum vero profert ætatis nostræ virorum auctoritatem, quibus adde Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 35. pag. 596. Auctores etiam heterodoxi eandem tractant materiam. Antonius Bineus de morte Christi lib. 3. cap. 8. pag. 409. ait, se olim existimasse, tenebras in universam terram ingruisse; deinde vero eam amplexum sententiam, quæ statuit solam Judæam illis tenebris involutam; eam tamen obscurationem miraculo adscribendam esse fatetur. *Sol obscuratus modo quodam hominibus ignoto fuit, cum Scriptores sacri id alto silentio involvant. In eum ergo inquiritur omnino frustra. Illud cogitatum rectius est, solem obscuratum esse ad indicandum immane atque horrendum Judæorum scelus*. Sagittarius

Non Judææ solum, sed universo terrarum orbi ea solis eclipsi lux erepta est. De ea meminit Phlegon.

Part. 2. histor. Pass. Christi cap. 17. nostram tuetur sententiam. In tom. 2. Dissertationum in Nov. Testam. e Museo Hasei & Ikenii extant binæ dissertationes, quarum altera Sigismundo Kisling Auctore, *De labore solis, laborante sole justitiæ*; altera Caspatis Posneri *De singularibus ac mirandis quibusdam, quæ morte Christi in natura acciderunt*: quorum uterque cum Sagittario pugnat pro obscuratione universæ terræ; idque statuunt miraculo tribuendum, ut videre est pag. 368. num. 21. & sequ. & pag. 375. num. 35. & seq. Nec pulchra Theophylacti verba sileri possunt, qui in cap. 27. Matthæi hæc scribit: *Erant tenebræ in toto mundo, non in parte mundi, ut in Ægypto; ut monstretur quod lugeat in Passione Creatoris Creatura, & quod a Judæa lux recesserit: Judæi quoque petentes signum e Cœlis, nunc videant solem obtenebrari*.

118. Alterum prodigium est Veli, quod erat in Templo, discissio, de qua loquitur Matthæus cap. 27. v. 50. *Jesus autem clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce Velum templi scissum est a summo usque deorsum*. Et Marcus cap. 15. v. 37. *Jesus autem emissa voce magna expiravit. Et velum templi scissum est in duo a summo usque deorsum*. Quibus verbis illud intelligitur, contigisse prodigium simul ac Jesus extremum spiritum exhalavit. Et quamvis Lucas cap. 23. n. 45. Veli scissuram cum obscuratione Solis conjungat, ac deinde Christi referat mortem: *Et obscuratus est Sol, & Velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: & hæc dicens expiravit*: id tamen Evangelistæ fuit consilium, ut duo illa miracula simul conjungeret, ut Augustinus animadvertit de Consen. Evang. lib. 3. cap. 19. loco sup. cit. *Volens enim miraculum miraculo adjungere, cum dixisset: Sol obscuratus est; continuo subjungendum existimavit: Et velum Templi scissum est medium, præoccupans videlicet, quod expirante Domino factum est*.

Veli in Templo dississo post Christi mortem Conciliatur Lucas cum reliquis Evangelistis.

119. Templum divisum erat in partes tres; quarum prima erat Atrium; interior altera, quæ dicebatur Sanctuarium; tertia, quæ sanctissima omnium erat, Sanctum Sanctorum appellabatur, quo nulli nisi summo Sacerdoti fas erat ingredi. Prima Populo; altera Sacerdotibus patebat; tertiam adire summo tantum Sacerdoti licebat, & semel quidem in anno in die Expiationis. Duobus eæ partes velis separabantur, quorum unum ante Sanctum Sanctorum oppansum, alterum ante Sanctuarium; ut constat ex Origene Tract. 75. in Matthæum, ubi ita de Templo, ejusque duplici Velo: *Duo*, inquit, *esse vela, unum quidem interius, quod velat Sancta Sanctorum, alterum vero exterius sive Tabernaculi, sive Templi*. Terna fuere vela Moysis ætate in Tabernaculo oppansa. Templum autem Salomonis, & alterum, quod, Salomonico dissecto, deinde ædificatum est, duo tantum habebant vela; nam pro tertio & extimo velo ipsæ erant Templi fores: ut ex cap. 5. antiquit. Judaicarum Josephi, & lib. 6. de Bello Judaico colligit Sagittarius Par. 3. Hist. Pass. Chr. cap. 1. §. 5. & 6. Quæritur itaque, interiusne velum, an exterius in Christi morte scissum fuerit?

Templum in tres partes duobus oppansis velis divisum.

120. D. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 8. Tom. 1. op. cit. edit. Col. 826. existimat, exterius velum fuisse discissum. *Quærendum quod velum Templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in Passione Domini illud velum esse conscissum, quod in Tabernaculo & in Templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc & velum*

Verius est, interius velum discissum, quod confirmatur ex D. Pauli loco ad Hebr. cap. 10. Cur velum scissum sit?

lum interius diſrumpendum eſt, ut omnia, quæ nunc nobis abſcondita ſunt, Domus Dei Sacramenta videamus. Contra S. Leo Magnus ſerm. 10. de Paſſione, & Cyrillus Alexandrinus in cap. 19. Joann. putant, diſciſſum velum illud, quod ante Sanctum Sanctorum oppanſum erat. Recentiores quoque alii alias ſunt ſequuti ſententias. Gerardus Voſſius Harmon. Evang. lib. 2. cap. 2. arbitratur, unum tantum fuiſſe velum in Templo: Si enim, ajens, duo vela fuiſſent, non dixiſſent Evangeliſtæ: *Velum Templi ſciſſum eſt.* Quam quidem opinionem futilem eſſe quis non videat? illud enim quod indefinite ſcribunt Evangeliſtæ, *Velum Templi ſciſſum eſt*, ſatis verum deprehenditur, ſi velorum alterutrum diſcindatur. Baronius ad ann. Chr. 34. num. 127. contendit, diſruptum exterius velum fuiſſe, quod populo conſpicuum erat. Serry Exercit. 57. num. 5. & Gottus cap. 31. §. 2. Baronio ſuffragantur: eoſque, diſciſſum qui affirmant velum Sancto Sanctorum oppanſum, arguunt ignorantiæ, quod duo in Templo fuiſſe vela neſcierint. Cum iis ſentit Lamy Harm. Evangel. lib. 5. cap. 36. qui illud etiam monet, quod ſi fuiſſet intimum velum diſciſſum, Sacerdotum duntaxat oculis objectum eſſet miraculum illud, & quidem ea tantum hora, qua Sanctuarium ad lucernas accendendas, & thura adolenda ingrediebantur. Suarez tom. 2. 3. part. diſput. 39. ſect. 2. de ea re ſibi fatetur non liquere. Caſaubonus itidem non conſtare ſcribit Exercit. 16. in Baron. num. 90. utrum e duobus velis diſciſſum ſit a ſummo uſque deorſum. Alii denique exiſtimant, velum illud interius ſciſſum eſſe, quod Sancto Sanctorum prætexebatur; quam ſententiam ut communem nunc fere omnes ſequuntur. Vid. Cornel. a Lapid. in cap. 27. Matth. verſ. 52. & ad eundem locum Natal. Alexand. §. 26. & Calmet. verſ. 51. qui obſervat, D. Paulum Epiſt. ad Hebr. cap. 10. ſcribere, Jeſum Chriſtum, utpote Summum Sacerdotem, Sanctuarii viam per velum, ideſt per corpus ſuum, nobis patefeciſſe; ideoque Apoſtolum eam confirmare ſententiam, quam poſteriore loco attulimus; ſciſſura enim veli ante Sanctum Sanctorum oppanſi ſignificat, per mortem Chriſti patefactum nobis iter ad Cœlum, diſjectas Legis umbras, verumque Pontificem ad intima Templi adyta ingreſſum, ut omnes homines a peccato liberaret. Rivetus in Exod. cap. 26. verſ. 31. veterum Hebræorum ſequutus ſententiam, probe textum intimum hoc velum exiſtimavit, nec fuiſſe pellucidum, ne cujuſquam oculis pateret Sanctum Sanctorum, ſed a ſummo Sacerdote tantum, qui eo introiret, videretur. Et Sagittarius loc. cit. num. 13. miraculi magnitudinem expendens notat, Velum illud fuiſſe denſum, & firmæ materiæ, figuris ſegmentatis diſtinctum, nec pellucidum, nec ulla ex parte alligatum, ut ne venti quidem flatu commotum ullo modo poſſet diffindi. Quid cauſæ fuerit, cur velum diffinderetur, quærunt Interpretes. Euthymius & Theophylactus in Matthæum dicunt, idcirco Deum ita voluiſſe, ut ſignificaret a Templo divinam receſſiſſe gratiam: & quo nulli fas antea fuiſſet ingredi, eo pateret omnibus aditus. Ad hanc ſententiam alludit D. Hieronymus in Iſaiam cap. 52. Tom. 4. op. cit. ed. col. 505. *Velum Templi a ſummo uſque deorſum ſciſſum eſt in duas partes, ut omnes Judæorum cæremoniæ panderentur, & eo tempore impleretur, quod in hoc eodem Propheta dicit: Ex Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Hieruſalem.* De ſciſſura veli varias Interpretum ſententias refert Maldonatus in cap. 27. Matthæi n. 51.

121. De tertio miraculo itidem Matthæus c. 27. v. 51. *Terra*, inquit, *mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.* De illo terræ motu lib. 4. de Canoniz. Sanctor. par. 1. cap. 25. num. 31. diſſeruimus, ac miraculum fuiſſe demonſtravimus. In eodem Opere noſtro de Canonizatione obſervavimus, quoddam eſſe oſtentorum & miraculorum genus, quæ prodigia quidem ſint propter circumſtantias, quibus eveniant; ſemotis tamen illis circumſtantiis, nihil quidquam habeant, quod naturæ ſuperet vires. Cui doctrinæ in hoc terræ motu locus eſt ſane commodus. Terra enim eo ipſo tempore contremuit, cum Chriſtus humani generis Servator clavis Cruci affixus mortem oppeteret, perfidiſſimis Judæis illius necis auctoribus. Terra præterea tremefacta, plures veritatis viam ingreſſi ſunt, & Crucifixum præpotentis Dei Filium eſſe, palam confeſſi. Quæ omnia notavit etiam Caſpar Poſnerus cit. Diſſertat. *De ſingularibus & mirandis quibuſdam, quæ morte Chriſti in natura acciderunt*, num. 26.

Quædam miracula ſunt propter circumſtantias. Hujuſmodi ſunt terræmotus miraculum.

122. Quæritur, in Judæane tantum, an vero alibi etiam concuſſa terra ſit, petræ diſruptæ, & aperta monumenta. Origenes Tract. 35. in Matthæum, in Judæa ſolum ea docet contigiſſe. *Nec enim extra Judæam petræ diſciſſæ ſunt, aut monumenta aperta ſunt alia, niſi ea tantummodo, quæ in Hieruſalem erant, aut forte in Terra Judææ: nec alia terra tremuit tunc, niſi terra Hieruſalem.* Sane Matthæus cap. 27. v. 53. videtur innuere, non ultra Hieruſalem, & vicina loca monumenta aperta eſſe. *Exeuntes de monumentis, poſt Reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Nam ſi aliter diceretur, fatendum eſſet, Sanctos homines in remotis regionibus e tumulis excitatos, mirifice per aera Hieruſalem advectos eſſe; quod omnino tacent Evangeliſtæ. De Sanctorum illa reſurrectione non eſt hic fuſe diſſerendi locus. Sed, ut pauca quædam attingamus, nonnulli putant, eos apertis monumentis vel ipſo mortis Chriſti momento, vel paullo poſt, revixiſſe, & cum Jeſu ad Inferos deſcendiſſe, ſive etiam, antequam Chriſtus reſurgeret, revocatos ad vitam extra Hieroſolymam delituiſſe, quo ingreſſi ſint poſtquam ille ad vitam rediit. *Delituerunt extra Urbem, donec reſuſcitato Chriſto ingreſſi ſunt in Sanctam Urbem, ibique apparuerunt, ut ſimul & mortis & reſurrectionis Chriſti gloria in ipſis appareret*, ut ait Lamy Concord. Evang. lib. 5. cap. 36. pag. 600. Verum communis ſententia eſt, tremefacta terra, monumenta quidem in Chriſti morte aperta eſſe, Sanctos vero cum eo revixiſſe, ut videre eſt apud Calmet. loc. cit. verſ. 52. Natal. Alexandr. §. 27. Suarez loc. cit. §. *In quibus dubitari poteſt.* Terram porro fuiſſe concuſſam, & aperta monumenta, petraſque diſruptas etiam longe ab Hieroſolymis, & Judæa, veriſimile eſt, nec deſunt apud Baronium ad ann. Chr. 34. num. 128. monumenta ex hiſtoria deprompta, & apud Calmet. loc. cit. verſ. 51. & Suarez loc. cit. §. *Quæri vero poteſt*, & Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 33. qui veteri traditione ait eſſe acceptum, Alverniæ montem in Etruria, & Promontorium prope Cajetam eo terræmotu eſſe diffiſa, ut hodie apparent. Et ſane Phlegon terræmotum item ut ſolis deliquium commemorat: & D. Thomas 3. par. qu. 44. art. 4. ad tertium docet, petras eſſe diſruptas *ad oſtendendum, quod lapideos hominum corda per ejus Paſſionem emollirentur, & quod totus mundus virtute Paſſionis ejus erat in melius commutandus.* Ex quibus intelligitur, rationes tum veras, tum etiam myſticas ſuppetere, quamobrem illud miraculum non in Judæa ſolum, ſed

In Judæa tantum, an etiam alibi terra contremuerit, petræ fuerint ne diſruptæ, & aperta monumenta.

alibi

alibi etiam credamus contigisse. Hunc autem vehementem terræ motum sane non carere mysterio, haud temere quis affirmaverit. quo videlicet Deus Filii Divinitatem palam facere voluerit. Quamobrem in Psal. 67. vers. 8. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est*; & Psal. 97. v. 7. *Moveatur mare & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo, a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram*: & Psal. 113. v. 7. *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.*

Historia ex Plutarcho, quæ convenit cum tempore mortis Christi, de Thamo Ægyptio.

123. Quartum miraculum non ab Evangelistis, sed a Plutarcho in lib. *de defitis oraculis* memoriæ proditum est. Ille igitur narrat, cum in Italiam tenderet, & jam Echinadas præternavigaret navis rector quidam, Thamus nomine, Ægyptius, remisisse ventum, auditamque vocem ad Paxas Insulas, quæ Thamum appellaret, juberetque ipsum, ubi primum ad portum Pelodem appulisset, clamare, magnum Pana esse mortuum; quæ vox rerum omnium parentem, & naturæ auctorem significat; Thamus autem ubi paruisset, eamque, quam jussus fuerat, vocem edidisset, ejulatus auditos esse quasi Panos obitum gementium; perveniisse id ad Tiberium Cæsarem, qui ex ipso Thamo de re gesta certior factus hominum eruditorum ea super re sententiam exquisivit. Æmilianus Rhetor apud Plutarchum narrat, id a Patre Epitherse rei ipsius teste sibi traditum. Cum autem id in tempus mortis Christi conveniat, idcirco inter cætera, quæ tum contingerunt, portenta recensetur. Baronius ad ann. Chr. 34. num. 129. dubius ea de re, incertusque videtur. Suarez loc. cit. *Sed horum*, inquit, *quæ in Evangelio non habentur, fides sit penes Auctores.* Natalis Alexander Hist. Eccl. Sæculo 1. cap. 1. art. 5. num. 6. putat, non Christi mortem ea re, sed Diaboli sublatam potestatem, ejusque Regni eversionem declarari. Tillemontius Not. 37. ad Vit. J. Chr. nescire se fatetur, quamobrem ea historia rejicienda sit; qui tamen, utcumque ea sit, monet non esse ex iis, quibus Christiana Religio tamquam fundamentis inædificata est. Serry Exercit. 57. num. 8. eam veluti fabulam explodit; nihil enim de ea Tertulliano, Justino Martyri, aliisque veteribus Christianæ religionis defensoribus innotuisse comperimus. Alii vero cum Eusebio lib. 5. Præpar. Evang. cap. 17. nihil de ejus rei fide detractum volunt Huetius Demonstrat. Evang. Prop. 9. cap. 136. Gravesonius de Myster. & annis Chr. dissert. 20. §. 1. in fine, Stard. Gottus loc. cit. cap. 31. §. 2. num. 22. quibus & ipsi libentissime suffragamur, addito tamen Tillemontii monito illo, quod modo attulimus, nec dubitamus, quin doctissimis istis viris probetur.

Crura Latronibus fracta, non Christo, qui jam mortuus erat; impletum ea de re Scripturæ oraculum.

124. Narrat Joannes cap. 19. v. 31. Judæos, imminente Sabbatho, rogasse Pilatum, ut per eum liceret Christi, duorumque latronum crura frangi. *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbatho*; *erat enim magnus dies ille Sabbathi*; *rogaverunt Pilatum ut frangeretur eorum crura, & tollerentur*: Quod cum impetrassent, duobus quidem latronibus milites crura perfregisse; at non item Christo, quem mortuum repererunt. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*; *sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua* cap. cit. v. 33. Monet autem impleta oracula his verbis cap. cit. v. 35.: *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, & ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo*: *& iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt.* Isidorus lib. 5. Originum cap. 27. ita de Crurifragio: *Patibuli minor pœna, quam Crucis: nam patibulum appensos statim exanimat. Crux autem suffixos diu cruciat*; *unde & in Evangelio latronibus, ut morerentur, & de ligno ante Sabbathum deponerentur, crura confracta sunt, quia ligno suspensi cito mori non poterant.* Et Lactantius lib. 4. cap. 26. de Crurifragio, quo caruit Christus: *Suffixus*, inquit, *itaque Christus, cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt ossa ejus suffringere, sicut eorum mos ferebat.*

Quo ratione Judæi petierint a Pilato, crucifixis ut crura suffringerentur.

125. Lex est lata per Moysem in Deuteronomio cap. 21. v. 22. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non manebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Et apud Josephum lib. 4. de Bello Jud. vehementer increpantur Idumæi, quod insepulta cadavera reliquissent; *cum præsertim Judæis tanta sepulturæ cura sit, ut etiam Judicio Cruci suffixos ad occasum Solis deponant, atque sepeliant.* Alia consuetudo fuit Romanorum, qui crucifixorum corpora de Cruce non refigebant, priusquam expirassent. Nam Josephus lib. de Vita sua narrat, se prætereuntem quondam vidisse Cruci affixos, quorum tres amicitia sibi conjunctos conspicatus, Titum exoravit, ut Cruce avellerentur, & curarentur, quo convalescerent; unum tamen duntaxat fuisse superstitem. Lamy cit. Dissert. de Cruce §. 8. ita scribit: *Vitam producere Cruciarios Romani studebant, & corrumpi, & tabe profluere in Cruce.* Neque vero pœna crurifragii in crucifixionis pœna continebatur; crura enim fontibus non perfringebantur, nisi quædam atrocior criminis diritas extitisset, aut vilissima esset fontium conditio. Ipsa etiam interdum miseratio suadebat, ut miseris crura frangerentur, eoque celerior mors cruciatu liberaret, ut videre est apud Lipsium de cruce lib. 2. cap. 14. Apud Plautum inter minas, quæ in servos adhibentur, est crurifragium: *Crura hercle affringentur.* Suetonius autem in Augusto narrat, illum jussisse homini, qui, sibi esset a secretis, crura suffringi, quod arcanum prodidisset; & Tiberium itidem narrat ministro cuidam suo, & tubicini crura pariter jussisse comminui. Haud profecto Judæis molestum fuisset, Romanam servare consuetudinem, quo Christus Jesus diutius acerbiusque cruciaretur. Neque enim Romanis mos erat, paucis quibusdam casibus exceptis, crurifragio mortem Cruciariis maturare. Sed ne, qui prope erat, diei festi solemnitas funestaretur, petierunt a Pilato, ut crura Crucifixis suffringerentur; ita enim, maturata eorum morte, cadavera Cruce avelli poterant.

Christo non fuerunt fracta crura, ut Agno Paschali os comminui non licebat. Lactantii ratio parum probatur. Zachariæ impletum Oraculum.

126. Itaque duobus latronibus, non Christo, fracta sunt crura, ut impleretur Scriptura, *Os non comminuetis ex eo.* Ubi sensus allegoricus ad Christum refertur. Nam in Exodo cap. 12. præscribitur, ita comedendum Paschalem Agnum, qui figura fuit Christi, ut os illius non confringeretur. Idcirco scribit Lactantius lib. 4. cap. 26. ossa Christo non fuisse confracta *ne læsum, ac diminutum corpus ad resurgendum inhabile reddere-tur*, quod nobis minime quidem probatur. Christus enim, qui suæ divinitatis virtute plurimos claudicantes & pedibus captos jussit erectos convalescere, confracta sua crura pristinæ integritati reddere potuisset. Excitata a quibusdam illa quæstio est, qui vere dici possit ossa Christo Jesu non esse confracta, cui clavis perforati sint pedes: pedis autem ossa artissime jungi, ut transfigi pes non possit, quin ossa confringantur. Sed

poſt Voſſium reſpondet Sagittarius Par. 3. Hiſt. Paſſ. Chriſti cap. 2. num. 45. clavum eo adactum, ubi firmiſſime oſſa inter ſe conjunguntur, & laxata quidem fuiſſe, non tamen confracta. Si quis vero hac reſponſione ſibi putet minime ſatisfieri, cum teſtetur Scriptura, clavis quidem transfixos pedes, ſed oſſa non fuiſſe comminuta, ſic habeat, Deum, qui Chriſti oſſa confringi noluerit, probe noviſſe, quo pacto & pedes clavis transfigerentur, & oſſibus ſua conſtaret integritas. S. Joannes, ut modo diximus, impletum fuiſſe ait oraculum, *Os non comminuetis ex eo*, & illud etiam vaticinium, *videbunt in quem transfixerunt*. Alterum autem hoc Zachariæ eſt cap. 12. v. 10. *Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti:* teſtaturque etiam D. Lucas cap. 23. ſpectatores, cum vidiſſent ea quæ contigerant, percutientes pectora ſua Hieroſolymam revertiſſe.

De milite, qui lancea Chriſtum transfixit. Dextrum latus videtur fuiſſe confoſſum.

127. Miles, qui Chriſto transfodit latus, ut experiretur, num extremum ſpiritum exhalaſſet, in Eccleſia Occidentali, ut ſupra docuimus, appellatur Longinus. Eum ſeceſſiſſe ferunt in Cappadociam, ubi Fidem Chriſti prædicaverit, & Martyrii coronam conſequutus ſit. Pictores equo illum inſidentem depingunt; verum viri docti contendunt peditem fuiſſe militem, qui lancea, quæ propria erat Romani peditatus, Jeſum transfixit, ut videre eſt apud Calmet. in cap. 19. Joann. num. 34. Quæritur etiam, dextrumne, an ſiniſtrum latus confoderit. Venerabilis Beda in libros Regum q. 12. ait, dextrum latus fuiſſe transfixum. *Paſſo in Cruce Domino, unus militum lancea latus ejus dextrum aperuit.* Ayala in ſuo *Pictore Chriſtiano* lib. 3. cap. 18. num. 9. opinionem ſtrenue tuetur eorum, qui putant, dextrum latus lancea percuſſum, eamque dicit eſſe communem ſententiam, quam etiam veteriſſimæ probent picturæ. Chifletius de Linteis Sepulcralibus Chriſti cap. 31. vulnus in dextero latere acceptum probat ex Sudario Veſuntino, & Sindone Taurinenſi, in quibus *vulneris ad latus inflicti cicatrix ſiniſtra eſt, ut nimirum dextero Chriſti lateri reſpondeat.* Et Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 35. in hanc ſententiam videtur propenſiſſimus, qui aurei numiſmatis ectypon exhibet, *ubi qui lanceam, tenet, ad dexterum Chriſti latus efformatur; ad ſiniſtrum ille; qui Spongiam arundini impoſitam geſtat.* Innocentius III. lib. 2. de ſacro Altaris Sacramento, cap. 54. *Calix*, inquit, *ponitur ad dexterum latus, quaſi ſanguinem ſuſcepturus, qui ex latere Chriſti dextero creditur, vel cernitur profluxiſſe.* In hanc propendet ſententiam Suarez 3. par. qu. 51. ſect. 1. tom. 2. & cum eo ſemit Durantus in cap. 15. num. 3. lib. 7. Revelat. S. Birgittæ. Et Rocca Tractatu de ſolemni Romani Pont. communione quæſit. 3. docet, Romanum Pontificem, qui in Miſſa ſolemni, poſtquam ad Altare conſecravit, ad Solium communicat, e ſiniſtro Solii latere Sacratiſſimam Hoſtiam ſibi allatam, Sanguinem vero e dextro latere excipere, ad repræſentandum Sanguinem, qui e dextro Chriſti latere profluxit: quam ſymbolicam ejus cæremoniæ explicationem probat Jo: Baptiſta Caſalius de Veteribus Sacr. Chriſtianor. Rit. cap. 81. §. *Dignum ſane eſt*.

Vera aqua e Chriſti latere fluxit. Qua parte tranſfixa corporis ſanguis, & aqua manaverit.

128. De ſanguine & aqua, quæ de Sacratiſſimo Chriſti latere manavit, plurima huc afferenda ſuppeterent. Quæ varii varia ſunt opinati, unde, & qua corporis parte tranſfixa ſanguis & aqua manaverint, breviter afferemus. Plures tum ex veteribus, tum ex recentioribus Scriptoribus putant, militis haſtam ad pericardium, cordiſque ſubſtantiam perveniſſe; inde propterea aquam & ſanguinem defluxiſſe; quidam e membrana, qua cor involvitur, ea manaſſe arbitrantur, ac dicunt, ibi ejuſmodi humorem ab humida cordis exhalatione progigni; illum autem humorem e læto pericardio interdum erupiſſe. Quibuſdam videtur aqua e pericardio vulnerato, ſanguis autem a majoribus vaſis itidem vulneratis effluxiſſe. Singularis eſt Caſparis Bartholini ſententia, qui aquam & ſanguinem e thoracis cavo emiſſam arbitratur, ad quam propugnandam ſententiam Thomas Bartholinus filius Tractatum conſcripſit. Sed lib. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 1. c. 31. numer. 6. ſatis prolixe hac de re diſſeruimus; atque illa præſertim docuimus, Clementem V. in Viennenſi Concilio pronunciaſſe, non vivo adhuc, ſed mortuo Chriſto latus eſſe perfoſſum; Innocentium III. definiſſe non inde phlegma, ſed veram effluxiſſe aquam; Patrum omnium conſenſione id miraculo tribui; eoque omnem difficultatem redigi, miraculine ratio in eo ſita ſit, quod ſanguis, an vero quod aqua e Chriſti latere eruperit: quoſdam enim exiſtimaſſe non aqueum pericardii humorem, ſed miro quodam modo aquam profluxiſſe: quæſtionem eſſe etiam, aquane, an, quod Evangelio videtur conſonum magis, prior ſanguis prodierit; ſcribit enim Joannes: *Et continuo exivit ſanguis, & aqua*. Itaque illuc Lectorem mittimus.

Lancea ſuperior pars a Bajazeto Turcarum Rege adhuc. VIII. miſſa in Vaticana Baſilica colitur: ejus cuſpis in Regio Pariſienſi Sacello aſſervatur. Calvinus confutatur.

129. De Lancea vero, qua Chriſti latus tranſfixum eſt, ſcripſimus lib. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 2. cap. 31. num. 8. & ſeqq. ſuperiorem ejus partem a Bajazeto Turcarum Rege Innocentio VIII. ſummo Pontifici dono miſſam: eam nunc in Vaticana Baſilica magna veneratione coli: ejuſdem vero Lanceæ cuſpidem S. Ludovico Francorum Regem a Balduino II. Conſtantinopolitano Imperatore accepiſſe, eamque in Regio Sacello Lutetiæ Pariſiorum collocaſſe. Paullo ante diximus, nobis non eſſe animum verba facere de ſanguine & aqua, quæ ex Chriſti tranſfixo latere manarunt, eaque de re ad Opus illud noſtrum de Canonizatione Lectorem miſimus. Verum huc addere illud juvat, negaſſe Calvinum, quidquam in hac re fuiſſe, quod miraculo tribui debeat. Ab ejus tamen ſententia Calviniſtæ, præſertim vero Lindemius, diſceſſerunt. Caſpar Poſnerus citata Diſſert. *De ſingularibus ac mirandis quibuſdam, quæ morte Chriſti in natura acciderunt*, Tom. 2. Diſſertat. in Nov. Teſtam. e Muſeo Haſei & Ikenii in hac controverſia ſubſtantiam humorum ab eorundem fluxu diſtinguit. Sanguinem exiſtimat e corde, ſeu etiam e venis ſaltem minoribus; aquam e pericardio prodiiſſe. Etſi autem putet, ſanguinem ab aqua ſeparatum effluxiſſe, nec pauculas quaſdam ſanguinis, & aquæ guttas, ſed tantam utriuſque vim profluxiſſe, ut oculis cerni potuerit; nihilominus id miraculo tribuendum arbitratur: nihil enim quidquam hujus ſimile in quovis humano, ſeu vivente, ſeu exanimato corpore accidiſſe compertum eſt; *Ut id propterea indubium ſit, humores hos quoad ſubſtantiam ſpectatos fuiſſe naturales; at quod attinet ad eorum diſcretionem, & fluxum putamus exceſſiſſe naturæ vires, adeoque fuiſſe ſupernaturalem & miraculoſum.*

De Chriſti ſepultura. Joſeph ab Arimathæa petit a Pilato ejus corpus. Arimathiæus

130. Narrant Evangeliſtæ, Joſeph ab Arimathæa nobilem Decurionem fidenti animo Pilatum conveniſſe, & ab eo corpus Jeſu Chriſti poſtulaſſe. Pilatum vehementer miratum Chriſtum eſſe mortuum; &, accerſito Centurione, ubi ab eo certior factus eſt Jeſum obiiſſe, Joſepho cor-

pus

perfusum, Nicodemo filii apremandante, condit in sepulcro non. CurPilati certior fieri voluerit a Centurione de morte Christi.

pus Jesu donasse: Josephum sindone coempta divinum cadaver involvisse, & in monumento suo, quod exciderat in petra, deposuisse, magnoque saxo monumenti ostium occlusisse. Hæc Matthæus cap. 27. Marcus cap. 16. Lucas cap. 23. v. 53., qui addit, in eo sepulcro antea conditum fuisse neminem. *Et posuit eum in monumento excisо, in quo nondum quisquam conditus fuerat.* Et Joannes cap. 19. rem minute describens non id tantummodo narrat, quod Pilatum inter & Joseph actum est, sed illud etiam refert, Nicodemum, qui nocte, quæ præcessit proxima, advenerat, allata secum mixtura myrrhæ & aloes pondo quasi libratum centum, Josepho se comitem addidisse, eique sepeliendo Jesu operam dedisse: utrosque fasciis quibusdam sanctum corpus Hebræorum more aromatibus perfusum involvisse, & in sepulcro, quo nemo antea erat injectus, deposuisse; atque ejus monumenti indicat etiam Evangelista locum fuisse in horto. S. Marcus cap. 15. v. 44. de Josepho, qui Christi corpur a Pilato petiit, hæc scribit: *Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset; & accersito Centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a Centurione, donavit Corpus Joseph.* Mors autem Christi Pilato admirationem movit, vel quod ipsa experientia perspectum erat, Cruci affixos, si ætate florerent, in plures dies producere vitam; vel quod Pilatus, Christum arbitratus divinum hominem, erediderat illum vel nunquam moriturum, vel ipsum a Crucis supplicio se fuisse erepturum: quamobrem ab ipso Centurione, cujus erat curare Crucis supplicium, de Christi morte certior fieri voluit; quod observavit Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 37.

Qui fuerint Joseph ab Arimathæa, & Nicodemus.

131. Josephum ab Arimathæa Senatorem, sive, ut magis proprie loquamur, Judæorum Decurionem fuisse constat, eumque tradunt Evangelistæ fuisse Christi Discipulum: *Discipulus Jesu &c. Expectans Regnum Dei &c. Qui expectabat & ipse Regnum Dei &c. Discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum.* Atque hic Joseph, utpote vir probus & justus, etsi fuerat in Synedrio, cum Christus Jesus est condemnatus, non probavit acta ejus Concilii, teste Luca cap. 23. v. 50. *Et ecce vir nomine Joseph, qui erat Decurio, vir bonus & justus: hic non consenserat consilio & actibus eorum.* Nicodemum Joannes cap. 3. Pharisæum & Principem Judæorum appellat, eumque narrat nocte Jesum convenisse, & in eo, quod cum illo habuit colloquio, dixisse, se probe scire neminem ea signa facere posse, quæ Christus ederet, nisi cum illo esset Deus. Eum autem jam tum ad Christi doctrinam animum adjecisse oportuit; tum quia, orta contentione de Christo, quis, qualisve esset (Joann. cap. 7.) ita Jesum defendit, ut in suspicionem venerit, se doctrinam Christi sectari: *Numquid & tu Galilæus es?* tum etiam quod Josepho ad Jesu Christi corpus sepeliendum operam dederit.

Josephi laus est, quod Christi corpus a Pilato quæsierit; Nicodemi, quod cadaver aromatibus perunctum fuerit.

132. Ea igitur Josephi tota laus est, quod Christi Domini corpus a Pilato quæsierit. Quia vero sibi numquam Pilatus persuadere potuit, Jesum seditionis aut perduellionis reum fuisse, facile illius corpus Josepho permisit: constat enim, ut observat Grotius in cap. 27. Matthæi, nonnisi Judicis permissu licuisse, qui ultimo supplicio essent necati, eorum cadavera sepulturæ mandari; nec Judicem ægre ejusmodi veniam dare solitum, nisi forte seditiosi aut perduellis cadaver ad sepeliendum deposceretur; ut notat Calmetus in idem Matthæi caput num. 57. Nicodemi vero laus est, quod centum libras myrrhæ & aloe contulerit. Utrique autem præclare meriti, quod Sacrosanctum corpus perunctum, fasciisque alligatum Hebræorum more sepelierint. Lamy in Concord. Evang. lib. 5. cap. 37. satis fuisset, ait, perungendo corporis ternas quaternasve libras myrrhæ & aloes; sed cum Nicodemus eorum aromatum quasi centum libras attulerit, *Signum hoc est opulentiæ Nicodemi, & non parci affectus.*

Mos apud Judæos ungendi cadavera, & longis instituti contringendi.

133. De funeribus & sepultura Hebræorum prolixam & eruditam Dissertationem scripsit Calmetus. Cadavera Judæi aromatibus perungebant, ne putrescerent; quod in Lazari cadavere prætermissum oportuit; quatriduo enim elapso, tetrum spirabat odorem. *Domine, jam fœtet; quatriduanus est.* Verba sunt Marthæ apud Joann. cap. 11. v. 39. Longis institis, seu fasciis oleo aromatibus permixto perfusis totum corpus constringebant; quemadmodum puerorum corpus fasciis involvitur, capite excepto; faciem velo quodam lineo tegebant; Sindonem vero super corpus fasciis colligatum obtendebant. Quamobrem de Lazaro revivisceute scribit Joannes loc. cit. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatis pedibus & manibus institis, & facies illius sudario erat ligata.* Hæc omnia ad sepeliendum Jesum adhibita esse, ostendunt verba, quæ attulimus Joannis cap. 19. v. 40. qui de Josepho, & Nicodemo ait: *Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.* Divus Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 13. de Josepho. & Nicodemo hæc scripsit: *Laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de Cruce acceptum, diligenter, atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt.* Mysticas quasdam de myrrha & aloe observationes, itidemque de horto, in quo fuit Jesus sepultus, legere licet apud D. Thomam 3. par. quæst. 52. art. 2.

Æquum fuit Christum condi in sepulcro novo. Refutatur Schmidii opinio de una tantum instita, qua involutum dicit corpus Christi, nulla adhibita Sindone.

134. Illud vero sedulo animadvertendum, Christi corpus in sepulcro fuisse conditum, quo nullum umquam antea cadaver injectum fuerat, ne cum Christus reviviscceret, calumniaretur quispiam, non Jesum, sed alium ab eo surrexisse. Quod notat Hieronymus in cap. 27. Matthæi. *Ne post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur.* Fasciarum formam, quibus cadavera circumligabantur, elegantissimam exhibet Lamy in Harmonia Evangelica. De Sacra Sindone, qua Christi corpus involutum fuit, quamque Fideles Taurini venerantur, plura attulimus lib. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 2. cap. 31. num. 17. De Sindone itidem, qua involutum est corpus Jesu, loquuntur Evangelistæ. S. Matthæus cap. 27. v. 59. *Involvit illud in Sindone munda*; Marcus cap. 15. v. 46. *Joseph autem mercatus Sindonem, & deponens eum involvit Sindone*; Lucas cap. 23. v. 53. *Et depositum involvit Sindone*; Joannes cap. 19. v. 40. *Ligaverunt illud linteis cum aromatibus.* Dissertationem edidit in fascias Christi Joannes Andreas Schmidt heterodoxus Auctor Amstelodami anno 1716. quæ Dissertatio est in tom. 318. Miscellaneorum in Bibliotheca Dominici Cardinalis Passionei. Nullam fuisse opinatur hic Auctor Sindonem, in qua Corpus Christi fuerit involutum, sed unam eandemque fuisse fasciam & Syndonem, quodque Joannes fasciam, id cæteros Evangelistas Sindonem appellare. Quod eo disputare videtur Auctor, idque ex tota dissertatione illa apparet, ut Taurinensis Sindonis fidem imminuat. Verum alia est Sindon, alia est fascia; nec quid causæ sit videmus, quamobrem in hac re ab illa conciliandorum Evangelistarum ratione recedamus, qua aliis in locis utimur ad Evangelistarum consen-

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

sensum demonstrandum ; ut nempe stet illud, quod eorum quispiam scripserit, nec alius adversari censeatur, si forte omiserit; præsertim vero si & illud omissum sit, & aliud præterea narretur. Nam si duo sint, quorum alterum unus, alterum narret alter Evangelista, eaque pugnantia non sint inter se, tunc alteruter Evangelistarum alterius narrationem supplere, & alter alterum censendus est illustrare. Ac propterea omnis corruere videtur ejus Auctoris machina ad subruendam Taurinensis Sindonis venerationem admota.

De anno, die, & hora, cum Christus ex mortuus.

135. Ad Passionis Jesu Christi absolvendam historiam reliquum est, ut de anno, die, & hora, quibus mortuus est, pauca quædam dicamus. Quod ad diem emortualem pertinet, vetus est & perpetua traditio, Christum vigesima quinta Martii die obiisse, ut constat ex Tertulliano contra Judæos cap. 8. Augustino lib. 18. de Civ. Dei cap. ult. & Chrysostomo in Homilia in Nativitate Joannis Baptistæ. Henschenius Bollandiani Operis continuator præter Martyrologia Typis impressa, alia quatuor & viginti manuscripta in pluribus Europæ Bibliothecis se vidisse testatur, in quibus omnibus Jesu Christi mortem adnotatam comperit ad vigesimam quintam Martii diem. Extat etiamnum S. Hippolyti Martyris Portuensis Episcopi Canon Paschalis in Tabula marmorea incisus anno Chr. 222. qui repertus est in Agro Verano anno 1551. In eo habetur: *Octavo Kal. Aprilis Passio Christi*. Hæc vero Tabula cum statua S. Hippolyti conservatur in Bibliotheca Vaticana. Rogerium Baconem Ordinis Minorum Mathematicarum disciplinarum peritissimum decimo tertio seculo existimasse Christum tertia Aprilis die mortuum esse, atque ob eam sententiam erroris suspicione notatum, & condemnatum, tradit Waddingus de Scriptor. Minorum, & tom. 2. Annalium. Consequutum est seculum decimumquartum, cum celebris Tostatus idem quibusdam publicis Thesibus propugnare ausus est Senis, ubi tunc Eugenius IV. cum Romana Curia morabatur; at Cardinalis Turrecremata opera, ea doctrina tamquam erronea proscripta est. Bertus tom. 5. de Theologic. Discipl. lib. 29. cap. 7. pag. 561. negat, Tostati propositionem illam fuisse damnatam, quinimmo ait, illum apologia edita eandem doctrinam sustinuisse, quam etiam alii amplexi sint. Incognitam autem prudenter advertit vetustis auctoribus fuisse, quam ipse propterea rejicit, ostenditque multiplici eruditionis copia emortualem Christi diem fuisse 25. Martii.

Dies emortualis Christi ex vetustissima & constanti traditione est 25. Martii. Rogerii Baconis & Tostati proscripta sententia.

Christus obiit ex Joanne hora quasi sexta; teste Marco hora tertia: quo modo a quibusdam concilientur Evangelistæ.

136. De hora haud ita levis est difficultas. Tertiam enim horam fuisse, qua Jesus expiravit, tradit Marcus cap. 15. v. 25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. At Joannes cap. 19. v. 14. scribit hora quasi sexta: *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta*. Quidam ut eam, quæ videtur esse, tollant discrepantiam, ajunt hora tertia crucifixum Judæorum vocibus, qui magno clamore deposcebant illum ad necem; hora autem sexta re ipsa Cruci fuisse affixum, manibus pedibusque perforatis, ut videre est apud D. Thomam 3. par. qu. 46. art. 9. *ad secundum*, & Lect. 3. in cap. 19. Joannis.

Concinnior conciliatio, Judæi diem in quatuor dividebant partes, quarum singulæ ternas diei horas continebant.

137. Verum longe melius concinniusque respondent ii, qui a Judæis observant diem dividi in quatuor partes; quarum prima tres diei horas continebat, & *Prima* appellabatur, quod ab ea esset diei initium. Altera ab hora tertia ad sextam, seu meridiem porrigebatur, quæ dicebatur *Sexta*, quod ab hora tertia inchoaret. Tertia diei pars ab hora incipiebat sexta, & in horam desinebat nonam, &, quod a sexta hora inciperet, *Nona* vocabatur. Postrema denique pars a nona incipiebat, & occasu solis terminabatur, quæ dicebatur *Vespera*.

Hora tertia, & hora quasi sexta idem est, ac exeunte hora tertia, sexta subeunte.

138. Harum qualibet partium tres horæ continebantur. Cum igitur Marcus scribit, Christum Cruci affixum esse *hora tertia*, non id factum esse intelligendum est initio horæ tertiæ, sed exeunte hora tertia, & jam jam sexta hora subeunte; & rursus cum Joannes dicit, Christum obiisse non absolute hora sexta, sed hora *quasi sexta*, tantum abest, ut a Marco dissentiat, ut potius inter eos pulchre conveniant; hora enim quasi sexta illud idem tempus est, cum hora tertia in finem vertit. Inter recentiores, qui ad hunc conciliant modum utrosque Evangelistas vide Baronium ad ann. Chr. 34. num. 163. Maldonatum in cap. 27. Matthæi num. 25. Tillemont. Nota 31. ad J. Chr. vitam; Natalem Alexandrum in cap. 19. Joann. num. 14. Serry exercit. 56. Graveson. de Myster. & ann. Chr. pag. 315. & Gottum de verit. Rel. Christ. cap. 30. §. 2. num. 10.

Quoto Christianæ anno quæque natus annos Christus mortuus sit, variis interpretibus. Videtur mortuus 33. ætatis anno, Imperii Tiberii 15.

139. Si quoto ære Christianæ anno crucifixus est Jesus, ut etiam quoto anno ætatis suæ, diserere in animo haberemus, controversiam sane gravem susciperemus, cui nostræ vires impares sunt, & ad eam expediendam justo opus esset volumine. Baronius ad ann. 34. num. 132. existimat, Christum mortuum ætatis suæ tertio & trigesimo anno, mense tertio, Tiberii anno decimo octavo. Gravesonius in citato opere pag. 305. putat, obiisse anno ætatis suæ trigesimo tertio ineunte, & decimonono imperii Proconsularis Tiberii. Calmetus in cap. 8. Joann. num. 57. statuit, Christum obiisse, cum mediem ageret ætatis annum trigesimum sextum. Natalis Alexander Dissert. 2. sec. 1. Prop. 2. contendit, Jesum mortuum anno ineunte trigesimo septimo ætatis suæ, & Imperii Tiberii decimo nono. Honoratus a S. Maria in Observat. ad Regul. & usum Criticæ lib. 5. dissert. 1. ait, communem esse traditionem, Christum triginta natum circiter annos mortuum esse, decimoquinto anno Tiberii. Quid harum rerum periti senserint, satis est retulisse. Interea, cum tacito quodam Ecclesiæ consensu probata, atque etiam communis videatur opinio, Christum mortuum esse trigesimo tertio ætatis suæ anno, seu ineunte, seu jam expleto, sive etiam tribus additis mensibus, ut existimavit Baronius, Imperii Tiberii decimo octavo, vel decimonono; nos huic sententiæ libentissime accedimus, de qua vide Ricciolum tom. 1. Chronolog. Reform. lib. 8. cap. 7. & Gottum de verit. Relig. Christ. cap. 30. §. 1.

De cæremoniis, quibus hunc diem colit Ecclesia. Quonam respiciat Ecclesia in officio hujus diei. Cur post Prophetias legatur S. Joannis historia Passionis.

140. Atque hæc de Passione Christi Domini dicta sunto. Nunc vero ad cæremoniam, qua hunc diem celebrat Ecclesia, veniamus. Illuc autem in Officio hujus diei Ecclesia potissimum respicit, ut Jesus Christus cruci affixus nobis statuatur ob oculos, & ad ejus aspectum contritione tacti ita nostros paremus animos, ut Redemptionis fructum assequamur. Mazzinellus ad Officium Majoris Hebdomadæ primum quidem notat, post Prophetias, quarum veritas validissime Religionem nostram confirmat, Historiam legi de Passione Domini ab Joanne conscriptam, qui ordine temporum ultimus est Evangelistarum, quique ex Apostolis unicus a Jesu Christo numquam recessit, illum sequutus usque ad patibulum Crucis; ac propterea quæ ipse in Calvario vidit, accurate descripsit.

Cur Ecclesia oret pro omnibus, etiam pro Judæis.

141. *Secundo* observat, Christum omnium Servatorem, pro omnibus mortuum, omnium Mediato-

diatorem inter Deum & homines, pro omnibus se Deo Patri obtulisse, pro omnibus orasse, ab ejusmodi sacrificio suo, & ab orationis suæ beneficio nullis exclusis: propterea Ecclesiam sensus Jesu Christi sequutam in sacrificiis orare pro omnibus omnium generum, precesque suas meritis Christi semper suffulcire, & in hoc potissimum die orationibus uti pro quocumque hominum genere, etiam pro Judæis, ut ab eorum oculis velum illud summoveatur, quo Sacras Scripturas intelligere prohibentur; quæ tamen oratio dicitur nulla facta genuflexione, ut appareat Ecclesiam irrisiones & contumelias illas detestari, quibus Judæi Christo illuserunt, cum illum in genua procidentes simulatis salutationibus irridebant.

Cur exponatur Crux ejusdem & adorationi populi, & quamobrem incerta canantur improperia.

142. *Tertio* notat, populi adorationi & aspectui Crucem exponi, quæ interea dum adoratur, cantantur improperia. Neque enim a Deo aut admirabiliora, quam quæ in populum Israeliticum ostendit, edita esse portenta, aut insigniora in homines beneficia collata, quam quæ Judæis contulerit; & rursus nullam omnino apud gentem atrociora ingrati adversus Dei bonitatem animi extare exempla, quam quæ traduntur in Judæorum historia, quos tum vero ingratissimos fuisse intelligimus, cum Christum Dominum neci dediderunt. In cujusque autem improperii fine celebre illud canitur Trisagium, de quo paullo inferius sermonem habebimus.

De Processione, & Missa hujus diei.

143. *Quarto* docet, post Crucis adorationem fieri processionem ad locum, ubi die, quæ præcessit proxime, Sacramentum Eucharistiæ conditum est. Illud autem Sacerdos, qui celebrat Missam, ad Altare reversus ponit super corporale, & Diaconus vinum, Subdiaconus aquam in Calicem interea infundunt: aquam Sacerdos hodie non benedicit: dextera manu Sacratissimam hostiam sustollit, ut a populo possit conspici; eam in tres dividit partes, quarum tertiam in Calicem tacitus indit. Prætermittuntur *Pax Domini*, & *Agnus Dei*; item aliæ duæ orationes, quæ ante Communionem dici solent; tertia vero recitata, *Perceptio*, accipit patenam cum corpore Christi, & maxima humilitate dicit: *Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo*. Deinde percutit sibi pectus dicens, *Domine non sum dignus*; postea signat se Sacramento, quod deinde sumit reverenter. Tandem prætermissis omnibus, quæ dici solent ante sumptionem Sanguinis, sumit de Calice particulam Hostiæ, & vinum.

Hac die solum Hierosolymis ostendebatur populo Crux in quam sublatus est Jesus. Forsasse inde orta disciplina in omnibus Ecclesiis exponendi Crucem.

144. Populi adorationi & aspectui Crucem exponi dudum monuimus. S. Paulinus epist. 31. novæ edit. ad Severum narrat, hac tantummodo die eam ipsam, cui Christus affixus est, Crucem Hierosolymæ exponi solitam fidelium adorationi. *Neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quoddam solemnitatis insigne profertur.* In eadem epistola de ea Cruce loquens paullo ante dixerat, *Quam Episcopus Urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit*. Quod autem memorata subjecit verba, *Neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur*, inde arguitur loqui de Feria sexta in Parasceve, ut advertit Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 86. Nonnulli existimant, ab ea Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudine communem hanc derivatam esse disciplinam publicæ venerationi Crucem exponendi; quam opinionem eruunt ex verbis illis Amalarii: *Fuerunt quidam, qui volebant dicere se velle eandem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus est. Utinam in omnibus Ecclesiis haberetur. Quamvis omnis Ecclesia eam non possit habere, tamen non deest eis virtus sanctæ Crucis in suis Crucibus, quæ ad similitudinem S. Crucis factæ sunt.* ut est in lib. 4. cap. 14. de Ecclesiastic. Offic. in tom. 14. Biblioth. PP. Edit. Lugdun. ann. 1677. pag. 950.

Cur latriæ cultu adoranda etiam quælibet Crux ad ejus exemplum facta, in qua Christus obiit: rationes ex D. Thoma.

145. Nonnihil difficultatis Rabano subesse videbatur, non quidem in eo cultu, qui Cruci exhibetur hac die, sed in verbo, quo utimur, *adorationis*. Verum, ut bene advertit Bailletus Hist. hujus diei §. 2. num. 19. Fidei puritas pravam omnem amovet suspicionem. Ecclesia in Canticis ait: *O Crux adoranda*. Et alibi, *Tuam Crucem adoramus*. Celebris est Lactantii versiculus

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

Theologis vero disputandum linquimus, Latriæ ne cultu, an minore aliquo Crucem venerari debeamus, quam fuse quæstionem pertractant Estius in 3. lib. sentent. dist. 9. §. 3. & Cardinalis Capisuccus in appendice controversiæ, *Quo cultu sanctæ imagines sint colendæ*. Notat Thomassinus de dier. Festor. celebratione lib. 2. cap. 14. num. 20. cæremoniam hujus diei de adoranda Cruce a veteribus appellari *Adoratum*. Observat etiam, eos Episcopos, qui in Parisiensi Synodo Sacrarum cultum Imaginum rejiciebant, adorationem tamen Crucis in Feria sexta Majoris Hebdomadæ approbasse. *Et ideo Sancta Mater Ecclesia* (sunt verba Synodi) *toto Orbe terrarum inter cætera innumera Crucis Sacramenta decrevit, licitum esse universis Catholicis ob amorem Passionis Christi, ubicumque eam viderint, inclinando, si voluerint, venerari: Et insuper die sancto, quo Passio domini in universo Mundo specialiter celebratur, cum omni devotione universum Ordinem Sacerdotalem, seu cunctum populum adorare*. Et D. Thomas 3. par. quæst. 25. art. 4. docet, Crucem, cui Christus affixus est, latriæ cultu adorari, tum quod ea nobis exprimit Christi figuram in Cruce pendentis, tum etiam præsertim quod ejus sanguine fuerit persusa: eodem etiam Latriæ cultu quamlibet ex quacumque materia Crucem ad illius Crucis exemplum factam itidem adorari, quod imaginem repræsentet Christi in Cruce extensi; quod tamen ita est intelligendum, ut adoratio ad Jesum Christum referatur; nam si Crux consideretur tamquam pertinens quiddam ad Christum Dominum, ad quem veluti terminum non referatur adoratio, non latriæ cultu, sed hyperduliæ tantum est colenda: cujusmodi cultus B. Virgini exhibetur, cui, etsi propius quam Crux ad Christum pertineat, cum eam tamquam unam ex iis rebus, quæ Christi sunt, veneramur, cultum quidem peculiarem exhibemus, sed qui nonnisi hyperduliæ cultus est.

De Trisagio, Sanctus Deus, Sanctus fortis, &c. A pueris quasi divinitus allato Constantinopoli sub Imperio Theodosii. Cur eo utatur Occidentalis Ecclesia hac die Græce & Latine.

146. Innuimus paulo ante, in fine cujusque improperii, interea dum Crux adoratur, cani celebre Trisagium, & quidem Græce & Latine, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*. Menologium Græcorum narrat, sub Imperio Theodosii vigesimaquarta die Septembris vehementissimo terræ motu Constantinopolim esse concussam: Imperatorem una cum Proclo Patriarcha, & populo universo ad implorandam Dei opem confugisse: puerum repente in aera sublatum; cumque omnes metu perterriti exclamarent *Kyrie Eleison*, puerum in terram descendisse, atque alta monuisse populum voce, ut Trisagium caneret ad hunc modum, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*, vix ea loquutum repente mortuum concidisse. Devota hæc oratio in Ecclesia Orientali frequentissime usurpatur. Ea vero hac die

die præsertim utitur Occidentalis Ecclesia, Latine, ut propriam suam linguam adhibeat, Græce vero etiam, ut alludat illi divinæ voci, quam puerum illum diximus Constantinopoli edidisse. Vid. Goar. in Notis ad Rituale Græcorum pag. 109. edit. Venetæ ann. 1830.

147. Petrus Fullo, ut inveheret hæresim Theopaschitarum, qui naturam divinam passam in Cruce falso affirmabant, ea verba Trisagio addidit: *Qui Crucifixus es pro nobis, miserere nobis*; quod a Catholicorum cœtu reprobatum fuit. Qua additione cum Armeni usi essent usque ad XI. seculum, a Gregorio VII. Epist. 1. lib. 8. moniti sunt, ut eam omitterent. *Clausulam*, inquit summus ille Pontifex, *quam in illa laude subjungitis: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: istam videlicet*, qui crucifixus es pro nobis; *quoniam nulla Orientalium præter vestram, sed nec Sancta Romana Ecclesia habet, vos totius scandali occasionem, pravique intellectus suspicionem vitantes, superaddere de cætero omittatis*. Armeni, etiamsi Decretum illud Gregorius VII. ediderit, eadem verba in Trisagio retinuisse videntur. Cum patrum nostrorum memoria de concilianda inter eam Gentem & Romanam Ecclesiam communione & pace ageretur, inter cætera dubia illud in Congregatione de Propaganda Fide die 30. Januarii an. 1635. propositum fuit: *An Trisanio, quo utuntur Armeni, possit addi: Qui passus est pro nobis*. Et rescriptum fuit: *Congregatio negative respondit: nam in Liturgia Armenorum decantato Trisagio in honorem Sanctissimæ Trinitatis, adduntur prædicta verba secundum Theopaschitarum hæresim damnatam in Concilio Romano sub Felice Papa. Et licet in alio loco ad personam Filii Trisagium applicetur, nihilominus Trisagium ab Angelis traditum, & in honorem & glorificationem Sanctissimæ Trinitatis decantari solitum, non videtur posse formaliter attribui Christo Domino, uti scilicet tantum personæ ejusdem Sanctissimæ Trinitatis.*

Nec valet id fuisse concessum Maronitis, quia alio modo in eorum libris Hymnus glorificationis prædictus concipitur; & non fuit etiam ille modus expresse a Sede Apostolica approbatus.

148. Denique de Missa etiam quædam supra attigimus, quæ hac die celebratur. Eam vero Missam non, ut vulgo ajunt, siccam dici oportet, sed Missam Præsantificatorum, in qua Sacerdos sola specie panis, die, quæ præcessit, proxima consecrati, communicat. Missam enim siccam dicimus, in qua neque consecratio fit, neque Christi corpus sumitur, & Sacerdos, licet Sacerdotalibus indutus vestibus, ita Missam recitat, ut omittat tamen omnia, quæ summissa voce dicuntur, Præfationem quidem recitat, & Pater noster, sed Canonem & reliquas Secretas omnes prætermittit; non hostiam habet, non Calicem, nihilque eorum dicit aut facit, quæ super Eucharistiam fieri solent, ut videre licet apud Durandum in Rationali lib. 4. cap. 1. Contra vero in Missa Præsantificatorum nihil omittitur præter Eucharistiæ consecrationem, quod Sacramentum sub unica specie sumitur panis, quem pridie ejus diei sacerdos consecravit, ut explicat Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 75. *In Paraseeve Majoris Hebdomadis non consecratur Corpus Christi, sed Sacerdos in Missa utitur Præsantificatis, idest hostiis ante consecratis tum pro se, tum pro omni populo.*

149. In Ecclesia Græca Missa Præsantificatorum dicitur omnibus Quadragesimæ diebus, Sabbatho, & Dominica exceptis, ut constat ex Laodicena Synodo, quam Baronius existimat ante Concilium Nicænum habitum: *Non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi in Sabbatho, & Dominicis diebus*; verba sunt ex Canone 48. Et in Concilio Trullano Can. 52. *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbatho, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat sacrum Præsantificatorum ministerium.* Id etiamnum in Orientali Ecclesia in usu esse testatur Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 15. n. 5. *Hunc morem adhuc servat Orientalis Ecclesia*. Bossuetus Meldensis Episcopus volum. 5. suorum Operum edit. Argentinæ ann. 1742. in Tract. de Communione sub utraque specie tradit, plerosque Græcorum hoc tempore aliquot pretiosi Sanguinis guttas supra panis consecrati partes in formam Crucis aspergere, easque pro diebus insequentibus reservare ad Officium Præsanctificatorum: quem morem invectum fuisse post Schisma Cerularii, & a melioris notæ auctoribus Græcis nec probari, nec usurpari luculenter ostendit. Nicetas Pectoratus Romanam Ecclesiam criminatur, quod per Quadragesimam, Sabbatho & Dominica exceptis, Missam Præsanctificatorum non celebret: cujus reprehensa merito fuit audacia ab Humberto Cardinali Silvæ Candidæ tom. 4. Biblioth. Patrum, ut videre etiam licet apud Goar. loc. cit. pag. 173. qui tamen monet, Cardinalem multis in rebus justos prætergressum esse fines; quod fusius refert Juvenin. de Sacram. Dissert. 5. qu. 8. c. 1.

150. Veram utcumque sit de ejusmodi re, si quis est, qui quidquid de Præsanctificatorum Missa apud Græcos disputari potest, sibi cupiat expromi, adeat Leonis Allatii Dissertationem ad calcem Operis de Consensu perpetuo Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis adjectam, & Le-Brun in explicat. Missæ tom. 2. art. 2. pag. 372. edit. Parisien. Apud Latinos hac die Præsanctificatorum Missa tantummodo celebratur ea ratione, quam innuit Hugo a S. Victore de Specialibus Missæ Observationibus cap. 20. *Quæritur, quare hac die Missa non cantetur, sed Corpus Christi reservatum die præcedenti sumatur. Ad quod dicitur ex decreto Innocentii Papæ Missam hoc biduo non celebrari, ut in Pastoribus Ecclesiæ status temporis illius apud Apostolos ostendatur, qui, sicut Propheta prædixerat, Percusso Pastore dispersi erant &c. Quæritur iterum, quare hac die non sumatur sanguis Christi, sicut & caro Christi; ad quod dico, quod utrumque sub unica specie sumitur. Sed quia species vini labilis non potest tuto reservari, sine ea corpus Christi reservari constitutum est.* Quæ repetit etiam Claudius Espencæus lib. 2. de adoratione Eucharistiæ cap. 13.

151. Alludit Hugo ad Epistolam Innocentii I. ad Decentium Episcopum Eugubinum: *Feria sexta* (verba sunt ex illius Epistolæ capite 4.) *propter Passionem Domini jejunamus. Sabbathum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam & lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non est dubium, intantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ utique forma* (jejunandi) *per singulas tenenda est hebdomadas propter id, quod commemoratio diei illius semper est observanda.* Ac de ejusmodi consuetudine, quam servat Occidentalis Ecclesia celebrandi in Paraseeve Missam Præsantificatorum, vetera reperias documenta apud Pouget Inst. Catholic. tom. 1. pag. 841. tom. 2. pag. 272. & apud

Additio ad illud Trisagium Petri Fullonis, Theopaschitarum hæresim olent, a Catholicis damnata. A Gregorio VII. interdictum Armenis ea uti quæ tamen ab iis postea adhibita videatur.

Missa abusus diei non sicca, sed Missa Præsanctificatorum appellanda.

In Orientali Ecclesia per totam Quadragesimam Missa Præsanctificatorum celebratur, sabbatho, & Dominica exceptis. Ritus quorumdam Græcorum in hac re parum probatus. Græcorum criminationes adversus Latinos.

Cur apud Latinos hac die tantum celebretur Missa Præsanctificatorum ex Hugone a S. Victore.

Hugonis verba respiciunt Epistolam Innoc. I. ad Decentium. Locus Innocentii quomodo intelligendus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& apud Bailletum Hist. huius diei §. 2. Amalarius, & Alcuinus hujus rei rationem afferunt. *Quia in hac die Dominus se ipsum obtulit, & ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium.* Innocentius I. rationem adducit paullo ante memoratam, quæ ab Apostolorum mœrore desumitur, & a jejunio, quo hunc diem transegerunt; & hæc quidem ratio longe cæterarum visa est accommodatissima Mabillonio par. 2. Musæi Italici Commentar. ad Ord. Rom. & Gravesonio de Mysteriis & annis Christi pag. 455. Quærit Vertus tom. 4. Explicat. Cæremon. Eccl. Observat. 35. pag. 293. Edit. Parisien. ann. 1713. an Innocentii I. verba de quibuscumque Feriis sextis, & Sabbathis cujuslibet Hebdomadæ sint intelligenda, an vero de sexta tantum feria in Parasceve, & Sabbatho Sancto; ea enim verba sextas omnes ferias, & Sabbatha totius anni videntur complecti. Verum cum Innocentius mœrorem commemoret, quo capti sunt Apostoli Feria sexta, qua die Christus Jesus est mortuus, & Sabbatho insequenti, quo ejus corpus jacuit in sepulcro, jure inde arguit, ea verba de Feria sexta in Parasceve, & Sabbatho sancto esse intelligenda.

Hugo negat hac die dici Missam, sed intelligit eam, quæ celebratur per annum. In Hispaniis obtinebant cæremoniæ hujus diei, & Ecclesiæ erant clausæ. Concilium Toletanum IV. cæremonias restituit.

152. Ait Hugo in loco, quem supra attulimus, Feria sexta Majoris hebdomadæ & Sabbatho Missam non celebrari. Verum si quis ejus verba attente consideret, facile intelliget de ea Missa loqui, quæ aliis diebus celebrari solet; nec Præsanctificatorum Missam ejus verbis excludi, quæ cum omnibus cæremoniis, quas scripsimus, semper in Occidentali Ecclesia celebrata est in Parasceve. In Hispaniis abusus ille irrepserat, ut Ecclesiæ hac die essent clausæ, & prorsus ab omni sacra cæremonia & divino cultu feriarentur; quem abusum sustulit Concilium Toletanum IV. Can. 7. *Comperimus, quod per non nullas Ecclesias in die Sextæ Feriæ Passionis Domini, clausis Basilicarum foribus, nec celebratur Officium nec Passio Domini populis prædicatur, dum idem Salvator noster Apostolis suis præceperit dicens: Passionem & Mortem & Resurrectionem meam omnibus prædicate. Ideo oportet eodem die Mysterium Crucis, quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur, Corporisque ejus & Sanguinis Sacramentum mundi a peccatis sumamus.*

Sacerdos in Missa Præsanctificatorum sumit veram Corpus & Sanguinem Christi. Vinum non consecratur ex immersione particulæ in calicem.

153. Præterea ait Hugo, nullo modo negari posse, Sacerdotem hac die sumere Christi Corpus & Sanguinem; utrumque enim revera esse sub specie panis, præcedenti licet die consecrati: additque id in causa esse, cur vinum non servetur die præcedenti consecratum, quod periculo irreverentiæ actio ista non careat. Quidam Græcorum contendunt, sumi in Missa Præsanctificatorum Corpus & Sanguinem tum sub specie panis, tum etiam sub specie vini; putant enim, per immersionem particulæ in calicem, ex Sacratissima Hostia detractæ, transubstantiationem fieri vini in Sanguinem. Sed hi sunt recentiorum Schismaticorum errores. Veteres enim Græcorum semper credidere, ut ipsi credimus, non aliter vinum posse consecrari, quam proferendis verbis, quæ formam constituunt Sacramenti, ut animadvertit Christianus Lupus ad Can. 52. Conc. Trullani tom. 2. veter. edit. pag. 956. *Verum respondeo, hæc esse novella Schismaticorum commenta. Antiqui omnes Græci nobiscum credidere, Eucharistica elementa sine mysticis verbis non posse consecrari. Quocirca non ab ipsis elementis hæc Missa vocatur Præsanctificatorum, sed a rebus contentis: quod nempe sub unica panis specie sit non solum Domini Corpus, sed & Sanguis.*

Quidam ex Latinis in eadem fuere sententia, qua Græci Schismatici, vinum consecrari per immersionem Corporis Christi.

154. Nemo profecto inficiabitur, quosdam etiam fuisse inter nostros Latinos Scriptores, eosque Catholicos, qui affirmarunt, in Missa Præsanctificatorum Corpus & Sanguinem sumi sub specie non modo panis, sed etiam vini, quod vinum consecretur vel per orationem *Pater noster*, vel per immersionem particulæ panis consecrati in Calicem injectæ. Durandus in Rationali lib. 6. cap. 75. hanc quæstionem proponit: *Numquid vinum, quod in die Parasceve cum Dominico Corpore servato sumitur, in Altari consecratur, & Sanguis Christi efficitur per immissionem ipsius Corporis in Calicem, & ejus tactum?* Cui quæstioni respondet: quosdam esse, qui putent, vinum effici Sanguinem Christi, Micrologum & Amalarium innuens: *Super hoc dicunt quidam, quod per Dominicam Orationem, quæ tunc dicitur, fit consecratio, seu commutatio vini in sanguinem.* Id vero ait minime verum esse; nam si ea vis esset Orationis Dominicæ, panis etiam consecraretur, atque inde existeret illud absurdum, quod supervacaneum esset ad sextam Feriam reservare panem præcedenti die consecratum. *Nos tamen hoc non dicimus; quia si hoc jam esset, non esset necesse Corpus Domini ad diem illum reservari:* ac statuit, vinum sanctificari quidem contactu sacræ particulæ, non vero consecrari, neque ejus transubstantiationem fieri in Sanguinem Christi. *Dicimus ergo illud non consecrari, sed sanctificari. Differt autem inter hæc: nam consecrari est consecratione transubstantiari; sanctificari est ex contactu, seu admixtione sacræ rei reverendum & sanctum effici, ut patet in aqua benedicta.* Sylvius tom. 5. suorum Operum edit. Antuerpien. in Oratione I. *De Officio Parasceves*, more suo accurate tractat hoc argumentum, & quæ objiciuntur auctoritates explicat; magnum intercedere discrimen ostendens inter consecrari, & sanctificari. *Vinum enim sanctificari est ex admixtione, vel contactu rei sacræ reverendum & sanctum effici: consecrari vero est illud vi verborum consecrationis transubstantiari in Sanguinem Christi.*

Hæretici, qui pugnant pro Communione sub utraque specie, eam amplexi sunt sententiam. Eos confutavit egregie Mabillonius. Ab ea sententia semper abfuit Romana Ecclesia.

155. Hæretici, qui adversus Ecclesiæ sensum pugnant pro Communione sub utraque specie, libenter eorum amplectuntur sententiam, qui in Missa Feriæ sextæ existimarunt, per particulam sacratissimæ hostiæ in Calicem injectam vinum consecrari; ita enim se ab eo argumento liberant, quod adversus eos depromimus ex ea Missa, in qua Sacramentum sumitur sub unica specie panis. Sed eos magno in errore versari ostendit Mabillonius to. 2. Musæi Italici in Commentar. ad Ord. Roman. §. 12. & sequen. ubi veterem fuisse docet controversiam, utrum per particulæ contactum vinum consecraretur: quod observavit etiam Georgius Cassander in sua Liturgia cap. 31. pag. 76. Ecclesiam Romanam semper existimasse, non consecrari; in aliquo ex Ordinibus Romanis reperiri ea verba: *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem;* ea tamen in textum inducta apparere; Patrum & gravissimorum Scriptorum summum in eo esse consensum, ut doceant, nonnisi vi verborum Christi, quæ Sacerdos proferat, vinum consecrari; Feria sexta Majoris Hebdomadæ propter ejus diei mœrorem Præsanctificatorum Missam esse introductam, panem pridie ejus diei consecratum a Sacerdote; non autem vinum sumi, quod panis facile conservari possit sine periculo

UAB Biblioteca de Ciències Socials

riculo irreverentiæ, vinum vero non item; disciplinam denique idcirco invectam, ut vinum & aqua in Calicem infundatur, atque eo injiciatur sacræ hostiæ particula, ut a Christo instituta ad exemplum convivii sacra Communio eo modo exprimeretur, qui esset Cœnæ Christi accommodatior. *Nimirum quia Communio sacri convivii rationem habet, ex cibo & potu debet constare. At quoniam altera Eucharistiæ species in crastinum reservanda haud videbatur, nec isto biduo Sacramenta celebrari mos sinebat; inde factum est, ut ex puro vino aqua mixto, sed tamen particula Eucharistiæ sanctificato altera convivii pars, videlicet potus, suppleretur.* Plura etiam, quæ cum iis quæ scribit Mabillonius, consentiunt, reperias apud Vet. cit. tom. 4. pag. 293. & sequen. Herminier tractatu de Sacramentis tom. 2. cap. 15. ubi agit de forma Eucharistiæ, animadvertit, in pluribus vetustis Missalibus Galliæ, Angliæ, Germaniæ, & Hispaniæ hunc loquendi reperiri modum, vinum nempe sanctificari, & Christi Sanguinem fieri, cum Hostia consecrata in calicem injicitur; sed hanc fuisse docet quorundam parum sane probabilem opinionem, & ante 9. seculum omnibus incognitam, quam vehementer impugnavit S. Bernardus Epist. 69. Joannes Belletus cap. 99. & Jacobus Cardinalis de Vitriaco Histor. Occidentalis cap. 38. Idem Herminier, quod supra innuimus, eodem loco confirmat, Romanam Ecclesiam numquam ejusmodi amplexatam esse doctrinam; eaque verba ex quodam Ordine Romano, *Sanctificet autem vinum consecratum per sanctificatum panem*, abesse monet a veteribus Codicibus Vaticano, Corbejensi, & Colbertino, juxta ea, quæ scripsit loco cit. Mabillonius. Alcuinum, Micrologum, Amalarium, & Ordinem Romanum modo nominatum commemorare non prætermisit Bossuetus Meldensis Episcopus tract. *de Communione sub utraque specie* vol. 5. suorum Operum edit. Argentinen. pag. 254. & invictis probat argumentis, eos Scriptores nunquam sensisse, sanctificationem ex hostia in vinum injecta veram esse consecrationem, qua vinum convertatur in Sanguinem; sed existimasse eam sanctificationem inferioris esse ordinis, alteriusque naturæ, cujusmodi eam describit S. Bernardus Epist. 69. qui ait, vinum cum hostia consecrata mistum, etiamsi non ea peculiari solemnique Consecratione consecratum sit, qua in Sanguinem Christi convertatur, sacrum tamen esse ex Corporis Domini Nostri contactu, sed longe diversa ratione ab ea, quæ fit virtute verborum, quæ ex Evangelio desumpta sunt.

156. In hac Feria sexta nulli sacra præbetur Communio, nisi forte gravis quædam necessitas urgeat, juxta Rubricam Missalis Romani: *Hodie* (Feria 5.) *reservat Sacerdos in loco decenti & convenienti hostiam consecratam pro die sequenti, in quo non conficitur, vel etiam plures, si necesse fuerit, pro infirmis.* Sed non hanc semper fuisse disciplinam, & hac etiam die populo sacras particulas distribui consuevisse, quæ pridie essent consecratæ, probant certissima monumenta, ut ostendimus institutione 18. tom. 11. Porro quanta fuerit veterum Christianorum hac die jejunii severitas, docuimus institutione 16. tom. XI. pag. 98.

Nulli in hac die sacra Communio præbetur, etsi non ea semper fuit disciplina.

CAPUT VIII.

De Sabbatho Sancto.

Quod Mysterium hac die recolat Ecclesia. Cur ferme instituatur etiam de Christo revivisente

1. Feriæ sextæ in Parasceve succedit Sabbathum Sanctum. Hoc die sacram illam & mysterii plenam Christi quietem in sepulcro, ejusque descensum ad inferos, seu statum illum Jesu Christi, quandiu anima a corpore fuit sejuncta, recolit Ecclesia. Quamobrem hujus diei Mysterium satis aperiri videtur, si duo ista explicentur. Sed cum ex ea, quæ nunc viget, disciplina sacræ complures aliæ hoc Sabbatho peragantur cæremoniæ, quæ Resurrectionem Domini respiciunt, & ipsa Missa in hac die celebretur de Resurrectione, necessarium propterea putamus de Christo etiam a morte revivisente sermonem habere.

Vetus disciplina non rite. dendi ab Ecclesia ante mediam noctem in Pervigilio Paschæ. Mos celebrandæ Missæ in nocte ante Paschæ viguit usque ad ætatem Durandi, & Valdensis, etsi jam tum cœpta ejus anticipatio ejus Missæ.

2. Ex Decreto, quod innuimus Innocentii I. nec Feria sexta, nec Sabbatho Divina mysteria celebrabantur. Introducta est in Occidentalem Ecclesiam Præsanctificatorum Missa feria 6. in Parasceve celebranda. Ejusmodi Missæ celebrandæ Ritus non potuit extendi etiam ad Sabbathum: cum enim ejus diei Officium post horam nonam incipiat, & desinat ad Solis occasum, nihil temporis præsantificatorum Missæ celebrandæ suppetebat, ut bene advertit Bailletus in Historia hujus diei §. 2. Docet Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 4. morem tum fuisse celebrandi Missam in nocte Sabbathi. *Quis solemnibus Paschæ adnoctantem securus sustinebit?* Et Hieronymus in cap. 25. Matthæi testatur, ex Apostolica traditione populum ante mediam noctem non consuevisse ab Ecclesia discedere in Pervigilio Paschæ. Iis etiam temporibus, quæ consequuta sunt, ejusmodi viguit disciplina; scribit enim Theodorus Balsamon ad Canonem 90. Trullanum, pios Christianos totum in Ecclesia Sabbathum exigere solitos fuisse; sexta vero noctis hora, hoc est media nocte, communicare, & hora noctis septima matutinæ Psalmodiæ adesse. Durandus, qui vivebat anno 1280. lib. 5. Rationalis c. 76. testatur, ad suam usque ætatem in quibusdam Ecclesiis morem ejusmodi retentum. Idem affirmat Thomas Waldensis cap. 25. tom. 3. Doctrinalis, idest post annum 1400. Fatendum tamen ante ætatem Durandi, & Valdensis cœptam esse Missæ anticipationem. Etenim Hugo de S. Victore, qui obiit anno 1140. lib. 3. de specialibus Missæ observationibus c. 21. *Jam fere*, inquit, *transacto die Sabbathi Officium hoc celebrarunt*, (Veteres nimirum Missam Sabbathi Sancti) *sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit destinatum*. Nunc canitur Missa circa meridiem: & quamquam anticipatur tempus, non ideo tamen quidquam in orationibus est immutatum, in quibus fit noctis mentio; nam in Collecta hæc leguntur: *Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras*; & in Præfatione: *In hac potissimum nocte*; & alibi *Communicantes, & noctem Sacratissimam celebrantes*.

Non decuit, Corpus Christi putrescere in sepulcro ex D. Thoma.

3. D. Thomas 3. par. q. 51. ar. 3. quæstionem proponit, *utrum corpus Christi fuerit in sepulcro incineratum*; & respondet, non decuisse Christi corpus putrescere; etsi enim, si spectetur conditio naturæ passibilis, putrescere poterat; non tamen putrefieri potuit, si ratio habeatur meriti putrefactionis, quod est peccatum; ac proinde tribuit virtuti Divinæ, quod Christi Corpus immune servatum sit a corruptione, & ab illa maledictione Genes. c. 3. v. 19. *Pulvis es, &*

in

in pulverem reverteris. Oraculum illud Pſalmi 15. v. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, docet Petrus Apoſtolus Act. cap. 2. v. 31. in Jeſu Chriſto eſſe impletum: *Providens loquutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in Inferno; neque caro ejus vidit corruptionem*. Neque huc quidquam amplius addendum putamus, qui de incorruptione Corporis Chriſti jam diſſeruimus lib. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 1. cap. 30. num. 2. Sylvius expendens D. Thomæ verba loc. cit. in reſponſ. ad ſecundum, ubi S. Doctor Corpus Chriſti docet, *quantum ad conditionem naturæ paſſibilis, fuiſſe putrefactibile*; hæc ſcribit: *Ita nimirum, ut non obſtante unione Verbi, mori & putrefieri potuiſſet, ſi nullum aliud miraculum acceſſiſſet*.

Chriſti anima deſcendit ad Inferos.

4. Agit itidem D. Thomas in 3. par. de animæ Chriſti deſcenſu ad Inferos. Si quis vero quæcumque eo pertinent, cupiat ſibi dari adverſus hæreticos pulchre explicata, & ad exactam examinis trutinam revocata, adeat Bellarminum tom. 1. Controverſ. lib. 4. de Chriſti anima a cap. 1. uſque ad 16. integrum, Petavium Theologicor. Dogmat. lib. 13. cap. 15. & ſeq. Eſtium lib. 3. diſtinct. 22. §. 2. Thomaſſinum Theologic. Dogmat. tom. 2. lib. 4. c. 9. Plura ſunt in Sacris paginis loca, unde ad illud Fidei dogma probandum depromuntur argumenta. Pſalmo 15. v. 10. *Non relinques animam meam in Inferno*. De Chriſto dixit Zacharias cap. 9. v. 11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*. Regius Pſaltes pluribus in locis ex perſona Chriſti ait, ſuam ad Inferos animam deſcendiſſe, atque inde abiiſſe. Et Sapientia divina in Eccleſiaſtici cap. 24. v. 45. *Penetrabo*, inquit, *omnes partes inferiores terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*.

Locus Ep. Beati Petri c. 3. explicatus.

5. Celebris vero eſt textus Epiſtolæ 1. v. 18. D. Petri cap. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. Ad illius Epiſtolæ D. Petri caput tertium adde illud ex capite quarto v. 6. *Propter hoc & mortuis evangelizatum eſt, ut judicentur quidem ſecundum homines in carne, vivant autem ſecundum Deum in ſpiritu*. Qui textus ſi intelligatur de prædicatione facta in diebus Noe, omnino non videmus, qui verba ſecum ipſa conſtent. Et ſane quomodo hæc cohæreant; Chriſtus in Paſſione ſua mortuus eſt carne, ſed vivus remanſit in ſpiritu; idcireo Deus olim prædicavit hominibus per Noe? ut bene animadvertit Bellarminus loco cit. c. 13. *Si hic locus intelligatur de prædicatione facta in diebus Noe, non apparet, quorſum hic ſit inſerta iſta narratio. Quomodo enim iſta cohærent: Chriſtus in Paſſione ſua carne mortuus eſt, ſpiritu vivus manſit: ideo Deus olim prædicavit hominibus per Noe?* Contra ſi intelligatur de deſcenſu Chriſti ad inferos, optime omnia inter ſe nexa cohærent. Cum enim Petrus voluerit oſtendere, Chriſtum paſſum, & mortuum remanſiſſe vivum quoad animam, id optime confirmat, ſi dicat animam Chriſti ad Inferos deſcendiſſe, atque ibi ſpiritibus eo carcere detentis prædicaſſe, iis præſertim, qui diluvii aquis fuerant abſumpti, quique credideranr, & in extrema vita pœnitentiam egerant, ſed de eorum ſalute dubitabatur. Videatur Eſtius in cap. 3. Ep. 1. D. Petri num. 20. ubi notat. Petrum eorum, qui in diluvio interierunt, mentionem facere, *quia nunquam tanta hominum multitudo ſimul periit, & ſecundum animas ad Inferna deſcendit*; & quia inde commoda erat Apoſtolo tranſitio ad loquendum de Baptismo (*quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma*) cujus figura fuit Arca Noe.

Communis conſenſus Patrum de Chriſti deſcenſu ad Inferos. Ex Ruffino fortaſſe hæretici impulſi ſunt ad negandum ejuſmodi deſcenſum.

6. Verum omnis in hac re ſublata eſt difficultas communi omnium Patrum Græcorum & Latinorum conſenſu, quorum dicta in unum congeſſere Bellarminus, & Petavius. Quamobrem Thomaſſinus loc. cit. pag. 283. optime concludit: *Tanta eſt antiquorum utriuſque Eccleſiæ Patrum ab ipſis uſque primis Chriſtiani nominis temporibus concordia & conſpiratio, tanta proinde omnium conſenſio Eccleſiarum in hunc Chriſti ad Inferos deſcenſum, ut ſine injuria Fidei Catholicæ nemo ſecus ſentire poſſit*. Ruffinus in expoſitione Symboli Apoſtolorum, *Sciendum*, inquit, *ſane eſt, quod in Eccleſiæ Romanæ Symbolo non habetur additum*, Deſcendit ad Inferos; *ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo. Vis tamen verbi eadem eſſe videtur in eo, quod ſepultus dicitur*. Ex hoc Ruffini loco credibile eſt, hæreticos de prompſiſſe rationem, quamobrem Chriſti deſcenſum negarent ad Inferos. Levis tamen in Eccleſia Ruffini auctoritas, quem Origenianis contactum erroribus nemo eſt qui neſciat. Præterea non de Symbolo Apoſtolorum loquitur, ſed de Nicæno, aliiſque Symbolis.

Symbola non omnes ſed vel potiores, vel in controverſia poſitos articulos continent.

7. Sed dubitatio ſummovetur omnis, ſi animadvertamus, non omnes Fidei articulos in Symbolum Patres voluiſſe conjicere, ſed vel potiores, vel eos, de quibus per ea tempora aliqua eſset coorta controverſia. Neque vero, quod in quibuſdam Symbolis ille non contineatur articulus, inde ſequitur, non habitum fuiſſe a Patribus unum ex Fidei capitibus, cum præſertim in plurimis aliis Symbolis diſertiſſime legatur expreſsus. Vide, quæ ſcripſit eruditus vir Joſephus Blanchinus in *Enarratione Pſeudo Athanaſiana in Symbolum*, Veronæ anno 1732. pag. 51. & ſequ. Natalis Alexander Diſſert. 12. Sæcul. I. obſervat; in noſtro Symbolo haberi *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus: deſcendit ad Inferos*: in Aquilejenſi paſſionem & mortem prætermitti: *Crucifixus ſub Pontio Pilato*, & *ſepultus deſcendit ad Inferos*; & in Romano, cæteriſque Orientalibus Symbolis non inveniri deſcenſum ad Inferos. Verum monet, in Aquilejenſi Symbolo nullatenus prætermitti Paſſionem & mortem, quæ in crucifixione & ſepultura continentur; neque itidem in Romano cæteriſque Orientalibus Symbolis deſcenſum ad Inferos prætermiſſum videri, qui in ſepultura comprehenſus intelligitur; quemadmodum enim Chriſti corpus ad locum ſuum deſcendit, ad terram ſcilicet, qui locus eſt corporum; ita ejus Anima ad animarum locum deſcendit, ad eam nimirum Inferorum partem, in qua Sanctorum animæ veluti captivæ detinebantur, ut eas illinc eriperet, & triumphator ſecum una ſublimes in Cœlum duceret.

Corpus Chriſti quievit in ſepulcro; Anima deſcendit ad Inferos. Divinitas cum Corpore & Anima licet ſeiuncta hypoſtatice fuit unita ex Divo Thoma.

8. Itaque Corpus Chriſti quievit in ſepulcro, anima deſcendit ad inferos; Divinitas vero neque a corpore, neque ab anima fuit ſejuncta, ſed cum iis, licet ſeparatis, hypoſtatica unione conjungebatur; quod egregie probat D. Thomas 3. par. quæſt. 50. artic. 2. ubi ait, donum, quod per gratiam Dei conceditur, ſine culpa non revocari; ac propterea cum nulla in Chriſto fuerit culpa, fieri non potuiſſe, ut in illius morte ſolveretur unio hypoſtatica, & divinitas a carne ſepararetur; præſertim cum unionis gratia maxima ſit, & maxime permanens: *Et etiam magis per-*

permanens ex sui ratione, quia hæc gratia ordinatur ad unionem personalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem; & tamen videmus; quod gratia adoptionis numquam perditur sine culpa. Cum igitur in Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit, quod solveretur unio Divinitatis a carne ipsius. Et ideo sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundum personam & hypostasim Verbo Dei, ita & remansit unita post mortem, ut scilicet non esset alia hypostasis Verbi Dei, & carnis Christi post mortem. Idem S. Doctor eandem confirmat doctrinam in 3. sent. dist. 21. q. 1. ar. 1. Quod si in morte Christi Divinitas a corpore non fuit separata, docet S. Doctor ead. 3. par. qu. 50. art. 3. multo minus ab anima fuisse sejunctam: *Anima unita est Verbo Dei immediatius, & per prius quam Corpus, cum corpus sit unitum Verbo Dei mediante Anima. Cum ergo Verbum Dei non sit separatum in morte a corpore, multo minus separatum est ab anima.* Quapropter in Catechismo S. Tridentinæ Synodi ad expositionem quarti Articuli habentur hæc verba: *Quare cum Jesum mortuum esse dicimus, id significamus, ejus animam a corpore divisam esse: neque tamen concedimus Divinitatem sejunctam a corpore; quin potius constanter credimus, & confitemur, animam ejus a corpore divisa, Divinitatem tum corpori in Sepulcro, tum animæ apud Inferos conjunctam semper fuisse.* Refert Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini lib. 17. c. 6. num. 6. Religiosum quendam hominem, nomine Amantem, Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, Episcopi Sebenicensis Theologum, quod in Sessione quadam affirmaverit, in morte Christi Divinitatem a corpore fuisse divisam, palinodiam recantare coactum: & Historiæ Concilii Tridentini a Paulo Sarpio conscriptæ nuperrimus Scholiastes Petrus Franciscus Courayer tom. 2. pag. 234. num. 31. quamvis Pallavicinum audaci sane, sed minus felici conatu susceperit refellendum, ea super re cum eo haud gravate consentit.

Sanguis triduo illo, quo Corpus Christi jacuit in Sepulcro, unitus fuit hypostatice Verbo Dei.

9. Quo tempore Christi corpus jacebat in sepulcro, ejusque anima ad Inferos descenderat, diximus neque a corpore neque ab anima fuisse Divinitatem separatam. Utrum vero Sanguini, qui in Passione effusus est, conjuncta fuerit, antequam Christus reviviscens Sanguinem illum in suum corpus receperit; seu, quod idem est, utrum Sanguis triduo illo hypostatice unitus remanserit Verbo Dei, gravis in Ecclesia fuit controversia; quam ipsi exposuimus tom. 2. de Canonizat. Sanctor. cap. 30. num. 4. & sequ. Verum postquam definivit S. Tridentina Synodus Sess. 13. cap. 3. esse in Eucharistia Corpus sub specie panis, Sanguinem sub specie vini, & animam sub utraque specie vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam resurrexit ex mortuis non amplius moriturus, inter se copulantur; cumque dubitari non possit, Sanguinem veram fuisse Christi partem, statuendum est, quemadmodum Corpus, quod humanitatis Christi pars fuit, Verbo fuit conjunctum, ita Sanguinem ejusdem Humanitatis partem, quique rursus in Resurrectione assumendus erat, eadem plane ratione Verbo fuisse unitum, ut qui hodie hujusmodi doctrinam negaret, erroris esset omnino accusandus.

Animæ Christi per essentiam suam descendit ad finum Abrahæ, non tamen per essentiam suam, sed per suum effectum descendit ad Infernum. Durandi rejecta opinio. Nihil acerbi sensit Christus in Inferis.

10. Quibus ita constitutis, quasdam breviter proponemus quæstiones, quæ de animæ Christi descensu ad Inferos a Theologis agitari solent. Prima est, utrum anima Christi subsantiali præsentia sua, an sua tantum potentia & operatione in omnem Inferorum locum descenderit. Durandus in 3. sentent. Distin. 22. vult, Christi animam ad Inferos descendisse *secundum effectum & operationem, quam in illo Divinitas, sive anima Christi sit operata*: cui tamen assentiri nullo pacto possumus. Christus enim vere & re ipsa descendit ad Inferos; quo factum est, ut ejus anima illic præsens fuerit. Quamobrem D. Augustinus ep. 99. *Secundum*, inquit, *creaturam eam, quam ex quodam tempore suscipiendo manens Deus homo factus est, hoc est secundum animam eum fuisse apud Inferos aperte Scriptura declarat, & per prophetiam præmissa, & per Apostolicum intellectum satis exposita, qua dictum est: Non derelinques animam meam in Inferno.* Id ipsum docuit Lateranense Concilium sub Innoc. III. in Cap. *Firmiter* de Summa Trinitate & Fide Catholica. Consentiunt Theologi, qui illud etiam quærunt, an descensus ad Inferos gravis Christo fuerit & acerbus. Nihil acerbitatis Christum sensisse respondent; tum quia, quæ anima ab omni peccato pura & integra sit, a corpore simul ac fuerit sejuncta, nihil amplius potest pati; tum quod si, retardato ad Cælum ascensu, quidpiam molestiæ Christus accepisset, multo sane graviorem accepisset molestiam in illo quadraginta dierum spatio, quod inter Resurrectionem & Ascensionem interjectum est; quod a nemine adhuc dictum esse comperimus, ut notat Sylvius in 3. par. D. Thomæ Quæst. 52. art. 1. Itaque Catholica veritate constabilita, quod anima Christi substantiali præsentia descenderit ad Inferos, reliquum est ut quæramus, an in omnibus Inferni locis præsens fuerit. D. Thomas 3. par. ead. quæst. 52. ar. 2. respondet, Christi animam per essentiam suam descendisse ad illum Inferorum locum, qui Limbus dicitur, seu sinus Abrahæ, ubi Patriarchæ & Justi ante Christum mortui detinebantur; non autem per suam essentiam, sed per suum effectum descendisse ad Infernum, ubi perpetuis pœnis reprobi addicti sunt, & ad Purgatorium, quo animæ conjectæ fuerant eorum, qui amici quidem Dei mortem obierant, sed nondum temporalibus pœnis Divinæ justitiæ satisfecerant; & reprobos quidem de eorum incredulitate & malitia coarguisse, qui vero in Purgatorio erant, iis spem dedisse consequendæ gloriæ.

Quid contulerit Justorum animabus Christi ad Inferos descensus Christi ad Inferos?

11. Secunda quæstio est, quid Justorum animabus Christi ad Inferos descensus contulerit. D. Augustinus epist. 164. ad Euodium tom. 2. op. col. 476. §. 8. se id nescire fatetur: *Illis justis, qui in sinu Abrahæ erant, cum ille* (Christus) *in Infernа descenderet, nondum quid contulisset inveni, a quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ Divinitatis nunquam video recessisse.* Verum lib. 20. de Civit. Dei cap. 15. to. 7. op. præcit. edit. col. 593. scribit, eorum animas in Inferno, idest in Sanctorum Patrum Limbo, fuisse ab omni prorsus pœna sensus exemptas, acerrimo tamen inde abeundi desiderio esse incensas, ut Paradisi gloriam assequerentur. *Non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt Fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud Inferos fuisse, donec inde eos Sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.* Quæ quidem viam aperiunt ad respondendum, quemadmodum communiter respondetur, Sanctos Patres, etsi ab originali labe, & omni peccato actuali, atque etiam omni reatu pœnæ pro peccato actuali liberati essent per Fidem Christi, non tamen a reatu pœnæ originalis peccati absolutos fuisse, propter quem reatum, nondum humanæ redemptio-

ptionis persoluto pretio, a vita gloriæ excludebantur: eo prorsus modo, quo Fideles Christi per Baptismum a peccatorum, quæ in se admiserint, atque etiam a peccati originalis reatu, quantum ad exclusionem pertinet a gloria, absolvuntur, adhuc tamen remanent obligati reatu peccati originalis, quantum ad necessitatem moriendi. Quapropter si Sancti Patres in sinu Abrahæ nondum erant a peccati originalis reatu liberati, Christus descensu suo ad Inferos duo illis contulit beneficia; alterum, quod iis beatificam visionem attulit, in qua summa hominis beatitudo posita est; alterum, quod eorum animas ex illo loco liberavit, ut optime de hac re tota disputat S. Thomas 3. par. q. 52. art. 5.

An Christus liberaverit animas in Purgatorio detentas, & pueros non expiatos a peccato originali.

12. Tertia quæstio est, aut Christus descensu ad Inferos animas in Purgatorio detentas, & puerorum item animas liberaverit, qui e vita erepti essent, antequam iis remedium illud esset adhibitum, quo originale peccatum delebatur. Quod ad Purgatorii animas attinet, docet S. Thomas loc. cit. art. 8. eas fuisse liberatas, quæ Divinæ Justitiæ jam satisfecerant, & nihil in iis erat reliquum quod purgaretur; ut etiam illas, quæ pio quodam erga Christi Passionem affectu meruerant, ut descendente Christo ad Inferos pœnis temporalibus Purgatorii absolverentur. Animas vero puerorum, qui cum peccato originali obiissent, idem S. Doctor loc. cit. art. 7. negat fuisse liberatas. Eos enim Christus liberavit, qui sibi per Fidem & Charitatem essent conjuncti; Pueri vero, qui libero arbitrio non fuerint compotes, nec per fidem parentum, aut per aliquod Fidei Sacramentum a peccato originali mundi essent, filii erant iræ, & vasa contumeliæ. Quapropter Africani Episcopi in Sardinia exules in Epistola Synodica scribunt: *De parvulis indubitanter tenenda Catholicæ religionis regula veritatis, quia parvulus, qui baptizatur, gratuita Dei bonitate salvatur: qui vero sine Baptismo moritur, propter peccatum originale damnatur.* Ea autem damnatio cujusmodi sit, & an posita in eo sit, ut Beatitudine tum supernaturali, tum naturali careant, omni tamen pœna sensus vacui; an vero eadem privati sint beatitudine cum levi quadam pœna sensus, etiamnum inter se Theologi disputant.

An Christus aliquos ecceteris hus Philosophis descendens ad Inferos liberaverit.

13. Ultima quæstio est, an Christus descendens ad Inferos veterum Philosophorum quosdam inde eripuerit. Sed si illi in damnatorum inferno detinebantur, Catholica Fide docemur, nullam esse in Inferno redemptionem. Ne ipsos quidem infantes, qui cum peccato originali mortui essent, modo ostendimus a Christo esse liberatos. Quamobrem ne comminisci quidem rationes ullas possumus, cur affirmemus, ereptos ex Inferno eos fuisse Philosophos, qui illuc conjecti essent, vel quod nullam in Christum Fidem habuerint, vel, si quam Fidem implicitam habuere, nullam conformitatem habuerint ad charitatem Christi patientis, ut ait D. Thomas loc. cit. art. 6. Tostatus Paradox. 5. cap. 132. putat probabile, Socratis, Platonis, & Aristotelis animas in Sanctorum Patrum Limbo fuisse, quod implicitam in Christum Fidem habuerint, & integram a gravibus peccatis vitam egerint, atque inde a Christo fuisse ereptas. *Ex quo satis rationabile videtur, quod animæ Socratis, Platonis, & Aristotelis, similiumque Philosophorum ad Limbum morte ipsorum descenderint; postea autem cum Christo resurgente inde in æthereas ascenderint mansiones. His quippe vita studiosa erat, & vitia castigabantur ad unguem, ne quid inhonestum eis accideret, acutissime advertebant. Quod satis colligi datur, si eorum dicta & facta ex historiis Philosophorum advertamus.* Nicetas in Orat. 42. S. Gregorii Nazianzeni narrat, Platonem, ubi primum Christum in Inferno prædicantem audivit, in eum credidisse. *Cum diu antea vita functus a quodam Christiano maledictis, conviciisque ut improbus & impius laceratus esset, nocte ad conviciatorem suum venit, hominemque accusavit, ut inique in ipsum maledictis incessentem. Ego enim, inquit, me peccatorem esse haudquaquam inficias ivero: verum cum Christus in Infernum descendit, nemo ante me ad Fidem accessit.* Sed hæc sunt somnia & deliramenta; non quod fieri non potuerit, ut quidam ex ethnicis salvi sint per Fidem saltem implicitam divinæ providentiæ, quod crediderint, Deum esse humani generis liberatorem secundum modos sibi placitos; aut per Fidem adventus Christi peculiari revelatione cognitam, quæ doctrina est D. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad tertium: sed quia incompertum omnino est, eos Philosophos ejusmodi Fidem habuisse, quos alioqui constat recte scripsisse, non recte vixisse. Bellarminus loc. cit. cap. 15. in fine Nicetæ historiam tamquam fabulosam & commentitiam explodit. Petavius autem loc. cit. c. 18. n. 13. apposite ad hanc rem: *Quamvis*, inquit, *nonnulla præclare ab illis dicta, factaque legantur, quæ videntur indicia multarum esse, magnarumque virtutum, tamen & ipsa non expressa, neque solida erant, sed adumbrata, & ad verborum speciem efficta, tum multo pluribus iisque certis & turpissimis flagitiorum notis dedecorata sordebant.* Et Thomassinus loc. cit. cap. 9. in fine: *Nil tutius*, ait, *nil sapientiæ & sobrietatis regulis accommodatius, quam communi Fidelium sensui & credulitati adhærescere, liberatos scilicet a Christo non philosophos, non quoscumque alios, nisi qui in gratia & amicitia Dei e vivis excessissent.* Pulchram Calmetus Dissertationem edidit, num ethnici, quibus Lex Moysis, aut Evangelium incognita fuere, potuerint æternam salutem consequi; & ostendit, Sanctos illos ante legem Moysis, puta Seth, Noe, Melchisedech, qui Fidei lumine Deum cognoverunt, & puro, religioso que cultu, & innocentia vitæ coluerunt, salutem æternam adeptos; Philosophos vero, qui naturali lumine Deum habuere cognitum, tantoque beneficio abusi ejus opem non imploraruntur, sed fœdo Idolorum cultui hæserunt, corruptisque moribus se commaculaverunt, inter quos Socrates, Plato, Seneca, neque salutem æternam consequutos, neque a Christo ad Inferos descendente liberatos esse.

Differitur de Resurrectione. Cur de ea sermo inficiatur. Totius reliqui hujus Sermonis distributio in quinque partes.

14. Quicquid hactenus de Christi descensu ad Inferos disseruimus, egregie Suarez persequitur tom. 2. 3. part. disp. 43. sect. 1. & sequentibus, quarum in postrema animadvertit, tandiu animam Christi apud Inferos permansisse, donec in Resurrectione denuo corpori jungeretur. Quantum vero temporis inter mortem & Resurrectionem elapsum sit, mox examinabimus. Cum enim in Sabbathi Sancti cæremoniis Resurrectionis celebretur Mysterium, postulare videtur instituta sermonis nostri ratio, ut de Resurrectione quoque verba faciamus. Atque, ut ordine agamus, tractationem omnem in quinque capita putavimus dividendam. Primo veritatem Resurrectionis demonstrabimus; secundo de tempore & hora, qua Christus revixit, differemus; tertio ejus circumstantias afferemus; quarto de qualitate [illegible] resurgentis agetur; postremo de iis, qui [illegible] rexerunt cum Christo, sermonem habebimus.

15. Di-

BIBLIOTECA DE CATALUNYA - GENERALITAT DE CATALUNYA

Rationes quinque ex D. Thoma, quamobrem opus fuit ut Christus reviviscceret.

15. Divus Thomas 3. par. qu. 53. art. 1. probat, necessarium fuisse, Christum ex mortuis resurgere. 1. ad Divinæ justitiæ commendationem, ut qui se usque ad mortem Crucis humiliasset, exaltaretur a Deo usque ad gloriosam Resurrectionem. 2. ad Fidei nostræ instructionem, ut per Resurrectionem Christi Fides nostra de ejus Divinitate confirmaretur. 3. in nostræ spei solatium, quia dum certo scimus Christum revixisse, ipsi speramus & nos resurrecturos. 4. ad informationem vitæ Fidelium; nam quemadmodum Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, ita nos mortui peccato, vivimus Deo. Postremo ad nostræ salutis complementum; ipse enim rediit ad vitam, ut post Resurrectionem fructus Passionis suæ per Apostolorum prædicationem nos faceret compotes.

De Christi Resurrectione Oracula ex Sacris paginis.

16. Plura sunt in Testamento veteri de Resurrectione Christi oracula. Psal. 114. v. 3. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni invenerunt me &c. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lapsu.* Et Psal. 70. v. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Et Psal. 40. v. 5. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* Christus etiamnum vivus futurum prædixit, ut reviviscceret, apud Matth. cap. 16. v. 21. *Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati a Senioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere*: & apud Joann. cap. 2. v. 19. *Respondit Jesus & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud &c. Ille autem dicebat de Templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt Discipuli ejus, quia hoc dicebat; & crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixit Jesus.* Atque inde factum est, ut Principes Sacerdotum, & Pharisæi peterent a Pilato, ut juberet, custodes per triduum vigilare ad sepulcrum, ne Discipuli Christi Corpus inde auferrent, & dicerent surrexisse; ut est apud Matth. cap. 27. v. 62. *Convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant Discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit novissimus error pejor priore.* Post Resurrectionem suam Christus Dominus multis apparuit, ut alibi demonstrabimus; quod affirmate & libere testati sunt Apostoli Act. cap. 3. v. 15. *Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus*; cap. 4. v. 33. *Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri*; & cap. 10. v. 40. *Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*; & cap. 13. v. 30. *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.*

Testimonia D. Pauli de Christi Resurrectione.

17. S. Paulus item 1. ad Corinthios cap. 15. v. 5. apertissime testatur de Resurrectione Christi, dicens, eum post mortem *visum esse Cephæ, & post hoc undecim*: & statim post v. 6. *Visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt*: & prosequitur v. 7. *Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus*: denique ait: v. 8. *Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est & mihi.*

Huetii animadversio super fide testium de Christi Resurrectione.

18. Perpulchre Huetius Demonstr. Evang. Prop. 9. cap. 142. ostendit, testes de Christi reditu ad vitam nulli esse exceptioni obnoxios. Qui enim credibile est, Apostolos palam testari voluisse, Christum rediisse ad vitam, nisi id revera contigisset, testesque proferre ausos, a quibus mendacii convinci potuissent? Incredibile est etiam, voluisse pro mendacio, cujus ipsi sibi essent conscii, vel pro re, quam non satis exploratam haberent & cognitam, depacisci vitam, atque adeo profundere. Præterea quis putet Apostolos Christi corpus clanculum surripuisse, ut figmentum de Christi ad vitam reditu universo terrarum orbi obtruderent, illuderentque vulgi credulitati? Quod Judæi perfidia quadam vulgari studuerunt. Communi enim Synedrii sententia milites sepulcro appositos pecunia subornaverant, qui dicerent sibi somno oppressis Discipulos Christi corpus clam sustulisse, ut narrat Matthæus cap. 28. Simplices homines, rudes, imperitos, cujusmodi erant Apostoli, meticulosos, & ad satellitum adventum paullo ante trepidantes, tantum facinus ausos esse nemo profecto crediderit; cum præsertim, dum prope essent semisomni satellites, qui levissimo rumusculo excitari poterant, tantum otii superesse Apostolis non potuerit, ut ingentem lapidem sepulchri ostio appositum amoverent, & fascias institasque, quibus Christi corpus constringebatur, disjungerent & explicarent. Illud Huetii argumentum fuse prosequutus est & exornavit Hermannus Witsius Heterodoxus Auctor Sacrarum in Apostolorum Symbolum Exercitat. 19. num. 30.

Pilati testimonium de Christi Resurrectione, itemque Josephi historici.

19. Neque vero prætermittendum, apud ipsos Ethnicos, Judæosque testimonia extare de Christi reditu ad vitam. Constat enim, Pilatum, cum de rebus gravioribus, quæ se Præside in Judæa contigissent, Tiberium, ut mos erat Præsidem Provinciarum, certiorem faceret, Christi quoque mortem, prodigia quæ consequuta sunt, & reditum ejus ad vitam in eos Commentarios retulisse, iisque permotum Tiberium egisse cum Senatu, ut Christus inter Deos adscriberetur. Vide Calmeti Dissertationem de Actis Pilati ad Tiberium Cæsarem missis, quod ipsi quoque pertractavimus lib. 1. de Canonizat. Sanctor. cap. 1. n. 2. Josephi vero lib. 18. Antiqu. cap. 4. luculentissimum est de Christo testimonium; *Fuit*, inquit Josephus, *hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentilibus ad se pertraxerit. Hic erat Christus. Cumque eum a Primoribus Gentis suæ accusatum Pilatus ad Crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum Divini Vates hæc, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.*

Josephi testimonium agnovit Chrysostomus: locus ille est genuinus non subditivus. Spinosa monstrosa & impia doctrina.

20. De eo Josephi testimonio ita Chrysostomus Homilia 5. in Acta Apostolorum: *Esset fortasse sermo suspectus. Quia autem Judæus & æmulator, qui post Evangelium floruit, quomodo non omnibus manifesta sunt, quæ facta?* Si quis vero contendat, a Christianis Josephi historiæ testimonium illud pio dolo assutum, ne ille vel severissimos Criticos anxia & odiosa sedulitate superaverit. Eusebius enim, Hieronymus, Isidorus Pelusiota, Sozomenus, & Nicephorus locum illum Jose-

Joſephi tamquam genuinum & legitimum; in ſuis ſcriptis repræſentarunt; & conſtans & perpetuus omnium codicum, ſive manu exaratorum, ſive formis impreſſorum conſenſus de illo Joſephi fœtu dubitare non ſinit, quis enim credat, ſi a deceptore aliquo ea verba fuiſſent inſerta, nullum omnino Codicem illius manus effugiſſe? De celeberrimo hoc Joſephi teſtimonio verba fecimus cap. 1. lib. 1. de Canonizat. Sanctorum. Bernardus Montfaucon cap 2. Diarii Italici teſtatur, in Codice Ambroſiano Mediolanenſi diligenter inſpecto verba illa, ut in aliis Codicibus reperiuntur, ſe deprehendiſſe. Videatur Antonius Boucat Theol. Patrum tom. 3. diſſert. 2. de exiſtentia Incarnat. Dominicæ art. 5. qui de hac re ſatis abunde ibi diſſeruit. Benedictus Spinoſa, qui ex Judæo Chriſtianus, ſeu qui, ut verius dicamus, vel Judaicam impietatem animo retinuit, vel omnem religionem amiſit, cum videret maximo Reſurrectionis Chriſti miraculo monſtruoſam impiamque corruere ſuam doctrinam, qua omnia miracula evertebat, Epiſt. 25. fatetur, ab Evangeliſtis Reſurrectionem Chriſti creditam oportere, quam cum omnibus ejus adjunctis tam minuta diligentia tradiderunt, ſed, ſalva Evangelii doctrina, eos decipi potuiſſe. Qui vero falli potuerint, explicat Epiſt. 23. ubi ait, Chriſtum allegorice dici ad vitam rediiſſe, *& omnia quæ narrant Evangeliſtæ, non res, ſed apparitiones fuiſſe*. Adverſus tantam nefarii hominis impietatem Lamy Harm. Evangel. lib. 5. cap. 41. vehementer invehitur: & Chriſtum quidem puellam coram ejus parentibus, pauciſque ſuis diſcipulis ait ad vitam revocaſſe; unicum vero mulieris viduæ filium prope Naim coram omnibus, quotquot ejus funus proſequebantur, vitæ reſtituiſſe; Lazari lethalem morbum cum cognoviſſet, Bethaniam veniſſe; ante quatuor dies mortuum, & in monumento conditum cum inveniſſet, juſſiſſe ſurgere, & ad vitam revocaſſe; quo miraculo Judæorum furor acrius in Chriſtum exarſit. Itaque illud concludit, quod, cum veræ horum mortuorum Reſurrectioni, quotquot credunt Evangelio, præbeant fidem, nemini profecto de vera Chriſti Reſurrectione ſubire poteſt dubitatio: *Reſurrectio autem illa, & aliorum certum eſt argumentum, veram fuiſſe Chriſti Reſurrectionem. Teſtes enim Apoſtoli poteſtatis, qua toties viderant, eum de morte fuiſſe victorem, non poterant de Reſurrectione ejus dubitare, quam ipſi oculis, manibus, & omni ſenſu exploraverat*. Adverſus Spinoſam Tractatum de Veritate Reſurrectionis Chriſti conſcripſit Joannes Colerus Lutheranæ Eccleſiæ miniſter Hagæ-Comitum anno 1706. in eadem urbe typis impreſſum, qui etiam Joſephi teſtimonium, de quo ſupra verba fecimus, ut genuinum agnoſcit.

De tempore & hora, qua Chriſtus reſurrexit.

21. Qua die Chriſtus ad vitam rediit, ea hebdomadæ prima eſt: apud nos Dominica, quam Matthæus cap. 28. vocat primam Sabbathi. Sabbathum autem appellat, vel primam hebdomadæ diem, quæ eſt Dominica, vel primam poſt Sabbathum, quæ Dominica itidem eſt, ut bene animadvertit Suarez tom. 2. in 3. par. qu. 36. ſect. 1. neque enim in ſacris paginis novum eſt Sabbathi nomen ad totam ſignificandam hebdomadam uſurpari; quamobrem verba illa Lucæ cap. 18. *Jejuno bis in ſabbatho*, intelligenda de hebdomada; qui enim bis in eadem die quiſpiam jejunare poſſit? D. Auguſtinus Ep. 55. alias 119. cap. 13. *Dies*, inquit, *Dominicus non Judæis, ſed Chriſtianis Reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo habere cœpit feſtivitatem ſuam*. Et Tract. 120. Tom. 3. Oper. in Joann. *Una Sabbathi, quem jam diem Dominicum propter Domini Reſurrectionem mos Chriſtianus appellat*. De ora, qua Chriſtus revixerit, ſacri inter ſe diſſentiunt Interpretes; & Hieronymus ep. 150. ad Hedibiam q. 6. Tom. 1. oper. Col. 824. ait, eam horam hominibus eſſe omnino incognitam. *Angelum autem non putemus idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulcrum Domino reſurgenti, & revolveret lapidem, ſed poſtquam Dominus reſurrexit hora, qua ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt*. Communis tamen ſententia eſt, ſuſcitatum a mortuis illuceſcente aurora diei Dominicæ; quamobrem ſanctæ mulieres, quæ ſummo mane, ac vix orto ſole venerant die Dominica ad ſepulcrum, non invenerunt corpus Chriſti, qui jam ad vitam redierat, ut narrat Marcus cap. 16. v. 2. *Et valde mane una ſabbatorum veniunt ad monumentum orto jam ſole*. Et Lucas cap. 24. v. 1. *Una autem Sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant aromata, & invenerunt lapidem revolutum a monumento, & ingreſſæ non invenerunt Corpus Domini*. Atque ea eſt D. Thomæ ſententia 3. par. quæſt. 53. art. 2. ad tertium: *Chriſtus reſurrexit circa diluculum, illuceſcente jam die, ad ſignificandum quod per ſuam Reſurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat; ſicut mortuus eſt, adveſperaſcente jam die & recedente in tenebras, ad oſtendendum, quod per ſuam mortem deſtrueret tenebras culpæ, & pœnæ*. Baronius ad ann. Chr. 34. num. 173. & 174. ex eo hymno, qui in Eccleſiaſticis Paſcalium Feſtorum Officiis canitur, infert, hanc eſſe Romanæ Eccleſiæ ſententiam. Suarez eandem opinionem loc. cit. ſect. 2. proponit tamquam quæ ſit ad veritatem propior; monetque, Divi Hieronymi, aliorumque Patrum, qui ſcripſerunt, incognitam eſſe horam, qua Chriſtus ſurrexit a mortuis, hunc ſenſum eſſe, nobis horam, ipſiuſque horæ momentum non eſſe compertum. *Nam licet dicamus; Chriſtum reſurrexiſſe poſt inchoatam lucem diei Dominici, ignoramus tamen, quantum tempus illius diei fuiſſet tranſactum*. Calmetus in cap. 28. Matth. §. 2. ait, de hora, qua Chriſtus revixerit, ne verbum quidem fieri in ſacris paginis, hinc factum eſſe, ut ea de re ſacri inter ſe diſſentiant Interpretes; quosdam enim exiſtimaſſe, Chriſtum ad vitam rediiſſe, nocte Sabbathi ineunte; quoſdam paullo poſt mediam noctem; alios vero, appetente aurora Dominicæ; quam ſententiam ut veriſimiliorem amplectitur. Revixit enim Chriſtus haud ita multo ante, quam Angelus deſcenderet, & ſepulcrum aperiret, & terra contremiſceret: quæ omnia cum interea contigerint, dum ſanctæ mulieres venirent ad ſepulcrum, ipſæ autem paullo poſt ſolis ortum; eo pervenerint, preſpicuum eſt, Chriſtum paullo ante ſolis ortum; ſeu illuceſcente aurora ad vitam rediiſſe.

Sententia, quæ ſtatuit paulo ante ſolis ortum Chriſtum rediiſſe ad vitam, duabus obnoxia difficultatibus. Prima difficultas ab hora, qua venerunt ſanctæ mulieres ad ſepulcrum. Conciliantur Evangeliſtæ de hora, qua mulieres venerunt

22. Binæ huic ſententiæ difficultates objici ſolent: quarum prima eſt, incompertum nobis eſſe, qua hora ſanctæ mulieres venerint ad Sepulcrum, ac propterea exploratum nobis eſſe non poſſe, qua hora Chriſtus revixerit. Sanctæ vero mulieres ad ſepulcrum qua hora pervenerint, non ſatis cognitum habemus propter Evangeliſtarum quendam veluti diſſenſum. Eas enim Matthæus tradit ad ſepulcrum perveniſſe *veſpere ſabbathi*; Marcus *valde mane orto jam ſole*; Lucas, *valde diluculo*; & Joannes, *mane cum adhuc tenebræ eſſent*.

23. D. Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſt. lib. 3. cap. 24. hanc ſolvit difficultatem. Eandem enim advertit horam ſignificare eum, qui dicat *valde diluculo*, ac qui dicat *valde mane orto jam Sole*, vel *cum adhuc tenebræ eſſent*: dies enim cum illu-

ce-

nerunt ad monumentum.

cesscit, quædam adhuc tenebrarum reſtant quodammodo reliquiæ, quæ ſenſim majore vi lucis affulgente paullatim diſcutiuntur. *Die quippe ſurgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux.* Nec ab ejuſmodi explicatione illud Matthæi diſcrepat, *Veſpere Sabbathi*; non enim, cum dicit *Veſpere*, extremam diei partem ſignificare vult, ſed planetam illum, qui paullo ante ſolem oritur, quique lucifer appellatur, ideoque Auroram Dominicæ, præſertim cum addat, *quæ luceſcit in prima Sabbathi*; quæ verba eam ſignificationem, quam voci illi *veſpere* tribuimus, pulchre confirmant. Id optime advertit Baronius ad ann. Chriſti 34. num. 172. qui ait, nihil ſibi videri hac explicatione ad conciliandum Matthæum cum cæteris Evangeliſtis accommodatius. Sunt alii, qui ſane non abſurde duo diſtinguunt tempora; alterum cum ſanctæ mulieres ſunt domo egreſsæ; alterum cum ad ſepulcrum pervenerunt; ac Joannis verba, *cum adhuc tenebræ eſſent*, ad primum; ea vero Marci; *orto jam ſole*, ad ſecundum tempus eſſe referenda cum primi e Sole prodeuntes radii noctis tenebras diſpellere inciperent. Cum igitur Calvariæ locus, & hortus, quo Chriſti corpus injectum eſt, extra Hieroſolymam ſita eſſent, non nihil temporis elapſum fuiſſe oportuit, interea dum mulieres domo egreſsæ venirent ad ſepulcrum. Eo ubi pervenerunt, lapidem, quo occludebatur monumenti oſtium, revolutum viderunt; quod quidem ut indicium facit, Solem jam ſupra Finitorem apparuiſſe, ita veriſimile eſse probat, eas extrema noctis parte domo egreſsas, illuceſcente primo diluculo, ſeu albeſcente Cælo, nondum tamen omnibus disjectis tenebris, ad ſepulcrum perveniſse.

Altera difficultas ex Chriſti verbis, Sicut Jonas &c.

24. Hac prima ſublata difficultate, æque gravem alteram ſolvere aggredimur. Ait enim Jeſus apud Matthæum cap. 12. v. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Quod ſi Chriſtus paullo poſt Feriæ ſextæ meridiem eſt mortuus, & Dominica die Cælo albeſcente revixit, profecto in ſepulcro tribus diebus, totidemque noctibus jacere non potuit, præſertim cum tres dies illos ſolidos fuiſſe oporteat. Marci enim cap. 8. v. 31. habetur, *Et poſt tres dies reſurgere*; & Matthæi cap. 27. v. 63. *Poſt tres dies reſurgam.*

Solvitur difficultas. Poſt tres dies ſignificat tertio die.

25. Hanc ut difficultatem enodemus, obſervandum primo, Chriſtum dixiſse tertio die, non vero poſt tertium diem ſe ſuſcitatum iri a mortuis. Etenim apud Matthæum cap. 16. & v. 22. Lucam cap. 9. v. 22. habetur. *Oportet Filium hominis multa pati, & tertia die reſurgere.* Et Joann. cap. 2. v. 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod autem ſcripſerit Marcus, *poſt tres dies reſurgere*, & Matthæus, *poſt tres dies reſurgam*, hæc juxta communem loquendi modum ita accipienda ſunt, ut non poſt diem tertium, ſed tertio die Chriſtum ad vitam rediturum intelligamus. Hunc vero loquendi modum uſitatum eſse ex eo apparet, quod Levitici cap. 12. Deus octavo die circumcidi puerum jubet. Lucas vero ſcribit cap. 1. v. 21. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer*: atqui Chriſtus Jeſus non poſt octavum diem, ſed ipſo octavo circumciſus eſt die: ex quo intelligi poteſt, verba illa *poſt tres dies* non aliter accipi ſolere, quam pro tertio die. Atque hanc eorum eſſe verborum veram ſignificationem, ex ipſius Matthæi cap. 27. v. 63. colligitur. Eo enim loco Princeps Sacerdotum & Phariſæi, poſtquam Pilato ſignificarunt, Chriſtum dixiſſe, *poſt tres dies* ad vitam ſe rediturum, *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam*, non plus a Pilato petendum ſibi exiſtimarunt, quam ut ad tertium uſque diem ſepulcrum cuſtodiretur, *Jube ergo cuſtodiri ſepulcrum uſque in diem tertium.* Ex quo palam fit, vulgari modo loquendi cum quis *poſt tres dies* diceret, nihil quicquam aliud ſignificare voluiſſe, quam tertio die.

Qui dici poſſit Chriſti Corpus jacuiſſe tribus noctibus.

26. Itaque cum tempus, quo Chriſtus in Sepulcro jacuit, in tres tantummodo compegerimus dies, nec longius producendum eſſe oſtenderimus; reliquum eſt, ut quæramus qui tribus diebus & noctibus dici poſſit Chriſti corpus in Sepulcro fuiſſe conditum, cum eo conjectum poſt Feriæ ſextæ meridiem, ſub Dominicæ auroram ſurrexerit. Scribit enim S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 6. tom. 8. op. col. 817. *Ab hora mortis uſque ad diluculum reſurrectionis horæ ſunt quadraginta, ut etiam ipſa hora nona conſumeretur.... A Veſpere autem ſepulturæ uſque ad diluculum Reſurrectionis triginta ſex horæ ſunt.*

Ratio computandi tres dies & totidem noctes in temporis ſpatio inter Domini ſepulturam, & Reſurrectionem interjecto.

27. Sunt qui, ab hac difficultate ſe ut expediant, falſo exiſtimant, Chriſtum non Dominica die, ſed conſequenti Feria ſecunda revixiſſe: alii putant Chriſtum non ſexta, ſed quinta Feria mortuum eſſe, cum Euchariſtiæ Sacramentum, ideoque incruentum Sacrificium veſpere Feriæ quintæ inſtituit; in quo ajunt, quantum attinet ad conſecrationis verba, ſeparatur anima a Corpore & ſanguine, & utrumque, nimirum Corpus & Sanguis naturali concomitantia ſubeſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus; Chriſtus enim, qui ſub iis ſpeciebus eſt vivus, animam ſimul, Corpus, Sanguinem, & Divinitatem in ſe continet. Sed, miſſis vanis hujuſmodi reſponſionibus, communem ſequuti ſententiam dicimus, a Romanis morem illum ad Judæos commeaſſe, ut dies a media nocte ad mediam noctem alteram numerarent, quod ipſi quoque facimus, quoties jejunamus. Qua dierum inita ratione, ſi præterea pars pro toto ſumatur, tres dies, totidemque noctes reperiemus in eo temporis ſpatio, quod inter ſepulturam, & Reſurrectionem interjicitur. Sepultus eſt Chriſtus Feria ſexta vel circiter, vel paullo poſt meridiem; itaque, ſi per Synecdochem pars ſumatur pro toto, & quod ſuperfuit temporis Feria ſexta ad occaſum Solis, quodque conſequutum eſt a Solis occaſu ad mediam noctem, ejus temporis ratio habeatur, jam diem unum reperiemus. Secundus a media nocte, quæ proxime Sabbathum, ad mediam noctem, quæ Dominicam præceſſit, numeratur; qui dies eſt ſolidus, & diem noctemque complectitur. Tertius dies computatur a media nocte, quæ præceſſit Dominicam, ad ipſius Dominicæ diei auroram; quicquid autem in eo temporis ſpatio fuit tenebrarum & lucis diem conſtituit, ſumendo partem pro toto, & ejuſmodi die nox & dies continentur. Uno verbo inter mortem Chriſti Domini, ejuſque Reſurrectionem tres revoluti dies & noctes; dies ſcilicet unus, unaque nox ſolida Sabbathi, ac bini dies noctesque dimidiatæ Feriæ ſextæ & Dominicæ. Ad hunc modum difficultatem ſolvit Auguſtinus lib. 3. de Conſenſ. Evangeliſtarum cap. 24. & lib. 4. de Trinit. cap. 6. *Ipſum autem triduum non totum & plenum fuiſſe Scriptura teſtis eſt: ſed primus dies a parte extrema totus annumeratus eſt: dies vero tertius a parte prima & ipſe totus; medius autem inter eos, ideſt ſecundus dies, abſolute totus viginti quatuor horis ſuis, duodecim nocturnis, & duodecim diurnis.* Conſentit D. Thomas 3. par. qu. 51. art. 4. ad primum: *Primus dies computatur ab extrema parte ſui,*

sui, qua Christus in sexta Feria est mortuus & sepultus. Secundus autem dies est integer cum viginti quatuor horis nocturnis, & diurnis. Nox autem sequens pertinet ad tertiam diem. Vid. Baronium ad. ann. Chr. 34. num. 177. & sequen. Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 46. Sect. 3. Cornel. a Lapide in Cap. 12. Matt. vers. 12. Calmet. vers. 40. & Sylvium in 3. par. quæst. 51. art. 4.

Confirmatur superior ratio numerandi dies & noctes ex loco libri Esther.

28. In libro Esther cap. 4. v. 16. hæc habentur: *Vade & congrega omnes Judæos, quos in Susam repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens non vocata, tradensque me morti & periculo.* Calmetus loc. paullo ante cit. notat, tribus illis diebus & noctibus, quas liber Esther commemorat, non plus quam solidum diem duasque noctes contineri; eoque utitur exemplo ad confirmandam eam explicationem de tribus diebus tribusque noctibus, quibus Christus jacuit in sepulcro. Et ad cap. 4. Esther vers. 16. considerat, haud verisimile esse Populum universum tribus diebus noctibusque solidis ab omni cibo & potu abstinuisse, cum perpauci sane sint, qui famem sitimque tandiu tolerare possint; & conjicit spatio illo nonnisi solidum diem, binasque noctes comprehendi. Et sane non expectavit Esther, dum tertius dies solidus laberetur, sed eodem illo die Assuerum convenit, ut apparet cap. 5. v. 1. *Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus Regis.*

Partitio ni duabus partibus absolutis, ad ures reliquas transitio. Judæi sepulcro apponi curant milites.

29. Jam vero de adjunctis Resurrectionem comitantibus, de Christi corpore ad vitam suscitato, de iis, qui cum eo revixerunt, deque Christi apparitionibus differendum.

30. Judæi, ut alibi docuimus, operam dederunt, ut milites sepulcro apponerentur, veriti ne Discipuli corpus surriperent, atque in vulgus rumorem dissiparent, Christum rediisse ad vitam; quod cum a Pilato impetrassent, sepulcrum obsignarunt, & ad illud milites custodiendum ibi reliquerunt, ut tradit Matthæus cap. 27. Et Nicephorus lib. 1. Histor. cap. 32. rem omnem ita describit: *Primum sigillum Sepulcro est impressum, quod & intactum permansit; & custodia militaris illa, & genere alienigena, quæ in propinquo sigillum observabat. Præterea ingens ille lapis ad os sepulcri appositus.*

Mos condiendi cadavera ab Ægyptiis traductus ad Judæos. Nomina Sanctarum mulierum. Incer eas una videtur fuisse B. Maria.

31. Mos ille cadaverum aromatibus condiendorum ab Ægyptiis ad Judæos traductus: Ad eamque rem quadraginta dies consumi consuevisse, constat ex iis, quæ de sepultura Jacob traduntur Geneseos cap. 50. v. 2. *Præcepit* (Joseph) *Jervis suis medicis, ut aromatibus condirent Patrem; quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum.* Atque inde factum est, ut Sanctæ mulieres, etsi Christo mortuo jam adhibita erant aromata, expleto Sabbatho, nimirum post occasum Solis, aliis coemptis aromatibus ad cadaveris condituram subinde instaurandam, ad sepulcrum sese contulerint. Eas Matthæus cap. 28. mulieres suo quamque nomine appellat, Mariam Magdalenam, & Mariam Jacobi, & Josephi matrem, quibus Marcus cap. 16. Salome, & Lucas cap. 24. Joannem comites addunt, cæterasque mulieres, quæ Christum a Galilæa sequutæ sunt redeuntem. S. Gregorius Nyssenus inter has mulieres B. Mariam quoque recenset Orat. 2. de Resurrectione; & cum eo consentit Sedulius.

. . . . hoc luminis ortu
Virgo Parens, aliæque simul cum munere matres
Messis aromaticæ noctu venere gementes
Ad tumulum.

Sed huic sententiæ negat se posse subscribere Maldonatus in Cap. 28. Matthæi ad illa verba *ad tumulum*. Nihil enim de hoc B. Mariæ adventu tradunt Evangelistæ, quem profecto non siluissent; cumque Magdalenam commemorent, certe B. Mariam, si ad Sepulcrum venisset, priore loco nominassent; quemadmodum Joannes, qui inter mulieres, quæ Cruci proximæ erant, primam ponit B. Virginem, deinde Mariam Cleophæ, tertio loco Magdalenam.

Terra in Resurrectione contremuit. De Angelo de Cœlo delapso quid tradiderint Evangelistæ.

32. Narrant Evangelistæ, tremuisse terram, Angelumque veste indutum candida, ac veluti fulgur coruscantem Cœlo delapsum lapidem ab ostio monumenti revolutum amovisse: qui mulieribus Christum revixisse nunciaverit, jusseritque, eas locum inspicere, quo Christus conditus fuisset, iisque mandaverit, ut de omni ea re monerent discipulos, quibus etiam prædicerent, ab iis visum iri in Galilæa; eas denique mulieres sepulcro inter metum & lætitiam egressas Discipulos conveniisse. Hæc tradit Matthæus cap. 28. Eandem rem ita narrat Marcus c. 16., Mulieres, ut lapidem, quo occlusum erat sepulcrum, revolutum viderunt, eo ingressas, Juvenem stola candida indutum sedentem ad dexteram vidisse; eas cohortatum ne quidquam metuerent; Christum jam ad vitam rediisse: locum inspicerent, ubi corpus Christi jacuisset; iis mandasse, ut ea de re Discipulos, præsertim vero Petrum, certiores facerent; eas autem sepulcro egressas, pavore tactas, nulli eam rem renunciasse. Lucas cap. 24. revolutum lapidem, & mulieres in sepulcrum ingressas item commemorat; sed duos refert viros veste indutos lucida nunciasse mulieribus, suscitatum a mortuis, ut ipse prædixerat; idque mulieres monumento egressas undecim Apostolis cæterisque omnibus retulisse. Denique Joannes cap. 20. testatur, Mariam Magdalenam, ubi primum revolutum vidit lapidem, ad Petrum, & Joannem convolasse, quibus nunciavit, corpus Christi Domini fuisse sublatum, nec quo fuisset allatum, comperti quicquam habere. Pergit eodem loco Joannes narrare, se Petrum antevertisse ad Sepulcrum; eo tamen non introisse, sed fascias vidisse, quibus Christi corpus fuerat alligatum: Petrum vero ingressum in Sepulcrum easdem vidisse fascias, & Sudarium, quo Christi facies tegebatur, a fasciis semotum deprehendisse; ipsum quoque postea in monumentum introisse, cum interea Maria Magdalena extra Sepulcrum lacrymaretur; eam deinde introspexisse in Sepulcrum, binosque vidisse Angelos vestimentis albis indutos, quorum alter sederet ubi caput Christi, alter ubi locati fuerant pedes; ab iis autem quamobrem fleret interrogatum, respondisse, quod nesciret, quo corpus Domini sui esset avectum; cumque demum se retrorsum convertisset, sub forma custodis horti Christum vidisse, quem postea agnoverit; atque omnia hæc Discipulis renunciasse.

Ratio ex Patribus, quamobrem Angelus aperuerit sepulcrum. Discrepantes Evangelistæ conciliantur.

33. Antequam piæ feminæ ad sepulcrum pervenirent terra contremuit; idque contigit eo temporis momento, cum Angelus e Cœlo descendit. Qui Cœlo delapsus est Angelus, revoluto lapide, monumentum aperuit, vel ut revivisceti Christo Domino, quod quidam ex Patribus docuerunt, pateret exitus e sepulcro; non sane quod Christo id opus esset, sed ut honor illi haberetur; vel potius ut sanctis mulieribus

facultas esset introspiciendi in sepulcrum, & cognoscendi, Christum esse a mortuis suscitatum; quod congruit communi doctrinæ cæterorum Patrum, qui Christum docent, quemadmodum ex utero matris prodiit, ita e sepulcro regressum, quin sigillum abruperit. Quin etiam Evangelico Matthæi & Marci innititur textui. Nam S. Matthæus cap. 28. v. 2. ait: *Ecce terræmotus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de Cœlo, & accedens revolvit lapidem*. Ex quibus patet, Christum jam resurrexisse, antequam Angelus revolveret lapidem: aliter enim S. Matthæus terræmotum non cum Angeli descensu, sed cum Christi Resurrectione conjunxisset; neque Marcus veluti opportunum describeret Angeli adventum, qui, revoluto lapide, mulieribus in sepulcrum ingredi optantibus, incertisque quo pacto sustollerent lapidem, difficultatem illam ademit; ut advertit Maldonatus in c. 28. v. cit. Matthæi ad illa verba, *Angelus enim Domini descendit de Cœlo*. Ex iis, quæ jam attulimus, Matthæus, & Marcus unum tantummodo Angelum commemorant; Lucas vero de duobus Angelis mentionem facit, itidemque Joannes, cum narrat Christum Magdalenæ paullo post se præsentem exhibuisse. Angelus, qui e Cœlo descendit, lapidemque revolvit, super ipsum lapidem assedit; atque hic est ille Angelus, quo viso milites quasi mortui conciderunt, & de quo loquitur Matthæus. Mulieres in sepulcrum ingressæ duos viderunt Angelos, ut habetur apud Lucam, & Joannem. Nam de Angelo altero nihil Matthæus, & Marcus commemorant; hi enim Evangelistæ de illo potissimum Angelo sibi scribendum existimarunt, cujus in hac re primæ quodammodo partes fuerunt, quique cum Sanctis mulieribus sermonem habuit. Lucas autem duos Angelos adfuisse ait, ratus eorum numerum sibi non prætereundum; nec tamen pugnat cum Matthæo, & Marco, cum scribit utrumque Angelum esse loquutum. *Dixerunt ergo ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?* In eo enim qui passim in sacris pagiuis occurrit, loquendi modum sequutus est, ut duobus tribuatur Angelis, quod ab eorum altero utriusque nomine factum, dictumve sit. Neque itidem a Matthæo, & Marco Joannes discrepat, cum aliam apparitionem narret Magdalenæ factam, postquam Angeli jam sanctis mulieribus apparuerant. Vid. Calmet. in cap. 28. Matth. ver. 2. & in cap. 16. Mar. v. 8. qui notat locum illum Marci, *nemini quidquam dixerunt*, Lucæ non adversari, qui scribit cap. 24. v. 9. *Nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus*. Marcus enim id intelligit, Sanctas mulieres, dum a monumento redirent, nihil cuiquam dixisse; omnia autem, quæ contigerant, renunciasse, ubi ad locum pervenerunt, in quo una erant Apostoli mœrore & lacrymis pene consumpti.

Rursus conciliantur Evangelistæ in eo, quod tradunt de Maria Magdalena.

34. Sed multo videatur major inter Matthæum, & Joannem discrepantia. Narrat enim Matthæus cap. 28. v. 5. Mariam Magdalenam, aliasque sanctas mulieres venisse ad sepulcrum, ac revolutum lapidem reperisse; Angelum autem dixisse ad eas: *Nolite timere: scio enim, quod Jesum quæritis. Non est hic: Surrexit enim, sicut dixit*. At Joannes cap. 20. v. 2. Mariam Magdalenam, ubi vidit revolutum lapidem, scribit illico ad Petrum convolasse, eique dixisse: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum*; quod quidem non dixisset, si vidisset Angelum, eumque loqui audisset. Verum probe animadvertendum est, Mariam Magdalenam, cæteraque pias mulieres, cum ad sepulcrum pervenerunt, eo ingressas vidisse neminem; nondum enim iis, qui lapidi assidebat Angelus, se conspicuum præbuerat. At Maria Magdalena, ubi sepulcrum reclusum, nec quidquam vidit aliud, quam sudarium, & fascias, celerrime ad Petrum, & Joannem se contulit, eisque dixit: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum*. Nam nec Angelum viderat, nec loquentem audierat. Itaque venerunt ad monumentum Petrus, & Joannes, qui cum nihil præter sudarium vidissent & fascias, domum redierunt, relictis in sepulcro mulieribus. Sed Maria Magdalena, quæ Christi corpus vehementer cuperet invenire, hortum, ubi erat sepulcrum, explorando cœpit perambulare; cum interea reliquæ mulieres monumento exeuntes duos viderunt Angelos, a quibus revixisse Christum monitæ sunt, mandatumque acceperunt, ut ea Discipulis renunciarent. Denique Maria Magdalena, postquam diu multumque hortum frustra pervestigasset, rediit ad monumentum, unde jam reliquæ erant egressæ mulieres; & duos Angelos, quos homines esse existimavit, atque ipsum Christum Dominum vidit sub olitoris forma. Quibus omnibus in hanc seriem dispositis, sublata videtur omnis inter Matthæum & Joannem discrepantia: aberat enim Maria Magdalena, cum reliquæ mulieres duos Angelos viderunt, atque idcirco vere Petro, & Joanni potuit dicere, Christi Corpus sublatum e sepulcro, neque se scire, quo asportatum fuisset. Quæ omnia huc attulimus ex Analysi Evangeliorum Gallice conscripta, & ex Gravesono de Myst. & annis Christi pag. 598.

De qualitate Corporis Christi resurgentis, Verum fuit, integrum & gloriosum.

35. Divus Thomas 3. par. q. 54. agit de qualitate corporis Christi ad vitam redeuntis, ostenditque art. 1. non phantasticum illi fuisse corpus, sed verum, & solidum; nec, si aliter fuisset, vere dici posse Christum revixisse. Ut enim quispiam dici possit ad vitam rediisse, necessarium omnino est, eandem cum eodem corpore animam conjungi. Et quamvis Christus Dominus suscitatus a mortuis ab oculis eorum, qui se aspicerent, interdum quodammodo evanescceret, id tamen non probat, inane & phantasticum Christi corpus post resurrectionem fuisse, sed glorificatum, cujus ea vis & facultas est, ut, cui & quando sibi libuerit, se vel conspicuum præbeat, vel ab aspectu surripiat.

Corpus Christi fuit integrum. Ratio cur voluerit Christus, ut in suo Corpore remanerent cicatrices.

36. Cum eadem congruit doctrina, quod Angelicus Doctor art. 2. docet, integrum fuisse corpus Christi a mortuis suscitati; proindeque & carnem, & ossa, & sanguinem habuisse. Idem art. 2. ait fuisse gloriosum; ejus enim Resurrectio fuit resurrectionis nostræ tum exemplar, tum etiam causa; glorioſa porro sanctorum erunt corpora, ubi ad vitam revocata fuerint. Idem art. 4. ostendit, vulnerum cicatrices in Christi corpore remansisse, cum Thomæ incredulo dixerit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis*. Decuisse autem docet, ut Christus corpus cum cicatricibus tum ad sui gloriam assumeret, tum ad Resurrectionis fidem in Apostolorum animis constabiliendam, tum etiam ut Patri, dum interpellat pro nobis, semper ostendat, quo mortis genere peccata nostra expiaverit. Joann. cap. 20. vers. 26.

Gutta aliquot Sanguinis Christi Mantuæ asservantur. Id non repugnat integritati Corporis Christi revivisc entis.

37. Atque, quod ad institutum nostrum attinet, id satis esse videtur, quod ex D. Thoma jam allatum est. Nec tamen dissimulare volumus, aliquibus in locis, Mantuæ præsertim, gut-

guttas aliquot Sanguinis asservari, quæ e Christi latere manarunt. Quod quidem cum eo pugnare videtur, quod supra docuimus, Christum ad vitam redeuntem idem Corpus, eundemque Sanguinem assumpsisse. Totam hanc rem in opere de Canonizat. SS. pertractavimus, ubi gravissimorum Theologorum auctoritate ducti fieri potuisse affirmavimus, ut pretiosi Sanguinis Christi guttæ aliquot humi remanserint, quibus nihil esset opus ad illius corporis integritatem; neque idcirco necessarium fuisse, ut in Resurrectione ipsius corpori redderentur. Etsi enim illis corporis partibus semper Divinum Verbum hypostatice unitum fuerit, quæ ad integritatem Corporis Christi pertinebant, non tamen iis partibus semper conjunctum fuit, quæ non erant ad integritatem corporis necessariæ, nec erant in Resurrectione corporis restituendæ.

Qui cum Christo redierint ad vitam, incertum. Sepulcra quidem in Christi morte aperta: mortui vero in ejus resurrectione revixerunt.

38. Jam vero de iis, qui cum Christo ad vitam rediere, nihil est nobis compertum, quam quod tradit Matthæus cap. 27. v. 52. *Monumenta* (in morte Christi) *aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Recluſa tum sepulcra, sed nondum mortuos revixisse supra docuimus; quod ex verbis Matthæi pulchre confirmatur, quibus diserte distinguitur inter recluſa sepulcra, & mortuorum resurrectionem; ut aperta monumenta ad mortis tempus, mortui vero ad vitam redeuntes, ad tempus referantur *Post Resurrectionem ejus*.

Duplex quæstio proponitur.

39. Duplex de his mortuis, qui tum revixerunt, quæstio proponi solet; quarum altera est, quinam illi fuerint, qui ad vitam redierint; altera, utrum qui revixerunt, rursus mortem obierint, an vero cum Christo in Cœlum cum suo ipsorum etiam corpore ascenderint.

Divinam fuerint qui revixerunt cum Christo. Exponitur sententia quorundam.

40. Quidam eos existimant revixisse, qui cum multo antea essent mortui, omnium diutissime in sinu Abrahæ fuerant detenti; eam propterea sortem contigisse Adam, Abel, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Abrahæ, Jacobo, Josepho, Moysi, Josue, Davidi, aliisque veteribus multis. Verum cum non toto terrarum orbe, sed Hierosolymis, aliisque circumjacentibus locis recluſa fuerint monumenta, ut supra innuimus; cumque non alii, quam quorum sepulcra fuerunt aperta, revixerint, neque verisimile sit, antediluvianos Patres, quique antea Abraham vixerint, omnes esse in Palæstina mortuos, & sepultos, haud ita facile iccirco eam sententiam quisquam tueri possit.

Duæ aliæ de re sententiæ.

41. Quamobrem alii eo decurrunt ut dicant, eos ad vitam rediisse, qui Judæis, qui tum viverent, noti essent; ac propterea Zachariam Joannis Baptistæ patrem, senem Simeonem, ipsum Baptistam Præcursorem Domini, bonumque Latronem revixisse. Quibusdam vero verisimile videtur, eos ad vitam rediisse, qui in suis quisque Prophetiis Nativitatem Christi, vitam, mortem, & reditum ad vitam prædixerant; atque ideo Moysem, Davidem, Samuelem, Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, Melchisedechum, qui Sacerdotii Christi imaginem gessit, & Danielem, qui tam accurate tempus, quo Christus venturus erat, prophetavit, Job, Jonam, trescque Pueros, qui e fornace Babylonica incolumes erepti Resurrectionis Christi fuerunt quodammodo typi, omnes a mortuis esse suscitatos.

Nihil certi statui ex de re potest. de qua sacer textus nihil indicat. an vero qui revixerunt denuo mortem obierint, alii negant, alii affirmant; quæ ultima sententia confirmatur.

42. Verum Sacer textus cum nihil nobis significet, quam quod *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, quivis facile perspiciat, nihil ea de re tuto affirmari posse. Quod ad alteram quæstionem spectat, Patres itidem inter se dissentiunt. Quidam enim affirmant, eos, qui revixerunt, ita rediisse ad vitam, ut morti non amplius fuerint obnoxii; iis enim gravius futurum fuisset mortem rursus oppetere, quam non revivisce re. Alii vero docent, rursus mortem obiisse, ut contigit Lazaro. Petrus enim Act. cap. 2. monet, non posse, nec debere in illo Psalmi 15. v. 10. loco Davidem intelligi: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, eamque afferre rationem: *Quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem:* ejusmodi autem rationi nihil roboris fuisset, nisi corpus David etiam tum jaceret in sepulcro; facile enim cuilibet fuisset respondere, Psalmum de Davide intelligendum, qui cum suo quoque corpore in Cœlum evolasset. Huc accedit, quod Job, qui inter eos, qui non amplius morituri revixerunt, ponitur, de se ipso dicit cap. 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum*; & D. Paulus ad Hebræos c. 11. de Sanctis veteris Testamenti ait, generatim eos ad absolutam nondum pervenisse felicitatem, quæ in glorificatione consistit animæ & corporis, eamque nonnisi cum universæ Ecclesiæ corpore adepturos. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente; ut non sine nobis consummarentur.* Quod autem objicitur, iis longe minus grave fuisse futurum non redire ad vitam, quam revivisce re, rursusque mortem subire, id quidem minimi est momenti; nihil enim justis gratius est & acceptius, quam divinam sequi voluntatem.

In eam propensior videtur Divus Thomas. Maldonati sententia non probatur.

43. Atque postremam hanc opinionem plurimum probabilitatis habere existimat D. Thomas 3. par. q. 53. art. 3. *ad secundum*. Eandem eruditissime tuetur Calmetus in Dissertatione *de Resurrectione Sanctorum Patrum, quo tempore Christus rediit ad vitam*. Tillemontius in Not. 36. ad Vitam Jesu Chr. hanc pertractat quæstionem, & eidem videtur favere sententiæ, quam tamen oppugnat Cornelius a Lapide, & præsertim Maldonatus, qui ex eo, quod narrat Matthæus, eos, qui revixerunt, sese multis conspiciendos exhibuisse, ac propterea non ab omnibus visos esse, infert, non eodem modo, quo Lazarus, suscitatos fuisse e tumulis, sed ad vitam cum corpore glorioso rediisse, nihilque esse cur dicamus, eos revixisse rursus morituros; sed una cum Christo simul cum corpore in Cœlum ascendisse. Hujusmodi Maldonati ratio haud sane videtur absurda, non tamen, quod vult, evincit: nihil enim aliud conficit, quam eorum corpora præcipuo quodam Dei beneficio quibusdam corporum glorificatorum dotibus prædita fuisse, inter quas illa etiam est recensenda, ut non omnibus essent conspicua. Verum non probat, eam fuisse in illis corporibus qualitatem ad permanentis habitus modum; quin etiam nihil prohibet, quominus dicamus, fuisse per modum quendam transeuntem, qui mortem alteram non excluderet. Et sane Moyses, qui, ut fusius alibi docebimus, Christi Transfigurationi interfuit, suscitatus ad vitam aliquantisper vixit, nec omnibus tamen se conspicuum præbuit: cujus nihilominus ab eo tempore corpus glorioſum fuisse, nec postea rediisse ad sepulcrum, nemo profecto dixerit.

De Christi apparitio-

44. Reliquum est, ut de Christi apparitionibus in die Resurrectionis, cæteris alio rejectis, dis-

ne in die Resurrectionis. An primæ omnium B. Virgini apparuerit? Negat Estius.

diſseramus. Eæ numerantur quinque: Primo ſeſe videndum objecit mulieribus ad ſepulcrum: ſecundo iiſdem cum a Sepulcro reverterentur: tertio B. Petro: quarto duobus Diſcipulis Emmauntem proficiſcentibus: denique multis Hieroſolymæ ſe conſpicuum exhibuit, cum inde Thomas abeſset: propterea autem tam ſæpe hoc die ſeſe videndum præbuit, quod Fideles *per plura indicia erant admonendi, ut a principio Fidem reſurrectionis reciperent*, ut ait D. Thomas 3. par. qu. 55. art. 3. *ad tertium*. De his omnibus apparitionibus extant in Evangeliis diſertiſſima teſtimonia; verum B. Virgini apparuisse neque tradunt Evangeliſtæ, nec cuiquam prius apparuiſse docent, quam Mariæ Magdalenæ: atque id eſt, quamobrem Eſtius in cap. 16. Marci vehementer iis adverſetur, qui decuiſse putant, ut nulli prius, quam Matri appareret, quamquam id nuſquam tradat Scriptura; ac de ejuſmodi argumentis verba faciens, quæ ab eo, quod deceat, ducta parum roboris habent: *Quale eſt*, inquit, *ex quibuſdam rationibus congruentiæ velle probare, Chriſtum a morte redivivum primo ſuæ Matri apparuiſſe, cum Scriptura tam clare dicat, eum apparuiſſe primo Mariæ Magdalenæ, nec unquam alibi diverſum inſinuet?* Nec abeſt ſolida ratio, cur Matri primum non apparuerit: pulchre enim noverat in Reſurrectionis Fide minime eam nutare. Quamobrem Ep. 50. ſcribit Petrus Bleſenſis: *Chriſtus exurgens a mortuis non ſuæ Matri Virgini benedictæ, ſed Mariæ peccatrici, de qua ſeptem ejecerat Dæmonia, prius dignatus eſt apparere, ut puto.*

Affirmat Rupertus Abbas. Baronius ex vetuſta traditione itidem affirmat, cui ſubſcribit Auctor, additis quibuſdam etiam S. Tereſiæ revelationibus.

45. Contra Rupertus Abbas lib. 7. de Divinis Officiis cap. 25. exiſtimat, primum omnium Sanctiſſimæ Matri ſuæ Chriſtum apparuiſe. Cur autem id Scriptura non tradiderit, cauſa eſse potuit, quod Evangeliſtæ tantum narrare voluerint Chriſtum ſeſe præbuiſse conſpiciendum iis, quos vel reſurrectionis ſuæ teſtes elegerat, vel de Reſurrectione noverat dubitaſse, quorum in numero B. Virgo profecto minime poni poteſt. Quod autem Beatiſſimæ Matri ſuæ Scriptura non referat primum omnium Chriſtum apparuiſse, qui inde velit arguere id omnino non eſse factum, illum etiam arguere oportebit, toto quadraginta dierum ſpatio, quod inter Reſurrectionem & Aſcenſionem interceſſit, numquam divinum Filium Matri apparuiſse, quod apparuiſse Scriptura non tradat. Id vero non ſane videtur admitti poſse. Quamobrem Baronio ſubſcribimus, qui ad ann. Chr. 34. §. 183. *Traditio*, inquit, *per manus Majorum, ac per ſubſequentia ſecula ad poſteros dilapſa teſtatur, eundem Dominum noſtrum apparuiſſe primum omnium Sanctiſſimæ Genitrici Mariæ; quod nemo pius, puto, negabit.* Nec prætermittendum eſt, Sanctam Tereſiam in additione ad ſuam vitam ſcripſiſse, ſibi Chriſtum Dominum ſignificaſse, poſt Reſurrectionem ſuam Sanctiſſimæ Matri, ut eam conſolaretur, apparuiſse. *Die quadam, cum ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſem &c. mihi dixit Dominus, ſe ſimul ac revixit, Matrem ſuam Dominam noſtram conveniſſe, idque factum oportuit; ea enim ex illo dolore, quo ejus animus fuerat conſoſsus, haud ita cito ad ſe redierat, ut illo gauderet gaudio; ſeque, quam diu opus fuerat, cum illa multum temporis extraxiſſe.* Caſaubonus Exercit. 16. ſcribit, apud Latinos & Græcos plura eſse de Chriſti apparitionibus accurate diſputata; verum quod Chriſtus Jeſus B. Mariæ apparuerit, nihil ea de re ſcriptum reperiri; quamobrem eam apparitionem omnino negat; declarat tamen Janſenii probari ſibi ſententiam qui ſcripſit, idcirco Jeſum B. Matri non apparuiſse, quod in ea Fides altiſſimis eſſet defixa radicibus; apparuiſse Joanni, ſed non ſtatim, *quia credidit*; deinde apparuiſse Petro, qui minus luculenter crederet, ſed miraretur: rejecta veluti nullius roboris ratione illa, quam ex convenientia ducit Maldonatus, cum ait; *Primum Matri ſuæ apparuiſſe Chriſtum, non quod Evangeliſtæ factum dicant, ſed quia fieri decuerit credendum eſſe.* Eadem, quæ ſcribit Caſaubonus, iterat Andreas Rivetus Scriptor heterodoxus in Apologia pro Sanctiſſima Virgine lib. 1. cap. 20. in fine. Sed hæc nihil impediunt, quin noſtram piam retineamus ſententiam, quæ non convenientiæ modo innititur, ſed etiam Traditioni, juxta ea quæ ſcripſit Baronius, cujus verba paullo ante attulimus. In Operibus S. Irenæi, quæ collegit Renatus Maſſuetus Congregationis S. Mauri Monachus, adjectæ ſunt ad calcem adnotationes quædam Fevardentii, qui in cap. 31. lib. 5. obſervat, non negari ab Irenæo Chriſtum B. Mariæ apparuiſse, *cum id ex veterum traditione ſequentium ſeculorum Patribus perſuaſum fuerit*; & S. Ambroſii locum affert lib. 3. de Virginibus; *Vidit Maria* (Virgo) *Reſurrectionem Domini, & prima vidit & credidit*; Affert Poetam Chriſtianum Sedulium:

. . . . *Hujus ſe viſibus aſtans*
Luce palam Dominus prius obtulit &c.

& præter Rupertum, quem ipſi ſupra citavimus, affert etiam Anſelmum, & Bonaventuram.

Apparitiones quinque.

46. Diximus, eas, quas commemoravimus, apparitiones ab Evangeliſtis referri. Ac de Chriſto, qui mulieribus apparuit, ita Matthæus cap. 28. v. 9. *Et ecce Jeſus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Mariæ Magdalenæ apparuiſſe, tradit Marcus cap. 16. verſ. 9. *Prima Sabbathi apparuit primo Mariæ Magdalenæ*; & fuſius Joannes cap. 20. Atque hæ duæ ſunt apparitiones, quibus Dominus in die Reſurrectionis ſe mulieribus videndum præbuit. Sequitur tertia, cum apparuit Petro, quam commemorat Lucas cap. 24. v. 34. atque eam duo teſtificantur Diſcipuli, quibus, ut mox dicemus, Emmauntem proficiſcentibus Chriſtus apparuit: *Dicentes, quod ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*. De ea etiam loquitur D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. v. 4. & 5. *Chriſtus reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & apparuit Cephæ*. Quartam afferunt Marcus cap. 16. v. 12. *Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie euntibus in Villam*: & Lucas cap. 24. qui fuſe narrat, cum duo Diſcipuli Hieroſolyma ſe conferrent Emmauntem, ac inter ſe loquerentur, acceſſiſſe ad eos Jeſum, & quid fabularentur interrogaſſe; cui cum Cleophas alter eorum reſpondiſſet, ſermonem habere ſe de Chriſto Nazareno, de ejus vita, rebus geſtis, morte, & Reſurrectione, explicaſſe iis Dominum oracula Scripturarum, initio ſumpto a Moyſe, & Prophetis. Eum perhumaniter invitatum cum iis ad menſam accubuiſſe. *Tunc* (ait Lucas) *accepit panem, & benedixit ac fregit; & porrigebat illis*: atque hic eum Diſcipuli agnoverunt: *Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum*. Quintam denique apparitionem narrat Lucas eod. c. 24. & Joannes cap. 20. Nam cum duo illi Diſcipuli, qui Emmauntem ſe contulerant, noctu rediiſsent, ingreſſi in eum locum, quo propter metum Judæorum cæteri Diſcipuli in unum convenerant, dum quod ſibi contigerat, renunciarent, etſi oſtium clauſum erat, ſtetit Jeſus in medio eorum, & dixit: *Pax vobis. Ego ſum: Noli-*

te

UAB Biblioteca de Ciències Socials

te timere. Atque ut magis magisque Resurrectionis suæ veritatem confirmaret, non modo iis suas manus & pedes ostendit, ac præbuit contrectandos, verum etiam cum iis cibum voluit sumere. *Ad exhibendam fidei veritatem in corpore, dignatus est etiam non necessitate, sed potestate cibum sumere*; verba sunt D. Augustini serm. 142. alias 147. num. 12. de Tempore. Postquam vero dixit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, suum in eos spiritum inhalavit. *Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; quibus verbis significatur collata potestas remittendi, retinendique peccata in Pœnitentiæ Sacramento juxta Tridentinam Synodum Can. 3. cap. 14. de Sanctissimo Pœnitentiæ Sacramento.

An Christus ad mensam, ad quam accubuit cum duobus Discipulis Emmaunten proficiscentibus, panem consecraverit. Eorum, qui id affirmant, rationes.

47. Quærunt Sacrarum Scripturarum Interpretes; cum Christus Jesus *accepit panem, & benedixit, & fregit*, deditque duobus Discipulis, an panem consecraverit, ita ut, quemadmodum in Consecratione Eucharistiæ, facta fuerit transubstantiatio. Sunt qui id affirment; tum quia verba, quibus in eo loco Lucas utitur, eadem sunt cum iis, quæ Matthæus, Marcus, & Lucas ipse adhibent, cum de institutione Eucharistiæ scribunt historiam: tum quia non initio, sed in fine Cœnæ panem Christus benedixit & fregit; quod argumento est, eam non fuisse benedictionem, quæ fieri solet in principio mensæ, sed in fine, ideoque ad Sacram Eucharistiam esse referendam: tum quia demum Christum agnoverunt Discipuli *in fractione panis*, ut ait Lucas. Vide a Lapide in cap. 24. Lucæ v. 30. ubi illud etiam monet, hinc argumentum confici, Eucharistiam sub una tantum specie distribui posse, adversus eorum errorem, qui sub utraque specie contendunt ex Dei præcepto distribuendam. Vide Maldonatum in cap. 24. Lucæ num. 30.

Negant Estius, Janssenius, & Calmetus. Bellarminus, & Natalis Alexander nihil certi statuunt.

48. Estius vero in idem cap. 24. Luc. v. 30. & Cornelius Jansenius in Commentar. ad Concordiam Evangelicam cap. 146. existimant, Christum benedictione illa panem non consecrasse. Cum enim duo illi Discipuli in institutione Eucharistiæ non adfuerint ultimæ Cœnæ, haud ita facile quis credat, præbuisse Jesum Eucharistiam iis, qui de Sacrosancto Mysterio illo nihil noverant. Illud tamen Jansenius animadvertit, quod, cum omnes res a Christo gestæ mysticum quiddam contineant, ea re, de qua loquimur, Eucharistiæ distributio nobis sub una tantum specie significatur. Jansenio suffragatur Calmetus in cap. 24. Lucæ cap. 30. ubi ait, fractione quidem panis juxta Sacrarum Scripturarum idiotismum nihil aliud exprimi, quam distributionem Eucharistiæ; atque inde multos ex Patribus existimasse, Christum Dominum duobus præbuisse Discipulis Eucharistiam; sed multos tamen Interpretes magni nominis ab hac sententia dissentire; quamobrem putat, utramque ita conciliari posse opinionem, si eam, de qua nunc loquimur, cœnam, & fractionem panis Sanctissimæ Eucharistiæ fuisse figuram dicamus. Lamy Concord. Evang. lib. 5. cap. 42. Estii sententiæ subscribens ait, vocem *benedixit* idem valere, quod *gratias egit*, sive recitavit preces: sic Hebræos loqui, quorum in Ritualibus libris *preces* appellantur benedictiones: Judæorum fuisse morem, ut in conviviis qui esset præcipuæ auctoritatis, Deo gratias ageret, & frangeret panem. Utramque opinionem tamquam a Catholica Fide minime abhorrentem refert Bellarminus lib. 4. de Sacram. Euch. cap. 24. ac utrique suam esse sinit auctoritatem; & Natalis Alexander in Appendice 1. Ep. 34. ad Theolog. Dogmaticam & Moralem ait, non liquere, utrum Christus Dominus panem, quem Discipulis Emmauntem proficiscentibus dedit, consecrarit. Innocent. III. Papa lib. 6. Mysteriorum Missæ cap. 9. docens quamobrem Romanus Pontifex in Missa solemni super Altare panem consecret & frangat, quem deinde stans in solio manducet, ait: *Romanus autem Pontifex ideo non communicat ubi frangit, sed ad Altare frangit, & ad Sedem communicat, quia Christus in Emmaus coram duobus Discipulis fregit, & in Hierusalem coram decem Discipulis manducavit. In Emmaus fregisse legitur, sed manducasse non legitur: in Hierusalem non legitur fregisse, sed legitur comedisse*: quæ ultima verba ad eam apparitionem referuntur, de qua paullo ante verba fecimus, & de qua Lucas cap. 24. v. 41. *Habetis hic aliquid, quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis*. Joannes Baptista Casalius de Veter. sacris Christianorum Ritibus cap. 81. §. *Quoniam*, scribit de illo ritu, quo in Missa solemni Romanus utitur Pontifex, ut super Altare consecret, & in solio Eucharistiam suscipiat, nec sequitur Innocentii III. sententiam; sed ait, uti Christus in Cœna incruentum, in Cruce vero cruentum obtulit Sacrificium; ita Papam ad Altare consecrando incruentum Sacrificium, in solio Eucharistiam suscipiendo cruentum significare.

An in postrema apparitione, de qua supra, adfuerit Thomas. Conciliatur Lucas cum Joanne.

49. De postrema tandem apparitione Lucas videtur innuere, Thomam quoque adfuisse cum aliis Apostolis cap. 24. v. 33. *& invenerunt congregatos undecim*, cujus numeri ratio certe non constat, absente Thoma; Matthias enim multo post inter Apostolos in locum Judæ est cooptatus. Contra Joannes cap. 20. v. 24. huic apparitioni diserte negat Thomam adfuisse, *Thomas autem unus ex Duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus*. Multa de hac re commentati sunt sacrarum literarum Interpretes. Nihil tamen ad hanc enodandam difficultatem videtur accommodatius, quam si adfuisse quidem dicamus Thomam, cum Emmauntem Discipuli redierunt, sed cum eorum sermo prolixius duceretur, illum, vel quod iis quæ narrarent, fidem non haberet, vel alia quavis causa impulsum foras egressum esse, ac tunc temporis Jesum inter Discipulos medium ex improviso adstitisse, Vid. Suarez tom. 2. in 3. p. qu. 55. sect. 4. in fine.

De Cæremoniis, quibus hac die Ecclesia celebrat Resurrectionis Mysterium. Benedictio ignis.

50. Jam vero pro ingenii nostri exiguitate iis explicatis, quæ tum ad tempus, quo Christi Corpus jacuit in sepulcro, & Anima descendit ad Inferos, tum ad ejus Resurrectionem pertinent, de iis cæremoniis est disserendum, quæ, ut diximus, Resurrectionis mysterium referentes, antea quidem nocte, quæ præcedit Dominicam, nunc vero ipso Sabbathi die celebrantur. Atque ut a prima ordiamur cæremonia, cantatis Horis, extinctisque usque ad principium Missæ, quæ sunt super Altare, candelis, extra Ecclesiam ignis e silice extunditur, quo carbones incenduntur. Sacerdos novum ignem & quinque incensi grana Cereo infigenda benedicit. Constans & perpetua fuit Ecclesiæ disciplina, ut nulla re utatur, quin eam prius benedixerit. Octavo seculo nulla erat in Ecclesia Romana hujusmodi benedicendi ignis cæremonia, quæ tamen alibi jam tum viguisse deprehenditur ex Zachariæ Papæ epistolis ad Bonifacium Episcopum Moguntinum apud Baronium ad ann. Chr. 751. quibus Sanctus ille Pontifex ait eam fuisse consuetudi-

tudinem, ut Feria Quinta ternæ Lampades accenderentur, quæ arderent usque ad Sabbathum Sanctum, atque in eo, qui secretissimus esset Ecclesiæ locus, ponerentur; deinde addit: *De igne vero, qui ex cryſtallis ſumitur, ut asseruisti, nullam habemus Traditionem*. Vixit Zacharias usque ad annum 751. a Christo nato. Leo IV. anno 847. creatus Pontifex Homilia de Cura Pastorali, *In Sabbatho*, inquit, *Paschæ, extincto veteri, novus ignis benedicatur, & per populum dividatur*. Extant monumenta, quæ probant, morem in Ecclesia Romana fuisse, e percusso silice excutiendi ignis Feria quinta, ut constat e primo Ordine Romano *in feria quinta in Cœna Domini*; ubi hæc habentur: *Ea vero die hora nona faciunt excuti ignem de lapide in loco foris Basilicam*. Thomassinus *de dierum Festorum celebratione* lib. 2. cap. 14. ostendit, consuetudinem fuisse quarundam Ecclesiarum, ut quotidie ignis in eum modum, præsertim vero die Sabbathi, solemni vero cæremonia Sabbatho Sancto excuteretur, quæ consuetudo ineunte seculo XI. ad solam Sabbathi Sancti diem contracta fuit. Et Pouget in Institut. Catholicis tom. 1. pag. 847. tum quod hactenus diximus confirmat, tum etiam causas affert ejusmodi cæremoniæ. Itaque eam proponit quæstionem, *Cur hodie ſit ſolemniter benedictio ignis recens excuſſi e ſilice?* atque ita respondet: *Hoc est vestigium antiquitatis. Olim excutiebatur quotidie ignis e silice ad accendenda Ecclesiæ luminaria, & fiebat prius ignis benedictio. Nihil enim in publicam usum adhibuit unquam Ecclesia sine præcedenti benedictione. Solemnius hac die agitur hujus ignis benedictio, quia ignis ille e silice excussus videtur Christi recens ex mortuis suscitati typum ferre. Romæ solemnis hæc ignis novi benedictio fiebat olim Feria Quinta Majoris Hebdomadæ*.

Benedictio quinque granorum incenſi. Accenduntur Candelæ in trianguli formam arundini impoſitæ.

51. Post novi ignis, & quinque granorum incensi benedictionem carbones benedictos indit Acolythus in thuribulum, quo injectum incensum Sacerdos benedicit. Diaconus deinde alba induitur Dalmatica, arundinem accipit, cui tres impositæ sunt candelæ in formam trianguli, & Ecclesiam ingressus inclinat arundinem; Acolythus vero cum candela novo igne accensa unam ex iis accendit, quæ arundini sunt impositæ; & Diaconus, erecta arundine, genuflectens ait: *Lumen Christi*. Atque iterum & tertio idem fit in medio Ecclesiæ & ante altare, ut tandem tres illæ sint accensæ, quæ in trianguli formam dispositæ sunt.

Unde usus hujus arundinis originem traxerit incertum. Vertii conjectura.

52. Bissus in suo Opere littera A pag. 460. §. 4. declarat, frustra se multum operæ & studii contulisse, ut unde arundinis hujus usus originem traxerit, reperiret. Ne Martene quidem, ut ut harum rerum eruditione abundet plurimum, ea de re mentionem facit. Vertus tom. 2. Explic. Cærem. Eccl. pag. 132. contendit, non aliunde ejus Cannæ originem extitisse, quam ex eo quod principio candela in modum anguis esset inflexa quemadmodum etiamnum virgis & cannis recurvis in Ecclesiis ad Altaris candelas accendendas utimur. Quidam vero trium candelarum usum ejusmodi putant ex eo derivatum, quod olim tres candelæ funalis instar colligabantur, ne vento possent extingui. Atque id est, cur in recentibus quibusdam Cæremonialibus præscribitur, ut accensa candela in laterna feratur occlusa, ut in ea quæ fit processione tres illæ candelæ in trianguli figuram dispositæ possint accendi.

Pervetusta est hæc cæremonia accendendi tres candelas.

53. Sed utcumque sit de tempore quo ejusmodi instituta sit cæremonia, profecto eam vetustam esse constat. In Ordine enim Romano Cardinalis Gajetani hæc habentur: *Diaconus junior accipit arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit arundini*. Idem legitur in Ordine Romano Amelii, & in manuscripto Pontificali Apameensis Ecclesiæ penes Martene *De antiqua Ecclesiæ disciplina in celebrandis divinis officiis* pag. 442. primæ editionis Lugdunensis: *Benedicto novo igne, junior Diaconus Diaconorum Cardinalium, juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, de ipso novo igne triplicem candelam conjunctam accendat, & eam in capite arundinis ponat, ipsam arundinem in manu tenens* &c. Gavantus trium candelarum mysterium ita explicat: *Candelæ in calce unum quid esse deberent, & deinde distingui in tres, ad designandum Mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei*: idque eo confirmatur etiam, quod dum quælibet e candelis trianguli accenditur, dicitur, *Lumen Christi: Deo Gratias*: ut bene advertit Thomassinus de dierum Festor. celebrat. lib. 2. cap. 14. num. 7. *In Trinitatis honorem Cereum in tres divisum accendimus, ratio nos Jesu Christi lumine fusos Trinitatis penitiora Mysteria nosse*.

Benedictio Cerei refertur ad Zosimum. Videtur introducta in majoribus Basilicis ante illius Pontificis ætatem.

54. Processione expleta, fit benedictio Cerei. Anastasius Bibliothecarius in Zosimi Papæ vita hæc scribit: *Et per Parochias concessa licentia Cereos benedici*. Creatus fuit ille Pontifex anno 417. & Sigebertus ad eundem annum scribit, hanc cæremoniam ab illo Pontifice institutam esse: *Zosimus Papa decrevit Cereum Sabbatho Sancto Paschæ per Ecclesias benedici*. Alii contendunt, cum ritum benedicendi Cereum Sabbatho Sancto seculo integro ante Zosimum in Ecclesiam fuisse invectum, idque ex eo Prudentii hymno arguunt, cujus est inscriptio, *Ad incensum Cerei Paschalis*. Verum Sirmondus vetustis collatis codicibus reperit, genuinam esse inscriptionem, *ad incensum lucernæ*; ostenditque, eum hymnum non ad Cereum Paschalem, sed ad ignem esse referendum, qui quolibet Sabbatho e silice extunditur ad luminaria in templis, ut innuimus, accendenda. Itaque Prudentii hymnus vetustatem Cerei ante Zosimum minime evincit; sed neque itidem ex modo memorato libro Pontificali, qui Anastasio tribuitur, recte argui potest, Zosimum ejusmodi benedictionis auctorem fuisse. Quin etiam innuere videtur, hujusmodi ritum, quem in Majoribus solum templis, seu Basilicis antea observatum ad Parochias Zacharias extendit, multo antea fuisse introductum. Videatur institutio nostra 39. Edit. latinæ, cum qua consonat eruditus vir P. Meratus in Notis ad Gavantum edit. Romanæ 1737. 2. par. tom. 1. pag. 1149. Consonat enim Gretserus tom. 5. suorum Operum nuperrimæ edit. lib. 1. de Festis cap. 25. ubi allatis verbis libri Pontificalis ait: *Nihil hic de institutione vel Ritus, vel Cerei ipsius, sed tantum quod Ecclesiis Parochialibus consecrandi quoque Cerei Paschalis potestatem fecerit, cum antea in majoribus duntaxat Basilicis consecrari, & accendi soleret*.

Benedictionis Cerei ſignificatio ex Rupertο.

55. Omnem Cerei benedictionem Rupertus Abbas pulcherrime explicat de Divinis Offic. cap. 28. & sequen. Cereum ait significare Christum revivisentem; quod probatur etiam ex capite octavo Concilii Toletani IV. juxta secundam Garziæ editionem: *Lucerna, & Cereus in Perviliis Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur; & cur a nobis benedicantur, inquirunt: propter glorioſum enim noctis ipsius Sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut Sacræ Resurrectionis Christi Mysterium, quod tempore hujus votivæ*

noctis

noctis advenit, in benedictione sancti luminis suscipiamus. Antequam Cereus benedicatur, Diaconus illi quinque incensi grana affigit, ut significetur Christi corpus Josephi ab Arimathæa, & Nicodemi opera aromatibus esse conditum. Quinque foramina ad figuram Crucis in Cereo excavata, quo grana incensi injiciuntur, quinque Christi exprimunt vulnera. Benedictio Cerei generatim fit a Diacono, etsi reliquæ Benedictiones pleræque omnes fiant a Sacerdote. In Ecclesia solum Ravennatensi Cereum ab ipso Episcopo olim benedici consuevisse colligitur ex D. Gregorii epist. 28. lib. 9. Benedici tamen a Diacono Rupertus Abbas ait, ut significetur, non ab Apostolis Corpus Christi, sed a Discipulis aromatibus esse delibutum, ejusque Resurrectionem sanctis mulieribus prius, quam Apostolis prænunciatam; quamobrem D. Augustinus serm. 232. alias 144. de Tempore tom. 5. oper. col. 981. hæc de Sanctis mulieribus scribit: *Resurrexisse Dominum ab Angelis audierunt: fœminæ viris nuntiarunt.... Nam hoc est, quod egit Dominus Jesus Christus, ut prius illum sexus fœmineus resurrexisse nuntiaret. Quia per sexum fœmineum cecidit homo, per sexum fœmineum reparatus est homo: quia Virgo Christum pepererat, fœmina resurrexisse nuntiabat*.

Tert. qui usum Cerei ad naturales causas refert, confutatur.

56. Vertus, qui Ecclesiasticorum Rituum originem ad solas naturales causas referendam esse imaginatur, scribit, ideo Paschalem Cereum esse institutum, quod hisce cæremoniis, quæ, ut diximus, noctu peragebantur, lumine opus esset; fit enim, ut paullo post dicemus, ad Baptismalem Fontem Processio, in qua Cereus præfertur. Quia vero usus Cerei non ultra Ascensionem Domini porrigitur, nihil hic mysterii opus esse ait quod comminiscamur; certum enim aliquando tandem absumi oportere. Verum vir doctus æque ac pius Episcopus Suessionensis in præclaro Opere *De vero Ecclesiæ sensu in sacrarum cæremoniarum usu* secundæ editionis Parisien. an. 1721. pag. 225. Vertum interrogat, solumne in Sabbathi Sancti nocte Christiani in Ecclesiis Pervigilia agitarent, & quid causæ esset, cur per alias complures noctes vigilantibus Cereus non accenderetur? Præterea cur Cereus a Paschate ad Ascensionem accenderetur; in noctibus vero Natalis Domini, & Epiphaniæ, profecto æque obscuris, & longe productioribus, non item? Quæ quidem evincunt, non ad naturalem causam Cerei usum in Sabbatho Sancto referendum, sed ad Mysterium, quod tam pulchre Rupertus Abbas explicavit, cum quo consentit etiam Pougetus in Instit. Catholicis par. 1. pag. 848.

De Tabella, quæ ad Paschalem Cereum olim appendebatur, in qua exhibebatur quotus ab Incarnatione annus decurreret.

57. Veteres tradunt Scriptores, morem fuisse, ut ad Paschalem Cereum Tabella quædam appenderetur, in qua notabatur quotus annus decurreret ab Incarnatione Domini. Beda lib. de Temporum ratione cap. 45. *Fratres*, inquit, *nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in Cereis Sanctæ Mariæ scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant: A Passione Domini nostri Jesu Christi anni sunt 668*. Qui locus Bedæ Mabillonium eo induxit, ut in Commentario ad Ordinem Romanum tom. 2. Musei Italici pag. 101. animadverteret, vel in die Natali Domini ejusmodi exponi solitam Inscriptionem, ut novus enunciaretur annus, qui penes Romanos ab eo die inchoabatur; vel si eadem inscriptio exponebatur in Paschate, semper significari annum, qui a Natali Christi die numerabatur. Vide Martene De antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Offic. cap. 24. pag. 407. & Gretserum lib. 1. De Festis c. 25. pag. 74. Cereus Paschalis deinde accenditur. Rem sane miram quotannis contigisse in hac die Hierosolymis, & in Ecclesia Sancti sepulcri tradunt historici magni nominis, ut igne Cœlo delapso luminaria accenderentur; cujus miraculi cum nulla mentio fiat ab Eusebio Cæsariensi, Epiphanio, Hieronymo, Cyrillo Hierosolymitano, inde colligitur, eorum quidem ætate nihil tale contigisse, non tamen quispiam propterea jure negaverit, miraculum illud eorum historicorum ætate viguisse, qui de eo scripserunt, & ad ea usque tempora editum, cum in Palæstinam, pulsis inde qui essent Latini nominis, Photii, & Cerularii schisma a Græcis invectum est. Legendus P. Lupus tom. 4. primæ edit. ad Concilia Generalia, & Provincialia pag. 237. & sequen. ubi verisimile esse ait pag. 245. in hujus miraculi memoriam toto terrarum orbe institutum esse, ut lumina, & Cereus per hos dies accenderentur. *Quare non dubito, quin ad agendas Deo pro Hierosolymitano miraculo gratias, & ipsum omnibus sub Cœlo populis prædicandum, mos iste noster sit institutus*.

De consuetudine Roman. Pontif. cerat consecrandi, quæ dicuntur Agnus Dei.

58. De veteri Romanorum Pontificum consuetudine benedicendi & consecrandi Ceras quasdam, quæ Agnus Dei appellantur, scripsimus lib. 4. Canonizat. Sanctor. part. 2. cap. 20. n. 12. eodemque lib. 4. par. 1. cap. 5. n. 10. 11. & 12. de eorum vi ac virtute disseruimus. Illud hic adnotare libet, Ritum ejusmodi a quibusdam ad morem illum referri, cum Fidelibus particulæ quondam ceræ Paschali Cereo benedicto detractæ distribuebantur. Durandus lib. 6. cap. 79. ita testatur: *Hac die Acolythi Romanæ Ecclesiæ faciunt agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni præcedentis, admixto Chrismate, qui in Sabbatho in Albis in Ecclesiis per Dominum Papam populis distribuuntur*. Et Amalarius lib. 1. de Divinis Offic. cap. 16. *Libellus*, inquit, *Romanus narrat, eodem die* (Sabbatho Sancto) *benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri agnos, eosque reservari usque ad octavas Paschæ*. Vid. Martene loc. cit. pag. 410. num. 12. Meratum ubi supra pag. 1187. num. 66. Du Cange in Glossario verbo *Agnus Dei*.

De hymno Exultet. Ejus Auctor videtur D. August. Lectio Prophetiarum. Baptismus Catechumenorum, & infantium.

59. Dum Cereus benedicitur, interea canitur celebris hymnus *Exultet*, quem quidam infirmis ducti rationibus D. Ambrosio, alii multo etiam levioribus argumentis innixi Petro Diacono Casinensi tribuunt, qui seculo vixit 12. Illud enim constat ex minime dubiis argumentis, ante quadringentos annos illum hymnum cani in Gallia consuevisse, ideoque probabilius est scriptum esse a D. Augustino, ut ostendit Martene in citat. Opere pag. 405. & Bailletus hist. hujus diei art. 2. Benedictionem Cerei consequuntur lectiones ex Sacra Scriptura, quæ Prophetiæ appellantur. Atque inter eas Cantica, Tractus, & Orationes, seu Collectæ interjiciuntur, quæ ad Baptismi Sacramentum respiciunt, cujus administratio est prima & peculiaris hujus diei cæremonia. Id erat moris in veteri Ecclesia, ut, nisi urgeret necessitas, numquam, præterquam in Sabbatho Sancto, aut in Sabbatho, quod Pentecostes Festa præcedit, Baptismi Sacramentum conferretur, ut ex Siricii Papæ epistola infertur ad Himerium Episcopum Tarraconensem, ex epistola quarta & octogesima S. Leonis, & epistola prima Gelasii Papæ cap. 12. aliisque monumentis, quæ ipsi nos protulimus instit. prima Edit. latinæ. Atque in his duobus diebus ab Episcopo, ideoque etiam a Romano Pontifice Catechumeni baptizabantur, qui jam, ut alibi docuimus, satis eruditi fuerant, atque etiam tenelli

nelli infantes, ut videre est in Commentario ad Ord. Romanum Mabillonii tom. 2. Musei Italici pag. 95. iisque omnibus post Baptismum, Confirmationis etiam, & Eucharistiæ Sacramenta conferebantur.

Locus D. Augustini insignis. Pueris in Baptismo olim præbebatur Eucharistia sub specie vini. Abusus inficiendi in Calicem mel & lac.

60. Rem omnem describit Augustinus Serm. 324. *Baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus Sacramentis assumptus est:* quod etiam antea S. Cyprianus expresserat Epistola Synodica num. 70. Quod ad puerorum Communionem attinet, in libello de Ordine Romano, ubi sermo est de Sabbatho Sancto, hæc habentur. *Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramentum Corporis Christi, & omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedant, & Parentes offerant pro illis, & communicent omnes.* Cabassutius Dissertatione quinta in *Notitia Ecclesiastica seculi primi* probat, primorum seculorum fuisse disciplinam, ut pueris post Baptismum Eucharistia præberetur sub specie vini. Baptizans enim digitum Christi sanguine imbutum in os pueri injiciebat; quod etiamnum in more positum in quibusdam Regionibus Orientalibus, testatur Orientalium Rituum peritissimus Maronita Abrahamus Ecchellensis. Joannes Diaconus in epistola a Mabillonio edita in primo Tom. Musei Italici propositam sibi a Senario quæstionem exponit: *Cur in sacratissimum Calicem lac mittatur, & mel, & Paschæ Sabbatho cum Sacrificiis offeratur?* Atque ita respondet: *Baptizatis hoc Sacrificii genus offerri ut intelligant, quia non alii, sed ipsi, qui participes sunt Corporis & Sanguinis Domini, terram repromissionis accipient; cujus iter inchoantes tanquam parvuli lacte nutriuntur & melle.*

Parvulos baptizatos nonnisi accepta Eucharistia salvos fieri, sententia est falso afficta D. Augustino. Ea Communio res fuit disciplinæ ex Tridentino. Lac & mel benedici tantum, non inici in Calicem jussit Concilium Africanum.

61. Numquam sacra existimavit Antiquitas, pueros baptizatos, nonnisi accepta Eucharistia, salvos fieri. Recentiorum quidam ejusmodi opinionem S. Augustino sane audacter affinxerunt. Verum clarissimæ memoriæ Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis §. 4. explicata S. Doctoris doctrina, ostendit, numquam illum in ea fuisse sententia. Et Sancta Tridentina Synodus Sess. 21. cap. 4. Communionem parvulorum refert ad ea, quæ sunt disciplinæ. *Denique eadem Sacrosancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servavit aliquando. Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certi eos nulla salutis necessitate id feciſſe sine controversia credendum est.* Prava autem eorum fuit consuetudo, qui lac & mel in Calicem injiciebant: nam in vulgato Ordine Romano habetur quidem lactis, & mellis benedictio, sed ea non indebantur in Calicem, sed post Eucharistiam sub specie vini infantibus sugenda præbebantur. Quamobrem Africanum Concilium decrevit, ne quidquam præter panem, & vinum aqua mistum in Sacrificio offeratur. *Primitiæ vero, seu mel & lac, quod uno die solemnissimo in Infantum Mysterio solet offerri, quamvis in Altari offerantur, suum tamen habeant benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur*; quod advertit etiam eruditus vir Berlendus in Tractatu de Oblationibus ad Altare pag. 4. & 5.

Differitur de præsenti, qua nunc utimur, disciplina.

62. Sed jam, veteri disciplina omissa, ad eam, qua nunc utimur, nostra transiliat oratio. Sabbatho Sancto Catechumeni adulti, atque etiam infantes baptizantur; atque in Episcoporum Cæremoniali præscribitur, ne cuiquam infanti in Ecclesia, in qua Episcopus Sabbathi Sancti cæremonias est celebraturus, per octo dies ante idem Sabbathum, dummodo nulla urgeat necessitas, Sacramentum Baptismi administretur. *Si aderunt Catechumeni, baptizentur more solito ab Episcopo &c. & per octo dies ante in ipsa Ecclesia, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur.* Adultis autem Catechumenis bene jam eruditis, post Baptismum, Confirmationis etiam, & Eucharistiæ sub una tantum specie sacramenta conferantur. Ubi vero sit fons Baptismalis, quamvis nullus esset baptizandus, fit nihilominus ad ejus benedictionem processio.

Cæremoniæ in benedictione Fontis.

63. Præcedit Acolythus manu Cereum benedictum tenens, sequitur qui Crucem gestat, ac deinde procedit Clerus; ultimus est qui Missam celebrat inter Diaconum & Subdiaconum medius. De hujusmodi ritus benedicendi Fontes vetustate, & sanctitate prima institut. editionis jam citatæ disseruimus; quo Lectorem amandantes, hic tantum addimus, dum ad Fontem proceditur, Antiphonam cani interea, *Sicut cervus*, ut declaretur, Catechumenos sancto desiderio flagrare, ut ad fontem gratiæ Baptismum perveniant, non aliter quam cervi sitibundi ad fontem aquarum convolant, suam ut expleant sitim. In Crucis figuram aqua dividitur ad quatuor mundi plagas, quo significatur, Baptismatis gratiam in mundum universum diffundendam; præcepit enim Discipulis suis Jesus, ut terram peragrantes omnes docerent gentes, sacroque Baptismate abluerent, ut bene notat Mazzinellus in notis ad officium Majoris Hebdomadæ pag. 293. In modum itidem Crucis Sacerdos in aquam spiritum suum inhalat, *ut cum Cruce Trinitatem conjunget*, ut ait Gavantus; Cereum deinde in aquam semel, iterum, & tertio immergit, & inde tollit, *ut Spiritus Sanctus sua plenitudine fontem impleat, sicut quando descendit in specie Columbæ in Baptismo Christi adumbrati in hoc Certo demerso in aquam: elevatio autem ejusdem Cerei significat effectum Baptismi, qui confert gratiam elevantem a peccato ad gloriam.* In aquam præterea Oleum Catechumenorum, & Chrisma infundit, eaque commiscet, *ut indicetur conjunctio Christi per Baptismum cum populis Ecclesiæ*; quæ sunt Gavanti verba. Ejusmodi autem harum cæremoniarum explicatio partim ex Amalario lib. 1. cap. 25. partim ex Honorii Gemma lib. 3. cap. 3. partim etiam sumpta est e Durando lib. 6. cap. 81.

Quando incipi debeant Litaniæ.

64. Fontis Benedictione peracta, & administrato, si opus fuerit, Baptismo, omnes eodem ordine, quo ad Fontem processerant, redeunt ad Altare, & in hac processione canuntur Litaniæ. Quæstio est inter Scriptores de Sacris Ritibus, priusne quam Processio a Fonte discedat, incipi debeant Litaniæ, quæ interea canantur, dum proceditur ad Altare; an vero postquam ad Altare perventum est. Solvit quæstionem hanc Meratus in Notis ad Gavantum pag. 1168. dicens, primum modum esse in inferioribus, alterum in Cathedralibus Ecclesiis servandum. Inferioribus enim Ecclesiis Rubricas Missalis, Cathedralibus vero Cæremoniale Episcoporum normam esse debere. Si autem Ecclesia Baptismali careat fonte, lecta ultima Prophetia, & orationibus, quæ eam consequuntur, humi Sacerdote, & Altaris Ministris in faciem provolutis, cæteris vero omnibus genuflexis, cantantur

Li-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Litaniæ. In Sacramentario S. Gregorii, & in Ordine Romano præscribitur, ut quando in Litaniis canitur *Agnus Dei*, Altaris lumina accendantur; lumen enim Fidei per Christum Agnum Dei nobis illuxit, ut bene notat Amalarius l. 1. cap. 30.

Descriptio reliquæ Cæremoniæ, & Missæ usque ad Tractum.

65. Sabbathi Sancti Missa caret Introitu, qui cum Introductio quædam esset ad publicas preces, canereturque interea dum populus conveniret, & ad Altare Sacerdos accederet, eo jam nihil est opus in hac Missa; Populus enim jam convocatus cum Sacerdote, & Clero Processioni ad Baptismalem Fontem interfuit, ut videre est apud Meratum cit. opere pag. 1176. num. 5. Simul ac Sacerdos Hymnum præcinuerit, *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur Campanæ, quas a Feria Quinta cessare diximus; Campanæ enim Sanctos significant Christi præcones; quamobrem ab eo die quo Christus satellitibus traditus est, campanarum usus intermittitur usque ad hunc diem; nam sancti Apostoli in maximo Passionis æstu Christum deseruerant; & Petrus in eo discrimine aufugerat, ut docuimus in instituto. 20. edit. latinæ pag. 118. ubi de hoc ritu verba fecimus. Epistola sumitur ex prima, quam scripsit D. Paulus ad Corinthios, qua recens baptizatos monet, ut resuscitati cum Christo, nulli rei præterquam cœlestibus studeant. Lecta Epistola, Sacerdos canit *Alleluja*, quæ a Septuagesima usque ad Pascha omittitur, propterea quod tempus illud pœnitentiæ, mœrori, & luctui additum est. Hoc autem die *Alleluja* revocatur; etsi enim ejus vocis non alius sensus est litteralis, quam *laudate Deum*; tamen, si ejus spectetur usus, exclamatio quædam est lætitiæ, ut idem fere valeat, quod valet apud Latinos *plaudite*. Liceat tamen illud obiter addere, quod Ecclesia Romana olim etiam in Defunctorum exequiis canebat Alleluja, ut constat ex Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ: *Jam fama volans tanti præconia luctus, totius Urbis populum ad exequias congregabat, sonabant Psalmi, & auratæ tecta Templorum reboans in sublime quatiebat Alleluja*. In Quadragesima quoque interdum ea vox adhibebatur, quam prorsus amovit Gregorius Magnus, ut patet ex epist. 64. Indict. 2. ad Joannem Episcopum Syracusanum. Quod enim quidam objiciebant, sumptum ejusmodi Ritum a Græcis, respondet Sanctus Pontifex, S. Damasi Papæ tempore ab Hierosolymitana in Romanam Ecclesiam consuetudinem invectam fuisse canendi *Alleluja*; se propterea neque induxisse, neque amplificasse ait, sed potius coarctasse, quia, ut putamus, a Quadragesima, & ab Exequiis mortuorum eam vocem summoverat. *Ut Alleluja hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex Beati Hieronymi traditione, tempore Beatæ memoriæ Damasi Papæ, traditur tractum. Et ideo magis in hac Sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita*. De Alleluja iterum sermonem habebimus tom. IX. pag. 91. & 92.

Cur post Alleluja dicatur Tractus.

66. Alleluja, quæ lætitiæ vox est, Tractus consequitur, qui doloris signum est; Ecclesiæ enim nondum est absoluta lætitia; nam illa reviviscentis Christi mysterium celebrat, qui tamen nondum apparuit. Evangelium ex primo Evangelistarum Matthæo desumptum Resurrectionis historiam continet; nec ad Evangelium afferuntur lumina; cum enim nondum se Christus reviviscens conspicuum præbuisset, Fides idcirco adhuc erat obscura juxta Alcuinum. Omittitur in hac Missa *Credo*; nec ullum in ea est Offertorium, quod Gavantus ad illud refert silentium, quo sanctæ mulieres cum aromatibus se ad sepulcrum Domini contulerunt; & cum eo sentiunt Walafridus Strabo de rebus Ecclesiæ cap. 22. & Abbas Berno cap. 1. de rebus ad Missam spectantibus.

Cur offertorium omittatur, quorundam opinio.

67. Cum Offertorium cantaretur interea dum panis & vinum offerebantur, quæ ad Sacrificium adhibenda erant, quidam considerantes, jus offerendi cum communicandi jure ita esse conjunctum, ut qui a Communione, etiam ab oblatione arceretur, juxta Can. 28. Concil. Illiberitani. *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*; putant, ideo in Sabbathi Sancti Missa Offertorium cœptum esse prætermitti, quod nulli eo die Eucharistia præberetur.

Reficitur ea opinio. Probabilior alia opinio Meratsi.

68. Verum in hac Missa non Catechumeni modo, & infantes, sed cæteri quoque, qui aderant, communicabant, ut patet ex Sacramentario S. Gelasii lib. 1. cap. 15. in oratione enim, quæ dicitur *Postcommunio*, legitur: *Præsta quæsumus &c. ut divino munere satiati, & sacris mysteriis innovemur & moribus*. Id ipsum probat Grancolas ad Breviarium Romanum lib. 7. cap. 21. & eruditus Morettus Basilicæ S. Mariæ Trans Tyberim Canonicus *in Disceptatione de Ritu variandi Chorale indumentum*, c. 14. Quapropter opinio, quam dudum exposuimus, nullo fulcitur fundamento, nec ab ea recedendum videtur, quam supra attulimus; nec refragatur Meratus cit. Opere pag. 1179. & sequen. qui addit, fortasse prætermitti cœptum Offertorium, ut Missa brevior esset; quam contrahere opus fuit, ut vitaretur quam maxime poterat vagitus infantium, qui Baptismum suscepissent; difficile enim erat, quin, præsertim jejuni, ploratu, & ejulatibus omnia complerent.

Gavanti rationes, cur in hac Missa nec osculum pacis, nec Agnus Dei, nec Postcommunio fiat.

69. Tandem non osculum Pacis in hac Missa, non *Agnus Dei*, non *Postcommunio*. Gavantus ait, idcirco non dari osculum pacis, quod nondum Apostolis Christus apparuerat, nec dixerat, *Pax vobis*. Non dicitur *Agnus Dei*, juxta eundem Gavantum, propter mulierum silentium, quæ in Christum Redemptorem animarum nondum credideranr; cum quo Alcuinus, & Durandus consentiunt. Denique juxta ejusdem Gavanti sententiam, non dicitur Postcommunio, quia in hac Missa, quod tamen supra improbavimus, populus non communicabat.

Vetus ritus osculi in hac nocte ante Matutinum cum iis verbis Surrexit Dominus.

70. In Ordine Romano ab Hittorpio edito pag. 55. ita legitur: *In ipsa nocte matutina luce rumpente tenebras surgentes in Ecclesiam veniant, & mutua charitate se invicem osculantes dicant: Surrexit Dominus*. Ex quibus intelligitur, veterem fuisse consuetudinem ut antequam inciperet Matutinum in Paschate, quod noctu canebatur, Fideles se invicem amplexi dicerent: *Surrexit Dominus*. Atque inde profectum esse ait Grancolas, ut in Missa Sabbathi Sancti, quæ olim eadem illa nocte paullo ante Matutinum Paschæ celebrabatur, osculum pacis prætermitteretur.

Agnus Dei jussit dici in Missa Sergius I. Cur tertio dicatur, Dona nobis Pacem: At in Basilica Lateranensi dicatur tertio, Miserere nobis.

71. Sergius I. Pontifex, quem ex lib. Pontificali constat circa 7. seculi finem vixisse, instituit, ut fracta Hostia, ejusque particula in Calicem injecta, Clerus & Populus ter caneret *Agnus Dei*. Verba Pontificalis libri sunt: *Statuit ut tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, a Clero, & Populo decantaretur*. Et quamquam statuit, ut eadem verba ter dicerentur, nunc tamen, cum tertio dicitur *Agnus Dei*, pro illis verbis *miserere nobis*, in omnibus Ecclesiis dicitur *Dona nobis pacem*, excepta Lateranensi Ecclesia, ubi vetus etiam-

num disciplina retinetur dicendi semel, iterum, ac tertio *miserere nobis*. Constat enim, a seculo septimo ad decimum semper etiam tertio dictum esse *miserere nobis*; ad tollendum vero schisma, seu ad divinam opem implorandam, ut imminentibus Ecclesiæ periculis Deus occurreret, loco motis illis verbis, substituta sunt, *dona nobis pacem*; quod testatur Innoc. III. Pontifex lib. 6. de Mysteriis Missæ cap. 6. & fuse probat Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2. c. 16. num. 5. Quod hactenus diximus, confirmat Casalius *de veter. Sacr. Christianorum Ritibus*, Romæ 1647. *inter notabilia*, pag. 404. & Lateranensis Ecclesiæ ritum præcipue commemorat: Additque, si coram summo Pontifice solemnis celebretur Missa, Cantores Pontificiæ Capellæ ad tertium Agnus Dei succinere, *Dona nobis pacem*. Quod autem ad hujus diei Missam attinet, prætermittitur Agnus Dei: *quia hæc nova est adjectio; hæc enim deprecatio instituta fuit a Sergio Papa, qui sedit anno 688.* Sunt verba Merati cit. Opere pag. 1182. qui etiam addit, ideo *Postcommunionem*, eamque, quæ *Communio* dicitur, Orationem, etsi olim utraque recitaretur, omitti, quod in earum locum suffectæ sint Vesperæ, quas verius appellari posse ait *Gratiarum actionem*, quam *officium Vesperarum*.

Ritus ornandi septem Altaria ex Joanne Diacono. Altum de eo silentium apud alios Scriptores. Conjectura aliquot, unde ille originem traxerit.

72. Peculiarem quendam Ecclesiæ Romanæ Ritum commemorat Joannes Diaconus in allata Epistola, ornandi septem Altaria in Sabbatho Sancto. Cujus Ritus idem Joannes rationem se nescire fatetur. Et Mabillonius in Museo Italico tom. 2. pag. 101. ne vestigium quidem ullum reperiri miratur ejusmodi Ritus apud Rerum Ecclesiasticarum Scriptores, ac ne in Romanis quidem Ordinibus. Nos alias Septem Altarium, quæ in multis reperiuntur templis, & quorum visitatione acquiritur Indulgentia, originem investigavimus, sed frustra. Ex hoc autem Ritu, de quo Joannes Diaconus, fortasse septem Altaria visitantibus largita indulgentia originem traxit; verum id eruditorum diligentiæ examinandum relinquimus. Grancolas in veter. Sacramentar. Ecclesiæ Par. 1. pag. 45. Epistolam Joannis Diaconi commemorat, quam testatur in Bibliotheca Christinæ Svecorum Reginæ a Mabillonio repertam. In ea Epistola ritum illum ornandi septem altaria refert Joannes vel ad septem dona Spiritus Sancti, vel ad septem Urbis regiones. *Quod de septem altaribus inquisisti, quæ in Urbe Roma Sabbatho Paschæ moris est consecrari, hoc ideo dico, quia Majores nostri sive in septiformis gratiæ Spiritu decreverint faciendum, sive quia Septem Regionibus Ecclesiastica apud nos militia continetur, a qua hæc ipsa parantur Altaria, ut singulis benedictio præstetur.* Hæc tamen illi non satisfaciunt; quemadmodum ne ipse quidem cæteris satisfacit in eo, quod subjicit, oportuisse, aucto Sacerdotum numero, multiplicari altaria; nam dubium remanet adhuc cur Sabbatho Sancto, & rursus cur septem admodum altaria ornarentur?

Ritus peculiares aliarum Ecclesiarum.

73. In quibusdam Ecclesiis peculiares hoc die cæremoniæ sunt. Ante preces & laudes matutinas Sacerdos e sepulcro Christi imaginem educit, ipsiusque imaginis pedibus Ecclesiæ pulsat fores, Davidicum illud succinens, *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales*: & Ecclesiæ foribus apertis cantatur hymnus de Resurrectione. Ritum hunc commemorat Gretserus lib. 1. de Festis cap. 23. eumque a Græcis injuria carpi contendit. Salmeron tom. 10. tract. 49. scribit, morem esse in quibusdam Provinciis, magna ut populi frequentia Sabbatho Sancto repræsentetur Christi depositio e Cruce; sed optandum esse ait, ut Episcoporum Edictis talia spectacula interdicantur, quod ea pluribus gravibusque peccatis occasionem præbeant perpetrandis. Quod tamen Quaresmio non placet, qui Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 5. cap. 18. eam cæremoniam defendit, quam pie ac devote, Religiosis Terræ Sanctæ auctoribus, testatur Hierosolymæ a Christianis celebrari. Sed hæc bene fortasse Hierosolymæ; in aliis vero Regionibus non item. Quamobrem Episcopi, qui bonos populorum suorum mores tuentur, curant ejusmodi deleri consuetudines, quæ principio pietatis quodam sensu fortasse sunt introductæ, sed paullatim eo sunt prolapsæ, ut populo offensionem pariant. Testis locupletissimus est Armandus S. R. E. Cardinalis de Rohan Episcopus Argentinæ, qui Decreto suo edito anno 1742. & ad calcem Ritualis illius Ecclesiæ impresso talia interdixit.

CAPUT IX.

De Dominica Paschæ, ac de duobus Festis, quæ consequuntur.

Verum Etymon vocis Pascha & cur id nomen huic Festo inditum.

1. SAbbathum Sanctum dies Paschæ, idest Dominica Resurrectionis, cum duobus aliis diebus festis consequitur. Hebraica vox est *Pascha*, quæ transitum significat. Præcepit Deus Hebræo populo, ut hoc festum celebraret, & memoriam maximi beneficii recoleret, cum ex Ægyptiorum servitute fuit ereptus, & exterminator Angelus, ut alibi diximus primogenitos Ægyptiorum interfecit, Hebræorum domos præteriens, quæ sanguine Agni pridie ejus diei immolati essent respersæ. Cum autem hac die Resurrectionis Christi memoria celebretur, propterea huic diei Paschæ nomen est inditum. Etenim a morte Christus ad vitam rediens, triumphansque de Diabolo, hominibus ab ejus servitute, & æterna morte liberatis, *vitæ æternæ nobis aditum, devicta morte, reseravit*; ut in hujus diei oratione loquitur sancta Ecclesia. Quidam putant, vocem *Pascha* ductam a Græco verbo πάσχω, id est *patior*, quod ad Christi Domini Passionem referatur. Vera tamen sententia est, *Pascha* nomen esse Hebraicum, & Transitum, ut diximus, significare.

Origo hujus Festi ad Apostolos referenda. Olim per totam Hebdomadam festi erant dies usque ad sec. 12.

2. Hujus Festi origo ad Apostolos referenda, ut ait D. Aug. Ep. 54. & ideo S. Gregorius Nazianzenus eam appellat Festum Festorum, & solemnitatem solemnitatum; & juxta veterem disciplinam non die tantum Dominica, duobusque consequentibus diebus, sed per integram hebdomadam memoria Resurrectionis Christi celebratur, ut septem omnibus illis diebus festum esset de præcepto, ut patet ex Concilio quodam Lugdunensi, quod refertur in Can. 1. De Consecrat. Dist. 3. ubi inter Festa per annum celebranda recensetur *Sanctum Pascha cum tota hebdomada*. Plurima etiam id confirmant usque ad secundum 12. monumenta apud Martene De Antiqua Ecclesiæ Disciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 25. num. 1. & sequen. apud Gretserum in sæpe cit. lib. 1. de Festis c. 26. & apud Thomassinum de dierum festorum celebratione lib. 2. c. 16. n. 1.

Nullus hic sermo de Resurrectione, de qua supra in Sabbatho Sancto.

3. Cum de Sabbatho Sancto dissereremus, de Resurrectione, & apparitione Christi, qui hac die revixit, seque conspicuum exhibuit, Evangelicam expositionem historiam; ideoque de ea nihil est quod amplius dicamus. De celebri vero controversia, quorum die Pascha sit celebrandum, pauca quædam breviter perstringemus.

Dissensus Ecclesiarum Asiæ

4. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater,

a Romana Ecclesia de tempore celebrandi Paschatis. Nihil inde turbarum in Ecclesia exortum usque ad finem secundi seculi.

ter, veterem sequuta morem, Pascha celebrabat ea Dominica, quæ post vernum æquinoctium decimamquartam Martii Lunam consequeretur. At Asiæ Ecclesiæ Pascha juxta Hebræorum ritum celebrabant decimaquarta Luna Martii, in quamcumque diem ea Luna incidisset.

5. Ea controversia, tamquam ad solam pertineos disciplinam, principio nihil turbavit in Ecclesia. Et sane cum Polycarpus Smyrnensis Episcopus, qui Asiaticum Ritum sectabatur, Romam venisset, neque Pascha cum Aniceto Pontifice juxta Romanum, & universalem Ritum celebrare voluisset, nihil tamen propterea de veteri eorum amicitia detractum est, & Polycarpus cum osculo pacis Roma discessit.

Asiatici Episcopi primi turbas excitarunt Romanæ Ecclesiæ, consuetudinem improbantes. Victor Papa eorum vicissim consuetudinem improbat.

6. Sub finem secundi seculi Polycrates Ephesinus Episcopus, Concilio cum aliis Episcopis habito, Epistolam Synodicam ad Victorem Papam scripsit, cujus pars apud Eusebium extat Hist. Eccl. lib. 5. in qua una cum cæteris Orientalibus Episcopis declarabat, fieri contra traditionem a S. Joanne Evangelista acceptam, si alio die, quam decimaquarta Martii Luna, Pascha celebraretur. Tum vero Victor Pontifex, coacto Romæ Episcoporum Concilio, decrevit, Asiaticos, qui Pascha in Dominica non celebrarent, & Romanæ adversarentur disciplinæ, ab unitate Ecclesiæ, & a Fidelium communione separandos, misitque ad eos Epist. Synodicam, de qua meminit Eusebius lib. 5. Eccles. Hist. c. 24.

Ea Controversia in Nicæno Concilio repressa.

7. Ad eam dissensionem componendam plura variis in locis Concilia celebrata sunt. Et quamquam Gallicana Ecclesia Romanum Ritum servabat, tamen Irenæus Lugdunensis Episcopus cæterarum etiam Ecclesiarum nomine scripsit ad Victorem Pontificem, illum cohortatus, ne propter ejusmodi controversiam, quæ ad disciplinam tantum pertineret, Asiæ Ecclesias a sua Communione sejungeret: diversam enim esse posse disciplinam, quin unitas lædatur Ecclesiæ. Hic vero qui Ecclesiasticam profitentur historiam, quærunt, precibusne Irenæi Victor lenior factus excommunicationis effectum suspendens Asiaticis Ecclesiis pacem reddiderit, an vero nunquam Excommunicationis sententiam revera tulerit, sed tantummodo sit minitatus. Res satis vulgata est apud juniores eruditos: ex his autem videas præsertim Schelstrat par. 2. *Antiquit. illustratæ* dissert. 1. ar. 3. qui hanc controversiam accuratissime tractat. Tandem anno 325. ea dissensio in Nicæno Concilio conquievit, in quo decretum est, juxta Romanæ Ecclesiæ, cæterarumque Ecclesiarum Traditionem, Resurrectionem Christi Domini, quæ Pascha dicitur, ea celebrandam esse Dominica post decimamquartam Lunam, quæ vel in æquinoctium vernum caderet, vel illud proxime consequeretur; Diem autem vigesimum primum Martii deinceps tanquam æquinoctii diem habendum, ut omnis, quæ ab astronomicis rationibus oriri posset de vero æquinoctio controversia removeretur. Concilio Nicæno adfuit ipse Constantinus Imperator, qui nihil reliqui sibi fecit, ut Decreto omnes obtemperarent. Imperatoris Epistolam ad Episcopos, qui Concilio non adfuere, affert Gelasius in Historia Concilii Nicæni lib. 2. c. 33. *Lætum etiam nuntium vobis afferimus de consensu omnium in celebrando Sanctissimo Festo Paschatis, quod ea res etiam vestris precibus recte constituta est, ita ut omnes Fratres in Oriente, qui antea Judæos imitari consueverant, jam deinceps cum Romanis, & vobis, omnibusque nobis, qui eundem morem vobiscum a primis temporibus in eo recolendo tenuimus, Sanctissimum Festum Paschatis concordissime celebraturi sint.* Extat ipsius Concilii Nicæni Epistola Synodica ad Alexandrinam Ecclesiam apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. vide Eusebium in vita Constantini lib. 3. cap. 6. & Socratem Eccl. hist. lib. 1. cap. 9. Quidam S. Pii Papæ decretum proferunt, qui anno 141. regebat Ecclesiam. In eo Decreto statuit Pontifex, ut Pascha in Dominica celebraretur. Sed hæc Decretalis habetur apocrypha, licet in Eusebii Chronico hæc legantur: *Sancitum est a Pio, ut Resurrectio Dominica Dominico die celebretur, quod a pluribus postea Pontificibus confirmatum est.* Arnaldus enim Pontacus ea verba a manuscriptis Codicibus abesse animadvertit; atque id est, quamobrem Scaliger in nova ejus Chronici editione ea verba omiserit.

Ratio, quare per hos dies tam breve fit Officium.

8. Breve per hos dies usque ad Dominicam Officium recitatur, cui unum tantummodo nocturnum est, idque brevissimum. Cujus brevitatis ratio historica, & naturalis ea est, quod cum Christiani ad multam noctem in Officio & Missa Sabbathi Sancti detenti fuissent, & rursus, paullum refectis viribus, ad Officia divina redirent, nocte jam vergente in diem, pluribus recitandis Nocturnis spatium non suppetebat. Propterea unum duntaxat satis esse oportuit; isque mos tota hebdomada retinebatur, quia quidquid in Ecclesia prima die, præsertim quod ad Neophytos attinet, fieri solebat, idem per reliquos hebdomadæ dies factitabatur, ut apud Martene de antiqua Eccl. disciplina in celebrandis Divinis Offic. cap. 25. num. 25. & apud Mazzinellum in Notis ad Officium Hebdomadæ Sanctæ pag. 313.

Sequentia Victimæ Paschali in Missa. Ejus auctor quis fuerit.

9. In Missa dicitur Sequentia *Victimæ Paschali*, cujus jure Gavantus ait non satis nobis esse cognitum quis fuerit Auctor: & sane Bellotte in Observationibus pag. 416. eam Beato Hermanno Contracto; Herrera vero apud Card. Bonam Rerum Liturgicarum Lib. 2. cap. 6. n. 6. Orgero Abbati S. Galli tribuit.

CAPUT X.

De Festo Ascensionis, quod Feria 5. celebratur, quæ Dominicam quintam post Pascha consequitur.

Recensentur Christi apparitiones, antequam ascenderet in Cælum. Apparet Christus Apostolis post dies octo præsente Thoma.

1. ASCensionis solemnitas Feria 5. celebratur post quintam Dominicam Paschæ. Revixerat jam Christus Dominus, seque ipso resurrectionis die videndum sæpe exhibuerat; cum *post dies octo*, Apostolis in eodem loco congregatis, quo antea Thoma absente, apparuerat, rursus iis repente adstitit, cum etiam Thomas adesset. *Iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis* (introivit iterum occluso licet ostio) *Venit Jesus januis clausis, & dixit: Pax vobis.* Thomam autem invitabat: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed Fidelis:* cumque respondisset Thomas, *Dominus meus, & Deus meus;* dixit Jesus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ita refert Joannes cap. 10. v. 26., & seqq.

Ea apparitio contigit Hierosolymis.

2. Hæc autem apparitio non in Galilæa, sed Hierosolymis contigit, ut ex Joannis verbis colligitur: *Iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis.* Itaque e duabus illis vocibus *iterum*, & *intus* manifesto constat, Discipulos fuisse in eodem loco, & Cœnaculo, in quo fuerant tum, cum, absente Thoma, Christus eis apparuit; id vero ut Hierosolymis contigit, ita Hierosolymis contigisse oportuit quicquid narrat Joannes cap. 20. juxta ea, quæ accurate ad-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

vertit Suarez in 3. part. D. Th. tom. 2. q. 55. art. 4. disp. 49. sect. 5. in princ.

Christus introiit occlusis foribus. Inanes haereticorum cavillationes, ut explicent, qui demum id fieri potuerit.

3. Cum Christus revera ad vitam redierit, atque ideo ejus anima cum corpore, quicum antea juncta fuerat, rursus copulata sit; cumque post Resurrectionem ejus Corpus non phantasticum, seu apparens, sed solidum verumque fuerit, ut probat D. Thomas 3. par. quæ. 54. art. 1. quæritur qui fieri potuerit, ut ubi erant Apostoli, illuc ostio clauso introierit. Non hac apparitione modo, sed etiam illa, quæ ante octo dies contigerat, & de qua verba fecimus c. 8. n. 44. Christus occlusis foribus introivit; ut videre est apud Joann. cap. 20. vers. 19. qui de priore apparitione ait: *& fores essent clausæ*; & de secunda: *venit Jesus januis clausis*. De hoc Servaroris nostri ingressu agentes heterodoxi quidam Scriptores putant, Christum noctu quidem, quo tempore clauduntur fores, sed iis apertis introisse: cui opinioni tamquam fundamentum substruunt ea verba: *Cum fores essent clausæ*, quasi ea ad tempus referenda sint, quo domorum occludi solent fores. Sed textus non habet tantum, *Cum fores essent clausæ*, sed in eo præterea legitur: *venit Jesus januis clausis*. Quapropter nemo est, quin intelligat, illa verba *non tempus, sed modum intrantis significare*, ut ait Estius in cap. 20. Joann. num. 9. Facessant igitur ejusmodi impiæ, & ineptæ opiniones, & cum S. Cyrillo potius dicamus: *Hic nemo quærat, quomodo clausis januis Corpus Domini penetravit, cum intelligat, non de homine, sed de omnipotente Filio Dei hæc scribi*. Considerandum glorioſi corporis cum Divinitate conjuncti longe aliam ac aliorum corporum esse naturam: *Aliam esse conditionem Corporis glorioſi, quocum unitur Divina natura, ut de illo ſtatui non debeat ex conſuetudine*: verba sunt Lamy Concord. Evang. lib. 5. cap. 43. §. 36. Dominum, qui nunc introivit, etsi fores essent clausæ, illum eundem esse, qui in ortu suo ex utero licet clauso Virginis prodiit in lucem, *clauso Virginis utero*, & post mortem revivisens prodiit clauso sepulcro, ut legitur in Notis Duhamel ab Bibliam Sacram nuperrimæ Lovanienſis edit. ann. 1740. ad illum D. Joan. locum num. 19. Calmetus cap. 20. Joan. num. 19. ait, nihil hic esse loci rationibus philosophicis, quæ non nisi in natura, & naturalibus corporum actionibus versari solent. Quamobrem dicendum est, vi Divinitatis Corpori unitæ, non ipsius Corporis virtute id factum esse, ut docet D. Thom. 3. p. qu. 54. art. 1. ad primum. *Dicendum est, quod non ex natura corporis, sed potius ex virtute Divinitatis unitæ illud corpus ad Discipulos, licet verum esset, januis clausis introivit*. Atque D. Augustinus multo antea docuerat Tract. in Joan. 121. tom. 3. Oper. Col. 808. §. 4. *Moli corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt; ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas matris inviolata permansit*. Huc accedit, quod post Resurrectionem Corpus Christi verum quidem & integrum, sed etiam gloriosum fuit; ut probat idem S. Thomas art. 3. ideoque ad eam subtilitatem redactum, ut nihil illi, quocumque introire vellet, esset impervium.

Thomas ipsa tetigit Corpus Christi. Solvitur quædam objectio.

4. At vero cum Corpus Christi esset gloriosum, qui potuit Thomas Apostolus lateris, & manuum vulnera tangere? id enim indicium facit, corpus palpabile fuisse, ac propterea corruptibile: quod autem corrumpi potest, id gloriosum corpus esse non potest. Glossa, & Euthymius putant, Thomam Apostolum non tetigisse vulnera, sed vidisse, idque ex his verbis elicitur: *Vide manus meas*. Contra tetigisse contendunt Ambrosius, Augustinus, & Gregorius. Et sane Christus jussit Thomam sibi cicatrices tangere. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Joan. cap. 20. vers. 27. Itaque nihil plane est, quamobrem putemus Thomam præcepto Christi non obtemperasse. Vid. Calmet. num. 26. & Corn. a Lapide num. 27. in cap. 20. Joannis. Quod autem Corpus, etsi glorioſum esset, tangi potuerit, Cyrillus & Chrysostomus ajunt, resistentiam, qua corpus palpari potest, proprietatem esse quantitatis, quam Christus, cum sibi liberet, poterat Corpori eripere: quod etiam de visibilitate dicendum est; cui enim est corpus glorioſum, is conspicuum se præbere, vel ab aliorum oculis, prout vult, sese potest eripere. Divus Thomas loc. cit. art. 3. in respons. *ad secundum* ait, Corpus Christi natura sua etiam post Resurrectionem fuisse palpabile: atque adeo corruptibile etiam fuisse futurum, si absque gloria fuisset, quæ ab Anima Beata in ipsum redundabat.

Ex Thomæ verbis evincitur Christi Divinitas.

5. Notatu maxime digna sunt in his apparitionibus verba Thomæ Apostoli ad Jesum: *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus*. Nunc enim primum in Evangelio Dei nomen Christo diserte tribuitur: diserte, inquam, nam alibi non quidem eadem, sed æquipollenti loquendi forma Christum Deum esse significat Evangelium; ubi dicitur, Verbum esse Deum, & Verbum carnem assumpsisse; ex quo luculentissime apparet, Christum esse Deum, quoniam ipse est Verbum caro factum. Thomas Apostolus Deum esse nondum crediderat, nec propterea ad vitam rediisse. Cum autem eum revixisse vidit, sese credere professus est, illum Deum esse, qui Divinitatis suæ vi corpus suum a morte ad vitam revocaverit. *Mira, & magna est confessio discipuli paullo ante increduli, & qualem ante non legimus. Quamvis enim Petrus, atque etiam alii Christum fuissent confessi Filium Dei, nemo tamen ante Thomam legitur expressis verbis dixisse Christo*: Deus meus es tu. *Igitur sicut in Paulo, & sic in Thoma singulariter ostendere voluit Deus potentiam gratiæ suæ, ut ubi superabundavit delictum, superabundaret & gratia*: verba sunt Estii in cap. 20. Joannis num. 28. Reliqua, quæ supra diximus confirmat Maldonatus in idem cap. 20. Joannis num. 28. *Non respondet Thomas, quod respondendum esse videbatur: Credo Domine te esse; credo te a mortuis surrexisse: sed respondet quod majus est: Dominus meus, & Deus meus: non solum confessus, Christum surrexisse a mortuis, sed, quod inde sequebatur, Deum ac Dominum verum esse, qui sese a mortuis suscitasset*. Arianos Divinitatis Verbi hostes textus hic acerrime torsit; qui propterea eo decurrerunt, ut dicerent, Thomam Christum non reipsa Deum appellasse, sed eo modo, quo justi in Scriptura Dii vocantur, & Moyses Exodi c. 7. Deus dicitur Pharaonis. Sed futilis est ea responsio: neque enim Thomas Christo Dei tantummodo, sed etiam Dei sui, & Domini sui nomen tribuit, *Dominus meus, & Deus meus*; quæ quidem verba protulit homo Israelita, qui probe noverat scriptum Deuteronomii c. 6. *Audi Israel: Dominus Deus noster Deus unus est*. Præterea homo Judæus in ipsa Fidei suæ Professione, cum Deum nominaret, non alium præter verum Deum intelligere poterat; Christus autem ea Fidei professione collaudata, veram sui Divinitatem comprobavit; quod quidem minime

se-

feciſſet, niſi verus Deus fuiſſet. Ita Hilarius ad verſus Arianos lib. 7. de Trinitate Col. 184. Tom. 2. Oper. edit. Veronen. noviſſimæ. *Veritatem igitur Evangelici Sacramenti Thomas intelligens, Dominum ſuum, & Deum ſuum eſſe confeſſus eſt. Non hic honoris eſt nomen, ſed naturæ confeſſio eſt. Rebus enim ipſis, atque virtutibus Deum credidit.* Idem Hilarius poſtquam obſervavit, Chriſtum Thomæ confeſſionem probaſſe, ita concludit: *Nam utique religioſus filius, & qui non voluntatem ſuam, ſed ejus, qui ſe miſerat, faceret; & qui non honorem ſuum, ſed ejus, a quo venerat, quæreret, honorem hujus in ſe nominis recuſaſſet; ne quod ipſe unum Deum prædicaverat, ſolveretur. Sed veræ, & Apoſtolicæ Fidei myſterium confirmans, & naturæ in ſe paternæ nomen agnoſcens, beatos eſſe docuit, qui cum ſe reſurgentem e mortuis non vidiſſent; Deum tamen per Reſurrectionis intelligentiam credidiſſent.*

Socinianorum vana effugia.

6. Quidam vero, qui ſunt Sociniani, quos inter Eniedinus, ut textus illius robur infirment, dicunt, Thomam viſo Jeſu admiratione commotum in ea verba prorupiſſe, *Dominus meus*, & *Deus meus*: quæ non ad Chriſtum, ſed ad Patrem retulerit, quemadmodum nos inuſitatæ rei cujuſpiam novitate perculſi exclamamus: Proh Deum immortalem! Sed, præterquamquod Theodori Mopſueſteni hic fuit error, quem damnavit quintum Conſtantinopolitanum Concilium Act. 3. cap. 11. & Edicto ſuo Juſtinianus Imperator, oſtendit Lamy Concord. Evangel. l. 5. cap. 43. adverſus Eniedinum, pravam ejus interpretationem palam cum Evangelico textu pugnare: neque enim eſt in Evangelio, Thomam exclamaſſe: O Dominum! O Deus! ſed ſermonem ſuum ad ipſum Jeſum convertiſſe: *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.*

Apparitio Chriſti ad mare Tiberiadis.

7. Ut autem reliquas perſequamur apparitiones, quarum hiſtoria ducimur ad Aſcenſionis myſterium, de apparitione Chriſti diſſerendum ad mare Tiberiadis, quod eſt in Galilæa. Prædixerat Chriſtus Jeſus ſuis Diſcipulis, ſe, poſtquam revixiſſet, eos prævertendo venturum in Galilæam, Matthæi cap. 26. v. 32. *Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Idem dixerat Angelus mulieribus, quæ ad ſepulcrum ſeſe contulerant, ut eſt ibid. cap. 28. v. 7. *Et cito euntes dicite diſcipulis ejus, quia ſurrexit; & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis.* Mulieres omne id renunciarunt: *Et regreſſæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus*; verba ſunt D. Lucæ cap. 24. Qui Chriſtum ſectati fuerant tum viri, tum fœminæ, omnes a Galilæa venerant Hieroſolymam, ut celebrarent Paſcha. Ex iis quidam eodem die inde abierant, puta ii qui, quemadmodum ſupra diximus, eum viderant Emmaunte in via, quæ ab Hieroſolyma in Galilæam ducit. Petrus cæterique Apoſtolorum Hieroſolymis ſe dies aliquot continuerunt, iiſque Dominus, ut narravimus, apparuit, antequam ſe videndum præbuerit in Galilæa; qua quidem in re nihil eſt quod pugnet cum eo, quod Chriſtus prædixerat: non enim Jeſus dixerat, nuſquam, niſi in Galilæa, aut prius in Galilæa, quam alibi ſe iis futurum conſpicuum: *Neque ipſe, neque Angeli dixerunt, viſum iri eum duntaxat in Galilæa, & non alibi, neque prius in Galilæa, quam alibi:* Sunt verba Suarez loc. cit. Quamobrem ad rem noſtram ſcripſit S. Ambroſius in Lucam c. 24. *Non eſt promiſſi tranſgreſſio, ſed potius feſtinata ex benignitate impletio.* Quem locum in hanc rem affert S. Thomas 3. p. q. 55. art. 3. *ad quartum.*

De Nathanaele.

8. Erant itaque in litore maris Tiberiadis Petrus, Thomas, qui dicebatur Didymus, Nathanael, qui erat e Cana Galilæa, Filii Zebedæi, aliique duo Diſcipuli, quemadmodum narrat Joannes cap. 21. Nomen *Didymus* non hic modo, ſed etiam alibi D. Thomæ tribuitur, ut in cap. Joannis 11. v. 16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Divus Thomas appellatus eſt *Didymus*, ideſt geminus, vel quod cum alio fratre eodem eſt editus partu, quemadmodum gemini germani fratres Jacob, & Eſau, quæ opinio eſt Euthymii: vel quod, ut putant Toletus, & Maldonatus, illud eſset nomen a majoribus ſuis acceptum; quemadmodum apud Romanos novimus quoſdam appellari Spurios, & quoſdam Craſſos, qui tamen neque ſpurii, neque craſſi eſsent; ſed ea traxerint a majoribus nomina.

An idem ſit qui Bartholomæus.

9. Nathanaelem, quem Philippus adduxit ad Jeſum, teſte Joanne cap. 1. ſunt qui putant eundem eſſe cum Bartholomæo; inter quos Rupertus Abbas, Toſtatus, Janſenius, Cornelius a Lapide; ſi enim Nathanel, quem vocatum legimus a Chriſto Domino, alius ſit a Bartholomæo, nuſquam reperiemus Bartholomæum Apoſtolum cooptatum. Et Evangeliſtæ, qui Bartholomæum commemorant, de Nathanaele omnino ſilent; contra Joannes, qui de Nathanaele mentionem facit, Bartholomæum ne nominat quidem. Præterea Nathanael cum primis quatuor Apoſtolis ductus ad Jeſum egregiam Jeſu Chriſto edidit confeſſionem dicens: *Rabbi, tu es Filius Dei; tu es Rex Iſrael;* ex quo conjici facile poteſt, illum ad Apoſtolicum munus eſse vocatum. Id tamen minime probat Baronius ad annum Chr. 31. §. 28. qui D. Auguſtinum ſequutus Tract. in Joann. 17. cap. 1. negat, Nathanaelem a Chriſto Jeſu fuiſse aſcitum inter Apoſtolos, quod Legis eſset peritus; quæ quidem ratio ſatis firma videtur & valida, ſi ad primos duodecim Apoſtolos referatur, qui certe litterarum erant plane ignari, & rudes; ſed aliena eſt omnino, ſi ad cæteros omnes extendatur, cum proculdubio conſtet, D. Paulum ipſo Nathanaele longe fuiſse doctiorem. Eſtius in cap. 21. Joannis partes ſequitur Baronio adverſas, & Nathanaelem eundem cum Bartholomæo fuiſse contendit; ac putat, Bartholomæum non eſse proprium hominis nomen, ſed quemadmodum Bar-Jona ſignificat filium Jonæ, ita Bartholomæum ſignificare filium Tholomæi, ſeu Ptolomæi: ab Evangeliſtis Nathanaelem appellari Bartholomæum, quia per illud tempus, quo natus eſt Jeſus, mos erat Judæis filium non proprio, ſed patris nomine indicare: hanc conſuetudinem a Joanne non eſse ſervatam, qui vero, & proprio nomine Nathanaelis eſt uſus. Quia vero huic opinioni multum detrahit, quod Nathanael credatur fuiſse Legis Doctor; ægre autem quis crediderit Legiſperitum a Chriſto inter duodecim Apoſtolos annumeratum; propterea Eſtius in cap. 1. Joann. num. 46. ſe quidem plane neſcire declarat, unde ejuſmodi de doctrina Nathanaelis opinio extiterit. Nam etſi Philippo renuncianti Meſſiam veniſse a Nazareth, Nathanael reſpondit: *a Nazareth, poteſt aliquod boni eſse?* ut habetur c. 1. Joannis, nihil tamen inde conſequitur, quam quod Nathanael probe noverat, quæ apud Judæos percrebuerat, opinionem, e Bethleem Chriſtum naſciturum, nec quemquam e Galilæa Prophetam proditurum. *A Nazaret poteſt aliquid boni eſſe? quaſi diceret, non. Non hoc dicit tamquam Legiſperitus, ſed quia vulgo jam ferebatur*

apud

apud Judæos Christum in Bethleem nasciturum, & e Galilæa nullum surgere Prophetam. Sunt ipsius Estii verba loc. cit. Illud præterea addit, quod si ex ea responsione suspicari liceat, Nathanaelem fuisse Legis Doctorem, idem etiam dici potest de Philippo, qui Nathanaelem invitans, ut veniret, & Christum videret, ita alloquutus est: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.* Quod tamen sustineri non facile potest; constat enim, Christum Jesum, ut humanæ sapientiæ superbiam confunderet, ad Apostolicam dignitatem homines rudes, & imperitos, saltem priores illos duodecim, provexisse, ut paullo ante innuimus, & nuperrime demonstravit Joannes Lamius in Tractatu *de eruditione Apostolorum* Florentiæ edito ann. 1738. Zebedæi filios satis constat fuisse Jacobum, & Joannem ex Matthæi c. 10. v. 3. qui vero duo reliqui discipuli fuerint, de quibus loquitur Joannes capit. 21. frustra quæsieris, quorum nomen Evangelista reticuit.

Joannes primus agnoscit Jesum. Petrus in mare se dejicit, & ad Jesum properat.

10. Itaque hi omnes dum essent in litore maris Tiberiadis, Petrus dixit se piscatum ire; cui illi omnes piscatui operam daturi comites addiderunt; sed cum ea nocte nihil piscium cepissent, ubi dies illuxit, Christus adstitit in litore, nec a quoquam Discipulorum agnitus fuit, ut narrat Joannes cap. 21. v. 4. qui solus hanc apparitionem commemorat. *Mane autem facto stetit Jesus in litore; non tamen cognoverunt Discipuli, quia Jesus est.* Christus igitur interrogavit eos, an quidquam esculenti haberent: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* cumque illi negassent, sibi quidquam esse, rete a dextera navigii parte Jesus jaci jussit, sic prospere illis, & bene piscatum eventurum, sicut evenit. *Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* loc. cit. v. 6. Primus Joannes Christum agnovit. *Dixit ergo Discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est;* sive quod propter innocentiam puritatemque vitæ, amoremque in Jesum clarissime omnium videret, sive quod eum, qui aderat; esse Jesum ex prædæ miraculo argueret. Petrus, ubi Christum esse intellexit, accepta tunica, in mare se dejecit, & sive adnatans, sive pedibus in vado aquæ haud ita altæ prope litus incedens, venit ad Jesum; reliqui vero Discipuli, qui a terra non plus quam ducentos passus aberant, ad litus rete trahentes navim appulerunt. D. Hieronymus Epist. ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani ait, primum Joannem Servatorem nostrum cognovisse, quia *prior virginitas virginale corpus agnoscit;* & Maldonatus in cap. 21. Joannis num. 7. verisimilius esse putat, Petrum per humiliorem prope litus aquam vadentem pedibus, non natantem ad Jesum venisse: natasse enim non dicit Evangelista. *Evangelista nasse non dicit; nec utrum nando, an humiliori prope litus mari pedibus incedendo ad Christum venerit, constare potest: & eo ipso quod Evangelista non dicit, est verisimilius venisse pedibus.*

Petrum non omnino nudum fuisse in navi verisimilius est. Accipis tunicam, ut decenter accurrat Christo.

11. Narrat Joannes cap. 21. Petrum vestem accepisse, priusquam in mare se immitteret, cum antea esset nudus: *Erat enim nudus;* quod quidem non omnino eum nudum fuisse significat, dum in navi cum cæteris versaretur, sed superiorem sibi vestem detraxisse, quo piscando esset expeditior; eamque induisse, dum veniret ad Jesum, ut quam posset decentissime ipsi occurreret. Quod notat Natalis Alexander in cap. 21. Joann. num. 7. monens, apud Hebræos illum dici nudum, qui sola sit interula indutus. Ad eum modum Saulem nudum prophetasse, nudum saltasse Davidem, nudum ambulasse Isaiam legimus lib. 1. Reg. c. 19., & lib. 2. c. 6. Isaiæ cap. 20. Et in hunc sensum Job cap. 22. ait: *Nudos spoliasti vestibus.* Consonat Lamy Harm. Evangelicæ lib. 5. cap. 44. n. 7.

Apostoli inveniunt piscem impositum prunis, & panem. Mira piscium vis capta.

12. Ubi in litus Discipuli descenderunt, panem, & piscem viderunt candentibus carbonibus impositum. *Viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.* Cumque jussisset Jesus pisces afferri ex præda, Petrus, conscensa navi, ad terram traxit centum, & quinquaginta tribus prægrandibus onustum piscibus rete quod sane mirandum fuit par fuisse tanto oneri quin disrumperetur. Christus deinde vocavit eos ad prandium, nec quisquam fuit, qui interrogare eum auderet, quisnam esset; probe enim Dominum esse noverant, *scientes quia Dominus est.* Accessit igitur Jesus, & acceptum panem, piscesque illis distribuit, & simul omnes comederunt: *Cum ergo prandissent.* Id totum narrat Joannes cap. 21.

Miracula hæc in re a Christo edita. Verisimile est, Christum cum Apostolis manducasse.

13. In hac narratione omnino advertendum esse putamus novum Jesu Christi miraculum, qui carbones ardentes, piscem, & panem in litore parata deprehendi a Discipulis voluit, sive huc ab Angelis, sive alio quovis modo invisibili omnipotentiæ suæ vi afferri ea jusserit, sive ex alia materia formaverit, ut in nostro de Canonizatione Sanctorum Opere diximus, ubi de miraculis agitur. Neque illud prætereundum, etsi exigua transisset diei pars, nec comedendi hora esset, eos tamen prandisse, quod totam noctem laborando exegissent. Nec denique fieri potest, Christum comedisse; qui licet minime cibo indigeret comedendi tamen facultatem post resurrectionem retinuit, ut advertit Augustinus de Civit. Dei lib. 13. cap. 22. tom. 7. Op. col 342. *Fides Christiana de ipso Salvatore non dubitat, quod etiam post Resurrectionem, jam quidem in spirituali carne, sed tamen vere cibum ac potum cum Discipulis sumpsit. Non enim potestas, sed egestas bibendi ac edendi talibus corporibus auferetur.* In Evangelio S. Joannis cap. 21. revera Christum comedisse non legimus, sed ceteros ad manducandum invitasse: *Venite, prandete.* Et paullo post: *Cum ergo prandissent.* Sed ipsum etiam comedisse, verisimile existimant S. Gregorius, & Theophylactus: tum quia, cum appareret, semper comedere consueverat, etiamsi non esset paratum prandium, nec Discipuli manducaturi essent, ut est apud Lucam cap. 24. *Habetis hic aliquid, quod manducetur?* tum quia si, cæteris comedentibus, ipse non comedisset, suspicari Discipuli potuissent, se viso aliquo illudi, nec in eorum crevisset animis in dies magis de veritate Resurrectionis fides. Vid. Maldonatus ad cap. 21. Joann. num. 12.

Comestio Christi vera. At Angelorum, qui corpora assumpserint, non est vera comestio.

14. Angelos in corporibus, quæ assumpserint, vitales exercere actiones negat D. Thomas 1. par. qu. 51. art. 3. ac docet, sicubi in sacris paginis habeatur, Angelos aliquando comedisse, non de vero cibo id intelligendum, qui in assumptum corpus distribui non potuit; non enim ea est assumpti corporis ratio & natura, ut alimenta in ipsum converti possint: & concludit Angelorum comestionem non veram fuisse, sed cibi comestionisque spiritualis figuram. Quapropter dixit Angelus ad Tobiam; *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere, sed ego potu invisibili, & cibo utor.* Convertit deinde suum Sanctus Doctor sermonem ad comestionem Christi Domini post Resurrectionem, & ait: *Quamvis in corpus Christi post Resurrectionem*

nem cibus non converteretur, sed resolveretur in præjacentem materiam, tamen Christus habebat corpus talis naturæ in quod posset cibus converti; unde fuit vera comestio. Et 3. par. qu. 54. art. 3. *ad tertium* doctrinam S. Augustini, quemadmodum solet, amplectitur his verbis: *Manducavit ergo post Resurrectionem non quasi cibo indigens, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis adstrueret: & propter hoc non sequitur, quod corpus ejus fuerit animale, quod est indigens cibo.*

Ter Christus Petrum interrogat, an se amaret? Poenitat data Petro, qua Caput universæ Ecclesiæ constituitur.

15. Expleto prandio, Christus Petrum interrogavit, an se amaret magis, quam cæteri: *Simon Joannis, diligis me plus his?* cumque respondisset Petrus, se illum diligere, Christus reposuit: *Pasce agnos meos.* Semel, iterum, ac tertio Christus ad eum modum Petrum interrogavit; quibus interrogationibus singulis singulæ item respoderunt declarationes amoris; ac semel, iterum, ac tertio Christus ei dixit: *Pasce agnos meos*, ut habetur cit. cap. 21. Joann. atque iis verbis, quod antea promiserat, dedit illi claves Regni Cœlorum, suumque in terris Vicarium & universalis Ecclesiæ Caput constituit. Porro eum ter interrogavit, ut, quemadmodum docent Interpretes, posset tribus amoris sui declarationibus culpam trinæ negationis Magistri sui diluere.

Ad tertium Christus interrogationem cur Petrus pertristatus sit?

16. Narrat S. Joannes, Petrum, ubi tertio interrogari se audivit, diligeretne Dominum Jesum, tristitia esse correptum: *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me?* Cujus tristitiæ causam afferunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius; quia Petrus, ut antea viribus suis confisus erat, ita factus postea fuerat timidior, & cautior; quapropter verebatur, ne Dominus Jesus in ejus animo quidpiam videret, quod ipsi sibi ignotum esset, ne tale sibi contingeret, cujusmodi evenit Passionis tempore, etiamsi tam multis protestationibus suam amicitiam tum declarasset.

Christi Oraculum de B. Petri Martyrio.

17. In eodem illo sermone post prandium habito Petro dixit Christus: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis: hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Joann. cap. 21. vers. 18. & 19. Et sane post quatuor & triginta annos ad supplicium ductus extendit brachia ad catenas & Crucem, cui affixus est, ut testantur Lactantius de morte Persecutorum, Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. & post Origenem Eusebius Hist. Eccl. lib. 3. cap. 1.

Responsio Christi ad Petrum de Joanne interrogantem. De particulis si & si ad hujus loci illustrationem.

18. Denique sermone eodem cum Petrus vidisset Joannem, Dominum Jesum interrogavit: *Domine, hic autem quid?* Cui respondit Christus: *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* quo quidam eo sunt inducti ut crederent, illum non moriturum. *Exiit ergo sermo inter Fratres, quod Discipulus ille non moritur*, quod tamen minime credidit Joannes, qui non aliam quam cælestem pollicebatur sibi immortalitatem, tempus interea semper expectans, quo Deus se visitaret; quamobrem, etsi ætate pene decrepita Evangelium scripsit, tamen ea verba apposuit: *Et non dixit ei Jesus: non moritur: sed, sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* Ea est vulgatæ nostræ versionis lectio. Ita etiam legunt Augustinus, Ambrosius, Eusebius Emisenus, Beda, Rupertus. Nonnemo pro *sic* legendum existimat *si*, quod orationis cursus & ordo conditionis particulam ferat, idest *si*, quæ vox librariorum oscitantia in *sic* mutata sit. Id innuit Lamy Concord. Evang. lib. 1. cap. 44. num. 20. Id ipsum ante Lamy observaverat Estius in cap. 21. Joann. n. 23. & Maldonatus ad id. cap. num. 22. & 23. Et quamquam uterque probet particulam *si*: tamen Maldonatus monet, quod attinet ad sententiam, utravis lectio retineatur, nihil aliud esse discriminis, quam quod particula *sic* determinationem expressam, particula *si* determinationem in conditione positam significet, quod ad id, de quo mox sermonem habebimus, minimi est momenti.

Variæ de illa Christi responsione interpretationes.

19. Verba illa, *Sic eum volo manere, donec veniam*, explicant alii aliter. Quidam putant, Christum Jesum innuere solum voluisse, Joannem vivum fore usque ad excidium Hierosolymæ, quod sæpe in sacris paginis per adventum Jesu Christi significatur. Hanc vero sententiam fulciunt illis verbis Matthæi cap. 16. v. 28. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo.* Et sane B. Petrus quatuor & triginta annis post Christi mortem, sexto circiter anno ante eversam Hierosolymam necatus est: Joannes vero trigesimo anno obiit ab ejus urbis excidio. Alii vero iis verbis probabiliorem sententiam tribuunt, ut sit eorum sensus: Ego vero vivere hunc volo, donec e vita illum naturali morte eripiam. Quid tua interest? Quod ad te attinet, illud vide, ut, qua ego morte, moriare Cruci affixus. Videantur Calmetus, & Cornelius a Lapide in cap. 21. Joannis. Certe naturali morte S. Joannes Apostolus sublatus est; quod nihil ei de Martyrii gloria diminuit, qui Romæ in ingentem ahenum ferventis olei plenum propter Christi professionem conjectus, atque inde salvus, & incolumis egressus, post multos annos naturali morte ereptus est, juxta ea quæ observavimus lib. 3. de Canonizat. Sanctor. cap. 12. num. 4. & num. 13.

Joannes mortuus est nec vivus reservatus in finem sæculi. Locus quidam D. Ambrosii non contradicit.

20. Diximus naturali morte Joannem esse sublatum: eorum enim opinio ab omnibus improbatur existimantium, Joannem vivum adhuc reservari, ut in fine sæculi pugnet cum Antichristo, quod itidem docuimus lib. 1. de Canonizat. cap. 14. num. 12. Apud D. Ambrosium in Psal. 25. legitur: *Antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam, atque Enoch, atque Joannem, qui propter testimonium Domini Jesu terris sunt redditi, præliaretur, ut legimus in Joannis Apocalypsi.* Sed Benedictini Monachi in nova Ambrosianorum operum aditione annotarunt, verbum *Joannis* ab omnibus, uno excepto, manuscriptis codicibus abesse:

Quare hæc a Joanne tertia dicatur apparitio. Caput ultimum Evangelii Joannis non est additum, sed illius Apostoli.

21. Atque hæc dicta sunto de apparitione, quam refert S. Joannes cap. 21. v. 14. aitque tertiam fuisse, postquam Christus revixit: *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus Discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.* Tertiam autem illam vocat apparitionem, vel quod de solis loquitur apparitionibus ad plures simul Discipulos, quarum hæc tertia est ut advertit Tirinus in cap. 21. Joann. num. 14. ubi ait: *Nempe multis congregatis, ut Eutymius exponit*: vel quia ternæ sunt apparitiones, si a diebus, quibus contigerint, numerandæ sint, hoc est si veluti una ponantur illæ, quæ acciderunt ipso Resurrectionis die; altera quæ octo post diebus, de qua Joan. cap. 20. tertia quæ ad mare Tiberiadis contigit, de qua idem Joan. c. 21. Quamobrem Duhamel in Notis ad illud c. 21. n. 14. *Fors est*, inquit, *ut non numeventur apparitiones, sed dies quibus apparuit.* Nec prætereundum, fuisse aliquos, qui cum cap. 20. finem observassent, *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, existimarunt, caput 21. Ecclesiæ Ephesinæ additamen-

mentum esse, ex scriptis tamen S. Joannis conflatum, quod Ecclesiæ sensui adversari monet Duhamel num. 31. *Non defuere qui putarent, caput ultimum hujus Evangelii ab Ecclesia Ephesina adjectum fuisse ex scriptis Apostoli; & hoc in capite finitum esse Evangelium Joannis. Caput ultimum ut a Joanne scriptum agnoscit & veneratur Ecclesia.* Quod adeo verum est, ut Jonas Slichtingius de Bokowiec scriptor heterodoxus in Notis ad cap. 20. id ingenue fateatur: *Caput hoc quidam ab aliis adjectum putant Historiæ Joannis. Sed non video, cur id putemus, ullam causam. Nam quod superiori capite videatur finivisse historiam, id nihil impedit, quominus hoc appendicis loco addat. Solent enim quædam post absolutum scriptum in mentem venire, quæ peculiariter digna sunt, ut addantur &c. Cæterum hæc historia & Joanne digna est, & stylum habet Joannis: immo & Joannes ipse auctorem se facit etiam hujus capitis* v. 24. Alludit ad ea verba: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium ejus.* Non defuere qui Canone Tridentini Concilii de editione Sacrorum Bibliorum nihil deterriti, affirmare ausi sunt, ea verba saltem ab Ecclesia esse addita, ut major Evangelio S. Joannis fides accederet; adversus quos vehementi zelo & singulari doctrina invehitur Maldonatus in cap. 21. S. Joann. n. 24. *Miror vehementer doctos homines, & bene profecto Catholicos ætate nostra extitisse, qui an hæc verba Evangelistæ sint, in dubium revocaverint. Videri enim ab aliquo postea, aut a tota Ecclesia ad commendandam hujus Evangelii auctoritatem adjecta fuisse. Quod nescio an quispiam hæreticorum, qui modo Joannis Evangelium receperint, quamvis audaces, quamvis magni sint Aristarchi, ausus fuerit facere.*

De reliquis apparitionibus. Apparitio in Monte: Olivarum ne, an Thabor disputant Eruditi. Undecim aderant: & fortasse, plures alii.

22. Nunc vero reliquas apparitiones persequamur, quarum unam refert Matthæus cap. 28. quasdam alibi memoratas reperimus, aliam denique narrat Marcus c. 16. Narrat cit. c. 28. v. 16. Matthæus, undecim Discipulos in Galilæam venisse ad eum montem, quem illis monstrarat Dominus Jesus: *Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus.* Quinam ille mons esset, cum Evangelista non dixerit, non est facile divinare. Quidam existimant, esse montem Olivarum, qui mons haud longule abest ab Hierosolyma. Alii putant, esse Thabor, ubi Christus transfiguratus est; quod ea ratione a quibusdam rejicitur, quod mons ille, utpote refertus habitatoribus, non satis aptus esse videtur ad ea, quæ Dominus designaverat. Ubi eum viderunt Discipuli, illum adorarunt, sed eorum quidam hæserunt dubii: *Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.* Notat Suarez cit. sect. 5. Matthæum coram quidem undecim Discipulis dicere apparitionem illam contigisse, non tamen coram iis solum; atque verisimile esse, multos etiam alios adfuisse; quod confirmari potest ex illis D. Pauli verbis 1. ad Corinth. cap. 15. v. 6. *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul.* Sacri enim Interpretes communi fere consensu existimant, eam apparitionem, de qua loquitur eo loco D. Paulus, eandem esse cum ea, quam Matthæus commemorat. *Eandem vero hanc esse apparitionem cum illa, quam in Galilæa factam scribit Matthæus, omnium fere consensus est.* Verba sunt Estii Commentar. ad eam D. Pauli epistolam num. 6. Quod cum ita sit, nihil mirum, si quidam eum adorarunt, quidam dubitaverunt. Adoraruut undecim Apostoli, cæterique Discipuli ejus præcipui, atque eum quidem ut Dei Filium, qui probe persuasum habebant, Christum revera ad vitam rediisse. Quidam vero Discipulorum dubitarunt non de Resurrectione, sed de corpore quod sibi versabatur ob oculos, incerti corpusne Christi, an esset phantasma. Vid. Calmetus in cap. 28. Matthæi num. 17. Quod si dubium illud ad Apostolos referre velimus, illud *dubitaverunt* positum esse pro *dubitaverant* est omnino dicendum, quasi Matthæus ad Thomæ aliorumque Discipulorum dubitationem voluerit alludere, cum nondum ii satis essent edocti, nec Christi Resurrectionem certissimam haberent, ut animadvertunt Barradius, Franciscus Lucas, Cornelius a Lapide in cap. 28. Matthæi num. 17. Harum explicationum priorem amplectitur Lamy Concord. Evangel. lib. 5. cap. 45. num. 17. ubi hæc habentur: *Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt, non de Resurrectione ejus, quam illis testatam fecerat, sed an ille, quem forsan eminus videbant, ipse Christus esset; nondum enim ad illos proximus accesserat.* Posteriorem probat ac fuse declarat Maldonatus in cap. 28. Matthæi num. 17.

Quomodo intelligenda illa Christi verba: Data est mihi potestas &c.

23. In ea apparitione Christus Jesus dixit Discipulis: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Sane ut Deus hujusmodi potestate & imperio ab æterno præditus erat. Sed ut homo eam potestatem consequutus est *inchoative*, ut loquuntur Scholastici, in Incarnatione, propter dignitatem hypostaticæ unionis cum Verbo, & *complete*, ut ajunt iidem Scholastici, postquam revixit, propter suæ Passionis & mortis meritum. Quamobrem D. Paulus ad Philippenses cap. 2. vers. 8. *Humiliavit semetipsam factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Præcipit Apostolis baptizare omnes gentes. De forma Baptismatis. Baptismus in nomine Jesu & Baptismus post emissam professionem Fidei in Jesum: Anabaptistarum error refellitur.

24. Ejusmodi igitur potestate usus jussit, Discipulos *euntes docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque ipsis mandaverat;* quibus verbis Sacramenti Baptismatis forma continetur, juxta veterem Traditionem, & perpetuam Ecclesiæ consuetudinem. In Actis Apostolorum sæpiuscule collatum comperimus Baptismum in nomine Christi: veluti cap. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi:* & cap. 8. vers. 12. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres;* Et cap. 10. vers. 48. *Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi;* & cap. 19. vers. 5. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Id autem Theologos impulit, ut quærerent, aliasne in solo Jesu, aut Christi nomine Baptismus fuerit collatus. In qua controversia D. Thomas 3. par. qu. 66. art. 6. *ad primum*; & in 4. sent. dist. 3. qu. 1. art. 2. q. 2. *ad tertium*, peculiari quadam dispensatione Apostolis concessam esse docet, ut in solo Christi nomine baptizarent, ut ejus nomini invidiam eluerent, qua laborabat apud Judæos, & Gentiles, honoremque & existimationem conciliarent. Cæteri vero Theologi hanc doctrinam minime sequuntur, eosque locos ex Apostolorum Actis ita interpretantur, ut baptizari in nomine Christi nihil aliud sit, quam baptizari post publicam Fidei Christi professionem, seu baptizari Baptismo Christi, ut a Joannis Baptismate distinguatur. Ex illis Christi verbis, *Docete omnes gentes, & Baptizantes eos*, negarunt Anabaptistæ infantibus, quod doceri non possint, conferendum

esse

esse Baptismum. Respondet Estius in c. 28. Matthæi num. 19. verba illa, *docete omnes gentes*, referenda solum ad eos, qui adulta ætate doctrina possunt informari; illa vero *baptizantes eos*, omnes respicere, quotquot Baptismum possunt suscipere; ideoque etiam ad infantes parvulos referenda, juxta illud Joannis cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*.

Christus Jesus perpetuam operam & auxilium pollicetur Apostolis.

25. Denique in ea apparitione Christus Dominus: *Et ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Quorum verborum sententia est: metum omnem abjicite, quem vobis imbecillitas vestra posset injicere. Ipse vobis adero non spiritu tantum, quem vobis a Patre demittam, postquam in Cœlum ascendero, sed auctoritate, opere, divinaque virtute in omnibus, quæ subire vos continget, periculis & laboribus in veritate Fidei nationibus prædicanda, nec vobis tantum, sed & successoribus vestris.

Christus apparuit Jacobo.

26. Divus Paulus 1. ad Corinth. c. 15. post apparitionem, quam eandem esse diximus cum ea, quam refert Matthæus peculiarem quandam innuit aliam apparitionem S. Jacobo: *Deinde visus est Jacobo*. Hanc credere par est contigisse post illam, quam antea commemoravit, ut bene notat Lorinus ad Acta Apostolorum cap. 1. vers. 13. cum quo consentit Estius ad Epist. 1. ad Corinth. num. 7. *Teneamus hanc apparitionem, de qua Paulus, Jacobo factam fuisse multis diebus post Domini Resurrectionem, eo scilicet ordine temporis, quo facta recensetur a Paulo*. Alias etiam apparitiones, præter eas, quas referunt Evangelistæ, necesse est post Resurrectionem contigisse. Quadraginta enim dies in terris versatus est Christus, antequam in Cœlum ascenderet, quibus diebus etsi non semper cum Discipulis fuit, iis tamen frequenter apparuisse constat ex Act. Apostolor. c. 1. v. 3. *Quibus & præbuit seipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis*. Postremam vero omnium, quam consequutus est ascensus in Cœlum, refert Marcus c. ult. eamque innuit D. Paulus eadem Epistola ad Corinthios: *Deinde Apostolis omnibus*.

Postrema apparitio. Præcipit Apostolis docere omnes gentes. Sensus verborum. Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.

27. Redierant, ut communi fere consensu putant Interpretes, Hierosolymam Apostoli, ita res præordinante Deo, qui voluit eos Ascensionis Jesu Christi esse testes, & Pentecostes die Spiritu Sancto perfundi. Accubuerant mensæ, cum illis adstitit Jesus, eosque increpuit, quod illis non credidissent, qui ipsum viderant ad vitam rediisse. *Novissime recumbentibus illis Undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Marc. c. 16. n. 14. Deinde dixit eis: loc. cit. num. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*: quod ita est accipiendum, ut salvus ille futurus esset, qui sacro ablutus Baptismate usque in finem perseveraret in Fide viva, sincera, & cum charitate, ideoque cum bonis operibus conjuncta. Ait enim Apostolus ad Gal. c. 5. v. 6. *In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur*. Et Jacobus in sua Epist. cap. 2. v. 14. *Quid proderit*, inquit, *si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit Fides salvare eum?* Et paullo post v. 19.: *Tu credis quoniam unus est Deus; bene facis: & Dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam Fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super Altare? Vides quoniam Fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides consummata est &c. sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & Fides sine operibus mortua est*. Denique dixit, per ejus, qui in se credidisset, intercessionem futura esse miracula: id vero quomodo sit intelligendum, & quomodo Christi oraculum jam sit impletum, atque etiam nunc impleatur, docuimus de Canonizat. Sanctor. l. 4. par. 1. cap. 2. n. 8.

Post eam apparitionem ascendit in Cœlum.

28. Tradit eodem c. 16. v. 19. D. Marcus, post eam apparitionem ad Cœlum Christum ascendisse. *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum, & sedet a dextris Dei*. Idem refert Lucas cap. 24. ac rem fusius narrat Act. Apostolorum c. 1. Et capite quidem Evangelii sui 24. v. 49. ait, Christum Jesum Apostolis imperasse, ne Hierosolyma abirent, sed expectarent, dum Spiritum Sanctum, quemadmodum pollicitus erat, illis demitteret: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*: quod confirmat in c. 1. Actuum Apostolorum. *Et convescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum*; illud ipsum innuens, quod antea dixerat Joann. cap. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*.

Christus deduxit Apostolos in Bethaniam in locum apertum, unde ejus Ascensionem viderent. Castigat inanem Apostolorum curiositatem.

29. Pergit Lucas in Evangelio, Christum Dominum e Cœnaculo Apostolos deduxisse in Bethaniam in apertum locum, ut omnes Ascensionis miraculum videre possent: *Eduxit eos foras in Bethaniam*. Num autem illis in via conspicuus esset, an non, incompertum est, ut notat Suarez in citata sæpius sect. 5. §. *Dico quarto*. Jam, ut innuimus, illis prædixerat, delapsurum in eos Spiritum Sanctum: *Quia Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*. Act. cap. 1. v. 5. Cumque nonnulli ex Discipulis scisciati essent ab eo, num dies advenisset, cum regnum Israel instauraretur: *Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* castigata inani eorum curiositate, respondit, ejus rei cognitionem Patri suo reservari; suumque sermonem convertit ad Spiritus Sancti adventum, & ad ea, quæ in Fidei prædicatione facienda erant in Judæa, & Samaria, & in toto orbe terrarum. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. loc. cit. vers. 6.

Sublimis fertur in Cœlum. Apostoli, quique aderant, eum adorarunt.

30. Quæ verba sunt Lucæ in Actis Apostol. c. 1. ubi deinde narrat, Christum ea loquutum, conspicientibus omnibus, in sublime esse sublatum, & ab eorum oculis nube quadam ereptum; cumque illum aspicerent in Cœlum adscendentem, adstitisse duos homines veste indutos candida, qui dixerunt: *viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum*: Act. 1. vers. 11. Hoc est in extremo die, cum eodem redibit corpore & majestate judicaturus vivos & mortuos. Narrat Lucas in Evangelio cap. 24. v. 50. Dominum Jesum, dum in Cœlum tolleretur, manibus suis benedixisse Discipulis: *Et elevatis manibus*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nibus fuit, benedixit eis: & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in Cœlum; eos autem, qui tanti fuerunt miraculi spectatores, adorasse Dominum, & postea Hierusalem rediisse: *Adorantes regressi sunt Hierusalem*, obsequia & latriæ adorationem illi tribuentes tanquam Deo quem externum cultum nunquam antea illi adhibuerant, tametsi ejus Divinitatem cognitam habuissent: ita enim cum iis Jesus vivebat familiariter, ut ejusmodi cultum, saltem externum, licet sibi debitum, iis remisisse videretur, quemadmodum Maldonatus observat in capit. 24. Lucæ vers. 52. *Non legimus nisi hoc loco Christum a Discipulis suis adoratum. Nam etsi Deum esse credebant, tamen, quia solum in eo videbant hominem, tamquam cum homine versabantur. Hunc demum adorant, cum in Cœlum ferri vident, coacti re ipsa confiteri Deum, quem ante sola fide confitebantur.*

Refelluntur quæ hinc depromunt hæretici argumenta adversus adorationem Eucharistiæ.

31. Pergit Maldonatus, & respondet novis hæreticis, qui Catholicos veluti simpliciores irrident, quod Eucharistiam adorent, cum Apostolos Eucharistiam adorasse nusquam reperiatur scriptum: ac pulchre animadvertit, nihil mirum Apostolos Christum in Eucharistia non adorasse, quem extra Eucharistiam non adoraverint. Cum autem illum, postquam ascendit in Cœlum, adoraverint, nos, qui probe novimus, & firmiter credimus in Cœlum ascendisse, & hoc certissimum de illius Divinitate testimonium habemus, illum, ubicumque sit, ideoque jure optimo etiam in Eucharistia, ubi se dixit esse, & revera est, adoramus. Reditum in Hierusalem Lucas etiam in Actis Apostolorum commemorat cap. 1. & tum in eo libro, tum etiam in Evangelio refert, Apostolos Hierosolymam regressos nunquam ab oratione destitisse.

Triplex partitio totius, quæ restat, tractationis.

32. Ut recta progrediamur via, quasdam primo quæstiones pertractabimus, quæ ad intelligendum textum pertinent. Eas enim de industria huc rejecimus, ne textus expositio interrumperetur. Deinde quasdam etiam quæstiones examinabimus, quas de Ascensionis mysterio solent Theologi excitare. Tum adjuncta quædam persequemur, quæ idem mysterium circumstant.

Plura loca ex Nov. Testamento, quibus dicitur Christus sedere ad dexteram Patris.

33. Christum assumptum esse in Cœlum, & sedere a dextris Dei refert Marcus cap. 16. Idem cap. 14. v. 62. verba Christi, quibus summo Sacerdoti respondit, ita refert: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*. Tradunt Acta Apostolorum cap. 7. v. 55. Stephanum vidisse *gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei*; eumque dixisse: *Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei*. Et D. Paulus ad Hebræos cap. 1. v. 13. ut demonstret Christum longe majorem Angelis, ita disputat; *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?* Et ad Colossenses c. 3. v. 1. *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*. Et in veteri Testamento nobis exhibetur Messias ad dexteram Dei sedens, ut Psal. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*.

Quo sensu dicatur Jesus sedere ad dexteram Patris fuse differitur.

34. Quibus prænotatis, quæritur, quid hic dexteræ nomine intelligendum sit: non enim hic quidquam de situ, aut figura cogitandum, qua certe Deus Pater circumscribi non potest, quæ fuit *Anthropomorphitarum* hæresis, qui Deo corpus humanum tribuebant. D. Thomas 3. par. qu. 58. art. 1. & duobus sequentibus totam hanc rem tractat. Sed facile est quæstionem ejusmodi solvere; solet enim interdum Scriptura quosdam loquendi modos adhibere ad populi captum accommodatos. Profecto Deus Pater quemdam in Cœlo non occupat locum, neque in Throno sedet, cui sit vel dextera pars, vel sinistra. Populus tamen ad id exemplum Deum Patrem imaginatur sedere in Throno, quem circumstent ejus ministri, familiares, & consiliarii; ex quo factum est, ut Scriptura ad summam Christi potestatem, æqualitatem cum Patre, & infinitam gloriam declarandam, ejusmodi illustri figura usa sit, qua nobis Christus veluti sedens exhibetur ad dexteram Patris. Vid. Calmet. in cap. 16. Marci num. 19. Qui vero considerat, Christo tamquam homini tribui sessionem, ait ejusmodi tropo judiciariam ejus significari potestatem, quam ei tamquam omnium Judici Pater permisit. De sessione Christi ad dexteram Patris fuse Maldonatus in cap. 16. S. Marci nu. 19. Opinioni autem eorum, qui judiciariam potestatem, & universæ Ecclesiæ gubernationem per illam sessionem significari existimant, favet Sedulius, qui lib. 5. ita de Ascensione cecinit:

Æthereas evectus abit sublimis in Auras,
Et dexteram subit ipse Patris, mundumque gubernat.

Sessionem autem Christo tribui tamquam homini, e Sancti Stephani visione potest intelligi, qui se videre dixit *Filium hominis* sedentem a dextris Dei; & ex Oratione, quæ habetur in Missa in die Ascensionis Domini: *Diem celebrantes, quo Dominus noster unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit*. Quia vero posset quispiam objicere, tropum ejusmodi modum excedere, quod Christus ut homo digniore, quam quo Pater, loco collocetur, etsi responderi potest, sinistram aliquando dextera digniorem habitam esse; tamen qualiscumque demum apud Romanos fuerit mos, compertum est, apud Hebræos, & Ægyptios semper in dextera magis fuisse, quam in sinistra, honorificum locum; quamobrem Genes. c. 48. Joseph ut primogenito filio suo digniorem tribueret locum, posuit in dextera, alterumque filium secundo genitum in sinistra; & apud Matt. c. 25. oves in dextera, hœdi in sinistra collocantur. Itaque accommodatissima est ea metaphora, quæ in Regiæ sedis medio locatum Deum nobis exhibet; ex quo sequitur, eum, qui in dextera parte positus sit, digniorem cæteris locum occupare; atque ita intelligenda Psalmi 44. verba illa: *Astitit Regina a dextris tuis*, & quod habetur in lib. 3. Regum cap. 2. Salomonem matrem posuisse suam ad dexteram. Vid. Estius in c. 1. Ep. ad Hebræos ad illa verba: *sedet ad dexteram majestatis in excelsis*: & ad illa: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando &c.* Cum quo consentit a Lapide in cap. 3. ad Colossenses vers. 1. §. *Tertio ergo*. Nec, ut quispiam ad alicujus dexteram sedens priorem obtinere locum vere dici possit, opus est ut alius sedeat ad sinistram. Satis est, locum esse ubi alius sedere possit; quo in loco si quis sedere jubeatur, & pars dextera vacua sit, facile quivis intelligat, digniorem esse virum, cui dexter reservatur locus. Alii ulterius progressi dicunt, nemini digniorem locum esse posse, quam sit locus ipse, quem Rex obtinet in Regno suo, etiamsi ab ipso Rege quispiam ad dexteram locetur partem; ex eo enim nihil aliud intelligi posse, quam quod Rex supra cæteros quidem, non tamen supra se ipsum velit illum haberi; & proferunt Neronis, & Claudii exempla, quorum ille ad suam dexteram Tiridatem Armenorum Regem sedere jussit, ut est

apud

apud Sueton. in Nerone c. 13. alter apud eundem Sueton. in Claudio cap. 24. A Plautio occurrens, eumque in ovatione deducens ad Capitolium, *latus texit*, quod idem est, juxta Eutropium l. 7. c. 8. atque in dextera Plautium habuit, ἐν δεξιᾷ τὸν Πλαύτιον ἔχων, Nero autem & Claudius Tiridatem, & Plautium observari quidem ab omnibus voluerunt, non tamen ultra quam ipsi colerentur. Hæc & alia in rem nostram congessit Hermannus Witsius sacrar. Exercitat. 21. num. 7. Nos vero omissis iis, quæ ex profanis depromuntur Auctoribus, satis esse putamus, quod scribit S. Maximus Taurinensis in Homilia *de Sancta Pentecoste: Pater Christo Filio Throni sui offert sublimen consessum, & honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit*. Deinde quærit, *Cur ad dexteram Filius esse dicatur*, atque ita respondet: *Licet dignitatis gradus non sit, ubi est plenitudo divinitatis; tamen ideo ad dexteram sedet Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur*.

Utrum Apostoli baptizati fuerint, & utrum ante, an post Ascensionem.

35. Christus, quemadmodum supra docuimus, cum Apostolis promisit Spiritum Sanctum, dixit, Joannem eos baptizasse aqua, post aliquot vero dies fore, ut ipsi baptizarentur Spiritu Sancto; ad cujus textus intelligentiam quæritur; utrum Apostoli Joannis baptismate sint abluti; & ante ne, an post Ascensionem Baptismo Christi perfusi sint. Menochius in historia Sacra Act. Apostolorum lib. 1. cap. 1. num. 3. post Chrysostomum, & Bedam ait, etsi Scriptura Baptismum Joannis non commemoret, quo abluti sint Apostoli, valde tamen verisimile esse, eos, qui vel viderint, vel probe noverint, suum Magistrum a Joanne baptizatum fuisse, ejusmodi Baptismate itidem esse ablutos, cum eorum quidam etiam Joannis Discipuli fuerint, antequam in Christi disciplinam se dedissent. Utrum vero Apostoli ante Ascensionem Baptismum acceperint Christi, non videtur dubitandum: qui enim putandum est, cæteros baptizatos esse ab iis, qui baptismate non essent regenerati? cum præsertim ab ipso Pentecostes die Sacramentum illud Apostoli administrare cœperint, præclaræ illius Orationis vi impulsi, quam habuit B. Petrus Act. Apostol. cap. 2. v. 38. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Rursus quomodo credibile est, Christum sui Corporis & Sanguinis distribuisse illis Sacramentum, qui nondum ejus baptizati essent baptismate? Vidimus alibi, Christum, cum in eo esset, ut Petro pedes abluere in ultima Cœna, illi dixisse: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*; ex quibus verbis infert S. Augustinus epist. 108. ad Seleuciam, Petrum jam fuisse baptizatum, *ubi intelligitur, quod jam Petrus baptizatus fuerat*. Christi enim Baptismus sua virtute præditus erat etiam ante ejus Passionem, ut docet D. Thomas 3. part. qu. 66. art. 2. *Ad primum ergo dicendum, quod etiam ante Passionem Christi Baptismus habebat efficaciam a Christi Passione, inquantum eam præfigurabat; aliter tamen quam Sacramenta veteris legis: nam illa erant figuræ tantum; Baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat justificandi: per cujus virtutem ipsa etiam Passio salutifera fuit*. Quæ quidem omnia satis ostendunt, Apostolos ante Ascensionem fuisse baptizatos: quod enim ait Joannes cap. 4. v. 2. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus*; id ita intelligendum, ut Jesus haud ita sæpe baptizaret; nam vulgo etiam dicitur neminem ab eo baptizatum, præter ejus Sanctissimam Matrem ex fœminis, & ex viris B. Petrum, qui Andream, Jacobum, & Joannem baptizaverit. Ea vero verba, *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, ad uberrimam illam Spiritus Sancti effusionem sunt referenda, qua gratia, quam acceperant, vis etiam, & lux, qua repleti fuerant, novis accessionibus & perfectionibus augeretur. Vid. Calmet. in cap. 1. Act. Apostolorum num. 4.

Cujusmodi fuerit Benedictio Christi super Apostolos: num in modum Crucis, an extensis tantum manibus.

36. Ex S. Luca retulimus, Christum Jesum, cum in sublime tolleretur in Cœlum, manibus Apostolis benedixisse. Picturæ aliquot reperiuntur, in quibus Christus in aera sublatus exprimitur benedictionem Apostolis impertiens, sublata dextera, quasi signum Crucis designans, cujusmodi benedictionem in fine Missæ videmus a Sacerdotibus populo impartiri; quod multi irrident, ut notat Serry Exercit. 61. in fine. De picturis ejusmodi ita Ayala in Opere, quod inscripsit, *Pictor Christianus*, lib. 3. cap. 20. num. 7. *Deinde cum ex Historia Sacra satis constet, sub initium ipsum profectionis suæ in Cœlos Christum Dominum benedixisse Discipulis, & hoc ritu nostro, eo scilicet, quo Pontifices, Sacerdotesque populo Benedictionem impertiunt, peractum esse doceant Scriptores gravis judicii, si forte hoc depingere aliquis velit, depingendus est Christus elevata manu ad eum modum, quo Episcopus solet, cum populum benedicit. Sed jam jam ascendentem in Cœlum elevatis decenter manibus ad eum modum, quo sæpius fit, debere depingi, nemo est, qui nesciat*. Suarez in 3. par. D. Th. tom. 2. qu. 58. art. 4. disput. 51. sect. 2. scribit, pie & probabiliter credi posse, *Christum non utcumque manus elevasse, sed in Crucis signum*; cum quo consentit a Lapide in cap. 24. Lucæ vers. 51. Verum cum olim Sacerdotes benedicere solerent populo, plenam illi felicitatem apprecando, extensisque ad eum manibus, ut Levitici cap. 9. v. 22. *Extendes Aaron manum ad populum benedixit ei*; cumque si alicui benediceretur, manus super ejus caput imponeretur, in Genes. cap. 48. vers. 14. *Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus*, verisimilius videtur & probabilius, Dominum Jesum ascendentem in Cœlum, manibus ad eos qui aderant extensis, benedixisse, ut concludit Gotrus De verit. Relig. Chr. tom. 4. par. 2. c. 37. §. 4. n. 24. Vide Lamy Harm. Evang. lib. 5. cap. 46. §. 19.

An Christum decuerit in Cœlum ascendere? Oracula de Ascensione Christi in Veteri Testamento.

37. Quæstiones vero, quæ ad Ascensionis mysterium pertinent, videre licet apud D. Thomam 3. part. qu. 57. Quærit Sanctus Doctor articulo primo, an decuerit Christum in Cœlum ascendere; & decuisse respondet, propterea quod Christus, postquam revixit, immortalem vitam omnis corruptionis expertem vivere incipiebat; ubi vero nos sumus, locus est generationi & corruptioni obnoxius; in Cœlo autem nullus corruptioni locus. Et quamquam prima fronte videri potest nobis multo fuisse utilius futurum, si nobiscum commoratus esset in terris; id tamen, si bene perpendatur, minime verum est; nam etsi subducta sit ab oculis nostris corporalis Christi præsentia, præsto tamen semper nobis est ejus Divinitas. Præterea cum Christus non jam versetur amplius in terris, augetur in nobis Fidei virtus, quæ ad ea pertinet, quæ non apparent. Denique sublata sua præsentia, ad eam spem nos erexit, eo, ubi ipse est, perveniendi, & ad rerum cælestium cupiditatem nostros animos excitavit. Nec vero desunt de Christi Ascensione in Cœlum oracula, seu Vaticinia. Psal.

46. v. 6. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ*. Et fortasse Psalmum hunc canebant Judæi, cum Arca ferebatur in Templum; sed Arcæ in sua sede collocatio sublimius quiddam & augustius videtur indicare. Psal. 67. v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*. Christus enim Ascensione sua devictis hostibus, & opimis reportatis spoliis triumphavit. Levitici cap. 16. jubetur Pontifex Maximus semel in anno, mensis nempe septimi die decimo, qui mensis primus erat vulgaris seu civilis anni, postquam victimæ sanguinem effuderit, intra intimum velum, & in Sancta Sanctorum ingredi, & orare pro populo. Quod quidem videri potest Ascensionis Christi exemplar & typus. Christus enim initio anni partæ nobis gratiæ & assertæ libertatis, postquam suum pretiosum Sanguinem effudisset, scisso carnis velo, ingressus est in Sacrarium, non ab hominibus manufactum, sed Cæleste, ut interpellaret pro nobis, Deo Patri satisfactionis suæ virtutem exhibens.

Inutiles quædam quæstiones omissæ. Egregiam in hanc rem Augustini verba.

38. Alii alias quæstiones proponunt, exempli causa, quomodo Christi corpus Cœlos penetrare potuerit; & qui supra Cœlum Empyreum magis aut minus altus reperiatur locus, sive ipsum Empyreum sphærica, sive plana & quadrata figura præditum sit. Quas quidem quæstiones inutiles & inanis plenas curiositatis ommittimus in quibus locum aptissimum habent notissima illa Augustini verba epist. 78. *Magis eligo doctam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri*. Nobis satis est credere, Christum propter hypostaticæ unionis dignitatem excelsissimum omnium in Cœlo obtinere locum. *Supra omnem Principatum & Potestatem & Virtutem & Dominationem, & supra omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro*, ut ait Apostolus ad Ephesios cap. 1. v. 21.

Qua virtute Christus in Cœlum ascenderit.

39. Duo tamen minime prætereunda videntur. Primum est, Christum in Cœlum ascendisse *propria virtute*, ut loquuntur Theologi, id est non ea virtute, quæ naturæ humanæ propria est, sed propria virtute Divina, & ea virtute, quæ propria est animæ beatæ, ut docet S. Thomas cit. quæst. 57. art. 3. in responsione *ad secundum*. *Christus non ascendit in Cœlum propria virtute, quæ est naturæ humanæ naturalis: ascendit tamen in Cœlum propria virtute, quæ est virtus divina, & propria virtute, quæ est animæ beatæ. Et licet ascendere sursum sit contra naturam humani corporis secundum statum præsentem, in quo corpus non est omnino subjectum spiritui, tamen non erit contra naturam, neque violentum corpori glorioso, cujus tota natura est omnino subjecta spiritui*. Et ante eum scripserat Gregorius Magnus Homil. 29. in Evangelia Tom. 1. operum edit. Maurin. Col. 1572. *Notandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa & ostensa sunt adjumenta, quia nec in Cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur, quia qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur*.

Christi Ascensio est causa nostræ salutis: Et quare?

40. Alterum est, Ascensionem Christi nostræ salutis esse causam. *Expedit vobis, ut ego vadam*; Joan. cap. 16. Tractat rem hanc S. Th. cit. q. 57. art. 6. ubi ostendit, Ascensionem Christi nostræ salutis esse causam, sive nostrum, sive illius ratio habeatur. Nam quod ad nos attinet, cum ille se a conspectu nostro eripuerit ascendens in Cœlum, Fidei, Spei, & Charitati nostræ fit locus, ut supra dictum est. Quod vero ad illum pertinet, sublatus ipse in Cœlum parat nobis munitque viam, qua illud perveniamus: ut enim in Testamento veteri Pontifex in Sancta Sanctorum introibat orans pro populo, ita Dominus Jesus Cœlum ingressus orat & interpellat pro nobis. Denique inde nobis divina dona demittit, ut propterea D. Paulus ad Hebr. cap. 4. v. 14. scripserit: *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit Cœlos Jesum Filium Dei &c. adeamus cum fiducia Thronum gratiæ*. Hasce D. Thomæ rationes erudite Gravesonus illustrat de mysteriis & annis Christi pag. 514. Constans & perpetua est omnium Sanctorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum doctrina, Christum in Cœlo Sacerdotis fungi munere, ac pro nobis orare, ut videre est apud Thomassinum lib. 10. de Incarnat. Verbi cap. 12. duobusque sequentibus. Alibi nos observavimus, etsi ea orandi formula, si severe perpendatur, adhiberi poterat, *Jesu Christe, ora pro nobis*, Ecclesiam tamen ea uti maluisse, *Jesu Christe, miserere nobis*, ut Arianis, & nostrorum temporum Socinianis ex orationis forma, qua Christum Dominum precamur, omnis cavillandi eriperetur occasio Divinitatem & consubstantialitatem cum Patre.

De Circumstantiis, quæ Ascensionis comitatæ sunt: ad radices montis Oliveti sita erat Bethania. Ex quo conciliantur Acta Apost. & Evangelium Lucæ de loco, unde Christus in Cœlum ascendit.

41. Reliquum est, ut adjuncta, quæ Ascensionis mysterium circumstant, persequamur; quæ sunt locus, tempus, modus, spectatores, comitatus, & miracula, quæ Deus in tanti mysterii memoriam edere diu perseveravit. Tradit Luca cap. ult. Christum Discipulos adduxisse in Bethaniam, iisque benedixisse: *Et factum est dum benediceret, recessit ab eis, & ferebatur in Cœlum*; quod quidem innuere videtur, eum e Bethania in Cœlum ascendisse. Verum idem Lucas Act. Apostol. cap. 1. v. 12. testatur, Apostolus, postquam Christum viderunt ascendisse in Cœlum, rediisse Hierosolymam *a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Hierusalem Sabbathi habens iter*: ex quo colligitur Christum ascendisse in Cœlum e monte Oliveti. Nulla tamen inter Evangelium Lucæ, & Actus Apostolorum est pugna; nam Bethania in declivi montis Oliveti posita est; & fortasse Dominus Jesus se in Bethaniam contulerat, ut Lazarum, sororesque ejus Martham & Magdalenam prius inviseret, secumque adduceret, ut essent Ascensionis suæ testes. Ita disputant a Lapide, & Jansenius in cap. ult. Lucæ; id vero si Tillemontio non arridet Nota 40. in vitam Jesu Christi, probatur tamen Calmeto in cap. 1. Act. Apost. v. 12.

Quæ conciliatio probatur in Synopsi Criticorum.

42. Ad eundem modum textum ex Lucæ Evangelio cum Actuum Apostolorum capite primo conciliat Synopsis Criticorum Sacrorum pag. 1395. Ad illa enim verba, *A monte Oliveti*, hæc sunt adnotata: *Inde ergo Christus in Cœlum ascendit; idque primo quia hic inchoavit Passionem suam in horto sudans, hic sæpe oravit, & pernoctavit, Lucæ 21. & 22. Secundo ut in conspectu impiæ Hierosolymæ gloriose ascenderet. Erat enim hic mons tantæ altitudinis, ut inde pene omnes Urbis plateæ conspicerentur. At Christus dicitur eduxisse eos in Bethaniam, & ferri in Cœlum, Lucæ 24. Respondetur: Hæc non discrepant; nam Bethania erat pars montis in ejus descensu sita*.

De distantia montis Oliveti ab Hierosolyma Conciliantur Acta Apostolorum & Evangelium Joannis.

43. Difficilius est allatum S. Lucæ textum ex Apostolicis Actis cum Joanne cap. 11. componere. Ait enim Lucas, Hierosolymam a monte Oliveti tantum abesse itineris, quantum Hebræis liceret conficere die Sabbathi, *Sabbathi habens iter*; quod est sex, septem, aut octo spatium stadiorum, seu mille nostrorum passuum. At

Joan-

Joannes cap. 11. Bethaniam, quam in descensu montis positam esse diximus, tradit Hierosolyma abesse *stadiis quasi quindecim*. De itinere, quod Sabbathi die Hebræis liceret conficere, variæ sunt diversæque sententiæ, quas vide apud Menochium in Actis Apostolorum cap. 4. Calmetus in caput 1. Act. Apost. docet, S. Lucam, qui scripsit montem Oliveti ab Hierosolyma distare, quantum die Sabbathi itineris liceret Hebræis conficere, non accurate sex, septem, aut octo stadia significare voluisse; cum præsertim eodem Sabbathi die Hebræi modo plus, modo minus itineris conficerent; itaque Lucam spatium illud præterpropter, & ut vulgo dicitur circiter designasse, ut propterea nihil Joanni repugnet. Sed alii plures animadvertunt, ubi dicitur Hebræis non plus quam sex, septem, aut octo stadia perambulare licuisse, ea stadia esse Græcorum; at Joannem, qui scribit Bethaniam ab Hierosolyma distare stadiis quasi quindecim, Hebræorum stadia intelligere. Porro stadium Hebraicum stadiis Græcorum binis æquale est, ex quo cuivis scrupulus omnis evellitur de discrepantia inter Lucam & Joannem. Videatur Tillemontius Nota 40. ad vitam J. Chr. Serry Exercit. 61. nu. 7. & Gottus par. 2. tom. 4. c. 37. §. 4. n. 22.

Constat Christum ascendisse in Cœlum Feria quinta.

44. Testatur Lucas in citato sæpius c. 1. Actuum, Christum Jesum, postquam rediit ad vitam, quadraginta commoratum esse dies in terra, antequam in Cœlum ascenderet: *Quibus* (Apostolis) *& præbuit se ipsum vivum in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Cum igitur Christus vigesima quinta Martii die mortuus sit, & vigesima septima revixerit, ut alibi demonstravimus, necessario inde consequitur, quinto illum Maji die, qui dies Jovis fuit, ascendisse in Cœlum. Quod enim putat Chrysostomus Hom. 3. in Acta Apostolor. Christum in Cœlum ascendisse Sabbathi die, singularis est, nec cuiquam probata ejusmodi opinio.

Non subito, sed per successionem temporis videtur ascendisse in Cœlum. Verisne ascenderit?

45. Scribit Lucas in Actis, cap. 1. v. 9. *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Et postea v. 10. *cumque intuerentur in Cœlum euntem illum*: quibus verbis significari videtur sensibilis quædam elevatio per motum successivum, ita ut Apostolis licuerit aliquandiu suis oculis illum euntem in Cœlum prosequi, donec in lucidam nubem ingressus ab eorum aspectu est ereptus: nec, quemadmodum ipse alias, & sæpe etiam in suis apparitionibus Angeli, momento temporis evanuerit. Tostatus Paradoxo 5. cap. 9. & 34. putat, nubem ita fuisse formatam, ut Domino Jesu quasi Thronum quendam, ubi sederet, & vestem, qua tegeretur, præbuerit. Existimat enim idem Auctor Christum, postquam rediit ad vitam, nudum semper fuisse omni veste detracta, nec ulla alia re rectum quam lumine, quod e glorioso ejus corpore effulgebat, nudumque omnino ea solum nube circundatum ad Cœlum ascendisse. Sed vestene indutus in Cœlum, an nudus Christus ascenderit, accurate perpendit Menochius in Act. Apostol. cap. 3. num. 4. Pervulgata tamen opinio est, quam sequuntur a Lapide, & Calmetus ad cap. 1. Act. Apostol. Christum, postquam revixit, semper ut antea veste tectum apparuisse, & ita indutum in aera sublatum esse, nec prius vestem abjecisse, quam a nube illa fuerit exceptus. Neque vero est hic Astronomorum speculationibus locus, qui immensam extimi summique Cœli ab orbe terrarum distantiam reputantes, tam multos illi postulant annos, qui ad illud Cœlum e Tellure velit ascendere. Motus enim, si Deus velit, vehementius, supra quam cuiquam credibile est, acceleratur. Præterea corpus Christi non erat corpus animale proprio gravatum pondere, sed corpus verum illud quidem, spiritui tamen obtemperans, ut quocumque spiritus vellet, statim eo ferretur.

An alii præter Apostolos spectaverint Christum ascendentem in Cœlum.

46. Ascensionem Christi spectasse undecim Apostolos, diserte tradit Marcus cap. 16. Lucas cap. 24. & Act. Apost. cap. 1. Quæritur modo, num alii tanti miraculi fuerint spectatores? Serry citata exercit. 61. nu. 9. ait, in Sacra Historia solos Apostolos spectatores commemorari; se tamen non repugnare, si quis affirmaret, alios etiam præter Apostolos, ac Beatam præsertim Virginem huic Christi Domini triumpho adfuisse. *Si quis vero alios adjicere velit, maxime vero Deiparam Virginem, non repugnabo*. Et Sandinus Histor. Fam. Sacræ edit. Patavinæ pag. 253. *Si quis alios addere velit, maxima vero ejusdem Christi matrem Mariam Virginem, non ausim repugnare*. Uterque autem putat, falli eos vehementer, qui affirmant centum & viginti homines Ascensioni Christi Domini affuisse: nec quidquam facere textum, cui, qui ita existimant, inniti videntur, ex c. 1. Act. Apost. v. 15. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*. Nam textus ille non eos, qui Ascensioni affuerint, sed qui ad Matthiæ electionem convocati fuerint, commemorat. Contendit tamen a Lapide ad illum locum Act. Apost. centum viginti illos Ascensioni adfuisse; atque idem sentit Calmetus ad eundem locum v. 6.

B. Virgo, aliique, qui in Cœnaculum cum Apostolis introierunt, Ascensioni Christi in Cœlum præsentes fuere.

47. Verum utcumque de hac re sit, S. Lucas in Act. Apost. cap. 1. v. 14. de iis, qui ex monte Oliveti Hierosolymam redierunt, & introierunt in Cœnaculum, postquam undecim commemoravit Apostolos, ait: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu & Fratribus ejus*. Si igitur undecim Apostolos Cœnaculum ingressos fateamur, ut æquum est, præsentes fuisse Ascensioni, idem etiam dicendum videtur de mulieribus, de B. Virgine, ejusque fratribus, de quibus Lucas, postquam undecim numeravit Apostolos, ait: *Hi omnes erant perseverantes in oratione*. Demus igitur, ut par esse videtur, textum illum, *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*, non de iis, qui Ascensioni, sed iis qui electioni Matthiæ affuerunt, esse intelligendum, præsertim cum Matthias in Apostolorum numerum post aliquot ab Ascensione dies fuerit cooptatus; siquidem Lucas ait, *In diebus illis*; inde colligi quidem poterit, non omnes illos centum & viginti, qui Matthiam elegerunt, Ascensionem Christi Domini spectavisse, non tamen solos spectavisse Apostolos undecim: præcipue cum Sacra tradit historia; ante Sancti Matthiæ electionem, & statim post Christi Ascensionem eos qui adfuerint, Hierosolyma reversos introisse in Cœnaculum; eademque Sacra historia referat, præter Apostolos fuisse in Cœnaculo etiam mulieres, B. Virginem, & Fratres Jesu Christi. Vide Gottum loc. cit. num. 23. ubi ait, verisimile fieri, non solum undecim Apostolos spectasse Ascensionem, sed eos saltem omnes, qui in Cœnaculum una cum Apostolis ingressi orationi vacabant.

Videtur Christus ascendisse stipatus Angelorum comitatu.

48. Narrat Sacer textus, dum Discipuli in Cœlum suspicerent, duos illis Angelos veste indutos candida adstitisse, qui eos interrogaverint, quid ita id Cœlum respicerent; monuerintque, Jesum, qui tollebatur in Cœlum, ad eundem modum venturum, quo illum viderant abeuntem. Satis hi duo Angeli declarant, e Cœlo reliquos

liquos etiam Angelos esse delapsos, ut Christum exciperent & comitarentur. Cum enim duo edixerint Angeli, Christum in fine mundi ita venturum, quemadmodum ascendisset in Cœlum, compertumque habeamus, venturum ad extremum totius generis humani judicium cum gloria, potestate, & majestate Angelicis stipatum ordinibus, jure affirmari potest, eodem circumseptum comitatu in Cœlum ascendisse. Suffragari videtur locus e Psalmo 23. v. 9. *Attollite portas, Principes, vestras*; & alius itidem e Psalmo 46. v. 6. *Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*. Quamobrem scribit Suarez in 3. par. D. Thom. 2. quæst. 58. art. 4. disput. 51. Sect. 2. *De Angelico autem ministerio, & comitatu quamvis in Scriptura nihil dictum sit, tamen non est dubium, quin omnes Angelorum ordines descenderint, ut Christum Ascendentem comitarentur, eique honorem & gloriam exhiberent, quod omnes Sancti Patres scribentes de hoc mysterio luculenter exponunt*.

Christus ascendens in Cœlum Justorum animas in Cœlum secum adduxit.

49. Justorum animas, qui ante Christi Passionem obierant, alibi docuimus non in Paradisum exceptas, sed in Patrum Limbo fuisse detentas, qui sinus Abrahæ dicitur Lucæ cap. 16. ubi narrat Evangelista, divitem illum epulis deliciisque tantopere celebratum animam vidisse Lazari eo loci tranquille conquiescere: *Vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus*. Eas animas itidem diximus una cum Christo in Cœlum ascendisse: *Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem*: quæ D. Pauli verba ad Hebræos 4. ita communi consensu interpretantur sacrarum litterarum Professores, ut sententia sit, Christum animas justorum secum in Cœlum adductas æternæ gloriæ fecisse compotes. *Qui ante ejus adventum in hunc mundum venerunt* (ait S. Gregorius Moralium lib. 13. c. 14.) *quantamlibet justitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti in sinum cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant, quia necdum venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret, & Justorum animas in perpetua jam sede collocaret*.

Ubi quadraginta illos dies exegerint animæ mortuorum, qui in morte Christi surrexerunt, & cum eo ascenderunt in Cœlum.

50. Illud etiam alibi docuimus, in morte Christi aperta esse monumenta, eoque revivisscente, *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexisse*, hoc est multos Sanctorum, qui mortui erant, ad vitam rediisse. Exploratum quidem est, eorum animas Christi in Cœlum ascendentis fuisse comites. Illud omnino incompertum, quo loco illæ animæ degerint per dies quadraginta, quibus Christus in terris versatus est. Matthæus enim cap. 27. tradit quidem, eos Sanctos venisse in Sanctam Civitatem, & multis apparuisse; sed tunc temporis cum vivebant, & nemini erant conspicui, ubi permanserit, omnino tacet Evangelista. D. Thomas in 3. sentent. dist. 22. quæst. 3. art. 2. in fine probabile putat, eos in terrestri Paradiso commoratos; ubi itidem, est qui existimat, Christum eos egisse dies, qui ab ejus Resurrectione ad Ascensionem elapsi sunt. Suarez tom. 2. in 3. par. qu. 55. art. 3. in Commentariis incerta esse hæc omnia prudenter animadvertit. Et sane nihil in iis esse certi, satis vel ex eo potest intelligi, quod ad rem expediendam prius decernere oporteret, ubi terrarum fuerit terrestris Paradisus, & quantum temporis permanserit; quam quæstionem Calmetus in cap. 2. Geneseos num. 4. ait ejusmodi esse, ut non aliam reperias, de qua scissa sint in tam varias sententias Doctorum virorum ingenia.

An ubi revixerunt, rursus obierint.

51. Sed si incertum est, ubi terrarum fuerint Sancti, qui revixerunt, quo loco constitus fuerit Paradisus terrestris, & quandiu permanserit; illud certe multo incertius, utrum Sancti, qui ad vitam redierunt, rursus obierint, & eorum animæ cum Christo in Cœlum evolaverint, relictis suis corporibus, quæ universalem carnis Resurrectionem expectent; an vero novi interitus expertes cum Christo una sua quisque cum anima, & corpore in Cœlum ascenderint.

Verior sententia est, rursus migrasse e vita.

52. Eam quæstionem tractant Theologi D. Th. in 4. sent. dist. 43. q. 1. art. 3. q. 1. *ad tertium*, sequutus Hieronymum in cap. 27. Matthæi videtur eorum suffragari sententiæ, qui contendunt, Patres revixisse non amplius morituros. Sed in 3. par. Summæ q. 53. art. 3. *ad secundum*. Epistolam D. Augustini expendens 99. nunc 164. ad Evodium cap. 2. in eorum videtur opinionem esse propensior, qui putant, Sanctos, qui revixerint, rursus e vita excessisse. Tillemontius Nota 36. in vitam Jesu Christi hanc affirmat Patrum communem esse sententiam. Eamdem acriter etiam propugnat Calmetus in sua Dissertatione, quam de hac re edidit. Profecto D. Paulus ad Hebræos cap. 11. v. 39. generatim de Justis in veteri Testamento verba faciens ait, non priusquam reliqua omnis Ecclesia, plenam assequuturos felicitatem, quæ in animæ & corporis gloria sita est. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Quod minime videtur fuisse dicturus, si Sancti, qui, Christo revivisscente, redierunt ad vitam, immortalitatem consequuti, una cum corporibus in Cœlum cum Christo ascendissent. Huc accedit, quod communis Catholicorum sententia est, solum Christum Jesum, Beatamque Mariam ejus matrem in Cœlum corpore & anima evolasse.

De vestigiis Christi impressis eo loci, unde ascendit in Cœlum. De admiranda ibi extructa, ejusque templum super inducti nunquam perfuit.

53. Affert Calmetus miracula, quæ post Christi Ascensionem Deus edidit in ejus Mysterii memoriam, ut videre est in cap. 1. Act. Apost. nu. 12. Auctor libelli de Locis Hebraicis in Actis Apostolorum apud Hieronymum, cui multum auctoritatis tribuerunt vel ipsi Scaliger, & Erasmus, narrat eo loco, unde Christus in Cœlum sublatus est, extitisse impressa vestigia. *Mons Oliveti ad Orientem Hierosolymæ torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa, hodieque monstrantur*. Illud etiam mirabile: *Cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt*. Præterea addit. *Denique cum Ecclesia, in cujus medio sunt* (vestigia Christi) *rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur, summum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi, & concamerari potuit, sed transitus ejus a terra ad Cœlum usque patet apertum*. Idem refert Sulpicius Histor. Sacræ l. 2. cap. 33. S. Paulinus Nolanus Epist. 11. ad Severum, & D. Augustinus Tract. 37. §. 4. in Joannem: *Ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascendit in Cœlum*. Ejusmodi miraculum de vestigiis impressis prædixerat Zacharias cap. 14. *Et stabunt pedes ejus in die super montem Olivarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem*. Et Casaubonus Exercit. 16. §. 154. ei miraculo de vestigiis Christi, quæ, detracta licet identidem terra devotionis causa ab iis, qui illuc confluebant, non delerentur, fidem abrogari non posse candide fatetur. *Miraculum de Sanctis Domini vestigiis pristinum statum continuo recipientibus, quicquid homines molirentur, propter consensum tot Scriptorum, & in his magni Hieronymi, qui fuit oculatus testis, mihi quidem*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

dem videtur dignissimum. Et Bailletus Histor. de Mysterio Ascensionis alterum affert miraculum, quod, cum in Hierosolymæ obsidione Titus in monte Oliveti castra haberet, numquam tamen fieri potuerit, ut vel militum excursionibus, vel pedibus equorum, vel cæteris militaribus molitionibus, quibus certe universam montis terram inversam esse oportuit, vestigia illa Domini delerentur.

Aliud miraculum de vento flante quotannis in die Ascensionis, Missa peracta, & splendore quo Cœlum flagrare videbatur.

54. Auctor libelli de *Locis Sanctis*, qui a multis Bedæ tribuitur, cap. 7. aliud narrat miraculum, quod instaurabatur singulis annis die Ascensionis in æde illa, quæ ibi fuerat extructa, unde Jesus abiit in Cœlum. Missa peracta, vehemens quidam & mirificus ex alto ventus flabat, quo dejecti quotquot aderant humi procumbebant, dum interea totus mons, vicinaque loca insolita luce ita coruscarent, ut ardere viderentur. Illud miraculum commemorat Baronius ann. Chr. 58. num. 77. Bailletus Histor. hujus Festi nu. 5. Menochius in Act. Apostolicis lib. 1. c. 4. num. 3. Serry cit. Exercit. 61. num. 8. & Gottus cit. cap. 37. num. 25. quorum duo postremi advertunt, post Auctorem ejus libri, a nemine fieri ejus miraculi mentionem, ut jam credendum videatur desisse.

Witsii plumbeum argumentum, quo superiora duo miracula explodere conatur.

55. Hermannus Witsius Heterodoxus Auctor Sacrar. Exercit. 20. num. 13. bina illa miracula, alterum de impressis Christi vestigiis, alterum de irrito conatu Ædis contegendæ, ubi eadem sunt impressa vestigia, oppugnat argumento ducto a silentio Socratis, Theodoreti, Sozomeni, & Nicephori. Prioris originem se invenisse existimat; Eusebium scilicet in vita Constantini lib. 3. cap. 42. de Helena, quæ in Judæam venerat, scripsisse: *Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est*: id de Judæa ubi Christus habitaverit, dictum, ad Montem Oliveti traductum esse, unde ascendit in Cœlum. Sed argumentum negativum quam sit infirmum, nemo est qui nesciat; præsertim si aliquorum Scriptorum silentio, aliorum, majoris qui sint auctoritatis, rem aliquam affirmantium, testimonia opponantur. Qui in eos Scriptores sanctitate & magna existimatione florentes respexerit, qui bina illa miracula testantur, facile intelliget, nullius esse roboris a Witsio intentatum argumentum adversus illa miracula. Vide Quaresmium Elucidat. Terræ Sanctæ lib. 4. cap. 7. & sequen. tom. 2. qui præsentem earum rerum statum exponens testatur, deletam esse ab Infidelibus Ædem in eo loco antea extructam, unde Christus ascendit in Cœlum: tamen etiamnum extare veteris magnificentiæ signa; ædiculam vero nunc esse, in qua conspicitur impressum sinistri pedis vestigium, dextri enim pedis alterum alio asportatum fuisse; hanc porro ædiculam laqueari esse contectam. *Ex his apparet, Sacellum constructum in loco, ubi Christus ascendit in Cœlum, non patulum & apertum nunc esse, sed opertum & cameratum.*

De Ascensionis Festo, quod solemnitatum omnium dicitur complementum e D. Bernardo.

56. Explicato Ascensionis mysterio quædam æquum est de ejus Festo attingere. S. Bernardus serm. 2. de Ascensione num. 2. Festum hoc appellat omnium solemnitatum complementum. *Consummatio, & adimpletio est reliquarum solemnitatum, & felix clausula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim descendit, ipse est, qui ascendit hodierna die super omnes Cœlos, ut adimpleat omnia.* Et serm. 4. num. 1. *Si Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ digna devotione solemnia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minus devote convenit celebrari. In nullo siquidem a Festivitatibus illis ista degenerat, sed finis earum, & adimpletio est.*

Hæc solemnitas instituta ab Apostolis ex D. Augustino.

57. D. Augustinus Epist. 44. alias 118. c. 1. docet, hanc Solemnitatem ab Apostolis esse institutam. *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quod Domini Passio, Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Adventus Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud occurrit, quod observatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia.* Quod etiam probe advertit Martene cap. 28. num. 1.

Idem August. eam vocat Quadragesimam.

58. Idem Augustinus serm. 267. cap. 3. Solemnitatem hanc *Quadragesimam* vocat, quod post dies a Resurrectione quadraginta celebretur: & libro Constitutionum Apostolicarum cap. 19. huic Festo Feria quinta destinatur quintæ post Resurrectionem hebdomadæ. Orientales *Tessaracosten*, seu *Tetracosten* appellant, quod quadragesimum post Pascha diem significat, ut notat Bailletus loco citato. Si quis tamen, quod Chrysostomus putaverit, Christum die Sabbathi in Cœlum ascendisse, inferri ex eo posse existimet, Sancti illius Doctoris ætate neque Antiochiæ, neque Constantinopoli Ascensionis Festum Feria Quinta celebratum esse, observandum est, sermonem ejus extare in Festo Ascensionis, quem habuisse credere necesse est Feria 5. post quadraginta dies a Paschate. Quamobrem nulla probabilis potest elici conjectura, in iis locis Ascensionis Festum aut non celebrari consueviſſe, aut alia, quam die Jovis, celebratum esse. Vide Tillemont. Nota 42. ad vitam J. Chr.

Olim in die Ascensionis erat Processio. Mos etiam erat benedicendi panem, & novos fructus.

59. Testatur Durandus *in Rationali Divinorum Officiorum* lib. 4. cap. 6. primis Ecclesiæ temporibus in memoriam Ascensionis Domini Processionem qualibet hebdomada fieri solitam quinta feria; quæ Festorum numero in honorem Sanctorum aucto, sublata est. *Primitiva Ecclesia observabat Quintam Feriam, & fiebat in ea Processio in memoriam Dominicæ Ascensionis: sed, multiplicatis Sanctorum Festivitatibus, sublata est solemnitas Feriæ quintæ, & ejus Processio per Agapitum Papam in Dominicam translata est, ut a Populo tunc ad Ecclesiam conveniente simul & solemniter valeat celebrari; ut propter hoc dies Jovis dicatur vulgaliter cognata diei Dominicæ, quia videlicet antiquitus par solemnitas fuit utrique.* Ejus Processionis meminit Gregorius Turonensis lib. 5. Histor. Francor. cap. 11. non tamen de ea Processione videtur loqui, quæ qualibet Feria quinta, sed quæ Feria quinta fiebat ipso Ascensionis Domini Festo. Et Bailletus Histor. hujus diei §. 7. allatis vetustiorum Scriptorum testimoniis, ait, etiam fieri Processionem post Tertiam, in itineris memoriam Apostolorum ab Hierosolyma in Bethaniam, a Bethania in Montem Olivetum proficiscentium, atque inde Hierosolymam redeuntium. In hujus diei Missa mos erat benedicendi panem, novosque fructus; quarum benedictionum formulas vide apud Martene de antiqua Ecclesiæ Disciplina cap. 28. pag. 527. veteris edit. Micrologus cap. 55. jejunium commemorat in Pervigilio Ascensionis. Nunc autem Pervigilium sine jejunio celebratur, propter Paschale tempus, ut bene advertit Gavantus sect. 6. de Litaniis majoribus & minoribus cap. 17. *Vigilia Ascensionis non habet jejunium, quia de tempore Paschali est.*

Cereus usque ad Ascensio-

60. De Cereo, cujus fit benedictio in Sabbatho

nem accenditur certis quibusdam diebus. Ad Evangelium Missæ Ascensionis extinguitur.

tho Sancto, sermonem alibi habuimus. In Annalibus Fratrum Minorum anni 1263. eos decreviſſe legimus, ut uſque ad Aſcenſionem Cereus accenderetur ſaltem in Miſſis ſolemnibus. At S. Rituum Congregatio 19. Maji 1607. conſtituit, ut tribus Paſchæ feſtis diebus, Sabbatho in Albis, & ſingulis quibuſque Dominicis uſque ad Aſcenſionem, dum canitur Miſſa, & tum in Veſperis, tum etiam in cæteris Horis Canonicis juxta Locorum conſuetudinem accendatur. Quando Cereus auferri debeat, nec amplius accendi, nihil apud vetuſtiores Scriptores reperimus. Nunc quidem diſciplina eſt, ut in primis Aſcenſionis Veſperis, in Laudibus, & Miſſa accendatur uſque ad Evangelium, cujus lectione expleta, extinguatur, & in Sacrarium aſportetur. Iterum autem accenditur in Sabbatho Pentecoſtes ad benedictionem Fontis. Extinguitur autem die Aſcenſionis poſt Evangelium, ut Chriſti diſceſſus ab Apoſtolis ſignificetur. Vide Macrum in Vocabular. Eccleſiaſt. verbo *Cereus Paſchalis*, & Meratum part. 2. tom. 1. in Notis ad Gavantum pag. 1173. & 1188. & 1197. Quod poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis Cereus extinguatur, quidam ex eo conjiciunt, eam eſſe horam, qua Chriſtus in Cœlum aſcenderit; quæ ſane conjectura leviuſcula eſt, ut etiam advertit Gottus loc. cit. num. 21.

CAPUT XI.

De Feſto Pentecoſtes, quod prima Dominica celebratur poſt Dominicam infra Octavam Aſcenſionis.

Matthias in locum Judæ cooptatus eſt inter Apoſtolos.

1. PEntecoſtes ſolemnitas ea Dominica celebratur, quæ Dominicam infra Octavam Aſcenſionis proxime conſequitur. Poſtquam Hieroſolymam Apoſtoli, Chriſto in Cœlum ſublato, redierant, & turba fere centum & viginti Diſcipulorum convenerat, Petrus, cui univerſalis Eccleſiæ adminiſtrandæ partes a Chriſto datæ fuerant, dixit opus eſſe, ut impio Judæ ſufficeretur aliquis, qui locum Apoſtolicum obtineret; cumque duo propoſiti eſſent, Joſeph qui dicebatur Barſabas, & Matthias, *Et ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam*; omnes Deum deprecati ſunt ut quem vellet eligi, ſignificaret. *Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum.* Cumque ſortiti eſſent, Matthiæ ſors obtigit, qui inter Apoſtolos eſt cooptatus. *Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Act. Apoſt. cap. 1. v. 23. & ſeqq.

Matthias, ita volente Deo, ſortito adeptus eſt Apoſtolatum, quod trahi non debet in exemplum.

2. E ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis erat Matthias. Statuerunt Apoſtoli ut per ſortes locus Judæ impleretur, *ne*, ut ait Ambroſius in cap. 1. Lucæ, *Apoſtoli electio a mandato diſcrepare legis veteris videretur.* Etenim ex Evangelio Lucæ ipſius cap. 1. colligitur, per ſortes eligi ſolitum, qui thus Domino adoleret. Dionyſius, ſeu quis alius Auctor lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. par. 3. ſcribit, ſortem, quam Acta Apoſtolorum commemorant cap. 1. indicatam fuiſſe per ſignum viſibile Cœlo delapſum, ideſt radium quemdam cœleſtem Matthiæ capiti circumfuſum, aut aliud quidpiam ſimile. *Cum autem de divina illa ſorte, quæ divinitus ſuper Matthiam cecidit, alii ab aliis diverſa ſenſerint, meam ipſe ſententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura ſortem appellare divinum illud munus, quo declarabatur Choro hierarchico, quiſnam divino ſuffragio electus erat.* Quidam vero exiſtimant, revera ſortes fuiſſe jactas. Quod quidem peculiare fuit in Matthiæ electione, nec in exemplum proponi poteſt. Chriſtus enim, cum illum ipſe vellet eligere, ne minor quam cæteri Apoſtoli videretur, in animos Apoſtolorum divino ſuo injecit afflatu, ut per ſortes rem gererent. Tirinus in cap. 1. Act. Apoſtol. num. 26. ita ſcribit: *conjectis nominum chartulis in urnam, & inſtincta divino certiores redditi, Deum hac ſortitione demonſtraturum, utrum e duobus vellet.*

Ingruente ſonitu quodam vehemente delapſus eſt Spiritus Sanctus ſuper diſcipulos, & apparuerunt linguæ ignis ſuper eorum capita diſpertitæ.

3. Cum ii omnes, qui Matthiam elegerant, ipſo Pentecoſtes die in eodem eſſent loco, vehemens ex improviſo ventus coortus eſt, quo tota domus, in qua erant, concuſſa eſt. *Et cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repente de Cœlo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes*: verba ſunt Act. Apoſtol. cap. 2. verſ. 1. Ad quæ verba Tirinus poſt Pagninum, aliſque Interpretes notat: *Non neceſſarium eſt, fuiſſe verum ventum ſed ſufficit fuiſſe verum ſonum, qualis excitari ſolet a vento valido ingruente. Si enim homines poſſunt ſine vento ſimilem vento excitare ſonum, cur id non poſſit Deus?* Ad illum ſonitum excitatus univerſus populus eo accurrit, ubi erant Apoſtoli; ibi enim vehementius aer commoveri, & ſive ſonus, ſive ſtrepitus, quæcumque cauſa eſſet, unde oriretur, gravior ingruere videbatur. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*: itaque *repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*: non quod tum ſanctificantem gratiam primum ſint conſequuti, ſed quod maxima in iis facta fuerit gratiæ acceſſio, ut de adventu Spiritus Sancti verba faciens S. Leo Homil. 3. de Pentecoſt. tom. 1. op. edit. Lugdun. pag. 159. cap. 1. ait: *Non ut tunc primum eſſe Sanctorum inhabitator inciperet, ſed ut ſacrata ſibi pectora & ferventius accenderet, & copioſius inundaret, cumulans ſua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate.*

Cum gratia ſanctificantis uberiori copia infuſa ſunt Apoſtolis ſeptem dona Spiritus Sancti.

4. Ad eam juſtificantis gratiæ acceſſionem, ſeptem indita illis fuere Spiritus Sancti dona, de quibus Iſaias cap. 11. v. 2. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Gratiæ illæ etiam iis tum infuſæ fuerunt, quæ *gratis datæ* appellantur, de quibus loquitur D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 12. ut Parthi, Medi, & qui e Meſopotamia, Judæa, Cappadocia, Ponto, Aſia, Phrygia, Ægypto, Romani, Judæi illuc convenerant, aliique multi, quos commemorat Lucas in Actis cap. 2. v. 6. vehementer demirati ſint, quod Apoſtolos ſua quiſque audiſſet lingua de Deo, ejuſque potentia & magnitudine loquentes. *Facta autem hac voce convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei? Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes; Quidnam vult hoc eſſe?*

Hieroſolyma omnium Aſiæ Civitatum celeberrima.

5. Nobiliſſima tum temporis erat Aſiæ Civitatum Hieroſolyma, cujus pulchritudinem deſcribit Joſephus de Bello Judaico lib. 6. cap. 18.

Pro-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nobilissima. Incredibilis multitudo illuc confluebat die Pentecostes.

Prospicite ejus, quam proditis pulchritudinem, quale Oppidum, quale Templum, quam multarum gentium munera! In ea Judææ Gentis Conventus agebantur; in ea Synagogæ omnium Gentium, quotquot essent Judaici nominis. Alexandrinorum, Libertinorum, Cyrenensium, & Cilicum; & Arcis Antoniæ Romanorum præsidiarii milites custodiam gerebant. In Festis solemnioribus ex remotissimis terræ partibus Judæi illuc confluebant, ut suæ Gentis viderent Metropolim. Maxima vero frequentia conveniebant die Pentecostes, ut fuse probat Joannes Christophorus Harembergius Auctor Heterodoxus Dissertatione *de Miraculo Pentecostali* tom. 2. Dissertationum in loca quædam Novi Testamenti edit. anno 1732. pag. 575. num. 5.

Apostolos quidam existimabant ebrios esse. Joelis Oraculum tunc bene adimpletum.

6. Itaque nil mirum, si e tanta turba, quæ eo, ubi erant Apostoli accurrerat, extiterit aliquis, qui eos se vino ingurgitasse ausus sit dicere. *Alii autem irridentes dicebant; quia musto pleni sunt isti.* Act. Apostol. cap. 2. Tum vero Petrus tamquam Ecclesiæ caput una cum aliis Apostolis prodiit ad multitudinem, elataque voce declaravit, eos non esse ebrios: *non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt*; sed Joelis impleri oraculum, qui prædixit novissimis diebus futurum ut Spiritum suum in homines Deus effunderet. Qua in re adnotarunt Interpretes, Joelem de temporibus loquutum, quæ Hebræorum captivitatem consequuta sunt, & de pœnis, quas Deus ab hostibus populi sui sumpserat; cumque dixerit, Deum nonnisi exiguo numero Prophetarum sese communicare, futurum autem aliquando, ut non solum viri, sed etiam fœminæ Spiritu Sancto, non quidem levi & transeunte, sed diutina effusione uberrime perfunderentur, numquam perfecte eam prophetiam adimpletam fuisse, quam post Jesu Christi resurrectionem: non enim Apostolis tantum, sed multis aliis quamplurimis sacro Baptismo ablutis Linguarum & Miraculorum dona concessa sunt. Ea vero miraculorum, & linguarum gratia tribus primis Ecclesiæ seculis ad Fidem constabiliendam maxime fuit conspicua, atque identidem, prout opus est, etiamnum sese exerit & ostendit. Vide Calmetum in Joelem cap. 2. n. 28. & in cap. 2. Act. Apost. num. 17.

Salmasius confutatus.

7. Salmasius dicere ausus est, donum linguarum fuisse datum Apostolis non per modum habitus, sed per modum actus transeuntis, adeo ut eo dono præditi fuerint ipso Pentecostes die, donec igneæ linguæ in eos delapsæ eorum capitibus insedere, quibus dilapsis Apostoli eo linguarum dono caruerint. Sed ab ipsis suæ sectæ auctoribus vel impugnatus est, vel desertus; qui licet hæreticas partes sequantur, audacem ejus propositionem nullo fundamento innixam esse cognoscunt. Marius Gothfredus Thilus Dissert. *de Linguis ignitis* tom. 2. Dissertat. in Nov. Testam. Edit. Amstelod. ann. 1702. pag. 430. n. 17. observat, cum exploratum perspectumque sit, Apostolos variis linguis loquutos esse, iis præsertim, quæ opus erant ad eas Gentes ad Fidem convertendas, quibus Evangelium prædicarent, si eas linguas labore & industria didicissent, neque habitu infuso veluti haustas adhibuissent, nihil quidquam fuisse in hac re quod mirificum videretur; neminem enim esse satis constat, qui idem non possit, si perdiscendis linguis paullo habilior sit. *Si enim habitus ille linguarum non fuit infusus, sed crebris exercitiis comparatus, nil novi accessit Apostolis, cum id cum quolibet homine commune habeant.* Et Joannes Christophorus Harembergius cit. Dissert. *de Miraculo Pentecostali* §. 15. libenti subscribit animo veræ sententiæ,

quæ statuit, non solum Apostolos, sed etiam primævæ Ecclesiæ Christianos fuisse præditos dono linguarum, quas Gentibus ad Christi ovile revocandis adhiberi oporteret.

Celebris Oratio B. Petri ad populum: cujus vi tacti ter mille homines Baptismum susceperunt.

8. Jam vero ut cæteras res a B. Petro gestas persequamur, fuit illud tempus cum Princeps Apostolorum, tamquam Caput Ecclesiæ, egregiam habuit orationem, quæ est in cap. 2. Act. Apostol. cujus vi tria hominum millia sacro sunt abluta Baptismate, & pœnitentiam egerunt. Chrysostomus Homilia 4. in Acta Apost. de illa Petri Oratione mentionem injiciens, *Apostoli*, inquit, *communem vocem edebant, ac Petrus omnium erat os, sed adstabant illi undecim, testimonio suo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.*

De Pentecoste Hebræorum. Quæ illa Solemnitas, & quando celebraretur.

9. Ut Pentecostes Mysterium declaretur, quasdam proponemus quæstiones, quarum prima ea est, quænam esset in lege veteri Solemnitas Pentecostes. Festum illud igitur quinquaginta dies post Pascha, seu verius post secundam Azymorum diem celebrabatur, ut primæ fruges Deo offerrentur, & ut Legis memoria coleretur, quam quinquaginta dies post Pascha in Monte Sinai a Deo Moyses acceperat. Sic enim jubet Deus in Levitico cap. 23. v. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas; usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies: & sic offeretis Sacrificium novum Domino.* Et c. 16. v. 8. Deuteronomii: *Sex diebus comedes azyma, & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facias opus. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum Hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui.* Legem autem a Deo Moysi traditam habes in cap. 20. Exodi. Considerat vero Calmetus in cap. 2. Act. Apostol. vers. 1. Pentecostem legis festum appellari; quod, ut diximus, eo institutum est, ut Legis coleretur memoria, quam a Deo Moyses accepit in Monte Sinai; Pentecostes autem nomine quinquagesimam diem significari, bene observat Pougetus Instrut. Catholicar. tom. 1. pag. 865. Edit. Parisien. anni 1725. Si quem plura de Hebræorum Pentecoste cognoscendi cupido ceperit, is Alphonsum Tostatum, nomine Abulensem, adeat in cap. 23. Levit. Quæst. 41. qui docet, in veteri Testamento Azymorum Festum in memoriam institutum esse liberatis, quam Ægyptiacæ servituti ereptus Judaicus populus est consequutus; Pentecostem autem in memoriam Legis Moysi datæ in Monte Sinai: In festo Azymorum primarum frugum manipulum offerri consuevisse; In Pentecoste panis primitias: quemadmodum vero in Festo Azymorum ante oblationem primarum frugum non licebat iis vesci, & polentam conficere; ita vetitum fuisse in Pentecoste, ne quis panem prius manducaret, quam oblatus fuisset. Præter panes in Pentecoste animalia etiam offerebantur, ut habetur Levit. cap. 23.

De Pentecoste Christianorum. Analogia inter illam, & Pentecostem Judaicam.

10. Secunda quæstio est, quid apud nos sit festivitas Pentecostes. Inter utramque Pentecostem, nostram scilicet, & Judæorum, analogiam quandam intercedere docet Isidorus lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 32. *Concordat autem hæc festivitas Evangelii cum festivitate Legis.* Postquam enim Judæi, sacrificato agno, celebraverant Pascha, quinquaginta diebus jam elapsis, vetus lex digito Dei scripta Moysi est tradita: in nova autem lege, quinquaginta itidem diebus post Pascha celebratum in mortis Jesu Christi memoriam, qui tamquam immaculatus Agnus

ad ſacrificium ductus eſt, celebratur adventus Spiritus Sancti, qui Dei digitus appellari ſolet. *Illic enim poſteaquam Agnus immolatus eſt, interpoſitis quinquaginta diebus, data eſt lex Moyſi ſcripta digito Dei: hic poſtquam occiſus eſt Chriſtus, qui ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, celebratur verum Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus, datur Spiritus Sanctus, qui eſt digitus Dei, ſuper centum viginti Diſcipulos.* Huc accedit, quod in veteri lege, quando vox Dei audita eſt, atque lex Moyſi fuit tradita, celebrari cœptum eſt Pentecoſtes Feſtum; & in Lege nova idem Feſtum inſtitutum eſt poſt adventum Spiritus Sancti, cum Apoſtoli linguarum, & miraculorum dona acceperunt, & Magnalia Dei cœperunt loqui, ut pergit Iſidorus loco citato. *Pentecoſtes dies hinc cœpit exordium, quando Dei vox in Sina monte deſuper tonantis audita eſt, & lex data Moyſi. In novo autem Teſtamento Pentecoſtes cœpit, quando adventum Spiritus Sancti, quem Chriſtus promiſit, exhibuit, quem ait non eſſe venturum, niſi ipſe aſcenderet in Cœlum. Denique dum Portam Cœli Chriſtus intraſſet; decem diebus interpoſitis, intremuit ſubito orantibus Apoſtolis locus, & deſcendente Spiritu Sancto ſuper eos, inflammati ſunt ita ut linguis omnium gentium Dei Magnalia loquerentur.* Et S. Leo ſerm. 73. de Pentecoſte 1. cap. 1. *Sicut enim Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, quinquageſimo die poſt immolationem Agni, Lex data eſt in Monte Sina; ita poſt Paſſionem Domini, qua verus Dei Agnus occiſus eſt, quinquageſimo a Reſurrectione ipſius die in Apoſtolos, plebemque credentium Spiritus Sanctus illapſus eſt, ut facile diligens Chriſtianus agnoſcat, initia veteris Teſtamenti Evangelicis miniſtraſſe principiis, & ab eodem Spiritu conditum Fœdus ſecundum, a quo primum fuerat conſtitutum.*

Quis numerus fuerit eorum, qui eo convenerant, quo Spiritus Sanctus delapſus eſt. Beza refutatur.

11. Tertia quæſtio eſt, qui numerus fuerit eorum, qui in unum convenerant locum, quando Spiritus Sanctus Cœlo delapſus eſt; & ſoliſne Apoſtolis acceſſio illa gratiæ facta fuerit, donaque Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ fuerint conceſſæ. Cui quæſtioni reſponderi affirmative poteſt, cum Apoſtolis ibi fuiſſe mulieres, Beatam Virginem, & Fratres Chriſti Domini, ut ſupra diximus, & ut eſt in Actis Apoſt. c. 1. ac veriſimile eſſe, omnes ſimul centum & viginti admodum fuiſſe. Nam totidem paucis ante diebus ad S. Matthiæ electionem convenerant. Beza ibi nonniſi Apoſtolos fuiſſe contendit, qui jure vapulat a Tirino in cap. 2. Actor. Apoſt. *Beza id inepte reſtringit ad ſolos Apoſtolos.* Eundem confutat etiam hæreticarum partium ſcriptor Joannes Chriſtophorus Harembergius Differt. *De Miraculo Pentecoſtali* n. 9. *Homines, qui interfuerunt huic miraculo, ſunt vel Candidati Spiritus Sancti, vel ſpectatores. Candidati illi erant viginti ultra centum, quos Petrus paullo ante adloquutus erat, & quorum conſenſu Matthiæ ſortito Apoſtolatus obtigerat. Quis vero dubitat, quin Apoſtoli cum cæteris Chriſtianis cultus ſacri cauſa fuerint in uno loco? Nec alibi ſolis Apoſtolis dona Spiritus Sancti & linguarum conceſſa, ſed potius cum cæteris Chriſtianis communicata ſunt.* Præterea fidenter reſponderi poteſt, ſuper omnes Spiritum Sanctum fuiſſe delapſum. *Sedit* enim *ſupra ſingulos eorum*; verba ſunt ex cap. 2. Act. Apoſt. Quamobrem Chryſoſtomus Homil. 4. in idem caput ita ſcribit: *Quid autem? An in duodecim venit tantum, non etiam in cæteros? Nequaquam: ſed venit etiam in illos centum viginti.* Idem confirmat D. Auguſt. Tract. 19. in Joannem: *Centum & novem cum Apoſtolis undecim, centum & viginti erant, quando ſimul congregati poſt ejus Aſcenſum expectaverunt, & receperunt Spiritum Sanctum.*

Quid fuerit donum linguarum Apoſtolis collatum.

12. Quarta quæſtio eſt, quod eis linguarum donum fuerit collatum, ideſt an Apoſtoli, dum propria prædicarent lingua, ab omnibus, qui audirent, intelligerentur; an vero facultatem haberent, ut omnium ſermones, non quidem eodem tempore, ſed ut ferebat occaſio, loquerentur. Hanc tractat quæſtionem Divus Thomas 2. 2. quæſt. 176. art. 1. ubi docet, potuiſſe Deum utrumque linguarum donum Apoſtolis conferre, ſed probabilius eſſe, atque etiam magis decuiſſe, Apoſtolos omnium linguarum eſſe peritos; non ſolum enim opus erat, ut ab omnibus intelligerentur; ſed ut ipſi ea, quæ ab aliis dicerentur, intelligerent, quæque adverſus eorum doctrinam objicerentur. Cui rationi favet textus D. Pauli ex Ep. 1. c. 14. ad Corinthios: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor.* Quamquam haud negaverimus potuiſſe aliquando contingere, ut propria utentes lingua ab omnibus intelligerentur, ut demonſtravimus lib. 3. de Canonizat. Sanctor. cap. 46. num. 6. & ſequ. Conſonat Tirinus in caput 2. Act. Ap. num. 4.

De linguis igneis. Quid revera ſint Calmeti ſententia. Nova opinio Serry.

13. Quinta quæſtio pertinet ad ignem, & linguas. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Act. Ap. cap. 2. v. 3. Quæritur enim an verus fuerit ille ignis, & quid per eas linguas diſpertitas ſit intelligendum. Calmetus in cap. 2. Act. Ap. v. 3. ait, non fuiſſe illum materialem ignem, & elementarem, ſed fulgorem quendam non abſimilem igni, qui ſymbolum erat luminis, & ardoris, quem in Apoſtolos, cæteroſque Spiritus Sanctus injiciebat: frequenter enim linguæ nomen tribui rebus, quæ deſinunt in acumen, ut cum eam terram, quæ in mare porrigitur, terræ linguam, & fretum, quo mare in terram protenditur, maris linguam appellamus; itaque veriſimile eſſe, eas igneas linguas nihil aliud fuiſſe, quam igniculos, ſeu exiguas flammulas, quæ ſuper eos, qui illic aderant, haç illac diſpertitæ ſint. Serry Exercit. 62. num. 9. novo quodam modo rem explicat. Ait enim, non apparuiſſe ſupra unumquemque eorum, qui aderant, igneas linguas, ſed omnes hianti ore obſtupuiſſe, eorumque linguas veluti igneas & diſpertitas viſas eſſe; non enim dicere ſacrum textum, linguam ſuper uniuſcujuſque caput apparuiſſe. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*; atque ultima verba non ad linguas ignis, ſed ad Spiritum Sanctum eſſe referenda, qui ſuper eos ſtare dicitur, quorum in pectore inhabitat; præſertim cum Sacer textus pergat; *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.*

Ignis ille fuit elementarius. Serry refutatus.

14. Verum nos, quibus novæ & a communi ſenſu abhorrentes opiniones minime arrident, ſatis commode ſolvi quæſtionem putamus, ſi ignem dicamus fuiſſe materialem & elementarem: nec quidquam obeſt, quod Sacer textus habeat: *tamquam ignis*; alibi enim ait, Spiritum Sanctum *ſicut Columbam* ſuper Chriſtum eſſe delapſum; & tamen communis ſententia eſt, eam, quæ ſuper Chriſtum deſcenderit, veram fuiſſe Columbam. Nec probari poteſt P. Serry explicatio; non enim ſacer textus ſolum habet. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ*, ut dictum oportuit, ſi ex hianti eorum ore diſpertitæ linguæ apparuiſſent, ſed integer textus eſt: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis*: qui quidem ignis non ſuper eorum linguas, ſed *ſedit ſuper ſingulos eorum.* Neque etiam verba illa,

la, *sedit super singulos eorum*, ad Spiritum Sanctum sunt referenda, cum statim sequatur: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, & cum verba illa, *sedit super singulos eorum*, nexu quodam conjungantur & continuentur cum iis, *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ sicut ignis*. Cum vero S. Lucas voluit innuere, eos Spiritu Sancto uberrime fuisse perfusos, novam inchoat orationem: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Vid. Gottus par. 2. tom. 4. de verit. Relig. Chr. c. 39. §. 4. n. 26.

Aliæ opiniones, quæ non proponuntur.

15. Quæstionem hanc tractant etiam Protestantes in Dissertationibus, quas supra nominavimus. Thilus Dissertat. *de Linguis ignitis* §. 14. utramque commemorat opinionem; neutra tamen illi præcipua. Ait enim; *ita sua cuique sententia*. Sed Joannes Christophorus Harenbergius Dissertat. *de miraculo Pentecostali*, Sect. 2. n. 17. acriter in Soleichtum invehitur, qui eandem, quam P. Serry, extulit opinionem. *Verum quis tam levis est, ut linguas infra oris septum igneas fuisse existimet? Quis ita statuit? Cum fictionibus & larvis pugnas. Interpretum Principes, quotquot ego vidi, non dissecant linguas Apostolorum, nec linguas dispersas intra ora collocant; sed in aera visas fuisse autumant.* Nos igitur, ut paullo ante, a sententia P. Serry declaramus toto animo abhorrere, nec Pictores reprehendendos arbitramur, qui cum Apostolos die Pentecostes in unum cœtum collectos exprimunt; igniculos ad linguarum exemplum super eorum capita delapsos pingunt; nam S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 17. scribit: *Sedit* (Spiritus Sanctus) *super illos, ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.*

De loco, ubi erant Apostoli, quando descendit Spiritus Sanctus. Quid sit Cœnaculum.

16. Sexta quæstio est de loco ubi erant Apostoli, aliique, in quos Spiritus Sanctus illapsus est. Ex Actis Apostolicis cap. 1. v. 13. compertum habemus, Apostolos, postquam Christum in Cælum ascendentem vidissent, reversos Hierosolymam in Cœnaculum secessisse, ubi Spiritum Sanctum acceperunt. *Et cum introissent in Cœnaculum, ascenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes &c.* Cœnaculum nihil aliud est, quam superior domus pars a frequentioribus partibus longe remota, ideoque orationi accommodatissima; ut constat ex cap. 8. v. 5. Judith: *In superioribus domus suæ fecit* (Judith) *sibi secretum cubiculum, in quo puellis suis clausa morabatur.* Et cap. 6. Genes. jubet Deus, Noe construere in Arca *Cœnacula*, & *Tristega*, id est duas tresve aliam super aliam contignationes. Templi pars superior *Cœnaculum* appellatur. *Per cochleam ascendebant in medium Cœnaculum*, hoc est per eam scalam ascendebant ad contignationem, quæ media inter cæteras intercederet. Eodem sensu accipienda illa ex cap. 3. lib. 2. Paralipomenon: *Cœnacula quoque texit auro*; & Lucas Act. Apost. cap. 20. narrat, dum Paulus Troade prædicaret, juvenem quendam in fenestra sedentem, somno oppressum, e tertia domus contignatione decidisse: *Cecidit de tertio Cœnaculo*. Ex profanis etiam Scriptoribus probatur superiorem domus partem fuisse cœnaculum, quos vide apud Menochium cap. 5. lib. 1. in Act. Apostol.

Cujusnam domus illa esset, in cujus superiorem partem successerant Apostoli. Verisimile, fuisse domum Mariæ matris Joannis, cui nomen Marcus, qui fuit comes Pauli & Barnabæ.

17. Quæritur cujusnam domus illa esset, in cujus superiorem partem successerant Apostoli, cum Spiritus Sanctus in eos illapsus est. Nicephorus Joannis Evangelistæ, Theophylactus Simonis leprosi, Euthymius Josephi ab Arimathæa, aut Nicodemi, domum illam fuisse tradunt. Baronius, Jansenius, Canisius, Lorinus, & Menochius loco citato scribunt, fuisse domum Mariæ, quæ illius Joannis mater erat, qui Marcus nominabatur, quique postea comes fuit Pauli, & Barnabæ, dum prædicando Evangelii terras peragrabant. Hæc opinio veritati videtur esse propior. Nam Apostoli cum essent Hierosolymis, habitare eam domum consueverant, in qua Spiritum Sanctum postea acceperunt, ut legitur in Actis Apost. cap. 1. v. 13. *In Cœnaculum ascenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas*. Et cap. 12. Petrus Angelorum ope a vinculis liberatus domum Mariæ matris Joannis, qui nominabatur Marcus tamquam ad hospitium, quo consueverat, se contulit, atque inde abiit, veritus ne iterum conjiceretur in carcerem, quod Hebræi, quo ille se recipere solitus esset, probe noverant.

Discrepantia, quæ videtur esse inter Acta Apostolorum & Evangelium Lucæ de loco, in quem Spiritus Sanctus descendit.

18. S. Lucas cap. 24. v. 3. postquam Christi descripsit Ascensionem in Cœlum, ait: *Erant* (Apostoli) *semper in Templo laudantes & benedicentes Deum*. At juxta Acta Apostolorum, ut modo innuimus, Apostoli, cum Spiritus Sanctus descendit, erant in Cœnaculo, & perseverabant *unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus ejus*. Quod quidem creare turbas videtur. Si enim Apostoli postquam ex monte Olivarum rediere, semper fuere in Templo, ibi certe fuisse etiam oportuit, cum super eos descendit Spiritus Sanctus. Id tamen cum eo non cohæret, quod scribit Lucas, Apostolos fuisse tum in Cœnaculo.

Duplex conciliandi modus, alter Maldonati, Essii alter.

19. Plures erant diætæ in Templo: quamobrem in lib. 4. Regum cap. 11. & Paralipomenon lib. 2. cap. 22. proditum est, Regem Joas a nutrice per plures annos in Templo educatum. Quod cum ita sit, utrumque textum quidam ita componunt, ut dicant, Cœnaculum, ubi erant Apostoli, cum super eos descendit Spiritus Sanctus, fuisse aliquam ex iis diætis, quæ essent super Templum, & ideo partem ejusdem Templi: ita ut sive dicamus, Spiritum Sanctum esse delapsum, cum Apostoli essent in Cœnaculo, sive descendisse dicamus, cum essent in Templo, semper res ipsa in Templo contigerit. Sed hoc non fit verisimile. Meticulosi enim Apostoli, & persequutionibus obnoxii, neque in Templo, neque in aliquo Templi conclavi conventus ejusmodi unquam agitassent. Maldonatus in c. 24. n. 43. Evangelistæ textum in hunc modum explicat: *Quod autem semper in Templo fuisse dicit, non sit intelligendum, quasi nunquam exirent e Templo; sed sic ut significetur, non aliis occupatos fuisse rebus per totos illos quinquaginta dies, quam oratione*. At Estius in id. cap. 24. n. 53. vult, Apostolos ante Spiritus Sancti delapsum ab ore hominum subductos se domi continuisse; & ad hoc tempus refert ea verba ex Actis Apostolorum; postquam vero descendit Spiritus Sanctus, tunc assiduos fuisse in Templo, & huc referenda esse Evangelii verba. Consonat cum eo Calm. in id. c. 24. Lucæ v. 53. & in c. 1. Act. Ap. v. 15.

Uterque modus satis aptus conciliandæ concordiæ inter Acta & Evangelium Lucæ.

20. Si Maldonati explicationem amplectamur, perquam facile nobis erit Evangelium cum Actis Apostolorum conciliare; nam si plerumque Apostoli sese domi continebant; interdum vero, cum possent, Templum adibant *horis Orationi destinatis, & temporibus opportunis, idque maxime ante acceptum Spiritum Sanctum*, ut bene concludit Duhamel num. 53. in Lucæ cap. 24. facile intelligitur, quonam modo, quin ulla sit pugna cum Evangelico textu, Spiritus Sanctus super Apostolos descenderit, cum in unum congregati orationi vacarent; non in Templo, sed in Cœnaculo. Si autem cum Estio assiduos dicamus fuisse Apostolos in Templo, non ante,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſed poſt delapſum Spiritum Sanctum, ſummovetur omnis, quæ inter utrumque textum videbatur eſse, diſcrepantia. *Acta enim loquuntur* de tempore, quod Spiritus Sancti delapſum præceſſit; Evangelium vero de tempore, quod Pentecoſtem conſequutum eſt. Neque vero nos longius abire nobis videmur, ſi moneamus, etiam nunc in Terra ſancta ædem extare a D. Helena extructam, deinde a Regina Siciliæ denuo ædificatam eodem prorſus loco, ubi magnum Pentecoſtes miraculum contigit, ut videre eſt apud Quareſmium lib. 4. Elucidat. Terræ Sanctæ cap. 5. to. 2.

In quam diem ceciderit eo anno Pentecoſtes.

21. Septima quæſtio eſt, in quem inciderit diem Pentecoſtes eo anno, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolus illapſus eſt. Judæis enim, qui non certo & præfinito quodam die, ſed in primi menſis quartadecima Luna celebrabant Paſcha, quicumque tandem eſset ille dies, in quem ea Luna caderet, ne Pentecoſtes quidem feſtus dies, qui a Paſchate quinquageſimus numeratur, certus & conſtans eſse poterat.

Ex Romana Eccleſiæ traditione cecidit eo anno Pentecoſte in Dominicam.

22. Vulgaris reſponſio eſt, Pentecoſtem in Dominicam cecidiſse. Et ſane conſtans & perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, celebrandi Pentecoſtem die Dominica poſt quinquaginta dies a Paſchate. Neque tamen deſunt, qui eo anno Pentecoſtem in diem Dominicam cecidiſse, haud ita perſpicuum eſse dicunt, & loca quædam afferunt ex S. Clementis Conſtitutionibus, & ſerm. 154. S. Auguſtini de Tempore; quæ quidem opera Critici ab illis Auctoribus abjudicant, ut notat Tillemontius nota 8. ad Vitam S. Petri, & Graveſonus de Myſteriis & annis Chriſti pag. 425. Verum cum S. Leo ſcribat ſerm. 1. & 3. de Pentecoſte, die poſt Aſcenſionem decimo, & a Paſcha quinquageſimo in Apoſtolos Spiritum Sanctum eſse delapſum, cumque Paſcha in Dominicam diem ceciderit, neceſſario conſequitur, etiam Pentecoſtem in diem Dominicam cecidiſse, cum præſertim itidem S. Leo Ep. 11. alias 81. ad Dioſcorum cap. 1. tom. 1. oper. pag. 220. de Dominica loquens ita ſcripſerit: *In hac Mundus ſumpſit exordium; in hac per Reſurrectionem Chriſti & mors interitum, & vita accepit initium; in hac Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt, & inferendum univerſo Mundo Sacramentum regenerationis accipiunt; in hac, ſicut Beatus Joannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum Diſcipulis, januis clauſis, cum ad eos Dominus introiiſſet, inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum . . . . in hac denique promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus Sanctus advenit.* Verum quidem eſt, Sanctum Leonem circa quinti ſeculi dimidium vixiſse; ſed credere æquum eſt, id eum ſcripſiſse, quod ex Romanæ Eccleſiæ traditione acceperit; quam quidem traditionem ne Proteſtantes quidem hac de re oppugnant, ut videre eſt apud Uſerium in Annalibus pag. 642. apud Perſonium in notis poſthumis ad Acta Apoſtolorum pag. 30. & in Synopſi Criticorum Sacrorum itidem in Act. Apoſtolor. pag. 402.

Proponitur gravis quædam difficultas adverſus eam Traditionem.

23. Verum, ſi quinquageſimus dies a ſecundo, ut diximus, azymorum die numerabatur, quod diſerte teſtatur Joſephus lib. 2. Antiquit. cap. 10. *Secunda die Azymorum, quæ eſt menſis hujus decima ſexta, frugibus de meſſibus & hactenus intactis incipiunt frui, æquumque rati, Deum hujus ubertatis auctorem per multitudinem honorari, hordei primitias offerunt;* primus autem azymorum dies anno Chriſti emortuali cecidit in ſextam Feriam, neceſſario ſecundus in Sabbathum incidit, itidemque in Sabbathum eo anno Pentecoſtem incidiſse oportuit.

Solutio quædam non probata.

24. Hanc difficultatem quidam ſolvere nituntur negando Chriſtum anno emortuali ſuo Paſcha Judaicum celebraſse: Et cum eo anno Paſcha inciderit in Sabbathum, ideoque ſecundus Azymorum dies in Dominicam, inde probant: Pentecoſtem cecidiſse in Dominicam. Alii vero fatentur, Chriſtum feria quinta, ſed contendunt Judæos eo anno feria ſexta celebraſse Paſcha; ita ut primis azymorum dies in Sabbathum, ſecundus in Dominicam, adeoque itidem in Dominicam Pentecoſtes inciderit. Verum eo anno Chriſtum eodem, quo Hebræi, die Judaicum celebraſſe Paſcha alibi demonſtravimus, ac Hebræos neque antevertiſſe Paſcha, neque in alium diem diſtuliſſe; quamobrem ejuſmodi reſponſio nobis minime ſatisfacere poteſt.

Solutiones aliæ, quæ minus tolerandæ.

25. Neque vero iis poſſumus aſſentiri, qui fidenter affirmant, anno Chriſti emortuali primum azymorum diem in feriam ſextam, ſecundum in Sabbathum, ideoque in Sabbathum itidem incidiſſe Pentecoſtem, quæ eo die ab Hæbræis pariter & Chriſtianis celebrata fuerit; neque iis qui affirmant, eo anno Hebræos ſabbatho, Chriſtianos Dominica Pentecoſtem celebraſſe. Harum opinionum primam amplectitur Serry exerc. 62. n. 4. alteram bene multi ſequuntur apud Antonium Perez: & Theophylus Raynaudus tom. 9. pag. 653. *Tandem Pentecoſtem Judaicam eo anno, quo Chriſtus obiit, incidiſſe in diem Sabbathi, nihil eſt quod vetet admittere, quamvis ex Traditione certum habeamus, Pentecoſtem Chriſtianam, de qua agit Sanctus Lucas, incidiſſe in diem Dominicam.* Sed prima evertit, quod ſupra ſtatuimus, anno Chriſti emortuali Dominica Pentecoſtem eſſe celebratam; ſecunda vero quaſi certum & exploratum ponit, alio Hebræos, alio Chriſtianos die celebraſſe Pentecoſtem; & Divum Lucam non de Hebræorum, ſed de Chriſtianorum Pentecoſte eſſe loquutum; quod tamen ita eſt incertum, ut contra Bellarminus certum eſſe dixerit, eodem die Chriſtianos & Judæos Pentecoſtem celebraſſe. *Nam ut habemus Actor. 2. v. 1. Spiritus Sanctus venit dum complerentur dies Pentecoſtes, ideſt ipſo die Pentecoſtes Judæorum; non enim Divus Lucas poteſt intelligi de alia Pentecoſte, quam Judæorum.* Tom. 2. Controverſ. l. 3. de cultu Sanctorum cap. 13.

Alii ejus difficultatis diſſolvendæ modi.

26. Quidam ut Pentecoſtem etiam anno Chriſti emortuali tum ab Judæis, tum a Chriſtianis celebratam eſſe probent die Dominica, textum repetunt ex Levitico in cap. 23. v. 1. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, ideſt quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium novum Domino;* ac non a Sabbatho, ſeu a ſecundo azymorum die, ſed a Dominica inſequenti, ideoque a tertia azymorum die numerandos eſſe contendunt; ex qua numerandi ratione aperte intelligitur, eo anno, quo Chriſtus obiit, Pentecoſtem in Dominicam incidiſſe. Hæc ſententia eſt Heſychii, Ruperti, & Sylvii in illud Levitici caput 23. Et Suarez in 3. par. D. Th. tom. 2. Diſp. 46. num. 1. nihil in hac ſententia ſe ait reperire, quod ſacræ Scripturæ adverſetur. *Ratio numerandi hos dies a ſecundo azymorum excluſive, nihil habet repugnans Scripturæ &c. Scriptura enim ſolum dicit: Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum: quod ſine ulla vi, aut improprietate exponi poteſt ab illa die excluſive.* Ulterius etiam Suarez progreſſus, hanc explicationem

nem ne Josephi quidem verbis allatis adversari contendit, quibus tamen vim inferre nobis videtur. Propterea Bellarminus loco citato eorum referens sententiam, qui statuunt, quinquaginta dierum primam diem esse ipsam secundam Azymorum, tamquam illius opinionis adstipulatorem affert Josephum, ac deinde ait: *Et sane movet me multum auctoritas Josephi, quippe qui noverat praxim ejus legis, cum ipse quoque esset Sacerdos, & vixisset in Hierusalem, cum adhuc lex illa servaretur.*

Bellarmini sententia. 27. Pergit idem Bellarminus, suamque exponens sententiam ait, quinquagesimam diem, in quam Pentecostes incideret, morem plerumque numerandi fuisse ab ipsa Azymorum secunda die; eam tamen rationem non semper esse servatam. Nam si secunda azymorum in Sabbathum incidisset, ut anno Christi emortuali contigit, cum frumentum eo die non liceret demetere, exsiccare, & ad Sacerdotem afferre, propterea quinquaginta dies a tertia azymorum, seu Dominica numerabantur; quæ computandi ratio Pentecostem eo anno in Dominicam cecidisse ostendit. Hanc veluti a se excogitatam proponit Bellarminus responsionem, ac negat apud quemquam Scriptorem tale quidpiam se reperisse. Eam tamen antea Baronius attulerat ad ann. Chr. 34. num. 239. probatque Juveninus de Sacram. Dissert. 4. Quæst. 2. art. 1. §. *Respondeo cum Bellarmino*, & Gravesonus de mysteriis & annis Christi pag. 425. quamquam Calmeto minime placet, qui Sabbatho etiam licuisse putat frumentum demetere, & spicas offerre, cum Deo debita oblatio fieret, legisque præceptum impleretur. Vide Calmet. in Act. Apost. cap. 2. vers. 1.

Alii statuunt eo anno duplicem Pentecostem, alteram Judaicam, Christianorum alteram; quod non facile quis crediderit. 28. Denique duas quidam statuunt Pentecostes, alteram Judæorum, Christianorum alteram, ut supra dictum est, & Pentecostem, qua Lucas Spiritum Sanctum in Apostolos illapsum esse narrat, eam fuisse affirmant, quam Christiani celebraverint, quæque a Resurrectione Christi quinquaginta diebus numeratis, etiam anno Christi emortuali in Dominicam inciderit; non vero Pentecostem Hebræorum in eo Lucæ loco intelligendam, quæ a secunda die azymorum inita quinquaginta dierum ratione, eo anno in Sabbathum ceciderit. Favet huic sententiæ Menochius in lib. 1. Act. cap. 8. num. 2. eamque multis fretus rationibus tuetur a Lapide in cap. 2. Act. Apost. vers. 1. §. *Nota secundo*, & in cap. 23. Levit. vers. 15. Lucas enim non Judæis, sed Christianis scripsit Acta Apostolorum, eumque librum multos annos post Christi mortem composuit, cum disciplina jam invecta esset, non a secunda Azymorum, sed Resurrectionis Christi die, quinquaginta dies numerandi ad Pentecostem. Sed hæc quibusdam non probantur. Si enim Apostoli eadem qua Hebræi die celebrarunt eo anno Pascha, quid causæ fuit, quamobrem eodem anno Pentecostem cum Hebræis non celebraverint? Huc accedit, quod Lucas narrat Act. cap. 20. Divum Paulum, cujus comes erat in itineribus, properasse, *ut, si possibile sibi esset, diem Pentecostes faceret Hierosolymis*. Quod si in eo loco Lucas non de Christianorum, quæ celebrari potest ubilibet, sed de Judæorum Pentecoste loquitur, quæ solum Hierosolymæ celebranda erat, juxta legem Exodi cap. 23. & Levitici cap. 16. quid est, cur Lucas, cum cap. 2. Actor. dicit: *Cum complerentur dies Pentecostes*, non sit intelligendus de Pentecoste, quæ a Judæis celebrabatur? Vid. Calm. loc. cit. Serry Exercit. 62. num. 3. Tournely loc. cit. pag. 485. Witasse de Sacram. Euchar. par. 1. edit. Paris. pag. 154. quorum duo primi opinionem hanc ut falsam, duo alii ut veram proponunt.

Bellarmini & Baronii verisimilior sententia. 29. Ipse Tournely postquam omnes, quas supra memoravimus sententias attulit, hæc subjicit pag. 486. *Ex his variis responsionibus eligat prudens Lector, quam probabiliorem judicaverit.* Idem & nos possemus dicere; sed ne Lectorem suspensum relinquamus, probabiliorem videri nobis declaramus eam sententiam, quæ statuit, quinquaginta dies numerandos a Dominica, cum secunda azymorum dies in Sabbathum incideret; neque fas fuisse Sabbatho metere, exsiccare, colligere manipulos. Atque hæc est Baronii & Bellarmini sententia, cui favet etiam Gottus cit. Opere cap. 39. §. 3. num. 19. Nam qui licuisse putant Judæis Sabbatho ea opera agere, cum fierent in Dei honorem, idque probare nituntur Rabbinorum aliquot auctoritate, refelluntur ipso Exodi textu ex cap. 34. vers. 21. qui nullo discrimine prohibet frumentum demeti Sabbatho. *Sex diebus operaberis, die septima cessabis arare & metere*; opera autem, quæ natura sua sunt servilia, ne ad usum quidem Templi, atque in Dei honorem fieri poterant die Sabbathi.

De hora, qua delapsus est Spiritus Sanctus. 30. Octava quæstio ad horam pertinet, qua Spiritus Sanctus delapsus est. Atque ea facile solvitur; tradunt enim, ut paullo post docebimus, Acta Apostolorum, eam fuisse horam ab orto Sole tertiam; atque huc respicere videtur Ecclesia, quæ canit.

Cum lucis hora tertia
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus
Deum venire nuntiat.

Canit idem ad Horam tertiam in die Pentecostes, *Veni Creator Spiritus*, loco Hymni *Nunc Sancte nobis Spiritus*; quod observant Gavantus sect. 6. cap. 18. de Festis, & Meratus in Notis ad Gavantum par. 1. tom. 2. pag. 475. Cum Apostoli, ut supra dictum est, *variis linguis* cœpissent loqui, fuere qui eos ebrios esse dixerunt. Respondit Petrus: *Non sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia*. Itaque hinc nonnihil oritur difficultatis; neque enim satis bona ratio videtur ad ebrietatem rejiciendam allata, quod tertia esset hora ab orto Sole; nam tertia post ortum Solis ebrium esse quempiam, haud ita alienum a vero est. Ut hanc amoveant difficultatem quidam, animadvertunt, penes Hebræos prandii horam fuisse in meridie, ut colligitur ex Geneſi cap. 43. v. 25. *Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie; audierant enim, quod ibi comesturi essent panem*; & apertius ex ejusdem capitis vers. 16. ubi ita loquitur Joseph: *Introduc viros domum, & occide victimas, quoniam mecum sunt comesturi meridie*; & ex c. 13. Daniel. *Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui*; ac deinde narrat Sacer textus; impuros senes dixisse: *Eamus domum, quia hora prandii est*. Et ex Evangelio Joann. c. 4. ubi Evangelista, indicata colloquii hora inter Jesum Christum, & mulierem Samaritanam, narrat accessisse ad eum Discipulos orantes, ut cibum sumeret: *Rabbi manduca*. Flavius Josephus in vita sua pag. 1020. narrat, lege Hebræorum severe vetitum fuisse, ne quis ante meridiem Sabbatho manducaret, aut biberet. Ex quo Serry Exercit. 62. num. 5. novam rationem profert suffulciendæ sententiæ suæ, nimirum Sabbathi die Spiritum Sanctum esse delapsum

lapſum. *Ex quo etiam novum petitur fundamentum ſtatutæ a nobis paullo ante ſententiæ confirmandæ, Spiritum Sanctum non die Dominica Chriſtianorum, ſed ipſa die Sabbathi miſſum eſſe.* Verum cum ex Joſepho compertum ſit, non licuiſſe Hebræis non ſolum die Sabbathi, ſed ne alio quidem die Feſto comedere, aut bibere ante meridiem, patet ipſo Pentecoſtes die, qui erat Judæis maxime celebris, optime Petrum eos refutaſſe, qui Apoſtolos ebrios eſſe dicebant, cum tertia eſſet hora ab ortu Solis; nec ullius roboris eſſe illum Joſephi locum ad confirmandam Patris Setry ſententiam, Spiritum Sanctum non Dominica, ſed Sabbatho in Apoſtolos deſcendiſſe. Vid. Calmet. in cap. 2. Act. Apoſt. verſ. 15.

Pentecoſtes Feſtum ſine ulla dubitatione ab Apoſtolis profectum.

31. Ex iis, quæ hactenus diſſeruimus, facile colligitur, quid per Feſtum Pentecoſtes Fidelibus ab Eccleſia repræſentetur, nimirum Sancti Spiritus in Apoſtolos illapſus; nec quidquam peculiariter admonendum reſtat de vetuſtate Feſti, quod ſine ulla dubitatione ab Apoſtolis eſt profectum, quamobrem quæſtionum Auctor ſub Juſtini nomine quæſt. 145. ubi de ea conſuetudine loquitur, qua Dominicis diebus & Pentecoſte non flexis genibus, ſed ſtantes oramus, teſtatur Pentecoſtem ab Apoſtolis derivatam eſſe; idque etiam tradi ab Irenæo. *A temporibus Apoſtolorum conſuetudo talis accepit initium, prout ait Beatus Irenæus Martyr & Epiſcopus Lugdunenſis in libro de Paſchate: ubi quoque mentionem facit Pentecoſtes, in qua genua non inflectimus, quoniam pari eſt cum die Dominica poteſtate.* Quanta autem ſit Feſti hujus ſolemnitas, ex verbis Leonis Magni oſtenditur ſerm. 73. de Pentecoſte 1. c. 1. pag. 155. *Hodiernam ſolemnitatem, dilectiſſimi, in præcipuis Feſtis eſſe venerandam omnium Catholicorum corda cognoſcunt. Nec dubium eſt, quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus Sanctus excellentiſſimo ſui muneris miraculum conſecravit.*

Pentecoſtes in veteri diſciplina non tam ipſum diem Feſti ſignificat, quam quinquaginta dies inter Paſcha & Pentecoſtem interjectos.

32. Extant ex veteri diſciplina firmiſſima argumenta, quæ probant Pentecoſtes nomen olim ſignificaſſe tum diem ipſum, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolos Cœlo delapſus eſt, tum etiam quinquaginta dies inter Paſcha & Pentecoſtem interjectos. Quapropter Tertullianus de Idololatria cap. 14. Gentibus inſultans ait: *Ethnicis ſemel annus dies quiſque feſtus eſt: tibi* (Chriſtiane) *octavo quoque die*, ideſt Dominica. *Excerpe ſingulas ſolemnitates Nationum, & in Ordinem texe, Pentecoſtem implere non poterunt.*

Canon Concilii Illiberitani explicatur. Quinquaginta dies inter Paſcha & Pentecoſtem omnes feſti olim fuere.

33. Extat Concilii Illiberitani Canon. 43. *Pravam inſtitutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes celebremus: quod qui non fecerit, quaſi novam hæreſim induxiſſe notetur.* Albaſpinæus ad hunc Canonem obſervat, non poſſe ex illius verbis intelligi, num de ſolo Pentecoſtes die, an de quinquaginta diebus poſt Paſcha in eo Canone ſermo ſit. *Non omnino liquet, hoc Canone decretum diem duntaxat Pentecoſtes, a quinquaginta poſt Paſcha dies celebrandos.* Sed cum in quibuſdam Manuſcriptis Codicibus reperiatur, *Pravam inſtitutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha celebremus, non quadrageſimam, ſed quinquageſimam: Qui non fecerit, quaſi novam hæreſim induxiſſe videtur:* propterea idem Albaſpinæus candide fatetur, Canonem intelligendum non de ſolemni Pentecoſtes die, ſed de quinquaginta diebus, qui Paſcha conſequuntur. *Certum eſt ſuperioribus temporibus Pentecoſtes non unicum diem, a Paſcha ad Pentecoſtem totos dies a Chriſtianis celebratos*, &c. *Quapropter in eam potius ſententiam hunc Canonem acciperem, ut dies quinquaginta, quam unicum Pentecoſtes diem obſervandum ſtatuat.* Thomaſſinus etſi neque Illiberitani Canonis meminit, nec Albaſpinæi notas commemorat, tamen lib. 2. de dier. Feſtor. celebrat. cap. 16. num. 7. ait, quinquaginta illos dies olim feſtos omnes fuiſſe.

Ita tamen feſti fuerunt quinquaginta illi dies, ut non ceſſatum ſit ab operibus ſervilibus.

34. Quo autem pacto, quibuſque ſignificationibus quinquaginta horum dierum Feſtivitas celebraretur, haud ita facile eſt definire. Nam ab omnibus ceſſatum eſſe ſervilibus operibus, non eſt veriſimile. Qui enim artifices, qui labore manuum ſuarum victum ſibi parant, tolerare vitam potuiſſent? Quo redigi oportuiſſet agros, qui quinquaginta dierum ſpatio cultu omni caruiſſent? idque locis citatis optime advertunt Albaſpinæus & Thomaſſinus.

Feſtivitas illorum dierum celebrabatur legendis in Eccleſia Apoſtolicis Actis. Nullum per eos dies jejunium, nulla oratio flexis genibus. Olim primis diebus flebat forum; reliqui nullum licebat edere ſpectaculum.

35. Itaque feſtivitatem quinquaginta horum dierum celebratam eſſe ſtatuimus Actis Apoſtolicis in Eccleſia legendis, ut conſtat ex Homil. 63. S. Joan. Chryſoſtomi tom. 5. ubi Sanctus Doctor quærit. *Cur in Pentecoſte Acta leguntur?* & ideo legi reſpondet, quod miracula Apoſtolorum, quibus Reſurrectio Domini confirmatur, iis Actis contineantur. Præterea nullum per eos dies jejunium nulla flexis genibus oratio, prorſus ut in Dominica; quamobrem Tertullianus de Corona Militis cap. 3. *Die Dominica jejunium neſas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtem uſque gaudemus.* Idem prorſus ait Epiphanius de Expoſitione Fidei nu. 22. *Quinquaginta Pentecoſtes diebus neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur*; tempus enim illud lætitia exigendum propter Chriſti Domini Reſurrectionem. Huc accedit, quod etſi primis octo diebus fleret forum, & ab Actis publicis ceſſaretur, ut colligitur ex ſerm. S. Auguſtini 19. inter eos quos edidit Sirmondus tom. 10. pag. 811. in Octava Paſchatis habito, *Peracti ſunt dies feriati, ſuccedunt jam illi conventionum, exactionum, litigiorum*; tamen per eos omnes dies nullum edere ſpectaculum, nullam Comœdiam dare licebat, ut ex Theodoſii Junioris lege intelligitur quinta Tit. 5. de ſpectaculis, lib. 15. Codicis Theodoſiani. Denique eos dies ſtatuamus cum Albaſpinæo loco citato *celebrari & agitari conſueviſſe publicis de more Miſſarum Sacrificiis, Euchariſtiæ quoque ſumptione ſanctiſſime obita, aut elogiis recitandis.* Et conſonat Gretſerus lib. 1. de Feſtis cap. 31. ubi hæc ſcribit: *Neque umquam omnes illi dies quinquaginta ita Chriſtianis fuerunt feſti, ut in omnibus ab omni opere ſervili abſtinerent. Qui enim hoc per quinquaginta continuos dies fieri potuiſſet? Sed feſti ideo dicuntur, quod toto illo tempore rigidior diſciplina nonnihil relaxaretur, & lætitiæ etiam externæ magis, quam aliis temporibus indulgeretur propter Domini Reſurrectionem, & ſalutis noſtræ reparationem.*

Olim hac die conferebatur Baptiſmus. Fiebat Benedictio Cerei. Alia conſuetudines ſublatæ. quod turbas crearent in populo.

36. Quemadmodum Sabbatho in pervigilio Paſchæ, ita in Pervigilio Pentecoſtes mos erat adminiſtrandi Baptiſmatis: olim enim hujus Sacramenti adminiſtrationi duo illi dies erant præſtituti, ut patet ex Siricii Papæ epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, epiſt. 4. & So. Leonis Magni, & ex epiſt. 1. cap. 12. Gelaſii Papæ. Videatur Vicecomes De Ritibus Baptiſmi lib. 1. cap. 22. ubi egregia, qua ſolet, eruditione materiam hanc pertractavit. Temporibus, a quibus haud longe diſtat noſtra ætas, in aliquibus Eccleſiis fieri conſuevit benedictio Cerei, cujus formulam edidit Martene de antiqua Eccleſiæ Diſciplina in divin. celebrand. Officiis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ficiis cap. 28. pag. 538. primæ edit. Per eadem tempora in Missa Pentecostes, lecta Epistola, dum caneretur hymnus, *Veni Sancte Spiritus*, tubarum sonitu Ecclesia perstrepebat, ad illum sonum significandum, qui advenientem Spiritum Sanctum præcessit; e tecto etiam flammæ ignis demittebantur, ac tota Ecclesia Columbæ volitabant, ac rosæ passim spargebantur, ut testatur Durandus lib. 6. cap. 107. Hujusmodi retinetur etiam nunc Missanæ cæremonia, teste Macro in Vocabulario Ecclesiastico, verbo *Pentecostes*, & in aliquibus præterea Ecclesiis tum in Italia, tum maxime extra Italiam; qua de re vide Gretserum lib. 1. de Fest. c. 28. in aliis vero locis sublata est, quod turbas crearet in populo, & quod ejusmodi rebus a Sacrorum Mysteriorum contemplatione Fideles avocarentur. Baillet. Histor. hujus diei §. 2. num. 7.

Jejunium in pervigilio Pentecostes.

37. Quod vero attinet ad eam, quæ nunc viget, disciplinam; in pervigilio Pentecostes servatur jejunium; de quo quibusdam in locis mentio fit in Jure Canonico, Can. *Nosse*, Dist. 76. hæc habentur: *Non minore lætitia celebramus diem Pentecostes, quam Sanctum Pascha celebrare curavimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, jejunavimus, Sabbatho vigilias celebravimus.* Et Can. *Scire*, cad. Dist. *Scire debet Sanctitas vestra: Per hos quinquaginta dies nobis est jugis, & continuata festivitas: ita ut hoc omni tempore neque ad exorandum Deum genibus succedamus.* Et paullo post: *Necessario ergo Ecclesia constituit, ut post diem Pentecostes jejunia celebrentur; sed quod in illis quinquaginta diebus jejunandum esse negatur, ex observantiæ necessitate intelligitur.*

Ex consuetudine præceptum est jejunium in Pervigilio Pentecostes. Falso Quesnelus asserit, non fuisse illud jejunium ante seculum 12.

38. Paullo ante diximus, nullum antiquitus inter Pascha & Pentecostem fuisse jejunium. Sed consequuta sunt tempora, cum laudabilis invecta est jejunandi consuetudo in Pervigilio Pentecostes. Nam quod audacter affirmat Dissertatione 6. Quesnelus, ante 12. seculum in Ecclesia Romana nullum fuisse in pervigilio Pentecostes jejunium, falsum omnino deprehenditur. In Sacramentario enim Gelasii, quod vulgavit Venerabilis Dei Servus Cardinalis Thomasius, & in Sacramentario itidem Leoniano ab erudito viro Blanchino Congregationis Romanæ Oratorii S. Philippi Nerii Presbytero nuperrime edito in Missa secunda hujus diei mentio fit jejunii in pervigilio Pentecostes. Ex quo manifestum est, ejusmodi Disciplinam duodecimo seculo esse multo vetustiorem, ut bene advertit Meratus par. 2. tom. 1. egregii sui operis, pag. 1215. Nunc vero ex consuetudine præceptum esse jejunium in pervigilio Pentecostes docet Gavantus tit. *De die Sancto Paschæ usque ad Festum Trinitatis*, cujus verba refert etiam Meratus loc. cit. pag. 1197.

Benedictio Fontis in Sabbatho Pentecostes. Ludovicus Vives putat, per quinquaginta illos dies non Baptismum administrari consuevisse.

39. Quemadmodum in Pervigilio Paschæ, in Pentecostes itidem pervigilio fit Baptismalis fontis benedictio; hunc enim ritum retinere voluit Ecclesia, ne ejus disciplinæ memoria interiret, qua olim iis duobus solummodo diebus, nisi urgeret necessitas, Baptismus conferebatur, ut prima nostra institutione observavimus. Atque hic obiter adnotare liceat, Ludovicum Vives, quod in Notis ad cap. 8. lib. 22. Augustini de Civitate Dei scripserit, in veteri olim Ecclesia non in solo Pentecostes pervigilio, sed toto illo tempore, quod a Paschate ad Pentecostem excurrit, Baptismum administrari consuevisse, a Vicecomite de Ritibus Baptismi lib. 1. cap. 25. acriter reprehendi, & veluti solius Grammaticæ peritum perhiberi. Eum vindicare aggressi sunt Albertus, & Cave, qui ut confirment, non in solo Pentecostes pervigilio, sed toto etiam tempore inter Pascha & Pentecostem interjecto Baptismum administrari consuevisse, quemadmodum Vives affirmavit, locum illum afferunt ex Tertulliano de Baptismo c. 19. *Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat, & exinde Pentecostes ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini Resurrectio inter Discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata.*

Olim in Paschate & Pentecoste conferebatur Confirmatio.

40. Canon 33. sextæ Synodi Parisiensis ita præcipit: *Sicut autem duobus temporibus, Paschæ videlicet, & Pentecostes Baptismus, ita etiam traditio Spiritus Sancti per impositionem manuum Fidelibus tribuebatur.* Quibus verbis palam fit, in Paschate & Pentecoste quemadmodum Baptisma, ita Confirmationis Sacramentum consuevisse conferri. Neque id mirum; nam post Baptismum proxime Confirmatio conferebatur, ut Institutione sexta editionis latinæ observavimus. Ritum administrandi Confirmationem statim post Baptismum accurate describit Mabillonius in Commentar. ad Ordinem Romanum nu. 15. to. 2. Musei Italici. Occidentalis Ecclesia postea disciplinam mutavit, & Baptismi administratio a Confirmationis collatione sejuncta est. Ne autem vetustatis omne vestigium aboleretur, restat etiamnum consuetudo, ut in Pentecoste utrumque Episcopus conferat Sacramentum.

Quatuor Prosæ recensentur, quæ recitantur in Missa. Quis cujusque earum fuerit Auctor.

41. Quæ in Missis Prosæ leguntur post Graduale, quatuor numerantur; quarum altera incipit *Victimæ Paschali* in Pascha; altera *Lauda Sion* in Festo Corporis Christi; tertia *Dies iræ* in aliquibus Missis Defunctorum; quarta denique *Veni Sancte Spiritus* in Pentecoste; quæ omnes idcirco Prosæ appellantur, quod nulla in iis habeatur mensuræ carminis ratio. Primus ad hunc modum scribendi auctor fuisse perhibetur Notkerus Monachus S. Galli, qui vixit 10. seculo; atque illi Bailletus loc. cit. num. 8. Prosam *Veni Sancte Spiritus* tribuit. Sunt qui ejusdem Prosæ auctorem putant fuisse Robertum Francorum Regem, qui vixit seculo 11. alii B. Hermannum Contractum, qui mortuus est anno 1054. Quidam denique verisimilius eam Prosam Innocentio III. tribuunt, qui ducentis post Robertum Regem vixit annis; ea enim Prosa extat inter illius Pontificis Opera, ut observat Meratus par. 2. tom. 1. pag. 1216.

Primam Missam Apostoli distulerunt usque ad Pentecostem cum nova lex satis promulgata fuit.

42. Scripsit Teophilus Raynaudus Opusculum *de Prima Missa* tom. 6. editum; in quo scopus auctoris est ostendere, statim post Resurrectionem primam Apostolos Missam celebrasse. Verisimilior autem Cardinalis Bonæ sententia est Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 5. qui dilatam existimat ab Apostolis primæ Missæ celebrationem usque ad Pentecostem, cum divino Sancti Spiritus haustu sunt repleti; vetus enim viguit lex usque ad Pentecostem; nam nova lex ante Pentecostem nondum satis promulgata habebatur: quamobrem, Sacerdotio nondum translato, non decebat novum Sacrificium offerri, ut nos etiam docuimus Institutione 21.

CAPUT XII.

De Festo Sanctissimæ Trinitatis.

Decretalis Quoniam de Feriis illustratur.

1. SAnctissimæ Trinitatis Festum Dominica, quæ Pentecostem proxime consequitur, celebramus. Ad ejus Festi cognitionem animadversiones quasdam afferemus ad Decretalem *Quoniam* Tit. de Feriis. Ea sic habet: *Præterea Festivitas Sanctissimæ Trinitatis secundum consuetudines diversorum Regionum a quibusdam consuevit*

in

in Octavis Pentecostes ; ab aliis in Dominica prima ante Adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter Festivitatem cum singulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.

Ea Decretalis non Alexandro III. sed Alexandro II. tribuenda est.

2. Hanc Decretalem Alexandro III. tribuunt: certe in Corpore Juris Canonici nomen illius Pontificis præfert: atque his vestigiis insistit Joannes Baptista Casalius de Veteribus Sacris Christianorum Ritibus edit. Romanæ 1647. pag. 422. Quidam vero Auctorem existimant Alexandrum II. optima sane ducti ratione. Micrologus enim de ea Decretali libro de Ecclesiasticis Officiis cap. 60. ait: *Unde piæ memoriæ Alexander Papa de hac re inquisitus respondit juxta Romanum Ordinem, nullum diem specialiter adscribi debere solemnitati Sanctæ Trinitatis, sicut nec Sanctæ Unitatis, præcipue cum in omni Dominica, immo quotidie utriusque memoria celebretur.* Vixit Micrologus sub S. Gregorio VII. ut constat ex cap. 14. ejus libri. Gregorius vero creatus est Pontifex anno 1073. Quapropter ejus Decretalis, quam citat Micrologus, auctorem esse oportet Alexandrum II. qui ad Pontificiam dignitatem evectus est anno 1061. nam Alexander III. Pontificatum est adeptus anno 1159. Itaque optime in rem nostram Martene cap. 28. num. 22. de antiqua Eccl. Discipl. in celebran. divinis Offic. ait: *Hoc Decretum, quod citatur extra de Feriis cap. Quoniam sub nomine Alexandri Papæ III. est secundi hujus nominis Pontificis, qui illo utitur ad improbandam institutionem Festi Sanctissimæ Trinitatis.* Et Thomassinus de dier. Festor. celebrat. lib. 2. cap. 18. nu. 11. *Micrologus mortuus est ante Alexandrum III. Pontificem. Alexander ergo, cujus meminit, secundus ejus nominis extitit sub finem seculi.*

Monumenta, quæ probant, quod dicit ea Decretalis, in quibusdam Ecclesiis die octava Pentecostes, in aliquibus prima Dominica ante Adventum hoc Festum celebrari.

3. In ea Decretali docet summus Pontifex, in pluribus Ecclesiis morem fuisse celebrandi Festum Trinitatis, & in aliis quidem octava die post Pentecostem; in aliis prima ante Adventum Dominica. Id vero ex epistola Carturfi colligitur ad Carolum Magnum, qui anno 800. fuscepit Imperium. *Ergo, mi Rex, si vobis placeat hoc consilium pro his omnibus, pro te, & pro exercitu Christianorum, ut unum diem post jejunium in anno in honore Sanctæ Trinitatis, & Unitatis, & Angelorum, & omnium Sanctorum celebrem constituas super Regnum tuum cum consilio Synodi Francorum.* Alia profert monumenta Martene loc. cit. cap. 28. nu. 22. Alexandri II. ætate priora, quibus evincitur, in aliquibus Regionibus Festum Sanctissimæ Trinitatis celebrandi morem fuisse. Stephanum Leodiensem Episcopum, qui anno 920. mortuus est, constat jussisse scribi Sanctissimæ Trinitatis Officium; & Riquierium, qui ei successit, in sua Diœcesi recitari voluisse; quam disciplinam vicinæ Ecclesiæ amplexæ sunt, quod ostendit Bailletus in Institutione hujus festi §. 1. num. 2. Joachimus Hildebrandus Hæreticarum partium sectator Tractatu *de Priscæ, & Primitivæ Ecclesiæ sacris Publicis, & diebus Festis*, Amstelodami edito anno 1702. pag. 59. solemnem semper fuisse ait in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Festivitatem, eamque tamquam Octavam Pentecostes habitam esse; quod autem celebretur non ut Octava Pentecostes, sed ut Festivitas Sanctissimæ Trinitatis, id ante nonum seculum negat usu esse receptum.

Pontifex non improbat Decretalis Festivitatem.

4. Hoc Festum Alexander secundus in ea Decretali non improbat; quod videtur existimasse Micrologus; ait enim tantum summus Pontifex, certum quendam non præscribi ab Ecclesia Romana diem, quo Sanctissimæ Trinitati cultus adhibeatur. Luculenta sane sunt Decretalis verba; atque id probe Thomassinus animadvertit loc. cit. num. 2. *Cæterum Romanus Pontifex non respuit, ut paullo liberius scribit* (Micrologus), *festum hunc diem, sed ei minime est suffragatus Ecclesiarum cæterarum ritus non condemnans.* Et Gonzalez in notis ad illud cap. *Quoniam* de Feriis: *Unde*, inquit, *cum Alexander consultus fuisset, utrum liceret specialem diem dicari huic Festivitati, ut Patres Gallicani fecerant, respondit, Ecclesiam Romanam non consuevisse speciali die hoc mysterium colere, cum singulis diebus dicatur, Gloria Patri &c. unde non damnavit Alexander consuetudinem Ecclesiarum, ubi certo & præfinito die celebratur, sed tantum certum diem huic Festivitati non indixit.* Denique docet Decretalis, non esse consuetudinem in Ecclesia Romana certo & præfinito die peculiarem cultum tribuendi Sanctissimæ Trinitati, cujus quotidie in honorem in fine cujuslibet Psalmi cantetur hymnus *Gloria Patri* &c.

In Ecclesia Romana nullus certus præfinitus dies huic Festivitati. Quotidie Dominicæ huic cultui destinatæ assignatus. Sanctissima Trinitas est objectum quo refertur omnis cultus. Gloria Patri & Filio &c. quidam putant in Conc. Nicæn. compositum.

5. Quamlibet Dominicam peculiari erga Sanctissimam Trinitatem cultui destinatam esse, nec tamen id repugnare, quominus illi cultus adhibeatur, qui deinde introductus est in prima Dominica post Pentecostem, ostendit Suarez rationibus e Theologia depromptis de Religione lib. 2. cap. 4. Ejusmodi enim cultus additus est *ad majorem reverentiam Trinitatis, & ut expressa memoria tam in Officio proprio, quam in concionibus illius Mysterii fieret;* Cum præsertim certissimum sit, Sanctissimam Trinitatem objectum esse præcipuum, quo cultus omnis refertur, qui ab Ecclesia Deo tribuitur; per illum enim cultum, quem Sanctis tribuimus, Christo Domino, cujus membra sunt Sancti, honorem exhibemus: cum autem Jesu Christo habetur honor, qui Filius Dei est, & unus in substantia cum Patre & Sancto Spiritu, facile, quod modo dicebamus, inde colligitur, omnis Religiosi cultus Trinitatem objectum & finem esse præcipuum. Quod vero ad hymnum attinet *Gloria Patri* &c. quem Decretalis ait cani quotidie, & fortasse in fine cujuslibet Psalmi, vulgaris quondam sententia fuit, in Nicæna Synodo eam orationem fuisse compositam; eam in Oriente addi solitam in fine cujuslibet Psalmi; ac laudabilem invectam esse in Occidentem ejusmodi consuetudinem a Damaso Papa Hieronymo impulsore. Vid. Herrera lib. 2. de Origine divinor. Officior. & Gonzalez in cap. *Quoniam* in fine de Feriis.

Ostenditur ea Oratio Conc. Nicæno posterior.

6. Sed hæc omnia falso affirmari compertum est: non enim in Nicæno Concilio ea oratio, seu, quemadmodum appellata est a Majoribus nostris, ea Glorificatio composita est; ejus enim meminit Basilius epist. ad Amphilochium c. 7. *Proinde quod a majoribus nostris dictum est, & nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio* (loquitur de Spiritu Sancto;) *quapropter & Glorificationis Hymnus Patri simul cum Filio offerimus.* Atque ante Basilium Magnus Athanasius Episcopus Alexandrinus *de Virginitate*, seu *de Meditatione* disertissime eum hymnum commemorat: *Cum surrexeris a mensa, rursum gratias agendo trinis vicibus dicas: Miserator, & misericors Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; rursumque post actam Glorificationem preces tuas absolvas.* Quorum Patrum auctoritate nixus Cardin. Bona *de Div. Psalmod. c. 16. §. 6.* Glorificationi

ni majorem antiquitatem jure vindicat. Basilius enim a majoribus eam repetit; & Athanasius de re loquitur non tamquam nuper instituta, sed certa jam, atque perspecta.

Ab Apostolis ea Oratio profecta. Fortasse in Nicæna Synodo addita sunt illa: Sicut erat in principio.

7. Itaque verius dici potest, Apostolos jussu Christi Domini in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Baptismum contulisse; atque inde ab Apostolicis usque temporibus Glorificationis hymnum Fideles canere cœpisse: Nicænæque Synodo verba illa tribui posse: *Sicut erat in principio &c.* quæ Nicæni Patres addiderunt ad Arianorum hæresim jugulandam, qui Filium a Patre *in tempore* genitum, ac fuisse tempus, cum non esset Filius, nefarie blasphemabant; quod colligitur ex Concilio Vasionensi paullo post Nicænam Synodum habito in Gallia sub Julio Pontifice Constantii Imperatoris ætate, cujus Canones cum iis, qui secundi sunt Vasionensis Concilii sub Leone Magno permistos habemus. Verba Concilii sunt: *Et quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore fuisse blasphemant, in omnibus clausulis post* Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen, *dicitur; etiam nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.*

Consuetudo canendi in fine cujusque Psalm. Gloria Patri non est traducta ab Oriente in Occidentem.

8. Atque hæc est doctorum virorum, qui in rebus Ecclesiasticis studium operamque suam posuerunt, sententia, cujusmodi est Baronius ad ann. Chr. 325. num. 175. & sequen. Bona de Divina Psalmodia cap. 16. §. 6. Lupus in Notis ad Concilium Nicænum cap. 7. tom. 1. pag. 109. primæ edit. Theophilus Raynaudus tom. 15. Operum suorum pag. 19. Cardinalis autem Bona eod. loco, postquam Cassiani testimonium attulit, qui lib. 2. de Instit. Cœnob. c. 8. tradit, non fuisse in Oriente consuetudinem ad finem Psalmi cujuslibet canendi *Gloria Patri*, negat, disciplinam ejusmodi ab Oriente in Occidentem esse traductam Hieronymi cura & opera; Cassianum enim, qui quinquaginta vixit post Hieronymum annis, testari nihil ejus disciplinæ ætate sua fuisse in Oriente; qui aliter senserit, Hieronymi ad Damasum epistola esse deceptum; eam autem esse apocryphum. Et sane falso adscriptam Hieronymo eam epistolam putat etiam Schelstratus part. 2. Antiquitat. illustratæ, & Pagius in Breviario Romanor. Pontif. tom. 1. in Vita Damasi pag. 3. & sequen.

Concilium Narbonense ann. 589. jubet, ad quemlibet Psalmum addi Gloria Patri.

9. Affert Baronius ad ann. Chr. 548. num. 31. Canonem quendam Concilii Narbonensis anno 589. idest centum & sexaginta post Hieronymi obitum annos habiti, cujus hæc sunt verba: *Ut in psallendis Ordinibus per quemque Psalmum Gloria dicatur Omnipotenti Deo: per majores vero Psalmos prout fuerint prolixiores, pausationes fiant & per quamque pausationem Gloria Trinitatis Domino decantetur.* Ejusmodi Decretum cæteræ quoque Ecclesiæ amplexæ sunt; quod satis esse putamus ut palam fiat quam vere in sua Decretali dixerit Alexander II. fuisse morem, ut quotidie, & forsitan in fine cujuslibet Psalmi Glorificationis hymnus caneretur *Gloria Patri &c.*

Joannes XXII. Festum hunc diem primus celebrari jussit Dominica prima post Pentecosten.

10. Atque ut unde sumus digressi, eo regrediamur, cum earum Ecclesiarum disciplinam Ecclesia Romana non improbaverit peculiarem quendam festum diem celebrandi in Sanctissimæ Trinitatis honorem, paullatim ea consuetudo cœpit pervulgari. Quapropter Rupertus Abbas, qui duodecimi seculi vixit initio lib. 11. de Divinis Officiis cap. 1. scribit, ætate sua Festivitatem hanc vulgo celebrari cœptam esse; & Durandus, qui vixit vergente in finem seculo 13. etsi tradit, nonnihil varietatis esse in ea celebranda, testatur tamen pluribus in locis esse receptam. Quæ cum ad plures Ecclesias latius in dies vulgaretur, tandem ab ipsa Apostolica Sede suscepta est. Joannes enim XXII. qui obiit anno 1334. primus decrevit, ut prima post Pentecostem Dominica ab universali celebraretur Ecclesia. In id consentiunt Martene citat. cap. 28. Thomassinus cit. cap. 18. lib. 2. nu. 13. Bailletus in Historia hujus Festi §. 1. num. 4. Ciaconius in vita Joannis XXII. Gavantus, & Meratus in Notis ad Gavantum tom. 1. par. 2. pag. 1222. Gonzalez in cap. *Quoniam* de Feriis num. 8. in fine. Herrera de Origine Divinorum Officior. lib. 2. cap. 52. Suarez loc. cit. num. 17. Pagius in Breviario Romanor. Pontificum tom. 4. in vita Joannis XXII. num. 86. & nos lib. 4. de Canonizat. Sanctorum ipsi demonstravimus par. 2. cap. 30. num. 1.

CAPUT XIII.

De festo Corporis Christi, quod Feria Quinta celebratur post primam Dominicam, quæ Pentecostem proxime consequitur, seu post Octavam ejusdem Pentecostes.

Destinandus dies alius videbatur a Feria v. majoris Hebdomadæ ad celebrandam Corporis Christi Solemnitatem.

1. AB Apostolicis usque temporibus Feria Quinta *in Cœna Domini* Sanctissimæ Eucharistiæ institutionem veneratur Ecclesia. Sed cum eo die in Passione & morte Christi Domini recolendis sancta versetur Ecclesia, & in plurimis cæremoniis occupata sit, optimum factu, & Deo gratum fore visum est, si peculiaris quædam institueretur Festivitas lætitiæ & gaudii declarationibus celebranda, cui Feria Quinta post primam Dominicam Pentecostes destinaretur. Quoniam vero de Santissimæ Eucharistiæ institutione fuse disputavimus, cum de Feria Quinta Majoris Hebdomadæ sermonem habuimus, nos hic tantummodo de hac nova addita Festivitate differemus, quæ Feria Quinta post primam Dominicam Pentecostes celebratur.

Origo hujus Festivitatis. B. Juliana Lodii de ea instituenda consulit Episcopos & Theologos, inter quos Archidiaconum Leodiensem, qui postea fuit Urbanus IV.

2. Magna erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum devotione fuit Beata Juliana e Monte Cornelione ad Leodii Portas Hospitalaria. Quæ cœlesti quadam visione admonita, ut peculiari Festivitate Sanctissima Eucharistia coleretur, postquam Prioriæ munus illi delatum fuit anno 1230. in Religosa Domo Montis Cornelionis, rem omnem cum Joanne Canonico S. Martini Leodiensi communicavit, qui eam est cohortatus, ut a Theologis, & Episcopis consilium peteret. E Theologis quosdam ex Ordine Prædicatorum, Fratres, ex Episcopis Cameracensem consuluit; consultor etiam est adhibitus Jacobus Pantaleo Trecensis Archidiaconus Leodiensis, Episcopus de inde Virodunensis summus denique Pontifex Urbanus Quartus appellatus.

Probatam omnibus Festivitatem & Officium in Concilio habito anno 1246. Episcopus Leodiensis coram se fecit celebrari.

3. Probata est omnibus nova Festivitas, ejusque Officium curante B. Juliana compositum est. Etsi autem, ut in rebus, quæ Dei cultum tangunt, solet accidere, plures intercesserint difficultates, Robertus Leodiensis Episcopus in Concilio ann. 1246. habito novum hoc Festum per omnem Ditionem suam celebrari jussit, &, antequam e vita migraret, voluptatem eam cepit, ut novum hujus solemnitatis Officium coram se celebrari videret. Ad hunc modum institutam Festivitatem Hugo, qui Prior antea & Provincialis Fratrum Predicatorum in consilium a Beata Juliana adhibitus rem omnem probaverat, Car-

dinalis poſtea creatus, & in Belgium Legatus ab Apoſtolica Sede miſſus, ab omnibus Præſulibus, & univerſo Clero Legationis ſuæ retineri juſſit & coli; idemque qui ei in Legatione ſucceſſit Capocius Cardinalis biennio poſt confirmavit.

Agitur apud Apoſtolicam ſedem de hac Feſtivitate ad univerſam Eccleſiam extendenda.

4. Juliana, quæ negotium omne cum quadam pia muliere, quæ Leodii habitabat, nomine Eva, communicaverat, e vivis ſublata eſt. Itaque Eva ab Henrico Leodienſi Epiſcopo*, qui Roberto ſucceſſerat, flagitare non deſtitit, ut Romanum Pontificem exoraret, quo nova Feſtivitas ad univerſalem proferretur Eccleſiam; cum præſertim in B. Petri Cathedra ſederet Urbanus IV. qui viſionis, qua B. Juliana monita fuerat, probe conſcius, eam Feſtivitatem in Belgio, antequam creatus eſſet Pontifex, approbaverat.

Urbanus IV. negotium protrahit tandem miraculo commotus jubet Feſtivitatem in Eccleſia univerſali celebrari.

5. Ejuſmodi preces ad Pontificem jam pervenerant, qui rem adeo gravem, in qua de Feſtivitate ad univerſalem Eccleſiam extendenda agebatur, cunctando protrahebat, ne quid temere ſuſcepiſſe videretur. Sed ſtupendo per id tempus miraculo edito Pontifex commotus Conſtitutionem, de qua mox ſermonem habebimus, evulgavit, qua ab univerſali Eccleſia Feſtivitatem hanc celebrari mandavit.

De miraculo Volſinienſi, quo permotus fuit Pontifex.

6. Chaſtrum eſt ad Volſinienſem lacum ſub radices collis in via, quæ Romam per Hetruriam ducit, ab Urbeveteri haud longe diſtans, in qua tum Civitate Urbanus IV. cum Romana Curia morabatur. Eo in Caſtro contigit, ut Sacerdos quidam poſt conſecrationem panis & vini, cum de tranſubſtantiatione in Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti cœpiſſet dubitare ex improviſo Sanguis ex Hoſtia eruperit, qui linteum, ſeu Corporale commaculavit. Sunt qui narrant, Sanguinis guttam Sacerdotis imprudentia in linteum effuſam; illum autem, quo ſuam tegeret negligentiam, multiplici plexu eam lintei partem, quo Sanguinis gutta deciderat, complicaſſe; maculam deinde Sanguinis in formam Hoſtiæ in ſingulis lintei plexibus eſſe repertam. Cujus miraculi fama commotus Pontifex, ipſe linteum inſpicere voluit; ac noviſſimas preces memoria repetens, quæ ad peculiarem Feſtivitatem Corporis Chriſti impetrandam ſibi erant expoſitæ; ea etiam revolvens animo, quæ Leodii multo antea acceperat, & accurato examine perpenderat; reputans præterea, quantopere neceſſarium eſſet ut gliſcens Berengarii hæreſis, qui realem Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini præſentiam impugnabat, auctoritate publica frangeretur, Conſtitutionem edidit, quæ in Bullario primum inter Urbani IV. Bullas obtinet locum, qua ad hæreticos comprimendos, & exaltandam Catholicam Fidem ſingulis annis eodem quo nunc die Feſtivitatem Corporis Chriſti in univerſali Eccleſia celebrari juſſit. In eam Conſtitutionem Revelationes etiam, quas antequam ad Apoſtolatum eſſet evectus, cognitas habebat, inſeruit. Nulla in hac Conſtitutione reperitur dies, qua eam Urbanus ediderit. Litteræ vero in forma Brevis ad piam mulierem, quam ſupra memoravimus, nomine Evam, quibus Pontifex de capto jam conſilio certiorem facit, datæ ſunt die octava Septembris anno 1264. Urbeveteri Pontificatus ſui anno quarto. In Regeſtis Vaticanis, quæ in Bullario deeſt dies Bullæ adſcribenda, reperitur fuiſſe undecima Auguſti anno 1264.

Mortuo Urbano IV. duobus fere menſibus poſt editam

7. Poſtridie Kal. Octobris Urbanus migravit e vita. Dieſtemius in quodam opere ann. 1646. edito ait, Urbani Bullam receptam & exequutioni mandatam in Leodienſi duntaxat Eccleſia. Sed ea Bulla celebrandæ Feſtivitati conſtituit Feriam 5. poſt primam Dominicam Pentecoſtes; data autem eſt die 11. Auguſti ann. 1264. ut paullo ante monuimus; quocirca facile intelligi poteſt, Dieſtemium nimio in Leodienſem Eccleſiam ſtudio deceptum, cujus obedientiam erga Urbanum IV. Archidiaconum quondam ſuum conatur extollere, peculiarem Feſtivitatem, quæ ante Urbani Bullam Leodii celebrabatur, cum Feſtivitate confundere, quæ juxta Apoſtolicam Conſtitutionem Leodii itidem, ut in cæteris Chriſtianæ Reipublicæ Eccleſiis, cæpit celebrari. Illud vere dici poſſe videtur, Urbanum, antequam illam Conſtitutionem ederet, & morte eriperetur, hanc Feſtivitatem ſolemniter celebraſſe, quod colligitur ex ejus litteris in forma Brevis ad Evam, quas ipſe Dieſtemius affert: *Et ſcias, quod nos ejuſmodi Feſtum cum omnibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis, tunc apud Sedem Apoſtolicam commorantibus, (ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti Feſti celebritate ſalubre præberetur exemplum) duximus celebrandum.* Cum autem paullo poſt datam Bullam exceſſiſſet e vita, nec quiſquam urgeret, ut exequutioni mandaretur, quod innuit Gloſſa Clement. Unica de reliquiis & veneratione Sanctorum, inde factum eſt, ut annis inſequentibus ejuſmodi Feſtivitatem celebratam eſſe non reperiamus. De ea enim ſilet Durandus, qui poſt Urbani mortem duos & viginti vixit annos. Verum Clemens V. in Concilio Viennenſi anno 1311. habito Urbani Conſtitutionem confirmavit, quam demiſſo animo, ut par erat, Patres, qui univerſalem repræſentabant Eccleſiam, acceperunt, ut videre eſt in Clementina unica de reliquiis & venerat. Sanctorum. Cujus executionem Joannes XXII. qui anno 1316. Clementi V. ſucceſſit omni ſtudio curavit, ad eamque rem Martinus V. & Eugenius IV. novis Indulgentiis tribuendis plurimum contulerunt, ut tandem in tota Eccleſia Feſtivitas celebraretur. Quamobrem ſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 13. cap. 15. eam ſolemnitatem Triumphum de hæreſi appellat, & in eos, qui eam improbare audeant, anathema pronunciat Can. 6. Atque in eo loco ſancta Synodus graviſſimum illud ſcandalum animo præſens habuit, cum Auguſtæ Vindelicorum, teſte Surio in Commentar. fol. 150. in Proceſſione Corporis Chriſti (in qua ſanctam Euchariſtiam geſtabat Cardinalis Moguntinus, ſecularibus Principibus, & Clero præeuntibus, quos deinceps Carolus V. Imperator, aperto capite, cereum manu tenens, ac poſt eum Archiepiſcopi, & Epiſcopi omnes ſequebantur, & Umbellam alternis Principes viri gerebant) Saxoniæ Dux, & Lutherani Principes adeſſe noluerunt, ex quo maximam Imperator animi moleſtiam cepit.

Bullam Feſtivitatem in ipſo ſui initio intermortuam excitavit Clemens V. in Conc. Viennenſi. Euchariſtia cur adoretur adverſus Calvinum.

8. Quærit a Catholicis Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 17. *quo prætextu conſecrent hoſtiam, quam circumferant in pompa?* Cui facile reſpondemus, in pompa geſtari, ut adoretur. Id vero laudabile eſſet, etiamſi non ſubeſſet illis ſpeciebus reali ſua præſentia Chriſtus: nam in ſacris paginis proditum eſt juſſu Dei Arcam Domini ab Iſraelitis per plura loca, quanta maxima fieri poterat, celebritate circumferri conſueviſſe. Quanto igitur potiori ratione id fiat, cum illis ſpeciebus Salvator noſter Chriſtus Jeſus contineatur, ut docet Catholica Eccleſia, quæ in Tridentina Synodo congregata, Auguſtiſſimo Eccleſiæ Sacramento Latriæ cultum tribuendum eſſe definivit. Vid. Herminier Tractatu de Sacramentis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tom. 2. de Eucharistia cap. 25. & Pichler in Theologia Polemica par. 2. pag. 1164. & 1165. ubi *de asservatione & adoratione Eucharistiæ* verba facit. Hi enim explicant, quo sensu intelligamus Sacramento Latriæ cultum tribuendum, etiamsi panis & vini species, quæ sunt res creatæ, in illo contineantur.

Miraculi Volsiniensis veritatem probant Scriptores omnes; sed omnium luculentissime ipsum Corporale in Cathedrali Urbisveteris asservatum.

9. De miraculo, quod in Volsiniorum Castro contigisse diximus, scribunt Trithemius, S. Antoninus, & fuse Panvinius. Sed argumento est longe firmissimo sacrosanctum idem linteum, seu Corporale, quod in Urbevetano Cathedrali templo summa veneratione adservatur. Ejusdem miraculi veritatem luculentissime probat ipsa Ædes in ejus memoriam maximo sumptu a fundamentis excitata, quæ pulchritudine & magnitudine cum cæteris orbis terrarum celeberrimis certare potest. In ejus fundamentum primum jecisse lapidem Nicolaum IV. Idibus Novembris anno 1290. narrat Panvinius; atque ea omnia, quæ hactenus diximus, referunt & confirmant præter Trithemium, S. Antoninum, & Panvinium, cæteri omnes. Vide Capeauvil tom. 2. Histor. Leodien. pag. 642. Bartholom. Tisseu de Orig. Festivit. Corporis Christi, Jacobum Bourgeois in Tractatu cognomine, Martene de antiqua Eccl. Discipl. in Divinis celebr. Offic. cap. 21. num. 1. & sequen. Henschienium in continuatione Bollandiana to. 3. Aprilis pag. 437. Bellote Observat. ad Ritus Eccl. Laudunen. pag. 851. & sequen. Christian. Lupum tom. 11. nuperrimæ edit. pag. 340. Theophil. Raynaud. tom. 11. pag. 347. Baillet. in Festo ejusdem diei §. 2. Pagium in Breviar. Roman. Pontific. tom. 3. pag. 366. num. 12. Rainaldum ad ann. Chr. 1264. n. 27. Ughelliun in addit. ad Ciaconium in Vita Urbani IV. Suarez to. . de Religone lib. 2. cap. 7. nu. 3. Thomassinum de dierum Festor. Celebrat. lib. 2. cap. 19. & præsertim nu. 13. Pougetum in Instit. Catholicis tom. 1. §. 15. pag. 871. Gretserum tom. 5. suorum Operum, Dissert. de Festo Corporis Christi, Petram in egregiis suis ad Constitutiones Romanorum Pontificum Commetariis tom. 3. in notis ad Constitut. Urbani IV & Andream Pennazium, qui recens scripsit de Volsiniensi miraculo historiam anno 1731. editam.

An Urbanus IV. etiam Processionem instituerit.

10. Quærunt nonnulli, an Urbanus IV. ut hanc Festivitatem, ita solemnem, quæ fit hac die, instituerit Processionem. Probabilissima est eorum sententia, qui e re ipsa putant, hanc Processionem esse profectam. Nam Urbanus ab Episcopo ejus loci sacrum Corporale cum processione & pompa adferri sibi jussit, illudque in Ecclesia Urbevetana adservandum locavit, *Attonitus Pontifex ad se ab Episcopo loci cum processione Urbemveterem* (corporale) *trasferri voluit. & illud, soleminitate instituta, in Ecclesia Urbevetana recondidit*. Guillelmus Lindanus Episcopus Ruremundensis tom. 2. Apologetici postquam docuit, non hanc Festivitatem, sed Processionem a quibusdam Lutheranis improbari, subjicit: *Sed unde obsecro certum est, solemni piorum communioni ab Urbano non fuisse adjunctam solemnem etiam Venerabilis Sacramenti circumgestationem? Certe qui occasionem, atque scopum illius Festi ab Urbano IV. instituti prudenter juxta illorum temporum historias perpendunt, videbunt, opinor, non pro absurdo habendum, si quis ad illius Festi originem pertinere dicat istam solemnem circumgestationem, quæ statodie tam solemniter toto Christiano Orbe celebratur*. Gretserus tom. 5. edit. Ratisbonen. tract. de Processionibus cap. 19. §. *Duodecimo mentitur predicans* pag. 64. probare nititur ex Bulla Urbani, Processionem quoque ab eo Pontifice fuisse institutam. Idem confirmat Dissertat. de *Festo Corporis Christi* eod. tom. 5. cap. 12. pag. 161. ubi monet, id causæ fuisse illi Pontifici, quamobrem hanc institueret Festivitatem, ut Hæreticorum dementiam confunderet & perfidiam: ad id autem cum ea solemni processionis pompa nihil excogitari possit accommodatius, id Gretsero satis est, ut ab Urbano etiam Processionem instituram esse conjiciat. Nobis vero melius id probari videtur ex iis, quæ ex Panvinio paullo superius attulimus.

Officium, quod nunc recitatur, composuit D. Thom. Aquin. Græci non habent hanc Processionem. Paraguajensium pietas.

11. Quidam olim viri docti dubitabant, an officium, quod hac die recitamus, scripserit D. Thomas Aquinas, nec in eo conquiscebant, quod in historiis supra allatis proditum est, Urbanum IV. D. Thomæ, qui tum temporis Urbeveteri erat, id muneris demandasse. Papebrochius quid causæ esset, cur ea de re dubitaret, exposuit in Actis Sanctorum mensis Aprilis. Postea vero quam celebrem legit Dissertationem, quam de hoc argumento Natalis Alexander conscripsit, candide declaravit, omnem sibi scrupulum esse exemptum, seque D. Thomam illius Officii auctorem agnoscere in Propylæo mens. Maji part. 2. pag. 53. Quæ tamen numquam orta esset controversia, si Constitutio iis disceptatoribus innotuisset edita a Xisto IV. quam reperias in tom. 3. novissimii Bullarii Fratrum Prædicatorum pag. 555. In ea declarat Pontifex, eam solemnitatem ab Urbano IV. esse institutam; deinde subjicit: *propriumque ejusdem solemnitatis Officium per B. Thomam de Aquino tunc in ipsa Curia existentem compositum edidit*; quod a nobis antea notatum quinta nostra Institutione jam citatæ edit. observavit etiam Meratus par. 2. tom. 1. ad Gavantum pag. 1225. & sequ. Gretserus Tractatu de Processionibus pag. 97. Græcorum, nec injuria, miseriam deflet, qui cum realem Christi in Eucharistia fateantur præsentiam, & publico cultu Sacramentum censeant adorandum, solemnem hoc die Processionem non usurpent. Græcis longe feliciores Christiani in Paraguai, quorum quanta sit pietas in Festivitate & Processione Corporis Christi, haud facile quisquam legerit, quin intimo suavique animi sensu tactus commoveatur. Id optime exponit Ludovicus Antonius Muratorius in relatione de Missionibus Paraguai anno 1743. edita cap. 15.

CAPUT XIV.

De Festo Inventionis S. Crucis die 3. Maji.

Ostentum celebratissimum Constantino divinitus objectum.

1. Quinto nonas Maji Sanctissimæ Crucis Jesu Christi inventio solemni memoria recolitur. Magnus Constantinus dum adversus Maxentium pararet exercitum, veræ religionis cognoscendæ studio incensus, anno 311. celebri illa visione est admonitus, qua splendidissimam vidit supra Solem in formam Crucis lucem cum ea inscriptione, *In hoc vince*, ut narrat Eusebius lib. 1. Vitæ Constant. cap. 28. & sequen.

Vindicatur illius miraculi veritas ab audaciorum hominum argutiis.

2. Ingenio fuit Imperator ille aperto & candido, veritatis amans, & ab omni fraude abhorrens; quapropter de eo scripsit Pragsagoras Ethnicus apud Photium Codic. 62. *Omni virtutum & honestatis genere, omnique adeo felicitate omnes omnino, qui se anteceserunt, Imperatores facile superavit Constantinus*. Itaque, cum se cœleste illud prodigium vidisse ipse affirmaverit, ejus etiam milites mirabilis ostenti oculati fuerint testes ut est apud Eusebium in Vita Constant. cap. 28. & id in suo Panegyrico innuat Nazarius sub-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſubobſcure quidem, ſed ita tamen, ut fateatur, tota Gallia miraculum illud fuiſſe vulgatum, & notum, nemo ſane reperiri poteſt, niſi ſit æque impudens atque Oornebeccus, Tollius, & Boillavius, qui Imperatorem eſſe mentitum affirmare velit, & a ſe viſum fioxiſſe, quod non viderit. Pari etiam temeritate prædituin jure dixeris, qui contendat, ut Fabricius tom. 6. Biblioth. lib. 5. cap. 3. ſplendidam illam Crucem naturale quoddam fuiſſe phænomenon, quod illa ætas haud ita Aſtronomicarum rerum gnara veluti celeſte quoddam & divinitus immiſſum oſtentum exiſtimavit; quaſi vero noſtris hiſce temporibus, cum Aſtronomia tantum progreſſa eſt, jure poſſit quiſpiam affirmare, inter naturalia phænomena referendam eſſe fulgidam Crucem ſupra Solem in aere ſuſpenſam, cum epigraphe, *In hoc vince*, quod Euſebius, Philoſtorgius, Sozomenus, aliique teſtantur innumeri: quibus potiſſimum verbis ad Chriſtianam Religionem amplectendam Imperator impulſus eſt; & quorum fidem inſequenti anno ex eo prælio, quod cum Romani Imperii hoſte commiſit, parta victoria comprobavit.

Sacrorum in Paleſtina locorum Hadriani Imperatoris ſtudio polluta Sanctitas.

3. Sacrorum in Palæſtina loeorum Sanctitatem omni ſtudio Hadrianus Imperator pollui, Chriſtianumque nomen contumeliis onerari curabat. Sanctum propterea Jeſu Chriſti Sepulcrum terra oppleri. Templumque in eo loco Veneri dicatum excitari juſſit; ut Chriſtiani, qui ad eum locum, quo Chriſtus Dominus fuerat conditus, devotione tacti veniſſent, eo ſe contuliſſe viderentur, ut inane illius Deæ numen adorarent.

Tres Cruces a S. Helena effoſſæ in Calvario.

4. Conſtantinus Imperator Chriſtianam Fidem amplexus magnificentiſſimum in eo loco templum extruere ſtatuit; cui ædificando Macarium Hieroſolymitanum Epiſcopum præfecit, Præſidesque provinciarum omnia *illi*, quæ opus eſſent, ſuppeditare juſſit. Omne illud opus perficiendum ſuſcepit S. Helena Imperatoris mater, quæ ſacris Chriſtianorum jam initiata cum animum ſuum ad pietatem charitatemque exercendam appuliſſet, anno 326. fere exeunte, ſeſe contulit Hieroſolymam, & loco, ubi Chriſtus Cruci eſt affixus, iiſque omnibus, quæ ad ejus Paſſionem pertinent, probe exploratis, Templum, Veneriſque ſimulacrum, quo Calvarius occupabatur, locuſque Filii Dei morte, & reditu ad vitam conſecratus fœde polluebatur, juſſit everti; atque inde amota terra, ſanctoque detecto ſepulcro, ternas ejuſdem formæ & magnitudinis reperit Cruces ſibi invicem adjacentes.

Vera Chriſti Domini ex tribus illis Crucibus miraculo cernitur.

5. Ex iis quænam illa eſſet, in quam Redemptor noſter fuiſſet ſublatus, omnino erat incompertum. S. Ambroſius *in funere Theodoſii* conjecit, Crucem, cui Chriſtus fuerat affixus, cognitam eſſe ex titulo, *Jeſus Nazarenus Rex Judeorum*. Ruffinus vero, Socrates, Sozomenus, & Theodoretus narrant, in re tam dubia Macarium a S. Helena, quid facto opus eſſet, in conſilium adhibitum, divino afflatum numine ſingulas quaſque Cruces ad matronæ cujuſdam nobilis corpus, quæ in ipſo mortis limine verſabatur, admoveri juſſiſſe, Deumque deprecatum eſſe, ut, cuinam tribus ex illis Crucibus Unigenitus ejus Filius eſſet affixus, ſignificare dignaretur; ægram, ubi ejus corpori tertia Crux eſſet admota, valetudini reſtitutam; id indicio fuiſſe, in eam Chriſtum Dominum fuiſſe ſublatum. S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Epiſtola ad Sulpicium Severum, qua ſe illi ſcribit particulam mittere Sanctiſſimæ Crucis, narrat eam mulierem jam mortuam, ubi primum ejus cadaveri tertia Crux fuit applicita, revixiſſe. *Poſtremo* (ſunt Paulini verba) *Dominicam Crucem prodit Reſurrectio, & ad ſalutaris Ligni tactum, morte refuga, funus excuſſum, & corpus erectum*. Et conſonat Sulpicius Severus Hiſtor. lib. 2. *Duabus prius fruſtra Crucibus admotis, ubi Chriſti patibulo attactum eſt, dictu mirabile! trepidantibus cunctis funus excuſſum, & inter ſpectatores adſtitit*. Inde quidam exiſtimarunt: duo tum contigiſſe miracula: alterum mulieris morbo prope confectæ, quæ convaluerit; alterum mulieris mortuæ, quæ revixerit. Verum cæteri omnes vulgo unum tantum miraculum referunt; rem vero ajunt aliter Paulinum narrare, quod ex rumore populi eam acceperit, qui plerumque, quæ geſta fuerint, multis vel ſublatis, vel additis circumſtantiis auget, vel minuit.

Non ſub Euſebio Papa inventa Crux eſt, ſed ſub Sylveſtro.

6. Verba ſunt ex libro Pontificali, qui Anaſtaſio vulgo tribuitur, in vita S. Euſebii Papæ: *Sub hujus temporibus inventa eſt Crux Domini noſtri Jeſu Chriſti quinto Nonas Maji, & baptizatus eſt Judas, qui & Cyriacus*. Vignolius poſt vocem *Cyriacus*, ſeu *Quiriacus* legit: *qui eam invenerat*. Sed hanc narrationem multa evertunt; nam neque ſedente Euſebio, ſed Sylveſtro, inventa Crux eſt, neque ſincera ea ſunt Acta, quæ Judæorum opera tradunt Crucem eſſe repertam.

Argumenta, quæ Crucem ſub Sylveſtro inventam evincunt.

7. Et ſane ſub Sylveſtro Pontifice, non vero ſub Euſebio Crucem eſſe inventam plurima evincunt argumenta. Syriam enim, Euſebio Pontifice, non Conſtantinus obtinebat, ſed Maximinus, qui numquam profecto Chriſti Domini Crucem inveſtigari, atque ibi Eccleſiam extrui paſſus eſſet: præterea Conſtantinus nondum ea, quam ſupra memoravimus, cœleſti viſione monitus, ne Chriſtianus quidem tum temporis erat; nondum itidem ejus mater Helena Chriſtianam profitebatur fidem; & Macario multo poſt Hieroſolymitana Eccleſia anno 312. tradita fuit. Vid. Baron. ad annum Chr. 326. num. 42. Pagium in Breviario Romanorum Pontificum t. 1. in vita S. Euſebii; & Binii, Labbei, Ciaconii, Bencini, & Vignolii Notas ad librum Pontificalem in eadem S. Euſebii vita. Quod autem Canonem, qui incipit *Crucis*, de Conſecr. diſt. 3. Gratianus tribuat Euſebio, cujus ea ſunt verba, *Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quæ nuper, nobis gubernacula Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tenentibus quinto nonas Majas inventa eſt, in prædicto Kalendarum die Inventionis Feſtum vobis ſolemniter celebrari mandamus*, nihil negotii faceſſit: hoc ſiquidem Decretum falſo affingi Euſebio advertit Suarez tom. 1. de Religione lib. 1. cap. 7. num. 2.

Acta quæ tradunt S. Crucem Judæorum opera eſſe repertam.

8. Acta vero, quæ tradunt Crucem Judæorum opera eſſe repertam, rem ita narrant: Helenam Judæos ad ſe accerſitos de nefarie illata Chriſto nece objurgaſſe; juſſiſſe paratos ex iis eſſe quingentos, ut interroganti ſibi, ubinam eſſet Crux Chriſti Domini, reſponderent; eam, cum nihil comperiret, eadem de re peritiores quoſdam eſſe percunctatam, quos inter quidam fuit nomine Judas, qui ex traditione patris ſui Simeonis filii Zachæi noverat, ubi eſſet Crux Jeſu Chriſti, quam a patre indicare juſſus eſſet, ſi quando ea de re interrogaretur; Judam primo detrectaſſe quod haberet cognitum aperire: in vincula tamen traditum, diutinaque ſeptem dierum fame parere coactum, aliorum quorundam opera adjutum, effoſſa terra, ternas reperiſſe Cruces; ex iis Crucem Domini eo miraculo, quo mortuus revixit, cognitam fuiſſe; Judam denique ſacro ablutum Baptiſmate a S. Euſebio Epiſcopum conſecratum eſſe, & relicto Judæ nomine Cyriacum appellatum. In

Chro-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Chronicis Hiſpanienſibus traditur, tanta eum captum fuiſſe devotione, ut ante pectus in veſte Crucis imaginem geſtare voluerit: unde ajunt profectos Equeſtres Ordines, quos qui profitentur, in veſte, & in medio pectore Crucis imaginem gerunt. Vide Quareſmium Elucid. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 5. cap. 20. in fine.

Acta illa veluti ſpuria a doctiſſimis quibuſque rejiciuntur.

9. Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 34. ubi de Conſtantino loquitur, eam rem innuit; *Hujus tempore venerabilis Crucis Dominicæ Lignum per ſtudium Helenæ matris ejus repertum eſt, prodente Juda Hebræo, qui poſt Baptiſmum Quiriacus eſt appellatus*. Sed adverſus eam narrationem tot tantaſque objecere difficultates Baronius, & Panvinius, ut rejicienda omnino videatur. Bollandiſtæ ad diem 3. Maji accurate eam examinant, ac deniqne Acta illa veluti ſpuria explodunt. Janningus in Apologia, quam poſuit in tom. 1. Junii num. 26. oſtendit, Scriptorem hiſtoriæ de Inventione Sanctiſſimæ Crucis, quiſquis ille fuerit, loca, tempora, homines, & facta confingere. Et Papebrochius, in reſponſionibus ad P. Sebaſtianum a S. Paulo par. 1. reſponſ. ad art. 1. §. 7. accuſatus, quod Breviarium Romanum in eo, quod ad S. Crucis Inventionem pertinet, impugnaſſet, ſtrenue ſe defendit, declaratque, ſe nihil aliud quam eam, quam modo retulimus, hiſtoriam rejeciſſe, ſibi Gelaſio Papa præeunte, qui in Can. *Sancta Romana* diſtinct. 15. hoc de ea hiſtoria tulit judicium: *Item ſcripta de Inventione Dominicæ Crucis, & alia ſcripta de inventione Capitis Beati Joannis Baptiſtæ, novellæ quidem relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt; Sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, Beati Apoſtoli Pauli præcedat ſententia: Omnia probate, &, quod bonum eſt, retinet*. Decretum hoc Gelaſianum egregie defendit Fontaninus in Antiquitatibus Hortæ in append. eoque uſus eſt Schelſtratius in Notis ad librum Pontificalem in vita S. Euſebii ad confutandam hiſtoriam de Cruce Hebræorum opera inventa. Eandem ingreditur viam Tillemontius Not. 3. ad vitam S. Helenæ, ubi advertit, hanc hiſtoriam illo fulciri poſſe argumento, quod ille Judas Cyriacus, ſeu Quiriacus Hieroſolymæ Epiſcopus in omnibus fere Martyrologiis reperitur adſcriptus, & honore, quo Sanctos veneramur, tamquam Patronus colitur Anconæ, e cujus Epiſcopatu Clementis XII. beneficio ad Metropolitanam Bononienſem Eccleſiam quondam translati fuimus. Illud quoque addit, non abeſſe a veriſimili, alium quendam fuiſſe Cyriacum, qui Hieroſolymæ martyrium paſſus ſit, & cujuſpiam alterius Civitatis Epiſcopus fuerit; ejuſque ſacra Lipſana Anconam a Placidia Auguſta, ut creditur, eſſe delata.

Retinenda hiſtoria de Inventione Crucis quæ Breviario Romano continetur.

10. Retinenda eſt igitur prima illa, quam attulimus, hiſtoria, utpote Breviario Romano emendato plane conſentiens; cum præſertim firmiſſimis ſuffulta ſit fundamentis; ex Ambroſio in Concione de obitu Theodoſii; Ruffino lib. 1. cap. 8. S. Paulino ep. 31. alias 2. Sozomeno lib. 2. cap. 1. Nicephoro lib. 8. cap. 29. Sulpicio Severo Hiſt. l. 2. S. Cyrillo epiſt. ad Conſtantium Imperator. §. 3. col. 352. ep. edit. Maur. ubi hæc habentur: *Ac tempore quidem Deo amiciſſimi, & felicis recordationis Conſtantini Patris tui ſalutare Crucis lignum Hieroſolymis eſt repertum, divina gratia viro pietatem recte quærenti hoc largiente, ut abſconditos ſanctos locos inveniret*. Et in Euſebii Chronico a Pontaco edito: *Helena Conſtantini mater Divinis monita viſionibus Beatiſſimum Crucis Lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit*. Quapropter Bailletus in ſua Tabula Critica ad diem 3. Maji num. 1. monet, primæ adhærendum hiſtoriæ; alteram autem, quæ Judam Hebræum commemorat, cujus opera Crux Domini reperta ſit, rejiciendam.

Calviniſtæ eam hiſtoriam explodunt.

11. Salmaſius, Spanhemius, Baſnagius, Dallæus, Calvinianarum homines partium, veritatem hiſtoriæ de Inventione Sanctiſſimæ Crucis prorſus negant; ſuumque judicium confirmant ſilentio Euſebii in Vita Conſtantini: epiſtolam vero Cyrilli velut ſpuriam & apocryphan rejiciunt: quæ vero ex Chronico Euſebii attulimus, recens addita eſſe contendunt: illud vero vehementer urgent, non fieri veriſimile, trecentorum ſpatio annorum Chriſti Crucem, quodque mirandum magis, binas etiam duorum Latronum ſub terra latuiſſe incorruptas. Hoſpinianus Tract. *de Origine Feſtorum Chriſtianorum* pag. 107. non ſolum negat, Crucem inventam eſſe ſub S. Euſebio Papa, quod nos ipſi paullo ante diximus non eſſe veriſimile, ſed inſuper eo inclinat, ut totam de Inventione Crucis hiſtoriam ex rationibus modo indicatis rejiciat.

Everſuntur argumenta, qua illi adverſus eam hiſtoriam gerunt.

12. Verum ut Cyrilli epiſtola ſit apocrypha, quod contendit Rivetus; ut in Chronico Euſebii ea verba recenter addita ſint, quemadmodum putat Scaliger, & Bollandiſtæ ad diem 3. Maji, quis tanta fuerit confidentia, qui rem tot graviſſimorum Scriptorum teſtimonio confirmatam audeat convellere? Cum præſertim, etiamſi Euſebius revera ſiluiſſe de hac re comperiatur, argumentum inde depromptum ſit mere negativum, cujus vires plane concidunt, cum alia ſuppetant veterum & graviſſimorum Scriptorum teſtimonia, qui rem narrant ab alio prætermiſſam, quæ minime prætereunda videatur; ut optime obſervarunt Natal. Alexander tom. 4. poſtremæ edit. Pariſien. c. 6. art. 12. Tillemont. Nota 2. ad S. Helenæ vitam, & Bollandiſtæ ad diem 18. Auguſti §. 8. de vita S. Helenæ, nu. 76. *Dato autem, non conceſſo, Euſebium in hac re fuiſſe piſce, ut ita dicam, mutiorem; an propter ſilentium unius Euſebii tot alii graviſſimi Auctores, qui adeo diſerte eam aſſerunt, falſitatis arguendi ſunt? &c. Quibus omnibus addenda eſt conſtans, ſtabilis, ac perpetua Catholicæ Eccleſiæ Traditio. Andreas itaque Rivetus heterodoxus Miniſtellus commiſeratione, ſeu riſu potius, vel contemptu dignus eſt, quando in Critici ſui Sacri, ut vocant, ſpecimine adverſus inventionem Crucis audacter ac temere iſta deblaterat*. Dixímus, ut apocrypha ſit Cyrilli epiſtola; nam revera eſt genuina; quod enim illam Rivetus rejiciat ut ſpuriam, quia in ea Conſtantius Auguſtus laudatur, qui Chriſti Divinitatem oppugnabat, id quidem nullius eſt roboris argumentum; Athanaſius enim, & Hilarius honorificis ſane verbis eundem Imperatorem appellarunt, tum cum maxime & pertinaciſſime Catholicam Fidem divexabat, ut bene animadvertit Graveſonus de Myſter. & annis Chriſti p. 452. Diximus itidem, ut in Chronico Euſebii ea verba ſint addita: nam id quidem non ſatis explóratum eſt; reperiuntur enim ea verba in pluribus manuſcriptis Codicibus, & multis veteribus editionibus. Adeundus Gretſerus, ubi Scaligerum refutat, Florentinius in Notis ad vetus Martyrologium n. 3. & Pagius in vita S. Euſebii. Diximus denique, etiamſi Euſebius revera ſiluiſſe ea de re comperiatur. nam videre licet apud Bollandiſtas in vita S. Helenæ ad diem 18. Auguſti §. 8. Euſebium ejus rei mentionem injeciſſe in Vita Conſtantini lib. 3. cap. 30. ubi Imperatoris affert epiſtolam ad Macarium, qua quidem epiſtola probe

probe Continuatores expensa concludunt: *Ut ad Inventionem Crucis revertamur, ob rationes datas videtur nobis probabilius, Eusebium hanc indicasse in Epistola Constantini citata.* Cui autem non sit verisimile, trecentorum spatio annorum tres Cruces humo tectas delituisse incorruptas, is Divinam Omnipotentiam videtur circumscribere. Deus enim, cum nollet Crucem Jesu Christi in Ethnicorum manus incidere, vel cum Titus delevit Hierosolymam, vel cum Hadrianus Hierosolymitanum agrum populatus est, eam jacere humi sepultam passus est, & a corruptione defendit, ut impio demum Idolorum cultu deleto, & Christiana religione longe lateque diffusa, salutare Lignum publico populorum cultui proponeretur. Nec quidquam roboris est, quod objicitur, huic rationi locum esse tantummodo, ubi de Christi Cruce sermo sit; omnes enim tres illas Cruces idcirco Deus voluit incorruptas, ut mirabili illi, quod contigit, miraculo fieret locus, cum, ut supra monuimus, ab iis Crux Dominica discreta & agnita est.

Ipsa instituendæ hujus Festivitatis ratio exponitur, & defenditur.

13. Quod si quis interroget, qui Festum diem Ecclesia præscripserit, quo celebraretur Sanctissimæ Crucis inventio, cum hæc historia non nisi humanæ fidei & opinioni innitatur; aut si scire velit, quid demum hac in re tantopere dignum reperiatur, ut ideo Solemnitas fuerit instituenda: respondemus, fidem humanam, & moralem evidentiam satis firma esse fundamenta instituendæ Festivitati. Atque ut exemplo rem declaremus, si Christiani Turcarum copias prælio profligaverint, pro parta victoria Festum indicitur, etiamsi non Fide divina, sed humanæ fidei evidentia ejus rei certi simus. Quod autem quærunt, quid in Sanctissimæ Crucis inventione reperiatur hac Festivitate dignum; respondemus, Inventionem Crucis non esse *hujus* Festivitatis fundamentum, sed *Festivitatis* instituendæ occasionem præbuisse. Etenim sola Crux propter Christum, qui ei est affixus, ponitur veluti fundamentum huic Solemnitati. Christus enim objectum est Religionis nostræ præcipuum, & Crux tamquam nostræ redemptionis instrumentum colitur. Præterea Augustinus de Civit. Dei l. 10. cap. 4. inter multas alicujus instituendæ Solemnitatis rationes, insigne aliquod Dei beneficium non ultimum habere docet locum. *Ei* (Deo) *beneficiorum ejus solemnitatibus festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.* Et sane magno Dei beneficio Crux, qua Christus humanum genus redemit, tandiu incorrupta delituit; cumque temporis opportunitas ut eam veneraremur postulabat, ejusdem Dei insigni beneficio reperta est. *Nonne divina manu latuit* (ait D. Paulinus cit. Epist.) *ut postea inveniretur, cum religiose quæreretur?* Quilquis vero consideret, Hebræis, qui nihil reliqui sibi fecerunt ad omnem Christi memoriam obliterandam, in mentem non venisse Crucem comburere, fateatur necesse est, in omni hac rerum serie Omnipotentis Dei dexteram in eum finem omnia ordinasse, quem jam innuimus, id est eo intendisse, nobis ut benefaceret. *Si ad manus Judæorum* (ait D. Paulinus) *omnia contra fidem Christi præcaventium Lignum illud venisset, conterendum & exurendum fuisset: neque enim in Cruce abolenda negligentes fuissent, qui signaverant sepulcrum.*

Quo tempore instituta fuerit hæc Festivitas.

14. Vetustissimam hanc esse Festivitatem ait Micrologus, eamque docet a S. Eusebio institutam in observat. Ecclesiastic. cap. 55. *Eusebius Papa a B. Petro trigesimus secundus constituit, ut omnes Christiani Inventionem S. Crucis quinto Nonas Maji solemniter celebrarent.* Eadem affirmat Burius in notitia Romanor. Pontific. Quæ quidem a Frontone risu excipiuntur in Notis ad Calendarium Romanum ante nongentos annos scriptum, in quo cum nullam viderit ad diem 3. Maji Festivitatem de Crucis Inventione notatam, hæc scripsit: *Hic tertia Maji nulla mentio Inventionis Sanctæ Crucis. Antiquam hanc celebritatem credit Pamelius ob illa, quæ ait Micrologus: sed qui animum advertit ad ea, quæ dicit Micrologus, videbit ad fabulam eum alludere. Hujus etiam nulla mentio apud Græcos. Itaque non nisi post annum a Christo 720. cœpit celebrari.*

Spurium Eusebii decretum, quo Micrologus nititur ad vetustatem hujus Festi asserendam. Notata & hæc solemnitas in Martyr. D. Hieron. edito a Florentinio.

15. Alludit Micrologus ad Decretum S. Eusebii a Gratiano relatum de Consecr. Dist. 3. ad ejusdem Pontificis Decretalem, quæ tamquam spuria rejicitur, quemadmodum supra docuimus, & ut expendit Ciaconius in Vita S. Eusebii. Quamobrem in hac re omnino Frontoni subscribimus. Quod vero ad hujus celebritatis originem pertinet, cum eo sentire non possumus. Nam in veteri Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio, quod Hieronymo tribuitur, & a Florentinio est editum, hæc leguntur ad diem 3. Maji: *In Hierosolyma Inventio S. Crucis Domini Nostri Jesu Christi ab Helena post Passionem Domini anno 233. regnante Constantino Imperatore:* Si quis vero dicat, ea verba Martyrologio posteriori ætate addita esse, dignam sane rem notatu dicit. Si enim hæc Festivitas a Martyrologio abesset, audacter affirmaretur, ad illud usque tempus nondum eam fuisse institutam; si vero, in Martyrologio cum sit adnotata, objicitur illuc posteriori tempore esse inductam, nemo non videt, rem eo esse deductam, ut de ea ne liceat quidem divinare.

Crucis Pars Hierosolymæ locata, Pars Romam missa. Unde originem traxerit ritus ostendendæ Crucis in Feria 6. majoris Hebdomadæ.

16. Bollandistæ referunt Crucis partem S. Macario traditam, ac postea in Templo a Constantino Hierosolymæ extructo locatam esse; alteram Crucis partem Romam ab Helena missam, ut in templo S. Crucis in Hierusalem poneretur; quod Templum in memoriam Crucis, quam in Cœlo viderat Constantinus, ipsa ædificari curaverat. Propterea ajunt, in Orientali Ecclesia nullam oportuisse Festivitatem de Inventione Crucis instituere, cum magnum illud Templum excitandum esset; quo extructo, statim pia illa cœpit consuetudo, ut certis quibusdam diebus solemnibus, ac præsertim Feria sexta in Parasceve magno concursu advenarum S. Crucis lignum spectandum populo exhiberetur. Atque inde, quod alibi monuimus, ea, qua nunc utimur, disciplina profecta est, ut in Divinis Feriæ sextæ Majoris Hebdomadæ Officiis in universali Ecclesia Crux solemniter ostendatur: neque enim ea cæremonia Hierosolymæ ostendendi Feria sexta Crucem proprie dici potest inventio Crucis; sed potius inventæ Crucis adoratio, quemadmodum monuit Bailletus in Hist. hujus diei.

Bollandistarum conjectura de origine hujus Solemnitatis.

17. Pergunt Continuatores Bollandiani in hoc argumento, & vero non absimile existimant, postquam Helena Romam Crucis partem vel misit, vel e Palæstina rediens ipsa secum tulit, & in Basilica S. Crucis in Hierusalem collocavit, in hac primum Ecclesia Festivitatem Inventionis S. Crucis celebrari cepisse, atque inde a summis Pontificibus in alias Romæ Ecclesias invectam esse, unde tandem ad universalem Ecclesiam permeaverit. Sane de ea mentio fit in Sacramentario, & Antiphonario S. Gregorii. Quod autem absit a Calendario Frontonis, haud ita improbabile est, ante Calendarium S. Gregorii

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gorii illud esse conscriptum. Vetera vero Sacramentaria, & Martyrologia, quæ hanc Festivitatem commemorant, reperias apud Florentinium in Notis ad Martyrologium ad hunc diem, & apud Martene cap. 32. n. 16. Quomodo autem paullatim hæc Solemnitas ad universam Occidentalem Ecclesiam permanaverit, ostendit Bailletus in Hist. hujus diei.

Gregorius XI. Officium componi jussit.

18. Sed ut ad medii ævi tempora descendamus, in priori Gregorii XI. vita, quam Bosquetus, & Baluzius edidere. Pontificem illum jussisse comperimus componi non modo Inventionis, sed Exaltationis quoque S. Crucis Officium, de qua solemnitate alibi nobis erit sermo. Ejus Officii Auctorem fuisse Petrum Senogalliensem Episcopum tradit Bailletus; quod quidem ex eo verisimile fit, quod Petrus Amelius fuerit Urbani Sacrista, deinde Gregorii XI. Pœnitentiarius, & Senogalliensem Ecclesiam ad annum usque 1367. gubernaverit, ut videre est apud Ughellium.

Sublata ab Clemente VIII. quæ ex adulterinis Libris Officiis desumpta fuerant.

19. In veteri Officio, cujus Auctor Senogalliensis Episcopus, ea continebantur, quæ dudum explosimus de Juda, cujus opera Crux esset inventa. Sed Clemens VIII. cum Officium ad secundæ Classis Ritum promovit, sublatis Antiphonis ad Laudes, easdem, quæ in Festo Exaltationis, recitari jussit; *quia priores historiam continebant dubiam*; verba sunt Gavanti sect. 7. cap. 7. de Festis Maji num. 3. Hanc denique solemnitatem Constitutione edita ex præcepto celebrandam voluit Urbanus VIII.

Hæreticorum error, qui cultum S. Cruci adimerunt. Lex a Theodosio lata adversus Judæos.

20. Egregie Natalis Alexander Dissert. 7. Hist. 8. seculi stultum Paulicianorum errorem confutat, quem rursus a Claudio Taurinensi, a Petrobusianis, & Wicleffistis excitatum novissime Lutherani, & Calvinistæ instaurarunt, adversus cultum, qui Cruci, cui affixus est Jesus, ejusque Crucis imaginibus jure tribuitur. Hic autem non prætermittendum, voluisse Constantinum in S. Crucis honorem, ne quis deinceps publico supplicio plectendus Crucis patibulo necaretur, ut testantur Sozomenus Hist. lib. 1. cap. 8. & Nicephorus lib. 7. cap. 46. Cum autem contumaciissimi Judæi quandam celebrare cœpissent solemnitatem, qua hominem Cruci affixum cremabant, dictitarentque id facere se in Amani eorum hostis odium, ne Christiani in odium & contumeliam Christi Domini factum suspicarentur; Theodosius junior Imperator hanc legem tulit, quæ est in Codice Justinianæo Tit. de Judæis, sumpta ex Cod. Theodos. lib. 16. tit. 8. leg. 18. *Judæos quadam festivitatis suæ die solemni Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & Sanctæ Crucis assimilatam speciem in contemptum Christianæ Fidei sacrilega mente exurere, Provinciarum Rectores prohibeant, ne jocis suis Fidei nostræ signum immisceant: sed Ritus suos infra contemptum Christianæ Religionis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperarint.*

Repertus etiam titulus Crucis. Qui de Crucis inventione egregie scripserint.

21. Non modo Crucem, sed Titulum etiam, & Clavos Helena invenit. De Titulo supra; de Clavis par. 2. Tom. 4. de Canonizatione verba fecimus, ubi gravem exposuimus controversiam in Sacra Rituum Congregatione agitatam de cultu Coronæ Ferreæ, quæ est Modoetiæ, restituendo; in quam fama est partem clavi, quo transfixus est Jesus, esse insertam. Giretserus tom. 1. suorum operum edit. nuperrimæ Ratisbonensis lib. de Cruce cap. 42. & duobus sequen. accurate scripsit de Inventione Crucis, confutatis Centuriatoribus Magdeburgensibus: alibi autem agit etiam de Festo. In eodem primo volumine inserta est *Apologia pro S. Cruce*, in cujus cap. 3. objectiones Junii ea de re adversus Bellarminum diluit. In volumine 5. lib. 1. de Festis cap. 32. Hospinianum refellit. Post hujus nostri Operis sermone vernaculo a nobis conscripti editionem, prodiit typis Bononiensibus secundæ Partis Tomus tertius *de Cultu Sanctorum*, Auctore Abb. Trombello, cui adjecta est *Appendix de Cruce*, ubi ample & erudite omnis hæc pertractata materia est. Quicquid autem ipsi de hac re paucis explicuimus, in ea appendice, & in citatis Gretseri Operibus magno doctrinæ apparatu confirmatum reperies.

CAPUT XV.

De Festo Transfigurationis Domini, quæ die 6. Augusti celebratur.

Totius argum. partitio. Quid fuerit Transfiguratio Christi ex Evangeliis.

1. POstridie Nonas Augusti Transfiguratio Christi Domini celebratur. De Jesu Christi Transfiguratione loquuntur Matthæus cap. 17. Marcus cap. 9. & Lucas cap. itidem 9. Atque ut via & ratione procedamus, quæremus, primo, quid fuerit Transfiguratio: quomodo, quando, ubi contigerit, quænam ejus fuerit causa, quæ circumstantiæ; postremo hujus solemnitatis originem aperiemus. Quid Transfiguratio fuerit, explicat Matthæus cap. 17. v. 2. *Transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Marcus cap. 9. *Transfiguratus est coram ipsis: & vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Denique Lucas cap. 9. v. 29. *Et factum est, dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgens.*

Nihil faciem Christi fuisse immutatam, sed micanti splendore coruscasse apparet ex Evangelio.

2. Quibus Evangelistarum verbis intelligimus, in Transfiguratione Christo nihil ex faciei lineamentis immutatum esse, sed faciem tamquam Solem coruscasse. Quamobrem Hieronymus in illud Matthæi caput: *Ubi splendor*, inquit, *faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Certo transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in Regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit.*

Existimare licet, non modo faciem, sed universum Christi Corpus splendore circumfusum.

3. Quamquam autem de solius faciei, & vestium splendore loquuntur Evangelistæ; tamen cum transfiguratum esse dicant, existimare licet, ejusmodi splendore non faciem tantum, sed totum corpus coruscasse, sacrosque Scriptores, cum faciem memorant, corpus omne significare voluisse, ut docet idem Hieronymus epist. 91. adversus Joann. Hierosolymitani errores, cap. 10. *Et facies ejus fulgebat sicut sol. Ubi autem facies nominatur, existimo, quod & cætera membra conspecta sint.* Quem locum ad hanc rem etiam attulimus in lib. 4. de Canonizat. par. 1. cap. 26. num. 11.

Quo pacto contigerit Transfiguratio ex D. Thoma.

4. Transfiguratio autem quo pacto contigerit, sive quod idem est, unde splendor ille manaverit, explicat D. Thomas in 3. par. q. 45. ar. 2. Itaque docet, claritatem corporis Christi in Transfiguratione derivatam fuisse ab ejus anima, tum ob Divinitatem, cum qua hypostatice jungebatur, tum propter gloriam, qua jam inde a conceptione sua fruebatur. Quod autem a principio conceptionis animæ gloria ad corpus non redundaret, factum id esse ait ex divina dispensatione, ut in corpore passibili Christus Redemptionis nostræ mysteria adimpleret. Cum igitur numquam ea potestate Christus caruerit transfundendi in corpus animæ gloriam, eam potestatem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtatem in Transfiguratione exercuit: *Non tamen per hoc adempta eſt Chriſto poteſtas derivandi gloriam animæ ad corpus. Et hoc quidem fecit quantum ad gloriæ claritatem in Transfiguratione.*

Diſcrimen inter claritatem corporis glorificati, & ſplendorem Chriſti Transfigurati.

5. Illud tamen diſcrimen inter claritatem corporis glorificati, & claritatem corporis Chriſti Transfigurati intercedebat, quod glorificati corporis claritas eſt qualitas immanens; claritas vero in Transfiguratione Chriſti corpus afficiebat per modum qualitatis tranſeuntis, ut docet D. Thom. loco cit. *Nam ad Corpus glorificatum redundat qualitas ab anima, ſicut qualitas quædam permanens Corpus afficiens: unde fulgere corporaliter non eſt miraculoſum in corpore glorioſo. Sed ad Corpus Chriſti in Transfiguratione derivata eſt claritas a Divinitate, & Anima ejus non per modum qualitatis immanentis & afficientis ipſum corpus, ſed magis per modum paſſionis tranſeuntis, ſicut cum aer illuminatur a ſole: unde ille fulgor tunc in Corpore Chriſti apparens miraculoſus fuit, ſicut & hoc ipſum, quod ambulavit ſuper undas maris.*

Duplex in Transfiguratione miraculum.

6. Duplex vero in Transfiguratione fuit miraculum: alterum, quod non uſque a Conceptione Corpus Chriſti ſplendidum fuerit, & effuſio gloriæ ab anima in Corpus, cui tamquam immanens qualitas inhærere debuerat, impedita fuerit. Alterum, quod idem Corpus, quamvis paſſibile, in Transfiguratione ſplendidum fuerit; & quamvis Deus naturæ Auctor ſtatuiſſet, ne gloria animæ Chriſti, dum eſſet in hac vita, ad corpus pertingeret, ut ejus cruciatibus & Paſſione humanum genus redimeretur; tamen voluit, ut in Transfiguratione ad faciem, manus, pedes, & cætera membra gloria animæ permearet: ut docuimus lib. 4. de Canonizat. par. 1. cap. 26. num. 12.

D. Matthæi locus, ex quo elici poſſe videtur tempus, quo contigit Transfiguratio.

7. Dixerat Dominus Jeſus Diſcipulis, ſibi Hieroſolymam proficiſcendum, plurimos ſubeundos cruciatus, & mortem oppetendam, ac poſt triduum ſe rediturum ad vitam, eoque ad Crucem ſubeundam eſt cohortatus, æternamque vitam per contemptum vitæ hujus conſequendam. *Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportet, eum ire Hieroſolymam, & multa pati a ſenioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere*, & quæ ſequuntur apud Matthæum cap. 16. v. 21. cui conſonant Marcus cap. 7. & Lucas cap. 9.

Videtur Chriſtus paullo ante Paſſionem transfiguratus. Diſſenſus aliquis apparet inter Evangeliſtas.

8. Ex quibus colligi videtur, Transfigurationem haud multo ante Paſſionem contigiſſe, ut advertit Baronius. Narrat Matthæus c. 17. v. 1. poſt dies ſex aſſumpſiſſe Jeſum ſecum Petrum, Jacobum, & Joannem, & in excelſum montem adduxiſſe, ubi poſtea transfiguratus eſt: *Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & deducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Ad eundem modum Marcus cap. 9. v. 1. *Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis.* Verum Lucas cap. 9. v. 28. octo dies, non ſex, inter illum Chriſti ſermonem, & Transfigurationem interjicit. *Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & aſcendit in montem, ut oraret; & facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera, & veſtitus ejus albus & refulgens*; quæ pugnare videntur cum aliis Evangeliſtis.

Oſtenditur Evangeliſtarum concordia.

9. Sed omnis tollitur difficultas: nam ut bene advertit S. Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. cap. 56. Matthæus, & Marcus neque ipſum diem, quo Chriſtus eum ad Diſcipulos ſermonem habuit, neque diem, quo eum iis ſe ad montem contulit, numerant; Lucas vero utrumque cum ſex aliis diebus conjungit; ex quo fit, ut ii ſex tantum dies referant, Lucas autem octo. Vide Lamy Concord. Evangel. lib. 4. cap. 19.

Qui Mons ille fuerit, ubi transfiguratus eſt Jeſus.

10. Quinam vero Mons ille fuerit, ubi transfiguratus eſt Chriſtus, Evangeliſtarum tradit nemo. Quidam putant, montem hunc eſſe Olivarum; quod ex ipſis Evangeliſtarum verbis rejici poſſe videtur, qui montem illum excelſum fuiſſe dicunt; Mons vero Oliveti tumulus potius erat, quam mons. Alii putant, eum montem haud multum abeſſe a Lacu Geneſareth. Nos vero cum Hieronymo, Cyrillo Hieroſolymitano & Damaſceno, Transfigurationem in Monte Thabor exiſtimamus contigiſſe, ut etiam dixiximus de Canonizat. lib. 4. par. 1. cap. 26. num. 9. Scribit Nicephorus Eccl. Hiſt. lib. 8. cap. 30. in eo Monte a S. Helena in honorem trium Apoſtolorum, qui Transfigurationi adfuerunt, Templum fuiſſe extructum. Joſephus lib. 4. cap. 2. narrat, multos poſt annos quandam veluti arcem in eodem Monte Judæos excitaſſe, qua ſe adverſus Romanos tuerentur. Et Innoc. III. Epiſtola ad Chriſtianos pro Terra Sancta recuperanda teſtatur, Saracenos ad Chriſtiani nominis injuriam arcem ibi ædificaſſe, qua vicinæ urbis Aconis potiundæ ſibi munirent viam. Verum *in præſentia omnia fere diruta*; ſunt verba Quareſmii Elucid. Terræ ſanctæ lib. 7. cap. 2. tom. 2.

Dicit Chriſtum transfigurari ex D. Thomæ.

11. Decuiſſe, ut Chriſtus transfiguraretur, probat D. Th. 3. p. qu. 45. art. 1. & egregie advertit, æquum fuiſſe, Chriſtum Diſcipulos ſuos de Paſſione ſua monitos cohortatum ad ſubeundos labores, cruciatus, & necem, terminum etiam iis innuere, quo per eas acerbitates perventuri eſſent; quemadmodum ſi quem ad iter aliquod aſperum ſuſcipiendum adhortemur, loci amœnitatem, quo tendit iter, illi ſolemus commonſtrare. Non animæ ſolum gloriam, qua vel a primo conceptus ſui momento præditus erat, ſed etiam Corporis per paſſionem ſuam conſequi Chriſtum oportebat. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Lucæ cap. ult. Eos quoque, qui paſſionis ſuæ ſequerentur exemplum, ad hanc gloriam vocabat: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Actor. cap. 14. Inde igitur eruitur, quæ Transfigurationis fuerit cauſa, ſcilicet ut ſpecimen ejus gloriæ exhiberetur, quam adepturi eſſent ii, qui propter Chriſtum labores adirent, ac mortem oppeterent, ut concludit idem S. Doctor.

Cur Chriſtus non omnes, ſed tres tantum Apoſtolos ſecum duxerit.

12. Transfigurationis loco, tempore, & cauſa explicatis, reliqua perſequamur, quæ quaſi quædam adjuncta eam comitantur. Tres tantummodo, ut diximus, diſcipuli adfuere, Petrus, Jacobus, & Joannes, quos Dominus Jeſus ſecum adduxerat. Illud quæritur, quamobrem non omnes ſecum adduxerit, ſed tres illos tantum ex omnibus elegerit. D. Thomas loco cit. ar. 3. ad quartum ait, tres ſolummodo a Chriſto adductos Transfigurationis fuiſſe teſtes, quia non omnibus profunda myſteria ſunt revelanda, ſed paucis quibuſdam, qui ea cæteris omnibus enuncient. Selecti vero ex omnibus Petrus ob præcipuum ejus in Jeſum Chriſtum amorem, & ob excellentem ejus poteſtatem ab illo ſibi tributam; Joannes ob amorem, quo eum Chriſtus Dominus complectebatur, ob ejus virginitatem, & Evangelicæ doctrinæ excellentiam; Jacobus *propter prærogativam martyrii*; ut ait idem S. Doctor, ſeu, quod idem eſt, quia primus Apoſtolo-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtolorum propter Jeſum mortem perpeſsus eſt; ut apud Baronium ad an. Chr. 44. n. 1.

Iidem tres Apoſtoli teſtes mœroris in Jeſu in Gethſemani.

13. Iidem tres illi Apoſtoli tamquam teſtes vocati ſunt mœroris, quo correptus eſt Jeſus in horto Gethſemani. *Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe*, Matth. cap. 26. v. 37. fratres enim erant Jacobus, & Joannes, quorum pater Zebedæus, eodem Matthæo teſte cap. 4. v. 21. *Vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos.*

Cur adhibiti in Transfiguratione Teſtes Moyſes, & Elias.

14. Narrant Matthæus, Marcus, & Lucas in Transfiguratione Chriſto adſtitiſse Moyſem, & Eliam cum eo loquentes. Qua in re quæritur, cur in Transfiguratione duo ſint adhibiti teſtes ex veteri Teſtamento? D. Thomas loc. cit. ar. 3. eam affert rationem, *quod ad gloriam æternæ beatitudinis adducuntur homines per Chriſtum, non ſolum qui poſt eum fuerunt, ſed etiam qui eum præceſſerunt*. Quæritur itidem, cur ex omnibus, qui ſunt ex veteri Teſtamento, Moyſem, & Eliam Chriſtus teſtes adhibuerit gloriæ ſuæ; & idem S. Doctor eodem loco *ad tertium* ex Chryſoſtomo ſex rationes affert; quas inter ea ſane videtur optima, quod Moyſe, & Elia cum Chriſto loquentibus de futura ipſius Paſſione & morte, *dicebant exceſſum ejus quem completurus erat in Hieruſalem*, Diſcipulorum animi confirmabantur; inductique ſunt propterea duo illi Prophetæ, quia alter Pharaoni; alter Achabo non ſine vitæ periculo reſtiterunt.

An hi eſſent proprio præditi corpore?

15. Quæritur denique, an Moyſes, & Elias proprio prædíti eſſent corpore; an corpus apparens aſſumpſerint; & quonam demum indicio a tribus Apoſtolis cognoſci potuerint. Quod attinet ad Eliam, cum fide divina compertum habeamus, illum in terra cœleſtem vitam degere, ab Angelo quodam par eſt credere illum inde, ubi erat, in Thabor eſſe translatum. De Moyſe vero, qui certe mortuus erat, Deuteron. c. 34. verſ. 5. res minus explorata. Quidam putant, animam corpori ejus adjunctam; eumque poſt Transfigurationem rurſus mortem obiiſſe. Ita Scotus in 4. ſentent. Diſtinct. 43. quæſt. 2. artic. 1. *Moyſes in Transfiguratione Domini reſurrexit ſecundum veriorem opinionem, quæ eſt Hieronymi ſuper Matthæum cap. 17. nam poſtquam Evangeliſta ait, apparuiſſe illic Moyſem, non ſatis eſt, ut apparuerit in corpore aereo, ut quibuſdam placet, quia non eſſet ille Moyſes, niſi in ſuo proprio corpore, cui anima uniretur, apparuiſſet: & tamen non dubitatur, quin poſtea fuerit mortuus; quia abſurdum eſſet concedere, Moyſem in vitam perpetuam prius Chriſto reſurrexiſſe*. Idem docet Suarez tom. 2. in 3. par. q. 45. art. 3. diſput. 32. ſect. 2. Sed nos libentiſſime D. Thomæ ſubſcribimus, qui Moyſis animam docet, quemadmodum Angeli ſolent, per aſſumptum corpus apparuiſſe, cit. art. 3. *ad ſecundum*. Unde autem Apoſtoli indicium habuerint, eos, qui cum Chriſto loquebantur, eſſe Moyſem, & Eliam, illud eſſe potuit, vel quod eos Chriſtus ſuo quemque nomine appellaverit; vel quod eorum quænam fuerit facies, Apoſtoli a majoribus ſuis acceperint; veriſimile enim eſt, quemadmodum apud nos eſt aliqua de alicujus Apoſtoli facie in Eccleſia traditio, ita apud Hebræos Moyſis, & Eliæ faciem traditione cognitam fuiſſe. Vide Calmetum in cap. 17. Matth. num. 3.

Verba D. Petri in Transfiguratione expenduntur. Pulchre D. Ambroſius de illis judicavit.

16. Narrat Matthæus cit. cap. 17. v. 4. Petrum poſtquam apparuere Moyſes, & Elias, dixiſſe: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria Tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum*. Et conſonat Marcus cap. 9. v. 5. qui hæc addit: *Non enim ſciebat* (Petrus) *quid diceret; erant enim* (Apoſtoli omnes) *timore exterriti*. Idem refert Lucas cap. 9. v. 33. *neſciens quid diceret*. Ea vero Petrus dixit verba, ubi vidit Moyſem, & Eliam illinc diſcedere: *Et factum eſt, cum diſcederent ab illo, ait Petrus ad Jeſum &c.* verba ſunt D. Lucæ. In eum modum loquutus eſt Petrus, quia ad illud ſpectaculum lætitia abreptus & gaudio putabat, ſe poſſe Moyſem, & Eliam retinere, ne abirent; neque conſideravit, nihil ſanctiſſimis illis æternæ gloriæ candidatis opus eſſe tentoriis, ſeu mapalibus ex frondibus ramiſque contextis; nonniſi poſt mortem introeundum Chriſto in eam permanentem gloriam, de qua cum Moyſe, & Elia loquebatur; nec prius diſcipulos eam gloriam conſequuturos, quam plurimos labores exantlaſſent. Si verbis textus hæreamus, videtur Petrus interrogatus a Chriſto ea verba reſpondiſſe: *Reſpondens autem Petrus dixit ad Jeſum*. Sed Hebraicæ linguæ periti obſervant, *reſpondere* idem eſſe, ac *dicere* apud Hebræos. Quod vero Petrus non ſui compos eſſet, cum ea loquutus eſt, putat Origenes, illum maligno afflatum ſpiritu in ea verba erupiſſe. Chryſoſtomus exiſtimat, Petro tum defuiſſe ſupernaturale illud lumen, quo Chriſti Divinitatem agnoverat. Contra Tertullianus arbitratus eſt, Petrum in eeſtaſim raptum; quas opiniones omnes recenſet Calmetus in cap. 17. verſ. 5. Matthæi. Pulcherrima vero eſt D. Ambroſii animadverſio in Lucam cap. 9. Petrum videlicet a vivido ingenio, & devotionis ſuæ ardore abreptum fuiſſe, quod neſciret, quonam alio demum pacto gratum animum, & amorem ſuum in Deum declararet. *Non inconſulta petulantia, ſed præmatura devotio fructum pietatis accumulat. Nam, quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, devotionis.*

Vox de nube: Hic eſt Filius meus Dilectus &c. Locus ex 2. Epiſt. D. Petri explanatus.

17. Moyſes, & Elias jam inde abierant, ut bene animadvertunt Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii; necdum Petrus loqui deſierat, cum ex nube fulgida Dei vox erupit, qui Chriſtum dixit Filium ſuum eſſe dilectum; animum propterea ad ejus dicta attenderent. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos; & ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite*. Verba ſunt S. Matthæi cap. 17. cum quo conſentiunt Marcus & Lucas c. 9. Id ipſum attigit D. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. v. 16. *Non enim doctas fabulas ſequuti notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſcemodi a magnifica gloria; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite: Et hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto; & habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris*. Loquitur ibi S. Petrus de Chriſti Transfiguratione. Profitetur, ſe non doctas fabulas, ideſt non callide excogitatas venditare. Refert vocem æterni Patris. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite*. Quæ verba etſi abſunt a Græcis Codicibus, tamen in omnibus Latinis vulgatæ editionis reperiuntur. Ac teſtimonium ea de re tres perhibent Evangeliſtæ, quibus Spiritus Sanctus voluit, ut veluti quartus Evangeliſta accederet S. Petrus, quo Transfiguratio Chriſti cum omnibus, quæ eam circumſtetere, teſtatior fieret & illuſtrior.

Idem Apostolus ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem:* quod quidem magnam difficultatem parit. Certissimum enim est Dei Patris loquentis testimonium; nec minor Apostolorum in re aliqua testanda, quam Prophetarum fides; ut ægre intelligatur, quanam demum ratione D. Petrus plus auctoritatis tribuat dicto Prophetarum, quam ipsius Dei Patris voci, & Apostolorum testimonio.

Cur eam vocem audiri Deus voluerit, postquam abierunt Moyses, & Elias.

18. Verum, quod observat Estius ad hunc locum, S. Petrus ad Judæos scribebat; quos cum vellet confirmare, primo vocem Dei Patris de Cœlo auditam affert; deinde illam testimonio suo, aliorumque duorum testimonio confirmat: & quoniam majorem esse noverat apud Hebræos Prophetarum existimationem, quam Apostolorum postremo loco Prophetarum testimonium profert, forsan ad illa Psalmi respiciens, *Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Quamobrem D. Augustinus sermone 43. alias 27. *De verbis apostoli* cap. 4. acute observat, non dixisse Petrum, Prophetarum sermonem meliorem esse, sive veriorem, sed certiorem. *Certiorem sane dicit; certiorem, non meliorem, non veriorem.* Et certiorem quidem, firmioremque non in se, sed habito respectu ad auditores. *Quid est ergo, certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor?* Ut autem ad historiam regrediamur, non prius audiri voluit vocem suam Deus, quam Moyses, & Elias abiissent, ut perspectum esset omnibus, se de Christo tantum loqui. Deum sæpe legimus in Veteri Testamento in nube se conspicuum exhibuisse, atque inde esse loquutum. Hoc modo in Tabernaculo cum Moyse, & in Templo cum Salomone sermonem habuit; in Testamento novo nube obvolutus ad Cœlum ascendit, & in nube itidem redibit judicaturus vivos, & mortuos. Sed quæ in Veteri Testamento Dei præsentiam *indicabat*, atra nubes erat; *status enim rerum erat ejusmodi*, ut umbræ omnia essent & figuræ omnia plena formidinis: nubes vero, cui Deus, & Christus insidet in Testamento novo, lumine & fulgore micat; omnia enim in eo statu sunt, ut undique illustratæ veritatis lumen affulgeat, amor & dilectio cuncta moveat & gubernet. D. Thomas cit. qu. 45. art. 4. rationes affert, cur Deus voluerit suam vocem in Filii sui Transfiguratione audiri; super qua re extat etiam Leonis Magni Homilia 94. sane pulchra de *Transfiguratione Domini*.

Vetat Jesus, ne quisquam Apostolorum, quod viderint, enunciarent. Explic. Christi verba de Adventu Eliæ.

19. Evangelica denique de Transfiguratione historia narrat, Discipulorum animos, qui metu essent exterriti, a Christo Jesu esse erectos, veritumque omnibus, ne quis ea de re, priusquam ipse rediisset ad vitam, quidquam enunciaret: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Id enim si ante Christi mortem evulgatum esset, observat D. Thomas sequutus Hieronymum art. 3. *ad quartum*, fuisse futurum, ut vel a populis ejus mors impediretur, vel ut rudes & imperiti, qui eum turpissimæ neci deditum in Crucis patibulo vidissent, scandalum paterentur. Narrat S. Matthæus cap. 17. v. 10. Christum fuisse interrogatum a Discipulis: *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire?* Cum quo concordat S. Marcus cap. 9. Communis Judæorum erat opinio, futurum ut Messia prior veniret Elias; quamobrem Thryphon Judæus in Dialogo cum Justino Martyre profert Judæorum doctrinam, qua probare nititur, nondum veniisse Eliam. *Christus siquidem natus est, & alicubi extat; ignotus est, ac ne ipse quidem se ipsum scit; neque potestate aliqua præditus est, donec adveniens Elias illum unxerit, & manifestum omnibus reddiderit.* Credebant Apostoli Christum esse Messiam: quia vero nondum Eliam venisse viderant, ut faceret quod illum facere oporteret, sed apparuisse tantum; propterea interrogarunt: Quid igitur ajunt Scribæ, oportere primum, ut ante Messiam veniat Elias? Quibus Christus ad hunc modum respondit, ut est apud S. Matthæum loc. cit. v. 11. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis.* Et apud Marcum eodem c. 9. v. 11. *Elias cum venerit primo, restituet omnia, & quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi, quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.* Eliam, qui venisset Christus Jesus intelligit Joannem Baptistam, & hunc eundem intellexerunt Apostoli, ut tradit Matthæus: *Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Eliam vero cum ait esse venturum, Prophetam illum intelligit, de quo scribit Malachias cap. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Sane Joanni Baptistæ jure optimo Eliæ nomen tribui poterat, quia *in spiritu & virtute Eliæ jam venerat*, ut fuse Maldonatus in cap. 17. Matthæi num. 11.

Falso vulgus credit, hanc Festivitatem a Callixto III. institutam.

20. Reliquum est ut de Transfigurationis solemnitate verba faciamus. Institutam eam a Callixto III. vulgus existimat, in nobilissimæ victoriæ memoriam, qua Rex Huniades Turcarum delevit exercitum. Id vero falsum esse ex eo palam fit, quod Bononiæ sexta Augusti die obiit S. Dominicus anno 1221. At Gregorius IX. in ejus Canonizationis Bulla jussit, die quinta Augusti Festivitatem ejusdem Sancti celebrari, ne in illum diem incideret, qui Transfigurationis solemnitati præscriptus erat, ut observat Pagius tom. 3. in Vita Gregorii IX. num. 32. & eruditus vir P. Bremondus in Notis ad Constitut. 108. Gregorii IX. in novo Bullario Frat. Ordinis Prædicatorum tom. 1. pag. 68. Nunc vero S. Dominici Festus dies est pridie Nonas Augusti jussu Pauli IV. Nonis enim Augusti Festus dies celebratur S. Mariæ ad Nives, ut patet ex illius Pontificis Constitutione 13. in eodem Bullario tom. 5. Itaque jussu Gregorii IX. celebranda erat S. Dominici Festivitas quinta die Augusti, quod dies insequens Transfigurationis solemnitati esset addictus. Cum autem Gregorius IX. Callixto III. longe antiquior sit, manifestum est, falso affirmari Transfigurationis Festivitatem a Callixto esse institutam.

Notatur hæc Solemnitas ad diem 6. Aug. in Martyrologio Hieronymiano Florentinii, & Græcorum Menologio.

21. In Martyrologio seu Calendario Hieronymiano apud Florentinium pag. 736. legitur: *Octavo Idus Sixti Episcopi, Felicissimi, & Agapiti, & Transfiguratio Domini.* Et in Menologio Græcorum jussu Basilii Imperatoris edito die sexta Augusti Transfigurationis Domini memoria recolitur.

Locus ex Constitutione Callixti III. de Institutione hujus Solemnitatis.

22. Raynaldus ad ann. Christi 1457. nu. 78. Decretales affert Callixti III. litteras, quæ huc spectant. Pontifex in secreto & pubblico Consistorio cum Cardinalibus, aliisque Romanæ Curiæ Prælatis *de eorum consilio instituit, ut præter communem, quam de ipso excellenti miraculo (Transfiguratione Domini) Sabbatho primæ Hebdomadæ quadragesimalis jejunii, & sequenti Dominica commemorationem universalis facit Ecclesia, propria in honorem ejusdem Salvatoris solemnior per universum Orbem, videlicet Octavo Idus Augusti, quæ est sexta dies ejusdem, annuatim ab uni-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

universis fidelibus hæc Sacrosancta festivitas celebretur. Idem etiam Pontifex Officium composuit; nam in iisdem litteris Decretalibus Indulgentias concedit iis, qui in Vigilia, & ipso Festivitatis die ad Vesperas, ad Matutinum, & ad Missam, quæ recentissime composita fuerant, adessent. Extat etiam apud Raynald. loc. cit. num. 80. Callixti ad Cardinalem Carvajal in Hungaria & Germania Legatum Epistola hujusmodi: *Bullam Festivitatis gloriosissimæ Transfigurationis Salvatoris nostri Jesu Christi, quam edidimus simul cum Officio, jam nuper tibi misimus, ut eam per Civitates & loca decentia tuæ Legationis solemniter faceres publicari & observari*. Ejus Officii veteribus expunctis Hymnis & Lectionibus primi & secundi Nocturni, novas substituit S. Pius V. ut observat Gavantus de Festis Sanctorum mense Augusto sect. 7. cap. 10. num. 6.

Festivitas ante Callixto vetustior. Quid Callixtus fecerit amplius, non constat ex Scriptoribus.

23. Complura Galesinius affert in Martyrologio argumenta, quibus hanc Festivitatem Callixto III. antiquiorem probat; verum Bullæ conquiescendum esse concludit. Callixto tamquam auctori Officium hujus diei tribuit Platina in ejus vita; idem habetur in Vita ejus Pontificis tom. 13. Concil. Collect. Labbeanæ pag. 1391. & apud Cave de Scriptoribus Ecclesiasticis in Sæculo Synodali pag. 113. edit. Geneven. 1705. Baronius in Notis ad Martyrolog. die sexta Augusti, vetustiorem ait esse hanc Solemnitatem Callixto, qui tamen Officium de ea recitari jusserit. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 5. n. 14. putat. Callixtum hunc festum diem, de quo tantum Officium recitaretur, ex præcepto celebrari jussisse. Et Bailletus existimat, Callixtum ad universalem Ecclesiam hanc extendisse Solemnitatem.

Adstruitur in ea re sententia. Indulgentiæ a Callixto concessæ.

24. Nos ita concludimus, certum illud esse, ante Callixtum III. in aliquibus Ecclesiis Transfigurationis Festum celebrari consuevisse, & quidem solemniter, ut præter ea, quæ supra attulimus, colligitur ex iis, quæ congerunt Thomassinus de Dier. Festor. celebratione lib. 2. c. 14. num. 19. & Martene cap. 33. num. 17. Deinde dicimus, Sabbatho primæ Hebdomadæ Quadragesimæ, & Dominica consequente in universa Ecclesia Transfigurationem Domini commemorari solitam: in iis enim diebus legebatur Evangelium, quo Mysterium illud continetur; idque jam a Callixti III. temporibus; ut ex verbis apparet ejusdem Pontificis, quæ dudum attulimus, & ex Durando in Ration. Divin. Offic. l. 4. c. 22. Postremo dicimus, Callixtum ad divinam opem adversus Turcas implorandam, qui Christianam Rempublicam divexabant, peculiarem Transfigurationis Festivitatem die sexta August. in universa Catholica Ecclesia celebrari, Officiumque recitari jussisse, ut ex allatis monumentis, & ipsa Callixti Bulla perspicuum est. Post S. Antoninum, Bellarminum, & Azorium observavit Casalius de Veter. Sacris Christianor. Rit. Rom. edit. anno 1647. pag. 422. Callixtum III. iis Indulgentiam concessisse, qui in die, quo celebratur Christi Transfiguratio, Officio Divino interfuerint, eodem plane modo, quo concessa illis fuit Indulgentia, qui Officio divino interfint in die Festo Corporis Christi. Et Gretserus de Festis lib. 1. cap. 21. ait, Transfigurationis Festum esse apud Græcos Festum Chori, & Fori; apud Latinos vero Festum Chori duntaxat; eamque Festivitatem ætate priorem esse Callixto III.

CAPUT XVI.

De Festo Exaltationis Sanctissimæ Crucis die 14. Septembris.

Chosroas Persarum Rex Phocæ bellum infert.

1. POstridie Idus Septembris Sanctissimæ Crucis celebratur Exaltatio, Mauritio Imperatore anno 602. ejusque liberis nefaria Phocæ perfidia interemptis, Chosroas Persarum Rex, quicum Mauritius necessitudine fuerat conjunctus, ulciscendam sibi ratus eam indignissimam necem, bello adversus Phocam indicto, bene rem gessit. Sed cum, sublato tyranno, adversus, Heraclium Imperatorem, qui Phocæ successerat bellum produceret, satis declaravit, suscipiendi sibi belli non ultionem interfecti Principis veram fuisse causam, sed amplificandi regni cupiditatem.

Imperii vices fracta sub Phoca. Hierosolyma incensa. Crux Christi Christianis erepta.

2. Multum sub Phoca de Imperii viribus imminutum; qua usus occasione Chosroas plures Civitates diripuit, multosque in servitutem abductos in diversas Regni Persarum regiones distribuit: & anno 624. Hierosolymam expugnatam incendit, plurimos Christianos cum Zacharia Patriarcha captos Hebræis vendidit, accessitque tamquam miseriarum cumulus, quod sancta Crux abacta, & in hostium regiones avecta, Cresphonte, quæ urbs ad Tigrim sita est, tamquam pretiosissimum ex omnibus spoliis, quæ Persæ a Christianis retulissent, collocata est.

Crux ab ipsis Persis honorifice custodita.

3. Crux quodammodo captiva ab ipsis tamen hostibus honorifice est habita. Suidas enim testatur in Vita Heraclii, Chosroam ne ausum quidem fuisse illam ex theca, ubi condita erat, movere; parique apud Persas, qua Hierosolymæ, diligentia & custodia servatam. Multa etiam Deus edidit miracula, quibus complures Infideles admiratione perculsi Christianam amplexi sunt Fidem; pluraque etiam præter naturæ ordinem evenere, quæ incredibilem bonitatem Jesu Christi, & potentiam declararunt, qui in ea Cruce, ut redimeret genus humanum, vitam devoverat.

Actum frustra de conciliando pace Heraclium inter & Chosroam.

4. Nec Hierosolyma capta, ab armis Chosroas destitit; sed sese ulterius inferens omnes fere Orientis provincias igne ferroque vastavit; eumque in Africam trajecisset, reliquis Provinciis, quæ ex Romano Imperio supererant, minitabatur. Heraclius, cui pares resistendo vires non suppeterent, a victore pacem petere coactus est. Verum nulla pax conciliari potuit; sive Chosroas agi de ea noluerit; sive, ut nonnullis traditur, iniquissimas pacis conditiones ferret, quarum ea præcipua, ut Christianorum Fide undique convulsa, Persarum Religio in provincias inveheretur.

Heraclius exercitum Persarum fundit. Chosroam Siroes filius in vincula conjicit, fratrem ante os suum obtruncari jubet.

5. Neque tamen Heraclius, licet in ejusmodi angustias compulsus esset, ac militum paucitate laboraret, animo concidit; sed exiguis iis, quas habebat, copiis comparatis, Dei fretus ope, signis collatis, deleto Chosroæ exercitu, pridie Idus Decembris anno 627. maximam victoriam reportavit. Æger tum temporis Chosroas dysenteria laborabat; ac sibi mortem, vel captivitatem veritus, Madarsem, seu Mardesanem, minorem natu filium, quem amabat plurimum, socium imperii sibi adscivit. Id Siroem natu maximum filium ambitione flagrantem eo furoris impulit, ut captum apud Seleuciam patrem in vincula conjecerit, fratrem recens creatum Regem ante os suum trucidari jusserit, diuque miserum parentem indignissime tractaverit usque ad ejus mortem, quæ pridie Kal. Martii 628. contigit.

Siroes ab Heraclio

6. Sed cum revolveret animo, quibus artibus re-

pacem petit. Inter pacis conditiones ea dicta est conditio, ut Crucem Siroes redderet.

regnum adeptus esset, ad illud retinendum alicujus ope, & amicitia sibi opus esse ratus, pacem ab Heraclio petiit. Conditiones Heraclius apposuit cujusmodi victores victis ferre solent: inter eas Crucem Domini reddendam. Siroes in eadem argentea theca Crucem Heraclio remisit, in quam Helena conjecerat, ut vidimus cum de Festo Inventionis disseruimus; quosque pater in servitium abduxerat dimisit. In iis fuit Zacharias Patriarcha Hierosolymitanus, qui ad suam rediens Ecclesiam Crucem ipse secum retulit.

Heraclius Constantinopoli lætis acclamationibus exceptus. Ob recuperatam Crucem nummus percussus. Heraclius in Calvario, unde amota fuerat, Crucem collocat.

7. Heraclium multis magnique momenti negotiis Constantinopolim revocatum, omnibus lætitiæ significationibus veluti triumphantem populus excepit; percussaque & in vulgus jactata numismata in altera parte cum Heraclii imagine, in altera cum Cruce ab hostibus recepta. Interea vero in Syriam se contulit, ut res Orientis componeret; ac in sanctis Hierosolymæ locis reparandis, Ministris Ecclesiasticis præficiendis, eaque Ecclesia multis donis locupletanda plurimum studii, pecuniæque consumpsit, ut superiorum calamitatum memoriam deleret. Sed Crucem ad Calvarium, unde amota fuerat, volentem reportare, occulta quædam vis retinuit, ut ne unum quidem passum potuerit progredi. Zacharias Patriarcha cum Heraclium vidisset auro & gemmis ornatum: Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu in Cruce ferenda parum Jesu Christi paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius, detractis calceis, ac plebejo indutus amictu, reliquum viæ confecit, & in eodem Calvariæ loco Crucem statuit, unde Persæ asportaverant.

Heraclius pietatis suæ edita exempla hæresi maculavit. Turcis in Imperium ingruentibus, Crucem Constantinopolim asportari jubet.

8. Quæ omnia veræ pietatis Heraclii sane certa fuerunt indicia. A qua tamen paullo post Anastasii Jacobitarum Patriarchæ deceptus consiliis Imperator descivit, & causatus, se Chalcedonensem tueri Synodum velle, Monothelitarum hæresim a Cyro Constantinopolitano, & Sergio Alexandrino Episcopis excitatam propugnavit, qui unam tantum in Christo voluntatem & operationem statuebant. Ac per illa tempora cum se in Fidei quæstionibus immisceret, voluit Deus pœnas ab eo repetere. Mehemeti enim successores Syriam, Ægyptum, & Palestinam Romano Imperio ademerunt; captamque Hierosolymam tenuere quadringentis & sexaginta tribus annis usque ad Francorum expeditionem, qui eam urbem e barbarorum manu eripuere. Has tantas Heraclius calamitates antea prospexerat; itaque Crucem quadriennio antea Hierosolymæ collocatam Constantinopolim asportavit, & in Patriarchali S. Sophiæ Templo condidit. Publicæ salutare Lignum venerationi Fidelium in eadem Ecclesia exponebatur tribus postremis majoris Heddomadæ diebus; & Feria quidem quinta Imperator, Senatus, Magistratus, & Laici; Feria sexta Imperatrix, viduæ, & reliquæ fœminæ; Sabbatho Episcopus, Presbyteri, & Clerus universus ad eam adorandam se conferebant.

Ex his ortum est, non ut Festivitas instituretur, sed jam instituta ut celebraretur solemnius.

9. Suidas, Theophanes, & vetusti quidam Rituales libri, quos affert Baronius ad ann. Chr. 628. narrant ea, quæ supra retulimus. Eadem etiam narrant Lectiones Officii hujus diei in Breviario Romano; ubi non ex iis, quæ Heraclius gesserit, hanc Festivitatem traxisse originem legimus; sed ortam esse occasionem, ut Festivitas antea jam instituta solemnius celebraretur. *Itaque Exaltationis Sanctæ Crucis Solemnitas quæ hac die quotannis celebrabatur, illustrior haberi cœpit ob ejus rei memoriam, quod ibidem fuerit reposita ab Heraclio, ubi Salvatori primum fuerat constituta.*

Multo antea solemnitatem hanc celebratam esse constat.

10. Et sane nemo inficiari possit, multo ante Heraclium Exaltationis Sanctæ Crucis Solemnitatem ab Ecclesia esse celebratam. In Chronico Alexandrino habetur: *His Consulibus* (Dalmatio, & Anicio Paullino) *facta sunt Encænia Ecclesiæ S. Crucis a Constantino sub Macario Episcopo Septembris XVII. Inde cœpit Festum Manifestationis S. Crucis*. Ubi advertendum est, mendum irrepsisse in numeros. Cum enim legeretur 14. secunda & tertia nota perperam coiere. Itaque in Græcorum Menologio apud Canisium tom. 2. Lect. Antiquar. ad diem 14. Septembr. hæc habentur: *Exaltatio pretiosæ & vivificæ Crucis sub Imperatore Costantino Magno*. Hujus festivitatis meminit etiam, qui paullo post Constantinum vixit Chrysostomus Homil. 51. tom. 1. quam habuit quarto nonas Octobris. *Nondum elapsi sunt dies viginti, ex quo memoriam Crucis celebravimus, & ecce Martyrum memoriam celebramus*.

In Oriente ante Heraclium celebratam docent Baronius, & Thomassinus.

11. Ex his apparet monumentis, in Orientali Ecclesia multo ante Heraclii tempora Exaltationem S. Crucis in memoriam eorum, quæ Constantino contigerunt, esse celebratam, de quibus ad diem tertiam Maji fuse disseruimus. Idem observavit Baronius in Notis ad Martyrologium ad diem 14. Sept. & Sollerius ad Martyrologium Usuardi. *De illius Festi antiquitate, celebritate, aliisque eodem spectantibus videndi inter cæteros Baronius, & Florentinius, qui merito censent; Exaltationem S. Crucis Heraclio vetustiorem habere originem, & , si Castellano credimus, ducentis & quadraginta annis ante illius Imperatoris tempora saltem Hierosolymis institutam esse. Hinc forte apud Hieronymianos Codices, Bedam & Rabanum, nulla Heraclii facta mentione, simpliciter legitur, Exaltatio S. Crucis*. Videantur Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 179. Florentinius ad suum Martyrologium, & Martene cap. 34. num. 18.

In Occidente penitus ignoratum Heraclii tempora apparet ex Sacramentario S. Gregorii. Pars Crucis a Sergio Papa reportata in Vaticanam Basilicæ Sacrario. Sequuta Festivitas Exaltationis ac Festivitate Inventionis, & sua cuique dies constituta.

12. Idem de Occidentali Ecclesia testatur Thomassinus de dier. Festor. Celebrat. lib. 2. cap. 21. *Exaltationem Crucis ejusdem tam Latina, quam Græca Ecclesia multo ante Heraclium Imperatorem coluit, quod conspiciendam se præbuerit Constantino*. De ea meminit Sacramentarium S. Gregorii; ex quo intelligi potest, ante Heraclium Occidentalem Ecclesiam S. Crucis Exaltationem celebrasse. Sexaginta vero annis post ereptam ab Heraclio e Barbarorum manibus Crucem, Sergium Pontificem narrat liber Pontificalis divinitus afflatum capsam quandam, quæ in Sacrario Basilicæ S. Petri jacebat, aperiri jussisse. Qua constaret materia propter vetustatem non potuisse primum cognosci; deprehensam postea argenteam; ibi Crucem repertam esse gemmis ornatam, in qua ejus Crucis magna pars erat inserta, cui Christus fuerat affixus; & ejus Pontificis jussu singulis annis in Lateranensi Basilica ipso Exaltationis die publicæ veneration exponi solitam. In Usuardi Martyrologio ad diem 14. Septemb. utrumque conjungitur, & quod sub Heraclio, & quod sub Sergio contigit. Eadem Crux in Pontificii Sacelli Sacrario etiamnum asservatur, ut fuse probat Rocca tom. 1. pag. 453. noviss. edit. Neque vero ex iis, quæ sub Sergio sunt gesta, bene inferas, ab eo Pontifice hanc institutam esse Festivitatem: illud tamen eruitur, eo die, quo jam multo ante instituta Festivitas celebrabatur, Crucem publicæ veneration singulis annis Sergium exponi jussisse. Atque ut in compendium rem omnem conferamus, in utraque Orientis & Occidentis Ecclesia multo ante Heraclium Exaltatio S. Crucis celebra-

ba-

batur, quæ sub Heraclio facta est illustrior. Deinde Festivitas Inventionis a solemnitate Exaltationis sejuncta: quarum altera, quæ spectat ad Inventionem Crucis sub Constantino, 5. Non. Maji, altera, quæ refertur ad ea, quæ gessit Heraclius, postrid. Idus Septembr. celebrantur. Id apparet ex Lectionibus, quæ in earum Festivitatum Officia inseriæ sunt. Quæ Lectiones leguntur postridie Idus Septembris, eæ emendatæ fuere sub Pio V. & Clem. VIII. qui Exaltationem S. Crucis ad Ritum duplicis majoris extulit, teste Gavanto cap. 11. de Festis Sanctorum mense Septemb. nu. 14.

Aureus ille nummus Heraclii repertus in ruderibus Basilicæ Lateranensis. Explicatus a Battello Archiepiscopo Amasteno.

13. Aureum numisma Heraclii, quod apud Clementem XI. erat, erudite explicavit Joannes Christophorus Battellus Archiepiscopus Amastenus Dissertatione Romæ edita anno 1702. Nummum illum esse ferunt ex iis, qui reperti sunt in ruderibus Basilicæ Lateranensis sub Xisto V. cum Templum illud, proximumque Palatium magnificentius extruere cogitabat. Ejusmodi numismatum idem Pontifex meminit Constitut. 73. ex quibus eximiam colligit Heraclii pietatem in Basilica reparanda, & in Crucis cultu propagando quam suorum numismatum voluit esse signum, & suorum memoriam triumphorum.

Descriptio ipsius numismatis.

14. Est in adversa parte numismatis Heraclii caput diademate cinctum, quod familiare est Cæsaribus circa tempora Constantini. Supra diadema galea e pinnis assurgit, cui Crux est imposita. Circum Heraclii caput est epigraphe DN HERACLIUS PPA, hoc est, ut explicat Battellus, Dominus Noster Heraclius Perpetuus Augustus. In aversa parte est Crux patibulata. Circa eam legitur VICTORIA AUGUSTA; in inferiori parte sunt hæ litteræ CONOB.

Battelli explicatio. De Sancto Sacrilio, quo Calvarius mons continetur.

15. Battellus, qui nummum hunc suscepit explicandum, ostendit per eam Crucem patibulatam significari eam victoriam, quam a Persis raportavit. Percussum præterea ait nummum illum cum Cruce commissa & patibulata, ut aliquod mysterium eo veluti Symbolo innueretur, fortasse concors quatuor Evangelistarum historia de Cruce & Passione Christi, ejusque per quatuor Mundi plagas propagatio. Satis autem ex inscriptione VICTORIA AUGUSTA putat ostendi referendam eam Crucem ad Heraclii triumphum post Persas prælio fusos. Litteræ illæ CONOB ex ejusdem Auctoris sententia significant *Constantinopoli obsignata*. Atque huc conferre pauca hæc ex illa Dissertatione opportunum putavimus, dum de S. Crucis Exaltatione disseremus, ut viri memoriam renovaremus, cujus amicitiam, dum viveret, coluimus, & eruditionem plurimi fecimus. Nec sumus nescii, Ephemeridum Trevoltiensium Scriptoribus mense Augusto, 1704. non omnino ejusmodi explicationem probatam fuisse; quam tamen egregie propugnatam reperies in Italicis Ephemeridibus ann. 1715. tom. 22. quo Lectores remittimus, Quaresmius Elucidat. Terræ Sanctæ lib. 5. cap. 39. tom. 2. Sacellum describit, quo Calvarii montis locus continetur, & testatur ibi ad Australem plagam imaginem esse S. Helenæ cum Epigraphe: *Helena Regina*, cui ex adverso ad Borealem esse itidem imaginem Heraclii cum Epigraphe: *Heraclius Imperator*. Illa enim prima Crucem reperit; hic ex infidelium manibus eripuit. Gretserus & Trombellus, quos citavimus, cum de Festo Inventionis Crucis tractaremus, testimoniis veterum Scriptorum abunde congestis, qui traduni Heraclium Crucem infidelibus eripuisse, eam historiam vindicant ab Hæreticorum calumniis.

CAPUT XVII.

De Festo Die Natali Domini Jesu Christi 25. die Decembris.

Totius sermonis institutum & partitio.

1. NAtivitas Jesu Christi 8. Kalendas Januarii celebratur, cujus historiam describit Lucas cap. 2. Nos Evangelistæ verba identidem afferemus, atque ea, quæ Sacri adnotarunt ad illa verba Interpretes, exponemus. Deinde de hujus diei solemnitate sermonem habebimus, ac Primæ Operis hujus Parti finem imponemus. Scribit S. Lucas cap. 2. v. 1. *Factum est autem in diebus illis, exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino.*

Edictum Cæsaris de censendo Romano Imperio, ex Evangelio.

Cur de hoc censu nihil extet apud profanos Scriptores.

2. De ea descriptione sub Cæsare Augusto nihil reperias apud profanos rerum Scriptores; neque id mirum. Unam enim tantummodo ejus Imperatoris historiam habemus accurate scriptam, cujus pars decem admodum annos complectens, in qua descriptio ipsa contineri debuerat, interiit; ut bene advertunt Casaubonus exercit. in Baronium, Tillemont. Not. 2. ad Vitam Jesu Christi, & Calmerus in cap. 2. Lucæ num. 1. qui sapienter monet nihil de ea posse dubitari, tum quod de ea testimonium habemus Lucæ; tum quod Justinus Apologia secunda, & Tertullianus in Marcionem lib. 4. cap. 7. ejus descriptionis injecta mentione, Ethnicos, & Hæreticos ad Acta publica mittunt, quæ eo tempore adhuc extabant.

Non Judæa solum censa, sed universum Romanum Imperium.

3. Cum igitur descriptionem, quæ a Luca memoratur, dubitandum non sit factam esse jussu Cæsaris Augusti; & Evangelista scripserit exiisse Edictum, *ut describeretur universus orbis*, quæritur, num Judæa solum censa fuerit; sæpe enim in sacris pagiis universus orbis solam Judæam significat, ut Geneseos cap. 13. *Ecce universa terra coram te est*, & lib. 1. Regum cap. 30. *Qui cum duxissent eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ.* Vera tamen sententia est iis verbis totum Romanum contineri Imperium; quamobrem Hegesippus lib. 2. cap. 9. scribit: *Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur & definitur.*

Cur ea descriptio a D. Luca dicatur prima.

4. Universi Romani Imperii descriptionem scribit Lucas factam esse a Syriæ Præside Cyrino, eamque fuisse primam. Justinus Martyr in Dialogo adversus Tryphonem, idcirco primam a Luca appellari putat hanc descriptionem, quod tum primum a Romanis Judæa censa sit. Alii existimant, hanc fuisse totius Romani Imperii primam descriptionem, quæ antea, nondum pacato Imperio, fieri non potuerit. Sed de his inferius.

Cyrinus, Cyrenius, Cyrinius, & Kerinius, ut habent Græci Codices, ostenditur illius Præsidis nomen fuisse Cyrinum.

5. In Græcis Codicibus manuscriptis legitur Cyrenio, Cyrinio, & Kerinio; unde oritur quæstio, quodnam tandem sit ejus Præsidis Syriæ nomen, a quo descriptio hæc facta fuerit. Sed utcumque sit de hac controversia levis sane momenti, quisque profecto ex eorum nominum similitudine facile intelligere potest, Præsidis illius nomen fuisse Cyrinum. Majus opus est cum Lucæ Evangelio profanos Scriptores conciliare, ut fuse disputat Bineus De Natali Jesu Christi lib. 1. cap. 3. num. 7.

Difficultas conciliandi cum Evangel. profanos Scriptores.

6. Quintilium Varum postremo Herodis anno Judæam gubernasse scribit Tacitus lib. 5. *Post conciliandi mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Simon quidam regium nomen invaserat. Is a Quintilio Varo Syriam obtinente punitur.* Tertullianus contra Marcionem lib. 4. cap. 19. descriptionem fa-

factam esse testatur a Sentio Saturnino : *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum*. At Josephus lib. 16. Antiquit. cap. 13. & 14. tradit, Saturninum postremo Herodis anno provincia discessisse, quam Quintilius Varus susceperit, & Quintilio successisse Publium Sulpicium Quirinum, qui idem est cum Cyrino. Quam si chronologiam amplectamur, census ille totius Imperii non videtur factus, cum Jesus in lucem editus est, sed post decem ab Herodis morte annos, Archelao Judææ Rege in exilium pulso. Neque enim dubitari posse videtur, Herodem aut anno Christi natali, aut proxime posteriori e vita decessisse. Quamobrem Huetius demonstrat. Evangel. prop. 9. cap. 10. num. 9. *Anno ipso*, inquit, *quo natus est Christus Jesus, vel proximo certe obiisse Herodem optimorum Chronologorum sententia est*.

P. Danielis Huetii solutio.

7. Ab ea, quæ proposita est, difficultate se ut expediat vir ille omni laude alioqui dignissimus contendit, Sentium Saturninum Syriam quinquennium rexisse; & extremo Præfecturæ suæ tempore de censu per Syriam habendo mandatum a Cæsare habuisse: Censum vero primo in Italia finitimisque provinciis institutum procul dubio fuisse, & censuales tabulas prius Augustum cognovisse, quam in extremis Imperii finibus, remotisque locis, ut in Judæa confici juberet. His constitutis, putat Huetius, censum illum in Judæa, a Saturnino extremo suæ Præfecturæ anno cœptum Quintilium Varum continuasse, *qui, cum instaret operi; tum natus est Jesus Dominus*: sunt ipsius Huetii verba.

Rejicitur, quod sacros codices sollicitet.

8. Cui sententiæ, quæ Lucæ Evangelio adversatur, minime possumus assentiri. Cyrinum enim, non Quintilium memorat S. Lucas. Nam quod ait Huetius fieri potuisse, atque id sæpenumero contigisse, ut salva semper ea veneratione, quæ Sacris Codicibus est tribuenda, propter variantes Manuscriptorum Lectiones aliud pro alio nomen irrepserit, id omnino rejicimus: hac enim ratione via quædam nimis lata ad Sanctorum Evangeliorum, & utriusque Testamenti veritatem convellendam aperitur.

Alii Petavii & Grotii solutio.

9. Petavius & Grotius existimant, Cyrinum in Judæam & in Syriam cum extraordinaria jurisdictione missum, dum eam regeret Provinciam Saturninus vel Quintilius Varus. Idem cum iis sentit Natalis Alexander in cap. 2. Lucæ num. 2. licet eos non nominet. Atque hac ratione sane sublata videtur omnis difficultas. Si enim Cyrinus vir Consularis cum potestate extraordinaria missus est ab Augusto, ut conferet Judæam, Saturnino ejus Provinciæ Præside, ecce tibi jam Cyrinus Judæam descripsit, ut scribit Lucas, eaque descriptio vere dici potest facta sub Sentio Saturnino, quod testatur Tertullianus. Ad hæc si illud adjiciamus, duos a Cyrino census actos esse; alterum dum Herodes Rex adhuc viveret; alterum postquam Archelaus in exilium est pulsus; illum tranquillis pacatisque rebus; hunc dum Judas Gaulonita seditione, & turbis omnia misceret; illum extraordinaria; hunc ordinaria potestate, quam factus postea Syriæ Præses Cyrinus obtinebat; facile intelligitur, Josephi Chronologiam cum Luca bene componi, & verum esse, descriptionem a Cyrino factam anno Jesu Christi Natali ante Herodis obitum, ideoque Lucam bene scripsisse; *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cirino*, extraordinaria nimirum potestate; idcirco autem Cyrinum ab Evangelista Syriæ Præsidem appellari, non quod in prima descriptione eam Provinciam regeret, sed quod postea eam obtinuerit Provinciam, atque jam ejus Præses secundam descriptionem fecerit, quam Josephus commemorat.

Alia Calmeti & Lamy solutio. Sequitur historia ex Lucæ Evangelio.

10. Quæ sane difficultatis dissolvendæ ratio cum Luca optime cohæret. Sed Calmetus in cap. 2. Luc. num. 2. cui haud videtur verisimile, Cyrinum census habendi causa in Judæam cum extraordinaria potestate missum esse, putat omnem summoveri posse controversiam, si verba S. Lucæ: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*, ita explicentur. *Hæc descriptio prima facta est, antequam Cyrinus esset Præses Syriæ*; multosque Scriptores affert secum idem sentientes; atque explicationi ejusmodi contendit Græcam phrasim non adversari, pluribusque locis e Sacra Scriptura collatis sententiam suam nititur confirmare. Nobis vero ea, quam proxime attulimus, sententia verior videtur, & cum Evangelico textu melius congruere, quam etiam amplectitur Lamy Concord. Evangel. lib. 1. cap. 9. num. 2. *Hæc*, inquit, *descriptio, de qua agitur, facta est sub Cyrino, qui præerat Syriæ: nam alterius descriptionis sub eodem Cyrino mentionem facit Josephus, quam cum factam multis post Herodis obitum annis scribat, hoc est multis post Christum natum annis, non decet eam habere pro una & eadem*. In Thesauro Dissertationum in Nov. Testam. e Museo Hasei & Ikenii tom. 2. pag. 428. edit. 1732. extat Dissertatio Bartholomæi Christiani Richardi *De Censu Augusti universe indicto*, in qua totam hanc rem Auctor examinat: at demum sententiam sequitur, quam supra innuimus, de duplici censu, quorum altero Cyrinus extraordinaria, altero Judæam ordinaria censuit potestate; nec aliter putat Sacram historiam cum profanis Auctoribus posse componi; quamlibet autem aliam eorum conciliandorum rationem implicare magis id, quod quæritur, quam expedire. Pergit D. Lucas; *Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & de familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*.

Disputant Eruditi, quo consilio Augustus censum illum indixerit. Pulchra Lamy verba in hac controversia.

11. Censum illum Augustus fieri jussit non studio cognoscendi, qui numerus eorum esset, qui sibi parerent, quemadmodum David, ut suas probe vires metiretur, ut est in lib. 2. Regum cap. 24. v. 2. *Dixitque Rex ad Joab Principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, & numerate populum, ut sciam numerum ejus*. Sed ideo censeri totum Imperium voluit Augustus, ut & homines cognosceret, & quid in unaquaque Provincia quisque fortunarum haberet, qua quisque in arte se exerceret; atque inde pro cujusque muneris & rei familiaris ratione vectigal certum imponeretur, ut animadvertunt Ambrosius, Beda, Euthymius, & Maldonatus in cap. 2. Lucæ. Quidam vehementer repugnant opinioni eorum, qui putant, ideo censum toto Imperio ab Augusto indictum, ut pro cujusque fortunarum ratione tributum imponeret: Judæos enim suos habuisse Reges & tunc temporis Herodem imperitasse, ei duntaxat, non vero Romanis Judæos vectigalia pependisse: illum interdum populo tertiam, interdum etiam quartam tributorum partem remisisse: directe autem ab illo tamquam socio tributum Romanos exegisse. Ita disputat Richardus, & Bineus tract. de Natali Jesu Christi lib. 1. cap. 3. Itaque censum ab Augusto non alia de causa indictum esse uterque Auctor contendit, quam ut omnium hominum, qui Romano parerent Imperio,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rio, eorum etiam qui sociis Regibus subjecti essent, constaret numerus, quorum nomina in publicas Tabulas referebantur, ut si quod bellum exarsisset, exploratum haberet Imperator, quem in quaque regione militum delectum habere posset. In hac contraversia nullas partes profitemur nos sequi; sed cum Lamy loco cit. num. 1. sapientiam Dei suspicimus sane mirificam, qui homines ita sinit ea facere, quæ sibi facienda censeant, ut eorum res gestæ æterno divinoque numini & consilio obsecundent: quod quidem in hac re luculentissime apparet: nam quæcumque causa fuerit, qua impulsus Augustus Imperii vires recensere voluerit, certe ex eo censu voluit Deus certissimum extare testimonium, Christum Jesum regio Davidis prognatum sanguine. *Parentes enim ejus* (sunt verba Lamy eod. cap. 9. num. 1.) *Bethlehem profecti ex qua Urbe oriundi erant, se probaverunt ex familia David: & cum eo tempore, quo venerunt in hanc civitatem, Jesus natus sit, Gentem suam & sobolem in acta Romanorum retulerunt; ex quibus, quoties opus fuit, depromi poterat, Jesum natum esse in Bethlehem ex Parentibus de familia David.*

Joseph & Maria per rectam lineam David prognati.

12. Ex eadem Tribu erant, eademque stirpe David, Beata Virgo, & S. Joseph, ut est apud Lucam cap. 3. Quin etiam, etsi multi putant Interpretes, S. Evangelistam, qui scribit Josephum esse *de domo & familia David*, duobus verbis idem significare voluisse, alteramque vocem altera explicari; eruditi tamen quidam Critici contendunt, vocem illam *Familiæ* non tam late patere, ac illa vox *domus* patet; atque illud voluisse Evangelistam, non modo e Davidica stirpe Josephum ortum esse, sed etiam per lineam rectam masculinam Davide Rege prognatum, ac ex eo ordine, qui jus haberet ad Regnum per Salomonem, ex quo Messias erat nasciturus, ut apparet ex lib. 2. Regum cap. 7. vers. 12. & sequen. & cap. 1. Epist. ad Hebræos vers. 17. Videantur Notæ ad Historiam vitæ, doctrinæ, & miraculorum Jesu Christi Urbini editæ 1730. cap. 16.

Joseph & Maria venient censendi causa, Bethlehem, quæ Civitas erat Davidis gentilitia.

13. Habitabat Joseph cum Sanctissima uxore sua in Civitate Nazareth Galilææ; cumque Augusti mandatum intellexisset, suscepto in Judæam itinere, venit Bethlehem, quæ civitas erat Davidis gentilitia. Unde enim suam quisque trahebat originem, & ubi rem familiarem, bona, fortunasque suas haberet, ibi juxta leges Romanorum suum debebat nomen profiteri; sic enim Ulpianus lib. 3. Dig. de Censibus: *Is vero qui agrum in alia Civitate habet, in ea Civitate profiteri debet, in qua ager est; agri enim tributum eam Civitatem debet levare, in cujus territorio possidetur.*

Verisimile Mariam pedibus iter illud confecisse.

14. Cum in eo itinere profecto non ita brevi a Nazareth ad Bethlehemum non dicat Evangelista, Beatam Virginem, & S. Josephum veterino aliquo usos esse jumento, verisimile est id itineris pedibus eos confecisse; præsertim cum Spiritus Sancti opera conceptum Filium sanctissima Fœmina gestaret in utero, quem sine dolore in lucem erat editura; ac propterea iis molestiis non esset obnoxia, quibus prægnantes ex viro mulieres conflictari solent; & quod habebat in utero, non modo ipsi oneri non esset, sed eo potius levior fieret & expeditior.

Quid referretur in Tabulas Censuales.

15. In his censibus suum quisque nomen, & uxoris, & liberorum profiteri debebat, ut referretur in Acta. Cujusque conditio & bona, ut innuimus, describebantur. Nam Romanæ leges propter ætatem interdum tributum remittebant. Neque enim a pueris ante decimum quartum, & a puellis ante duodecimum annum tributum in Syria pendebatur; ac juxta ejusmodi usum Jesu Christi, B. Virginis, & S. Josephi nomina in censum relata sunt, quemadmodum videre est apud Fulgentium Sermone de laudibus B. Mariæ, apud S. Bernardum in Sermone super verba illa Apocalypsis, *Signum magnum*, & Maldonatum ad cap. 2. S. Lucæ.

Bodini nefaria impietas.

16. Atque hic insurgit adversus Bethlehemiticum Christi ortum Bodini impietas, qui mendacii Lucam audet nefaria impudentia insimulare. Negat enim, Jesum Christum civem fuisse Romanum; cives autem Romanos tantummodo vocatos ad nomen suum profitendum in censu Cyrini: ex quo ait non posse intelligi, quamobrem Christus esset censendus. Addit scelestus homo, quo quisque habitaret loco, ibi suum quemque nomen profiteri debuisse; quapropter, nec verisimile, nec verum esse, Mariam & Josephum Nazaretho Bethlehemum censendi causa se contulisse; negat præterea fœminas, præsertim vero gravidas & partui proximas in censum venisse; quamobrem nullam esse rationem, cur Beata Virgo tantum iter susciperet.

Bodini profligata sophismata.

17. Bodini sophismata apud Huetium demonstr. Evangel. propos. 9. cap. 10. nu. 4. disjecta reperies. Ex uberrimo enim penitioris eruditionis suæ penu depromit vir doctissimus argumenta, quibus ostendit, vectigales etiam peregrinos, & socios, ac propterea etiam, qui Cives Romani non essent, censos esse; & in lustralibus censibus eo se quemquam conferre debuisse, unde haberet originem; eo vero Livii verba *præter mulieres*, quibus fretus Bodinus tantopere exultat, ac luculenter demonstrari putat, in lustralibus censibus fœminarum nomina in censuales Tabulas non esse relata, ostendit contrariam omnino sententiam continere; Livium enim non dixisse viros censos esse, non fœminas, sed præter fœminas viros etiam in Tabulas esse descriptos.

An B. Virgo cogeretur Edicto se conferre Bethlehemum.

18. *Si* cui volupe est totam hanc rem accurate perspectam habere, adeat Huetium in loco citato. Interea nos ad eas quæstiones pertractandas accedimus, quas sacri excitant Interpretes. Neque vero illa quærenda sunt, num B. Virgo Nazaretho se Bethlehemum contulerit; id enim diserte tradit Sacra Historia; neque etiam illud, utrum ejus nomen, & filii, & viri sui in tabulas censuales fuerit relatum; descripta enim fuisse utriusque conjugis, & filii nomina, communis sententia est; sed illud examinandum, ipsane iter suscipere coacta fuerit a lege, cum vir ejus Joseph uxoris suæ & filii nomen legitime profiteri potuisset.

Nec fœminæ, nec pueri cogebantur censui causa itinera suscipere.

19. Respondet Calmetus in cap. 2. Lucæ num. 4. neque fœminas, neque pueros ad suscipienda itinera censendi causa esse coactos; nihil enim necesse fuisse innumeris & molestissimis suscipiendis itineribus totum prope Imperium commoveri, levissimaque de causa tantos motus excitari.

Quamobrem B. Maria licet gravida Bethlehemum venerit.

20. Ea igitur necessitatis causa rejecta, alii existimant, Beatam Virginem licet gravidam idcirco Nazaretho Bethlehemum venisse, quod cum filia esset unica, & in famlia sua hæres, progeniem familiamque suam repræsentare deberet. Hæc vero quibusdam ratio minime arridet. Neque enim exploratum est, eam fuisse unicam filiam; atque, ut unica fuerit, in manu erat viri sui, cui nupserat, quique uxoris nomen præsertim partui proximæ profiteri poterat.

Facta omnia in hac re singulari Dei consilio & numine.

21. Quamobrem erectis in Cœlum animis, Divinæ Providentiæ incomprehensibile consilium suspicientes concludamus, cum ex Prophetarum oraculis humani generis Reparatorem Bethlehemi

B. Virgo Filium enixa Bethlehemi.

mi naſci oporteret, myſteriumque Incarnationis Nazarethi jam eſſet impletum; neceſſarium fuiſſe, ut exiſteret aliqua occaſio Bethlehemum adeundi: divino conſilio factum eſſe, ut ea præberetur occaſio ab Ethnico Principe, qui univerſum Imperium cenſeri juberet. Factum itidem divino nutu ac numine, ut Joſephus Bethlehemum venire cogeretur, Beataque Virgo licet partui proxima, nec ulla lege ad illud ſuſcipiendum iter compulſa, illuc ſe cum viro contulerit, atque Chriſtus Jeſus Bethlehemi natus ſit; quæ omnia ſummam Dei potentiam declarant, qui temporum, humanorumque eventuum ſupremus eſt arbiter, rerumque omnium dominus. *Factum eſt autem, cum eſſet ibi, impleti ſunt dies ut pareret. Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio.* Verba ſunt Lucæ cit. cap. 2. v. 6.

Quo ſenſu illa verba intelligenda, peperit filium ſuum primogenitum. Nulla obſtetrix.

22. Verba illa, *Factum eſt autem. cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret*, opinionem eorum ſuffulcire videntur, qui non eadem nocte Beatam Virginem, qua Bethlehemum pervenerit, ſed aliquot poſt dies ſuum peperiſſe Filium exiſtimant. Eorum porro verborum, *peperit Filium ſuum primogenitum*, ſententia eſt, peperiſſe Unigenitum Filium ſuum, quem Evangeliſta Primogenitum vocat; neque enim quemquam alium filium antea, neque poſt Beata mater peperit. Æterni Patris Primogenitum, ideſt unicum filium vocat D. Paulus Chriſtum Jeſum ad Hebræos cap. 1. ver. 6. in Veteri Teſtamento ſermo fit de jure primogeniti, ejus videlicet, qui primus omnium natus ſit, ſive unicus fuerit, ſive fratres deinde habuerit. Verba illa, *pannis involvit*, oſtendunt, B. Mariam nullo tactam dolore peperiſſe. Barradius exiſtimat, divinum Infantem ex utero Matris editum humi fuiſſe poſitum, ut nobis humilitatis præberetur exemplum. Franciſcus Lucas putat, B. Virginem in ſuis accepiſſe manibus puerum, veluti maturum fructum ex arbore decerptum. Suarez opinatur exceptum ab Angelis, & in manus Virginis traditum. Scribit B. Birgitta, ipſum Infantem in ſuaviſſimæ Matris ſuæ manus veniſſe; quas opiniones refert a Lapide in cap. 2. Lucæ verſ. 7. Eas ſollicitare nolumus, ac per nos ſua cuique ſit fides; rejicienda vero prorſus eſt eorum ſententia, qui ad hunc partum obſtetricem adhibitam putant, quam dicunt S. Anaſtaſiam fuiſſe. Beata enim mater ab omni dolore vacua, ut diximus, Filium peperit, quem ſuis manibus exceptum pannis involvit, nec cujuſquam alterius manus contrectavere. Vide Baronium ad ann. 1. Chr. num. 6. 7. & 8. Luculentiſſimum eſt etiam adverſus Helvidium Hieronymi teſtimonium: *Nulla ibi obſtetrix, nulla muliercularum ſedulitas interceſſit: ipſa pannis involvit infantem; ipſa & mater, & obſtetrix fuit.* De S. Anaſtaſia fabulam explodit Baronius in Notis ad Martyrolog. ad 25. diem Decembris. Eam enim tertio vixiſſe conſtat ſeculo, & ſub Diocletiano Martyrium eſſe paſſam. Occaſio ejus fabulæ extitit ex commemoratione, quæ de ea fit 25. Decembris die, qui Natalis eſt Jeſu Chriſti; eo enim die martyrii palmam adepta eſt, ac propterea Statio ad ejus Eccleſiam inſtituta fuit.

De Faſciis Domini, & rurſus de obſtetricibus.

23. S. Gregorius Nyſſenus *de Chriſti nativitate* loquitur de linteis, ſeu faſciis, quibus Jeſus infans eſt involutus: *Pannis*, inquit, *conſtringitur, qui peccatorum noſtrorum vincula in ſe ſuſcepit.* Narrat Drexelius, extructam olim in ſacrarum honorem faſciarum Baſilicam; & Feſtivitatem ſingulis annis celebrari conſueviſſe; quod auctoritate probat S. Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Euthymii Oratione de Faſciis Domini apud Lippomanum tom. 6. ad diem 31. Aug. Cum eo conſentit Baron. ad ann. 1. Chr. qua in re etſi notatur a Caſaubono, qui vetuſtiora poſtulat teſtimonia, eaque virorum, qui primis Eccleſiæ ſeculis vixerint, teſtantium faſcias Infantis Jeſus ſervatas fuiſſe; tamen duo illi, quos ſupra nominavimus, ſatis eſſe videntur ad fidem affirmandam huic rei, de qua nihil quidquam in ſe recipit Eccleſia Catholica, tantumque fidei per eam unicuique licet piæ huic opinioni tribuere, quantum quiſque voluerit. De Juvenale Hieroſolymor. Epiſcopo proditum eſt, ab eo illas faſcias Eudoxiæ Auguſtæ muneri miſſas; quod Chiffletius *in Chriſti hiſtoria de Linteis Chriſti ſepulcralibus* cap. 28. magni facit; præſertim cum idem teſtetur Nicephorus. Idem Chiffletius loca commemorat, ubi ſacræ faſciæ in plures diviſæ partes etiam nunc aſſervari dicuntur & coli. Vetus extat Romæ Vitrum in Muſeo Familiæ Victoriæ, quo nati Servatoris Præſepe exhibetur. Sacrum hoc Vitrum Eruditorum virorum judicio circa dimidium 3. ſeculi creditur fuiſſe confectum. Illud explicavit Latino Opuſculo Eques Franciſcus Victorius, pluraque de eo ſcripſit Antonius Franciſcus Gorius in ſuis Obſervationibus de Chriſti Domini Præſepe: ubi num. 9. oſtendit, non tam in maxima inopia, quam in ſumma Chriſtum natum eſſe munditia: munda a ſordibus lintea, mundæ faſciæ, mundiſſimus etiam miro quodam modo ipſe partus, quo Virgo Mater infantem Jeſum enixa eſt. Deinde obſervat num. 10. Vitro illo exprimi B. Virginem in ipſo partus diſcrimine poſitam; nullam tamen fœminam apparere, quæ ſuam in miniſterio partus operam locet, cujuſmodi imagines in quibuſdam medii ævi monumentis, præſertim in Eccleſia Græca reperiuntur. Hunc Eccleſiæ Græcæ qualemcumque ut probet uſum, idem Gorius profert Imperatoris Baſilii Menologium. Ad id monumentum addimus fores æneas Metropolitanæ Baſilicæ Montis Regalis in Sicilia, ubi B. Virgo lecto jacens exprimitur cum aliquot mulieribus, quæ infantem Jeſum lavant. Ad idem exemplum vermiculato Emblemate, ſeu Muſivo, ut ajunt, opere Nativitas Chriſti repræſentatur in choro ejuſdem templi. Quæ omnia improbantur, ut docet Molanus de Sacris Imaginibus lib. 2. c. 27. & Michael de Judice Caſſinenſis Monachus in deſcriptione Templi & Monaſterii Montis Regalis pag. 86. num. 23. & pag. 160. num. 6. & 7. Quæ de B. Virgine ſine dolore, & ſordibus ſcripſimus, abunde probant Baronius loco cit. & Huetius. Quibus quamquam Antonius Bineus lib. 2. de Natali Chriſti c. 2. num. 19. futilibus ductus rationibus contradicere audet, diſſimulare tamen minime poteſt, quanti utrumque Scriptorem faciat. Baronium enim appellat num. 2. *Eccleſiaſticorum Annalium Conditorem, purpura, & eruditione illuſtrem*, Huetium vero num. 3. *Eximium, & minus infularum ornamentis, quam incredibili quadam ingenii elegantia, & terſa eruditione conſpicuum.*

Oraculum de ortu Chriſti Bethlehemico.

24. Jam vero ad majoris monumenti quæſtiones deveniamus, quæ ad ortus Chriſti Domini locum, tempuſque pertinent. Natus eſt igitur Jeſus Bethlehemi, teſte Luca; cujus verba ſuperius attulimus, & Matthæo cap. 2. v. 1. *Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda*: atque ita impletum fuit Michææ Oraculum cap. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator*

tor in Iſrael. Illud vero oraculum Hebræi ſatis habebant cognitum; nam Chriſto Bethlehemi nato teſte Matthæo loc. cit. Herodes, convocatis Principibus Sacerdotum & Scribis populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur: *At illi dixerunt: in Bethlehem Juda. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam*; Michæam intellige.

Duæ Civitates nomine Bethlehem. Michæas cum Matthæo pugnare videtur.

25. Bethlehemum Matthæus vocat Bethlehem Juda; nam in Tribu Juda ea civitas erat. Eſt etiam alia ejus nominis in Galilæa, in Tribu Zabulon. Michæas vero Bethlehem Ephrata appellat; conditor enim ejus civitatis matris ſuæ nomen illi indidit. Affert Michææ locum Matthæus in hæc verba cap. 2. v. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*. Ubi verba, quæ Matthæus affert, non eadem ſunt cum iis, quæ ex Michæa modo retulimus; imo pugna quædam videtur eſſe inter utrumque textum; ait enim Matthæus de Bethlehem, *nequaquam minima*, quam contra Michæas *parvulam* vocat.

Eorum textuum conciliandorum ratio quædam.

26. Quidam exiſtimant, verba Michææ, *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda*, admirantis hominis eſſe, ac interrogantis; ut vim negationis habeant, & ſententia ſit: *Tu ne parvula es in millibus Juda, ex qua mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael?* Atque ex eodem Matthæo cap. 11. v. 7. verba afferunt Chriſti de S. Joanne Baptiſta: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam, hominem mollibus veſtitum?* Quibus verbis profecto non illud ſignificatur, Joannem eſſe arundinem vento agitatam, aut hominem ſplendida veſte indutum; ſed contra non eſſe hominem, qui velut arundo moveretur, & delicata ac molli veſte uteretur.

Longe melior conciliandi ratio quæ eſt D. Hieron.

27. Atque hæc eſt quorundam ſententia; qua tamen longe melior eſt D. Hieronymi ratio, qui advertit Matthæum attuliſſe Michææ verba in eum modum, quo a Scribis, & Principibus Sacerdotum allata ſunt, cum ab Herode interrogati fuerunt, ubi Chriſtus eſſet naſciturus; ea noluiſſe Evangeliſtam immutare, ut omnibus palam fieret, quo ignorantiæ in Sacris Scripturis Scribæ, & Sacerdotes eo tempore decidiſſent, qui producere volentes ad ſuam ſententiam Prophetæ oraculum, corrupte illud otioſeque enunciarunt.

Jure Chriſtus dicatur in Scriptura Nazaræus, & Galilæus. Bodinus confutatus.

28. Quod ſi quis quærat, quanam demum ratione Chriſtus, qui Bethlehemi natus ſit, Nazaræus, & Galilæus in Scriptura vocitetur, & quamobrem veluti Galilæum Pilatus eum ad Herodem amandaverit, reſpondet D. Thomas in 3. par. q. 35. art. 7. ad 2. Nazaræum in Scriptura appellari, non ut ſignificetur ubi natus, ſed ubi alitus educatuſque ſit; & Huetius loc. cit. multa profert e profanis Scriptoribus, quibus probat, plerumque patriam dici locum, ubi quis educatus ſit, etſi alibi ſit natus. Bodinum, qui opinatur Chriſtum non Bethlehemi, ſed Nazarethi natum, ea ductus ratione, quod ancilla oſtiaria de Petro dixerit: *Et hic erat cum Jeſu Nazareno*: & Pilatus in titulo Crucis ſcripſerit: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, caſtigat Bineus tract. de Natali Chriſti lib. 2. cap. 1. n. 7. Oſtendit enim, eam eſſe Judæorum conſuetudinem, ut aliquis ex ea dicatur eſſe patria, in qua altus educatuſque ſit, quamvis eum alibi mater pepererit. Refelli etiam poteſt Bodinus loco Matthæi c. 2. v. 24. *Et veniens* (Chriſtus) *habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*.

29. Chriſtum igitur Bethlehemi ortum eſſe liquet, ſed in ipſane urbe, an in ſuburbiis natus ſit, examinandum eſt. Certum eſt enim, vere dici poſſe aliquid in urbe contigiſſe, quod in ſuburbiis evenerit, ut bene advertit Spondanus ad ann. 1. Chr. & Baronium tuetur, qui in Bethlehemi ſuburbiis Chriſtum natum eſſe contendit, adverſus Caſauboni accuſationem, Baronianam opinionem tamquam Sacræ Scripturæ contrariam improbantis. *Quæ in Suburbiis, vel juxta muros Civitatis geſta ſunt, recte poſſunt dici, & communi loquendi uſu dicuntur in Civitate geſta. Sicut & Juriſconſulti reſponderunt, eos qui continentibus Urbis nati ſunt, Romæ natos intelligi. Romam enim eſſe etiam qua continenti ædificia eſſent, nec Romam muro tenus exiſtimari ex conſuetudine quotidiana poſſe intelligi, cum diceremus Romam nos ire, etiamſi extra Urbem habitaremus*.

In ipſane urbe, an ſuburbiis Chriſtus natus ſit.

Multiplices de re opiniones.

30. In hac controverſia varii varias ſunt ſequuti ſententias. Quidam enim ſpeluncam ſeu ſtabulum, ubi natus eſt Chriſtus, putant in ipſa fuiſſe urbe; alii extra muros fuiſſe contendunt. Graveſonius de Myſteriis & Annis Chriſti pag. 154. nihil hac de re ſtatuere voluit: *Cæterum an ſpelunca, in quam ſe receperunt Maria & Joſeph, fuerit in Bethlehemo ſita, vel in ejus Suburbiis, ſeu prope Bethlehemum, alii affirmant, alii negant. Id, quia incertum eſt, in medio relinquo*. In ipſa Civitate Chriſtum natum contendit Cataubon. Exerc. 2. in Bar. pag. 143. & ſeq. Joannes Henricus Krauſen Diſſertatione cui titulus. *Chriſti locus Natalitius in Urbe Bethlehem* in Theſauro Diſſertat. in Nov. Teſtam. edit. 1732. to. 2. pag. 106. Caſaubono ſuffragatur. Neque hanc ſententiam tuentur ſoli hæreticarum partium Auctores, ſed etiam Maldonatus in cap. 2. Lucæ verſ. 7. & Drexelius tom. 2. *De Chriſto naſcente*, pa. 391. Et ſane multa ſunt, quæ ad hanc opinionem conſtabiliendam maxime conferunt: ea videre licet apud Florentinium in Notis ad Martyrologium pag. 205. Baronius ad an. 1. Chr. num. 2. obſtirmate contendit, in ſuburbiis prope Bethlehemum natum eſſe Jeſum; eumque ſequuntur Tillemontius Not. 3. ad Vitam Jeſu Chr. Natalis Alexander in ſect. 1. cap. 1. art. 4. num. 1. Calmetus in cap. 2. Lucæ nu. 7. Serry Exercitat. 30. nu. 2. Gottus de verit. Religion. Chriſt. to. 4. cap. 7. §. 3. n. 25. P. Honoratus a S. Maria in Regulis & uſu Criticæ to. 2. lib. 3. Diſſert. 2. art. 2. & Quareſmius Elucid. Terræ Sanctæ Tom. 2. lib. 5. cap. 4.

Veriſimilius eſt, in ſuburbiis natum eſſe.

31. Libenter nos in hanc ſententiam deſcendimus; diſerte enim S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone ait: *Quoniam Joſeph non habebat in vico illo Bethlehemi, quo diverteret, in ſecum quendam prope vicum divertit, & cum illi eſſent ibi, peperit Maria Chriſtum, & in Præſepe illum poſuit, ubi venientes ex Arabia Magi invenerunt eum*. Ad quæ Juſtini verba alludit Toletus Cardinalis adnot. 10. in cap. 2. Lucæ, ubi ait: *Adnotandum eſt, Divum Juſtinum in Dialogo cum Thryphone affirmaſſe, ſpeluncam hanc non fuiſſe intra Bethlehem, ſed prope*. Confirmat Euſebius Pamphili Demonſtrat. Evangel. lib. 7. c. 2. *Agrum juxta Bethlehem demonſtrari, ubi Virgo enixa Infantem depoſuit*. Locum hunc Euſebii ſollicitat Caſaubonus tanquam corruptum; neque enim aliter ex eo ſe potuit expedire: ſed cum nullam rationem afferat, quamobrem in eo mendum eſſe credamus, profecto inanis ſuſpicio contrariæ ſententiæ nihil poteſt officere; ut bene animadvertunt Petrus Lanſelius, & Honoratus a S. Maria loc. cit. Huc accedit, quod Paſtores, qui in

agris vigilabant, de Jesu Christi ortu admoniti nullo negotio puerum in Præsepe repererunt. Id vero Pastoribus non ita facile fuisset, nisi extra Bethlehemum puer natus esset: nam si intra Bethlehem ortus esset, quonam tandem modo consequi potuissent, ut noctu portæ sibi recluderentur? Si vero nullis cincta fuisset mœnibus urbs, longe difficilius fuisset inter tot domos & diversoria, eam quam quærebant invenire.

Christus natus est in spelunca saxo excisa, ubi erat stabulum.

32. Postquam Christum in Suburbiis Bethlehemi natum esse stabilivimus, reliquum est ut de loco loci, ut vulgo dicitur, hoc est in domone aliqua, an in spelunca, an vero in diversorio Beata Mater Jesum pepererit, inquiramus. S. Lucas ait: *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Patres in eo consentiunt, ut spelunca esset e saxo excisa. Eam Hieronymus epist. 17. *parvum terræ foramen* vocat. Eusebius in Vita Constantini lib. 3. *Antrum* appellat. Locus vero celebri est Origenis lib. 1. contra Celsum n. 51. *Quod autem in Bethlehem sit genitus Jesus, si velit aliquis post Michææ testimonium, & post historiam ab Jesu discipulis in Evangelio scriptam, fieri alias certior, sciat, in Bethlehem speluncam ostendi, ubi ille est natus, & in spelunca præsepe, in quo fasciis est involutus. Atque hoc utique in locis illis percelebre est apud eos etiam, qui a Fide sunt alieni, in Spelunca illa Jesum, quem Christiani adorant & demirantur, genitum esse.* Bethlehemum Civitas est in montano sita loco; cujus solum ex thopho. Patebat extra Bethlehemum viatoribus diversorium, quo se quisque posset quacumque venisset hora recipere; stabulum ibi erat, quo jumenta recipiebantur. B. Maria, & Joseph cum ob turbam hospitum in diversorio nullum sibi vacuum locum reperissent, in stabulum secesserunt, ubi B. Virgo Christum Jesum peperit, & in præsepe posuit; quod ex allatis Lucæ verbis colligitur. Atque illud est stabulum, quod e petra excisum diximus: *In id oppidum* (ait Petavius Rationar. Tempor. to. 2. lib. 4. cap. 2.) *uti fides Michææ 5. vaticinio constaret, cum Josepho Sanctissima Virgo pervenit, ibidemque salutarem humano generi partum edidit. In ipso, inquam, oppidulo, ac publico diversorio, ut Lucas loquitur. Ubi cum vacuus ad eos excipiendos locus esset alius nullus, ad stabulum diverterunt. Et quoniam rupibus aspera erat illa regio, credibile est in rupe stabulum hoc impressum fuisse; atque ideo plerique veterum, ut Justinus, spelæum sive antrum nominant.* Ac si Burchardo fides habenda sit in descript. Terræ Sanctæ lib. 1. cap. 7. præsepe ipsum erat, ut ille ait, excisum in rupe.

Luculentissimus D. Hieronymi locus.

33. Paulæ Romanarum Matronarum nobilissimæ pietatem collaudans Hieronymus, quod Sanctissimæ Reparationis nostræ loca summa veneratione coleret, hæc ad Eustochium Virginem, piam piissimæ matris filiam, Ep. 108. §. 10. to. 1. op. scribit: *Inde Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in quo cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus qui seminat super omnes aquas, ubi bos & asinus calcant: me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in Præsepe Dominum &c.* Et paullo post col. 693. *Et ego misera atque peccatrix digna fui judicata deosculari Præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit, orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem.* Probat hic Hieronymi locus, sub rupe (petroso enim in loco sita erat Bethlehem) specum fuisse excavatum, in quo stabulum erat, jumentorum commodo præsepi instructum: quod multis testimoniis probat etiam Gorius in observationibus supra citatis num. 6. & 7. Ipsum autem Præsepe in rupe excisum probat vir doctissimus Franciscus Blanchinius Dissert. 1. *de Præsepe & Cunis Domini nostri Jesu Christi in Basilicam Liberinianam translatis*, sect. 11. duabusque sequen. Tradit Drexellius to. 3. suorum Operum pag. 280. S. Ignatii Loyolæ matrem ita sibi persuasum habuisse, Christum Dominum fuisse natum in stabulo, ut claro licet prognata sanguine, filium in stabulo voluerit parere. *Mater S. Ignatii Loyolæ Marina domo Baldensis, claro genere, nomineque fœmina, cum hunc ipsum filium parturiret, ingenti erga Natalem Domini affectu, in stabulum se deferri jussit, ut eo loco pareret, ubi Virgo Deum genuisset: nec enim meliori se loco dignam censebat in puerperio, quam fuisset Mater Dei, quæ peperisset in stabulo.* Dissertatio quædam an. 1698. proposita fuit Præsidente Joanne Andrea Schmidt heterodoxo in *Fascias Christi*, quæ iterum multis accessionibus aucta ad examen proposita fuit, & typis Amstelodamensibus impressa anno 1726. Utraque reperitur in Bibliotheca Dominici Cardinalis Passionei; prior in tom. 7. Miscellaneorum, posterior in tom. 318. In ea, quæ secundæ est editionis, affert Auctor verba Saldeni, quibus subscripsisse ait Cardinalem Cajetanum, statuentis, Christum Jesum non in stabulo natum, sed in publico diversorio, sive intra, sive extra Bethlehemum, quo peregrinantes & viatores excipiebantur. Ipse autem negat, a communi eorum opinione se posse decedere, qui Christum in stabulo natum existimant. *Nos pace insignium virorum, Ecclesiæ, vetustorumque Theologorum sententiam amplexamur; stabulum ac præsepe proprie dicta intelligimus, quamvis Præsepi nec asinum, nec bovem adigamus.* Verum de bove & asino paullo inferius sermonem habebimus.

De Præsepe Christi Domini.

34. Baronius ad ann. 1. Chr. num. 5. argumenta affert venerationis & cultus, quem Fideles semper ei loco exhibuerunt, ubi natus est Jesus. Nam pace Ecclesiæ reddita, spelunca illa mirifice fuit ornata, ipsumque præsepe argento obductum. *O si mihi liceret videre illud Præsepe, in quo Dominus jacuit! Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus lateritium, & posuimus argenteum. Sed mihi pretiosius est illud, quod ablatum est: Argentum & aurum meretur Gentilitas: Christiana fides meretur illud luteum. Non tamen condemno eos, qui honoris causa fecerunt; neque illos condemno, qui in Templo fecerunt vasa aurea, sed admiror. Dominus, qui creator est mundi, non inter aurum & argentum, sed in luto nascitur.* Sunt verba Chrysostomi in Luc. cap. 2. Notat loc. cit. Baronius, Chrysostomum existimasse præsepe e luto, seu petra fuisse, qua in re putat S. Doctorem deceptum esse. Præsepe enim illud extat in Liberiana Basilica, atque e ligno esse constat. Nos supra diximus, præsepe fuisse e petra: nunc vero addimus, in illud quasi aliud præsepe e ligno injectum, quod Romæ nunc asservatur, ut bene notat Calmetus in cap. 2. Lucæ n. 7. & in Urbem allatum non anno, ut creditur, 352. sed septimo seculo cum aliquibus lapidibus e Bethlehemi spelunca excisis, ut demonstravimus lib. 4. Canonizat. part. 2. Et Quaresmius loco antea citato scribens de præsenti statu ejus loci, ubi natus est Dominus, tradit ibi ædem fuisse extructam, quam Hadriani Imperatoris jussu disjectam, ac denuo elegantissime

ædi-

UAB Biblioteca de Ciencies Socials

ædificatam etiamnum ait extare; & addit: *Quam Turcæ ipsi ingredientes, qui illibatam Christi ex Virgine Nativitatem confitentur, locum ejus contemplantes, attoniti & stupentes venerantur, ut frequenter a me & ab aliis fuit observatum.*

Traditio de Bove & Asino ad Christi Domini Præsepe vexata a quibusdam Criticis. Celebrit ea de re Isaiæ locus.

35. Pia & constans Traditio est, bovem & asinum in stabulo fuisse, cum natus est Jesus, etsi nihil ea de re quicquam legamus in Evangelio. Tillemontius Nota 5. ad Vitam J. Chr. contendit, eam opinionem ortam esse seculo quinto, & allegorice loquutos esse Patres ea ætate vetustiores, qui in ea opinione fuisse videntur. Idem sentit Calmetus loc. cit. ad Auctorem libri Promissionum hanc traditionem refert, qui vixit seculo quinto. Patres vero, qui bovem & asinum commemorant, existimant loqui de Judæis & Ethnicis ad Fidem conversis, qui Christum incarnatum, hominem factum, natum in stabulo, & in præsepi animalium locatum cognoverunt. Præter Bailletum *in Historia hujus diei* omnium prolixissima rem hanc pertractavit Serry Exercit. 30. num. 4. ubi conatur ostendere locum Isaiæ cap. 1. *Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui; Israel autem non cognovit*, nihil aliud esse quam verba Prophetæ exprobrantis Judæis ingratum animum, qui accepta a Deo beneficia minime agnoscerent; contra a stolidissimis animalibus Bove Dominum suum, Asino præsepe, ubi esca illi apponitur, probe cognosci: & Habacuc textum ex cap. 3. qui legitur in vulgata; *In medio annorum notum faciet*, & in versione LXX. *In medio duorum animalium cognosceris*, juxta veterum Patrum interpretationem arbitratur vel ad duos Latrones esse referendum, inter quos Christus Dominus Crucem subiit; vel ad populum Judaicum, & Gentes; vel ad utrumque Testamentum, quorum lectione Dei cognitionem assequimur; quæ omnia ex Scriptoribus hæretico veneno imbutis deprompta sunt, ex Erasmo in Notis ad Hymnum Prudentii de Natali Christi, Casaubono exerc. 2. ad 1. annum Christi, Montacutio in libro de Vita Christi pag. 28. & 29. Samuele Basnagio to. 1. Annalium Politico-Eccles. cap. 112.

Eorum Scriptores qui eam vindicarunt.

36. Adversus hanc opinionem, quam audaces homines nimis temere extulerunt, scribunt Baronius ad ann. 1. Chr. nu. 3. Gravesonius de Myster. & ann. Chr. pag. 156. Honoratus a S. Maria de Regulis Criticæ tom. 2. lib. 3. Dissert. 2. 3. Ayala in Opere, *Pictor Christianus*, lib. 3. cap. 1. nu. 7. & sequen. Gottus de verit. Religion. Christ. l. 4. par. 1. cap. 7. §. 3. n. 27. & seq. & Sandinus in Historia Familiæ sacræ c. 1. pag. 12. edit. Patavinæ. Quaresmius Elucid. Terræ Sanctæ lib. 5. c. 5. easdem, quas alii proferunt, auctoritates Patrum congessit; ac deinde eo progreditur, ut quærat, qui fieri potuerit, ut eo loco bos & asinus fuerint; & quosdam quidem opinari ait, B. Virginem asino insidentem illuc venisse, bovem autem vendendum a S. Josepho adductum; nonnullos vero existimare, nihil fuisse facilius, quam ut in Præsepi, excipiendis animalibus destinato, bos & asinus reperirentur.

Haud ita infirmis nititur fundamentis ea Traditio.

37. Sed postremum hoc quærere plane supervacuum censemus: nec enim ex ejusmodi quæstione quidquam aliud conficitur, quam ut audaces homines, qui constanti traditioni de bove & asino ad Præsepe Domini temere contradicunt, ad eam vehementius impugnandam sollicitentur; quæ quidem traditio haud ita infirmis nititur fundamentis, ut putant qui ejus fidem tantopere studeant elevare. Iterum hic non inopportune afferimus locum Hieronymi in Epist. 108. tom. 1. op. ed. Ver. col. 692. ad Eustochium. *Inde Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit Sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est. Beatus qui seminat super omnes aquas, ubi Bos & Asinus calcant &c.* Consonant Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, & Prudentius, quos affert Baronius; eorumque sententiam amplexa post Ecclesia in Officio de Circumcisione Domini: *Domine audivi auditum tuum, & timui; consideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium jacebat in præsepio, & fulgebat in Cælo.* Et in Officio de Nativitate. *O magnum mysterium, & adorabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio!*

Respondetur objectioni petitæ ex allegorica interpretatione illius Isaiæ loci apud Patres. Ex vetustissimis picturis sacris probatur ea Traditio quinto seculo longe antiquior.

38. Qui vero dicunt, hæc omnia allegorice intelligenda, & allatis e Scriptura Sacra locis a Patribus allegoricum tribui sensum, ii nihil agunt: quid enim opus est allegorico sensu ad rem explicandam, quæ tam facile potest contingere, & sæpe contingit, ut in stabulo bos, & asinus reperiantur? Aliud porro est, rei alicujus gestæ narrationem allegorice intelligi posse, aliud debere. Res quædam gesta explicari quidem potest etiam allegorice; & si quis ita eam explicet, non negat rem gestam esse, super veritate istius facti allusionem, seu allegoriam quodammodo inædificat; neque facti veritati dici potest ille adversari, nisi diserte se veritatem facti illius negare profiteatur. Quamobrem non repugnamus, allatos e sacris paginis locos a Sanctis Patribus allegorice explicatos esse; nec quod bos & asinus in stabulo fuerint, inficiabimur posse id traduci ad hanc, vel illam rem significandam: minime vero licebit inde colligere, vel locos e Sacra Scriptura allegorice interpretatos a Patribus non esse accommodatos ad significandum, bovem fuisse & asinum in Præsepi, aut sensu mystico sensum litteralem explodi: nullus enim est ex Patribus, qui ejus rei veritatem neget, sed est, qui ex ipsa re allegoriam quandam deducat, ut bene disputat Gottus loc. cit. num. 33. *Ad excludenda a præsepio Domini vera animantia Bovem, & Asinum non sufficit adducere Patres dicentes, ea hoc vel illud figurasse; sed ulterius probandum est, Patres asseruisse ea fuisse meras figuras, nec vere extitisse.* Qui huic Traditioni contradicunt, illud potissimum urgent, quod ea non sit seculo quinto vetustior. Verum plane traditio idcirco rejicienda, quod quinto seculo vetustior non appareat? Annon indicio est, cum seculo quinto memoretur, longe antea idem creditum esse, quod præsertim consequutis temporibus omnes Fideles toto animo exceperint? Sed illud est in hac re præcipuum, quod picturæ & marmora quinto seculo vetustiora ad Christi infantis præsepe bovem & asinum exhibent. Ejusmodi est vitrum, de quo paullo ante mentionem fecimus, in Museo Victoriano; quod pulchre animdvertit etiam Gorius in *Observationibus de Præsepi Domini Nostri Jesu Christi* pag. 82. num. 13. Ejusmodi est etiam pictura quædam in Sarcophagis, seu Sepulcris veterum Christianorum, editis in *Roma subterranea*, & a Joanne Bottario illustratis to. 1. Explicationum Sacr. Pictur. & Scultur. Romæ subterraneæ Tab. 22. pag. 88. & 89. Denique ad idem exemplum est Sarcophagus Anconæ in subterraneo Cathedralis Ecclesiæ ad lævam manum, de quo scribit eruditus vir Scipio Maffejus Observat. Litterar. tom. 5. pag. 194. Hic

Sarcophagus nomen exhibet cujuſdam Corconii, quem Maffejus probabili conjectura illum eſſe ſuſpicatur, cui Valentinianus anno 366. quandam legem ſcripſit. *Ad Gorgonium Comitem rerum privatarum*: neque enim quidquam obeſt, quod in Sarcophago legatur Corconius cum littera C. & in legis inſcriptione Gorgonius cum G. nam illas litteras promiſcue adhibitas nemo eſt qui neſciat. Eundem Sarcophagum ad hanc rem de qua agimus commemorat Gorius pag. 85.

Jeſus natus Herode Rege.

39. Quod vero ad tempus attinet, quo natus eſt Jeſus, Matthæus cap. 2. v. 1. tradit natum eſſe ſub Herodis Regno. *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis*, & Lucas cap. 2. v. 1. indicat Imperium Auguſti: *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto*. Sed ad totius rei luculentam tractationem opus eſt de anno, menſe, die, & hora, quibus natus eſt Jeſus, diſſerere.

De anno Nativitatis Chriſti Scriptor Romani Martyrologii videtur ſequutus ſeptuaginta Interpretum calculos.

40. Annum Chriſti Natalem ita notat Martyrologium Romanum: *Anno a creatione mundi, quando in principio creavit Deus Cœlum, & terram, quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono.* Ad quem locum notat Baronius, Martyrologii Auctorem calculos inſtituiſſe ſequutum verſionem ſeptuaginta Interpretum; & in apparatu ad Annales num. 118. ſcribit, antiquitus annos a Mundo condito, non juxta Hebraicam editionem, ſed juxta Septuaginta verſionem eſſe ſupputatos.

Magnum diſcrimen in annorum computo inter Hebraicos Codices & verſionem LXX. Interpretum.

41. Nemo eſt rei Chronologicæ adeo rudis, qui neſciat, inter rationem annorum ab origine mundi juxta LXX. Interpretes, & computum eorundem annorum juxta Hebraicos Codices, cum quibus conſentit noſtra Vulgata, maximum intereſſe diſcrimen. Verſio enim LXX. fere mille & quingentos annos amplius numerat, quam Hebraici Codices: ejus rei cauſa eſt, quod primæ & ſecundæ ætatis Patriarchis ſeptuaginta Interpretes plures annorum centenarios tribuunt, quam Hebraici Codices.

Hebraicos Codices & Vulgatam ſequitur Eccleſia Romana.

42. Itaque ut quoto anno ab Orbe condito Jeſus ſit natus reperiamus, examinandum omnino eſt, textumne Hebraicum, quocum conſentit Vulgata, an Verſionem ſeptuaginta Interpretum debeamus ſequi. Cui quæſtioni reſpondemus, Hebraicis potius Codicibus, quam verſioni illi, nobis adhærendum. Eccleſia enim Romana Vulgatam ſequitur verſionem ante mille & trecentos annos a D. Hieronymo editam, quam probavit ſancta Tridentina Synodus: Vulgata autem verſio cum Chronologia Hebraici textus, ut modo dictum eſt, conſentit. Præterea manifeſto deprehenditur mendoſa verſio LXX. Interpretum, qui cap. 4. Geneſeos quatuordecim annis poſt Diluvium Mathuſalem ſtatuunt obiiſſe.

Demonſtratur falſa ſeptuaginta Interpretum computandi ratio.

43. Juxta ſeptuaginta Interpretes Mathuſalem anno ætatis ſuæ 167. genuit Lamech; Lamech vero annos natus octoginta octo genuit Noe. Itaque cum natus eſt Noe, Mathuſalem annos natus erat trecentos quinquaginta quinque. Cum autem Diluvium cœperit anno ſexcenteſimo ætatis Noe, nemo eſt, quin videat, juxta hanc rationem anno ætatis Mathuſalem nongenteſimo quinquageſimo quinto Diluvium contigiſſe; cumque Mathuſalem in univerſum vixerit nongentos ſexaginta novem annos, inde tandem conſequitur, quatuordecim eum annos vixiſſe poſt diluvium, quod omnino eſt rejiciendum. Petrus enim epiſt. 1. cap. 3. verſ. 20. diſerte tradit, octo tantum homines poſt diluvium vixiſſe, Noe, & uxorem ejus, tres filios, treſque eorum conjuges: *quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*; quibus conſonat textus in Geneſis cap. 7.

Chriſtus natus anno ab Orbe condito quater milleſimo.

44. Igitur in ratione ineunda annorum ab Orbe condito Hebræorum calculi auctoritati ſeptuaginta Interpretum ſunt præferendi; præſertim quod ab Hebraico textu error ille ablit de vita Mathuſalem poſt Diluvium. Nam, ut optime diſputat Hieronymus in libro Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim, cum Mathuſalem annos natus centum octoginta ſeptem Lamechum, & Lamech ætatis ſuæ anno centeſimo octogeſimo ſecundo Noemum genuerit, & trecenti ſexaginta novem anni interjecti ſint inter natalem diem Mathuſalem, & ortum Noemi, ſi ad eos annos addas ſexcentos, quibus natus erat Noe, cum cœpit Diluvium, annos nongentos ſexaginta novem confeceris, quos Mathuſalem vixit; ac propterea palam fit eum eo ipſo Diluvii anno diem ſuum obiiſſe. His probe conſtitutis, dicimus, inter tot varias de Natali Chriſti anno ſententias, quas ad centum & triginta duas numerat Michael Mœſtlinus Mathematicus & Chronologus non incelebris, ut videre eſt apud Vallemontium in Elementis Hiſtoriæ tom. 1. lib. 1. cap. 3. eam placere magis ſententiam eruditis viris, quæ ſtatuit Chriſtum natum eſſe anno quater milleſimo ab Orbe condito. Egregiam habes Diſſertationem apud Natalem Alexandrum, quæ ſecunda eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſec. 1. In ea vir doctiſſimus hanc multis argumentis confirmat ſententiam; & cum eo ſentiunt Serry Exercit. 31. num. 2. Sandinus Hiſtor. Familiæ Sacræ cap. 1. & Gottus de verit. Relig. Chriſt. tom. 4. par. 1. cap. 8.

Die 25. Decembr. natum eſſe aſſeritur refutatis, cæteris opinionibus.

45. De menſe, & die Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum opinionem quorundam refert, qui natum eſſe Chriſtum putabant die 20. Aprilis, & aliorum ſententiam, qui natum die 20. Maji ſtatuebant; quos opiniones Scaliger, & Samuel Baſnagius inſtaurarunt ob eam præſertim rationem, quod veriſimile non videatur media hyeme Paſtores cuſtodiendo pecori noctu vigilaſſe in agris. S. Epiphanius hæreſi 51. & Caſſianus Collat. 10. teſtatur, opinionem fuiſſe in Eccleſiis Ægypti, Chriſtum natum eſſe ſexta Januarii die; ob eamque rem quatuor myſteria Nativitatis, Epiphaniæ, Baptiſmi, & aquæ in Cana Galilææ nuptiis in vinum converſæ eo die Ægyptios celebrare conſueviſſe. Sed a communi Patrum Traditione nos dimoveri non patimur, quæ Chriſtum vigeſimaquinta Decembris die natum eſſe docet. Teſtantur id Chryſoſtomus tom. 5. Hom. 33. Gregorius Nyſſenus Orat. in Sancta Lumina; & S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 1. & epiſt. 119. Profert aliquot ex Patribus locos Tillemontius Not. 4. ad Vitam J. Chriſti, quibus ea Traditio innititur. Honoratus itidem a S. Maria multa pariter a SS. Patribus depromit, quæ eam fulciunt Traditionem de Regul. & uſu Crit. lib. 3. Diſſ. 2. artic. 1. Baronius in apparatu ad Annales nu. 121. poſtquam contrarias, quas ſuperius retulimus, ſententias recenſuit; ait: *Cæterum, his omnibus de die Natalis Domini rejectis aſſertionibus, tam Latinorum, quam Græcorum Eccleſiæ pari conſenſione in eam conveniunt ſententiam, ut Redemptor noſter ſit natus vigeſima quinta menſis Decembris.* Wilhelmus Langius de an. Chr. pag. 357. *Veriſimilis*, inquit, *Romanorum opinio eſt, qui vigeſimaquinta Decembris natum Servatorem prodidere. Immo non veriſimilis eſt, ſed vera.* Quam opinionem ait probari cenſualibus Tabulis, quas Romæ ætate ſua etiam tum extare teſtatus eſt Chryſoſtomus;

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mus; quo enim Servatoris nostri nomen relatum fuerat, eodem ætatem quoque, & propterea naturalem etiam diem relatum oportuit. Quæ omnia cum Romani Senatores, qui vel Christiani erant, vel postea Christianam fidem amplexi sunt, haberent perspecta, Tabulas enim censuales licebat illis inspicere, iidem verum Christi Domini Natalem diem manifestarunt, eamque notitiam Constantinopolim Chrysostomi ætate transmiserunt, significantes, Romæ Natalem Christi diem 25. Decembris celebrari. Idem Baronius num. 123. ait, noctu esse natum, quod nemo negaverit. Lucas enim tradit, Pastores tunc, cum natus est Iesus, fuisse in agris *custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Horam autem vulgo tradunt fuisse circa mediam noctem, unde vetus & perpetua ad hæc usque tempora derivata est disciplina, ut in pervigilio Natalis Jesu Christi per mediam noctem Officia celebrentur; ut bene advertit Theophilus Raynaudus tom. 10. pag. 480. Id enim divino illo prænuntiatum oraculo, quod est in libro Sapientiæ cap. 18. v. 14. nonnulli Patres credidere: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus exiliens de Cœlo a Regalibus Sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit*. Nam quod de hyemis frigore in contrarium affertur, id quidem valde est futile. Compertum est enim, sub clementi Cœlo, cujusmodi est Cœlum Palæstinæ, noctu etiam in media hyeme pastores subdiu vigilare solitos ad pecoris custodiam. Casaubonus adversus Baron. Exerc. 2. cap. 7. scribit, doctrina præstantes quosdam viros dubitare de die natali Christi, qui ponitur 25. Decembris: armenta enim per illud anni tempus noctem subdiu non agitare, nec propterea Pastores ad custodiam sub aperto Cœlo vigilare. Verum addit: *Sed fortasse in Judæa, & aliis locis magis meridionalibus alia servatur consuetudo, quam in Gallia, & Germania: nam etiam in Anglia, ubi nullus est a lupis, & aliis noxiis animalibus metus, armenta saltem toto anno in agris pernoctant, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos ulli tecto unquam subsunt. Quare vetusta traditio Ecclesiæ non temere nobis rejicienda*.

De Pastoribus ab Angelo monitis. Tres fuisse videntur illi Pastores. Eorum nomina incognita. In eo loco, unde venerunt extructa Ædes.

46. Pergit S. Lucas: *Et Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno*. Nihil ait Sacer textus de Pastorum numero, de nomine, de loco unde venerint. Vulgo tres fuisse creduntur. Nam Beda, sive quisquis alius fuerit Auctor libri de *Locis Sanctis*, cap. 8. ait: *Ad Orientem in Turre gregis mille passus a Bethlehem Civitate segregata est Ecclesia trium Pastorum Divinæ Nativitatis sociorum monumenta continens*. Ex quo infert Baronius ad ann. Chr. 1. num. 14. tres fuisset Pastores. Et quamquam sunt qui respondent, eo non probari, tres tantum fuisse Pastores; tamen cum scribat Auctor ille, fuisse templum in honorem trium Pastorum dedicatum, qui socii fuerint ad Christi Domini ortum, non vero trium ex Pastoribus, qui natum Jesum adorarunt, id quidem satis esse videtur ut tres tantum, neque plures fuisse, turo affirmemus. De eorum nominibus tanquam de re penitus incomperta silemus. Quod vero ad locum attinet, unde venerunt, dicimus e Turre Eder, ubi eorum armenta pascebant, esse profectos, quamobrem Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ to. 1. op. col. 693. in Ep. ad Eustochium §. 10. *Haud procul*, inquit, *inde descendit Paula ad Turrim Eder, id est Gregis, juxta quam pavit Jacob greges suos, & Pastores nocte vigilantes audire meruerunt, Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis*. Videatur liber Josephi Mariæ Trainiti *De Pastoribus vocatis per Angelum ad Præsepe*, Messanæ edit. ann. 1722. in quo quæ huc contulimus, eruditissime confirmantur. Antonius Bincus tract. de Natali Jesu Chr. lib. 1. cap. 14. num. 3. ab iis, qui Terræ Sanctæ loca novissime peragrarunt, se accepisse testatur, homines, qui eam regionem incolunt, ubi sita est Bethlehem, cum ager ille longe sit uberrimus, etiam nunc pecuariam exercere. Quaresmius Elucidat. Terræ Sanctæ to. 6. lib. 6. cap. 5. Nicephori auctoritatem sequutus testatur, hoc loco ab Helena Constantini matre magnificentissime extructam Ædem, quæ nunc fere omnis est diruta; ita tamen ut ex ipsis ruderibus vetus appareat magnificentia: nunc quoque Pastores in illis agris pecora custodire: Mauros, & Arabas locum illum tanta veneratione colere, ut ibi progenitas arbusculas ne audeant quidem amputare, ipsamque Ædem thure, & collucentibus lampadibus summa animi devotione venerari; cujus rei se dicit oculatum testem: *ut ego non semel cum aliis observavi*.

Archangelus Gabriel Pastoribus Christi nunciavit Nativitatem ex quorumdam sententia. Ipsius verba ad Pastores.

47. De nomine Angeli, qui Pastoribus loquutus est, facer textus itidem tacet. Verum Toletus Cardinalis, Franciscus Lucas, & Cornelius a Lapide scribunt fuisse Archangelum Gabrielem, qui ad gravissimum quoque Incarnationis negotium electus, B. Virgini, & Zachariæ etiam apparuit. Reliqua Lucæ verba satis aperta esse videntur: *Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David*. Nos alibi in nostro Opere de Canonizat. SS. ubi egimus de Cœlestibus visionibus, eas a metu incipere, & in gaudium desinere observavimus, plane ut in hac apparitione Angeli contigisse legimus, qui ab iis omnem dispulit metum, nuncians verum illum Messiam oraculis Prophetarum promissum, tantopere optatum, tandiu expectatum, natum esse tandem in Bethlehem, quemadmodum Michæas prædixerat; ut quivis tandem certior fieret, Rege David, cui ea fuerat facta promissio, illum esse prognatum; quæ promissio jam impleta, & gaudium non ad tres tantummodo pastores, sed ad universum Judæorum populum pertineret: *quod erit omni populo. Et hoc vobis signum. Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in Præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Verba sunt S. Lucæ.

Explicantur verba illa. Multitudo militiæ cœlestis.

48. Indicium Angelus dedit Pastoribus, quo promissum Israeli Salvatorem invenire possent, eosque monuit reperturos puerum fasciis involutum, & jacentem in præsepio. Multitudo autem militiæ cœlestis, quæ una cum Angelo Deum collaudavit, cœlestium fuit multitudo Spirituum, quibus militiæ nomen tribuitur vel ob eorum ingentem numerum, vel ob pulcherrimam Ordinum Hierarchiam, vel ob eorum potentiam & virtutem, qua nutu Dei, qui Dominus est exercituum, hostes sive visibiles, sive invisibiles, hoc est dæmones, debellant.

Verba illa Gloria in altissimis

49. Ea verba, *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quidam explicant *assertive*, subaudita voce *est*, ut sententia sit: Jam gloria est Deo in Cœlis; & in terra

pax

Deo &c. a quibusdam accipiuntur affertive dicta.

pax est; omnes enim Cœlites Deum glorificant, quod misericors, sapiens, & fidelis promissum Patribus Christum mundo edidit; unde pax in terra proficiscitur: natus est enim Christus, qui Rex pacificus homines, qui filii iræ nascuntur, Deo reconciliat. Ita Toletus, & Maldonatus.

Alii optative dicta interpretantur.

50. Alii verò eadem explicant verba *optative*, subaudito verbo *sit*, ut sensus sit: Laus & gloria sit Deo, & benedicant ei omnes beatæ mentes in Cœlo, qui Christum in terram dignatus est demittere, ut natura humana assumpta pacem hominibus & reconciliationem, & gratiam, & salutem, & omnia bona afferat. Ita Jansenius, & Barradius. Ea autem verba, *bonæ voluntatis*, ita exponit Ambrosius; Pax esto hominibus, non quidem omnibus, sed iis, qui bonæ sunt voluntatis. Et S. Leo in hunc explicat modum: Esto pax hominibus, quæ bonam illis voluntatem injiciat, ut legi, Deique arbitrio suam voluntatem subjiciant, & ad ejus voluntatem sese conforment. Vid. Cornel. a Lapide in cap. 2. Luc. vers. 14.

Pastorum adventus ad præsepe Christi Jesu.

51. Narrationem Lucas in hunc modum absolvit: *Et factum est, ut discesserunt Angeli ab eis in Cœlum* (illuc videlicet, unde a Deo missi fuerant, & ubi semper adstant, illum aspicientes, amantes, collaudantes, ejusque Majestatem adorantes) *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes.* Sic enim suam fidem, suumque gratum animum ob tantum a Deo acceptum beneficium declararunt. *Et invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio*, quemadmodum ab Angelo fuerant præmoniti. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc;* ut illud dicere potuissent, quod postea scripsit Joannes cap. 1. ep. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifesta est, & vidimus, & testamur.*

Beatæ Mariæ fides de Christi divinitate. Mirifica etiam Pastorum fides.

52. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt & de his, quæ dicta erant a Pastoribus ad ipsos.* Sunt verba D. Lucæ loc. cit. Abest a Græco textu, & versione Syriaca particula &. Deinde Lucas loc. cit. ad Beatam Mariam sermone traducto, ait: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Firmissima quidem fide Beata mater credebat Mysterium Incarnationis Unigeniti Filii Dei; nova tamen illi quotidie lux affulgebat; nova semper ab experientia ipsa accedebat cognitio ex miraculis, quæ identidem edebantur, quæque illam in dies magis in fide confirmabant. Quæ enim Sanctissima Virgo videbat, ea cum Archangeli Gabrielis nuncio, & cum oraculo Elisabeth, & Zachariæ conferebat, mirumque observabat inter ea omnia consensum, quo in ea fide confirmabatur, a se natum fuisse Unigenitum Dei Filium, ut optime animadvertit Ambrosius; cum interea cæteri omnes singularem ejus prudentiam, & modestiam incredibilem mirarentur, cui satis fuit in se omnia hæc tacitam demirari, quin eorum quidquam aliis palam faceret. Lucas denique loc. cit. concludit: *Et reversi sunt Pastores* (ad custodiam gregis) *glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos:* quibus verbis eorum fides heroica comprobatur, ut ostendit Trainitus in citato Opere de Pastoribus &c. §. 3.

De cæteris miraculis,

53. Atque hæc vera sunt prodigia, quæ in ortu Christi Domini contigisse tradit sacer textus. Suidas, Cedrenus, aliique scribunt, nato Christo Jesu, diabolum a suis responsis, quæ Delphis edebat, destitisse; sed hoc esse incertum ostendimus lib. 3. de Canonizat. SS. c. 46. n. 8. Quidam scripsere, ea nocte, qua ortus est Jesus, Templum Pacis corruisse; quod tamen a vero abesse ostendit magnus Baronius ad ann. Chr. 1. n. 2. & 12. Templum enim illud multo post Jesu Christi ortum a Vespasiano, Judæa nerdomita, excitatum esse testantur Suetonius, Josephus, Plinius, aliique plures. Celebre etiam est illud ostentum, quod refert Orosius, aliique gravissimæ auctoritatis Scriptores, olei fontem inde, ubi tum erat Taberna meritoria, nunc est templum S. Mariæ Trans Tyberim, erupisse, & dies aliquot per urbem sub Augusto defluxisse. Vide Panvinium de septem Urbis Ecclesiis pag. 81. Donatus scribit lib. 3. de Urbe Roma, cap. 21. *Taberna meritoria, ubi nunc ædes S. Mariæ Trans Tyberim; unde oleum abunde ad fluvium usque fluxisse Ecclesiastica monumenta prodidere, & constans fama, designatusque in templo maximam sub aram locus, veterique hoc titulo notatus:* Fons olei: *abunde testatur.* Locus adhuc ostenditur sub gradu Sacelli majoris, ubi hæc leguntur: *In hac prima Dei Matris Ædc, Taberna olim Meritoria, olei fons emanans Christi ortum portendit.* Nulla de veritate miraculi dubitatio: illud futuri ortus Reparatoris nostri indicium fuisse dicitur, sed cum quadraginta annis ante contigerit, quam Jesus est natus, non recensetur inter ea miracula, quæ in Nativitate Christi edita sunt. Antonius Bineus, Auctor heterodoxus, tract. de Natali Jesu Christi lib. 2. cap. 3. num. 15. aliquot miracula rejicit, quæ in Christi Nativitate dicuntur contigisse, illa, exempli causa, Delphicum oraculum eo tempore obmutuisse; Pacis Templum corruisse; Augustum, qui sublimem in aere vidisset B. Virginem Filium suum in ulnis gestantem, aram in Capitolio dedicasse cum hac epigraphe: *Ara Primogeniti Dei*; ac Baronium increpat, quod in apparatu ad Annales nu. 26. scripserit, in Capitolio aram illam excitatam fuisse contra Rupem Tarpejam, ubi nobilissimum illud Jovi Capitolino dedicatum fuerat Templum, e cujus ruderibus ædificata Ædes, quæ nunc dicitur *Ara Cœli*. Sed tota Binei disputatione nihil plane commovemur. Nam, quod ad Delphicum oraculum attinet, etiam e Catholicis dubitarunt non pauci num conticuerit. Quid autem de Templi Pacis excidio senserit Baronius, paullo ante exposuimus: de ara vero ab Augusto erecta Baronius Suidam, & Nicephorum affert Auctores; quorum fidem suspectam esse monet, nec temere ab iis sumenda esse testimonia. Frater quidam Casimirus Ordinis Minorum Monumenta historica edidit Romæ anno 1736. *de Ecclesia, & Conventu B. Mariæ in Ara Cœli*, & cap. 1. tum de tempore cum Ædes illa fuit ædificata, tum de loco, & an e fundamentis Templi Jovis Capitolini excitata sit, multiplices opiniones recensct.

De ipsa Solemnitate instituenda sermo.

54. Iis quæ ad Mysterium pertinent explicatis, instituti nostri postulat ratio, ut de ipsa Solemnitate verba faciamus. Locus hic esset aptissimus ad differendum de Sacro Adventu, ac de Festivitate Expectationis Partus, de qua in secundam Operis nostri Partem sermonem rejicimus; fuse vero de Adventu Institutione XI. disseruimus; quamobrem de Pervigilio hic, & de ipso Natali die tantummodo disputabimus.

Quid olim essent Christianorum Pervigilia.

55. Rudem profecto & omnino sacrarum rerum

quæ in Christi Nativitate contigisse feruntur quorum nulla mentio in Sacris patrum.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rum expertem esse eum oportet, qui nesciat Pervigilia conventus fuisse Fidelium nocturnos ad Deum deprecandum. Eos conventus Plinius commemorat epistola ad Trajanum, in qua mores describit Christianorum: *Quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmemque Christo tanquam Deo dicere*: atque eo alludit Tertullianus libro ad uxorem cap. 4. ubi exponens, quam impedita esset Fidelis mulier, quæ infideli nupsisset viro, ait: *Quis* (vir infidelis) *nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo abscedere conjugem suam libenter feret?*

Nativitatis Pervigilium omnium celeberrimum permissum agitari nocturnis etiam nunc ab Ecclesia, sublatis cæteris omnibus nocturnis Conventibus.

56. Sancti Natalis Pervigilium inter cætera semper fuit percelebre, & cum jejunio conjunctum. *Ea fuit Ecclesiæ pia consuetudo, ut præcipuas Solemnitates, Sanctorumque Festivitates Vigiliis præveniret, inter quas cum non infimum locum semper obtinuerit Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, suam etiam ab initio Vigiliam habuisse minime ambigimus, quam cum jejunio celebratam fuisse discimus ex S. Augustini epistola 65. novæ edit. ad Xantippum.* Verba sunt Martene tom. 4. vet. edit. cap. 2. num. 1. Huc accedit quod scripsit S. Cæsarius in Regula ad Virgines: *Natali Domini, & Epiphania ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est.* Narrat S. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 87. in Natalis Pervigilio Episcopalibus Officiis obeundis sessum se ad paullulum somni capiendum secessisse; hominem sibi incognitum adstitisse in somnis, seque semel atque iterum excitasse; cumque nihilominus in somnum esset relapsus, hominem illum ei alapam impegisse, atque in hunc modum eum increpasse: Ita ne vero tu dormis, cujus est curare ut cæteri vigilent? quæ causa fuerit, ut statim ad Templum redierit. Gravissimis causis permota Ecclesia, ut scandala plura tollerentur, nocturnos agitari conventus vetuit; nocturnaque pervigilia hoc tempore duntaxat Monachæ, & alia quædam Religiosorum Collegia celebrant, quod observat Ferdinandus Mendoza lib. 3. de confirmando Concilio Illiberitano in Notis ad Can. 36. tom. 1. Concil. Collect. Labbeanæ pag. 1227. Verum ex eo interdicto Pervigilium Natalis Domini eximitur, quod non modo jejunio, sed ex veteri consuetudine etiam nocturnis conventibus in Ecclesiis, cantandisque Officiis, & post mediam noctem Sacrificio peragendo celebratur. De ea disciplina fuse disseruimus Institut. 13. Videatur Florentinius Exer. 2. in qua de veterum Vigiliarum usu, ac de Pervigilio Nat. Chr. Dom. erudite disputat.

Post Pascha & Pentecosten primum hoc Festivitas locum tenet. Duo peculiaria hujus Solemnitatis privilegia.

57. Festum diem Nativitate Christi consecratum non modo inter omnes celeberrimum esse, sed post Pascha & Pentecostem primum locum obtinere, omnes consentiunt. Observavit Martene loc. cit. cap. 12. num. 2. Sacra idcirco Concilia gravissimas in eos Clericos edidisse Sanctiones, qui in ea Solemnitate ad Ecclesiam non venirent. Et Bailletus Hist. hujus diei nu. 14. abunde probat, etiam secularibus quibusdam legibus in honorem Natalis diei Jesu Christi decretum esse, ut de præcepto festi dies essent omnes, qui a Natali Christi die ad Epiphaniam decurrunt. Nunc vero duo tantum restant vetustæ disciplinæ monumenta, quæ Solemnitatis magnitudinem declarant; quorum alterum, ut si Natalis Christi dies in diem cadat, quo carnium usus est interdictus, iis nihilominus vesci liceat *propter Festi excellentiam*, ut ait Honorius III. in cap. *Explicari* de Observantia jejuniorum; alterum, ut Natali Christi die quilibet Sacerdos ternas Missas celebret, ut videre est in Can. *Nocte Sancta*, ubi Glossa, de Consec. Dist. 1. & cap. *Consuluisti*, ubi itidem Glossa, de Celebratione Missarum. Tres Christi Domini ortus ternis hisce indicari Missis docet Pougetus Institut. Cathol. tom. 1. pag. 814. primum ab æterno in sinu Patris; in tempore alterum in utero Virginis; tertium denique in Justorum animis, in quibus innascitur, & habitat per Fidem. Ac ortum quidem Christi in tempore e Virginis utero repræsentari docet in prima Missa; quæ in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis post mediam noctem celebratur. Secunda vero Missa, quæ in iisdem Ecclesiis illucescente celebratur aurora, recoli memoriam ejus nuncii, quod ab Angelo Pastoribus de nato Christo allatum est, atque ita Christi Nativitatem in animis justorum celebrari: Tertia denique, quæ ante meridiem peragitur, æternam Christi Nativitatem in sinu Patris commemorari, quæ causa fuit ut epistola ejus Missæ ex cap. 1. Epistolæ ad Hebræos excerpta sit, ubi fuse divus Paulus de æterna illa Nativitate disputat; Evangelium vero ex Joannis cap. 1. legatur, ubi Evangelista velut Aquila in sublime sublatus, divinam a Patre generationem explicat.

Tres Missæ eo die celebrantur. Cujus disciplina falso perhibetur Auctor S. Telesphorus.

58. Ejusmodi disciplinæ trium in Natali Christi die celebrandarum Missarum Auctor fuisse vulgo perhibetur Sanctus Telesph. in Can. *Nocte Sancta* de Cons. Dist. 1. ut videre est apud Vicecomitem l. 3. de antiquis Missæ Ritibus c. 26. Sed in dubium revocatur, num textus ille sit Telesphori. Nam initium ejus epistolæ, unde est excerptus, ex epistola desumptum est Damasi ad Illyricos: *Credimus Sanctam Fidem vestram in Apostolorum eruditione laudatam.* Adde, quod Psalmos 25. 36. & 51. ibi laudari juxta D. Hieron. versionem, observat Pagius in vita Telesphori. Satis præterea compertum est, quam multa viri docti objecerint adversus Ante-Siricianas Epistolas decretales, quominus genuinæ habeantur. Quamobrem alio confugiendum est, ut fontem illum reperiamus, unde verisimile sit ejusmodi disciplinam esse derivatam. Florentinius cit. exerc. 2. pag. 203. ita in rem nostram scribit: *Augetur dubitatio, an Epistola S. Telesphori Papæ genuina sit. Jam docti viri non desunt, qui adductam decretalem epistolam illius summi Pontificis germanam esse non facile consentiunt.*

Dies aliquot solemnes quibus olim plures Missæ ab eodem Sacerdote celebrabantur.

59. Exploratum est, vetustissimis temporibus plures ab eodem Sacerdote Missas celebrari in aliquibus solemnitatibus consuevisse. Ex vetustis monumentis ostendit Cardinalis Bona Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 18. num. 6. morem fuisse, ut Calendis Januarii binæ celebrarentur Missæ; altera de Octava Nativitatis; altera de B. Virgine; ternas itidem Missas Feria 5. in Cœna Domini probat celebratas esse; alteram ad reconciliandos Pœnitentes; alteram ad Sacrum Chrisma conficiendum; tertiam denique, quæ ad diei solemnitatem pertinet: ac binas itidem Missas in Ascensionis tum Pervigilio, tum Festivitate.

Alia ejusdem generis exempla.

60. Si quod autem desideratur exemplum præter ea, quæ Cardinalis Bona attulit, ac præter illud, quod Alteserra in Commentar. ad cap. *Consuluit* de Celebrat. Missarum produxit ex ordine Romano, Amalario, & vulgato Alcuino, ternas scilicet Missas ab eodem Sacerdote celebrari consuevisse in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ, dicimus Romanum quondam Pontificem solitum fuisse die 29. Junii Sanctis Apostolis Petro & Paulo consecrata duas Missas celebrare, alteram in Vaticana, alteram in S. Pauli Basilica, ut ex Prudentio 4. seculi Poeta apparet, Peri-Steph. hymn. 12.

Aspi-

Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas:
Lux in duobus fervet una Festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
Et his, & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius, qua fert via Pontis Hadriani;
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtyberina prius solvit sacra prævigil Sacedos;
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Vide Josephum Vicecomitem de antiquis Missæ Ritibus lib. 3. cap. 28. ubi ab eodem Sacerdote ostendit in diebus Paschatis, & Festivitatum SS. Petri & Pauli & Joannis Apostoli, Joannis Baptistæ, Laurentii, Marci, & Victoris plures celebrari Missas consuevisse.

Olim Romanus Pontifex hac die celebrabat in Basilica Liberiana in Templo S. Anastasiæ, & in Basilica Vaticana.

61. Cum itaque mos esset, ut ab eodem Sacerdote in aliquibus solemnitatibus eodem die plures Missæ celebrarentur, nonnemo existimavit trium in Natali Christi die celebrandarum Missarum morem vetustæ disciplinæ vestigium esse. Quærit Pougetus: *Cur in Festo Nativitatis Christi ter Missarum solemnia celebrentur a quolibet Sacerdote?* atque ita respondet: *Hoc vestigium est antiqui Ritus, quo diebus solemnibus plures ab eodem Sacerdote Missæ agebantur.* Testatur S. Gregorius, die Christi Natali ideo sermonem unum in compendium conferre, *quia*, inquit, *hodie ter Missarum solemnia celebraturi sumus.* Notatum reperimus in Ordinibus Romanis, Summum Pontificem in Natali Christi die tres celebrare solitum Missas, primam in Basilica Liberiana, alteram in S. Anastasiæ Æde, cujus in hac die, ut diximus, memoria recolitur; tertiam denique in Vaticana Basilica. Dum quædam ex tribus hisce Missis celebraretur, terrimum illud ac nefarium a Cencio Romano Cive perpetratum est scelus, de quo ita Abbas Uspergensis: *Cencius quidam Civis Romanus ex fautoribus Henrici in Nativitate Domini Gregorium Papam in galli cantu Missam celebrantem de Altari graviter vulneratum rapuit, & in Turre sua in custodiam misit.* De aliqua itidem ex his Missis loquitur Albertus Argentinensis in Chronico: *In die quoque Sancto Nativitatis Domini Rex Carolus communicatus fuit, legitque in Missa galli cantu, alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Evangelium: Exiit Edictum a Cæsare Augusto.* Et apud Martene cit. cap. 12. nu. 10. ea cæremonia describitur, qua Imperator, seu Rex aliquis, qui in Sacello Pontificio Officio adesset, gladium manu tenens & vibrans quintam Officii Lectionem canebat. Nunc vero in nocte Nativitatis Domini Summus Pontifex Ducalem pileum & gladium benedicit, qui vel præsenti alicui Principi viro, vel absenti dono datur, ut videre est lib. 1. Sacrar. Cærem. c. 6. De ea cæremonia tractatum scripsit Theophylus Raynaudus tom. 10.

Cencius Romanus Gregorium Papam celebrantem vulnerat.

Hac nocte Romanus Pontifex pileum & gladium Ducalem benedicit.

In Gallia olim duæ tantum Missæ celebrabantur. Tres vero Romæ propter Ecclesiam in honorem S. Anastasiæ dedicatam. Eadem disciplina transiit in Galliam. Quod primo ab Episcopis, deinde ab omnibus Presbyteris usurpatum.

62. In die Christi Natali mos erat in aliis Ecclesiis, præsertim Galliæ, ut binæ ab eodem Sacerdote Missæ celebrarentur. Eadem vero disciplina, qua Romæ tres Missas Summus Pontifex celebrabat, etsi ex iis una celebraretur, propterea quod Romæ sacra esset Ædes in S. Anastasiæ honorem Deo dicata, Roma in Gallias cæteraque regiones traducta est, cum Romanus Ordo Caroli Magni jussu receptus est. Et quamquam primo ea disciplina ad Episcopos duntaxat pertineret, paullatim ad omnes Sacerdotes propagata est, ut conjicit Grancolas in Comment. ad Breviar. Romanum, & post eum, aliosque plures Meratus in Not. ad Gavant. tom. 1. par. 2. pag. 847. Vicecomes lib. 3. de antiquis Missæ Ritibus cap. 27. abunde ostendit, quemvis Sacerdotem ternas olim consuevisse Missas celebrare; non tamen, ut, quæ præsens consuetudo est, nullo intervallo temporis interjecto altera alteram exciperet, sed prima celebraretur media nocte, secunda illucescente Aurora, tertia orto jam Sole, quod etiam nunc in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis usurpatur.

Olim Orientalis Ecclesia 6. die Januarii Nativit. Christi celebrabat. Quo tempore amplexa sit Latinorum consuetudinem celebrandi hanc Solemnitatem 25. Decembris. Joannis Archiepiscopi Nicæni epistola.

63. Certum est, quod jam supra diximus, Christum Jesum in lucem editum esse 25. Decembris die, & nihilominus in quibusdam Orientalibus Ecclesiis morem fuisse Solemnitatem hanc sexta Januarii die celebrandi una cum Epiphania. In occidentali Ecclesia constans, & perpetua fuit consuetudo, ut 25. die Decembris ea Festivitas celebraretur. Vid. Martene loc. cit. cap. 12. Cum autem nunc Orientalis Ecclesia eodem quo Occidentalis die Nativitatem Christi celebret, quæritur quonam tandem tempore in hoc utraque Ecclesia convenerit. Extat in Auctario ad Biblioth. PP. tom. 2. pag. 311. quædam Epistola Joannis Archiepiscopi Nicæni de die Christi Natali, quam e Græco in Latinum sermonem conversam edidit, notisque illustravit Combefisius. Ea in Epistola narrat Joannes, Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum S. Julio Romano Pontifici scripsisse, sibi omnino non licere tres tribus in diversis locis celebrare Festivitates, quæ in Epiphaniæ die agebantur, e quibus erat etiam Solemnitas Natalis Domini; rem hanc Romæ probe fuisse examinatam; tandem *in hunc modum*, inquit, *Julius Romanus Patriarcha mensis Hebræorum, atque Romanorum composuit, a quo tempore cœpit Romana Ecclesia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris die 25. Decembris, tradiditque celebrandum universis Ecclesiis.* Pergit Joannes narrans, S. Basilium jussisse, Gregorium Nazianzenum in Constantinopolitano quodam concilio præcipere, ut 25. Decembris Nativitas Christi celebraretur; huic parere decreto quosdam detrectasse, ac sub Arcadio denique, & Honorio a Joanne Chrysostomo, & Epiphanio, qui in eam rem Cypro accersitus fuerat, definitum esse, ut Nativitas Christi 25. Decembris celebraretur, cui definitioni cæteros omnes Patriarchas subscripsisse.

Storia confutur illa epist. a Combefisio, quam edidit.

64. Recentem fatetur hanc epistolam Combefisius, & fabularum plenam; neque id dissimulat Pagius in vita S. Julii Papæ num. 13. sed negat fabulosum esse quod in ea Epistola traditur de Solemnitate Natalis diei Christi Domini, quod ejusdem rei testes sint uterque Gregorius, Nyssenus, & Nazianzenus, & Joannes Chrysostomus. Cum eo sentit idem in citata Exercit. 2. Florentinius pag. 261. Verum in ea Epistola scribit ejus Auctor, non modo Julium Pontificem jussisse Nativitatem Domini 25. die Decembris in Oriente celebrari, sed ejus tempore Romanam Ecclesiam cœpisse eodem die Festivitatem illam agere. Id vero tanquam fabulosum & commentitium explodit Serry Exerc. 31. num. 3. *Quare putidæ fabellæ arguitur, quod Joannes Nyssenus in vulgata per Combefisium Epistola contestatur, Natalem Christi diem Romæ sub Julio duntaxat Summo Pontifice ad 25. Decembris definitam esse, Patribus diem hanc ab antiquo definitam constanter affirmantibus.*

Ostenditur alia quædam suppositionis nota in illa epistola.

65. Quoniam igitur qui eam epistolam a Græco in Latinum convertit Combefisius, notisque locupletavit, eam suspectæ fidei arguit, libenter nos illius sententiæ subscribimus: cum præsertim epistola Cyrillum quendam Hierosolymitanum Episcopum commemorat ad Julium Papam dedisse litteras, quæ Summo Pontifici occasionem præ-

præbuerint condendi ejus decreti; fabulosum enim id omnino esse oportet, cum Petrus Constantius to. 1. Epistolar. Romanorum Pontificum in appendice pag. 86. apertissime demonstraverit, nullum sub S. Julio Papa fuisse Cyrillum Hierosolymorum Episcopum.

Vetustissima traditione celebratur hæc Festivitas in Romana Ecclesia die 25. Decembris.

66. Eorum etiam sententiæ libentissime subscribimus, qui ex vetustissima Traditione multo ante Sanctum Julium Papam existimant in Ecclesia Occidentali Nativitatis Domini Solemnitatem die 25. Decembris celebratam esse. Quærit D. Augustinus epist. 55. alias 119. num. 2. tom. 2. op. edit. Paris. col. 128. *Cur anniversarius dies celebrandæ Dominicæ Passionis non ad eundem redeat anni diem, sicut dies, qua traditur natus?* atque ita respondet: *Oportet noveris diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari, quod natus sit, ac per hoc nihil opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta est, festa devotione signari.* Et Chrysostomus loco, quem mox afferemus, testatur Romanis *multo ante & ex antiqua Traditione* disciplinam esse, Nativitatem Christi 25. Decembris die celebrandi. Quod itaque ajunt Augustinus *traditur*, & Chrysostomus *ex antiqua Traditione*, satis id luculenter ostendit, multo ante Sanctum Julium Pontificem in Ecclesia Occidentali ea, quam supra diximus, die celebratam esse Christi Domini Nativitatem, falsumque esse, eam diem ab Julio huic Festivitati fuisse præfinitam.

Quarto sæculo videtur Orientalis cum Romana Ecclesia in celebranda Nativitate die 25. Decembris convenisse.

67. Quapropter firmis tutisque documentis innixi Orientalem Ecclesiam quarto sæculo ad Romanæ Ecclesiæ disciplinam arbitramur se conformasse in celebranda Nativitate Domini die 25. Decembris, quam proinde Epiphania sejunxit, quæ Festivitas 6. Januarii die peragitur. Vetera quædam edidit monumenta Zaccagnus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, inter quæ binæ sunt Gregorii Nyseni Orationes. In altera earum ait Sanctus Doctor, morem fuisse in Ecclesia Cappadociæ, ut post S. Stephani Festivitatem Sanctorum Apostolorum solemnitas celebraretur Petri, Jacobi, Joannis, & Pauli; quod etiam tradit in Oratione funebri Sancti Basilii fratris sui; ubi illud addit post eam Festivitatem celebrari S. Basilii solemnitatem, quæ a Græcis Kalendis Januarii peragitur. In hac ipsa Oratione ita de solemnitate Natalis diei Christi Domini loquitur: *Sed primam celebritatem una cum aliis non numero. Nam quæ propter divinam Unigeniti Filii apparitionem per partum Virginis Festivitas instituta est, ea non simpliciter sancta celebritas est, sed sancta Sanctorum, & celebritas celebritatum. Igitur eas, quæ hanc consequuntur, enumeremus.* Ad S. Stephani deinde, cæteraque Festivitates sermonem suum convertit; ex quo luculenter apparet; sæculo quarto Natalem Christi diem 25. Decembris celebratam esse. Nativitatis Festivitatem a solemnitate adorationis Magorum aperte sejungit Gregorius Nazianzenus Orat. 39. in Epiphaniam pag. 632. *Ac Christi quidem Nativitas apta solemnitate prius, tum a Festi Duce & auspice, tum a vobis, atque adeo ab omnibus, tam qui in mundo versantur, quam qui in mundo sublimiores sunt, celebrata est &c. Nunc vero alia Christi actio, aliudque mysterium sequitur.* Cum igitur S. Doctor Festivitatem Natalis Christi ab Epiphaniæ solemnitate sejungat, bene inde conjici videtur, in ejus Ecclesia ea tempestate Natalis Christi diei festivitatem non amplius cum Epiphania, sed hanc quidem sexta Januarii, illam vero Decembris vigesima quinta die celebrari consuevisse. S. denique Chrysostomus primo Sacerdotii sui anno, qui fuit 386. a Christo nato, Orationem habuit in Antiochena Ecclesia ipso 25. die Decembris, qui sermo est 35. de Christi Nativitate tom. 5. pag. 466. & nuperrimæ edit. tom. 2. pag. 364. In eo sermone nondum ait decimum annum expletum esse, ex quo compertum habuerit, Christi Nativitatem 25. die Decembris esse celebrandam, quod ab initio Occidentali Ecclesiæ cognitum erat. *Nondum decimus annus est, ex quo hic dies manifeste nobis innotuit, & ab exordio iis, qui in Occidente habitant cognitus.* Prosectam deinde a Romanis eam disciplinam dicit, quam ex veteri Traditione servaverint. *Romani multo ante, & ex antiqua Traditione ipsum celebrantes, ad nos usque notitiam illius transmiserunt.* Ex hoc Chrysostomi sermone colligitur, in Ecclesiis Antiocheno Patriarchæ subjectis ante annum 376. viguisse consuetudinem Ægyptiorum eodem die Christi Epiphaniam & Nativitatem celebrandi, atque eo ipso anno alteram ab altera esse sejunctam, ac tum primum 25. die Decembris solemnitatem Nativitatis Domini esse peractam.

Nicephori vel refutatus, vel explicatur, qui auctorem hujus festivitatis dicit Justinum Imperatorem.

68. Atque ea sunto, quæ de Festo Natalis diei Jesu Christi huc conferenda esse existimavimus. Nicephorus Hist. lib. 17. cap. 28. pag. 779. ejus Solemnitatis auctorem fuisse tradit Imperatorem Justinum. *Idem Imperator* (Justinus) *tum primum Servatoris exceptionem toto Orbe terrarum festo die honorari instituit, sicut Justinus de Sancta Christi Nativitate fecit.* Id vero quantum ab re ipsa absit & veritate, ipsamet ostendunt, quæ supra attulimus, documenta. Sed illud fortasse intelligit Nicephorus, Justinum per suas leges eorum negligentiam emendasse, qui tantam Solemnitatem non, ut par erat, celebrabant, ut videre est apud Bellarminum tom. 2. lib. 3. cap. 16. §. *Ad objectionem*; & apud Suarez de Religione tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 6. In Occidentalem Ecclesiam pia fuit inducta consuetudo, ut Natali Domini die Mysterium repræsentetur Infantis Jesu in Præsepio, & quod vulgo dicitur, ut Præsepe conficiatur in templis, in Religiosis ædibus, atque etiam in domibus privatorum. Gorius in Opere sæpius citat. num. 17. piæ hujus consuetudinis originem ad sæculum refert decimum tertium, cum S. Franciscus Præsepe ædificavit in Sylva Grecii, ubi in illa sacratissima nocte Nascenti Domino dicata nobilis quidam vir eum vidit divinum puerulum in ulnis gestantem.

Consuetudo repræsentandi sacrum hoc Mysterium in templis & privatis domibus, cujus origo refertur ad sæculum 13.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

DE FESTIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Olim quot institutæ Solemnitates in honorem Deiparæ. Proponitur hujus secundi Libri materia, ac primum agitur de Festo Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph die 23. Januarii.

Tres, & deinde quatuor solemnitates usque ad tempus S. Bernardi reperiuntur institutæ.



Res in honorem Beatæ Virginis Solemnitates Lugdunenſis quædam Synodus commemorat, quam affert Gratianus in Can. *Pronuntiandum* de Conſecrat. Diſt. 1. Sunt autem *Purificatio*, *Aſſumptio*, *Nativitas*. Gregorius IX. Summus Pontifex in Decretali *Conqueſtus* tit. de Feriis inter eos dies, quibus non licet jus dicere, feſta quidem omnia B. Virginis recenſet; ea tamen quæ ſint nuſquam tradit. Nihilominus ex ſermone S. Bernardi I. in *Salve Regina* perſpicuum eſt, quatuor ejus ætate in honorem B. Virginis celebratas eſſe ſolemnitates: *Quater in anno Ordo noſter devotiſſime concinit*: ad quæ verba Mabillonius Nota 303. tom. 5. & 6. S. Bernardi hæc ſcribit: *Nimirum in quatuor ſolemnitatibus in honorem B. Virginis tunc temporis inſtitutis, Purificatione, Annuntiatione, Aſſumptione, & Nativitate; nam aliæ poſtmodum inductæ ſunt.* De cujuſque Feſti in honorem B. Virginis inſtitutione in hac ſecunda Commentarii noſtri Parte ſermonem habebimus: atque ut eam, qua in priori parte progreſſi ſumus, viam teneamus, a Deſponſatione B. Mariæ Virginis cum S. Joſeph ordiamur, quæ 23. Januarii celebratur.

Circa feſtum deſponſationis primum

2. Utcumque de iis ſit judicandum, qui ſua quadam opinione ducti cenſuerunt, inter B. Virginem & S. Joſephum non contractum fuiſſe verum matrimonium, *Conjunctio autem non ultra Sponſalia progrediebatur*, quæ ſunt verba Gregorii Nyſſeni in Orat. de Natali Domini, nunc tamen ſaltem temeritatis argueretur, qui tale quippiam pronunciare auderet. Sic enim de ea propoſitione ſcribit Cardinalis Capiſucchius Controv. 14. §. 9. *Ut minimum tamen temeraria cenſenda videretur; cum conſtet totam Scholam cum Magiſtro & Angelico Doctore in affirmantem ſententiam conſpirare, & omnes Sanctos Patres bene perpenſos idem dicere.* Dicitur *ut minimum temeraria;* Suarez enim hæreticum eſſe illum cenſet, qui negaret verum fuiſſe matrimonium inter B. Virginem & S. Joſephum; ejuſmodi vero Cenſuram acerrime tuetur Theophil. Raynaudus in Diptychis Marianis tom. 7. ſuorum Operum pag. 43. qui hæreſis illi notam inurit, qui Sponſalia inter B. Virginem & S. Joſephum in verum tandem matrimonium, licet Sacroſanctum ſine ulla corporum commixtione, tandem abiiſſe negaret.

Statuitur verum inter Deiparam & S. Joſephum fuiſſe matrimonium.

Quod probatur ex pluribus Evangelii locis.

3. Profecto textus ſunt ex Evangelio apertiſſimi, in quibus S. Joſeph vir B. Viginis, & rurſus B. Virgo S. Joſephi uxor appellatur. Matthæi cap. 1. verſ. 16. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ*, & verſ. 10. *Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus;* & verſ. 20. *Joſeph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam* & verſ. 24. *Exurgens autem Joſeph accepit Conjugem ſuam*, & Lucæ cap. 2. v. 4. *Aſcendit autem & Joſeph ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Præterea ex Matthæi cap. 13. Lucæ cap. 3. & Joannis cap. 6. perſpicuum eſt, Hebræos vulgo in ea fuiſſe opinione, Jeſum Chriſtum Joſephi, ideoque fabri filium, & Joſephum ejus Patrem fuiſſe: *Cujus opinionis, tametſi falſæ, non alia fuit cauſa, quam quia ſciebatur matrimonium vere fuiſſe contractum inter Joſeph & Ma-*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& Mariam: alioqui enim haud dubie Chriſto objeciſſent Judæi, quod ex fornicatione genitus fuiſſet, ſi quo modo de Conjugii veritate dubitatum fuiſſet. Verba ſunt Eſtii in 4. ſententiar. diſt. 30. §. 6.

Decuit Deiparam fuiſſe nuptam ut D. Thomas.

4. Angelicus Doctor in 3. part. quæſt. 29. art. 1. quaſdam affert congruentias, quibus divinæ placuit Providentiæ, ut Chriſtus e Virgine quidem, ſed nupta naſceretur; & in art. 2. inter B. Virginem & S. Joſephum verum contractum eſſe matrimonium probat. Eaſdem congruentias, quas affert D. Thomas, apud Sanctum quoque Bernardum reperias Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, & apud Hieronymum lib. 1. Comment. in cap. 1. Matthæi, quæ in hujus diei Officio leguntur. Inter eas rationes, quibus decuit B. Virginem fuiſſe nuptam, illa recenſetur, ne Chriſtum Dominum velut illegitimum Infideles aſpernarentur, atque ut B. Virgo ab omni probro eſſet libera, neve pœnam ſubiret, cui tanquam adultera obnoxia fuiſſet. Rationem aliam addit S. Ignatius: *Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur a Deſponſata conceptus ſit, ut partus, inquiens, ejus celaretur Diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de uxore generatum.* Vide Thomaſſinum Theologicor. Dogmat. tom. unic. de Verbi Dei Incarnat. lib. 2. cap. 3. num. 12. ubi poſt SS. Ambroſii & Bernardi verba ita concludit: *Quibus locis hæ attinguntur rationes, cur Virginem conjugii nomine obumbrari decuerit, primo ne adulterii infamia tenerrimus Virginis pudor adureretur; ſecundo ut partus virgineus Diabolo celaretur, nec a ſalute mundi, ideſt Cruce Chriſti præparanda cruentas ille manus abſtineret.*

S. Ignatii Martyris ratio de hac re explicatur.

5. Poſtremam hanc rationem ſibi non ſatisfacere ait Maldonatus in Matth. cap. 1. verſ. 18. Tom. 2. col. 36. *Sed hanc rationem malo libere fateri me non intelligere, quam temere reprehendere. Non, inquam, intelligo, quomodo Diabulus Mariæ Virginitatem, ſi modo animadvertit, potuerit ignorare cum integrum & incorruptum corpus quamvis nuptæ videre poſſet.* Toletus Cardinalis in Lucam cap. 1. ait, homini notam eſſe poſſe alicujus fœminæ virginitatem, multoque magis Diabolo, ſed Deum voluiſſe ut Diabolus id in B. Virgine non adverteret. *Deo tamen permittente, & volente Dæmon non advertit; cernens enim illam eſſe conjunctam, cætera ſpeculari contempſit, matrimonio omnem illi impediente ſuſpicionem, crediditque partum eſſe ex viro; cui ſciebat fœminam eſſe deſponſatam.* Quæ reſponſio ex D. Thoma eſt deprompta loc. cit. art. 1. ad tertium. Eam illuſtrat Eſtius loco ſupra allato §. 7. *Unde quia B. Virgo virum habebat, nec integritatem ejus, nec concipiendi modum perſcrutatus eſt; ſed, ut ait Baſilius, Virgines innuptas præcipue obſervabat, quia Virginem parituram ex Propheta didicerat. Quod ſi extra matrimonium Virgo fuiſſet imprægnata, Virgineum illum Conceptum & Partum cognoviſſet Diabolus hoc argumento: Concepit extra matrimonium, non ex fornicatione; neque enim id me lateret, qui ſum auctor fornicationis: ergo concepit de Spiritu Sancto.*

Matrimonium inter B. Virginem & S. Joſephum exponitur.

6. Nunc vero ad conſiderandam matrimonii naturam inter B. Virginem & S. Joſephum devenientes dicimus, omnem de hac re difficultatem non in carnalis copulæ defectu, ſed in voto virginitatis conſiſtere, quam Sanctiſſima Virgo, antequam S. Joſepho nuberet, profeſſa fuerat. Matrimonium ſiquidem etiam ſine copula conſtat; quod enim Matrimonium fuit inter Adam & Evam ante peccatum (nam nonniſi poſt peccatum concubuerunt) veri matrimonii naturam habuit. Scilicet verum eſt matrimonium, etiam ſecluſa copula, quod ratum dicitur; ſi accedat copula, matrimonium conſummatum vocatur. Ac tria in Matrimonio potiſſimum ſpectanda ſunt, ſubſtantia, uſus, & finis. Subſtantia eſt mutua in corpus poteſtas; uſus eſt conjugalis copula, qua viciſſim in ſua ſibi corpora tradita poteſtate utuntur; finis denique eſt liberorum procreatio. Uſus a ſubſtantia ſejungi & ſubſtantia ſine uſu eſſe poteſt. Id vero contigit in eo matrimonio, de quo nobis eſt ſermo, & in pluribus etiam aliis conjugiis, in quibus mutuo conſenſu conjuges ſervavere virginitatem, quorum exempla erudite congeſſit Benedictus Papa XIII. de nobis optime meritus ſerm. 10. de vita B. Virg. n. 10. t. 1. Omnis etiam eſſe poteſt in Matrimonio ſubſtantia ſine fine; ſed in Matrimonio B. Virginis fuit finis & fructus, *non ex eo natus ſed in eo*, ut loquuntur Theologi. Itaque S. Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis cap. 2. concludit in hæc verba, quæ refert Gratianus in Can. *Omne* 27. quæſt. 2. *Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in illis Parentibus Chriſti, Proles, Fides, Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum; Fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.*

De voto Virginitatis B. Mariæ. Partitio triplex.

7. Omnis igitur difficultas redit ad votum Virginitatis B. Virginis: atque ut ad hanc rem examinandam paratiores aggrediamur; primo quærendum eſt, an B. Maria Virginitatem voverit; ſecundo, voveritne abſolute & ſimpliciter, an vero ſub aliqua conditione; tertio, quando ejuſmodi votum emiſerit.

B. Virgo Virginitatem vovit. Caſaubonus confutatur.

8. Nulli profecto dubium eſſe poteſt, quin Maria Virgo voverit Virginitatem. Cum monita fuit ab Angelo filium ſe parituram, ei reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quæ quidem reſponſio abunde probat, eam perpetuæ Virginitatis votum feciſſe; quod pulchre explanat Scotus in 4. ſentent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. *Plana enim res eſt, verbum illud non facere ſenſum, qui eſt, non cognovi: quia illud ad conceptionem futuram impertinens erat; ſed ſenſus fuit, quoniam virum non cognoſcere ſtatui, votoque firmavi.* Conſonat Lamy Harmon. Evangel. lib. 1. cap. 3. num. 34. cujus ea ſunt verba: *Alioquin enim reſponſio Mariæ non convenit verbis Angeli. Etſi enim tunc virum non cognoſceret, poterat cognoſcere, ubi ejus in domum deducta eſſet. Ergo, ut SS. Patres docent nos, reſponſio Mariæ indicat, eam voto fuiſſe amplexatam perpetuam Virginitatem.* Atque ut rem ſimilitudine explicet, ait, B. Virginem eo ſenſu fuiſſe locutam, cum dixit, *Virum non cognoſco*, quo Carthuſianus diceret, *Carnibus non veſcor*. Atque hæc doctrina illis innititur, quæ ſcripſit Auguſtinus lib. de Sancta Virginitate cap. 4. tom. 6. oper. col. 343. *Quomodo*, inquit *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quod profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet.* Eandem doctrinam illuſtrat etiam Baronius in apparatu ad Annales §. 56. Caſaubonus exercitat. in Baronium num. 24. pag. 108. non diſſitetur, ea verba, *Virum non cognoſco*, vim habere ſignificandi votum Virginitatis editum ante initum matrimonium. *Nyſſenus & Auguſtinus urgent Deiparæ reſponſionem, Virum non cognoſco: quod argumentum mihi quidem videtur non eſſe adeo contemnendum.* Nec quidquam commoveri ſe profitetur, quod ejuſmodi voti nullum antea exemplum extiterit, & Chryſoſtomi ſententiam amplectitur Homil. 4. in Matthæum, qui aliam eſſe ait eorum conditionem, qui vivunt in lege Gratiæ, quam ſit eorum, qui in lege vivebant Moſaica: plura enim & perfectiora ab iis re-

requiri, quam ab iſtis. Sed, quod mirere, pulchre hæc præloquutus in contrariam diſcedit ſententiam: *Hæc etſi vere, ni fallor, & pie dici poſſunt; de voto tamen Virginitatis ante nuptias a Maria facto, temere veteribus, qui iſta prodiderunt, non auſim equidem aſſentiri.* Id ſcilicet ab eo expreſſit ſuſceptum impugnandi Baronii conſilium. S. Bernardus ſermone de Dominica infra Octavam Aſſumptionis ait, primam fuiſſe B. Mariam, quæ Virginitatem voverit: *De cætero ſane & virginitatem carnis, & propoſitum virginitatis maxime & ipſius quoque propoſiti novitas evidenter illuſtrat, quod videlicet in libertate ſpiritus Legis Moſaicæ decreta tranſcendes, illibatam Deo corporis ſimul & ſpiritus ſanctimoniam vovit.* Et Baronius loc. cit. §. 57. hanc eſſe teſtatur Græcorum Patrum & Latinorum ſententiam: *A qua ſcio neminem diſſentire, niſi ſtolidiſſimorum hæreticorum factionem & ſatellitium, qui ad impugnanda ſacra vota virginitatis & continentiæ egregiam diabolo navant operam.*

Jephte non vovit filiæ virginitatem.

9. Illud enim futile eſt, quod quidam dicunt, Jephte filiæ virginitatem voviſſe; & illius voti, quo holocauſtum Deo, ſi victor rediret e pugna, pollicitus erat, religione ſe liberaſſe, conſecrata tantum filia, & perpetua ejus Virginitate promiſſa. Nam Jephte, ut conſtat ex cap. 11. v. 30. Judicum, in holocauſtum, ſi victoriam conſequutus eſſet, Deo illum vovit, quiſquis futurus eſſet, qui ſibi e prælio redeunti primus occurreret: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Suam itaque ipſius filiam adhuc Virginem ſibi primam omnium occurrentem teneri ſe voto putavit, ut offerret, id eſt interficeret; prout revera necavit; quapropter S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum: *Ut qui improſpecte voverat, errorem votorum in Filiæ morte ſentiret.* Huc vero quid attinet votum Virginitatis? Poſtulavit quidem filia Jephte, ut ſibi duo darentur menſes, quibus ſuam defleret Virginitatem. Verum ad id eam non impulit amor Virginitatis, quam uſque ad mortem ſervare vellet, ſed quod ſterilis abiret e vita: id enim fœminis probro erat in Iſrael. Calmetum adeas, ſi libet, qui in Diſſertatione de voto Jephte, poſtquam probavit filiam a patre necatam fuiſſe, ait: *Quæ vero ſtruuntur de conſecratione filiæ Jephte, atque ipſius ad cœlibatum abdicatione, hæc nobis ad arbitrium mere excogitata creduntur, cum ne verbum quidem in Lege ea de re occurrat, neque ea afferantur monumenta, quæ rem extra controverſiam poſuerint. Nonne in Scriptura rotundis verbis aſſeruntur executioni mandata a Jephte omnia quæ voverat? Et fecit ei ſicut voverat. Pollicitus fuerat holocauſtum: holocauſtum ergo obtulit.*

B. Maria diverſis temporibus, primo ſub conditione, deinde abſolute virginitatem vovit.

10. Quod ad qualitatem attinet voti Virginitatis, quam vovit B. Virgo, utrum ſcilicet ſub aliqua conditione, an vero abſolute & ſimpliciter eo ſe alligaverit, docet D. Thomas 3. part. qu. 28. art. 4. tempore legis Moſaicæ virorum & fœminarum fuiſſe partes præcipuas ut liberos gignerent; ideoque B. Virginem, antequam S. Joſepho nuberet, Virginitatem voviſſe, ſub ea tamen conditione, id ſi Deo placeret: *Mater Dei non creditur, antequam deſponſaretur Joſeph, abſolute virginitatem voviſſe: ſed licet eam in deſiderio habuerit, ſuper hoc tamen voluntatem ſuam divino commiſit arbitrio.* Et in 4. ſentent. Diſt. 30. qu. 2. art. 1. quæſt. 1. *ad primum* ita ait: *Beata Virgo fuit confinium veteris & novæ legis, ſicut aurora confinium eſt diei ac noctis: & ideo votum ejus ſapuit novam legem, in quantum virginitatem vovit; & veterem in quantum conditionem appoſuit.* Sed hæc ſententia quibuſdam non probatur, quod votum nulla conditione appoſita perfectius ſit, quam quod pendet a conditione. Præterea illa conditio ineſt in omni promiſſione & voto, ut diſputat Eſtius §. 4. loc. cit. Nos vero, quin opus ſit a D. Thomæ doctrina recedere, exiſtimamus, B. Mariam Virginitatem diverſis voviſſe temporibus, modo conditione addita, modo nulla conditione appoſita.

Hæc ipſa eſt D. Thomæ ſententia.

11. Antequam nuberet B. Virgo, ſæpenumero de vovenda virginitate cogitavit; quod quidem ſe vehementer cupere Deo declaravit; ſed cum id Legis conſuetudini adverſari videret, vovit virginitatem, ea tamen appoſita conditione, quam modo memoravimus. Id autem Deo placere divinitus facta eſt certior; ac propterea, antequam nuberet, abſolute vovit virginitatem: quamobrem D. Thomas cit. par. 3. qu. 28. art. 4. *ad primum* diſerte ait: *Poſtquam autem ei innotuit, hoc eſſe Deo acceptum, abſolute vovit, antequam ab Angelo annunciaretur.* Illud autem votum, quod, antequam S. Joſepho nuberet, abſolute voverat, matrimonio inito cum Joſepho rurſus renovavit; quod eruitur ex ipſo D. Thoma in 4. ſentent. Diſt. 30. qu. 2. art. 1. qu. 2. *ad ſecundum: B. Virgo antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quod Joſeph in ſimili propoſito erat.* Vide Gottum par. 1. tom. 4. de Verit. Relig. Chriſt. cap. 3. §. 7. num. 48.

Quæritur, qui Deo para, virginitatis votum ratum facere, ſi pueritiæ tabat?

12. Verum ſi B. Virgo, antequam matrimonio cum Joſepho jungeretur, Virginitatem perpetuam voverat, ſuboritur ea, quam propoſuimus, quæſtio, qui ei licuerit ſui corporis, quod Deo jam conſecraſſet, matrimonio inito poteſtatem viro dare; cum præſertim juxta Canonum Decreta nullius roboris ſit matrimonium ſub conditione contractum liberorum non procreandorum, ut videre eſt in Decretali *ſi conditiones*, de conditionibus appoſitis. Quæſtionem hanc primus propoſuit quidam, cujus nomen eſt incompertum, Hugoni a S. Victore 12. ſeculi Theologo, ut conſtat ex ejus libro *De perpetua Mariæ Virginitate*. Reſponſio tamen in proclivi eſt. Generatim enim veriſſimum eſt, nefas eſſe corporis, quod Deo per Virginitatis votum fœmina conſecraverit, matrimonium ineundo poteſtatem viro dare; ſed minime id verum eſt in hoc ſingulari caſu, in quo qui virginitatem vovit, divinitus cognovit; alteri Conjugi jam certum eſſe virginitatem perpetuo colere, ut plane contigit in conjugio B. Virginis cum S. Joſeph. Ea enim antequam nuberet, monita a Deo fuerat, ne de Virginitate, quam perpetuo coleret, eſſet ſollicita; Joſeph enim cum ea idem plane ſentire. Itidem veriſſimum eſt, irritum eſſe conjugium, quod ſub conditione contrahitur non procreandi liberos. At minime verum eſt; nullius roboris eſſe matrimonium, quod, ſemota illa conditione, ut plane in Matrimonio B. Mariæ contigit, contrahitur cum præſcientia, vel nullos inde fore liberos, vel, ſi qui extiterint, eos non humana opera eſſe procreandos. Docet id S. Thomas in 4. ſentent. Diſt. 30. qu. 2. art. 1. qu. 2. *ad ſecundum: B. Virgo antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quod Joſeph in ſimili propoſito erat, & ideo non ſe commiſit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum: talis enim conditio*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ditio cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret.

Quoto ætatis anno Deipara nupserit. S. Josephus senex non erat, cum B. Mariam uxorem duxit.

13. Quæritur hic, quoto ætatis anno B. Maria Josepho nupserit; quot annos itidem natus Josephus B. Mariam uxorem duxerit. B. Mariam quatuordecim annos natam, communis est fere omnium sententia: id enim ætatis est, cum puellæ concipiunt. Saxius tom. 1. de Laudibus B. Mariæ pag. 59. *Et ex multis*, inquit, *quos legi Scriptoribus, fere omnes in hac sententia sunt*. Josephum vero octoginta natum annos B. Mariam in matrimonium duxisse, non fit illi verisimile; quam sententiam S. Epiphanii hæresi 51. omnino rejicit. Neque enim facile quis crediderit, Virginem summa senectute viro nupsisse. Josephus autem, qui jam id esset ætatis, viarum molestias itinerumque qui potuisset perferre? Nec si tam grandis natu fuisset Josephus, qua senectute illum fuisse existimat Epiphanius, & pingunt nostri pictores, satis honori tum B. Mariæ, tum etiam Filii contra Judæorum calumnias fuisset consultum. Porro de Josephi senectute inde orta est opinio, quod aliam antea uxorem in matrimonio habuisse, ex eaque liberos suscepisse credatur; quod a vero quantum absit, demonstravit Baronius in apparatu num. 61. cum assentitur Andreas Schmidius, licet heterodoxus, in Prolusione Mariana 3. tom. 77. Miscellaneorum Bibliothecæ Cardinalis Passionei.

De Institutione hujus Festivitatis, atque ejus Officio.

14. Atque hæc de hujus Festivitatis Mysterio. Reliquum est, ut quædam de ejus institutione attingamus. Carnotensis quidam Canonicus qui seculo 15. migravit e vita, scripsit in Testamento suo, ut in die sui obitus Capitulum solemnem de S. Josepho commemorationem faceret, quod cognitum haberet, S. Josephi laudem in B. Virginis laudem redundare. Joannes Gerson Parisiensis Universitatis Doctor & Cancellarius, qui præcipua quadam devotione S. Josephum colebat, monuit defuncti voluntatem impleri posse tripliciter. Inter eas rationes perficiendi quod Canonicus ille mandaverat, proposuit Officium Desponsationis B. Virginis cum S. Joseph, quod ipse etiam composuit. Narrat Georgius Colvenerius in Calendario B. Virginis ad diem 23. Februarii scriptum quidem fuisse Officium a Joanne Gersone, sed intercidisse. Nunc vero in Joannis Gersonis operibus omnibus, quæ formis Antuerpiensibus edita sunt anno 1706. tom. 4. pag. 731. binæ apparent ejusdem Auctoris Epistolæ de Officio Desponsationis; atque ibi Officium illud exhibetur integrum; & pag. 742. duorum Codicum Manuscriptorum fide monemur, jussisse Legatum Pontificis Festivitatem Matrimonii S. Joseph celebrari. Si Legato obtemperatum fuit, certe ejus jussui paruit vel Ecclesia Carnotensis, vel regio tota, quæ ejus Legationi esset subjecta. Propterea legimus seculo 16. Paulum III. Joanni Calvo Fratrum Minorum Commissario concessisse facultatem, ut Fratres Minores, Sororesque Officium Desponsationis B. Virginis cum S. Josepho recitarent expressum ex Officio de Nativitate, mutata voce *Nativitatis* in *Desponsationis*, & adhibito Evangelio proprio: *Cum esset desponsata*, donec novum de hac Festivitate Officium componeretur. Illis vivebat temporibus Petrus Dorè Ordinis Prædicatorum magni vir nominis ob plura quæ scripsit opera, cujus Catalogum confecit Jacobus Echard tom. 2. de Scriptoribus illius Ordinis pag. 203. Huic Paulus III. mandavit, ut Officium proprium componeret; illiusque Pontificis litteras, quibus mandatum ejus continetur, apud citatum Colvenerium reperias. Officium autem a Petro conditum concinnatumque Pontifex probavit, ut videre est apud Bollandistas ad diem 19. Martii in Vita S. Joseph §. 7. Utrum autem Officium illud ad universalem Ecclesiam extensum fuerit, antequam Breviarum Romanum reformatum esset, neque negare possumus, neque affirmare. Illud ex S. Rituum Congregationis Regestis apparet, post Breviarii reformationes pluribus Ecclesiis intra Italiam & extra recitandi ejus Officii facultatem esse concessam, atque in omnibus Ecclesiasticæ Ditionis regionibus recitari ex Indulto Benedicti XIII. die 22. Augusti 1725.

De S. Annulo, qui Perusiæ asservatur.

15. Perusiæ conservatur annulus, quem B. Virgo, cum Josepho nupsit, dicitur induisse. Hunc annulum, qui de eo historiam edidit Joannes Baptista Laurus Perusinus, scribit sub Gregorio V. fuisse inventum: quadringentis octoginta quatuor annis in Clusina urbe asservatum in Perusinorum manus venisse. Apud Xystum IV. lite & judicio Clusinos annulum persequutos; quibus a Joanne Baptista Sabello Cardinali Legato Pontifex illud reddi jussit. Verum, Xysto morte sublato, Innocentium VIII. Perusinis eam causam adjudicasse. Abrahamus Bzovius de illo annulo veluti de re verisimili scribit in Epistola ad Laurum, qui illam in historia inseruit. Adversus hunc annulum quantos clamores edidit Andreas Rivetus Auctor heterodoxus, in lib. 2. Apolog. pro S. Maria c. 9. cujus quis non videat nimis acrem asperamque censuram hebescere, qui sciat nos, quæ talibus in rebus satis esse videtur, probabilitatem solum expetere, nec firmissime quidquam de illo annulo asseverare, sed, quod traditur, tantum pie credere? Pompejus Pollinus de S. annulo fuse disseruit. De illo nuperrime prodiit in lucem Sermo Perusino Magistratui nuncupatus; multaque ibi ad huic reliquiæ adstruendam fidem argumenta afferuntur. Sed nos, servata Reliquiæ veneratione, quæ illi debetur, sedulo monendos ducimus illa qui legerint, ne ex Actis Xysti IV. & Innocentii VIII. sibi persuadeant, Apostolicam Sedem genuinum sanctum illum annulum judicasse. Nam sub illis Pontificibus illud tantummodo disceptabatur, utri populo Clusinisne, an Perusinis Sacer annulus esset adjudicandus: & quamquam in eo judicio præsumebatur ejus annuli veritas, attamen quis ignorat, aliud esse præsumere, aliud definire ac declarare? Multa quidem a Summis Pontificibus de certis quibusdam reliquiis jubentur; sed ea diserte apposita, vel certe subaudienda clausula, ut, quod ad earum veritatem pertinet, sua cuique sit probabilitas, cui nihil censeri debeat auctum; ut in Opere de Canonizatione Sanctorum ipsi docuimus de reliquiarum identitate disputantes, ac de hac clausula, quam suis rescriptis Sacra Rituum Congregatio sæpe apponit, *Citra tamen approbationem reliquiæ.*

CAPUT II.

De Festivitate Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Die 2. Februarii.

Duplex ex Testam. Veter. lex præscripta, ubi mulier enixa esset.

1. FEstus de Purificatione Beatæ Virginis dies quarto nonas Februarii celebratur, cujus ut Mysterium explicemus, duas observabimus leges fuisse in Veteri Testamento; alteram in Levitico cap. 12. v. 2. in Exodo alteram cap. 13. v. 12. Levitici lege præscribitur: ut quæ mulier, susceptio semine, peperisset masculum, ea septem diebus esset immunda, *juxta dies separationis men-*

menſtruæ; atque ut immunda itidem remaneret tribus & triginta diebus inſequentibus: *Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*; neque Sanctuarium ingrederetur; elapſo vero eo tempore, illuc ſi introire vellet, deferret *agnum anniculum in holocauſtum, & pullum Columbæ, ſive Turturem pro peccato*: quod ſi paupercula egenſque fuiſſet, offerret *duos Turtures, vel duos Pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato*. Altera vero, quæ eſt in Exodo loc. cit. lex jubet, primogenitum omne maſculum Deo conſecrari. *Separabis omne, quod aperit vulvam, Domino, & quod primitivum eſt in pecoribus tuis: quicquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino*. Filium tamen hominis primogenitum jubet redimi argento. *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes*: ideſt quinque ſiclorum pretio: *Accipies quinque ſiclos per ſingula capita ad menſuram Sanctuarii. Siclus habet viginti obolos*; ut eſt in lib. Numer. cap. 3. v. 47.

Iis legibus nec B. Maria, nec Jeſus obſtringebatur.

2. Levitici lege, quæ de muliere loquitur, quæ *ſuſcepto ſemine* peperiſſet, profecto non aſtringebatur B. Virgo; ea enim Spiritus Sancti opera conceperat, quod fuſe probat Durandus Epiſcopus Montis Feltri tom. 2. Revelat. S. Birgittæ Romanæ edit. an. 1627. pag. 117. in Notis, & ipſi D. Bernardi auctoritate demonſtravimus inſtitutione XIV. ſæpe citatæ edit. Nunc vero ad ea, quæ illuc contulimus, Theologorum Principis D. Thomæ auctoritatem etiam addimus, qui 3. part. qu. 37. art. 4. *ad ſecundum* ait: *Signanter Moyſes videtur fuiſſe loquutus ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quæ non peperit ſuſcepto ſemine*. Neque Filius Levitici lege tenebatur; nam præterquamquod omnes ſupra leges erat, idem jus, quod Matri competere diximus, locum habet in Filio. Huc accedit, quod ea lege Mater, non Filius comprehendebatur: manifeſtum eſt enim, totum illum textum de legali matris immunditia loqui; *Et orabit pro ea* (Sacerdos) *& ſic mundabitur a profluvio ſanguinis*; de filio vero nihil aliud habet, quam ut octavo die circumcidatur: *& die octavo circumcidetur infantulus*. Ne legi quidem Exodi ſubjectus erat Chriſtus Jeſus; ea enim lex de maſculo loquitur, qui *vulvam adaperiebat*: *Sanctifica mihi omne Primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael tam de hominibus, quam de jumentis; mea ſunt enim omnia*. Id pulchre obſervat Natalis Alexander in Commentar. ad cap. 2. Lucæ num. 23. col. 942. *Legi Primogenitorum Chriſtus ſubditus non erat, tum quia Legis Conditor & Dominus, tum quia vulvam Matris non aperuit, ſed clauſo Virginis utero egreſſus eſt. Virgo enim non ſolum ante partum, & poſt partum, ſed & in partu Sancta Maria permanſit, quæ Eccleſiæ Fides eſt, Traditione, Patrumque ſummo conſenſu firmata*; congeritque Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, pluriumque aliorum auctoritates.

Utrique legi ab utroque tamen obtemperatum in humilitatis exemplum.

3. Nihilominus Maria & Joſeph, ut refert Lucas cap. 2. v. 22. & ſeqq. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus, ſecundum legem Moyſi tulerunt illum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: quia omne maſculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur*. Præterea obtulerunt, quod præſcriptum erat a Lege: *Et ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par Turturum, aut duos pullos Columbarum*. Nimirum profunda humilitas Sanctiſſimam fœminam impulit, ut legi, qua non tenebatur, obtemperaret. *Non obligabatur ad impletionem ejus præcepti, ſed voluntarie purgationis obſervantiam adimplevit*; verba ſunt D. Thomæ loco citato: quemadmodum etiam Jeſus ejus filius eo ſe demiſit ut circumcideretur, licet ea lege ſolutus eſſet, ut diſputat idem S. Thomas loco cit. in corpore: *Et ideo ſicut Chriſtus, licet non eſſet legi obnoxius, voluit tamen Circumciſionem, & alia legis onera ſubire ad demonſtrandum humilitatis & obedientiæ exemplum: & ut approbaret legem, & ut calumniæ occaſionem Judæis tolleret; propter eaſdem rationes voluit, & Matrem ſuam implere legis obſervantias, quibus tamen non erat obnoxia*.

Præſentatus Jeſus in Templo: & omnia præſcripta in lege ſua adimpleta. Traditis de Zacharia interfecto inter Templum & Altare, deque cauſa ejus necis refutatur.

4. Idcirco autem ipſa voluit offerre, quæ pauperes conſueverant, quod ejus Filius nobis pauper factus, in Præſepi natus eſt, ut advertit D. Thomas 3. par. qu. 37. art. 3. *ad quartum*. *Cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, ut ejus inopia divites eſſemus, ut dicitur 2. ad Corinth. 8. pro ſe pauperum hoſtiam voluit offerri; ſicut & in ipſa Nativitate pannis involvitur, & reclinatur in Præſepio*. Denique Jeſus præſentari voluit in Templo eam obſervando legem, cui non erat ſubditus. *Quia ergo Chriſtus ex muliere natus fuit Primogenitus, & voluit fieri ſub lege, hæc Evangeliſta Lucas circa eum obſervata fuiſſe oſtendit*, verba ſunt D. Thomæ opuſc. 60. cap. 8. Et quamquam in Lucæ Evangelio nihil de quinque ſiclorum oblatione habeatur, verisimillimum tamen eſt, voluiſſe, quemadmodum ſe præſentando, ita etiam in reliquis adimpleri legem, ut notat Calmetus in cit. cap. 2. Lucæ, & cap. 13. Exodi, & Suarez in 3. par. D. Th. tom. 2. qu. 37. Diſput. 16. ſect. 1. §. *Quarto & ultimo* & ſequen. Sunt qui narrant, B. Virginem Templum ingreſſam, ad eum ut oraret ſeceſſiſſe locum, quo ſolis Virginibus pateret aditus; & cum inter Hebræos illam inde arcere volentes ortus eſſet tumultus Zachariam Joannis Baptiſtæ patrem interceſſiſſe, ne B. Virgo illinc ſummoveretur: qua re offenſos Judæos illum inter Templum & Altare interfeciſſe. Cui traditioni a peritioribus meliorisque notæ Criticis nulla fides tribuitur. Eam rejicit Serry, qui Zachariam ait totius myſterii inſcium; aut ſi ejus conſcius erat, tamen probe noviſſe, Judæis eſſe occultandum. Saxius par. 2. de Laudibus Mariæ pag. 2. in ea hiſtoria rejicienda cum Serry, diverſa tamen cauſa, conſentit; tum quod jam Zacharias cecinerat: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*; tum quod, ut mox dicemus, cum B. Maria Templum eſt ingreſſa filii ſiſtendi gratia coram Domino, Simeon & Anna publico præconio palam Chriſti præſentiam prædicarunt.

Simeonis & Annæ in templo præconia de Chriſto. An Simeon Sacerdos fuerit?

5. Sed ut ad Evangelicam, quam deſcribit Lucas, redeamus hiſtoriam, Simeon vir juſtus & timens Deum, qui divinitus a Spiritu Sancto acceperat, non prius ſe moriturum, quam videret Chriſtum Domini, divino numine impulſus Hieroſolymam ſe contulit, venitque ad januas Templi; acceptoque in ulnas ſuas divino puero, benedixit Domino, eumque obſecravit, ut ſe jam ex hac vita dimitteret; parentibuſque ejus proſpera quæque apprecatus, Puerum Matri tradidit, ejuſque Paſſionem vaticinatus eſt: *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur*. Dolores item, quibus matris animus confodiendus eſſet prædixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Anna Prophetiſſa, quæ cum Viro ſeptem annos vixerat, viduaque remanſerat, annos octoginta nata, jejuniis & orationibus vacans

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cans assidue Templo inserviebat. Igitur eodem momento superveniens Deo gratias egit de ortu Domini Jesu: *Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino*; ac de nato Messia verba fecit, illum scilicet venisse, ut fidelem Populum, qui in eum crederet, a peccato redimeret: *Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*. In Græcorum Menologio ad diem tertiam Februarii reperitur, Simonem & Annam illico mortem obiisse. Sacerdosne, an Laicus Simeon fuerit, disputant eruditi; cumque S. Lucas nihil de ejus Sacerdotio commemoret, Laicum fuisse communis est sententia; licet Pictores vulgo eum pingant Sacerdotalibus vestibus indutum, ut fuse ostendit Ayala in Opere, quod inscripsit *Pictor Christianus eruditus*, Matriti edito anno 1703. lib. 3. cap. 4. De Simeonis Sacerdotio testes afferuntur Athanasius, Epiphanius, & Cyrillus; sed opera, ex quibus ducuntur testimonia, sunt apocrypha. Theophylactus, ac Euthymius Simeonem Sacerdotem fuisse negant. Ac Lucas ipsius quidem virtutes commemorat, sed eum de ejus sileat Sacerdotio, verisimile fit, Simeonem non ea fuisse præditum dignitate: & quamquam scribit, *Benedixit eis Simeon*; non tamen inde Sacerdotium ejus bene quis conjecerit; plura enim exempla in Sacris paginis suppetunt eorum, qui benedixerint, nec tamen fuerint Sacerdotes; benedicere enim nihil est aliud, quam bene alicui precari. Vide Allatii Diatribam de Simeonibus. Simeonem fuisse Sacerdotem negat Jansenius. Atque Estius in cap. 2. Lucæ vers. 25. ait: *Mihi magis probatur sententia Jansenii:* & vers. 28. de Benedictione subjicit: *Benedixit illos, scilicet Joseph & Mariam, quia bene eis fuit precatus. Nec male etiam ad puerum Jesum hæc benedictio refertur: Christo enim homini sæpenumero in Psalmis bene precamur, ut & illi fecerunt, qui clamabant: Hosanna Filio David.*

Cur quadragesima a Christi Nativitate die hæc Festivitas celebretur?

6. Atque hæc de Mysterio, quod peculiari Festivitate celebrat Ecclesia Catholica quarto nonas Februarii. Quæ quidem Festivitas in quadragesimum diem cadit a Christi Domini Nativitate. Levitici enim lege quadragesimus præfinitus est dies purificationi mulierum, ut supra dictum est. *Purificationis ergo Matris Domini tempus post dies quadraginta a Nativitate ejus celebratur, quia ex legis præcepto hoc tempus statutum est parientibus fœminis, quo purificari deberent &c. Hac ergo de causa statuta est in Ecclesia Festivitas hæc, quia Matrem Domini secundum legem in hac die constabat purgari, sed non ideo quod aliqua legali purgatione indiguerit, quæ Dominum gestabat Legis, sed quia Jesus non venit legem solvere, sed adimplere.* Verba sunt Rabani Mauri de Instit. Cleric. lib. 2. cap. 33.

A Græcis & ab Ecclesia Ambrosiana hæc Festivitas inter Christi solemnitates numeratur.

7. Evangelica historia commemorat, ut diximus, Simeonem obviam venisse Mariæ & Joseph, cum ad Templum infantem Jesum deferrent; quamobrem hæc a Græcis Festivitas *Hypante*, seu *Hypapante* appellatur, ut observat Marcrius in notitia vocabulorum Ecclesiasticorum verbo *Hypante;* atque ea causa est, cur sæpe hæc Festivitas S. Simeonis appellata sit, ut videre licet in Notis, quibus Vignolus librum Pontificalem illustravit in Vita S. Sergii pag. 313. Ex ipsa Evangelica historia compertum habemus, Christum in Templo fuisse præsentatum, idque Jesus ideo fieri voluit, ut Messiæ & Redemptoris dignitas Simeonis quoque & Annæ vaticiniis probaretur. *Tum quia etiam suam Messiæ & Redemptoris dignitatem prædictionibus Simeonis & Annæ comprobare debebat*, inquit Gravesonius de Myster. & annis Chr. Dissert. 9. Quamobrem hanc Græci festivitatem non in festis diebus B. Virginis, sed inter Festivitates ponunt Christi Domini; quod etiamnum facit Ambrosiana Ecclesia, & apud Bedam in Ephemeride *Oblatio Christi ad Templum* appellatur. Verum juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem inter Solemnitates B. Virginis numeratur, ut scribit Galesinius in Notis ad Martyrolog. ad diem 2. Februar. Suarez tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 5. n. 10. Azorius Instit. moral. par. 2. lib. 1. cap. 18. atque hæc Festivitas dicitur *Purificatio B. Virginis*, quod allatis vetustissimis documentis ostendit Florentinius in Notis ad suum Martyrologium ad diem 2. Februarii, quod idem valet ac Oblatio, quam exhibuit Sanctissima Fœmina, cum post partum ad Templum se contulit, ut purificationis legi pareret, cui tamen non erat subdita. *Purificari dicuntur mulieres, quæ post partum in Ecclesiam veniunt, & benedictionem a Sacerdote suscipiunt ex veteris legis instituto.* Ita docet cum pluribus aliis du-Cange in Glossario verbo *Purificari*; verbo autem *Purificatio* scribit: *Purificatio est oblatio, quæ a mulieribus, quæ post partum in Ecclesia purificantur, Sacerdotibus offertur.*

B. Virginis, non Christi Purificatio jure hæc Festivitas dicitur. Locus D. Lucæ explicatus.

8. Diximus, hanc Festivitatem Purificationem B. Virginis appellari, licet in Lucæ Evangelio videatur sermo fieri etiam de Purificatione Filii. *Postquam impleti sunt dies purificationis ejus*, scilicet Jesu Christi, qui paullo ante nominatus est: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Sed viri docti, qui Scripturas accurate expendunt, animadverterunt, quidquid narrat Evangelium de Circumcisione, antequam memoretur Purgatio, in parenthesim quodammodo esse concludendum; ex quo fit ut pronomen *ejus* ad B. Virginem referri debeat, quæ ante parenthesim nominata est. *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Ita difficultatem hanc solvit Serry Exercit. 36. num. 3. atque responsionem ejusmodi probat Gottus de Verit. Relig. Christ. tom. 4. part. 1. cap. 12. §. 1. n. 6. Quamobrem Ecclesia Catholica, cujus est sacras interpretari Scripturas, non modo in Martyrologio Festivitatem hanc appellat Purificationem B. Mariæ; sed in Evangelio, quod in Missa legendum præscribit, loco pronomis *ejus*, ponit *Mariæ. Postquam impleti sunt dies Purgationis Mariæ secundum legem Moysi.* Denique solemnitas Purificationis B. Virginis Processione celebratur, quæ fit a Clero candelas accensas manibus ferente.

Symbolica explicatio Processionis, quæ fit in hac Festivitate cum candelis collucentibus. Vetus Ethnicorum ritus in sacrum versus. Vetus consuetudo.

9. Yvo Carnotensis Episcopus XI. seculi Scriptor in Sermone 11. de Purificatione S. Mariæ ait, quemadmodum scilicet humanitatem excepit manibus, interiorem vero cognovit Majestatem, quæ suo lumine infidelitatis nostræ tenebras illustrabat, ita quemlibet in hac die Fidelem ceram gestantem manu, sic eam gerere, ut ad suam ipsius carnem alludat, & in candelæ lumine lucem agnoscat, qua aeris nostri tenebræ collustrantur. Addit, ceram, quæ hac die a Fidelibus manu geritur, ex odoriferis floribus depromptam, fructum esse apis: *Virginis videlicet animantis, cujus, sicut legitur, sexum nec masculi violant, nec fœtus quassant*; atque ita esse symbolum illius divini Infantis, qui *nec in concipiendo, nec in egrediendo Matris integritatem violavit*. Joannes Gerson Scriptor seculi 15. omisso allegorico sensu tom. 3. nuperrimæ editionis de Directione Cordis pag.

474. Considerat. 21. ait, Ecclesiam sæpe in id operam suam contulisse, ut profani quidam Ethnicorum ritus potius vero Deo consecrarentur, quam omnino tollerentur: ac deinde ita ad rem nostram. *Patet*, inquit, *hoc de Festo Purificationis, quod ideo Candelaria vulgo dicitur, quia portantur candelæ ardentes illo die in honorem purissimæ, & lucidissimæ Virginis Mariæ, quæ prius portari apud Gentiles consueverat in venerationem cujusdam Deæ, & in lustratione Urbis Romanæ.* Quo autem tempore introductum fuerit, & quis ille ritus esset, qui ita sanctificatus est, frustra quæras apud eum Scriptorem. Vertus recens scriptor, ut audaciori est ingenio, Explicat. Cæremon. Eccles. tom. 2. pag. 17. conatur ostendere, consuetudinem gestandi hac die candelas ex Evangelio derivatam, quod legitur in Missa: *Lumen ad revelationem gentium*. Quem tamen Magnus Suessionensis Episcopus *De vera Ecclesiæ mente in usu Sacrarum Cæremoniarum* graviter increpat, quod Cæremonias omnes vel ad naturales, vel ad commentitias, & e suo cerebro depromptas causas referre conatus sit. Quamquam Vertus non primus est omnium, id qui affirmaverit. Nam Joannes Baptista Casalius de vet. Sacr. Christ. Ritibus cap. 42. ante eum scripserat, gestari a nobis hoc die Candelas, ut aliquo modo ejus lætitiæ compotes simus, quam cepit Simeon, cum infantem Jesum in ulnis habens agnovit, quis ille esset infans, eumque esse confessus est *paratum ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium*.

De Benedictione Candelarum, ex Baronio Lupercales ludi sublati a Gelasio I. substituta hac solemnitas. Processio addita a Sergio seculo 7.

10. Catechismi Montispessulani Auctor editionis Lugdun. anno 1730. pag. 314. ait, hoc die fieri candelarum benedictionem, quod ea sit Ecclesiæ consuetudo, ut id omne benedicat, quod in sacris Cæremoniis sibi adhibere opus sit; ideo in Processione, & in aliqua Missæ parte Fideles accensas Candelas tenere, ut ostendant, ea se lætitia affici, quam cepit Simeon, qui Jesum habens in ulnis ait, illum infantem esse lumen gentium, & gloriam Israel; Processionem ideo fieri, vel ut iter B. Virginis significetur ad Templum, vel ob rationem qua generatim reliquæ omnes Processiones fiunt. Eadem plane scribit Auctor Catechismi Burgensis Lutetiæ editi anno 1603. pag. 534. Sed si Ecclesiasticos magni nominis Scriptores consulamus, docet Baronius in Notis ad Martyrologium ad diem 2. Februarii, Gelasium I. vergente in finem seculo 5. nefarios Lupercales sustuliisse ludos ab Evandro institutos, qui Februario celebrabantur. In iis nudi homines Urbem concursabant caprinis pellibus fœminarum ventrem verberantes, quod ad earum fœcunditatem facilitatemque pariendi multum conferre existimabant. Id ipsum ex pluribus Ethnicis Scriptoribus collegit Jacobus Hofmannus in Lexico universali verbo *Lupercal*. Itaque addit Baronius, eundem instituisse Pontificem solemnitatem Purificationis B. Virginis, sublatis illis propudiosis ludis, tum postea ab Occidente in Orientem fuisse propagatam, ad Dei iram avertendam, cum, Justiniano imperante, pestilentia Constantinopoli gliscceret: Sergium denique Pontificem seculo 7. ut constat ex libro Pontificali, qui Anastasio tribuitur, Processionem cum Candelis addidisse.

Baronio omnes fere consentiunt. Festivitas hæc ad Orientales quando tradutta.

11. Cum Baronio consentiunt Thomassinus de dier. Festor. celebrat. lib. 2. cap. 2. Florentinius Exercit. 3. ad diem 5. Januarii; Baillet. Histor. hujus diei, Honoratus a S. Maria in animadversionibus ad Regulas Criticæ tom. 2. lib. 3. Vertus Explicat. Cæremon. Ecclesiæ tom. 2. pag. 17. Fronto in Notis ad Calendar. Romanum ab ipso editum ad diem 2. Februarii; Allatius de Hebdomad. Græcorum §. 1. pag. 1403. Et Josephus Bingamus Heterodoxus Auctor tom. 9. Antiquitatum Ecclesiasticarum lib. 20. cap. 8. §. 5. pluribus congestis nostrorum Catholicorum Scriptorum auctoritatibus ostendit, non ante Justinjani tempora Purificationis Festivitatem Orientalibus fuisse cognitam.

Disputatur accuratius de tempore, quo in Oriente celebrari cœpta sit hæc solemnitas.

12. Neque tamen eruditi viri desunt, qui a Baronio recedunt. Sublata a Gelasio Lupercalia non inficiantur; id enim ex ipsius constat Commentario, quem Baronius inseruit in Annalibus ad ann. Christ. 496. & ex Labbeana Concilior. Collect. tom. 4. pag. 1234. Verum negant, inde posse intelligi, sublatis Lupercalibus subrogatam fuisse Festivitatem Purificationis; nullam enim in suo illo Commentario de hujusmodi subrogatione mentionem ab illo Pontifice fieri. Atque illud quidem fatentur, gravissima illa teterrimaque grassante peste, qua Constantinopoli singulis diebus quinque hominum millia, & quandoque decem, si qua Procopio fides oculato testi de bello Persico lib. 2. interibant, postremo Justini anno, vel sub Justiniani Imperio Constantinopoli, Purificationis Festivitatem institutam esse: sed eam in multis Orientis Ecclesiis multo antea celebratam fuisse contendunt. Vide Pagium Seniorem ad ann. Chr. 544. num. 7. Martene de antiqua Ecclesiæ Disciplina Cap. 15. Saxium Dissert. Apologetica de Corporibus Sanctorum Gervasii & Protasii num. 14. Ac si quæ S. Methodio tertii seculi auctori tribuitur, Homilia de Purificatione B. Mariæ Virginis genuina sit, certissima est eorum sententia. Allatius de Methodiorum scriptis pag. 341. genuinum Methodi fœtum eam Homiliam esse contendit. Contra Gretserus, Canisius, Oudinus apud Caveum in Histor. Litterar. Scriptorum Ecclesiasticorum ad ann. 290. de sinceritate ejus Homiliæ dubitant. Veruntamen, si non satis firmum videatur fundamentum neque Methodii Homilia, neque alia etiam, quæ Chrysostomo tribuitur, plura tamen suppetunt alia argumenta ad eorum opinionem constabiliendam. In veteri Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio, quod Beda, Cassiodorus, & Walfridus D. Hieronymo tribuunt, ideoque vetustius putant Gelasio I. ad diem 2. Febr. legitur: *Purificatio S. Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi*. Quod si quis dicat, hæc a librario esse addita, haud ita facile quis animum inducat, ut etiam ea addita dicat, quæ in eodem Martyrologio leguntur ad diem 5. Januarii: *In Hierosolyma Simeonis Prophetæ cum obtulit ei Dominum Jesum Christum Maria & Joseph, & depositio ipsius Prophetæ*, ut bene animadvertit Tillemontius Nota 7. ad Vitam Jesu Christi; qui illud etiam addit; quod ex S. Theodosii Abbatis vita perspicuum est, circa dimidium quinti seculi Hierosolymæ Purificationis solemnitatem celebrari consuevisse, nec ita novam per illud tempus eam fuisse consuetudinem. Florentinius Exerc. 3. ad diem 5. Januarii putat, vetustis Ecclesiæ temporibus omnes in Epiphaniæ Festivitate Manifestationes Christi Domini celebrari consuevisse, Nativitatem, Magorum Adventum, Simeonis ἀναίρεσιν, & Baptismum. Henschenius Bollandiani continuator Operis ad diem 2. Februarii ostendit, ante ea tempora, quæ Baronius indicavit, Purificationis Festivitatem celebratam esse in Phœnicia, Syria, Cypro, & apud Cophtos; ac monet, cum vetustissima sit in Ecclesia solemnitas,

& a

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& a temporibus haud ita ab Apostolorum ætate remotis deducta sit, usurpari de ea posse vulgatissima illa Augustini verba lib. 4. de Baptismo cap. 24. tom. 9. op. col. 140. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Processio Amburbalibus subrogata.

13. Atque hæc de hujus Festivitatis institutione quæ huc conferrentur, digna existimavimus. Quod vero ad Processionis institutionem attinet, si cui minus placeat Baronii sententia, quod haud ita facile intelligi possit, qui Lupercalibus, in quibus neque funalia, neque faces adhibebantur, substituta fuerit Processio, in qua deferuntur Candelæ, is sequi potest Innocentium III. qui Serm. 1. in Festo Purificationis scribit, illum Ethnicorum ritum ad honorem Mariæ esse traductum, cum funalia noctu in honorem Cereris gestantes sese dicebant Ætnam lustrasse, ut Proserpinam a Plutone raptam reperirent. Nos iis subscribimus, qui Processionem affirmant Amburbalibus fuisse substitutam multo ante Sergii ætatem. Sunt autem Menardus ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 41. & 42. Henschenius ad diem 2. Februarii pag. 271. Rocca tom. 1. edit. Rom. ann. 1719. pag. 215. §. *Ex Rabani*, Saxius Dissertat. Apologetica Sanctorum Corporum Protasii & Gervasii §. 14.

Amburbalia quid sint.

14. Amburbalia sacrificium quoddam erat, quod faces Ethnici manu tenentes Urbem perlustrando celebrabant. Universum Terrarum Orbem Romani subegerant, omnibusque censum, seu tributum, quinto quoque anno solvendum imposuerant; eo tributo accepto, Februario mense Diis Inferis sacrificabant, quorum ope partas sibi victorias arbitrabantur, faceisque gestantes Urbem totam lustrabant. *Quam lustrandi consuetudinem congrue, & religiose Christiana mutavit religio; cum eodem mense, hoc est hodierna die in honore S. Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ non solum Clerus, sed omnis Plebs Ecclesiarum loca cum Cereis & diversis hymnis lustrantibus circumeunt*: verba sunt Idelfonsi 7. seculi Scriptoris tom. 12. Biblioth. PP. pag. 589. cum eo consentit S. Eligius ejus æqualis in sermone, qui extat loco citato.

Concluditur, Gelasium Lupercalia sustulisse: Sergium Amburbalibus Processionem substituisse. Hospinianus mutatus.

15. Atque ita sicuti Gelasio non detrahimus laudem, quod Lupercalia sustulerit, etsi negavimus iis substitutam fuisse ab illo Pontifice Purificationis Festivitatem; ita si Sergio non tribuimus laudem, quod Amburbalibus subrogaverit Processionem; ea tamen illum gloria non fraudamus, quod Processionem bene ordinaverit, jusseritque tum hac die, tum in aliis B. Mariæ Festivitatibus peragi Processionem ab Ecclesia S. Hadriani ad Liberaniam S. Mariæ Majoris Basilicam; quod unum probant verba ex libro Pontificali, quæ minus appositè solent afferri ab iis, qui ostendunt illum fuisse primum Processionis Auctorem. *Constituit autem ut diebus Annuntiationis, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Hadriano, & ad S. Mariam Populus occurrat*, ut optime animadvertit Martene *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in Divinis celebrandis Officiis* cap. 15. veter. edit. Lugdun. ann. 1706. pag. 517. Andreas Schmidius, homo quidem a Catholica Communione sejunctus, fideliter tamen affert, quæ paullo ante scripsimus in septima Prolusionum Marianarum, quæ est in tom. 77. Miscellaneorum Cardinalis Passionei. Verum Hospinianus in Tractatu de Orig. Festor. pag. 52. maligne scribit, Festum hoc fuisse institutum ad ejus exemplum, quo Ethnici memoriam raptus Proserpinæ, circumeundo celebrabant. *Institutum est autem Festum hoc cum suis cæremoniis ad imitationem Festi Ethnici.* Quod quidem majore aliqua rei reverentia dici poterat. Nam etiamsi in eadem fuisset sententia, qua Innocentius III. tamen debuerat dicere, ab Ecclesia Processionem hujusmodi substitutam esse, ut Ethnica superstitio hac ratione deleretur.

CAPUT III.

De Festo Sanctissimæ Annuntiationis. Die 25. Martii.

Annuntiatio B. Mariæ Festivitas est, quæ præcipue ad Deiparam, Nativ. Christi Solemnitas est, quæ ad Jesum præcipue pertinet.

1. SAnctissimæ Annuntiationis B. Mariæ Festivitas 25. Martii die celebratur. *Annuntiatio S. Mariæ* appellatur in Sacramentario S. Gregorii: *Sancta Annuntiationis dies* in Concilio Trullano: *Dei Matris Annuntiatio* in Novella Emmanuelis Comneni Imperatoris apud Balsamonem ad cap 1. tit. 7. Nomocanonis Photii: *Dies Annuntiationis Dominæ nostræ Dei Genitricis* in Chronico Alexandrino ad 351. Olympiadem, & *Annuntiatio* tantum in libro *de Officiis* Codini, ut erudite observavit Menardus ad librum Sacramentorum S. Gregorii linea 21. Hospinianus heterodoxus Auctor de Festis pag. 69. Edit. Genevensis anni 1674. celebrari ait in honorem duntaxat B. Mariæ Virginis hanc Festivitatem, quæ celebranda esset in honorem tum ejusdem Sanctissimæ Virginis, tum Jesu Christi. Verum optime animadvertit Suarez tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 5. si hæc Festivitas in se ipsa consideretur, magnæ eam esse dignitatis inter solemnitates, quæ ad Christi humanitatem pertinent; in ea enim maximum hominibus contulit beneficium, omniumque mirabilium rerum suarum maxime admirandam præstitit; sed quoniam non prius perfecte illiusmodi collatum est donum, quam B. Virgo peperit, inde concludit, Natalis Christi diem festum præcipue ad Jesum, Annuntiationem ad B. Virginem attinere, cui Ecclesia hujus diei Officium Ecclesiasticum dirigit.

Narratur ingressus Angeli, & colloquium cum Maria.

2. Quod in hac solemnitate Mysterium celebramus, refert S. Lucas in sui Evangelii cap. 1. v. 26. ubi narrat, sexto, quo Elisabeth mense prægnans erat, Gabrielem Angelum missum fuisse a Deo in Nazareth ad Virginem desponsatam Joseph; qui, cum eo, ubi illa erat, ingressus esset, dixit: *Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Cumque Sancta Virgo ejusmodi sermone commota secum ipsa consideraret, quid rei esset illa salutatio, Angelus prosequutus est: *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, cum iis quæ in Evangelio sequuntur. Cumque B. Virgo dixisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondit Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei: quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Maria denique dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ac post ea Mariæ verba Angelus inde abiit.

Num cum Angelus loquutus est cum Maria, desponsata solum esset, an vero jam contractum esset matrimonium?

3. Non hic in animo nobis est, quas in hac narratione Interpretes excitarunt quæstiones, omnes pertractare. Quasdam tamen attingemus, quas ad hoc Mysterium illustrandum conferre existimamus. Ubi de Festivitate Desponsationis B. Mariæ cum S. Josepho sermonem habuimus, verum intercessisse matrimonium demonstravimus.

mus. Nunc vero quæritur, num matrimonium jam contractum esset, quando Angelus Beatæ Virgini futurum ejus partum nuntiavit, an vero tum desponsata tantummodo esset Josepho, ac inter eos matrimonium deinde contractum fuerit.

Desponsatam tantum fuisse, probari posse videtur ex Evangelio.

4. Quidam ex Patribus & Interpretibus putant, tum temporis desponsatam fuisse tantum; idque constare dicunt ex ipso Lucæ Evangelio loc. cit. v. 26. ubi hæc habentur: *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Eorum sententiam valide suffulcit Matthæi Evangelium cap. 1. v. 18. ubi ait Evangelista, Josephum comperisse B. Virginem prægnantem eo tempore, cum sibi desponsata esset: *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; cogitasse Josephum repudium ei clanculum mittere: *Voluit occulte dimittere eam*; (neque enim inter Conjuges tantum, sed etiam inter Sponsos fuit consuetudo repudii apud Hebræos) cumque id Josephus animo agitaret, Angelum in somnio illi adstitisse, qui dixerit: *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*; atque illum excitatum e somno Angelo paruisse: *Et accepit Conjugem suam*. Neque enim dicere illi Angelus potuisset, ut Mariam uxorem duceret, nec ipse cum ea inire potuisset matrimonium, si jam antea uxor sibi esset. Hanc sententiam post allatas Patrum, aliorumque Scriptorum auctoritates amplectitur Calmetus in Comment. ad cap. 1. Matthæi, & in Dissert. *de Sancto Josepho Beatæ Virginis viro*, art. 5.

Verius est, jam in matrimonium a S. Josepho fuisse ductam.

5. Verum cæteri Interpretes vulgo existimant, B. Virginem non desponsatam duntaxat fuisse, cum nuncium accepit ab Angelo, sed etiam uxorem Josephi. Hæc est D. Thomæ *sententia 3.* part. qu. 29. art. 2. *ad tertium*. Duo recentiores Ordinis Prædicatorum eximii Theologi eam tuentur opinionem, quam etiam esse communem affirmant, quorum *alter* est Gravesonius de Mysteriis & Annis Christi Dissert. 1. art. 1. alter Gottus de verit. Relig. Christ. part. 1. tom. 4. cap. 4. §. 5. Quia vero ii, qui pugnant pro contraria sententia, magno sibi præsidio esse putant verbum illud *desponsata*, peculiari quadam Dissertatione abunde demonstravit P. Mauduit, juxta Scripturæ idiotismum *desponsatam* idem plane valere ac nuptam, quod animadvertit etiam Tillemontius nota 8. ad Vitam B. Virginis. Et sane in ipso Lucæ Evangelio cap. 2. legimus, Josephum, ut Cæsaris pareret Edicto, Bethlehemum se contulisse, *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*, quo quidem tempore vel ii, qui contrariam tuentur sententiam, fatentur matrimonium fuisse contractum. Quapropter injuria quis negaverit, *desponsatam* sæpe in Scriptura uxorem significare: Nec quidquam amplius roboris esse in iis verbis agnoscet, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, aut in illis, *Accepit Mariam conjugem suam*, quisquis animadverterit eum Hebraicum esse modum loquendi, quo non significatur nunc incipere, sed cœptam actionem continuari, ut sensus sit, *Acceptam conjugem serva, ac retine, noli dimittere*, ut docent Hebraici sermonis periti; quod etiam observavit Estius in 4. sentent. Dist. 3. §. 8. in fine: *Non ab Angelo Joseph monetur, ut tum primum Mariam in uxorem accipiat: jam enim Joseph eam habebat: quia vocatur vir ejus, & volebat eam dimittere. Sed monetur, ut Conjugem suam accipiat, ideſt retineat, & dimittendi cogitationem deponat.* Josephum autem virum ejus fuisse appellatum ex ipso Matthæi Evangelio intelligimus cap. 1. *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*

Priorem illam sententiam plura consequuntur absurda

6. Quanto autem sit hæc sententia præstantior, satis apparet, si absurda quædam examinemus, quæ ex ea profluunt opinione, quæ statuit, Mariam cum salutata est ab Angelo, nondum fuisse Josephi uxorem, sed post salutationem initum esse connubium, & ut putat Rupertus in Cantica ad illa verba, *Nigra sum, sed formosa*, post Mariæ reditum ad Elisabeth domo, quam visitaverat, scilicet post tres menses ab Angelica salutatione, & Jesu Christi conceptione. Ea autem absurda innuit Estius, aliique, qui ei sententiæ adversantur. Si enim matrimonium post tres menses initum esset ab Angelica salutatione, semestris infans natus esset; unde Judæorum perfidia, cæterique ejus nescii Mysterii adversus Sponsi & Sponsæ Sanctitatem, castitatemque objicere potuissent ante matrimonium, & sponsaliorum tempore eos concubuisse. Huc accedit, quod si Virgo dum apud Elisabeth morabatur, Josephi uxor non fuisset, quis, cum eam redeuntem deprehendisset utero plenam, nisi compertum habuisset Mysterium, temperare sibi potuisset, quin suspicaretur eam domi Elisabeth flagitio corruptam? Judæi vero, qui Jesum legitimum Josephi filium semper existimarunt (ut apud Matthæum cap. 13. v. 55. *Nonne hic est Fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria?* & apud Joannem cap. 6. v. 42. *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus Patrem, & Matrem?*) annon illum illegitimum pronunciassent, quem sexto ab inito matrimonio natum mense comperissent? Denique nullus rationi illi, quam supra attigimus, locus esset, voluisse Deum, ut Christus ideo ex nupta muliere nasceretur, ut clam id esset Diabolo, qui non ex Virgine, sed ex nupta genitum esse putaret. Poterat quidem clam esse Diabolo, cæterisque omnibus, si, matrimonio inito, Virgo completa post novem peperisset menses: nam, cum eam jam nuptam peperisse videret post novem menses, nullus illi fuit suspicandi locus: sed si eam tribus ante initum matrimonium mensibus prægnantem vidisset, ut ex intumescente utero id potuisset deprehendere, si eam post sex menses parere cognovisset, annon investigandum suscepisset, qui tandem id potuisset contingere? cumque probrum vitiumque omne abesse inde probe novisset, annon Spiritus Sancti opera eam concepisse suspicatus esset? Quibus omnibus absurdis ut locus fit, si post salutationem Angeli matrimonium initum fuisse dicamus; ita penitus clauditur, si ante annuntiationem in matrimonium B. Virginem ductam esse affirmemus; atque inde apparet hujus secundæ sententiæ major probabilitas, verisimilitudo, atque præstantia. Has rationes diluere frustra nititur Lamy Concord. Evangel. lib. 1. cap. 3. num. 26.

Salutatio Angeli non ad vi stitatem formulam Hebræorum, sed plane singularis fuit.

7. Uxor erat igitur Josephi B. Virgo, ideoque in ejus domo habitabat, cum ab Angelo salutata fuit. Sola erat in conclavi, ut ait Ambrosius lib. 2. in Lucam col. 1284. edit. Maurin. §. 8. *Sola in penetralibus, quam nemo virorum viderit, solus Angelus reperit, sola sine comite, sola sine teste*: & ingressus Angelus ei dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Hebræorum mos erat, ut si qua mulier egregium aliquod facinus edidisset,

eam

eam ita ſalutarent: *Benedicta tu in mulieribus*. Ad hunc modum Debbora Jahelem ſalutavit uxorem Haber, quod Siſaram interfeciſset, ut eſt in lib. Judic. cap. 5. v. 24. *Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber*. Et Booz ſalutavit Ruth illis verbis lib. Ruth cap. 3. v. 10. *Benedicta es a Domino Filia*. David itidem Abigail benedixit, quæ ſe abſtinuit ab internecione familiæ Nabal lib. 1. Reg. cap. 25. v. 33. *Et benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & ulciſcerer me manu mea*. Sed nullam compertum habemus ſalutatam hiſce verbis fœminam: *Ave gratia plena: Dominus tecum*. Quamobrem citato loco S. Ambroſius ſubjicit §. 9. *Benedictionis novam formulam mirabatur* (B. Virgo) *quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam ante comperta. Soli Mariæ hæc ſalutatio ſervabatur. Bene enim ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſequuta eſt, ut gratiæ repleretur Auctore*.

Unde oborta Mariæ animi perturbatio.

8. Hoc nuntio Sanctiſſima Virgo perturbata eſt, nec animo aſſequebatur quid iſtiuſmodi eſſet ſalutatio: *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Quærunt Interpretes, unde oborta illi fuerit animi perturbatio. Miſſa autem quorundam reſponſione, qui diſertis Evangelii reclamantibus verbis, nonniſi lætitia perturbatam fuiſſe B. Virginem putant; quam opinionem fuſe refellit Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis tom. 7. ſuorum Operum pag. 73. Divus Ambroſius ait, ideo perturbatam fuiſſe Mariam, quod auguſto vultu adſtitiſſe ſibi Angelum viderit. *Trepidare Virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus vereri*. Et Hieronymus Epiſt. ad Lætam: *Imitetur Mariam, quam Gabriel ſolam in cubiculo ſuo reperit; & id eo forſitan timore perterrita eſt, quia virum, quem non ſolebat, aſpexit*. Et epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 16. de cuſtodienda Virginitate: *Propone tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut mater Domini eſſe mereretur. Ad quam cum Gabriel Angelus in viri ſpecie deſcendiſſet, dicens*: Ave gratia plena, Dominus tecum: *conſternata & perterrita reſpondere non potuit; nunquam enim a viro fuerat ſalutata*. Alii vero advertunt, viſioni Angelorum Mariam fuiſſe aſſuetam, ac propterea ex ipſius viſionis natura & qualitate perturbationem illam ortam fuiſſe contendunt, quæ licet divinitus immiſsa, primo tamen aſpectu nonnihil commovere ſolet animum, ut ipſi quoque obſervavimus in noſtro Opere de Canonizat. Sanctorum, & ex cap. Geneſeos 15. v. 12. intelligitur, ubi cum per ſomnium Deus apparuiſſet Abraham, *horror magnus & tenebroſus invaſit eum*: & ex Matthæi cap. 28. v. 5. ubi ſanctæ mulieres ſimul Angelum ad Chriſti monumentum viderunt, magno timore perculſæ ſunt. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere*; & ex cap. 10. v. 8. Danielis, qui cum Gabrielem Angelum reſpexiſſet, externatus eo aſpectu deſertuſque viribus eſt: *Et non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium*; & ex cap. 1. v. 12. Lucæ, ubi Zacharias aſpectu Angeli *turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum*. D. Thomas 3. par. qu. 3. *ad tertium* affert quorundam opinionem, qui Mariam turbatam fuiſſe putant, non quidem Angeli aſpectu, ſed novitate rerum, quas ab Angelo audierat. Ut enim humilitatis plena erat, nihil de tam ſublimibus rebus cogitabat. Quod ſane cum Evangelico textu congruit: *Turbata eſt in ſermone ejus*; ut advertit Silvius ad illum D. Thomæ locum. Videatur etiam Epiſcopus Durantus in Notis ad revelat. S. Birgittæ tom. 1. Romanæ edit. ann. 1628. pag. 2. num. 5.

Reſponſio Deiparæ non eſt dubitantis, ut fuit illa Zachariæ non credentis, quæ fuit cauſa ut obmutesceret.

9. Poſtquam Angelus Mariæ animum illis verbis confirmavit, *Ne timeas, Maria; inveniſti enim gratiam apud Deum*, id cujus gratia legatus venerat, expoſuit: *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*; cui Maria reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quæ verba obſervarunt Patres non eſſe dubitantis, aut non credentis, ſed admirantis, & rem penitus inquirentis; nihil enim quæſivit aliud Maria, quam quomodo id fieret: *Quomodo fiet iſtud? non quærit an fiet iſtud, ſed quomodo*. Verba ſunt S. Bernardi in Homil. 4. ſuper *Miſſus*, & in ſerm. 4. de Aſſumptione. Legerat B. Virgo apud Iſaiam cap. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*; ſed Propheta qui poſſet id fieri non indicabat; id propterea ab Angelo percontata eſt. *Quia ergo legerat: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium; ſed quomodo id fieri poſſet non legerat, merito credula iis, quæ legerat, ſciſcitabatur ab Angelo, quod in Propheta non invenit*. Verba ſunt Venerabilis Bedæ in cap. 1. Lucæ. Divus Ambroſius ad eundem locum; poſtquam obſervavit, Angelum nuntiaſſe Zachariæ, filium illi eſſe naſciturum, *Uxor tua Eliſabeth, pariet tibi filium*; Lucæ cap. 1. Beatæ vero Virgini, parituram eſſe Chriſtum Jeſum; animadvertit Zachariam reſpondiſſe: *unde hoc ſciam?* quæ verba ſunt non credentis; ac propter eam incredulitatem Zachariæ vox erepta eſt. *Negat ille ſe credere, qui negat ſcire, & quaſi Fidei alium quærit Auctorem*; quod probe congruit cum Evangelio Lucæ loco citato: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque ad diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis*: Virginem contra reſpondiſſe: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quæ verba ſunt ſciſcitantis, non dubitantis. *Non de effectu dubitavit, ſed qualitatem ipſius quæſivit effectus*. Eadem propemodum ſunt apud Auguſtinum ſerm. 291. tom. 5. col. 1167. *In illis ergo verbis Zachariæ: non fuiſſe fidem, ſed dubitationem, & deſperationem, Angelus vidit*; & de B. Virgine ſubjicit: *Modum quæſivit, non de Dei omnipotentia dubitavit. Quis modus eſt, quo fiet illud? Annuntias mihi filium, habet meum paratum animum, dic mihi modum*.

Explicatur Angeli cum Maria colloquium.

10. Virginitatem, ut diximus, B. Maria voverat: ab Angelo ſuboſcure primo intellexerat, ſe filium pariturum; verba enim illa: *Benedicta tu in mulieribus*, futuri partus penes Hebræos indicio erant. Num votum, quod antea fecerat, Deo placuiſſet, ſcire non poterat, ut notat Auguſtinus loc. cit. *Potuit ergo Virgo Sancta metuere, aut certe ignorare conſilium Dei, quomodo eam vellet habere filium, quaſi improbaſſet Virginis votum*; & ſi Deo votum placuiſset, qui demum hoc cum futuro cohæreret partu, non habebat cognitum: *Angelus partum denuntiat, illa Virginitatem complectitur, caſtitatem præferens Angelicæ apparitioni, non quod non eſſet obediens divinæ voluntatis, ſed quod vellet, ſi poſſet, Virginitatem conſervare*: verba ſunt Gregorii Nyſſeni Orat. de Chriſti Nativitate. Parata tamen erat votum Virginitatis ſolvere, ſi id Deus juſſiſſet. *Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem Filium, gaudeo de Filio, & doleo de propoſito*: ait S. Bernardus ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*. Ex his rebus omnibus coortus illi metus, & animi perturbatio. Itaque Angelus cœpit eam inſtruere & confirmare: *Quia ergo vidit eam quærentem, non diffidentem, non ſe negavit inſtruentem*: ait Auguſtinus loc. cit. Aperti-

tissime enim Angelus illi declaravit, nihil illi timendum; gratia Domini eam esse plenam; futurum ut conciperet & pareret filium, cujus qualitates etiam describit; rem vero totam Spiritum Sanctum confecturum, quin ejus Virginitas quidquam pateretur: *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum &c. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quamobrem ita loco citato loquitur Augustinus, Angeli verba enarrans: *Audi quomodo: erit Virginitas tua: tu tamen crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra est fides tua, intacta erit & integritas tua. Denique audi quomodo fiet istud: Spiritus Sanctus superveniet in te.* Exemplum etiam Elisabeth Angelus B. Virgini protulit: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quæ non eo dicta sunt ab Angelo, ut B. Virgo sibi persuaderet, quæ nuntiabantur; sed ut ea fides, quam stabilem conceperat animo, validius confirmaretur: *Hoc exemplo vetulæ fœcundatæ non id ait Angelus, ut Virginem inducat ad credendum, quod enuntiabat, sed ut in ea sensus fidei jam conceptæ minus repugnaret, utque fides ipsa, quamvis firma, magis adhuc firmaretur.* Verba sunt Estii citato cap. 1. S. Lucæ vers. 36. pag. 481. qui illam etiam causam affert, quamobrem Angelus B. Mariam de Elisabeth gravida monuerit: *Simul autem Angelus hoc nuntio cognatæ impregnatæ voluit B. Virginem exhilarare, quod bonorum Angelorum est, & occasionem ei dare boni operis, scilicet cognatam visitandi, salutandi, congratulandi, & adjuvandi.*

Maria post illa verba: Ecce Ancilla &c. concepit Jesum. Proprie dicenda Christi Mater, & Mater Dei.

11. Magna cum humilitate Sanctissima fœmina Angeli verbis assentita est: *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*: atque ita mirandum in modum Christus Jesus conceptus est: Spiritus enim Sanctus Mariæ ad ejus uterum sanguinem traduxit puriorem, qui formando corpori Christi Domini opus esset. Quod autem in naturali partu humana opera contulisset, id Spiritus Sanctus excellentissimo quodam ac perfectissimo modo præstitit. Filii vero sui Divinitatem cum humanitate Deus conjunxit, quin B. Virgo quidquam ad eam rem de suo contulerit, ut utraque natura in una duntaxat persona subsisteret. Unde profluit, proprie & vere dici oportere B. Virginem Christi matrem, quod ad ejus formandum corpus contulerit quicquid reliquæ omnes mulieres, quæ peperierint, contulerunt. Nam suam illi tribuit substantiam, peperitque infantem ejusdem plane, qua ipsa erat, naturæ. Matrem quoque Dei proprie dici apparet, quod divina Persona terminus sit completus conceptionis; nec dici posse, Spiritum Sanctum Patrem esse Christi secundum humanam naturam, etiamsi ad ejus formandum corpus tantum contulerit; nihil enim tribuit ei de sua substantia, nec ejusdem naturæ suæ genuit fœtum.

Incarnatio cujus divinæ personæ opus sit, ex doctrina D. Thomæ.

12. Atque hæc est omnis D. Thomæ doctrina 3. par. q. 31. art. 5. qu. 32. art. 3. *ad primum*, & quæst. 35. art. 4. Incarnatio Verbi considerari dupliciter potest, vel ut humanæ naturæ terminatio, quæ dicitur *suppositatio*, vel tamquam actio. Priore modo si ea consideretur, Filii Dei est opus, qui carnem assumpsit. Si vero secundo consideretur modo, atque ita ad ejusdem principium activum respiciatur, cum opus sit *ab extra*, totius Trinitatis opus est; peculiari tamen modo Spiritui Sancto tribuitur; tum quia Incarnatio Verbi ex puro Dei amore sit derivata, qui amor Spiritui Sancto tribuitur, quemadmodum Patri potentia, & sapientia Filio; tum quod humana natura assumpta fuerit a Filio in unitatem personæ ex sola Gratia, quæ præcipuo modo Spiritui Sancto tribuitur; tum denique quia per Incarnationem humanitas Christi a Divinitate accepit Sanctificationem, quæ itidem opus est proprium Spiritus Sancti. Vide D. Thomam 3. par. qu. 32. art. 1.

Prodigia, dona, & privilegia, quibus decorata fuit Christi conceptio.

13. Plura quoque adnotari possunt, quibus palam fiat, mirandam prorsus & supra omnes naturæ vires fuisse Christi conceptionem. Nam & in B. Virgine nihil de virginitatis flore decerptum, & momento temporis in virginali utero Christi corpus est formatum, non ea magnitudine, ad quam deinde paullatim accrevit, sed ea dispositione membrorum, quæ apta esset rationali animæ recipiendæ, & quam hypostatica unio Divinitatis cum animato corpore postulabat. Momento temporis, ut dictum est, animatum corpus hypostatice Verbo divino conjunctum fuit; atque ineffabili ejusmodi unione, duarumque naturarum consortio Christus fuit Deus & homo, duabus præditus voluntatibus, duas habens operationes, divinam & humanam. Ab ipso conceptionis suæ momento Christus verus fuit Sacerdos, spiritualis & æterni Regni Rex verus, & Sanctus, non accidentali tantum Sanctitate per habitualem gratiam, qua ejus anima prædita fuit, sed etiam Sanctitate substantiali, quæ profluebat a Verbo divino ejus humanæ naturæ substantialiter conjuncto. Denique in ipso conceptionis momento compos ea gratia factus fuit, quam vocant Theologi capitalem, qua Angelorum hominumque Caput constitutus est; Divina præditus scientia ut Deus, acquisita, infusa, & Beata ut homo, ita ut illo temporis puncto comprehensor factus viderit Dei essentiam, omniaque præterita, præsentia, & futura, prævideritque secreta cordium, ac perfectum denique consequutus sit usum tum intellectus, tum voluntatis, quo statim accidentalem cœpit Corporis sui gloriam mereri. *His prodigiis, donis, ac privilegiis condecorata fuit Conceptio Christi, ex quibus facile quisque colligere potest, eam fuisse miraculosam & supernaturalem.* Verba sunt P. Gravesonii de Myster. & annis Christi Dissert. 2. ubi ea omnia prodigia recenset & comprobat, ut propterea a Benedicto XIII. in serm. 14. par. 1. de Beatissima Virgine collaudari meruerit.

De tempore, loco, anno, & die, quo Misterium illud contigit. Jesus conceptus post quam Maria præbuit assensum illis verbis, Ecce ancilla &c.

14. Postquam de Mysterii hujus substantia diximus, convertenda nobis est oratio ad alia, quæ ad illud quidem pertinent, sed accidentalia dici possunt, ut locus, tempus, annus, mensis, ac dies, quibus hoc mysterium contigit. De loco jam diximus, id Nazarethi contigisse, in ipsius Josephi domo & conclavi, in quo ipsa B. Virgo habitabat; quod, præter illa, quæ attulimus, probatur etiam S. Bernardi auctoritate, qui Homil. 3. super *Missus est*, ait: *quo ingressus ad eam?* (loquitur de Angelo) *Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortasse clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito.* De tempore vero, rejici jure potest eorum opinio, qui affirmant Mariam, ubi primum salutata est ab Angelo iis verbis, *gratia plena Dominus tecum*, Christum Jesum concepisse. Nam cum Angelus prosequutus sermonem dixerit: *Ecce concipies in utero & paries filium*, cumque missus fuerit, ut

ejus,

ejus consensum exprimeret, quem illis verbis Beata Virgo declaravit, *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*: perspicuum videtur, non in colloquii principio, sed eo puncto temporis, cum faustum præbuit assensum, Verbum concepisse. Quamobrem Theophilus Raynaudus loco cit. pag. 52. scripsit: *Est certa scientia, Verbum non fuisse Incarnatum ante clausulam colloqui Angelici, & assensum a Virgine præstitum verbis illis, Fiat mihi secundum verbum tuum.* Consonat Saxius de laudibus Mariæ Par. 1. pag. 91. *Verum certa sententia est, quod statim post illa verba, Fiat mihi secundum verbum tuum, Divina Conceptio in Virginali effecta sit utero.* Colloquii hora definiri non potest: quapropter Ecclesia cum eam horam perspectam non habeat, singulisque diebus sacrosanctum hoc mysterium a Fidelibus recoli cupiat, tribus diversis diei horis, aurora illucescente, meridie, & cum advesperascit, campanis signum dari jubet, quo Fideles ad hoc mysterium celebrandum excitentur. Denique de anno mense, & die reliquum est sermonem ut persequamur. Annus dupliciter hic accipi potest; nam vel quæritur quoto ætatis suæ, vel quoto anno ab Orbe condito B. Virgo Jesum conceperit. Quod ad Mariæ ætatem attinet, existimat Cardinalis Cajetanus, septem & viginti, aut viginti quatuor, aut minimum duos & viginti annos tunc temporis eam natam fuisse. Adversus ejusmodi sententiam acerrime pugnat Catharinus, qui non plus quam annos quatuordecim, vel quindecim natam fuisse contendit; quæ quidem sententia omnium est verisimillima, ut bene advertit idem Raynaudus loc. cit. pag. 59. Annum vero ab Orbe condito eundem æquum est cum eo esse, quo natum esse Jesum alibi ostendimus; mensis autem fuit Martius, ejusque dies quintus & vigesimus. Quod autem certus hic mensis, & dies constitutus sit, vetustæ id innititur Traditioni, quæ vel ipsa D. Augustini ætate vigebat. *Sicut a Majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo Kalend. Aprilis conceptus creditur Christus, quo & passus.* Sunt verba S. Doctoris in lib. 4. de Trinit. cap. 5. In Græcorum Menologiis, Menæis, Synaxariis, in Calendariis, & Martyrologiis Ægyptiorum Cophtorum, Syrorum, Chaldæorum, Ruthenorum, in Latinorum Martyrologiis, Breviariis, & Missalibus, in Sacramentario denique S. Gregorii Incarnationis Festum ad diem 25. Martii adnotatum reperimus: qui utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensus firmissime probat, nonnisi Apostolica Traditione certum illum diem præfinitum esse, ut videre est apud Bollandistas ad 25. diem Martii.

Christum incarnatum esse die 25. Martii ex Ecclesiæ traditione.

15. Quidam rem subtilius, quam par est, pertractantes, 25. Martii diem huic celebrando Mysterio suspicantur non eo esse præfinitum, quod satis exploratum sit & cognitum, hoc ipso die Sacrosanctum hoc mysterium contigisse; sed quod plerumque contingat, ut mulier nono mense pariat a conceptione, ac propterea Ecclesiæ verisimile visum fuerit, Christum, cujus Nativitas ponitur ad diem 25. Decembris, conceptum fuisse ante novem menses 25. Martii die. Quæ sententia est Thomassini de Festor. celebrat. lib. 2. cap. 12. num. 2. Tillemontii Nota 1. ad Vitam Jesu Chr. tom. 1. pag. 416. cum quibus consentire videtur Bailletus in Vitis Sanctorum ad diem 25. Martii pag. 315. qui illud etiam addit, Ecclesiam Annuntiationi B. Virginis 25. Martii diem præfiniendo, nihil de Philosophorum, Medicorumque disputationibus cogitasse, sed ad vulgarem de nono mense opinionem respexisse. Verum nobis non probatur ejusmodi ratio; ac dicendum esse arbitramur, in eum diem Incarnationem revera cecidisse, atque hanc sententiam Ecclesiastica fulciri Traditione, qua Verbi conceptioni dies ille constitutus est, nulla habita ratione opinionis vulgaris de novem mensibus inter conceptionem & partum. Videatur P. Honoratus a S. Maria to. 2. Animadvers. ad Regulas Criticæ lib. 3. Dissert. 1. ubi rem hanc accuratissime persequutus est.

Ostenditur huic Traditioni nihil contradicere Concilium Toletanum septimo habitum.

16. Si quis autem adversus ejusmodi Traditionem Concilium Toletanum objiciat 7. seculo habitum, quod hanc Festivitatem 18. Januarii die celebrari jussit tom. 6. Concil. Collect. Labb. pagina 460. is hoc sibi responsum habeat, ex ipsius Concilii verbis luculenter apparere, id propterea statutum esse, quod cum plerumque 25. Martii dies in Quadragesimam cadat, aut in festos dies Paschæ, non ea poterat, qua par est, solemnitate celebrari. *Nihil de Sanctorum solemnitatibus* (tempore Quadragesimæ) *sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari*: quod cum Ambrosiana etiam consuetudine congruit, ut testatur Micrologus cap. 48. & Radulphus Proposit. 16. Huc accedit, hanc Toletanæ Synodi Constitutionem Hispaniæ fines non esse prætergressam: quamobrem Micrologus 11. seculi Scriptor cit. cap. 48. de Ecclesiast. Observationibus, postquam retulit Toletani Concilii Constitutionem, *Sed nos* (inquit) *magis Romanæ Ecclesiæ morem gerentes infra Quadragesimam illam* (Annuntiationis Festivitatem) *celebramus, sicut & aliorum quorundam Sanctorum.* Nunc vero etiam in Hispania 25. Martii die solemnitas hæc peragitur, quod alibi etiam persequemur, cum de expectationis Partus Festivitate disputabimus. Casalius de veter. Sacris Christianorum Ritibus Romanæ edit. ann. 1647. pag. 422. & 423. ex quibusdam monumentis in appendice Martyrologii Gallicani narrat, cum in Hispania juxta illius Gentis consuetudinem Annuntiatio B. Virginis 18. Decembris die celebraretur, quosdam Monachos Cluniacum venisse, ut a S. Odilone Abbate facultatem obtinerent eam Festivitatem deinceps eodem die celebrandi; quod cum ab eo exorassent, nocte visu quodam perterritos existimasse, melius sibi consultum fore, si Galliarum consuetudinem sequerentur, ubi ita, ut nunc, 25. Martii Annuntiationis festum celebratur.

Festivitatem hanc esse ex Apostolica Traditione, pulchre conjiciunt Bollandistæ.

17. Huic autem de Annuntiationis Festo sermoni finem imponemus Bollandistarum verbis: *Festum hoc solemne in tanta antiquitate eminet, ut liceat pie meditari, originem ejus debere adscribi gratissimo affectui Deiparæ Virginis, quæ singulari veneratione ac devotissimo cultu quotannis recolere solita fuerit divinum beneficium hoc die sibi, & toti generi humano præstitum, quod Verbum Dei in suo virginali utero caro factum est, & ipsa Annuntiationi Angelicæ assensum præbens Mater Dei est constituta. Hanc piissimæ gratitudinis consuetudinem in Sanctissima Deipara intuiti Apostoli debitam agnoverunt obligationem, & venerabili imitatione observarunt, & ubique terrarum observari debere sanxerunt. Certe secundum regulam a S. Augustino de Baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 24. propositam: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum recte creditur.*

Refutantur Thomassinus, qui eam

18. Thomassinus loco cit. negat, ullum extare de hac Festivitate documentum firmæ fidei ante Concilium Trullanum Constantinopoli habitum

refert ad tempora Concilii Trullani, aliique, qui ne tam vetuſtam quidem putant.

bitum anno 692. in quo præcipitur, ne per Quadrageſimam integrum Miſſæ Sacrificium peragatur, *præterquam Sabbatho, & Dominica, & Sancto Annuntiationis die*. Et Binghamus Heterodoxus Scriptor de Eccleſiaſticis Ordinibus tom. 9. lib. 20. cap. 8. §. 4. ait, tum temporis Annuntiationis ſolemnitatem eſſe inſtitutam, Trullana eadem Synodo ſuam fulciens ſententiam. *Et idcirco originem ejus a ſeculo ſeptimo arceſſere nobis licebit*. Verum, præterquamquod Trullana Synodus non de Feſtivitatis inſtitutione loquitur, ſed eam multo antea inſtitutam vigere præſumit, S. Gregorius Thaumaturgus 3. ſeculi Scriptor in Homilia hoc die habita ita ait: *Hodie Gabriel, qui Deo aſſiſtit, ad caſtiſſimam Virginem veniens, illud Ave gratia plena ipſi annuntiat*. Et in Homil. 2. *Primum autem omnium Sanctiſſimæ Virginis Annuntiationem verbis illis comprehenſam, Ave gratia plena*. Eas Homilias Græce ſcriptas cum Codicibus Vaticanis, & Manuſcriptis Bibliothecæ Cardinalis Sirleti collatas edidit Gerardus Voſſius inter S. Gregorii Opera. Non ſumus neſcii, quid de iis ſentiant Cave, Dupinius, & Rivetus. Hæret Bellarminus, nec quidquam de earum τὸ αὐθέντει affirmare audet in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *De Sermonibus in Annuntiationem* &c. *Nihil certi habeo, cum nec veteres horum Operum meminerint; neque tamen convinci poſſit, eos eſſe ſuppoſititios*. Eas eſſe tamen genuinas, contendunt Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſeculo 3. cap. 4. art. 5. n. 6. Allatius, Voſſius, Combefiſius, aliique, quos recenſet Honoratus a S. Maria loc. cit. §. 3. quamobrem eorum auctoritate nos uti poſſe exiſtimavimus ad eos refellendos, qui feſtivitatem hanc ſeculo ſeptimo cœptam eſſe contendunt; cum præſertim Dupinius Bibliothecæ tom. 1. eas Homilias Procli Conſtantinopolitani ſtilum ſapere putet; id enim ſi verum ſit, ſatis eſt ad evincendum, non ſeptimo ſeculo inſtitutam eam Feſtivitatem; Proclus enim quinto vixit ſeculo. Præterea in veteri Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio, quod Beda Caſſiodoro, aliique plures Hieronymo tribuunt, ediditque Florentinius, ad diem 25. Martii hæc adnotata reperiuntur: *In Galilæa Civitate Nazareth Annuntiatio Sanctæ Mariæ de Conceptione, quando ab Angelo eſt ſalutata:* quibus magis magiſque confirmatur ea ſententia, quæ hujus ſolemnitatis inſtitutionem refert ad Apoſtolicam Traditionem. Huc accedit D. Auguſtini auctoritas, qui lib. 4. de Trinit. cap. 5. *Sicut*, inquit, *a Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur* (Chriſtus) *quo & paſſus*. Ex quibus verbis vetuſtatem hujus Feſtivitatis deducit Martene de antiqua Eccleſiæ Diſcipl. in divin. celebran. Offic. cap. 31. n. 26. *De Antiquitate hujus Feſti conſtat ex S. Auguſtini teſtimonio*. Sergius quoque Pontifex, qui ſeculo vixit ſeptimo, de hac feſtivitate loquitur tamquam multo ante inſtituta, *Conſtituit, ut diebus Annuntiationis* &c. *Litania exeat a S. Hadriano, & ad Sanctam Mariam populus occurrat*; ut habetur in libro Pontificali.

Minutæ quæſtiones de Chriſti Conceptione declinandæ. Putida aliquæ opiniones reiciuntur.

19. Minutas etiam aliquot quæſtiones de Chriſti Conceptione Scriptores extulerunt, quas libenter omittimus, Petri Cellenſis verba in animo habentes, qui epiſt. 10. lib. 9. ſobrie de hujuſmodi rebus diſputandum docet, ac Nicolaum S. Albani Monachum graviter reprehendit, quod de prægnante B. Virgine non aliter, quam de cæteris gravidis fœminis ſit loquutus. *Compatior inſolentiæ tuæ, qui de excellentiſſimis noſtræ Virginis membris ad profundiſſimam Vallem deſcendiſti, ne dicam corruiſti. Licet enim in illa nihil ſit verecundum, ubi omnia & ſingula ejus membra Luna ſunt puriora, & Sole clariora; tamen noſtræ fragilitatis teterrima memoria cum audierit nominari genitalia, vix a ſua excutietur palude, vix incipiet non ſolita cogitare. In Virgine igitur talia ſacroſanctis cortinis potius volo honorando involvere, quam nudis nominibus & manibus contrectare. Virgo certe virgineis verbis, & ſancto velamine conſecratis delectatur affari*. Opinionem eorum, qui putant in corde B. Mariæ Chriſtum Jeſum eſſe conceptum, in libris de Canonizatione Sanctorum confutavimus. Pugnat enim cum Evangelio, *Ecce concipies in utero*. Eorum itidem ſententiam exploſimus, qui ſcripſere, ternas ſanguinis guttas Spiritus S. opera ex B. Mariæ corde in ejus uterum eſſe delapſas, ut Filii Dei corpus formaretur. Curioſius nimium, incertiſque quæſtionibus illa quoque eſt accenſenda, ruberne ſanguis fuerit, quo fœtus conflatus eſt, an ita coctus, ut incanduerit; an vero partim rubeſceret, partim albicaret. Vide Salmeron. tom. 3. tract. 9. quem ſequitur etiam Andreas Schmidius licet heterodoxus 3. Proluſione Mariana §. *Diſcederem* in tom. 77. Miſcellaneorum Bibliothecæ Cardinalis Paſſionei.

CAPUT IV.

De Feſto Dolorum Beatiſſimæ Virginis. Feria 6. Hebdomadæ Paſſionis.

Hujus feſti Officium recitatur in tota ditione Eccleſiaſtica, & decreto Benedicti XIII. in univerſa Eccleſia.

1. FEria ſexta Hebdomadæ Paſſionis Feſtivitati Dolorum Beatiſſimæ Virginis præfinita eſt; atque illud eſt, cur certus menſis dies illi conſtitui non poſſit. Officium recitatur in tota ditione Eccleſiaſtica, & ex decreto Benedicti XIII. die 22. Auguſti 1727. recitatur in univerſa Eccleſia, ac in aliquibus aliis regionibus antea ex ſimilibus indultis recitabatur. Quapropter ſcribit Guyetus de Feſtis propriis Sanctorum lib. 2. cap. 4. *Sunt B. Mariæ titulo inſtitutæ variis in locis Feſtivitates, puta dolorum, ſeu compaſſionis ejuſdem Feria ſexta ante Dominicam Palmarum Pariſiis, Andegavi, Pictavii, & alibi paſſim*.

B. Maria adfuit Crucifixioni Jeſu Chriſti.

2. Certum quidem eſt, B. Virginem divini Filii adfuiſſe Crucifixioni; ut eſt apud Joann. cap. 19. v. 25. *Stabant autem juxta Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cum vidiſſet ergo Jeſus matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit, Matri ſuæ: Mulier, ecce Filius tuus: deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua: & ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua*. Igitur æque certum eſt, ad teterrimum illud ſpectaculum incredibili illam dolore eſſe confoſſam, juxta Simeonis oraculum apud Lucam cap. 2. v. 34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius*.

B. Virgo falſo a quibuſdam creditur martua agritudine animi in Calvario. Nunquam dubitavit de Filii divinitate.

3. Ex poſtremis hiſce Simeonis verbis nonnulli arguere ſibi poſſe videntur, B. Virginem Martyrium paſſam ex hac vita migraſſe. Cui ſententiæ adverſatur D. Ambroſii Auctoritas lib. 2. in Lucam cap. 2. *Nec littera*, inquit, *nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe:* ac plurima etiam obſtant, quæ nos attulimus lib. 3. de Canonizat. Sanctorum cap. 11. num. 3. Perverſa quædam & falſa verborum Simeonis interpretatio tribuitur Origeni, nimirum Simeonem voluiſſe innuere, futurum

ut

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ut cum B. Virgo Filium ſuum tam male multatum, tamque ignominioſo probro notatum videret, aliqua de ejus Divinitate ſibi oboriretur dubitatio. Quæ quidem interpretatio longe diſtat a veritate. Beata enim Virgo multo antea Filii non modo Paſſionem, ſed ipſius etiam paſſionis circumſtantias habebat cognitas, multoque noverat exploratius, quam David, Iſaias, Daniel, & quilibet Prophetarum. *Non ignara erat Myſterii, quod genuiſſet reſurrecturum;* ſunt verba D. Ambroſii lib. de Inſtit. Virg. cap. 7. Profecto D. Thomas, qui aliorum dicta, quam poteſt æquiſſime, interpretari ſolet, 3. par. qu. 27. art. 4. *ad ſecundum* docet, Mariæ dubitationem poſſe quidem ad admirationem, nunquam tamen ad infidelitatem referri. *Quidam vero per gladium dubitationem intelligunt, quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis & diſcuſſionis: dicit enim Baſilius in Epiſtola ad Optimum, quod B. Virgo aſſiſtens Cruci, & aſpiciens ſingula poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem divinæ Conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat; ex una ſcilicet parte videns eum pati abjecta, & ex alia parte conſiderans ejus mirifica.* Quod etiam demonſtravit Vener. Dei Servus Petrus Caniſius lib. 4. cap. 27. de Maria Deipara Virgine, qui, multis aliis Origenis allatis erroribus, ita concludit: *Igitur ſtuporis potuit, infidelitatis dubitatio non potuit in Mariam cadere, cujus Fides, ſi uſquam alibi, certe acerrimo illo in Cruce certamine maxime probata & excitata, ſed nulla dolorum vi labefactata & everſa, immo vero magis vivida, illuſtris, & admirabilis effecta debet exiſtimari.* Auctor centum & viginti ſeptem quæſtionum in Appendice Operum S. Auguſtini contendit, B. Virginem, quemadmodum reliqui omnes, in Filii ſui morte de ejus Divinitate dubitaſſe, quam dubitationem ejus animo non ante depulſam, quam gloriam viderit reviviſcentis. Sed optime animadvertit Tillemontius Nota 12. ad Vitam B. Virg. id mirum non eſſe tale quidpiam in eo Auctore reperiri, qui pluribus aliis vel ſingularibus, vel falſis ſcatet opinionibus.

Vera interpretatio verborum Simeonis, Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.

4. Non itaque a communi recedendum eſt interpretatione, Simeonem gladio illo, quo futurum dixit, ut B. Virginis anima trajiceretur, acerbiſſimum voluiſſe dolorem ſignificare, quo B. Mater affecta eſt, Cruci videns affigi amantiſſimum ſui Filium. *Tribulationem igitur gladii nomine ſignificatam eſſe credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu:* Verba ſunt Auguſtini epiſt. 149. alias 59. §. 33. to. 2. op. col. 515. *Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut pluſquam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus:* ſunt verba D. Bernardi in illud Apocalypſis: *Signum magnum. Quod ſi gladius uſque ad animam pervenit, quando ad Crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis, cum videret Dominum pendentem, etiam pluſquam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris eſt intus gladio vulnerata:* ſunt verba S. Ildefonſi ſerm. 2. de Aſſumptione B. Virg. tom. 12. Biblioth. Patrum pag. 580. Eam Caniſius interpretationem non modo tuetur, ſed dolorum numerum & qualitatem recenſet, quibus Cruci adſtans conflictata eſt; & ad Ruperti, Bernardi, Anſelmi auctoritatem quoque addit Ambroſii, & Auguſtini, ad Eccleſiæ tuendam diſciplinam, qua dolores, quos tam atroci ſpectaculo B. Virgo perpeſſa eſt, prædicamus & veneramur. *Libet autem & veterum proferre ſententias, quibus ſuperiora illuſtrentur: ſic enim evidentius apparebit, non ſolum Ruperti, Bernardi, & Anſelmi ſeculo, ut oſtendimus, ſed etiam apud antiquiores hoc inſtitutum agnitum receptumque fuiſſe, quo acerbi Mariæ dolores ſub Filii Cruce tolerati a piis pie conſiderantur, & ab Eccleſia merito prædicantur.*

B. Virginis conſtantia. Male credunt quidam dolore perculſam in terram concidiſſe.

5. Quæritur, an B. Virgo dum in tantis acerbitatibus verſaretur, illacrymaverit, & dolore perculſa animo concidens in terram corruerit. Novatus tom. 1. De Eminentia Deiparæ Virginis Mariæ cap. 18. quæſt. 4. primam propoſitæ quæſtionis partem pertractat ac veriſimilius eſſe ait, lacrymas eam fudiſſe. Thiers in Tractatu de Superſtitione gallice ſcripto tom. 3. cap. 8. ab Novato diſſentit, itaque Hymnum, qui in hujus diei Officio recitatur, improbat, propter ea verba: *Stabat Mater doloroſa juxta Crucem lacrymoſa.* Atque ejus ſententiæ favere videtur D. Ambroſii auctoritas, qui in Concione de morte Valentiniani loquens de B. Virgine, cum ſtaret ſub Cruce, *Stantem*, inquit, *illam lego, flentem non lego.* Alii ex Patribus non verentur affirmare, ſanctiſſimam fœminam illacrymaſſe, quin aliquid de magna ejus fide detrahatur, atque conſtantia. Eorum videre licet loca apud Novatum loco citato, & Salmeronem lib. 10. cap. 41. Huc accedit S. Antonini Auctoritas 4. par. Theolog. tit. 15. cap. 41. §. 1. *Stabat verecunda, modeſta, lacrymis plena, doloribus immerſa,* & Joannis Gerſonis in Expoſit. Paſſion. Domini tom. 3. edit. Antuerp. pag. 1194. *Facies ejus* (de B. Virgine loquitur, cum Paſſioni Chriſti præſens eſſet) *omnino lacrymis erat perfuſa, prorſus pallida, & tanquam mortua, vox fracta, oculi turbati, fuſi in lacrymas.* Non enim lacrymæ ſemper indicium faciunt debilitatæ fortitudinis, vel fractæ conſtantiæ; nam vel ipſe Chriſtus flevit ſuper Hieruſalem, & ſuper Lazarum: ex quo intelligitur, quanta injuria, quamque temere Thiers invehatur in hymnum, *Stabat Mater*, quem licet neque S. Gregorius Magnus compoſuerit, neque S. Bonaventura, quod exiſtimavit Craſſet in Tractatu de vera erga B. Virginem devotione; ejus tamen auctor fuit magnæ doctrinæ clarus præſtantia Summus Pontifex Innocentius III. teſte Ludovico Jacob in Bibliotheca Pontificia, & Oldoino in Addit. ad Ciaconium de vita Innoc. III. Pagio Breviar. Roman. Pontific. tom. 3. in Vita ejuſdem Innocentii num. 108. & Serry Exercitat. 54. De lacrymis, quas B. Virgo prope Crucem fudit, concinne ſciteque Saxius par. 2. de laudibus Mariæ pag. 133. *Admittantur primi naturæ motus, & modeſti aliqui gemitus, lacrymæque: nihil amori detrahitur, nihil virtuti.*

Thiers perperam invehitur in Hymnum, Stabat Mater, cujus Auctor Innoc. III.

De Eccleſia S. Mariæ de Spaſmo in Paleſtina.

6. Quantum a Thiers ſententia de B. Virginis lacrymis, ac multo plus ab ejus Cenſura, qua memoratum hymnum male vexavit, nos abeſſe declaravimus, tantum ejus ſententiæ adſtipulamur, quæ ſecundam propoſitæ quæſtionis reſpicit partem. Itaque cum eo aſſerimus, neque ſub Cruce, neque quovis alio loco B. Virginem deſertam animo in terram corruiſſe. Gerſon loc. cit. B. Virginem Cruci adſtantem ita deſcribit: *Erat ſtans, erecta. Ita dicit Evangelium: ſtabatque ante Crucem, non ad latus, videns faciem & modum Filii ſui Crucifixi.* S. Bernardinus Senenſis ſem. 51. in Feria 6. Paraſceves in Paſſione Domini art. 4. cap. 2. in hiſtoria quadam fide digna ſe legiſſe teſtatur, B. Virginem Filio ſuo Crucem a Pilati domo ad Calvarium bajulanti obviam veniſſe, ejuſque adſpectu animo defectam concidiſſe; quod cum vidiſſet Jeſus, quaſi dolore deficerent vires adſediſſe, *Quaſi defectuoſe & do-*

& doloroſe reſedit; tum a ſatellitibus redeuntem e Villa Simonem Cyrenæum coactum eſſe portare Crucem, ac ne ejus rei memoria interiret, Ædiculam in eo loco extructam fuiſſe *Sanctæ Mariæ de Spaſmo* appellatam: in qua petra quædam commonſtrabatur, ubi Redemptor noſter aſſederat; quibus narratis, S. Bernardinus ait; *Quæ tamen ſunt pie credenda magis, quam temerarie aſſerenda*. Alii, quos perpeſſa fuerit ſpaſmos Sanctiſſima Mater, dum crucifigeretur Filius, a pluribus referuntur Scriptoribus, præſertim a Duranto in Notis ad revelationes S. Birgittæ lib. 4. cap. 70. pag. 415. edit. Rom. 1628. qui nihil reliqui ſibi fecit ad earum narrationum veritatem adſtruendam. Quareſmius Commiſſarius olim Apoſtolicus in Terra Sancta Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 4. cap. 10. fretus Bonifacii auctoritate, narrat, B. Virginem, cum in Filium ſuum Jeſum incidiſſet, qui ſpineam coronam geſtans, ac peſſime multatus ſuam bajulabat Crucem, dolore confoſſam in terram corruiſſe, atque ibi, quo ceciderit, ædificatam a S. Helena Ædiculam, in cujus ara præcipua petram illam eſſe locatam, ſupra quam B. Virgo cecidit; quam Ædiculam cum Infideles profanaſſent, Fratrem quendam Corſetum, apud Minores magni nominis virum, petram illam magno redemptam pretio ſuper portam Sacræ Domus Sion collocaſſe. Scribit etiam, cum primum veniſſet Hieroſolymam, Ædiculam illam fere dirutam, iterumque in Palæſtinam profectum omnino disjectam reperiſſe; eoque loco ſtabulum ædificatum equis excipiendis, qui plerumque interibant; juſtone Dei judicio, an quod ita ferret ordo naturæ, incertum.

De Spaſmo B. Mariæ Virginis Cardinalis Cajetani ſententia.

7. Cum a piis quibuſdam hominibus in Feſtivitate B. Virginis de Spaſmo Indulgentia poſtularetur, magni Theologus nominis Cajetanus rogatus eſt, ut ſuam ea de re ſententiam aperiret, qui, poſtquam declaravit, nihil ſe reperire in Evangeliis niſi Simonem Cyrenenſem coactum eſſe portare Crucem, quæ Chriſti humeris impoſita erat, atque inde conjici poſſe, Jeſum adeo feſſum, ut ad Calvarium uſque Crucem ferre non poſſet, animadvertit, ſpaſmum eſſe quendam ex vehementi dolore ortum, quo interioribus contractis corporis partibus, perturbatiſque ſenſuum ſedibus, homo fit rationis uſuſque ſenſuum omnino impos; rurſus aliud eſſe ſpaſmi genus, quo membris frigeſcentibus, ita deficiunt vires, ut, quamquam rationis uſum & ſenſuum homo retineat, pedibus tamen ſtare non poſſit. Quapropter concludit falſo affirmari, B. Virginem ullo ſpaſmi genere fuiſſe correptam; tum quia *diſſonat rationi, B. Virginem ægritudinem aliquam paſſam fuiſſe; tum quia eſt valde inconveniens, quod dolor gratiæ perfectionem ſecundum naturalem conſiderationem rationis turbaſſet*; tum etiam quod in Maria *Spaſmi nomen nec proprie propter dignitatem corporis, nec vulgariter ſumptum propter dignitatem animæ verificatur*; & in Evangelio legimus, Paſſionis tempore B. Virginem *ſtetiſſe*; quæ vox ſignificat eam ſtetiſſe pedibus, non humi dolore proſtratam. Ad hunc modum graviter diſputat Cardinalis Cajetanus Tract. 13. de Spaſmo B. Virginis Mariæ, cujus doctrinæ vulgo ſubſcribunt alii omnes, ideſt Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 2. q. 27. art. 6. ſect. 3. & qu. 51. art. 3. diſput. 41. ſect. 2. Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis tom. 7. pag. 696. Cornelius a Lapide in cap. 19. Joannis pag. 524. edit. Antuerpien. 1695. & Novatus de Eminentia Deiparæ Virginis tom. 1. cap. 18. qu. 7. Si quis totam hanc rem abunde pertractatam legere cupit, adeat eundem Quareſmium tom. 2. lib. 4. cap. 11. & ſequen. qui rem in utramque partem tractat; ac demum adverſus Cajetanum ejuſque aſſeclas ſpaſmum tuetur B. Virginis; in qua tamen ſententia ſi quid durum eſſe videatur, id multis explicationibus emollit & mitigat.

Improbantur Pictores, & quidam Concionatores parum prudenter, qui Mariam prope examinatam, ac muliercularum ſimilem exhibent.

8. Acerbiſſimo igitur dolore B. Virginem in Filii paſſione fuiſſe confectam cum S. Ambroſio concludimus; quæ tamen voluntatem Patris probe exploratam habens, ut pro redemptione mundi Filius neci dederetur, eodem tempore quo vehementer animo angebatur, Dei juſtitiam & miſericordiam adoravit, & ad ejus voluntatem animum conformavit ſuum, & nullo indecoro edito fracti animi indicio, ante Crucem pedibus ſtetit ſumma fortitudine, atque conſtantia. *Ante Crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem*. Sunt verba Ambroſii in cap. 23. Lucæ. Præclare etiam Hadrianus Mengot in Monitis Marianis par. 4. monit. 24. *Mariæ fortitudo tota ejus vita, ſed maxime in morte Filii enituit*; cum illum ad extremum *malorum deductum piis oculis intueri, & ei adſtare voluerit, nihil indecens, nihil inordinatum inſtar impatientium fœminarum oſtendens, ut non lacerans capillos, nec in terram decidens, cum ignominia Filii, inexplicabilia ejus tormenta, vulnera, ſanguis affluens, & ſævæ inimicorum inſultationes, velut gladius cor ejus pertranſirent; ſtabat tamen, ut ait Evangeliſta, juxta Crucem Jeſu, ſciebat, eſſe voluntatem Patris, ut iſta pro Mundi Redemptione pateretur, atque utraque hac re ſe confortabat, & conſolabatur, voluntate ſcilicet Patris, & fructu Paſſionis*. Pulcherrima quoque ſunt verba Epiſcopi Caſtorienſis in tractatu de Cultu Sanctorum, præſertim B. Virginis: *Et quo magis ſuſpicias ſublimem Mariæ animam, in tantis doloribus, nulla in illa imbecillitas, nulli corporis motus indecori, nulla ejulantium lamenta. Triſtem videbas, dejectam non videbas. Dolebant materni affectus, ſed decora gravitate. Lugebant materna viſcera, ſed integra mentis ſerenitate. Feriebantur virginei ſenſus vulneribus Filii, ſed imperturbato ſpiritu, quo adorabat divinam juſtitiam ſimul & miſericordiam, quæ altiſſimo conſilio deſtinaverunt Chriſti dolores ad hominum redemptionem*. Quamobrem jure ſapientes viri de Pictoribus conqueruntur, qui eam exanimatam pingunt, ut videre eſt apud Graveſon de Myſter. & annis Chr. pag. 461. Teſtatur autem Carthagena tom. 7. lib. 12. hom. 7. Romæ quondam Magiſtrum S. Palatii Apoſtolici juſſiſſe ejuſmodi picturas deleri. *Hujuſmodi enim pictura, me præſente, Romæ mandato Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici juſſæ fuerunt expungi, utpote derogantes magnanimitati & fortitudini B. Virginis*. Et Concionatores jure itidem a Viris gravibus reprehenduntur, cum B. Mariam haud aliter deſcribunt, quam ad exemplum, quo eam Pictores depingunt; quemadmodum eos reprehendit Caniſius, qui Bullingeri maledicta refellens lib. 4. de Maria Deipara Virgine cap. 28. *Quis vero ſapiens*, inquit, *ineptos, aut etiam ſtolidos Concionatores defendat ac probet? ſicut nec illos quidem excuſamus, qui vel pingunt, vel docent, Matrem Domini juxta Crucem fuiſſe collapſam; ſyncopæ ſtupefactam, dolore prorſus examinatam, illarumque mulierculorum ſimilem, quæ fractæ doloribus palam ejulant, pectus pugnis contundunt, genas unguibus decerpunt, ſeque demum clamitant infelices*. Quareſmius, qui, ut ſuſtineret ædiculam S. Mariæ *de Spaſmo* dicatam, de qua paullo ante diximus, adverſus Caje-

jetanum pugnavit pro Sanctæ Virginis Spasmo, ejusmodi imagines a Magistro S. Palatii vetitas fuisse docet, non quod humi jacentem B. Mariam, sed quod ea figura expressam exhiberent, ut in desperationem ruere videretur. Vide supra cit. cap. 11. pag. 217. Quod si jure Pictores, sacrique Oratores reprehenduntur, quanto acrius increpandi qui affirmare sunt ausi, B. Mariam, simul Filium suum clavis in Cruce vidit transfixum, tanto doloris impetu esse perculsam, ut exanimata corruerit, ac deinde revixerit? id enim pugnat cum Evangelio, quo proditum est, Christum Dominum, e Cruce cum Matrem, dilectumque sibi Discipulum prospexisset, dixisse Matri, *Mulier ecce Filius tuus*; deinde Discipulo, *Ecce Mater tua*: ut pulchre animadvertit Cardin. Toletus in cap. 2. super Evang. Lucæ adnot. 57.

Quando, & cur cœperit recitari hoc Officium. Unde orta imago, qua Pictores Deiparam pingunt septem gladiis transfixam.

9. Reliquum modo est, ut quæramus, quando hujus Festivitatis Officium cœperit recitari; cui quæstioni sententiam nostram eruditorum virorum subiicientes judicio, respondemus, ejus institutionem Festi referendam ad Provincialem Synodum Theodorici Colonienſis Episcopi anno 1413. habitam in quo Concilio ad Hussitarum hæreticorum comprimendam audaciam, qui Sanctissimas Jesu Christi & B. Virginis dolore confossæ imagines sacrilego furore fœdabant, constitutum est, *ut festum Commemorationis præfatæ Angustiæ & Doloris B. Mariæ Virginis deinceps singulis annis Feria sexta post Dominicam* Jubilate, *nisi aliquod Festum eodem die intervenerit, & ex tunc prima feria sexta proxima subsequenti in primis Vesperis, Matutinis, aliisque Horis, nec non in secundis Vesperis in Choro tantum in omnibus Ecclesiis Provinciæ nostræ subjectis secundum notas, & Historias & Homiliam de eodem Festo compositas, solemniter celebretur*: ut est in Collect. Concil. Labbeana tom. 12. pag. 365. Videatur etiam Raynaldus ad annum Chr. 1423. num. 2. §. *Habita*; & Spondanus ad eundem annum num. 10. His assentitur Joannes Andreas Schmidius heterodoxus in 8. Prolusione Mariana to. 77. Miscellaneorum Bibliothecæ Cardinalis Passionei, qui hoc Festum multis in Germaniæ locis introductum, & in locum Festivitatis B. Mariæ de Spasmo subrogatum esse contendit, *mutato ad consilium Cajetani nomine*, ut scribit ejusdem Prolusionis num. 3. Verum id falsum esse oportet, si vera sunt, ut arbitramur, quæ diximus de Concilio Colonienſi anno 1413. habito. Pictores, ut dolores B. Virginis exprimant, septem gladiis trajectam pingunt. Quærit Saxius Par. 2. de Laudibus Mariæ pag. 168. id unde profectum sit; & ad septem Ordinis Servorum Fundatores refert; qui dolorum B. Mariæ contemplationi vacantes, eos in septem divisere, quorum aliqui habentur in Evangelio, ceteri probabili ratione & auctoritate verisimiles fiunt.

CAPUT V.

De Festo Visitationis Beatissimæ Virginis die 2. Julii.

Mysterium Visitationis Beatæ Mariæ ex Div. Luca. Proponuntur quæstiones aliquot.

I. POstridie Calendas Julii Festum Visitationis B. Virginis celebratur, cujus Mysterium exponit Lucas cap. 1. v. 38. Postquam abiit Angelus, qui Verbi Incarnationem B. Virgini nuntiaverat, ea iter ingressa in Civitatem quandam Judæ in montibus sitam se contulit: *Et discessit ab illa Angelus: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Ut hoc Mysterium probe intelligatur, quærendum est, quid causæ fuerit, cur illud iter B. Virgo susceperit; & ut ipsum quoque iter cognitum habeamus, solane, an cum aliquo comite viam confecerit, & quænam ea esset Civitas, quo se contulit, investigandum.

De causa illius suscepti itineris. Injuria quorundam in B. Mariam sententia.

2. Quod attinet ad causam, quæ B. Virginem ad id itineris suscipiendum impulerit, cum sibi Angelus in colloquio dixisset, Spiritus Sancti opera concepturam filium, ac exemplum protulisset Elisabeth ejus cognatæ, quæ in ipsa senectute conceperat, jamque a conceptu sextus mensis ageretur, *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua; & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Luc. loc. cit. v. 36.*, inde quidam Sectarii existimarunt, ideo illud iter suscepisse, ut exploraret, num verum esset, quod sibi dixerat Angelus de Elisabeth, & re ipsa experiundo certior fieret eorum, quæ ab eodem Angelo acceperat; quamquam id non modo Sectarii, sed quidam etiam affirmarunt nostrorum Interpretum, ut Theophylactus, Euthymius, & S. Bonaventura.

Ea sententia refellitur. Vera causa illius itineris. Locus D. Ambrosii explicatus.

3. Explodenda tamen est ejusmodi interpretatio, quæ Beatissimæ Virgini injuriam facit, quasi non omnino Angelo credidisset. Profecto Angelo dicenti eam concepturam, parituramque filium, quin ejus Virginitas imminueretur, fidem habuerat; itaque qui potest intelligi, eam dicenti Angelo filium concepisse Elisabeth in senectute, non credidisse? Antequam B. Virgo iter susciperet, abunde Angelo assenserat: *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*; idque tanta fide, ut ab Elisabeth merito collaudata fuerit: *Beata quæ credidisti; quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino*. Qui igitur causæ potest esse, quamobrem nonnulli, ut innuimus, affirment, eam convenisse Elisabeth, ut veritatem eorum, quæ sibi dixerat Angelus, certius comperiret? Adversus Sectarios inclamat Venerabilis Petrus Canisius lib. 4. cap. 4. de Maria Deipara Virgine: adversus autem nostros, qui eandem sunt sequuti sententiam, egregie, ut omnia, scripsit Gottus de Verit. Relig. Christ. lib. 4. part. 1. cap. 6. §. 1. Accedat D. Bernardus, qui Homil. 4. super *Missus est* quærit quamobrem Angelus Beatam Virginem de Elisabeth futuro partu monuerit: *Quid fuit necesse etiam hujus sterilis Virgini nuntiare conceptum?* Quærit præterea, an Elisabeth conceptum ideo B. Mariæ nuntiaverit Angelus, quod nondum ea mysterium illud credidisset: *Numquid forte dubiam adhuc & incredulam oraculo, recentiore voluit confirmare miraculo?* Et respondet: *Absit*; veramque causam his verbis docet: *Sed ideo sterilis Cognatæ conceptus Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur*. Quamobrem si jam B. Virgo omnia crediderat, antequam Angelus exemplum afferret Elisabeth, nemo est, qui non videat, nullo modo posse intelligi, eam ideo iter illud suscepisse; ut, an revera Elisabeth prægnans esset, cognosceret. Itaque statuendum, ita Deo visum esse, ut B. Virgo Elisabeth conveniret, quo iis prodigiis pateret locus, quæ in Sanctarum mulierum colloquio contigerunt; & concludendum cum D. Ambrosio lib. 2. in Lucam: *Ubi hoc audivit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto*, idest læta, quod Cognatæ nuntium haberet afferendum, se Dei Verbum concepisse, *religiosa pro*

officio, quod gratulari vellet Elisabeth filium ab ea mirando sane modo conceptum, eique in partu suam operam dare; *festina præ gaudio in montana perrexit*; quibus postremis Ambrosii verbis intelligitur, textum illum Lucæ, *Abiit in montana cum festinatione*, non significare, simul ac ab ea discessit Angelus, statim iter suscepisse, sed susceptum iter celeriter confeciſſe; præsertim quod Evangelista, postquam Angelum abiisse narravit, non tradit illico Virginem iter esse ingressam, sed ait, *in diebus illis*; ubi aliquot dierum lapsum inter Angeli discessum, suique principium itineris videtur innuere. *Paucis post diebus* (verba sunt Natalis Alexandri in cap. 1. Lucæ col. 908.) *quos in tanti contemplatione Mysterii & gratiarum actione insumsit, ut credere par est, exurgens Maria Spiritus Sancti impulsu festinanter profecta est in montanam Judææ regionem*. Et in eundem locum a Lapide verba illa *in diebus illis* expendens, *Non ergo*, inquit, *eodem die, quo salutata ab Angelo Filium Dei concepit & corporavit, abiit, sed post duos vel tres dies; hos enim insumsit contemplando & orando*.

Verisimile est, Mariam comitem itineris Josephum habuisse. Colloquium Mariæ & Elisabeth, remotis omnibus.

4 Nunc videndum, an Maria, nullo adhibito comite, iter illud confecerit, & quænam ea esset Civitas, quo se contulit. Ad primum quod attinet, valde verisimile existimamus, eam in itinere solam non fuisse; comitem vero illi fuisse Josephum tuto affirmari non potest. Ex Matthæi Evang. cap. 1. intelligimus Josephum Mysterii conceptionis Jesu Christi nescium fuisse, ipsumque Mysterium non prius cognitum habuisse, quam moneretur ab Angelo, qui ei per somnium apparuit. At si in eo itinere Mariæ comes fuisset, & colloquium illud, quod mox referemus, audisset inter B. Virginem & Elisabeth, profecto uxorem suam gravidam esse cognovisset. Atque hoc potissimum argumento utuntur, qui negant S. Josephum in itinere Mariæ comitem fuisse. Alii vero, qui vim hujus argumenti intelligunt, Josephum quidem dicunt fuisse Mariæ comitem, sed simul ac domum Elisabeth pervenit, inde abiisse, nec propterea Sanctarum mulierum adfuisse colloquio. Saxius de Laudibus Mariæ part. 1. pag. 96. verisimile putat, S. Josephum se in itinere B. Mariæ lateri comitem addidisse, & pag. 98. sermonem de ineffabili Incarnationis Mysterio, remotis arbitris, solas inter se B. Mariam & Elisabeth habuisse, neque illi sermoni quemquam adfuisse, sive Josephum, sive Zachariam, cui tunc oportuisset linguam expedire, ut Canticum Deo caneret. Josephum vero certe abfuisse constat; nulla enim, ubi B. Mariam gravidam deprehendit, perturbatione fuisset commotus. Animadvertit etiam, postquam B. Maria Zachariæ domum ingressa est, præter Elisabeth in Evangelio commemorari neminem: & quamquam scribit Evangelista, ipsam magna voce exclamasse, bene tamen ex Rodulpho ait: *Magnitudo magis intelligenda est ratione devotionis interioris, quam soni exterioris*. Ayala in *Pictore Christiano erudito* lib. 4. cap. 5. nu. 4. existimat quidem Josephum in itinere comitem fuisse B. Virginis; sed Pictores graviter reprehendit, quod præsentem eum pingant, cum Maria & Elisabeth inter se colloquuntur; sed de ha re suam quisque per nos licet sequatur sententiam. Quod vero ad Civitatem attinet, Julianus & Porphyrius nefaria sane impudentia, S. Lucam negligentiæ sunt ausi insimulare, quod ejus nomen prætermiserit. Sed quoniam Civitatem, in qua Zacharias ex Tribu Juda habitabat, Sacerdotalem fuisse oportuit, cumque Hebron, seu Carjatharbe Sacerdotalis Civitas ejus Tribus esset, ut constat ex cap. 21. Josue, atque ea duntaxat in montano sita esset loco, quisque facile intelligit, S. Lucam, etsi nomen prætermisit, satis tamen aperte indicasse Hebron, seu Carjath-arbe eam fuisse Civitatem, quo Maria profecta est, ut fuse probat Baronius in apparatu ad Annales Ecclesiasticos num. 77. & 78. Novatus de Eminentia Deiparæ Virg. tom. 1. cap. 8. quæst. 3. eandem sententiam sequitur; & consentiunt a Lapide cap. 1. Lucæ vers. 39. §. *In Civitatem Juda*, Calmetus ad idem cap. num. 36. Natalis Alexander ad eundem locum vers. 39. & 40. & Saxius de Laudibus Mariæ par. 1. pag. 97.

Juliani & Porphyrii nefaria audacia.

Colloquium Mariæ & Elisabeth ex D. Luca.

5. Historiam Lucas prosequitur Evangelicam: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. Et exclamavit voce magna & dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*

Prodigia, quæ in illo consessu colloquii.

6. In hoc colloquio plura quivis potest intelligere prodigia contigisse: nam & Joannes Baptista exultans in utero matris agnovit in Mariæ uterum Verbum esse delapsum; & ejus mater Elisabeth plena Spiritu Sancto prophetavit; Maria denique plena itidem Spiritu Sancto Canticum illud pronunciavit: *Magnificat anima mea Dominum*. Nec sane prætereundum, Zachariam quoque Spiritus Sancti plenitudinem eodem tempore accepisse, cujus tamen nullum apparuit indicium, nisi cum filius circumcideretur. *Et Zacharias* (ait Lucas cap. 1. v. 67.) *pater ejus repletus est Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

Plures profligantur hæreticorum errores de exultatione Joannis in utero matris.

7. Quidam affirmarunt hæretici, Baptistæ exultationem naturalem fuisse; cum enim mater lætitia esset perfusa, nihil mirum esse dicunt, si infans quoque motu potius corporis, quam animi exultavit. Verum cum Angelus jam Zachariæ prædixisset, ut est apud Lucam cap. 1. futurum, ut ejus Filius adhuc in utero Matris Spiritu Sancto impleretur, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, quis non videt, id tum contigisse, cum ex improviso adveniente Christo, qui in virginali utero continebatur, Baptista etiamtum in ventre matris suæ exultavit? Ex quo duo hæc profluunt: primum, quod non ex lætitia matris motus infantis, sed matris lætitia orta sit ex motu infantis, quo Deum venisse monita est; quod Lucas etiam innuit verbis modo allatis: *Ut audivit salutationem Mariæ Elisabet, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth:* alterum, quod Baptistæ motus non naturæ, sed Spiritus Sancti opus fuerit: *Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, quo procul dubio revelante cognovit, quid illa exultatio significaret infantis, idest illius venisse Matrem, cujus Præcursor ipse, & monstrator futurus esset.* Et paulo post: *Joannes nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: quod utique nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisse, quis credat?* Verba sunt S. Augustini epist. 187. alias 57. ad Dardanum. Negant præterea Irenæus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, & Bernardus, dubitari posse, quin Baptista eo momento, quo exultavit, rationis usus compos factus fuerit; & Ambrosius, quem

alii

alii vulgo sequuntur, differte docet, rationis usum, quo Baptista puncto illo temporis præditus fuit, neque momentaneum fuisse, neque fluxum, sed succedente quoque tempore ait perdurasse. *Non sola familiaritatis est causa, quod apud Elisabetham Maria diu mansit, sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus usu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam?* De Baptistæ Sanctitate fortasse alibi differemus, ac de singulari gratiæ beneficio, qua etiam in utero matris deleta originali culpa renatus est Christo. Si quis interea uberiorem disputationem desideret de Baptistæ exultatione in utero matris, de usu rationis illi divinitus indito, ejusque successiva duratione, adeat Calmetum in c. 1. Lucæ n. 41. Natalem Alexandrum ad eundem locum vers. 40. Cornelium a Lapide vers. 41. Serry exercitat. 28. num. 6. & seq. Gottum cit. tom. 4. par. 1. De Verit. Relig. Christ. §. 2. cap. 6. num. 13. & seq. Quod si cui volupe sit, doctas complures, piasque legere meditationes super Cantico *Magnificat* strenue ab contumeliis Lutheri ejusque Asseclarum vindicato, legat Venerab. Canisii capita 6. & 7. & lib. 4. de Maria Deipara Virgine.

Num B. Virgo discesserit ab Elisabeth ante, an post nativitatem Joannis.

8. Reliquum historiæ de Visitatione B. Virginis Lucas ita in compendium confert: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam*; nec eam usque ad partum Elisabeth permansisse, aut ante Joannis Nativitatem abiisse, tradit. Grotius putat ante natum Joannem inde discessisse; nam si usque ad partum remansisset, ab expectaturam etiam fuisse, dum Elisabeth ab iis incommodis, quæ partum consequuntur, convalesceret. Id vero vehementer tefellere conatur Calmetus in cap. 1. Lucæ num. 56. Grotii sententiam valde adjuvat, quod Lucas Baptistæ ortum referens, silet de B. Virgine, quam non modo nihil dicit Elisabeth inserviisse, sed etiam discessisse præsumit. Calmeti autem opinio eo fit verisimilis, quod non decuisse videatur B. Virginem, quæ venisset ut Elisabeth partui assisteret, ad partum quidem usque permansisse, ac paullo ante partum discessisse. Neutri nos opinioni quidquam detractum volumus, quod facit etiam a Lapide vers. 56. cap. 1. Lucæ; verbisque Natalis Alexandri subscribimus, qui in cap. 1. Lucæ nu. 56. *In re*, inquit, *obscura silere malim, quam sententiam dicere. Quod nos ignorare Deus voluit, haud curiosius inquirendum est.* Nunc vero de Festivitatis hujus institutione reliquum est ut dicamus.

Festivitas celebrari cœpit apud Fratres Minores. Celebrata est etiam in Oriente. Urbanus VI. eam in universa Occidentali Ecclesia instituit.

9. Hæc ab Ordine Fratrum Minorum an. 1263. celebrabatur, ut ex eorum annalibus colligit Gavantus ad Rubric. Breviar. Roman. sect. 7. cap. 9. num. 2. Nec monumenta desunt, quibus ostenditur, etiam apud Orientales celebrari consuevisse, ut videre licet apud Bailletum Histor. hujus diei §. 2. Quod si de institutione Festi hujus in universam Occidentalem Ecclesiam quæramus, Urbano VI. tribuenda videtur, qui jejunio etiam voluit peragendam, atque ita Fideles excitavit, ut ad Mariæ intercessionem confugerent, quæ schisma illud tolleret, quo Ecclesia ea tempestate conflictabatur. Urbano vita functo, Apostolicas litteras nondum editas promulgavit Bonifacius IX. qui jejunium non indixit, sed Fideles tantummodo ad jejunandum cohortatus est. Extat Bonifacii Constitutio in Bullar. Rom. & apud Raynal. ad annum Chr. 1389. num. 3. Et testatur Scultingus, Urbani Pontificis jussu hoc Officium ab Cardinali Ada fuisse compositum. *Hujus glorioſæ Visitationis Officii compositionem Urbanus VI. Domino Adæ Cardinali Angliæ Doctori in Theologia commisit, ut ex Scripturis Evangelicis, Sanctorum Patrum Commentariis, & Doctorum approbatorum assertionibus Historiam hujus Festi Visitationis scriberet, & dictaret, & eidem Officio notam congruam applicaret. Volens quoque Cardinalis præfatus vestigia Patrum sequi, & mandatis Apostolicis obedire juxta dictamen Domini Bonaventuræ Cardinalis, de Officio S. Francisci prædictum Officium compilavit, & notam consimilem sibi sumsit.* Rectius fortasse Festivitati Visitationis dies post Annuntiationem, quam secunda Julii constituta esset; quod monitum etiam reperimus in historia Longobardica. Sed Annuntiatio plerunque in Quadragesimam incidit, quo tempore cum Ecclesia tota sit in Passione Christi celebranda, non debet pluribus, quam par est, solemnitatibus onerari.

Quæstiones & turbæ excitatæ in Basileensi Concilio de hujus Festivitatis institutione.

10. In Sessione Basileensis Concilii quadragesima tertia anno 1441. habita constitutum fuit, ut quotannis in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis postridie Calendas Julii Visitationis B. Mariæ solemnitas celebraretur, ut videre licet apud Labbeum tom. 12. Concilior. pag. 648. Inter eos, qui Basileensis Concilii historiam conscripsere, Augustinus Patricius narrat, contentiones inter Episcopos ortas de hujus festivitatis institutione, quod Bonifacii Constitutionem ii non recepissent, qui ejus partes non sectabantur; aitque Æneam Senensem, qui fuit deinde Pius II. Summus Pontifex, formulam excogitasse, in quam omnes libenter consenserint. Idem quoque Patricius refert, aliam excitatam fuisse quæstionem, an Decretum de celebranda ea festivitate promulgandum esset sub nomine Felicis V. quem Basileenses Pontificem rite & legitime electum censebant; eamque quæstionem, vel ipso Felice consentiente, silentio fuisse oppressam, ut videre est cap. 112. citatæ Histor. tom. 13. Concil. edit. Labbei pag. 1594. Orientales itidem Patriarchæ in Concilio Florentino, ut pios viros esse sese ostenderent, Constitutionem de Visitationis B. Virginis celebranda solemnitate ediderunt. Videatur Baron. in Not. ad Martyrol. ad diem 2. Julii, Thomassin. de Dier. Festor. celebrat. lib. 2. cap. 20. num. 6. Martene de antiqua Disciplina cap. 33. num. 1. & 2. Pagius in Breviario Romanorum Pontif. in vita Urbani VI. num. 66. Spondanus ad ann. Chr. 1389. num. 1. & ad ann. 1441. num. 5. Vidisse se ait Baronius in Bibliotheca Vaticana Manuscriptum quendam Joannis Pragensis Tractatum adversus Adalbertum, qui hanc solemnitatem improbabat; in quo libello plura referuntur miracula & revelationes, quibus eam sibi placere Festivitatem Deus declaravit.

Festi hujus institutio a calumniis hæreticorum vindicatur.

11. Quod si quis nihilominus de legitima hujus Festivitatis institutione dubitaverit, tum propter dubiam Bonifacii IX. auctoritatem, tum propter Basileensem Synodum, quæ legitime quidem convocata fuit, sed esse desiit legitima propter quorundam Episcoporum audaciam, qui Eugenio IV. Amedeum Sabaudiæ Ducem sub nomine Felicis V. substituere sunt conati, meminerit is, Visitationem B. Mariæ differte tradi in Evangelio, piumque ac sanctum esse, ejus memoriam singulis annis celebrari. Utcumque autem sit de prima hujus Festi institutione, eam certe solemnitatem differte Romani Pontifices approbarunt, cujus Officium proprium S. Pius V. reformavit, teste Gavanto loco cit. num. 2. & quod nunc recitamus Clementis VIII.

UAB Universitat Autònoma de Barcelona Ciències Socials

jussu recognovit P. Ruiz de Visitatione Ordinis Minimorum, quod tradit Nicolaus Antonius Biblioth. Hispan. tom. 2. pag. 188. Basileensi vero Conciliabulo minime potest tribui prima hujus Festivitatis institutio, sed Romano Pontifici Urbano VI. vel Bonifacio IX. ut observat Gretserus de Festis lib. 2. *Fallitur Lutheranus Dresserus in suo libello de Festis, cum Visitationis Festum institutum tradit in Concilio Basileensi anno* 1441. *&c. sed errat, quia aliud est denuo promulgare & præcipere, aliud primitus instituere. Prius illud fecit Synodus Basileensis, posterius Urbanus VI. & Bonifacius IX.* Eandem Gretseri Censuram duos alios heterodoxos Scriptores subire oportet; quorum alter est Hospinianus de origine Festorum Christianorum pag. 123. alter Schmidius Prolusionum Marianarum 7. in tom. 77. Miscellaneorum Bibliothecæ Cardinalis Passionei. Nam uterque Scriptor eadem docet, quæ Gretserus improbat in Dresscro. Joachimus Hildebrandus inter heterodoxos magni nominis Auctor hæc de Visitationis Festo scribit in Opere Amstelodami edito anno 1702. cui titulus: *De priscæ & primitivæ Ecclesiæ sacris publicis, Templis, & diebus Festis* pag. 60. & 61. *Baptistæ natalem Festum Visitationis Mariæ subsequitur, quod seculo* 14. *ad finem vergente, Urbanus VI. &c. primus condidit &c. Felici autem successu Concilium Basileense confirmavit ad invocandam B. Virginem, ut suis ipsa pedibus Turcarum eo tempore grassantium insultus protereret, quemadmodum suis pedibus in itinere ad Cognatam suscepto montana conculcasset.*

CAPUT VI.

De Festo Beatæ Virginis de Monte Carmelo die 16. Julii.

Carmelus ubi situs. Eliæ miraculo nobilitatus. Traditio de ædicula Deiparæ adhuc viventi dedicata. Ad eam se contulisse fertur Vespasianus Imperator.

1. POstridie Idus Julii Festivitas celebratur B. Virginis de Monte Carmelo; de cujus institutione antequam dicere aggrediamur, quædam de Monte Carmelo præfabimur. Carmelus inter Judæam & Syriam mons ad Tribum Manasse pertinebat, qua vero ad meridiem vergit, Tribui Aser assignatus fuerat. Ejus radices præterlabitur Torrens Cisson, & haud longe hinc Belus amnis. In eo contigit monte nobilissimum illud miraculum, cum Eliæ precibus ignis Cælo delapsus Prophetas Baal absumsit. De eo monte Tacitus in lib. 2. Histor. c. 78. *Est Judæam inter Syriamque Carmelus; ita vocant montem, Deumque.* Huc venit Vespasianus percontatum, an quod agitaret animo, futurum esset, sibi ut bene verteret: *nec Simulacrum Deo* (sunt verba Taciti) *aut Templum, sed aram tantum & reverentiam: illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides Sacerdos, inspectis identidem extis: Quidquid est, inquit, Vespasiane, quod paras, seu domum extruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes.* Quod confirmat Suetonius c. 5. in Vespasiano: *Apud Judæam Carmeli Dei Oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur.* In eo monte Traditio est, adhuc vivæ B. Virgini Ædiculam esse extructam a piis quibusdam viris, qui eam noverant, quique Joannis Baptistæ prædicatione Christi Adventum satis cognitum habentes, Evangelium amplexati quotidie illuc convenire consueverant; ex quo nomen illis inditum Fratrum Montis Carmeli. Immo si fides habenda Josepho Antiocheno, Joanni Hierosolymitano, & Cyrillo, & recentioribus Ordinis Carmelitarum Scriptoribus, eadem illa fuit Ædicula, quo Vespasianus se contulit. Tacitus vero & Suetonius diversa scripsere, quod Ethnici essent, & Religionis nostræ augustiora quæque ad falsam, quam præceperant animo, Religionem traherent. Videatur Arnaldus Borstius in Breviloquio Tripartito par. 2. cap. 2. P. Daniel a Virgine Maria in Vinea Carmeli cap. 13. & in Speculo Carmelitano tom. 1. part. 2. in Miscell. Histor. Theolog. pag. 924. & sequen.

Papebrochius eam Traditionem, aliasque similes impugnavit.

2. Quidam vero in his non conquiescunt, nec animum possunt inducere ut ea credant, quæ super hac re tradunt Carmelitani Scriptores. Josephi Antiocheni, Joannis Hierosolymitani, & Cyrilli Opera supposititia esse contendit magni Bollandiani Operis Continuator Papebrochius. Addit, satis firmo carere fundamento, quod de extructa a primis illis Christianis in monte Carmelo Ædicula traditur; Basilidem a Vespasiano consultum Sacerdotem fuisse Christianum; & ea, quæ satis perspicue scribunt de Oraculo & ritu Ethnicorum Tacitus & Suetonius, ad nostræ Religionis ritus trahenda esse & explicanda, id vero absurdum sibi videri libere fatetur. Nec accusationibus commovetur, quas adversus illum apud Innoc. XI. intentavit Sebastianus a S. Paulo, ediditque typis Francofurdiensibus, ut appareat in part. 2. Resp. Papebrochii Antuerpiæ edit. ann. 1697. Responsi. ad 9. accusat.

Ad nostram partem accedit Auctor. In Lectionibus Officii de illa ædicula appositur clausula, ut fertur.

3. Ad neutram harum partium sententiam nostram adjicimus; nec suscipimus probandum, Suetonium & Tacitum, ubi scribunt Vespasianum Carmeli oraculum adiisse, ita explicandos, ut Vespasianus Christianos Sacerdotes, qui ædiculæ illi in honorem B. Virginis extructæ inservirent, consulerit. Nam illam ædiculam in monte Carmelo tunc temporis esse excitatam, pie tantum creditum est. Quapropter in secundis Officii lectionibus, quæ habentur in Romano Breviario, ubi mentio fit illius ædiculæ, addita est cauta illa formula, *ut fertur*, cujus quæ, quantaque vis esse debeat, fuse disseruimus tom. 4. par. 2. de Canonizat. Sanctorum, ubi quæ fides, qui honor & veneratio, & quatenus debeantur Historiis Breviario Romano contentis demonstravimus.

Simonis Stobil & Joannis XXII. visiones. Bulla ejus Pontificis, seu Privilegium Sabbathinum, quod dicitur ab aliis Pontificibus confirmatum, non habetur in Bullario Romano.

4. Ut autem ad hujus, de qua agimus, Festivitatis redeamus historiam; seculo 13. ineunte, mortuus est spectatæ Sanctimoniæ vir Simon Stockius Ordinis Carmelitarum Generalis; cui multo ante ejus obitum B. Virgo apparuit, deditque tanquam Carmelitani Ordinis tesseram Scapulare, in præcipuæ protectionis suæ peculiare signum; deinde quinquaginta post annis B. Virgo itidem Joanni XXII. Summo Pontifici apparuit, eumque monuit de pluribus Indulgentiis, quas a Jesu Christo Filio suo Fratribus & Sororibus Carmelitani Ordinis impetrasset; quas Indulgentias deinde 3. Martii die ann. 1322. idem Pontifex promulgavit. Atque illud est, quod dicitur Sabbathinum privilegium ob eam, quam mox afferemus, rationem; idque confirmatum postea dicitur a Summis Pontificibus Clemente VII. Pio V. & Gregorio XIII. Ea autem Joannis XXII. Constitutio, etsi non extat in Bullario Romano, in pluribus tamen libris typis impressis edita est, & nuperrime in Bullario Carmelitarum per P. Eliseum Monsignanum Ordinis Generalem Procuratorem collecto par. 1. pag. 61. & sequen.

Laurentius eam Bullam suppositiam

5. Sed hæc Simonis visio, & Joannis XXII. Bulla, si non majorem, certe æqualem habet difficultatem, atque ea, quæ in Monte Carmelo

UAB Biblioteca de Ciències Socials

existimat, & Papebrochius. Huius contentiones cum Carmelitis. Theophilo Raynaudo falso tribui opus, quod inscribitur Scapulare Marianum, putat idem Papebrochius.

lo extructa ædicula dicitur. Adversus utramque quasi quodam, qui satis verbis explicari non potest, furore invehitur Launojus in Dissertationibus suis tom. 2. par. 2. postremæ edit. anni 1731. Præter P. Danielem Carmelitam in *Vinea Carmeli*, & in *Speculo Carmelitano*, & P. Paulum ab omnibus Sanctis in *Clavi aurea*, tum visionem, tum Joannis Bullam tuendam suscepit Theophilus Raynaudus tom. VII. suorum Operum. Papebrochius in continuatione Bollandiani Operis tom. 3. mensis Maji ad diem 16. de B. Simone loquutus est, & conquestus, communicatam secum non fuisse ejus vitam ab Auctore synchrono scriptam, ut eam posset expendere. Id vero graviter tulit Sebastianus a S. Paulo Carmelita, qui ex ea querela accusationem adversus Papebrochium procudit. Quamobrem temperare sibi non potuit Papebrochius, quin omnes in 3. par. suarum Responsionum proferret, quæ inter se & Carmelitas intercesserant, contentiones, ut quanta æquitate sese gessisset, omnibus palam faceret. Atque in eo, quod ad B. Simonis visionem attinet, se dixisse monet, suspectam eam esse Launojo; negat vero se umquam declarasse sibi Launoji sententiam probari; ut videre est par. 1. suarum Responsionum ad accusationem secundam, tertiam, & quartam; in eo tamen se Launojum sequi fatetur, quod Joannis Bulla sit supposititia. *Bullam Sabbathinam, Bullam fictitiam videri, nec a Joanne XXII. editam Launojo assentior.* Idque rursus inculcat in ead. part. 1. Responf. ad art. 3. §. 15. ubi num. 144. quædam documenta profert, quibus demonstrare nititur Theophilum Raynaudum numquam *Scapulare Marianum*, quod supra memoravimus, tamquam ingenii sui fœtum agnovisse.

Difficultates adversus eam Bullam e Theologia petitæ.

6. Ad has difficultates ex historia petitas accedunt eæ, quæ e sacra Theologia depromuntur. Nam B. Virgo, cum B. Simoni tradidit Scapulare, fertur hæc dixisse: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium: in hoc moriens æternum non patietur incendium*: quod juxta Sacræ Theologiæ principia quidam contendunt probari non posse. Joannes Episcopus Castorienſis tract. 1. de Cultu Sanctorum & B. Virginis §. 55. ostendit, nullam Scapulari, aut Rosario, aut Cingulis, aut imaginibus B. Virginis fieri injuriam, *si quis dicat hæc nihil profutura* (meritum intelligens de condigno) *si desit charitas, si Christum non felicius corde, quam hæc symbola carne gestemus* & §. 56. omnia hæc symbola multum juvare dicit, si ea qui gestet, B. Virginis studeat innocentissimos mores imitari: his symbolis signisque B. Virgini colendæ comparatis ostendit §. 57. nimis multos abuti: ac §. 58. & sequen. malum eorum usum in eo esse, quod quidam ab illis æternæ salutis securitatem nimis fidenter sibi polliceantur. Inde Rivetus hæreticus eam adversus Catholicos confinxit calumniam: *Notandum est, cum omnibus sceleribus consistere posse in Papata devotionem circa Deiparam.* Verum Castorienſis Episcopus tract. 3. §. 55. Rivetum ad incitas redigit. Ostendit enim ab ea, quam nobis hæreticus ille doctrinam affingit, quantum Catholica Religio abhorreat. Bailletus, seu quis alius Auctor Tractatus *de Devotione & Cultu ergo Deiparam*, Lutetiæ Parisiorum editi anno 1696. cap. 9. explicat, quo sensu B. Virgo dicatur *Refugium peccatorum*; nam de iis peccatoribus id intelligendum, quibus est animus emendandi suos mores, quique de redeundo in Dei gratiam sedulo cogitant.

Sola exteriorum Symbolorum devotio nihil proficit ad salutem.

7. Provocat autem Rivetum, ex Catholicis, qui doctrina præstent, (nam imperitos, aut obscuri nominis nihil moratur Auctores) Scriptorem ut aliquem proferat, qui umquam dixerit, æternam salutem sola exteriorum Symbolorum devotione posse comparari, & devotionem erga Deiparam cum peccatis posse consistere. Porro vicissim Calvinianam doctrinam reprehendit. Nam in Calvinistarum Synodis definitur, qui semel Baptismo regenerati sint, & gratiam sanctificantem susceperint, eos neque regenerationis fructum ullo umquam tempore amittere posse, neque Fidem, quæ salvos facit, neque charitatem, neque securitatem illam, in qua de retinenda Dei gratia certi conquiescunt. Si enim gratia & justitia non amplius amittuntur, inde consequitur, terrima posse homines scelera perpetrare, quin & filii Dei, & de æterna salute securi esse desinant. Ne quis tamen obtrectandi cupidus nostra hæc aliorsum accipiat, quasi cultum erga Beatam Virginem deferendum peccatori esse doceamus, nihilque prodesse ejus preces, alioſve pios actus, si de sua conversione non cogitet, advertendum id ex superioribus propositionibus minime consequi: peccatoris enim oratio impetratoria est ex mera Dei misericordia, modo *pro se petat necessaria ad salutem pie & perseveranter*, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 6. Fieri enim potest, ut infinita Dei misericordia peccatoris oratio exaudiatur, etiam sine proposito emendandæ vitæ; dummodo non tam obstinato sit animo, ut omne pœnitentiæ consilium perpetuo abjecerit, piaque devotione & firma fide in oratione perseveret, a Deo petens auxilia, quæ sibi opus sunt ad æternam salutem consequendam. Vid. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 1. cap. 25. Bulla Joannis XXII. eandem B. Virginem tradit dixisse Pontifici, se Carmelitarum & Fratrum & Sororum animas in Purgatorium delapsas primo post eorum mortem Sabbatho ab illius loci pœnis ereptas in Paradisum adducturam. *Ego mater gloriosa descendam Sabbatho post eorum mortem, & quos invenero in Purgatorio, liberabo, & eos in Montem Sanctum vitæ æternæ reducam.* Quæ verba multum negotii sane facessunt, quod ex iis dominatus quidam in animas Purgatorii inferri posse videatur. Quapropter sacra Parisiensis Facultas anno 1624. Carmelitanum quendam religiosum virum ad eam propositionem rejiciendam adegit, quam ex Joannis Bulla depromserat: *Hanc propositionem, quatenus dicit B. Virginem imperium spirituale in animas demonstrasse, cum pollicita est morientibus in Habitu Carmelitarum e Purgatorii flammis ereptionem, revoco*: ut videre licet apud Thiers Tract. de Superstitione tom. 2. cap. 16. pag. 253. & sequen. qui plura refert acta in Sorbona ad hanc rem pertinentia.

Visio B. Simonis probatur testimonio Auctoris synchroni. Diluuntur difficultates Theologicæ adversus illam visionem.

8. Duo itaque sunt, de quibus disputant viri docti; alterum est B. Simonis visio; alterum ipsa Joannis XXII. Constitutio. Ac visionem quidem veram credimus, veramque habendam ab omnibus arbitramur. Eam enim accurate refert Stavaningron, qui B. Simonis Socius fuit & Secretarius, eamque se ab illius ore ait accepisse: *Hanc ego immeritus, homine Dei dictante, scribebam.* Ejus autographum in Burdigalensi quondam Archivo delituit, cujus e tenebris erutum, cum hæ ferverent controversiæ, Typis fuit impressum a P. Joanne Cheron Burdigalensis Domus Priore in Vindiciis Scapularis pag. 157. & seq. De hac Visione fit mentio in Breviario Romano; & quamvis illud tantummodo narretur in Lectionibus, B. Virginem Simoni Scapulare

tra-

tradidiſſe: *Inſigne ſacri Scapularis B. Simoni Anglico præbuit, ut cœleſti hac veſte Ordo ille Sacer dignoſceretur, & a malis ingruentibus protegeretur*: nec quidquam de eo, quod ſupra retulimus, Privilegio memoretur: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis Privilegium: in hoc moriens æternum non patietur incendium*: id tamen ſilentium viſioni nihil detrahit; nam juxta Scripturæ modum loquendi æterna vita promittitur propter quædam, quæ ad eam quidem conducunt, ſed tamen, niſi alia quædam accedant, ſatis eſſe non poſſunt ad eam aſſequendam, ut ad Rom. cap. 3. v. 28. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem*, & cap. 8. v. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus*: & Tob. 12. v. 9. *Eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata*. Et appoſite ad hanc rem ſcripſit Bellarminus Controverſiar. tom. 4. lib. 2. de Pœnitentia c. 7. *Sæpenumero Scriptura divina tribuit vim juſtificandi, aut etiam ſalvandi diverſis rebus, non quod ſolæ illæ juſtificare, aut ſalvare poſſint, ſed quod illæ vim ſuam habeant ad juſtificationem aut ſalutem, & ad eum finem perducant, ſi tamen cætera non deſint*. Huc accedit, quod in ea viſione non legimus, eum inferni pœnas vitaturum, qui nihil aliud præſtiterit, quam ut Scapulare geſtaret; alia enim bona opera præcipiuntur, in quibus perſeverare neceſſarium eſt. *Fratres* (ſunt verba Viſionis) *conſervando verbum iſtud in cordibus veſtris ſatagite electionem veſtram certam facere per bona opera, & nunquam deficere. Vigilate in gratiarum actione pro tanta miſericordia, orantes ſine intermiſſione, ut ſermo mihi factus glorificetur ad laudem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Virginis Mariæ ſemper benedictæ*. Daniel a Virgine Maria in Speculo Carmelitano tom. 1. par. 2. pag. 433. accurate rem hanc expendit. Sibi enim ipſe objicit pag. 531. etiam qui Dei ſervet præcepta & Eccleſiæ, puramque a peccatis vitam agat, licet Scapulare non geſtet, Infernum evitare. Cui objectioni reſpondet, B. Virginem pollicitam eſſe, qui devote Scapulare geſtaverit, devoteque Scapulare geſtando injuncta opera, ut æquum eſt, impleverit, eum ab Inferno liberum fore. *Quantum eſt ex parte ſua; ex capite gratiæ illius copioſæ, quam eidem apud Filium ſuum impetrabit intuitu Scapularis jam olim collati in ſignum ſalutis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni, niſi ſcilicet ex alio capite impingat in petram ſcandali, & lapidem offenſionis per temerariam divinæ legis tranſgreſſionem*. Iiſdem principiis utitur Paulus ab omnibus Sanctis *in Clavi Aurea* par. 1. cap. 12. Sane Papebrochius in Reſponſionibus ad P. Sebaſtianum a S. Paulo par. 2. Reſponſione ad art. 2c. num. 18. pro eo quo fuit animi candore declaravit, nihil quod improbaret, ſe in ea Viſione reperiſſe, poſtquam legerat, quæ ſcripſit Suvaningron; numero autem 28. de explicationibus, quas PP. Carmelitæ tribuunt illis verbis: *In quo moriens æternum non patietur incendium*, ita ait: *Ego in illis nullam video difficultatem. Ea enim Patres Carmelitæ tam commode exponunt, ut facile evadant omnem juſtam reprehenſionem; neque nata ſint* (*ſicut calumniantur nonnulli*) *ſtolidam fiduciam ingerere peccantibus adipiſcendæ ſalutis, quomodocumque ducatur vita*.

Bulla Joannis non probatur genuina. Prudens Pauli V. Decretum.

9. Nunc vero poſt viſionis examen expendenda eſſet Bulla Joannis XXII. quæ ideo Sabbathina appellatur, quod B. Virgo pollicita ſit, ſe quotquot Carmelitano Mariæ cultui addicti fuerint, primo poſt eorum obitum Sabbatho a Purgatorii igne crepturam. Nonnihil de ea ſuperius attigimus. Multo tamen plura eſſent afferenda, ſi nobis videretur conducibile, ad ejus auctoritatem convellendam, omnia ea, quæ ex quibuſdam rebus omni veriſimilitudine carentibus prodeunt, huc conferre argumenta: cujuſmodi ſunt illa, quod nunquam ejus repertum ſit autographum; & nunquam *in forma ſpecifica*, nec niſi, ut vulgo dicitur *in forma communi* a Romanis Pontificibus ea Bulla approbata ſit. Satis fuerit illud admonere, coortas in Luſitania de ea Bulla contentiones, & inde ad totum Chriſtianum Orbem diffuſas, quarum hiſtoriam tradidit Paulus ab omnibus Sanctis *in Clavi aurea* par. 2. cap. 15. ſapientiſſimo Decreto tandem diremiſſe Paulum V. Pontificem; quod vel ipſe probavit, collaudavitque Launojus. Decretum autem habetur in Bullario Carmelitano tom. 1. pag. 62. & tom. 2. pag. 601. *Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quod populus Chriſtianus poſſit pie credere de adjutorio animarum Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum geſtaverint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel ſi recitare neſciverint, Eccleſiæ jejunia obſervaverint, & feria quarta, & Sabbatho a carnibus abſtinuerint, niſi ubi in iis diebus Nativitatis Domini Feſtum inciderit, ſuis interceſſionibus continuis, ſuiſque ſuffragiis & meritis, & ſpeciali protectione poſt eorum tranſitum, præcipue in die Sabbathi* (*qui dies ab Eccleſia eidem Beatæ Virgini dicatus eſt*) *adjuturam*. Videatur etiam Bailletus ad diem 15. Auguſti §. 6. num. 34.

Illo decreto ſublata contentiones. Defenditur inſtitutis hujus Feſtivitatis & Officii.

10. Congruunt cum hoc Decreto ſecundæ Officii Lectiones in Breviario Romano. Habetur enim in illis, animas Fidelium, qui in Scapularis Societatem adſcripti fuerint; & pia opera, quæ in ea præſcribuntur, ſervaverint, in Purgatorium ignem delapſas a B. Virgine adjuvari, ut inde quam celerrime liberatæ in Cœlum convolent; quibus tamen omnibus illud additur, *ut pie creditur*. Quapropter cum ea omnia, quæ tum in B. Stocki viſione, tum in Sabbathina Bulla difficultatem creare poterant, & ſapientibus doctorum virorum animadverſionibus, & Romani Pontificis decreto ſublata ſint; cumque gliſcentibus maxime contentionibus, nemo umquam cultum erga B. Virginem de Monte Carmelo auſus ſit improbare, quem Romani Pontifices tot tantiſque indulgentiis locupletarunt; cum denique, B. Virgine intercedente, plura Deus miracula ediderit in eorum utilitatem, qui huic devoto cultui ſunt addicti (*Improbus porro ſit qui neget, multis Romanorum Pontificum gratiis & privilegiis ornatam, multis etiam divinis beneficiis comprobatam fuiſſe iſtam Scapularis Mariani devote geſtandi religionem*; ut ait Papebrochius par. 2. Reſponſion. ſuarum art. 20. num. 28.) quiſque fateatur neceſſe eſt, Feſtivitatem B. Mariæ de Monte Carmelo non ſine gravi inſtituram eſſe judicio, & in univerſali Eccleſia cum Officio & Miſſa propria celebrari. Eam pro Carmelitarum Ordine ann. 1587. approbavit Sixtus V. ejuſque Officium pro eodem Ordine Paulus V. ex Decreto S. Rituum Congregationis novis auxit lectionibus a Venerabili Cardinali Bellarmino recognitis, ut videre eſt apud Petrum Paulum ab omnibus Sanctis *in Clavi aurea* pag. 180. Eandem Feſtivitatem temporibus ab ætate noſtra haud ita remotis una cum Officio ad aliquot Civitates, Provincias, & Regna, ut Populorum, Epiſcoporum, & Principum devotioni gratificarentur, Romani Pontifices extenderunt, quod ex S. Rituum Congregationis Actis colligitur. Eam denique cum Officio & Miſſa nunc Univerſa celebrat Catholica

lica Ecclesia ex Decreto Benedicti XIII. quod etiam monuimus par. 2. tom. 4. de Canonizatione Sanctorum.

CAPUT VII.

De Festo Dedicationis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Nives, die 5. Augusti.

Multiplex Basilicæ Liberianæ nomen.

1. NOnis Augusti Solemnitas peragitur Dedicationis Ecclesiæ B. Mariæ ad Nives. Variis insignem. hanc Basilicam nominibus in Ecclesiasticis monumentis appellatam novimus: nam interdum *Sancta Maria*; modo *Sancta Maria ad Nives*; ex miraculo, de quo paullo post sermonem habebimus; modo *Basilica Liberii* nominatur, ex ejus Fundatore Liberio sumpto nomine; in ejus enim vita Anastasius, sive quis alius Pontificalis libri Scriptor tradit, Basilicam prope macellum Liviæ ædificasse: *Hic fecit Basilicam nomine suo juxta macellum Liviæ*. Quod macellum eum in Exquiliis Livia Augusti uxor ædificari jussisset, ut in eo necessaria humano victui venundarentur, facile inde intelligitur, Ecclesiam seu Basilicam, de qua loquimur, illis verbis demonstrari, quæ in Exquilino monte sita est, quod bene advertit Baronius in Notis ad Martyrolog. Rom. ad diem 5. Augusti, & notat Vignolius in Notis ad Librum Pontificalem in vita Liberii pag. 118.

Cur appellitur eadem Basilica Sixti.

2. Eadem Ecclesia quandoque appellatur *Basilica Sixti*, & Basilica *Sanctæ Mariæ Genitricis*, ut apparet in *Sacramentalibus libris*, *Antiphonariis*, & *Missalibus ordinatis* sub Gregorio Magno, & in ejus Epistolarum Regesto. Et facile quidem intelligitur, quo pacto nomini Liberii nomen Sixti fuerit substitutum; nam in libro Pontificali in vita Sixti III. hæc habentur: *Hic Xystus fecit Basilicam S. Mariæ Virginis, quæ ab antiquis Liberii denominabatur juxta macellum Liviæ, ubi & obtulit hæc dona*. Et Florentinius Exercitat. 12. *de prima Romæ B. Virgini Mariæ dedicata Ecclesia*, quam Martyrologio veteri inseruit ad diem 5. Augusti, notat in quibusdam Codicibus non legi *fecit*, sed *refecit*, quam lectionem confirmat ea Inscriptione apud Gruterum in Appendice pag. 1170.

Virgo Maria tibi Sixtus nova tecta dicavit.

Consonat alia Inscriptio, cujus meminit Baronius loc. cit. quam etiamnum palam omnibus esse ait in hujus Templi arcu maximo: *Sixtus Plebi Dei*. Eximiam vero fuisse oportet hanc accessionem, qua Sixtus eam auxit Basilicam, cum Liberii nomen & memoria pene interiisse videatur: quamobrem Joannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 4. cap. 68. Templum hoc appellat *Basilicam Sixti*.

Septimo seculo in eam illatum Præsepe Jesu Christi.

3. Tandem circa dimidium septimi seculi, quam Epocham tamquam veriorem sequuti sumus tom. 4. part. 2. de Canonizat. Sanctorum cap. 31. num. 15. cum Romam præclara essent asportata Præsepis Jesu Christi Lipsana, quæ Theodorus Pontifex in hac Basilica collocavit, jam tum appellata fuit Basilica *S. Mariæ ad Præsepe*. Quapropter in lib. Pontif. de vita Theodori Papæ hæc habentur: *Romam fugit Mauritius ad B. Mariam ad Præsepe, quem tollentes de Ecclesia miserunt Bojam in collum ejus*. Ac ejusdem Pontificalis libri Auctor semper Basilicam hanc vocat *S. Mariæ ad Præsepe* in sequentibus Pontificum vitis Martini I., Eugenii I., Gregorii II, Gregorii III., Stephani III., Adriani I., Leonis III., Paschalis I., & in Calendario Romano seculi 8. quod Fronto illustravit, mentio fit de hac Ecclesia in Dominica Paschæ his verbis: *In Pascha Dominica sancta ad Sanctam Mariam Majorem in Præsepe*.

De vulgato Basilicæ nomine S. Mariæ Majoris.

4. Quod autem pertinet ad vulgatum nomen Sanctæ Mariæ Majoris, quo hæc Basilica appellari solet, vestigia quædam ejus apparent sæculo 8. nam præter ea, quæ supra attulimus ex 8. seculi Calendario, locus est hujusmodi in Pontificali libro de vita Gregorii IV. *Et in ea* (Basilica S. Mariæ Trans Tyberim) *fecit Præsepium ad similitudinem Præsepii Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Majoris*: & in vita Sergii II. qui eidem Gregorio successor fuit. *Ipse vero a Deo protectus & præclarus Pontifex pro remedio & futura animæ suæ retributione Cameram Præsepii Domini Nostri Jesu Christi, quod Basilicæ Beatæ Dei Genitricis Dominæ nostræ connectitur, quæ Major ab omnibus nuncupatur, argenteis Tabulis, ac deauratis, habentibus historiam B. Dei Genitricis Mariæ, magnifice, atque præcipue perornavit*. Quamobrem nos, quemadmodum Venerabilis Petrus lib. 2. de Miraculis, nomen *S. Mariæ Majoris* magnificentiæ illius Templi adscribemus: *Habetur* (inquit Petrus) *Romæ Patriarchalis Ecclesia in honore perpetuæ Virginis Matris Domini consecrata, quæ vulgari sermone Sancta Maria Major vocatur. Major autem iccirco, quia post Lateranensem Sancti Salvatoris Ecclesiam, Major dignitate non solum Romanis, sed & totius Orbis Ecclesiis est*.

De nomine S. Mariæ ad Nives.

5. Si quis de diversis hujus Basilicæ nominibus uberiorem tractationem desideret, legat narrationem Sacrorum Rituum, quibus sancta hujus Basilicæ porta aperitur anno Jubilæi universalis, quam narrationem sumpta occasione ex proprio Jubilæo an. 1725. edidit Battellus Archiepiscopus Amasenus ejus Basilicæ Canonicus pag. præsertim 31. & sequen. Nobis satis est, quæ hactenus attulimus, monuisse; ac inter diversa hujus Ecclesiæ nomina, illud *S. Mariæ ad Nives* adhibebimus, præsertim quod in Romano Martyrologio Festum hujus diei in hæc verba edicitur. *Romæ in Exquiliis Dedicatio Basilicæ Sanctæ Mariæ ad Nives*: & in Breviario Romano hujus Festivitatis titulus est, *Festum Sanctæ Mariæ ad Nives*.

Miraculum delapsæ Nivis in ædificatione Basilicæ.

6. Pia quædam traditio est, Joannem Patritium Romanum, ejusque conjugem, Liberio Pontifice, cum liberis carerent, ad quos eorum hæreditas deferretur, omnia sua bona voviſſe B. Virgini, quam impensissime obsecrabant, ut sibi aperiret, quid de iis bonis fieri vellet. Itaque Nonis Augusti, quo tempore gravissimi Romæ sunt calores, noctu nix in Exquilinum collem delapsa est; cum interea Joannes ejusque uxor per somnium a B. Virgine monerentur, ut in ea Exquilini collis parte, quam nive tectam viderent, Templum extruerent, suoque nomini dedicarent; ad hunc enim modum se velle eorum fieri hæredem. Quod cum Joannes Liberio nunciasset, idem sibi Pontifex dixit significatum esse per somnium; itaque cum Cleri & Populi processione se ad Collem contulit, quem nive tectum invenit, ac in eo locum Templi designavit, quod deinde Joannis ejusque uxoris sumtibus extructum est.

In vetustioribus Breviariis habetur in illa Basilica ædificanda miracu-

7. Atque ea sunt omnia, quæ in Officio narrantur, quod ab Ecclesia universali hac die celebratur. In vetustioribus quibusdam Breviariis membranaceis, quorum unum erat ad Parmensis Ecclesiæ, alterum ad Eremitarum S. Augustini usum, quod fuit Florentini, non id solum contine-

lum terræ sponte debiscentis.

tinetur, quòd narratum diximus in Breviario Romano, sed illud etiam legitur, Liberium Pontificem suis manibus cœpisse terram effodere; quæ sponte dehiscens ostendit, quo fundamenta jaci oporteret. *Ad quem locum* (sunt verba ex Breviariis apud Florentinium) *cum populi multitudo excitati novitate miraculi* (delapsæ nivis) *una cum jam dictis Pontifice & Patritio accessissent, & ipse Pontifex cœpisset propriis manibus terram effodere in circuitu nivium ad jaciendum construendæ Basilicæ fundamentum, ecce priori miraculo aliud divina dispositione successit. Fluida terra subito seipsam aperuit, & ubi jacenda essent fundamenta demonstrans, astantium animos incredibili lætitia & admiratione replevit.*

Cum illis consentiunt veteres Lectiones quæ emendatæ sunt a S. Pio V. De miraculo tantum Nivis delapsæ proponitur Sermo.

8. Conſentiunt vetustæ quædam lectiones, quas affert, ut vulgo dicitur, *per extensum* Paulus de Angelis in suo Tractatu de Basilica S. Mariæ Majoris lib. 2. cap. 2. pag. 24. *Mox vero Pontifex fossorium lætus accipiens; sicut nix designaverat, propriis manibus cœpit terram effodere, quæ extemplo aperta est per circuitum. Et ita hujus gloriosæ Virginis meritis architectonicis manibus Divina Clementia reseravit fundamenta.* Verum cum lectiones, quæ hac die leguntur, a Pio V. emendatæ fuerint, teste Gavanto sect. 7. cap. 10. de Festis Sanctorum Mense Augusto num. 5. *Pius V. mutavit Orationem, aliqua Responsoria, & Lectiones primi, & secundi Nocturni*, cumque a Lectionibus mutatis, correctisque absit miraculum de terra, quæ ultro se aperuit, solumque delapsæ nivis prodigium in iis memoretur, propterea nos de prioris miraculi probabilitate nihil detrahentes, de posteriore hoc, quod accidit die 5. Augusti, duntaxat differemus.

Tillemontius sibi ejusmodi miracula, quod parum fidei tribuat Breviariis. Basilicæ ædificationem refert ad Sixtum III.

9. Tillemontius tom. 6. Nota 83. *de Arianis*, de Ecclesia S. Mariæ Majoris scribit, se idcirco a narrandis iis miraculis abstinere, quæ in ejus fundatione contigisse dicuntur, quod ea non nisi Breviariis fulciantur, quorum non existimat auctoritati & fidei tuto se niti posse; cum præsertim fere quotidie corrigantur, & ex lectionibus plura expurgentur; remque omnem eo ducit, ut si quid veri dici possit, id omne referendum sit ad tempora Sixti III. qui Basilicam novis magnisque accessionibus a se auctam primus sub B. Virginis nomine dedicavit.

Tillemontius refellitur. Varia lectio notatu digna in libro Pontificali. Basilicæ olim dicebantur Regum, & potentiorum ædes.

10. Verum nihil affert, quo sententiam hanc suam suffulciat; pro qua si quis velit argumentum aliquod suppeditare, illud ex Pontificali libro, quem Vignolius notis illustravit, proferre posset de Liberio: *Fecit Basilicam nomine suo juxta macellum Liviæ*, ut ipsi quoque dudum observavimus. Hic locus in eodem Pontificali libro accuratissimæ editionis Blanchini ita legitur: *Hic fecit Basilicam nomini suo juxta macellum Liviæ*; quæ verba significare videntur Liberium sibi suoque commodo Basilicam ædificasse, non autem in honorem B. Virginis; ideoque Sixto III. tribuendam ejus Dedicationem sub B. Mariæ nomine; si quid autem veri sit in eo miraculo, id omne ad Sixti, non Liberii tempora esse referendum. Non enim semper Basilicæ nomen Templum, ut apud nos, significavit; regiæ enim quondam ædes hoc appellabantur nomine, & ab iis ad Templa Deo dicata nomen illud traductum est. *Basilicæ prius vocabantur Regum habitacula, unde & nomen habent: nunc tamen ideo Basilicæ Divina Templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus & Sacrificia offeruntur.* Verba sunt Isidori lib. 15. de Originibus, Liberii vero temporibus a privatis hominibus in sui commodum Basilicas ædificari consuevisse, constat ex Hieronymi Epist. 18. ad Marcellum: *Ubi, instar Palatii, privatorum extructæ Basilicæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius inhabitet? & quasi Mundo quicquam possit esse ornatius, tecta sua magis velint aspicere, quam Cælum?*

Basilicam extruxisse Liberium sumtibus Joannis Patritii, & B. Mariæ dedicasse probatur ex vetustis monumentis in Archivo ejus Basilicæ.

11. Hanc prævertit difficultatem Florentinius exercit. 12. *Ansam quidem dubitandi daret Liber Pontificalis, Liberium proprio usui Basilicam construxisse, dum inquit: Hic Basilicam fecit nomini suo.* Sed cum in Liberianæ Basilicæ Archivo vetusta extent monumenta, quæ probant, Liberium Basilicam, quam ædificaverat, dedicasse, & sub Altari magnæ Capellæ a Sixto V. extructæ etiamnum extet Oratorium a Liberio consecratum, nihil profecto obest, quin statuatur, Basilicam a Liberio Joannis Patritii ejusque uxoris sumtibus, non in sui usum extructam, sed B. Virgini dedicatam; nec primam Basilicæ magnificentiam Sixto, sed Liberio tribuendum esse, ut erudite disputat Florentinius loc. cit. *Basilicam a Liberio constructam pro sacro usu fuisse, vix dubitarem.*

Bailleti sententia.

12. Bailletus ad diem 15. Augusti num. 27. more suo haud ita credulum se præbet Nivis miraculo. Sibi enim monstri simile videri ait, de hujus historiæ auctore nondum quidquam compertum esse; spatio mille annorum tantam rem silentio oppressam; nusquam præterquam in Breviariis, aut in Petri Natalis Catalogo hujus rei reperiri vestigia. Quamobrem huc, quæ tuto affirmari possint, omnia refert, Liberium ab exilio restitutum in suam Sedem Basilicam ædificasse, quæ per octoginta annos ab eo nomen habuerit usque ad Sixtum III. qui eam deinde perfecerit, & paullo ante annum 440. sub B. Virginis nomine dedicaverit.

Bailletus refellitur. Petri de Natalibus parum firma fides.

13. Multa observatu digna sunt in hac Bailleti sententia. Petro de Natalibus, qui hanc refert historiam, non multum tribuit fidei Bollandus in generali Præfat. ad Vitas Sanctorum §. 4. Petrum hunc ejusque opus commemorat, in quo multa desiderat scripta accuratius. Miræus in Auctario Scriptorum Ecclesiast. ad cap. 511. leviter admodum de Petri opere loquitur, nec ullum de eo fert judicium. *Petrus Natalis Episcopus Equilinus sub annum millesimum quadringentesimum septuagesimum quasdam Sanctorum historias breviter concinnavit.* Sed in nova accessione, qua auctus est Bellarmini liber de Scriptoribus Ecclesiasticis, hujusmodi de hoc Petro judicium habetur: *Petrus de Natalibus ex Pastore, seu Plebano Sanctorum Apostolorum Diœcesis Castellanensis factus Episcopus Equilinus in Gradensi Provincia perduxit ad exitum Catalogum Sanctorum anno 1382. die 26. Maji, quem ut simplicem nimium multi contemnunt.* Quamobrem haud gravate Bailleto concedimus, firmo sane fundamento carere nivis miraculum, si Natalis duntaxat auctoritate fulciretur, tum quod multum temporis inter miraculum & Scriptorem interceserit, tum quod non desint, quæ adversus ipsum historiæ auctorem jure excipi possint.

Historia hujus miraculi vetustioribus & solidioribus fundamentis nititur quam testimonio Petri de Natalibus. Testatur de eo Nicolaus IV.

14. Verum a Bailleto in eo dissentimus, quod primus Petrus miraculum illud commemorarit; nec probamus, ab eo tantum fidei detrahi Romano Breviario. Fuit Petrus S. Antonini fere synchronus, teste Bollando loc. cit. §. 4. *Supparem prope S. Antonino fuit Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus.* Obiit S. Antoninus anno 1459. quamobrem Petrum anno 1470. ut tradit Miræus, scripsisse oportuit, non anno 1382. ut scribit Auctor additionis ad Bellarminum; nisi forte mendum in numeros irrepsit, & 1382. scriptum fuerit loco 1482. Nicolaus IV. Summus Pontifex anno 1287. ad Pontificiam Sedem evectus

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ctus non plus quam annos quatuor, menſem unum vixit, qui hoc miraculum in quadam Bulla, primo ſui Pontificatus anno edita, commemorat, nec quidquam de ejus veritate ſe dubitare oſtendit. Eam refert Bullam Paulus de Angelis Tract. de Baſilica S. Mariæ Majoris lib. 2. cap. 1. qui eam affirmat in Baſilicæ Archivo aſſervari. *Cupientes igitur, ut Eccleſia noſtra ad honorem Virginis ejuſdem conſtructa, cujus quidem ſtructuram glorioſus Deus in Sanctis ſuis per immiſſionem nivis æſtus tempore mirabiliter indicavit, congruis honoribus frequentetur.* Ex quo luculenter apparet, miraculi nivis hiſtoriam non ſolius Petri fidei incumbere, ſed vetuſtioribus ſolidioribuſque fulciri fundamentis.

Gregorius etiam XI. Pius II. vetera manuſcripta Breviaria quamplurima, Auctores omnes Romani, Sigonius, Canisius, Florentinius Miraculum Nivis probant.

15. Huc accedit quod Gregorius XI. anno 1371. creatus Pontifex hujus miraculi mentionem injicit. *Intra noſtræ mentis arcana revolventes, qualiter glorioſus Deus in Sanctis ſuis in majeſtate mirabili opera manuum ſuarum verificante olim miro diſpoſuit ordine, Eccleſiam B. Mariæ Majoris de Urbe fundari, ac conſtrui, ac ſubſequenter etiam dedicari.* Pius etiam ſecundus in Bulla anni 1453. in marmore inciſa, cujus membrana in Baſilicæ ſervatur Archivo, teſte De Angelis loc. cit. idem miraculum diſerte tradit. *In B. Mariæ Majoris Urbis Romæ Baſilica. Divino æſtivæ Nivis miraculo ædificata.* Inſignis præterea hujus miraculi memoria traditur in veteribus manuſcriptis, quæ in Romanis Tabulariis cuſtodiuntur, ad quæ provocat idem De Angelis loc. cit. & Severanus de Septem Urbis Eccleſiis. Nec Romani tantum Scriptores, inter quos Baronius in Notis ad Martyrologium, Fulvius Romanus lib. 2. cap. 6. Panvinius de ſeptem Urbis Eccleſiis, Severanus in Tractatu cognomine, Pompejus Ugonius Hiſtor. de Urbis Stationibus, Paulus de Angelis in ſæpe citato Opere de Baſil. S. Mariæ Majoris; ſed de eo abunde teſtantur etiam magni nominis Scriptores exteri, Sigonius tom. 1. de Occidentali Imperio pag. 240. nuperrimæ edit. Caniſius de B. Virgine Deipara pag. 770. Florentinius loco ſupra allato. Nec vero fieri poteſt, hanc hiſtoriam in Breviariis Romano, Lateranenſi, Vaticano, Liberiano, Caſſinenſi eſſe inſertam, ut videre eſt apud De Angelis lib. 2. cap. 2. & a Pio V. in emendatione Breviarii Romani recognitam, nec tamen quidquam fuiſſe detractum de Nivis delapſæ miraculo, licet alia quædam, quod monuimus, ex iis lectionibus Sanctus ille Pontifex expunxerit. Quæ omnia moralem quandam conficiunt evidentiam de veritate Miraculi Nivis. Quamvis enim plura inter Liberium & Nicolaum Quartum ſecula intercesſerint, in quibus nullum extat ea de re monumentum, pia tamen Traditio monumentorum vim obtinet; neque enim ea veteres promulgaſſent Romani Pontifices, aſſeruiſſent, propugnaſſent, niſi altiſſimis etiam radicibus defixam comperiſſent. Communis etiam Scriptorum ex omni gente conſenſus plurimum habet auctoritatis, ubi non ſuppetunt monumenta; cum præſertim, ut in noſtro de Canonizatione Sanctorum Opere demonſtravimus, ad hiſtoriam Romano Breviario inſerendam, ac ex ea Feſtivitatem aliquam inſtituendam moralis quædam ſatis ſit evidentia: neque enim piam traditionem, quod monumentis coævis deſtituta ſit, idcirco oportet corruere, ſi inſequentium temporum magni ponderis extent documenta, quibus ea probetur, ut bene in rem noſtram Papebrochius in Reſponſion. ad P. Sebaſtianum par. 2. pag. 365. *Contingit etiam ſæpe, Traditionis ſubſtantiam talem eſſe, ut nonniſi temere poſſit in dubium revocari, etiam coævorum teſtimoniis deſtitutam.*

Bollandiſtæ librum ſingularem polliciti ſunt de illa Feſtivitate ad Nives.

16. Bollandiſtæ tom. 2. menſis Auguſti in Prætermiſſis pag. 2. Feſtivitatem hanc commemorant in hunc modum: *Feſtum ipſum ſignat Martyrologium Romanum his verbis: Romæ in Exquiliis Dedicatio Baſilicæ Sanctæ Mariæ ad Nives. Quæ Feſtivitas Romæ hoc die & toto Orbe Catholico ſolemniſſime celebratur, eo nempe, quo nix ferventiſſima Cæli tempeſtate decidua, locum Templo deſignavit, quod a Liberio Pontifice conditum, a Sixto III. reſtauratum, ab aliis Pontificibus exornatum eſt.* Se alibi de ea ſermonem habituros eſſe pollicentur: *Nos eam Feſtivitatem cum aliis Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Deiparæ eo remittimus, quo majores noſtri peculiari Opere de iis agendum pridem polliciti ſunt.* Quod quidem opus aliquando editum plurimum profecto lucis huic argumento affundet. Nos quidquid ad Feſtivitatem Dedicationis Eccleſiæ S. Mariæ ad Nives illuſtrandam pertinere comperimus, huc congeſſimus, nec quidquam nobis pro ratione inſtituti noſtri reliquum eſt, quam ut ejus originem & progreſſum perſequamur.

Dedicationis Feſtum celebratum in ea Baſilica ſeculo 12. manifeſto conſtat. Seculo 14. per totam urbem celebrabatur. S. Pius V. juſſit peragi in Eccleſia univerſali.

17. In Eccleſiæ Occidentalis antiquo Martyrologio, quod edidit, notiſque illuſtravit Florentinius ad diem 5. Auguſti hæc leguntur. *Romæ Dedicatio Baſilicæ S. Mariæ.* Quamvis enim nihil præterea ſit additum, quod Eccleſiam indicet, de qua ſermonem habemus, perſpicuum tamen videtur iis verbis hanc ſignificari Baſilicam. Nam, ut monuimus, interdum appellari ſolet *Baſilica S. Mariæ*; & quod ab eo Martyrologio abeſt, alia ſupplent Martyrologia juxta adnotationem Florentinii. Profecto conſtat Feſtivitatem hujus Dedicationis in ea Baſilica ſeculo 12. celebrari conſuevisſe, ex Diplomatibus Honorii III. Alexandri IV. Nicolai IV. penes Raynaldum ad ann. Chr. 1223. num. 22. & 1288. num. 42. & ſequentibus. Verum quod ea Feſtivitas in Baſilica S. Mariæ Majoris magna ſolemnitate celebrata ſit, non ex eo conficitur in aliis etiam Romæ Baſilicis fuiſſe celebratam: ejus enim nulla fit mentio in Vaticanæ Baſilicæ Calendario, quod edidit Cardinalis Thomaſius ann. 1688. ut animadvertit Dominicus Georgius in erudita Diſſertatione, *de Cathedra Epiſcopali Setiæ Civitatis* in Appendice pag. 197. Quædam refert Sollerius Martyrologia ſeculi 13. in Notis ad Martyrologium Uſuardi ad diem 5. Auguſti, in quibus mentio fit Dedicationis Eccleſiæ S. Mariæ ad Nives, & S. Dominici. Sed ne id quidem ſatis eſt, quo probemus, Feſtivitatem hanc cum Miſſa & Officio tota Urbe celebratam fuiſſe. Sanctus enim Dominicus obiit pridie Nonas Auguſti, quo quidem die celebrata fuiſſet ejus ſolemnitas, niſi præfinitus jam eſſet dies ille Transfigurationi Jeſu Chriſti. Itaque Gregorius IX. S. Dominici Feſtivitatem rejecit ad Nonas Auguſti, quod quidem non feciſſet, ſi dies Nonarum celebrando feſto S. Mariæ ad Nives tota Urbe & Orbe Catholico conſtitutus fuiſſet; quod obſervavit Pagius tom. 3. Breviar. Romanor. Pontific. in Gregorii IX. num. 32. Itaque 14. ſeculo ad totam Urbem ea Feſtivitas extenſa eſt; ac proinde Radulphus Tungrenſis Propoſit. 22. inter Feſtivitates, quæ Romæ celebrantur, eam recenſet. Quod autem ad univerſalem denique Eccleſiam ea ſolemnitas permeaverit, id quidem ad S. Pii V. tempora referendum, qui Breviarium Romanum a ſe emendatum, in quo officium etiam in Feſto ad Nives correctum edidit, univerſo Orbi Catholico recitandum propoſuit.

Non omnium prima fuit hæc Basilica B. Mariæ consecrata. Cur tanta celebritate ea festivitas peragatur. De Basilica seu Templi Pantheon Dedicatione.

18. Denique ut nihil nobis reliqui faciamus, quod ad hujus Festi cognitionem pertinet, quæri potest, quid tandem causæ fuerit, ut tantopere hæc solemnitas celebraretur, & ad universalem Ecclesiam propagaretur. *Celebre est miraculum nivis, quæ Liberio Summo Pontifice circa annum Domini 367. partem Collis Exquilini sexta Augusti (quo tempore in Urbe maximi calores esse solent) noctu contexit: cujus rei memoria eadem die anniversaria celebritate ab universali Ecclesia colitur.* Verba sunt pii viri Petri Antonii Spinelli in Tractatu de Festis Dei Genitricis dicatis num. 10. & consentit Suarez tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 8. num. 15. Fortasse dicat aliquis, primum hoc esse Templum, quod B. Virginis nomini Romæ dedicatum fuerit; sed repugnat Florentinius exercit. 12. *Difficillimum ergo videtur Basilicam S. Mariæ sub Liberio ex prodigio æstivæ nivis constructam primam dicere.* Et sane cum in libro Pontificali de S. Callixto I. in ejus vita scriptum sit: *Fecit Ecclesiam S. Mariæ Trans Tyberim*, facile quivis intelligat S. Mariæ ad Nives Basilicam non eam esse, quæ Romæ prima fuerit in Beatæ Virginis honorem consecrata. Quasdam etiam alias antiquitatis cultores Ecclesias commemorant ante Dedicationem Ecclesiæ B. Mariæ ad Nives Sanctissimæ Dei Genitricis nomini dedicatas. Nos vero satis contenti sumus tueri posse, ante Dedicationem Basilicæ S. Mariæ ad Nives, Romæ in ejus honorem a Callixto I. Ecclesiam Trans Tyberim fuisse consecratam. Quapropter, non quod prima dedicata sit ea Basilica B. Virgini, sed ex æstivæ Nivis miraculo solemnitas hujus Festi tanta, ejusque propagatio originem traxit. Quod observavit Guyetus de Festis propriis Sanctorum lib. 1. cap. 6. quæst. 13. ubi agens de Titulis dedicatarum B. Virgini Ecclesiarum, cum ad eos devenit, qui ex prodigiis & miraculis nomen habent, *Quo in genere*, inquit, *præcellit aliis omnibus ipsa S. Mariæ Majoris Basilica, una ex primariis & Patriarchalibus Urbis, cujus extruendæ occasionem dedit insigne Nivium miraculum, a quo & Sanctæ Mariæ ad Nives dici etiam consuevit.* Paucis ante Christi Domini ortum annis celeberrimum Templum Romæ Agrippa ædificavit *Pantheon* appellatum, quod fictitiis omnibus Gentium Diis dedicavit. Circiter anno 610. B. Virgini & Sanctis Martyribus Templum hoc consecrari Imperator Phocas a Bonifacio IV. Pontifice permisit, cui propterea *Sanctæ Mariæ ad Martyres* nomen inditum; & ex structuræ forma vulgo *Rotunda* appellatur. Celebris etiam hujus Templi fuit Consecratio, cujus Festo constitutus est dies 13. Maji, quo Sacra Cæremonia peracta est. Eam commemorat Beda in Martyrologio, & in Historia Anglica. Magna quondam hujus Festivitatis celebritas fuit Romæ, & in Gallia, ac de ea mentionem faciunt nostri seculi Martyrologia Romanum eam habet ad diem 13. Maji. Nunc ejus Consecrationis Festivitas Romæ in ea duntaxat Ecclesia celebratur; nec extra Romam usquam celebrari eam comperimus: sola Dedicatio Basilicæ S. Mariæ ad Nives tum Romæ, tum in omnibus Orbis universi Ecclesiis celebratur. Vide Bollandistas tom. 6. Maji pag. 75. & Bailletum ad diem 15. Augusti §. 5. num. 28. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum nobilissimam ædem, Pantheon appellatam, ab Agrippa fassorum Deorum cultui extructam, scribit ab Imperatore Phoca Bonifacio IV. Pontifici datam, qui Templum illud in B. Mariæ Virginis, omniumque Sanctorum Martyrum honorem dedicavit; *ut ubi quondam non Deorum, sed Dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum.* Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 13. Maji hæc scribit: *Legi in ejus Ecclesiæ Codice Manuscripto, Templum illud dicatum in primis in honorem Genitricis Mariæ, omnium Sanctorum Martyrum & Confessorum, illataque illuc esse reperiri duobus de triginta curribus ossa Sanctorum Martyrum e diversis Urbis Cœmeteriis effossa, solemniterque comportata, ac decentissime collocata.*

CAPUT VIII.

De Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis ad diem 15. Augusti.

1. DEcimaquinta Augusti die Assumptio B. Mariæ Virginis celebratur. Epiphanius hæresi 78. dubitat, an B. Virgo mortem obierit, quod ex ipsius verbis apparet, quæ ita vertit Janus Cornarus: *Quærant vestigia Scripturarum, & invenient utique neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, an non mortua, neque an sepulta sit, an non sepulta... Non omnino definio hoc, & non dico, quod immortalis mansit; sed neque affirmo, an mortua sit. Excedit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit propter vas pretiosum, & excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Sive igitur mortua est, non novimus, sive sepulta est, non copulata fuit carni: absit.* Alii vero ulterius progressi obstirmate negant, B. Virginem esse mortuam, utpote quæ ab originalis peccati labe pura fuerit & integra, cujus peccati pœna mors est, juxta illud Apostoli ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et cap. 6. *Stipendia peccati mors.* Videatur P. Macedo de Clavibus Petri tom. 1. lib. 4. part. 2. de Peccato Originali sect. 3.

Quorundam sententia Deiparæ nunquam obiit. De ejus morte dubitavit Epiphanius.

2. Venerabilis Petrus Canisius lib. 5. de B. Maria Deipara Virgine cap. 2. Epiphanii moderationem demiratur. *Tam reverenter & modeste de Maria sentit ac loquitur Epiphanius, ut de illius morte ac sepultura non ausit certi aliquid definire.* Advertit, illum noluisse eorum sententiam refellere, qui affirmant, B. Virginem mortuam esse, & sepultam. *Ad hæc ex dictis Epiphanii verbis colligi potest, quod etiamsi nihil ipse certi hoc loco statuat, tamen nec improbet illorum sententiam, qui vere mortuam ac sepultam, adeoque in Cœlas assumptam Virginem credunt.* Denique concludit, ea Epiphanii dubitatione nihil de communi Græcorum & Latinorum detrahi sententia, quæ statuit B. Virginem obiisse. *Quod si vir Sanctus hac de re dubitavit, ne id quidem prohibet, quominus mortem, sive dormitionem Deiparæ cum Ecclesia confiteamur, eamque confessionem publicis feriis testificemur, ut non modo Latini, sed Græci etiam tot seculis diligenter observant. Etenim unius aut alterius Doctoris opinio, sive sententia eam vim non obtinet, ut aliis aliter meliusque sentientibus præjudicium afferre, multoque minus ut communem Ecclesiæ fidem, sententiam, atque auctoritatem labefactare possit, aut debeat.*

Communi Græcorum & Latinorum sententia B. Maria mortem obiit.

Baronii moderatio erga veteres Patres. Epiphanium vel excusat, vel defendit.

3. Magnus Baronius, paratus semper tueri, ut par est, dicta Patrum, & in bonam partem accipere, ad ann. Chr. 48. num. 11. & 12. considerat, Epiphanium adversus hæreticos scribere, qui spurcissimis calumniis puritatem B. Virginis impetebant; qui, ut ostendat nullo eam carnis motu tentatam, ait, ex Scriptura ne illud

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lud quidem probari posse, B. Virginem mortem obiisse; atque, ut fere contigit ei, qui errorem aliquem suscipit refellendum, vehementiori studio abreptus, terminos veritatis prætergressus, contrario errori videtur esse affinis. *Ad neutram partem inclinans satis esse censuit, vel ex hac parte sublimem illam Dei Genitricis excellentiam hostibus demonstrasse, & quam illa procul fuerit ab omni carnis illecebra, quæ nec an mortua fuerit, posset ex divinis Scripturis ostendi, eisdem insinuasse. Cæterum condonandum illi, si (quod & aliis sanctissimis, atque eruditissimis viris accidisse reperitur) dum ardentiori studio in hostes invehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus, lineam videatur aliquantulum veritatis esse transgressus. Catholica quippe Ecclesia nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittit, sed quam novit humanæ fuisse naturæ consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat.*

Rationes, quare dubitari non possit, B. Mariam mortem obiisse.

4. Alii confidentius respondent, nullam de B. Virginis obitu dubitationem oriri posse ex Sacrarum Scripturarum silentio; Evangelio enim nihil aliud contineri, quam Jesu Christi vitam usque ad ejus ascensum in Cœlum; Acta Apostolorum res gestas complecti usque ad ea tempora, cum in suam quisque provinciam ad Evangelium prædicandum profectus est; iis etiam comprehendi Acta Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli usque ad 4. Neronis annum & sexagesimum tertium a Christo nato; reliquis vero Sacris Apostolorum Scripturis non historiam, sed Evangelicam tradi doctrinam. Vide Canisium de Maria Deipara Virgine lib. 5. cap. 2. in fine. Quod vero ad illud attinet argumentum, Beatam Virginem, sicut pura fuerit ab originali labe, ita morti non fuisse obnoxiam; aperta lex est, quicunque natus sit, eum mori omnino oportere. *Quis est homo, qui vivit & non videbit mortem?* Psalmo 88. & Ep. ad Hebræos 9. *Statutum est hominibus semel mori.* Fide certo novimus, Christum Dominum nulla peccati originalis labe fuisse contactum: & S. Augustinus lib. 2. de peccator. meritis & remissione cap. 29. docet, nisi in ipso ætatis flore fuisset Cruce necatus, pro naturali hominis conditione, ætati succedente ætate, tandem moriturum fuisse; carnem enim nostræ similem assumpsisse, licet ab omni peccato integram. *Sed qui erat in eo similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro potuisse pervenire, nisi juvenis fuisset occisus; quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in similitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepta est.* Denique mors considerari potest dupliciter, vel tanquam conditio naturæ, quæ, cum contrariis rebus conflata sit, tandem aliquando corrumpi eam necesse est; vel tanquam peccati Adæ pœna, qua privilegium illud originalis justitiæ amissimus, quod impediebat ne homines morerentur. Itaque etsi Beata Virgo ex hac posteriori causa mori non debuisset, priore tamen morti eam obnoxiam fuisse oportuit. Atque hæc est communis omnium doctrina. Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis tom. 7. num. 5. pag. 124. putat faciliorem eam esse hujus solvendæ difficultatis rationem, si dicamus, B. Virginem, peccato originali licet immunem, eam tamen Adæ filiam fuisse; ac propterea iis peccati pœnis eam obnoxiam fuisse, quæ eam minime dedecerent, cujusmodi mors est. *Quare planius & expeditius dicetur, Beatam Virginem, etiamsi a peccato prorsus immunem, tamen, quia filia Adæ erat, pœnalitatibus nostra-*

tibus, quæ ipsam non dedecerent, inter quas est mors, fuisse obnoxiam; atque adeo mortis debitum solvisse, & mori debuisse: eamque esse pœnam peccati, quod Adamus actualiter admisit, & in omnes posteros, quantumvis ab omni culpæ labe puros, infeliciter diffusa est, nihil vetat affirmare.

Atque ea est Ecclesiæ sententia.

5. Itaque concludendum, B. Virginem obiisse, ejusque animam corpore fuisse seclusam, veramque esse hanc Ecclesiæ sententiam Traditione innixam, ut innuit S. Gregorius in Sacramentario, qui in Missa Assumptionis B. Mariæ ait: *Veneranda nobis, Domine, hujus est diei Festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem.* Et paullo post: *Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus:* quæ etiamnum in Secreta & Collecta Ecclesia recitat, ut bene advertit Tillemont. tom. 1. Nota 17. ad vitam B. Virginis. Quo vero ætatis suæ anno, atque ubi ea migraverit e vita, quærunt Ecclesiasticæ antiquitatis cultores.

Quoto ætatis suæ anno B. Virgo mortua sit, varia sententiæ.

6. Annum quo mortua sit, non definit Andreas Cretensis in Oratione prima in Dormitionem Sanctissimæ Deiparæ in Biblioth. Patrum tom. 10. pag. 655. sed ait, *illam migrasse ab humanis, ubi ad extremum devenisset senectutem.* Nicephorus Evodii innixus auctoritati putat usque ad quinquagesimum nonum vixisse ætatis suæ annum. Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus opinionem affert Hippolyti Thebani septem & quinquaginta natam annos e vita excessisse; deinde vero ab opinione recedens Hyppoliti duos illi tribuit & septuaginta annos. Alii vero ex quadam Traditione contendunt, tertio & sexagesimo anno mortem obiisse. Vide Baronium ad ann. Chr. 48. §. 5. Postremam hanc sententiam amplectitur Cardinalis Bona in Horologio Ascetico cap. 5. §. 7. *Corona*, inquit, *B. Virginis ex sexaginta tribus Salutationibus Angelicis componitur & septem Orationibus Dominicis. Est autem hæc precatio ex sexaginta tribus Angelicis Salutationibus compacta juxta numerum annorum, quibus B. Virgo in terris vixisse creditur, ut fert Doctorum probabilior sententia.* Opiniones omnium affert Benedictus XIII. serm. 96. de B. Virgine, ac ad veritatem ait accedere illam sententiam, quæ B. Virgini duos tribuit & septuaginta annos. Consentiunt S. Antoninus, a Lapide, Suarez, & Cardinalis Gottus de veritate Relig. Christ. tom. 4. par. 2. cap. 40. §. 3. num. 12. & 13. Sed nihil ea de re quidquam ut exploratum certumque definiri potest, ut bene advertit Durantus Episcopus Montis Feltri in Notis ad Revelat. S. Birgittæ lib. 6. cap. 61. tom. 2. *Inter tot gravissimorum hominum opiniones, quæ hac de re circumferuntur, difficile sane est aliquid certi pronunciare.* Et paullo post: *Cæterum quid inter tot virorum doctorum opiniones sentiendum sit, non audeo definire.*

Quidam putant Deiparam Hierosolymis obiisse. Historia translati ejus Corporis Constantinopolim ad Marcianum, & Pulcheriam.

7. De loco ubi ea mortua sit, duæ circumferuntur sententiæ. Quidam putant Hierosolymis obiisse; quæ opinio nititur S. Damasceni auctoritate, qui in Homiliis de Dormitione B. Virginis, ac præsertim in secunda num. 18. Euthymianæ historiæ fidem sequutus, narrat, Marcianum; & Pulcheriam desiderio incensos reperiendi Corpus B. Virginis, accersito ad se Juvenali Hierosolymorum Episcopo, significasse consilium suum Constantinopolim in Ædem amplissimam S. Mariæ *in Blachernis*, quam Pulcheria ædificaverat, asportandi Sanctissimum Corpus, quod Hierosolymis in Æde eo loco extructa, qui Gethsemani appellatur, conditum esse

acceperant: Juvenalem respondisse, sepulcrum quidem extare in Gethsemani, corpus vero non item; triduo post Beatissimæ Matris obitum, Apostolos monumento recluso nihil præter vestes reperisse, e quibus suavissimus spirabat odor: ac tum Marcianum, & Pulcheriam jussisse, sepulcrum cum vestibus probe obsignatum in modo memoratam Ædem *in Blachernis* transferri; ut videre est apud Nicephorum lib. 14. cap. 2. & lib. 15. cap. 14.

Canisius eam sententiam sequitur, aliique veteres Scriptores.

8. Hanc venerabilis Canisius opinionem sequitur lib. 5. cap. 3. de Maria Deipara Virgine: *Primum in eo veneranda conspirat antiquitas, Mariam post Filium in Cœlos assumptum Hierosolymis non solum, ut diximus, habitasse, sed etiam extremum clausisse diem, fortasse ut formosa filia Hierusalem a terrestri ad cœlestem Hierusalem recta proficisceretur. Hinc magnum decus accessit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, utpote quæ non modo Apostolis, & nascenti Christianismo, sed etiam Deiparæ diuturnum hospitium præbuit; quandoquidem hæc post Filii sui Resurrectionem illic vitam suam egit atque complevit, sed & sepulturæ locum ibidem accepit, quemadmodum indicat Damascenus.* Ejusdem multo antea fuit sententiæ Guerricus Abbas S. Bernardi Discipulus, qui sermone 2. de Assumptione, *Ob hoc ipsum*, inquit, *creditur in Valle Josaphat commoratam* (B. Virginem) *ubi & sepulcrum ejus monstratur.* Et Urbanus II. Summus Pontifex sermone, quem habuit in Claromontana Synodo anno 1095. ait in Valle Josaphat fuisse sepultam. Burcardus, Scriptor Nicephoro multo recentior, in Part. 1. c. 7. §. 46. scribit, se Hierosolymis veneratum esse B. Virginis sepulcrum in Templo, S. Helenæ opera extructo, aitque, a Turcis quoque ipsis veneratione aliqua & osculis coli. Idem confirmat Adricomius num. 198. Postremo Petrus a Valle in Epist. 13. Aleppo data anno 1616. affirmat, se in ima Valle Josaphat, quam interfluit torrens Cedron, veneratum esse B. Virginis sepulcrum Templo ipso sublimius passibus quinquaginta. Hæc pugnare videntur cum iis, quæ Nicephorus narrat: sed Florentinius in Exercit. 5. ad diem 18. Januar. ita omnia componit: *Potuit ergo Pulcheria non saxeum tumulum, cellulam, seu mensam Constantinopolim transferre, sed sacrum illud Feretrum, ad cujus contactum prodigia illa emanarunt, quæ habentur in Historia Transitus B. Mariæ; quod potuit ab Apostolis in ipsa sepulcrali cellula poni in Assumptionis argumentum.* Quaresmius in Elucidat. Terræ Sanctæ lib. 4. cap. 1. & sequen. to. 2. narrat, extra Hierosolymam in media valle Josaphat prope Gethsemani sub monte Oliveti sitam esse amplam Ecclesiam in honorem Deiparæ dedicatam, in qua est B. Virginis Sepulcrum, quo ab Apostolis ejus corpus illatum fuit, & unde revivisens ab Angelis in Cœlum sublata est: ad hanc Ecclesiam Franciscanos Fratres, aliosque Sacerdotes ventitare, ut in ea Missam celebrent: & in die Assumptionis B. Virginis eosdem Fratres ibi celebrandæ solemnitatis gratia integrum diem sumere.

Euthymii & Juvenalis fidem alii elevant, quorum testimonio utitur historia de translato Deiparæ corpore Constantinopolim.

9. Hanc autem sententiam quidam minime probant: non enim novimus, quis ille tandem sit Euthymius historicus, a quo Damascenus, Andreas Cretensis, Nicephorus, aliique medii ævi Scriptores acceperint, B. Virginem Hierosolymis obiisse. Huc accedit, Juvenalem a Cyrillo Alexandrino, & Leone Magno seditionis multorumque scelerum, ac præsertim corruptarum tabularum reum existimari. Quæ argumenta profert Serry adversus eos, qui statuunt, B. Virginem Hierosolymis obiisse; quamvis enim Sandinus Histor. Famil. Sacræ pag. 373. respondeat, Juvenali non ideo fidem abrogandam, quod profligatus falsariusque fuerit: *Probare necesse est atque ostendere re ipsa hanc historiam, de qua loquimur, ab eo fuisse, præsertim sine ulla necessitate, confictam. Non enim tunc de Fidei negotio, sed de facto agebatur, de quo in præsens, non de illius moribus quærendum est:* Nihilominus Serry mordicus suam sententiam tenet; & adversus Sandinum regerit in cap. 17. suæ Responsionis, Juvenalem, qui Tabulas depravare soleret, cum ad Marcianum scriberet, & Pulcheriam, multo facilius mendacium potuisse confingere. *Qui autem aliorum scripta falsare solitus erat, annon falsam Epistolam Marciano, & Pulcheriæ scribere potuit? Falsam, inquam, non quæ suum mentiretur Auctorem, sed quæ falsum de Mariano Sepulcro Gethsemani juxta Hierosolymam extante testimonium contineret:* præsertim vero, quod cum Episcopus esset Hierosolymitanus, eum credere par est studiosum fuisse gloriæ Ecclesiæ suæ, cui quanta honoris fieret accessio ex eo, quod B. Virgo Hierosolymis mortua & sepulta fuisset, nemo est qui non videat. Atque ut paucis concludamus, juxta Jurisperitos *falsus in uno præsumitur falsus in omnibus*, eoque magis tum cum verisimilis est causa, quamobrem falsam rem commentum illum fuisse ac venditasse suspicemur: quæ quidem omnia mirifice juvant eos, qui negant, Juvenali ullam esse fidem adhibendam.

Alii putant, non tum esse Ephesi. Locus ex Epist. Synodica Conc. Ephesini ut hunc a quibusdam recte editi explicatur.

10. Qui Juvenalis auctoritatem respuunt, nec sibi persuadere possunt, B. Virginem Hierosolymis obiisse, putant mortuam esse Ephesi. atque provocant ad Epistolam Ephesini Concilii Synodicam anno 431. ad Clerum Populumque Constantinopolitanum, ubi scriptum est, Nestorium Ephesi esse condemnatum, *in qua* (urbe) *Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria.* Abesse ab hoc loco verbum, nemo est qui non videat; inde nova oritur controversia. Combefisius, ut sensus constet, addit, *aliquando habitaverunt*, vel *in honore habentur*; quam emendationem probant ad marginem ejus Epistolæ Harduinus & Labbeus. Consonat Baronius ad ann. Chr. 44. num. 29. Ea vero lectio etiamsi recipiatur, non tamen conficitur ex epistola B. Virginem Ephesi mortuam esse. *Ephesi mortuam colligunt alii ex Epistola Concilii Ephesini ad Clerum & Populum Constantinopolitanum scribentis, ea in Urbe damnatum Nestorium, in qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria. Verum hæc non significant extare Ephesi Sancti Joannis, & Deiparæ Virginis sepulcra, vel corpora, sed ibi Templa in eorum memoriam erecta;* Verba sunt Natalis Alexandri Hist. Eccl. sect. 1. cap. 1. art. 3. num. 5.

Alii nihil ab eo loco abesse arbitrantur, & ex iis conficiunt, Deiparam Ephesi mortuam obiisse.

11. Neque vero nova hac commoventur controversia, qui Ephesi B. Mariam objisse contendunt; quin mirari se dicunt ad illum epistolæ Synodicæ locum ejusmodi interjici supplementa. In iis enim verbis, *In qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria*, juxta regulas, & Græci sermonis elegantiam *est*, vel *sunt* subaudiendum esse, quarum alterutra voce putant rem omnem confici. Nam cum in Epistola Synodica scribat Ephesinum Concilium, condemnatum Ephesi Nestorium, *in qua* (urbe) *Joannes Theologus*, vel *Theologus Joannes, & Deip. Virgo S. Maria*, vel *Dei Genitrix Virgo S. Maria est*, vel *sunt*; cumque non amplius viverent S. Joannes, & B. Virgo, nulla alia huic loco tribui potest sententia, quam quod Joannis, & B. Vir-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

B. Virginis ſepulcra eſſent Epheſi. Bailletus in vita SS. Mariæ Virginis ad diem 15. Auguſti §. 1. num. 8. ait, hanc ſententiam ad veritatem multum accedere. Tillemontius Nota 16. ad vit. B. Virginis manuſcriptos deſiderat Codices, ubi ſupplementa legantur, quæ ſuperius attulimus; quoad vero ejuſmodi codices inveniantur, nihil ibi ſubaudiri poſſe ait, quam vocem *eſt*, vel *ſunt*, quæ vox probat eorum ſepulcrum Epheſi extare. Hanc Tillemontii ſententiam confirmat longo ſermone Serry Exercit. 65. num. 5. Et cap. 18. *Reſponſionum ad Sandinum* ſe ab eo accuſatum conqueritur, non quod Deiparam Epheſi obiiſſe certo affirmaverit, ſed quia ejuſmodi ſententiam veriſimiliorem dixerit.

De anno & loco mortis Deiparæ nullius partes ſequitur Auctor. Statuitur obiiſſe, & ſtatim corpore & anima in Cœlum ſublatam.

12. Nos in utraque controverſia tum de anno, tum de loco quo obiit B. Virgo, nullius partes ſequimur, ſatis contenti diverſas recenſuiſſe ſententias, & fundamenta, quibus quæque earum innititur. Illud tamen reperimus, explo ratum eſſe B. Virginem ex hac vita migraſſe, ejus animam a corpore fuiſſe ſejunctam; ſtatimque, nulla vel minima mora interjecta, non ſolum Beata Viſione fuiſſe præditam, ſed ſublatam ad Empyreum, & exaltatam eſſe ſuper Choros Angelorum. Eugenius enim IV. in Decreto Unionis Seſſione ultima Concilii Florentini definivit, *Divorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt &c. in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum & Unum ſicuti eſt*: idque confirmavit Innocentius IV. Conſtitut. *Sub Catholicæ*, & Benedictus XI. Extravaganti *Benedictus Deus*. Neque hic prætereundum, quod fuſius infra docebimus, Beatæ Virginis corpus paullo poſt obitum, incorruptibili & glorioſa temperatione ſuſcepta, rurſus cum anima coaluiſſe, & nunc in Cœlo eſſe: *Virginis privilegium eſt, quod cum corpore ſuo, uti credimus, in Cœlo vivit*: verba ſunt Hugonis de S. Victore lib. 3. Erudit. Theolog. ex miſcell. ſecundi Codicis cap. 125. Quidam ineptiarum artifices ſcripſerunt, animam B. Virginis corpori toto eo tempore adſtitiſſe, quo jacuit in ſepulcro: alii ſomniarunt, animam Deiparæ Angelorum ſtipatam comitatu deſcendiſſe ad inferos, ut Majeſtatis ſuæ præſentia Dæmones perterrefaceret. Sed ſomnia hæc ſunt, & vigilantium, aut ægrorum deliramenta, ut advertit Saxius tom. 2. de Laudibus Mariæ pag. 227. lit. D.

Diſcrimen inter Aſcenſionem Chriſti, & Mariæ Aſſumptionem.

13. Nihil aliud eſt Deiparæ aſſumptio, quam glorioſa quædam animæ & corporis translatio B. Virginis, quæ revixit. Illud inter Aſcenſionem & Aſſumptionem intercedit diſcrimen, quod Aſcenſio de Chriſto, qui *propria virtute* aſcendit in Cœlum; Aſſumptio dicitur de B. Virgine, quæ poſt reditum ad vitam peculiari privilegio corpore & anima in Cœlum ſublata eſt, ut ait Spinellus Tract. de Maria Deipara cap. 12. num. 2. *Chriſti dicitur Aſcenſio, quia propria virtute in Cœlum aſcendit: & Deiparæ dicitur Aſſumptio; quia ſingulari Dei privilegio corpore & anima in Cœlum eſt evecta*: quod multo antea B. Petrus Damiani animadvertit Serm. de Aſſumptione: *Aſcendit Salvator in Cœlum poteſtativæ virtutis imperio, ſicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio ſultus. Aſſumpta eſt Maria in Cœlum, ſed gratiæ ſublevantis indicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quam ſublevabat gratia, non natura.*

Singulares Deiparæ virtutes, & Privilegia perſuadens

14. De B. Virginis Aſſumptione diſſeruimus l. 1. de Canonizat. Sanctor. cap. 42. num. 15. quo in loco animadvertimus, dignitatem, qua ut Dei Mater cæteris antecedit, excellentem Virginitatem, inſignem ſanctitatem, qua omnibus præſtat & Angelis & hominibus, intimam cum Jeſu Chriſto filio ſuo conjunctionem, ſummumque Filii in Sanctiſſimam Matrem ſuam amorem, hæc omnia totidem eſſe Theologicas rationes, quibus ſatis oſtenditur, ſingulari Reſurrectionis privilegio B. Virginem eſſe auctam, atque in Cœlum anima & corpore eſſe aſſumptam; quaptopter Claudius Joly Diſſert. de verbis Uſuardi pag. 14. ubi cauſam exponit, cur eam Diſſertationem conſcripſerit: *Quis enim*, inquit, *negare valeat, Aſſumptionem talem ab Omnipotenti Deo fieri potuiſſe? Quis aſſerere præſumat, Deum ita fieri noluiſſe? Quis proferre audeat, Beatiſſimam Virginem, quam Angelus ab ipſo Deo miſſus ſalutavit & cœleſti gratia plenam eſſe aſſeveravit, poſtquam Deo Mater eſſe cœpit, peculiarem hanc gratiam non meruiſſe?*

ejus Aſſumptionem.

15. Qui cognoſcere cupiat, quibus teſtimoniis privilegium probetur, eum ſatis eſſe videretur ad Petrum Caniſium amandare, qui lib. 5. cap. 5. De Maria Deipara Virgine Patrum & Theologorum dicta collegit. Verum cum auctoritates quaſdam a Caniſio ex Patribus depromptas juxta Criticæ regulas auctoribus, quorum nomine circumferuntur, falſo tribui compertum ſit, cujuſmodi ſunt ſermones quidam Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini nomen præferentes; nos propterea dicimus: Primo vetuſtiſſimos quidem primævæ Patres Eccleſiæ de corporali B. Virginis Aſſumptione ſiluiſſe; medii tamen ævi, poſtremæque ætatis Patres tum Græcos, tum Latinos eam diſertiſſime tradidiſſe. Ex Latinis Gregorius Turonenſis lib. de Miraculis cap. 4. ita ſcripſit: *Dominus ſuſceptum Virginis corpus Sacratiſſimum in Paradiſum deferri juſſit, ubi nunc, reſumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruitur*. S. Ildefonſus Toletanus ſeculi ſeptimi Scriptor ſerm. 6. de Aſſumptione: *Nec ſane*, inquit, *illud omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſime amplectuntur, eam hodierno die ad Cœli Palatia corporaliter fuiſſe ſublevatam*. Nec ab iis diſcrepant, quæ ſcribit Fulbertus ſerm. 2. *de Nativitate*, B. Petrus Damiani ſerm. *de Aſſumptione*, Petrus Bleſenſis ſerm. 28. itidem de *Aſſumptione*, qui Scriptores undecimo & duodecimo ſeculo floruerunt. Ex Patribus Græcis ſeptimi, & octavi ſeculi occurrit Andreas Cretenſis Orat. 2. de *Laudibus Aſſumptæ Virg.* Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha Orat. 1. *in Dormitione Deiparæ*, & Damaſcenus Orat. 2. *in Dormitione B. Mariæ* num. 14. ut ex his verbis colligitur: *Sanctiſſimum corpus clariſſimo præſtantiſſimoque tumulo imponitur, unde triduo poſt in Cœlum attollitur . . . . ſicuti ſanctum incorruptumque illud corpus, quod Deus ex ea Perſonæ ſuæ copulaverat, tertia die e monumento ſurrexit, ſic etiam hanc e tumulo abripi, Matremque ad Filium migrare par erat.*

Hæc eſt ſententia Patrum Græcorum & Latinorum medii ævi. Nam apud vetuſtos Patres ea de re ſilentium.

16. Secundo loco dicimus, hanc eſſe communem omnium Theologorum ſententiam, quibus præit D. Thomas 3. par. qu. 27. art. 1. ubi S. Doctor probandum ſuſcipit, B. Virginem in Matris utero ſanctificatam fuiſſe, exemplumque petit ab ejus in Cœlum corporali Aſſumptione: *Dicendum, quod de ſanctificatione B. Mariæ, quod ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur; quæ etiam nec de ejus Nativitate mentionem facit. Sicut tamen Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione ipſius Virginis* (ita vulgo exiſtimabatur) *rationabiliter argumentatur, quod cum corpore ſit aſſumpta in Cœlum, quod tamen Scriptura non tradit; ita etiam*

Idem ſentiunt D. Thomas, & omnes Theologi.

ratio-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero. Eandem doctrinam supponit 3. part. quæst. 83. art. 5. *ad octavum;* eamque diserte tradit Opusc. 4. in expositione Salutationis Angelicæ, ubi de maledictionibus agens in hominem a Deo propter peccatum immissis: *Tertia*, inquit, *fuit communis viris & mulieribus, ut scilicet in pulverem reverterentur: & ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore est assumpta in Cœlum. Credimus enim, quod post mortem, resuscitata fuerit, & portata in Cœlum.* Psal. 131. *Surge, Domine, in requiem tuam tu, & arca sanctificationis tuæ.*

Eam sententiam amplexa est universa Ecclesia, ut apparet ex vetustissimis Sacramentariis Gelasiano & Gregoriano.

17. Tertio dicimus, in hanc sententiam Ecclesiam venisse. S. Gregorius Magnus in Sacramentario ex Gelasiano Codice a se collecto hanc ponit Orationem in Assumptionis solemnitate recitandam: *Veneranda nobis, Domine hujus diei Festivitas opem conferat salutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum de se genuit incarnatum.* Neque enim ullus alius tribui potest sensus illis verbis *mortis nexibus*, quam ut corporis corruptionem significent, a qua per triumphalem in Cœlum assumptionem suam liberata est. In veteri Gallicano, seu Gothico Missali, ante nongentos annos scripto, quem claræ memoriæ Cardinalis Thomasius, & Mabillonius ediderunt, in Missa de Assumptione S. Mariæ post nomina leguntur hæc in Collecta: *Fusis precibus Dominum imploremus, ut ejus indulgentia illuc defuncti liberentur a Tartaro, quo B. Virginis translatum Corpus est de sepulcro.* Et in Prætatione Sacerdos B. Virginem in hunc modum alloquitur: *Recte ab ipso suscepta es in Assumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per Fidem, ut quæ terræ non eras conscia, non teneret rupes inclusa.* In Festo Assumptionis Ecclesia legit Sanctorum Joannis Damasceni, & Bernardi Homilias, in quibus disertissime traditur, B. Virginem corpore & anima in Cœlum assumptam; quod quidem indicio & argumento est, Ecclesiam hanc amplexam esse sententiam. *Dei Ecclesia* (sunt Baronii verba in Notis ad Martyrol. Romanum ad 15. Augusti) *propensior in eam partem videtur, ut una cum corpore assumpta sit in Cœlum. Nam in hujus diei celebritate illas Sanctorum Patrum homilias legendas tradit, quibus ea de Assumptione affirmantur.* Denique Ecclesia Græca non id solum testatur in Menologio ad diem 15. Augusti, sed confirmat etiam in Hierosolymitana Synodo a Dositheo anno 1672. adversus Calvinistas habita, ubi in capite de Cultu Sanctorum hæc de B. Virgine habentur: *Ipsa est procul dubio Virgo Sanctissima, quæ Magnum in Terra signum cum extiterit, eo quod Deum in carne genuit, & post partum integerrima Virgo permansit, recte etiam signum esse dicitur in Cœlo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in Cœlum. Et quamvis conclusum in sepulcro fuerit immaculatum Corporis ejus Tabernaculum, in Cœlum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio & ipsa die in Cœlum migravit.*

Assumptio Deiparæ non est Fidei articulus. Sed tam qui negaverit temeritatis summæ notandus.

18. Postremo dicimus, non esse Fidei articulum Assumptionem B. Virginis, quod lib. 4. contra Cajetanum contendit Catharinus; nam quædam Scripturæ loca, quæ ad eam opinionem constabiliendam solent afferri, aliter etiam explicari possunt, nec ejusmodi est Traditio, quæ satis sit ad evehendam hanc sententiam ad gradum articulorum Fidei, quod advertit Dominicus Sotus in 4. sentent. dist. 43. qu. 2. art. 1. cujus auctoritatem ipsi attulimus etiam tom. 1. de Canonizat. Sanctor. loco supra cit. *Nondum tamen inter Fidei articulos creditu necessarios relata est, quamvis sit pientissime credendum; nam in Collecta illius Festi ait Ecclesia, quod nexibus mortis deprimi non potuit.* At si non Fidei articulus, sed pia tantum & probabilis opinio est, numquid licuerit eam amplecti, vel aspernari, tueri, vel refellere? Minime vero: *Qui hæc inter Christianos blateraret* (ait Claudius Joly loc. cit.) *non modo impius & blasphemus, sed etiam stultus, & omnino mentis expers haberetur.* Suarez 3. par. qu. 37. art. 4. disputat. 25. sect. 2. sic docet: *Sententiam Assumptionis Virginis in corpore & anima in Cœlum non esse de fide; quia neque est ab Ecclesia definita, neque est testimonium Scripturæ, aut sufficiens Traditio, quæ infallibilem faciat fidem; tamen summæ temeritatis reus crederetur, qui tam piam religiosamque sententiam hodie impugnaret.* Et Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis tom. 7. Operum suorum pag. 220. expendens, quæ supra attulimus verba Baronii, qui propensiorem ait esse Ecclesiam ad eam sententiam, quæ statuit B. Mariam in Cœlum corpore & anima fuisse assumptam: *Tanta autem est*, inquit, *propensio, ut non censeam a morigero Ecclesiæ filio aliud dici posse.* Sapienter Casaubonus Exercit. 14. §. 11. animadvertit: *Ecclesiæ sensum ne tacitum quidem esse contemnendum:* Thomassinus Tract. de dier. Fest. celebritate lib. 2. cap. 20. ita scribit: *Non dubitamus, quin Virgo Dei Parens corpore quoque in Cœlo degat, tametsi Fides divina hoc minime docet &c. Quot enim sunt, quæ cum minime rata sint, & divina Fide nixa, ad examen tamen revocare non licet? Tollenda prorsus esset omnis humani generis societas, si cohiberi oportet assensionem, quoties non suppetit evidens ratio, vel auctoritas, quæ errori non sit obnoxia.* Celebris Theologus Melchior Canus lib. 12. de Locis Theolog. cap. 10. ita in rem nostram disputat *B. Virginem non esse in Cœlos cum corpore assumptam, licet Fidei minime adversum sit, quia tamen communi Ecclesiæ consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.* Natalis Alexander Hist. Eccl. seculi 2. cap. 4. §. unico in *additionibus* non diffitetur negatse se Assumptionem B. Virginis esse Fidei articulum, *sed pietatis*, inquit, *officio non defui, nec dubitavi, aut in dubium revocari posse censui, num Deipara Virgo redivivo corpore in Cœlum assumpta sit; quin immo eam sententiam omnino amplectendam esse dixi, ut piam, ac congruis rationibus longe probabiliorem, quia ut talem amplectitur Ecclesia; adeo ut temeritatis notam non effugeret, qui de illa dubitaret.* Card. Gottus 2. par. tom. 4. de verit. Relig. Chr. cap. 41. cap. 2. num. 20. temerariam esse pronunciat hanc propositionem, B. Virginem corpore & anima non esse in Cœlum assumptam, & qui eam propugnaret, vehementer de hæresi eum fore suspectum, non quod Catholicæ Fidei adversaretur, sed quod præsumi posset, falso eum judicare B. Virginis venerationem per errorem ab universali Ecclesia proponi. Et Venerabilis Petrus Canisius lib. 5. de Deipara Virgine cap. 5. in eundem fere modum loquitur: *Secus qui sentiunt ac loquuntur* (adversus B. Mariæ Assumptionem) *licet in errorem sacris litteris adversantem non impingant, tamen non sapiunt ad sobrietatem; optimis & clarissimis Patribus contradicunt; a communi bonorum credulitate atque confessione, quæ jam vim legis obtinet, non sine periculo sese subducunt; neque solum eximio dignissimæ Virginis honori derogant, sed etiam vere divinum illud miraculum, quod in corporali Matris Domini Resurrectione & Assumptione refulget, ac mirifice Angelos*

los ac pios recreat, majorem in modum enervant extenuantque.

Objectiones adversus Deipare Assumptionem.

19. Quod si quis adversus ea, quæ hactenus attulimus, objiciat, non ita fidenter Patres de Assumptione B. Virginis esse loquutos, Epiphanium, Auctorem Epistolæ seu sermonis de Assumptione B. Mariæ Virginis, qui Sophronio tribuitur, Venerabilem Bedam lib. de locis Sanctis cap. 6. Auctorem sermonis de Assumptione B. Virginis qui est 35. de Sanctis inter Sermones D. Augustini: præterea opponat Ambrosium lib. 1. Interpretationum moral. in Job. cap. 6. docuisse, Christum Jesum duntaxat revixisse nunquam moriturum: *Ipse est resurrectio, ipse est primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem prærogativam futuræ resurrectionis accepimus: solus tamen ipse adhuc resurrectione perpetua resurrexit:* deinde per tot annos Usuardi Martyrologium in Ecclesiis legi consuevisse, & fortasse etiam in Ecclesia Romana, si Pagio credimus, qui in Critica ad Baron. ad annum Christi 778. num. 4. *Martyrologio*, inquit, *Usuardi avito Romana Ecclesia usa est ante recentius Romanum, teste Molano in Præfatione ad Martyrologium Usuardi.* In eo autem Usuardi Martyrologio ad diem 15. Augusti hæc legi: *Dormitio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus Sanctissimum Corpus etsi non inveniatur super terra, tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem illud venerabile Spiritus Sancti Templum nutu & consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde texendo docere:* cum quo concordat Ado Viennensis lib. de Festivitatibus, præter plura alia Martyrologia, quæ indicat Sollerius in Notis ad Martyrologium Usuardi tom. 7. mensis Junii in continuatione magni Operis Bollandiani; deinde notissima esse, quæ Launojus scripsit de controversia *super exscribendo Parisiensis Ecclesiæ Martyrologio*, ubi plurima de Usuardi auctoritate loquutus, Patrum, & Scriptorum auctoritates congerit, ut Assumptionem B. Virginis in dubium revocet: tum in eundem plane finem Tillemontium videri suum animum intendisse Nota 5. de Resurrectione B. Virginis: deinde huic Festivitati nomen tribui somni seu dormitionis B. Virginis, ut videre est apud Theodorum Balsamonem super Can. 3. Apostolorum: deinde Solemnitatem hanc gloriosissimam Sanctissimæ Matris Dei mortem appellari in Novella Emmanuelis Comneni, & in Græcorum Euchologio, juxta ea, quæ observavit Hugo Menardus in librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 174. aliquando autem *Pausationem* vocatam; in duobus enim vetustissimis Calendariis Romanis, quorum alterum Allatius, alterum edidit Fronto, in Evangelistario Vaticanæ Basilicæ, & in vetusto Vallicellanæ Bibliothecæ Missali legi hæc verba, *Solemnia de Pausatione Sanctæ Mariæ*, in Vaticano etiam magnæ molis Codice, *Vigilia Pausationis Sanctæ Mariæ*, & *Sanctæ Mariæ Pausatio;* qui Codex quondam fuit Monasterii Fartensis, præter aliquot Codices a Venerabili Cardinali Thomasio editos, qui habent, *Solemnia de Pausatione Sanctæ Mariæ*, *Sanctæ Mariæ Pausatio*; Hæc, inquam, si quis opponat, is sibi persuadeat, non deesse idoneas responsiones.

Singulæ objectiones diluuntur. Ac primum illa, quæ petita

20. Nam Patribus, qui de B. Mariæ Assumptione visi sunt dubitasse, alios objicimus Patres, qui diserte eam tradiderunt: dictum enim affirmantis longe majus robur habet, quam dubitantis; præsertim vero cum exploratum sit, aliquot Patres de Assumptione dubitasse, quod Hieronymi esse crediderint Sermonem illum *de Assumptione*, cujus Auctor controversiam de B. Virgine Assumpta dubiam relinquit; eum vero sermonem non esse genuinum Hieronymi fœtum jam Critici observarunt. Epiphanius autem non de Assumptione dubitat, sed de morte; & Liber de Locis Sanctis juxta accuratas Criticæ regulas Bedæ non potest tribui. Jam vero Ambrosius loco citato affirmat quidem, Christum unice revixisse, sed intelligendus est S. Doctor loquutus de Resurrectione, quæ de jure, non quæ ex privilegio debetur, cujusmodi B. Virgini est concessa. Huc accedit; quod sua non caret probabilitate eorum sententia, qui affirmant, eos qui in morte Christi revixerunt, ad vitam rediisse nunquam morituros, & cum Christo anima & corpore in Cœlum esse sublatos, ut docet Ignatius Martyr, Origenes, Eusebius, Epiphanius, aliique complures. Honoratus autem a S. Maria in Observat. ad Regulas Criticæ tom. 1. pag. 188. jure recentiorem quendam Criticum reprehendit, qui ut Assumptionem B. Virginis corpore & anima in dubium revocaret, quibuidam est usus auctoritatibus & documentis, quæ ipse, aliique plures rejecerunt ut apocrypha.

sunt ex Patribus.

Solvuntur objectiones depromptæ ex Usuardo & Launojo.

21. Explicatis iis, quæ adversus Assumptionem B. Mariæ depromuntur ex Patribus, reliquum est, ut ea diluamus, quæ ex Usuardo, & Launojo adducta sunt, & de somno seu dormitione, morte, & pausatione, quibus nominibus hæc Solemnitas vocitata fuit, verba faciamus. Adversus Usuardum inclamat magnus Baronius ad ann. Chr. 48. nam advertit, Usuardum Pervigilium hujus Festi appellasse *Vigiliam Assumptionis*; ac deinde ipsam Festivitatem nominasse *Dormitionem S. Genitricis Dei Mariæ;* quamobrem in Usuardum, & qui cum eo sentit Adonem ita invehitur: *Unde, quæso, vobis ista nomenclatura noviter usurpata, ut Dormitionem, non Assumptionem dicatis, cum præsertim pridie ejus diei ambo dixissetis, Vigilia Assumptionis? Cur non potius vestra sententia Vigilia Dormitionis? Cur hæc inconstantia sermonis? Cogor equidem cum Apostolo dicere: Currebatis bene; quis vos impedivit?* Utrumque vero Scriptorem ex voce Dormitionis male arguisse ait, non ita certum esse, Beatam Virginem corpore & anima fuisse in Cœlum assumptam. *An fortasse moti estis exemplo eorum, qui item Dormitionem dixerunt? Sed nec vobis ejusmodi suffragatur exemplum; cum alioqui Joannes Damascenus, & alii qui Dormitionem dixerunt, eam tamen una cum corpore in Cœlum assumptam aperte testati sint, nec, ut vos, id affirmare dubitaverint.* Quapropter Florentinius Exercit. 5. ad diem 18. Januarii ita scripsit: *Et fortasse Baronius in Adonem, & Usuardum excanduit, non tantum pro Dormitionis voce, quam quod cum voce mortem tantum naturali ordine significante Usuardus de ipsa Assumptione dubiam quodammodo Ecclesiam fuisse demonstret contra fidem antiquarum cæremoniarum.*

Launojus confutatus a Theologo quodam Sorbonico. Historia de Martyrologio Parisiensi exscribendo; concertatio de Assumptione inter Canonicos illius Ec-

22. Adversus ea, quæ scripsit Joannes Launojus, eruditissimam legere præstat Dissertationem Theologi cujusdam Sorbonici, qui latet sub nomine *Advocati*, ubi pia Ecclesiæ sententia de B. Virgine corpore & anima in Cœlum assumpta gravissimis firmissimisque fundamentis suffulta ostenditur. Testatur Natalis Alexander Hist. Eccl. sect. 2. par. 1. art. 3. §. unic. in Parisiensi Ecclesia Usuardi Martyrologium usque ad annum 1540. fuisse adhibitum. Nec ea Ecclesia Martyrologio illo uti desiit. Sed circa seculi 16. dimidium incœpit consuetudo prætermit-

ten-

cleſiæ. Pauſatio idem atque Aſſumptio.

tendi ea verba, quæ ſupra retulimus, quorum loco legebatur quædam incerti Auctoris Homilia inſerta in Martyrologio Uſuardi manuſcripto, quo utebantur Canonici illius Metropolitanæ Eccleſiæ. Cum autem Manuſcriptus ille liber ann. 1668. uſu jam detritus eſſet ac fere deletus, propoſitum eſt in Capitulo, an in locum illius Homiliæ reſtituenda eſſent in novo libro verba Uſuardi. Cenſuerunt Canonici id ad Archiepiſcopum eſſe referendum; quod cum Canonici, quibus id muneris demandatum fuit, ad illum retuliſſent, decretum fuit, non amplius illam Homiliam in Choro legendam, ſed in Martyrologium reſtituenda eſſe verba Uſuardi. Huic decreto vehementer duo reſtitere Canonici, Nicolaus l'Advocat Billialdus, & Jacobus Gaudin. Qua concertatione plures extitere libri hinc inde typis impreſſi. Hac occaſione Launojus opus illud compoſuit, quod ſupra memoravimus. Ex Homilia, quæ antea legebatur, colligere licebat, B. Virginem corpore & anima in Cœlum fuiſſe ſublatam. Quamobrem qui pro reſtituendo Uſuardi textu pugnabant, eamque Homiliam amovendam eſſe contendebant, profecto piæ illi opinioni adverſabantur. Vicere tandem, qui pro B. Virginis Aſſumptione ſtabant. Nam etſi ann. 1668. revocata eſt lectio Martyrologii Uſuardi, nihilque in ea lectione mutatum; tamen anno 1698. in Martyrologium injecta ſunt ea verba, *Aſſumptio B. Mariæ Virginis*: de qua inſerenda formula egiſſe Ludovicum XIII. eo anno Capitulum monuit Ludovicus XIV. Nunc vero in Choro illius Metropolitanæ Eccleſiæ legitur Martyrologium Romanum, additis quibuſdam Sanctis, aliiſque illius Diœceſis conſuetudinibus, & in Feſto Aſſumptionis hæc inſeruntur: *Aſſumptio B. Mariæ Virginis Genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ Filii ſui pro nobis mortui legi obſequuta, & filia veteris Adam veterem ſententiam ſubiit, & mortem obiit; ut autem Dei viventis mater, ad illum ipſum, quem genuerat, digne aſſumpta, ſuſcepta eſt ab illo, & ſuper omnem exaltata creaturam cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium.* Quod autem ad ea nomina attinet ſomni, mortis, & pauſationis, ubi primum agi cœpit de Cauſa Beatificationis Venerabilis Cardinalis Thomaſii, cum ejus ſcripta examini eſſent ſubjecta, quidam ex Cenſoribus objecit antiquum ab eo Codicem typis editum eſſe, qui hæc verba haberet, *Solemnia de Pauſatione Beatæ Mariæ Virginis;* atque inde quædam eruit, quæ pietatis opinionem, qua venerabilis ille Dei ſervus florebat, valde lædebant. Eruditus quidam ex eadem ſacra, qua fuit Thomaſius familia, Clericus Regularis defenſionem Venerabilis Viri ſuſcepit; eaque Apologia typis edita eſt Panormi anno 1723. reſque ſucceſſit ex Auctoris ſententia. Nihil enim ejuſmodi objectiones obſtitere, quin Beatificationis Cauſa proponeretur. Igitur in ea Apologia demonſtrat Auctor, Thomaſio non licuiſſe ex Codice quem edendum ſuſceperat, vocem illam *Pauſatio* expungere. Vetuſtiſſimum Codicem Gelaſianum ab eodem Cardinali fuiſſe etiam editum, in quo ſæpe mentio fit *Aſſumptionis B. Mariæ Virginis*. Ea voce *Pauſatio* myſterium innui Beatiſſimæ Virginis in Cœlum aſſumptæ; Pauſationis enim nomine in re, de qua agitur, exiguum illud Temporis ſpatium ſignificari, quo inter amiſſam vitam, & ad eandem reditum Beatiſſimæ Virginis corpus jacuit in ſepulcro. Dormitionis, Mortis, & Pauſationis voces ſæpenumero ab Eccleſia adhibitas ad hanc Feſtivitatem ſignificandam, quin piæ ſententiæ de B. Virgine corpore & anima in Cœlum aſſumpta ullum fieret præjudicium.

Dormitio itidem valet idem atque Aſſumptio. Vetuſtiſſima quædam Martyrologia, quæ habent, Aſſumptio.

23. Itaque concludendum, rei vim non in una magis, quam in alia ex his vocibus poſitam eſſe. Gregorius enim Turonenſis libro de Gloria Confeſſorum cap. 49. mentionem facit *Aſſumptionis S. Aviti*. Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini cap. 64. ait, illum *ad Deum ſuum aſſumptum*; & Gregorius Nazianzenus in Panegyrico in Gorgoniam ſororem ſuam non dubitat dicere, eam *fuiſſe aſſumptam in Cœlum*. Illud igitur videndum, cujus conditionis & gradus ea fuerit in Cœlum aſſumptio, diminutane, hoc eſt ſolius animæ, an integra cum corpore ſimul & anima. Atque ut ab omni difficultate expediamur, ponamus tanquam meram hypotheſim, quod ſcribit Cancellottus in Annalibus Marianis ad annum 72. num. 21. *Primis ab aſſumpta Virgine ſeculis ita loqui ſolitos fuiſſe Patres nonnullos, ut dubitare viderentur, an illa poſt obitum rediviva in Cœlum una cum corpore ſit evecta.* Verum cum deinde Patres & Theologi rem attentius expenderint & accuratius, ac docuerint, & doceant, Sanctiſſimam fœminam corpore & anima in Cœlum fuiſſe aſſumptam, quiſnam probus & ſanæ mentis vir huic doctrinæ audeat adverſari? *Quorundam ſane opinio, aut hæſitatio non impedit, quominus hodie nos præſenti, ac ſuperiorum etiam ætatum Eccleſiæ adhæreamus, ut cum ea ipſa de corporali Mariæ Aſſumptione certius credamus, & confidentius definiamus, & apertius proteſtemur, quam primis illis naſcentis Chriſtianiſmi ſeculis factum eſt. Etenim Eccleſia, uti ſupra monſtravimus, ſucceſſu temporis auget ſapientiam; duceque Spiritu Sancto, a quo ſemper regitur & eruditur, e poſterioribus Conciliis, majoreque conſenſu Doctorum illuſtriorum veritatis lumen accipit & oſtendit.* Sunt Verba Caniſii loc. cit. Sumat quiſquis voluerit ſuam operam in vetuſtis monumentis excutiendis, in quibus hæc Feſtivitas appellatur *Dormitio*; ac illud ſibi reſponſum habeat, in hac quæſtione idem valere Dormitionem, ac Aſſumptionem, ut optime advertit etiam Rocca tom. 1. ſuorum Operum edit. Rom. ann. 1719. pag. 213. *Dormitio itaque Beatæ Mariæ ſemper Virginis, ut huic rei finem imponamus, abſque ullo dubio nonniſi pro ejus in anima & corpore poſt ejus mortem in Cœlum Aſſumptione intelligenda cenſetur.* Idque etiam probari poteſt Jacobi Pamelii verbis, qui in Notis ad Epiſt. S. Cypriani 24. ad finem numeri 13. ita ſcribit: *Certe Dormitionis, ſive Aſſumptionis B. Virginis Feſtum celebratum conſtat jam ab ætate Divi Hieronymi, & Auguſtini.* Cum quo conſentit P. Michael Lequien in ſua editione Operum S. Joannis Damaſceni tom. 2. pag. 857. ubi obſervat, Germanum Conſtantinopolitanum, alioſque ante Damaſcenum *de Dormitione B. Virginis, ejuſque redivivæ in Cœlos Aſſumptione Sermones habuiſſe.* Denique cum Eccleſia Occidentalis vocem *Aſſumptio* adhibuerit, ut colligitur ex Florentinii Martyrologio, ubi ad diem 15. Auguſti habetur, *Aſſumptio S. Mariæ;* & ex noſtro Martyrologio Romano, *Aſſumptio Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ*; quid cauſæ erit, quin & *ipſi* eadem voce utamur, & hanc Feſtivitatem Aſſumptionem Beatæ Virginis appellemus? In novo Anecdotorum Theſauro, quæ collegit Martene tom. 3. pag. 1559. extat breve Martyrologium Hieronymianum, cujus vetuſtas cenſetur fere mille annorum; in quo ad diem 15. Auguſti legitur, *Aſſumptio B. Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti*; & pag. 1568. in Martyrologio Morba-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

bacenſi ad eundem diem habetur, *Aſſumptio S. Mariæ Matris Domini*; & in veteri Kalendario quod habetur tom. 5. pag. 76. ante ſeptingentos annos ſcripto ad eundem itidem diem legitur, *Aſſumptio S. Mariæ*. Et tom. 6. Collectionis Scriptorum & Monumentorum veterum pag. 645. extat Kalendarium ſeu Liber annalis Bedæ, in quo pariter ad diem 15. Auguſti legitur, *Aſſumptio S. Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Ad eundem modum ſcriptum reperimus in Kalendario Anglicano pag. 656. in Martyrologio Gallicano pag. 668. in Kalendario Stabulenſi pag. 674. in Kalendario Verdunenſi pag. 681. Alia etiam Martyrologia, quæ eandem habent formulam, collecta reperies in Opere Bollandiano tom. 7. Junii, ut alia ſexcenta ſileamus, quæ vel in Vaticana, vel in Chriſtinæ Svecorum Reginæ, vel in Cardinalis Ottoboni Bibliothecis cuſtodiuntur.

In Jure Canonico celebris eſt hæc Feſtivitas.

24. Celebris eſt in Jure Canonico Solemnitas Aſſumptionis B. Mariæ, ut videre eſt in Can. 1. de Conſecr. Diſt. 3. & cap. ult. de Feriis. Gloſſa Canonica in cap. *Alma Mater* de ſent. Excommunicat. in 6. conſiderans tempore interdicti Divina poſſe celebrari Officia in Feſtis Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Mariæ, hæc notat in verbo *Aſſumptionis*; *Nota terminatam altercationem quærentium, quod eſt ſolemnius Feſtum, an Feſtum Aſſumptionis, an Feſtum Nativitatis Virginis gloriosæ. Habet enim Eccleſia quod ſit celebrius Feſtum Aſſumptionis, ut hic vides*. Et Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 8. num. 13. de hac Solemnitate ita loquitur: *Feſtum hoc maxime proprium ipſius Virginis, & inter Feſtivitates ejus habet quandam excellentiam, quia gloriam, præmium, ac triumphum Sanctiſſimæ Virginis nobis repræſentat*.

Incertum, Deipara quo die revixerit.

25. Decimaquinta Auguſti die B. Mariæ mortem, glorioſam Reſurrectionem, & Aſſumptionem in Cœlum celebrat Eccleſia. In vetuſto Eccleſiæ Occidentalis Martyrologio, quod edidit Florentinius, Feſtum mortis a Feſtivitate Aſſumptionis ſejungitur; nam ad diem 18. Januarii hæc habentur: *Depoſitio Sanctæ ac glorioſæ Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti*; & ad diem 15. Auguſti, *Aſſumptio Sanctæ Mariæ*; idque profert etiam Mabillonius lib. 2. de Liturgia Gallicana pag. 118. In aliis Martyrologiis ad diem 23. Septembris fit mentio ſecundæ Aſſumptionis B. Mariæ: idque ex ea opinione traxit originem, quod quadraginta diebus poſt obitum redierit ad vitam. Verum incertus eſt dies, quo ea revixerit: quidam enim affirmant, eam 13. die Auguſti obiiſſe, & decimaquinta rediiſſe ad vitam; alii ejus corpus quindecim diebus in ſepulcro jacuiſſe, ut in Revelat. S. Birgittæ lib. 7. cap. 63. & lib. 7. cap. 26. num. 2. *Quindecim vero diebus Corpus meum jacuit in terra ſepultum*, niſi forte pro *quindecim diebus*, ut vult Durantus in Notis ad ea Capita, *aliquantis diebus* legendum ſit. Alii dicunt, eodem quo mortua eſt die revixiſſe; quidam etiam poſt quadraginta dies revixiſſe affirmant, ut jam innuimus, in hanc adducti ſententiam Revelatione quadam, quæ facta fuit S. Eliſabethæ, non illi quidem Hungariæ, quæ obiit anno 1231. ſed cuidam ejuſdem nominis e Diœceſi Trebienſi, quæ mortua eſt anno 1165. quam Viſionem neque D. Antoninus probat, nec Belethus, neque alii viri eruditi apud Florentinium in Notis ad Martyrolog. ad diem 15. Auguſti, & apud Spinellum Tractatu de Deipara cap. 12. num. 3. & Bailletum ad eundem diem 15. Auguſti, ubi agit de Aſſumptionis feſto, §. 2. n. 14. Quamobrem illud obiter monere juvat, Hoſpinianum Tract. de Origine Feſtorum Chriſtianorum pag. 137. declamationibus illis abſtinere commode potuiſſe, quibus in hanc Viſionem invehitur. Quam viſionem falſo arbitratur, ſi non cauſam, magnum certe argumentum Eccleſiæ dediſſe ad Aſſumptionis Feſtum conſtabiliendum. Nonnulli denique putant, triduo poſt mortem revixiſſe, quam opinionem communem eſſe teſtatur Card. Gottus 2. part. tom. 4. de Ver. Relig. Chriſt. cap. 41. §. 3. num. 25. & Azorius Inſtitut. Moral. tom. 2. lib. 1. cap. 20. *Quæritur*, inquit, *quoto a morte ſua die Virgo glorioſa reſurrexerit, & fuerit in Cœlum aſſumpta? Communis eſt ſententia, ſuſcitatam a mortuis eam fuiſſe, & in Cœlum introductam tertio ab obitu die. Ita Damaſcenus, Juvenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus, Andreas Cretenſis Epiſcopus, Simeon Metaphraſtes, Nicephorus, & alii; ut ſic conſtaret, vere eam obiiſſe, & Filio poſt triduum ex mortuis reſurgenti ſimilem fuiſſe*. Quapropter optimum duxit Eccleſia eodem die mortis, Reſurrectionis, & in Cœlum Aſſumptionis memoriam recolere.

Huic Feſto præcedit Vigilia & jejunium, cujus valde vetus inſtitutio.

26. Magnæ huic Solemnitati præcedit Pervigilium cum jejunio; ac jejunium quidem valde antiquum eſſe oportet, cum de eo tanquam de re uſitata in Romana Eccleſia mentionem faciat Nicolaus I. Pontifex creatus ann. 858. nam reſpondens ad Bulgarorum quæſtiones cap. 4. in Collect. Concil. Labbei tom. 8. pag. 518. hæc ſcribit: *Secundum ſacra Decretalia in his etiam a licitis ſe quibuſdam abſtineat, Quadrageſimali videlicet tempore, quod eſt ante Paſcha, jejunio poſt Pentecoſten, jejunio ante ſolemnitatem Aſſumptionis S. Dei Genitricis & ſemper Virginis Dominæ noſtræ Mariæ, nec non jejunio ante Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti Feſtivitatem, quæ jejunia Sancta Romana ſuſcepit antiquitus & tenet Eccleſia*. Apud quoſdam Orientales non unius, ſed plurium dierum jejunium eſt. Jejunare enim incipiunt a Calendis Auguſti uſque ad diem 15. nec jejunium intermittunt præterquam poſtridie Nonas in honorem Solemnitatis Transfigurationis Jeſu Chriſti, ut videre eſt apud Bailletum loc. cit. §. 13. Extat tom. 2. Biblioth. Orientalis Joſephi Simonii Aſſemani Maronitæ Gregorii Bar Hebræi Primatis Orientis, qui natus eſt anno 1226. Opus, in quo ſermo fit de Syrorum jejuniis, & inter cætera illud memoratur, quod ante Aſſumptionem apud eos celebratur, ut videre eſt pag. 304.

Octavam hujus feſti cur Leo IV. inſtituerit?

27. Præclariſſima hæc celebritas Octavam habet, quam inſtituiſſe Leonem IV. anno 847. tradit Pontificalis Anaſtaſii liber. Cum enim initio Pontificatus Leonis Baſiliſcus prope Eccleſiam S. Luciæ in Orphea peſtilenti anhelitu ſuo omnes necaret, quotquot ad ejus latibulum accederent, Pontifex ipſo Aſſumptionis B. Mariæ feſto die, præeunte Sanctiſſimæ Dei Genitricis imagine, cum Cleri ſui comitatu ad illud acceſſit latibulum, cumque juſſiſſet Populum, qui eum ſequebatur, conſiſtere, Deum obſecravit, ut ab illa peſte populum liberaret; votique compos factus eſt: *Ab eadem die ipſe mortifer Baſiliſcus ita effugatus, & ab ipſis projectus eſt antris, ut ultra in illis locis nulla læſionis ejus macula appareret*: Sunt verba libri Pontificalis; qui illud etiam tradit, Pontificem in ejus beneficii memoriam juſſiſſe Aſſumptionis B. Mariæ Octavam celebrari. *Octavam Aſſumptionis B. Genitricis diem, quæ minime Romæ antea colebatur, vigiliis ſacris, matutiniſque cum omni Clero pernoctans laudibus in Baſilica ejuſdem ſemper Virginis*

Dominæ noſtræ, quæ foris muros juxta Baſilicam B. Laurentii Martyris ſita eſt, celebrari præcepit: quod confirmat Sigebertus ad ann. Chr. 847. qui de Leone hæc ſcribit: *Decrevit ut Octavæ Aſſumptionis Sanctæ Mariæ in Eccleſia Romana celebrarentur, quod antea non fiebat.* Et apud Lambecium in Auctar. lib. Rer. Hamburg. pag. 110. extat Privilegium ab eodem Pontifice Hamburgenſi Eccleſiæ conceſſum, quo Anſcario Archiepiſcopo, ejuſque Succeſſoribus uſus Pallii permittitur; ac in eo Privilegio inter cæteras Feſtivitates Aſſumptio Deiparæ recenſetur.

Quidam Feſti hujus inſtitutionem referunt ad octavum ſeculum.

28. Quidam exiſtimant, Aſſumptionis Feſtum Apoſtolos inſtituiſſe. Verum S. Bernardus celebri epiſt. 174. ſcribit: *Accepi ſane ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta* (B. Maria) *de ſeculo nequam, Cœlis quoque intulit celeberrimorum Feſta gaudiorum.* Quamobrem Feſtivitatis hujus inſtitutio ad Eccleſiam videtur referenda. Thomaſſinus Tract. de Feſtis lib. 2. cap. 20. num. 10. oſtendere ſatagit, poſt Concilium Epheſinum, quo damnatus fuit Neſtorius, qui negabat B. Virginem Dei fuiſſe matrem, longe lateque ejuſdem cultum fuiſſe diffuſum, multis in ejus honorem excitatis templis, & Feſtivitatibus inſtitutis; circa ſeculum ſextum editos libros, qui Dionyſio tribuuntur de Divinis nominibus, ubi narratur S. Dionyſium una cum Sanctis Petro, Jacobo, & Dorotheo veneratum eſſe corpus B. Virginis, ſeu quemadmodum alii intelligunt, veniſſe ad ejus ſepulcrum; propterea ſub finem ſeculi quinti, vel ſeculo ſexto cœptum eſſe libere loqui de Mariæ morte, Reſurrectione, & Aſſumptione. Cumque id ad alios Fideles permanaſſet, inſtitutam eſſe Feſtivitatem, de qua mentio fit in regula Crodegangi ſub Pipino Rege Caroli Magni patre, & in Moguntina Synodo habita anno 813. Carolus Magnus in Capitularibus lib. 1. cap. 158. pag. 732. agit de Feſtivitatibus celebrandis; ac de Aſſumptione ita ſcribit: *De Aſſumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus*: ad quem locum notat Baluzius, id intelligendum de conſilio, quod ea de re ab Epiſcopis Regni ſui petere cogitabat. Cum autem Epiſcopi in Concilio Moguntino, ut diximus, in Catalogum Feſtorum Aſſumptionem adſcripſerint, Ludovicus Pius Feſtivitatem illam celebrari juſſit, ut videre eſt in Capitularibus lib. 2. cap. 35. pag. 748. eique certus conſtitutus eſt dies, ut apparet lib. 6. Capitular. cap. 189. pag. 955. quo Edicto edito eam Feſtivitatem in Galliarum Regno multa veneratione celebratam eſſe, teſtatur Baluzius loc. cit. pag. 1172.

Hæc Feſtivitas celebrabatur ante ſextum ſeculum.

29. Quibuſdam non probatur, nec ſane eſt probanda hujuſmodi ſententia, qua inſtitutio Feſtivitatis Aſſumptionis ad ſeculum octavum refertur videtur. Sane ex Pontificali libro conſtat, ut alibi diximus, Sergium Papam, qui ſeculo vixit ſeptimo, *conſtituiſſe, ut diebus Annuntiationis, Domini Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ... Litania exeat a S. Hadriano, & ad S. Mariam Populus occurrat*: quamobrem diffiteri poteſt nemo, ante Sergium Feſtum hoc eſſe inſtitutum. Præterea Aſſumptionis Feſtivitas ante Mauritium Imperatorem, ideoque ante ſeculi ſexti finem celebrabatur; quam idem Mauritius a 18. Januarii ad 15. Auguſti diem tranſtulit, ut colligitur ex Nicephoro lib. 17. cap. 28. pag. 779. *Idem Imperator* (Juſtinianus) *tum primum Servatoris exceptionem* (hoc eſt Feſtum Purificationis B. Virginis) *toto Orbe terrarum feſto die honorari inſtituit, ſicut Juſtinus de Sancta Chriſti Nativitate fecit; atque non ita longo poſt tempore Mauritius Sacroſanctæ Dei Genitricis Dormitionem quindecimo Auguſti menſis die celebrari præcepit.* Ubi notandum, Nicephorum, cum Juſtiniani & Juſtini leges commemorat, nihil innuere de die, quo ſolemnitates Natalis Domini & Purificationis celebrandæ eſſent; cum autem dixit, Mauritium Imperatorem 15. Auguſti diem Aſſumptionis Feſto definiiſſe, manifeſtum inde eſt, Feſtum illud ante ejus tempora inſtitutum; & tantummodo a 18. Januarii ad 15. Auguſti diem ab eo eſſe translatum; ut fuſe oſtendit Baronius in Not. ad Martyrolog. ad diem 15. Auguſti, Florentinius itidem in Notis ad ſuum Martyrolog. ad diem 18. Januar. Mabillonius in Liturgia Gallicana lib. 2. pag. 118. Pagius Breviar. Geſtorum Romanor. Pontific. in vita S. Sergii n. 26. Martene de antiqua Eccl. diſcipl. in divin. celebr. Offic. cap. 33. num. 25.

CAPUT IX.

De Feſto Nativitatis Beatiſſimæ Virginis die 8. Septembris.

Natalis dies Sanctorum dicitur is, quo mortem obiirunt.

1. ALiorum Sanctorum Martyrum, vel confeſſorum natalis dies ille dicitur, quo ab hac ad beatam vitam commigrarunt. *Merito plane dicendi Natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis miſeriam, ſubito renaſcuntur in gloriam, vitæ perennis initium de morte ſumentes. Etenim ſi dies Natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis & doloribus naſcimur ad dolores, juſtius illi celebrabuntur Natales, quibus Sancti ex corruptibili corpore in novam illam futuri ſeculi veniunt claritatem, & filii hominum in adoptionem divinæ Paternitatis aſcendunt.* Verba ſunt Euſebii Emiſſeni, ſeu Ducherii Lugdunenſis Homil. 50. in Geneſim: & preſſius Albinus Flaccus libro de Officiis divinis ſcripſit: *Jure naſci dicuntur, qui de preſſuris hujus Mundi, tanquam de anguſtiis cujuſdam ventris, ad illam ſpacioſiſſimam & lucidiſſimam cœleſtis habitationis emittuntur latitudinem.* Cum quo conſentit Rabanus Maurus de Inſtit. Cleric. cap. 43. *Dicuntur quidem Sanctorum Feſtivitates Natalitia; & merito: quomodo enim conſuete naſci dicitur, cum quis de utero matris procedens in lucem egreditur; ita rectiſſime poteſt natus dici, qui a vinculis carnis ſolutus ad lucem ſublimatur æternam. Et inde mos obtinuit Eccleſiaſticus, ut dies Beatorum Martyrum, ſive Confeſſorum Chriſti, quibus de ſeculo tranſierunt, Natales vocitemus, eorumque ſolemnia non funebria, ſed natalitia dicamus.*

Chriſti Jeſu, Joannis Baptiſtæ, B. Mariæ non emortuales tantum, ſed natales etiam dies celebrantur.

2. Emortuales Chriſti Domini, & Joannis Baptiſtæ colit Eccleſia æque ac utriuſque Natales dies; cumque ab Eccleſia tum Natalis, tum emortualis dies Joannis Baptiſtæ celebretur, omnino æquum fuit, ut non modo dies, quo B. Virgo mortua eſt, ſed quo etiam in lucem prodiit, coleretur, ut optime advertit Venerabilis Petrus Caniſius lib. 1. de Maria Virg. Deipara cap. 11. pag. 82. *Etenim ſi Natalem Joannis, qui tantum præco, & Præcurſor Domini fuit, die ſtato, rituque publico cohoneſtamus, & Angeli vaticinium illud*, multi in Nativitate ejus gaudebunt, *ad nos quoque pertinere præ nobis ferimus, cur non tantumdem operæ & ſtudii Natali Mariæ celebrando ponamus, & novam quandam animorum lætitiam declaremus, quando non Chriſti modo, ſed noſtra quoque Mater primum apparet, ſuoque adventu Evangelium, hoc eſt fauſtum felixque nuntium adfert, ut Mundus, triſtitia diuturna oppreſſus*

fus tandem aliquando, ut nunquam antea, possit respirare? Et Jo. Gerson serm. de Nativit. Beatissimæ Virg. hæc ait: *Propterea post celebritatem Nativitatis Joannis Baptistæ sacratissimam & jucundam, quia sine peccato natus est per sanctificationem, instituit Ecclesia Nativitatem Beatæ & gloriosæ semperque Virginis Mariæ celebriter fieri, admonita prius miraculo.*

Eremitæ cujusdam visio ex Gersone, unde videri potest orta hæc Festivitas.

3. Innuit hoc loco Gerson, quod narratur a nonnemine, Eremitam quendam, cum octavo Septembris die sæpenumero ad aures suas cœlestis quidam concentus accidisset, Deum obsecrasse, ut quid ille significaret concentus, sibi palam faceret. Cumque accepisset Chorum Angelorum & Sanctorum in Cœlo Beatæ Virginis solemnitatem celebrare, venisse Romam, ac ea de re monuisse Pontificem, qui hanc Festivitatem instituit. Historiam hanc attingit Martyrologium quoddam relatum a Sollerio in Notis ad Martyrologium Usuardi ad diem 8. Septembris. De eadem re mentionem item facit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 6. §. 2. in principio: *Nativitas tua Sancta Dei Genitrix gaudium annuntiavit universo Mundo; videntes enim Angeli natam tam sanctam creaturam, magnum gaudium fecerunt, & ita quolibet anno in Cœlo fit, ut cuidam Sancto Eremitæ revelatum est.* Et consentiunt Vincentius Bellovacen. Speculo Historiar. lib. 6. cap. 65. & lib. 7. cap. 119. Petrus de Natalibus Catalogo Sanctorum lib. 8. cap. 51. Carthusianus serm. 1. de Nativitate B. Virginis. Sed jam pias ejusmodi narrationes dimittamus; de quarum probabilitate nihil volumus diminutum, earumque fidei nihil itidem auctum: ab Hospiniani autem sensibus quam longissime absumus, ejusque adversamur audaciam, qui Tract. de Festis pag. 142. Edit. Geneven. ann. 1675. Visionem, de qua superius loquebamur, *illusionem* appellat *Satanicam*. Jam vero tempus, quo celebrari cœpta est hæc Festivitas, pro virili parte investigemus.

Quidam ad D. Augustini tempora Festi hujus institutionem non recte referunt.

4. Eam nonnulli referunt ad D. Augustini tempora: in Officio enim hujus Festi sermonem quendam S. Doctoris legimus de hac Solemnitate. Verum idem S. Augustinus sermone 287. & 292. de Sanctis, alias 21. & 22. testatur, solummodo Natales Christi, & Joannis Baptistæ dies in Ecclesia celebrari consuevisse. *Hinc attendat Charitas vestra, quam magni hominis nativitas facta sit* (Joannem Baptistam intelligit) *natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos natales celebrat, hujus, & Christi.* Quo quid validius proferri potest ad probandum Augustini ætate nondum B. Mariæ nativitatem celebrari consuevisse? ut concludit Baronius in Not. ad Martyrologium ad diem 8. Septembris, Suarez de Religione tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 4. Azorius Instit. moral. par. 2. lib. 1. cap. 19.

Refutatur Saussay et Saxius, qui institutam credunt a S. Maurilio Andegavensi Episcopo.

5. Eodem D. Augustini loco refelli posse videtur tanquam nec probabilis, nec verisimilis opinio Saussay in Martyrologio Gallicano ad diem 8. Septembris, cui suffragatur Saxius Dissertat. de SS. Corporibus Protasii & Gervasii num. 16. qui ambo existimant, S. Maurillum Mediolanensem S. Martini Discipulum, a D. Ambrosio Lectorem ordinatum, ac deinde Episcopum Andegavensem, divino monitu primum in Gallia hanc B. Virginis celebritatem instituisse. Quod vero attinet ad sermonem illum D. Augustini, qui legitur in Officio hujus diei, in eo quidem genuinus S. Doctoris fœtus agnoscitur, sed non in Nativitate, sed in Annuntiatione Deiparæ Virginis habitus esse dicitur, & levicula mutatione facta, Festivitati Nativitatis accomodatus est. Sermo Augustini sic habet: *Gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata solemni die.* At in Officio legitur: *Gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata natali.* Ea enim est Ecclesiæ consuetudo, ut in alicujus Solemnitatis Officio, in Antiphonis, & Responsoriis quibusdam narrationibus & sermonibus utatur, quæ dicta, scriptave sint in alia Festivitate: quapropter Florentinius in Notis ad Martyrologium ad diem 8. Septembris ita ait: *Quamquam enim D. Augustini sermo in Ecclesia legatur, & ipsius revera sit; Nativitati tamen accommodatus est, licet in Annuntiatione dictus fuerit.*

Quidam ex Fulberto Carnotensi Episcopo putant Festivitatem institutam sæculo 12.

6. Nonnulli putant sæculo 12. hanc celebritatem in Gallia institutam, inde in Italiam commeasse; idque ex illis verbis eruunt S. Fulberti Carnotensis Episcopi, qui eo vixit sæculo, serm. 1. de Nativitate; *Inter omnes Sanctos memoria Beatissimæ Virginis eo frequentius agitur atque festivius, quo majorem gratiam apud Dominum creditur inveniisse: unde post alia quædam ipsius antiquiora solemnia non fuit contenta devotio Fidelium, quin Nativitatis solemne superadderet hodiernum.* V. Thomassinum de Dier. Festor. celebrat. lib. 2. cap. 20. num. 1. & sequen.

Vetustior est ætate S. Fulberti.

7. Sed hanc Solemnitatem vetustiorem esse Fulberto evidentissime apparet ex S. Ildefonso, qui sæculo septimo scripsit. In libro enim de perpetua Virginitate S. Mariæ tom. 12. Biblioth. Patrum pag. 566. littera E, diserte loquitur de hoc Festo: *Nullius igitur Nativitas celebratur in Mundo nisi Christi, & ejus* (scilicet B. Mariæ) *atque B. Joannis* &c. Et paullo post littera F. *Quod si præclara Sanctissimæ Virginis Nativitas universaliter tam Sancta & tam gloriosa jure colitur.* Eadem autem huic argumento vis inest, & idem robur, etiamsi qui nomine S. Ildefonsi circumferuntur libri *de Virginitate Mariæ; De illibata Virginitate B. Virginis contra Infideles; Contra eos qui disputant de Virginitate B. Mariæ, & de ejus Parturitione;* eos Dacherius Paschasio Radperto tribuat: Scriptor enim hic circa dimidium 9. sæculi floruit.

Vetustam admodum hanc Solemnitatem probant Sacramentarium Romanum, quod Leonis Magni creditur, & Gregorianum.

8. Huc accedit, de ea in Romana & Gallicana Ecclesia vetustiora extare monumenta. In Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ per Venerabilem Cardinalem Thomasium edito, qui creditur esse S. Leonis Magni, aliorumque Prædecessorum Pontificum, habetur Missa in Nativitate S. Mariæ cum propriis Orationibus, ut videre licet lib. 2. pag. 172. in libro Sacramentorum S. Gregorii, quem edidit Menardus, pag. 128. sunt Orationes ad Matutinum, ad Processionem, & ad Missam in Nativitate B. Virginis Mariæ. Liber Pontificalis, quod alibi observavimus in Vita Sergii I. tradit, Festivitatem Nativitatis B. Mariæ unam esse ex iis Solemnitatibus, in quibus Processio fit ab Ecclesia S. Hadriani ad Basilicam Liberianam. Quod autem attinet ad Gallicanam Ecclesiam, conjici quidem potest, initio sæculi noni nondum introductam hanc Festivitatem eo fuisse, siquidem Moguntinum Concilium anno 813. habitum, dum Festivitates recenset, hanc ne nominat quidem; nihilominus nemo negaverit, vergente in finem eodem sæculo, hanc quoque esse introductam. Nam Walterius Episcopus Aurelianensis anno 871. hanc inter eas ponit Festivitates, quæ magna cum celebritate essent peragendæ; quod colligitur ex cap. 18. de Ordinibus ipso Walterio Auctore, ex Notis Cellotii in Collect. Concil. Labbei tom. 8. pag. 648. & ex historia Ecclesiæ Gallicanæ, quam anno 1733. edidit Jacobus

Longueval Societatis Jesu tom. 6. pag. 279. His aliisque adducti rationibus viri docti a Thomassino dissentiunt, Florentinius in Notis ad Martyrologium ad diem 8. Septembris, Fronto in Notis ad suum Calendarium, Martene de antiqua Ecclesiæ Disciplin. in Divin. Offic. cap. 34. num. 1. & seq. Tillemontius Nota 5. ad Vitam B. Virginis, Bailletus histor. hujus diei, & Pagius in Breviar. Gestorum Romanorum Pontificum in Vita Innoc. IV. num. 18. Joannes Andreas Schmidius Prolusionum Marianar. 6. edit. Amstelodamen. anni 1721. tom. 77. Miscellanearum Bibliothecæ Cardinalis Passionei quærit, quo tempore celebrari cœperit Festivitas Nativitatis Deiparæ Virginis; ac ne octavo quidem seculo in Ecclesia Romana celebratam putat, quod nulla ejus Festivitatis mentio fiat neque in Concilio Moguntino, neque in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii. Sed quæ dudum ex veteribus Sacramentariis attulimus monumenta Schmidii opinionem evertunt. Quod si in Galliis seculo octavo non celebrabatur illa Festivitas, certe inde non fit, ne Romæ quidem fuisse celebratam. Quis enim est qui nesciat, res ejusmodi, quæ ad disciplinam pertinent, non statim quovis gentium, sed decursu temporis paullatim diffundi?

Hanc Solemnitatem numeravit Emmanuel Comnenus seculo 12. inter eas, quæ per diem integrum celebrarentur. Locus præclarus ex S. Petro Damiani.

9. Vetus itaque est hæc Solemnitas, & sane percelebris, ac ut vulgo dicitur de præcepto tam apud Latinam, quam Græcam Ecclesiam. Eam Imperator Emmanuel Comnenus circa medium seculum 12. in earum Festivitatum numero posuit, quæ per diem integrum celebrarentur, idquæ obtinet apud Ecclesiam Græcam, & Cophtos Christianos ex Ægypto, juxta ea, quæ affert monumenta Bailletus loco citato. Ut eam quam maxima celebritate peragamus, cohortatur nos B. Petrus Damiani XI. seculi Scriptor in serm. 2. & 3. de Mariæ Nativitate. *Nativitas Beatissimæ, & intemeratæ Genitricis Dei, Fratres charissimi, merito præcipuum, & singulare præbet hominibus gaudium, quæ totius extitit humanæ salutis exordium. Merito ergo hodie profusis totus gaudiis ubique terrarum Orbis exultat. Merito universa Sancta Ecclesia, nascente Sponsi sui Genitrice (ut ita præ gaudio dixerim) Fescennini carminis laudes alternat. Exultemus, inquam, in hac die præcipua, & totis visceribus in Domino delectemur, in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum Festivitatum celebramus originem.* Et D. Bernardus celebri epist. 174. seculo 12. scribit: *Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque Sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, eam in utero accepisse, ut sancta prodiret.* Et paullo post: *Fuit procul dubio Mater Domini ante Sancta, quam nata: nec fallit omnino Sancta Ecclesia Sanctum reputans ipsum Nativatatis diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens.*

Alius olim dies huic Festivitati destinatus. Nunc octavus dies Septembris apud Græcos & Latinos. Octavæ instituendæ occasionem præbuere dissidia in Conclavi quo creatus Cœlestinus IV.

10. Non semper octavo die Septembris peracta est Nativitatis celebritas, ut videre licet apud Florentinium in Notis ad Martyrologium ad diem 8. ejusdem mensis. Nunc vero tam apud Græcos, quam apud Latinos ille præfinitus est dies, ad quem etiam hæc Solemnitas deprehenditur in Martyrologio veteri, quod vulgavit Florentinius. Habet hæc Festivitas octavam, cujus instituendæ occasionem præbuere quædam dissensiones in eo Conclavi coortæ, in quo creatus fuit Pontifex Cælestinus IV. Cardinales enim ut ab iis molestiis, quas Fridericus II. Imperator illis identidem afferebat, sese liberarent, ad B. Virginem confugerunt, voveruntque, si sibi paccate licuisset legitimum Pontificem eligere, Festum Nativitatis Octava auctum iri. Innocentius vero IV. electus post Cœlestinum Pontifex ipse votum sacri Senatus solvere voluit, & Octavam instituit, ut videre est tom. 11. Concil. Collect. Labbei part. 1. pag. 636. quod etiam referunt Durandus lib. 7. cap. 28. Arnoldus lib. 5. Ligni vitæ cap. 22. Spinellus Tract. de Festis ac Templis Deiparæ pag. 677. Pagius, & Bailletus locis citatis.

Non habet hæc Festivitas nec Vigiliam, nec jejunium.

11. In priori Gregorii XI. vita inter vitas Pontificum Avenionensium, quas collegit Baluzius, tom. 1. pag. 439. intelligimus, illum Pontificem jussisse, *quod Nativitas B. Mariæ Virginis haberet Vigiliam cum jejunio, pro qua etiam Officium proprium Missæ ordinavit, cum tamen per prius nec esset die illa jejunium, nec Missa de Vigilia hujusmodi cantaretur.* Quod confirmat etiam Radulphus Tungrensis lib. de Observantia Canonum proposit. 19. Verum cum hæc Festivitas nunc neque Vigiliam, neque jejunium habeat, verisimile videtur Gregorium ea non imperasse, sed tantum Fideles ad jejunium servandum cohortatum esse; ut existimavit Pagius Breviar. Romanorum Pontificum tom. 4. in vita Gregorii XI. num. 32. & antea animadverterat Galesinius in Notis ad Martyrologium pag. 159.

De Nativitate nihil habetur in sacro textu, sed tantum quædam asserri possent ex turbidis fontibus.

12. Fortasse nonnemo mirabitur, nos de Nativitate B. Virginis nihil afferre; sed cum de ea sacer textus omnino sileat, optimum putavimus & nos de re prorsus incerta tacere, de qua cum plures scribere voluerint, ex turbidis fontibus, quæ tradiderunt, hausisse videntur, puta ex Proto-Evangelio, quod Sancto Jacobo falso tribuitur, ex libro de Ortu Virginis, qui perperam S. Jacobo fratri Domini nostri Jesu Christi, & a quibusdam Cyrillo Alexandrino adscribitur, ex libro de Ortu Virginis, cujus auctorem Seleucus falso affirmavit fuisse Evangelistam Matthæum, ex commentitia S. Evodii Epistola, & ex Opusculo de Nativitate S. Mariæ, quod Monachi S. Mauri in editione S. Hieronymi tom. 5. ad scripta S. Doctoris spuria rejecerunt. Nobis vehementer probatur quod scripsit S. Anselmus cap. 2. de excellentia Virginis: *Illud apud me conjicio, Nativitatem ejus magna atque miranda divinorum signorum indicia præcurriisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam, antequam nasceretur, in Matrem elegit.* Itaque pauca quædam perstringemus de loco, ubi ea in lucem prodiit, deque ejus Parentibus.

13. Baronius in apparatu ad Annales n. 48. putat, natam esse Nazarethi. Hanc sententiam plures sequuntur; inter quos nonnulli duas B. Virgini affirmant fuisse domus, alteram ubi nata, alteram ubi ab Angelo salutata fuerit, ut videre est apud Florentinium in Notis ad Martyrologium ad diem 8. Septembris. Alii vero cum Joanne Damasceno lib. 4. de Fide cap. 15. & Orat. 1. de Nativitate dicunt, ortam esse Hierosolymis. Nonnulli etiam, qui Terræ Sanctæ loca peragrarunt, Ecclesiam prope Probaticam Piscinam esse tradiderunt, ubi ex veteri Traditione domus fuisse quondam creditur, in qua B. Virgo in lucem edita sit. Vide Novatum de Eminentia Deiparæ Virginis Mariæ tom. 1. cap. 4. quæst. 2.

Ubinam Deipara nata sit. Parentes B. Virginis. Error ab Apostolica Sede confixus de S. Anna Virginitate.

14. Pater B. Virginis S. Joachim, Mater S. Anna fuisse perhibentur. Quidam ex Italia Scriptor nomine Imperialis apocryphis libris deceptus *de Partu Virginis*, & Tragœdia cui titulus *Christus patiens*, docuit Deiparæ matrem Annam, quin Virginitatem amiserit, B. Virginem peperisse, admirandum filiæ privilegium matri com-

communicando ; quem errorem damnavit Apostolica Sedes an. 1677. ut testantur Tillemontius Not. 3. ad vitam B. Virginis, Gravesonius de Mysteriis & annis Chr. pag. 33. & Saxius in descriptione Historico-Poetica de Laudibus Mariæ par. 1. pag. 17. De S. Joachim meminit Martyrologium Romanum ad 20. diem Martii : *In Judea S. Joachim Patris Beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ*. Vigesimam ejus mensis diem Festo hujus Sancti constituit Julius II. anno 1510. & Officium recitari jussit sub ritu duplici, ut videre est apud Bollandistas ad 20. diem Martii pag. 78. Illius nomen ex Calendario & Breviario Romano S. Pius V. jussit expungi ; sed eo restitutum fuit jussu Gregorii XIII. anno 1584. ut tradit Thomassinus de Dierum Festorum celebrat. lib. 2. cap. 22. num. 11. Reformatum vero & fere ex integro reconcinnatum fuit Officium, quod eo die recitatur in ejus Sancti honorem, teste Spondano ad ann. Chr. 1622. num. 1.

De Festo S. Annæ. Eam solemnitatem confirmavit Gregor XIII.

15. Festivitas S. Annæ 26. Julii die peragitur ; hæc enim habet Martyrologium Romanum : *Dormitio S. Annæ Genitricis Dei Mariæ*. Et consonant alia Martyrologia, quæ refert Sollerius in Notis ad Martyrologium Usuardi. Baronius in Notis ad Martyrologium testatus, jussisse Gregorium XIII. in tota universali Ecclesia Officium S. Annæ recitari. *Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XIII. Papa divino afflatus Spiritu Apostolicis litteris hoc anno Domini* 1584. *Kalendis Maji, ejus Pontificatus anno* 12. *firmavit auxitque ; præcipiens nimirum, ut perpetuis futuris temporibus B. Annæ dies festus septimo Kalendas Augusti per totius Orbis Ecclesias duplici Officio quotannis recolatur, Romanisque, atque aliarum Ecclesiarum Calendariis addatur, & Duplex ei adscribatur*.

Cultus S. Annæ sæculo 6. in Oriente.

16. Digna sunt, quæ observentur, Baronii verba *firmavit auxitque*, quæ non significant ejus cultum a Gregorio XIII. invectum, sed tantummodo firmatum & auctum. In Orientali Ecclesia compertum est, Justinianum I. Imperatorem anno 550. Templum in honorem S. Annæ Constantinopoli ædificasse ; aliamque Ædem in ejusdem honorem ineunte 8. sæculo extructam esse jussu Justiniani secundi, quod ex optimis extulit monumentis Bailletus in Vita Sanctæ Annæ. Chronicum Alexandrinum, cujus Auctor sæculo vixit septimo, tom. 10. Biblioth. Patrum pag. 923. hæc habet : *Septembri mense, sexto Idus Septembris, die Lunæ, Indictione decimaquinta, Domina nostra Virgo ex Joachimo & Anna nata est*. De S. Annæ & S. Joachim meritis honorifice scripsit Joannes Damascenus sæculo 8. in tribus Orationibus habitis in Natali die B. Virginis. De iisdem vero tamquam B. Mariæ Parentibus loquutus est Jacobus Episcopus Edessenus S. Joannis Damasceni coævus, vir orthodoxus, quem ab omni hæresis suspicione vindicavit Assemanus tom. 1. Biblioth. Orientalis cap. 40. pag. 468. & sequen.

Vetus S. Joachim & S. Annæ cultus, in Occidentali Ecclesia. Non tamen Officium recitabatur & Missa ante S. Bernardi.

17. Jacobi verba pag. 492. sunt hæc : *Ut ostendunt historiæ, quas viri studiosi scripsere, sacra Virgo Maria Mater Christi filia erat Annæ & Joachim justi*. Quod vero attinet ad Occidentalem Ecclesiam, constat ex libro Pontificali in vita S. Leonis III. qui octavo vixit sæculo, ejus jussu in Basilica S. Pauli historiam fuisse pictam S. Joachim & S. Annæ ; idque cum in Orientali & Occidentali Ecclesia de cultu sacrarum imaginum acerrima esset disceptatio : ex quo facile intelligimus, in Occidentali Ecclesia valde antiquum esse hujusmodi cultum, ut bene animadverterit Bailletus in vita S. Joachim, & Tillemontius Nota 3. ad vitam B. Virginis. Neque tamen S. Joachim & S. Annæ cultus eo pervenerat, ut de iis Festivitas celebraretur, aut Officium recitaretur, & Missa. Scribit enim S. Bernardus, qui 12. floruit sæculo Epist. 174. non debuisse Canonicos Lugdunenses Officium Conceptionis B. Virginis introducere, nec Festivitatem celebrare, ut alibi dicemus ; id enim eo trahere, ut utriusque Parentis etiam Festivitas celebretur. *Quid adhuc addendum his putamus honoribus ? ut honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandum præivit partum ; quoniam si illæ non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quid si alios propter eandem causam etiam utrique Parenti ejus festo honores asserat deferendos ?* Quod profecto non scripsisset, si ejus ætate in Occidentali Ecclesia celebrata fuisset Festivitas, aut recitatum Officium. Semper enim Occidentalis Ecclesia, ut suo loco dicemus, restitit augendo aut dilatando cultui Sanctorum veteris Testamenti. Romani vero Pontifices fortasse passi sunt cultum S. Joachim & S. Annæ augeri, quod uterque post Nativitatem Christi Domini obierit, ac propterea ad novum Testamentum pertinere videatur.

Eorum cultui ab Hæreticis exagitatus. Quidam Critici eorum putant incerta nomina.

18. Utriusque Sanctitatem & cultum deterere sunt conati Centuriatores, aliique hæretici, quod de iis sacer textus omnino sileat. Eorum fregit audaciam Venerabilis Petrus Canisius lib. 1. cap. 4. De Maria Deipara Virgine. Alii vero Catholici quidem Scriptores, sed fortasse Criticæ indulgentes intemperantius, cultum quidem probant, qui ab Ecclesia Sanctis B. Mariæ parentibus tribuitur, sed ut certam eorum Sanctitatem, ita nomen incertum existimant, præsertim quod *Anna* idem sit atque *Gratia*, & *Joachim Præparatio Domini* ; quæ quidem optime ajunt Sanctis Mariæ Parentibus probe convenire, nihil tamen ad eorum nomina attinere. Ita disputant Tillemontius Nota 3. ad vitam B. Virg. Bailletus in vita SS. Joachim & Annæ, & novissime Serry Exercit. 18.

Incerta etiam apud S. Petrum Damiani. Verum ea nomina a vetustis temporibus Ecclesia Orientalis & Occidentalis agnoscit.

19. Scribit B. Petrus Damiani circa 11. sæculum serm. 3. *De Nativitate* ; inanem ab eo operam sumi, qui Parentum B. Virginis quærat nomina, de quibus nulla mentio fit in Evangelio. *Nonnulli cum plus sapere, quam oportet sapere, gestiunt, quis Pater, vel quæ Mater B. Mariæ fuerit, studio superfluæ curiositatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter quærit, quod Evangelista narrare superfluum duxit. Si enim hic notitiæ utilitatem esse cognosceret, nequaquam nobilis historicus rem necessariam silentio præteriret*. Verum cum in Orientali & Occidentali Ecclesia a tot usque sæculis opinio sit, Patrem B. Virginis Joachim, Matrem Annam esse appellatos, haud æquum est huic adversari opinioni ; cum præsertim nihil adversus eam afferatur, quod firmis rationibus non amoverimus, quas vide apud Card. Gottum de verit. Relig. Christ. par. 1. tom. 4. cap. 3. §. 1. num. 5.

CAPUT X.

De Festo Nominis Mariæ Dominica infra Octavam Nativitatis.

Quanta apud Christianos erga Mariæ nomen veneratio.

1. DOminica infra Octavam Nativitatis B. Virginis, nisi quid impediat, celebratur cum Officio Festivitas Nominis Mariæ. Etsi non satis exploratum habeamus, annuntiatum ne sit ab Angelo Mariæ nomen, ac imposuerit jussum a Deo, ut nomen Jesu, aut Joannis

ejus

ejus Præcurſoris; magna tamen erga illud fuit in Eccleſia veneratio, ut aliquando fœminis vel regio ſanguine prognatis illud minime licuerit indere; quaſi de dignitate ſancti nominis multum detraheretur, ſi fœminis etiam Reginis imponeretur.

Quidam putant, Deiparæ Dei monitu Mariæ nomen inditum.

2. Cum non ſatis exploratum eſſe diximus, peculiari ne Dei juſſu id nomen ſit impoſitum, quod nullum de hac re veſtigium extet in Evangelio; nihil tamen de pia quorumdam volumus diminutum eſse ſententia, qui ex Angelica revelatione *id nomen inditum eſse* affirmant. Scribit enim S. Antoninus par. 4. tit. 15. cap. 14. *Die qua nata eſt* (B. Virgo) *impoſitum eſt ei nomen Maria a Parentibus ſecundum Angelicam revelationem*. Et confirmat Chriſtophorus de Caſtro in Hiſtor. B. Virg. cap. 2. num. 10. *Divinitus revelatum fuit Parentibus Nomen Mariæ*.

Olim nulli vel regia ſtirpe fœminæ prognatæ licebat Mariæ nomen imponere.

3. Diximus, non licuiſſe fœminis, vel ipſis, quæ regio ſanguine eſſent prognatæ, Mariæ nomen imponere. Alphonſus enim VI. Caſtellæ Rex, cum in eo eſſet, ut uxorem ex Maurorum ſtirpe duceret, cui nomen in Baptiſmo oportebat imponi, vetuit ne Mariæ nomine, etiamſi ea vehementer *id* cuperet, appellaretur. In Tabulis matrimonii initi inter Mariam Aloyſiam Nivernemſem, & Uladiſlaum Poloniæ Regem ſcriptum eſt, inter conjuges conveniſſe, ut Maria Aloyſia, ſublato Mariæ nomine, Aloyſia duntaxat vocaretur. Et a quo die Caſimirus I. Poloniæ Rex, uxorem ducens Mariam Ruſſiæ *Ducis* filiam, voluit nomen ut illud ea relinqueret, in conſuetudinem abiit in Polonia, ut nulla deinceps fœmina Maria nominaretur, in hujus præclari nominis venerationem, ut videre eſt apud Raynaudum in Diptychis Marianis tom. 7. punct. 2. num. 12.

Mariæ nomen mirabiliter conferre ad æternam ſalutem etiam ex opere operato, Theologorum fuit ſententia, quam improbat Raynaudus.

4. Quidam affirmarunt Theologi, ex divina Inſtitutione Sanctum Mariæ nomen *in iis*, quæ ad noſtram aliorumve ſalutem pertinent, mirabiles parere effectus, neque ſolum *ex opere operantis*, ut dicitur, ſed etiam *ex opere operato*, quemadmodum Exorciſmos Eccleſiæ. Vide Novatum de Eminentia Deiparæ Virginis tom. 1. cap. 4. qu. 12. ubi hæc ait: *Dico ſecundo, pium quibuſdam videri poſſe Divina Inſtitutione nomen Mariæ devote prolatum non ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato valere in iis, quæ noſtram, vel aliorum ſalutem concernunt, ſicut valent aliqua alia ſacramentalia*. Quæ ſententia minime probatur Theophilo Raynaudo, qui loc. cit. num. 21. & 22. perſuaderi cuiquam poſſe negat, Mariæ nomen ad *noſtram*, vel aliorum ſalutem cœleſtes parere effectus, etiamſi nulla ſit in eo, qui Sanctum nomen invocet, ejuſmodi diſpoſitio, cujuſmodi opus eſt in effectibus, qui producuntur *ex opere operato*.

Feſtivitas inſtituta auctoritate Apoſtolica in Hiſpania anno 1513. ſublatam a Pio V. Sixtus reſtituit.

5. Utcumque tamen ſit de diverſis hiſce ſententiis, nobis hic ſatis eſt innuere, ſapienti conſilio ab Eccleſia præcipuum Sancti nominis Mariæ cultum, quem invexit Fidelium devotio, approbatum eſse. Hæc Feſtivitas firmata eſt Pontificio Diplomate anni 1513. in Civitate & Diœceſi Conchenſi in Hiſpania. Eam a Pio V. ſublatam reſtituit Sixtus V. Cardinalis Dezæ precibus permotus, juxta ea, quæ tradit Ciaconius in ejus vita, & loco citato teſtatur Raynaudus; quod etiam confirmatur litteris ejuſdem Cardinalis ad Joannem Puteanum Conchenſem Canonicum, quas refert Hippolytus Marraccius in *Purpura Mariana*.

Innoc. XI. recitari juſſit Of.

6. Ab Hiſpania in alias permeavit regiones Feſtivitas Nominis Mariæ, quæ celebratur die 22. Septembris, juxta eorum opinionem, qui putant, apud Judæos nonniſi quindecim ab ortu elapſis diebus infanti nomen imponi conſueviſſe. Nunc vero Dominica infra Octavam, ut diximus, Nativitatis Feſtum hoc peragitur; & ſecundi Nocturni Lectiones in Officio petuntur e Sermone D. Bernardi, Officium vero Nominis Mariæ ab univerſali Eccleſia recitari juſſit Venerab. Dei Servus Innocentius XI. Decreto ſuo ann. 1683. edito, in ejus victoriæ memoriam, qua Beatiſſimæ Matris ope a Chriſtianorum copiis profligatus Turcarum exercitus ab obſidenda Vienna deſtitit, quæ urbs ſi in Barbarorum manus veniſſet, plurimum Catholica Religio detrimenti cepiſſet. Non defuere tum temporis qui Decretum Pontificis improbarent, atque ejuſmodi cultu ac Feſtivitate inſtituta, Mariæ nomen æquiparatum nomini Jeſu dictitarent. Sed Battaglinus Nucerrinus Epiſcopus tom. 4. Annalium ſuorum ad ann. 3684. futilem hanc diluit objectionem, & Bailletus ad diem 8. Sept. ubi de hac Feſtivitate verba facit, candide fatetur, minime ex ea argui poſſe, Mariæ nomen nomine Jeſu eſse præſtantius, vel pari eſse dignitate. Conſulat Lector, ſi libet, quæ alibi diſſeruimus, cum de Feſtivitate nominis Jeſu ageremus.

Feſtum Eccleſia univerſali.

CAPUT XI.

De Feſto B. Mariæ de Mercede die 24. Septembris.

Apparitio Deiparæ S. Petro Nolaſco, & Raymundo de Pennafort, & Feſtivitatem.

1. APparuit B. Virgo Maria Petro Nolaſco, & Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi, quos monuit, Filio ſuo ſibique gratum fore, ſi in ſui honorem Ordo Religioſorum hominum inſtitueretur, cujus liberandorum e Turcarum ſervitute Chriſtianorum partes eſſent præcipuæ. Ab illis igitur Sanctis, & Aragoniæ Rege Regularis Ordo ſub Invocatione B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum primordia ſumpſit, in quo non modo tribus illis votis, quæ conſtituunt Religioſæ profeſſionis ſubſtantiam, Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ ſe Sodales obſtringunt, ſed quarto etiam vovent, *ipſos pro liberandis captivis*, ſi opus fuerit, infidelibus in ſervitutem ſe dedituros. Hæc omnia narrant Zumel, Vargas, Remon, Vidondus, Salmeron, Spondanus, Hieronymus Romanus, Zurita, Caſtillo, Illeſcas, & Penia. Firmiſſima vero hujus hiſtoriæ fundamenta non aliunde petenda ſunt, quam ex *Actis* authenticis *S. Petri Nolaſco*, & Epiſtola ad eundem Petrum a S. Raymundo de Pennafort ſcripta, in qua B. Virginis apparitio exponitur, & in Bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort. Et quamquam P. Echardus dubitaverit, an genuinus eſſet fœtus ea Epiſtola; tamen, cum accurato & judiciali examine ſit expenſa anno 1721. coram Epiſcopo Barcinonenſi, qui judicavit, ſinceram Epiſtolam eſſe, nullus jam dubitandi reſtat locus. Nos in hoc argumento diutius non immorabimur, qui prolixe totam hanc rem tractavimus lib. 4. de Canonizat. Sanctor. part. 2. cap. 9. num. 10. & ſequen. ubi num. 13. docuimus, hanc inſtitutam eſſe Feſtivitatem, ut B. Mariæ cultus amplificaretur, & ut pro tam ſingulari beneficio Deo, ejuſque Sanctiſſimæ Matri quotannis gratiæ agerentur. Officium vero primum Ordini de Mercede conceſſum, deinde ad omnia Hiſpaniæ Regna, ac poſtea ad Gallias fuiſſe propagatum; denique Innocentium XII. ab univerſali Eccleſia

reci-

recitari jussisse, ac Festivitati 24. Septembris diem constituisse.

CAPUT XII.

De Festo Rosarii Beatissimæ Virginis prima Dominica Octobris.

Quid intelligatur Rosarii nomine. Ea precandi formula ab hæreticis vexata.

1. SAnctissimi Rosarii B. Mariæ Solemnitas prima Octobris Dominica celebratur. Quid autem Rosarium sit, ipsæ docent Lectiones secundi Nocturni, quæ leguntur in Officio, quod ex præcepto in omnibus Mundi Ecclesiis recitatur. *Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum Decades, Oratione Dominica interjecta, distinguimus, & ad eadem singula totidem nostræ Reparationis Mysteria pia meditatione recolimus.* Ejusmodi orandi modus, quo Salutationes Angelicæ recitantur, interjecta singulis illarum decadibus unica tantum Oratione Dominicali, heterodoxorum nonnemini parum probatus est, quasi Deiparæ plus patrocinio, quam Dei auxilio confidamus. Sed Valentia in Opere de rebus Fidei ejus ætate controversis lib. 2. Apologetici adversus Gentes cap. 6. pag. 715. pium hunc orandi modum vindicavit: ait enim, nos debita animi demissione ad divinæ Majestatis Thronum volentes accedere, a gloriosa Deipara ingeminatis precibus flagitare, ut ad Deum nobis aditum muniat, ac pro nobis ante intercedat, quam ipsum misericordiarum Patrem invocemus.

Quinam de Rosario scripserint?

2. De Rosario scripsere Malvenda in Annalibus Ordinis Prædicatorum, Justinus Miecovienſis super Litaniis B. Virginis, Jacobus Percinus in monumentis Conventus Tholosani, Jacobus Lason in Præfatione Apolog. Spondanus, & Bzovius ad annum Chr. 1213. Thomas Vincentius Monelia Ordin. Prædic. in Dissertatione de Origine sacrarum precum Rosarii Romæ anno 1725. edita, & Continuatores Bollandiani in Vita S. Dominici. Nos quoque Promotoris Fidei munere fungentes, cum in sacra Rituum Congregatione ageretur de inferendis in Officium Rosarii secundis lectionibus propriis, investigare conati sumus Rosarii Auctorem, scriptumque edidimus, de quo meminit modo allatus Monelia in Præfatione Dissertationis suæ. *Consulat, plura de Rosario qui nosse voluerit, Malvendam &c. aliosque sexcentos, maxime Prosperum Lambertinum Archiepiscopum Theodosiensem de sacro hoc ritu optime meritum.* De Rosario itidem loquuti sumus tom. 4. de Canonizat. Sanctor. par. 2. cap. 10. num. 11. & sequen.

S. Dominico a Romanis Pontificibus tribuitur.

3. In pluribus Romanorum Pontificum Constitutionibus Rosarium S. Dominico tanquam auctori tribuitur. *Ex quo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per S. Dominicum promulgari augerique cœpit, quem ejusdem institutorem auctoremque fuisse Summi Pontifices Apostolicis litteris passim affirmarunt*: Sunt autem hi, Leo X. S. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Alexander VII. Innocentius XI. & Clemens XI. ut videre licet in citato loco de Canonizat. Sanctor. num. 13. & in cap. 1. Dissertationis P. Moneliæ.

A nonnullis S. Benedicto, a quibusdam Bedæ tribuitur.

4. Id autem quibusdam haud ita facile persuaderi potest; quibus magnus hæret ille scrupulus, nullum S. Dominico coævum esse Scriptorem, qui tradat, eum fuisse Rosarii Institutorem; multosque contra esse viros graves, qui non putant S. Dominicum ejusmodi precandi Ritus auctorem: quidam enim ipsum S. Benedicto tribuunt, alii Venerabili Bedæ, alii Petro cuidam Eremitæ, alii Fratri Alano de Rupe, qui fuit Ordinis Prædicatorum.

S. Dominico vindicatur.

5. Huic objectioni ex eo petitæ, quod Auctores desint coævi, qui Rosarium S. Dominico tribuant, accurate respondet Monelia cap. 6. ubi varios multiplicesque casus commemorat, puta bella, pestem, & incendia, quibus probabile est hujus *rei monumenta intercidisse*. Sed illud omnem videtur difficultatem amoliri, quod perpetua fuit in Ordine Prædicatorum Traditio, S. Dominicum Rosarii fuisse Auctorem. Eam vero Traditionem graves amplexi sunt Scriptores, probaruntque Romani Pontifices, nec validis destituitur conjecturis, quas mox proferemus.

Negat Mabillonius tribuendum esse vel S. Benedicto, vel Bedæ.

6. Mabillonius, sane vir sapiens, & doctrina clarus, negat, S. Benedicto, aut Venerabili Bedæ Rosarium acceptum referri posse: eorum enim ætate ne in usu quidem erat Salutatio Angelica. Nam Odo Parisiensis Episcopus Decretum edidit anno 1195. in quo ad Symbolum, & Orationem Dominicam addidit Salutationem Angelicam. *Exhortentur Populum sæpe Presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem B. Virginis.* In veteri Codice, quem edidit Romæ Venerabilis Cardinalis Thomasius anno 1680. in scrutinio Catechumenorum non nisi de Symbolo, & Oratione Dominica fit mentio pag. 54. 58. 445. & 452. quapropter Mabillonius in Præfat. ad secul. 5. Benedictinum nu. 125. diffiteri non potest, Rosarium falso existimari vel S. Benedicti, vel Bedæ inventum: quod ostendit etiam Natalis Alexander, & Graveſonius, quos adduximus loc. cit. de Canonizat. Sanctor. num. 11. quibus addi potest Monelia in allata Dissertat. cap. 2. num. 6. ubi recte ostendit, nihil propterea quicquam detrahi ex B. Mariæ cultu, de quo a Christianæ Religionis usque primordiis certissima suppetunt argumenta, quique post damnatum Nestorium sæculo 5. & Iconomachos seculo 8. auctus est *in die magis, plurimis in ejus honorem Templis excitatis, hymnis, & precationibus in Ecclesiam invectis, frequentique ejus invocatione introducta.*

Opinio quædam expenditur a Mabillonio de instituto a Petro Eremita Rosario.

7. Idem Mabillonius in cit. Præfat. seculi 5. num. 127. opinionem eorum expendit, qui Petro Eremitæ Rosarium tribuunt; & præterquam quod de eo homine ait non liquere, quis qualisve fuerit, eum quibusdam affirmantibus Monachum fuisse Benedictinum, aliis Eremitam illum fuisse, qui Urbano II. Pontifice tantum studii & operæ contulit ad bellum sacrum suscipiendum, ut videre licet apud Theoph. Raynaud. tom. 7. de Diptychis Marian. pag. 231. monet, hanc opinionem a Polydoro Virgilio excitatam esse lib. 5. de Inventoribus rerum cap. 9. ac in eo Virgilium errore deceptum: Erimannum quidem seculo 12. in suo libro *de Restauratione Monasterii S. Martini Tornacensis* edito a Dacherio Spicileg. tom. 12. pag. 414. & 415. visionem Eremitæ cujusdam tradere, qui sibi videre visus est Theodoricum in judicium ante Deum trahi, quod in bello gesto cum Balduino Comite Monachos aliquos igne necasset; pro eo B. Virginem interceſſisse precibus uxoris ejus Adæ commotam, quæ quotidie sexaginta Salutationes Angelicas recitaverat, ac ex eo tempore hunc precandi ritum apud *Fideles* percrebuisse: negat tamen Mabillonius, potuisse Polydorum inde affirmare, hunc Eremitam fuisse Petrum illum, quem supra memoravimus, ac sexagenas illas Salutationes Angelicas idem esse ac Rosarium. Quod vero attinet ad B. Alanum de Rupe, illum quidem Rosarii auctorem vel ex eo constat non fuis-

fuisse, quod in Opere suo cap. 8. Rosarii antiquitatem inculcat; ut propterea non nisi ejus instaurator ac promotor videatur, quod observat etiam Trithemius de Scriptoribus Ecclesiast. Verbo *Alanus*, & Sixtus Senensis in Biblioth. Sancta itidem verbo *Alanus*, & Nos quoque advertimus lib. 4. de Canonizat. part. 2. cap. 10. num. 11.

Mos recensendi ad globulos Salutationes Angelicas S. Dominico vetustior, ut etiam earum iteratio. Sed certus numerus, & interea contemplatio Mysteriorum Christi est Rosarium S. Dominico tribuendum.

8. Plura in Rosario considerari possunt. Primum est pia consuetudo recensendi ad globulos Salutationes Angelicas, ut earum ratio constet, quæ S. Dominico antiquior est: testatur enim Sozomenus in Histor. Ecclesiast. & Palladius in Historia Lausiaca, veteres Eremitas ad eundem modum precum suarum rationem supputasse, quod ipsi nos etiam observavimus citat. cap. 10. num. 11. Facit in rem nostram Canon decimus Concilii Celichytensis in Anglia anno 816. habiti, in quo circa Episcoporum exequias statutum est, *ut singuli servorum Dei diem jejunent, & triginta diebus Canonicis horis expletis Synaxeos, & septem Beltidum Pater noster pro eo cantetur*; ut videre est in Collect. Labb. tom. 7. pag. 1489. *Beltis* a Saxonica voce *Belt* derivatur, & cingulum significat, aut quid simile, supputandis precibus adhibitum, ut observat Henricus Spelmannus apud du Cangium in *Glossario mediæ, & infimæ Latinitatis* in verbo *Beltis*. Considerari præterea potest in Rosario earundem precum iteratio; atque hæc itidem est S. Dominici ætate antiquior, quod colligitur ex iis, quæ de Ada Theodorici uxore attulimus, & ex Cæsario Monacho Cistercienſi, qui 12. seculo narrat inventum ritum quinquagenas recitandi Salutationes Angelicas, ut videre est Dist. 7. cap. 48. cum quo consentiunt alia monumenta, quæ profert Monelia cap. 2. num. 3. & sequen. Hæc omnia profecto Rosarii fuerunt quodammodo rudimenta. Verum cum Rosarium constet certo quodam Orationum Dominicalium & Salutationum Angelicarum numero, quibus recitandis inter ea quædam Redemptionis nostræ mysteria contemplamur; atque hujus precandi ritus & formulæ nullum ante S. Dominicum extet vestigium; quis jure S. Viro honorem detrahat ejusmodi piæ inventionis, rejiciatque piam, vetustam, constantemque Traditionem Venerabilis Ordinis Prædicatorum, quam in suis Constitutionibus probarunt Romani Pontifices, & in Lectionibus Breviarii, quæ ab universali leguntur Ecclesia, relatam voluerunt? cum præsertim non desint monumenta, quibus ostenditur, post S. Dominici obitum, nulla interjecta mora, in Ordine Prædicatorum ejusmodi precandi ritum esse propagatum. Circa dimidium seculi 14. Humbertus Delphinus, abdicato Principatu, Ordini Prædicatorum nomen dedit. In Parisiensis sui Ordinis templo corpus ejus sepultum est, ac in æneo ejus sepulcro exculpti sunt Fratres quidam Dominicani Rosarium manu gestantes. Vide Biblioth. P. Echard. tom. 1. pag. 352. & tom. 2. pag. 271. ubi monumenta simul congesta reperies, quæ in hanc rem mirifice faciunt. In Placentinæ Ecclesiæ historia tom. 2. in Regestum Privilegiorum num. 108. pag. 406. Petrus Campus inseruit Constitutionem Alexandri IV. ann. 1294. ideoque quatuor & triginta annis post S. Dominici obitum promulgatam, in qua Indulgentiam concedit Confraternitati Sanctissimi Rosarii in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Placentina. Quæ omnia Traditionem validius confirmant, ut Bailletus, vir alioqui intemperantioris ingenii, iniquum esse fateatur, gloriam ejusmodi S. Dominico detrahere, ad diem 15. Augusti §. 6. n. 33.

Vita S. Dominici

9. Hæc omnia jam diximus in Opere de Canonizat. Sanctor. aliique extulerunt, qui de Rosario scripsere, præsertim P. Monelia in citata Dissertatione, quibus modo Spinelli auctoritatem addimus Tract. de Maria Deipara cap. 39. num. 5. *Cæterum quidquid sit de Institutione iterandi Salutationem Angelicam per globos, certe peculiaris hæc orandi formula, quam Rosarium, sive Psalterium appellant, certo ac constituto numero, quo Oratio Dominica quindecies, & Salutatio Angelica instar Davidici Psalterii centies & quinquagies repetitur, a S. Dominico inclyto Ordinis Prædicatorum Patriarcha contra Albigenses hæreticos instituta est, atque in tres Salutationum Angelicarum quinquagenas tributa, in qua ad excitandam erga Christum, ejusque Genitricem pietatem quindecim sacra eorundem mysteria meditanda proponuntur.* Nuperrime S. Domini vitam Gallice scripsit multa cum laude Tauronius Ordinis Prædicatorum Parisiensibus typis anno 1739. editam, in cujus capite 14. agitur de Institutione Rosarii. Prodierat Ferrariæ ann. 1735. liber, quo veteres quædam continentur historiæ cujusdam Galvani Bragiæ Bononiensis, qui anno 1347. & cujusdam Augustini Anelli, qui anno 1430. scripserunt; & quod magni refert, cujusdam Luminosi de Aposa, qui fuit S. Dominici coævus. Quibus historiis proditum est, primum S. Dominicum Rosarium instituisse, eamque orandi formulam Bononiæ pro concione commendasse. Has historias cum eruditus Gallus legerit, magno triumphat gaudio. Verum, si auctores illi cujusmodi sint, noviſſet, ut ipsi novimus; nec clam illi fuisset, quosdam non ex Dominicana, sed ex alia sacra Familia supposititios illos auctores effinxisse, frustra adhuc monitos & provocatos, ut efferrent: profecto cæteris argumentis contentus, quæ & ipse affert, & cum iis consentiunt, quæ nos attulimus, ejusmodi apocryphis monumentis abstinuisset.

Gallice nuperrime edita Rosarium tribuit S. Dominico ex spuriis documentis.

De origine & progressu hujus Festivitatis.

10. De Sodalitatibus sub invocatione B. Mariæ Virginis Rosarii institutis, & de Indulgentiis ac spiritualibus gratiis, quas devote Rosarium recitantibus concessere Romani Pontifices, non est hujus nostri instituti sermonem habere. Ratio instituti nostri postulat, ut de origine & progressu Festivitatis Rosarii agamus, quæ in tota Ecclesia prima Octobris Dominica cum Officio & Missa propriis celebratur.

Victoria Navalis Christianorum ad Naupactum.

11. Septima Octobris die anni 1571. quæ fuit prima Dominica mensis, commissum est navale prælium ad Naupactum S. Pio V. Pontifice, qui eodem momento, quo Christianorum classis Turcarum classem prope deleverat, de nostrorum victoria divinitus monitus est; quod constat ex Processu ejus Beatificationis, & ipsi tradidimus in Compendio a nobis scripto ejus vitæ, virtutum, atque miraculorum, quod in calce Primi Tomi edidimus de Canonizatione Sanctorum.

S. Pius ob eam Victoriam jussit fieri commemorationem S. Mariæ de Victoria.

12. S. Pius V. jussit, quotannis S. Mariæ de Victoria commemorationem fieri, ut habetur in Martyrologio ad hunc diem: *Eodem die commemoratio S. Mariæ de Victoria, quam Pius V. Pontifex Maximus ob insignem victoriam a Christianis bello navali ejusdem Dei Genitricis auxilio hac ipsa die de Turcis reportatam quotannis fieri instituit.* Baronius autem in Notis hæc de ea victoria scribit: *Fidelium classis Sanctissimi Domini Nostri Pii V. Papæ, ac Catholici Hispaniarum Regis Philippi, nec non inclytæ Venetorum Reipublicæ fœdere coacta gloriosam, ac cunctis seculis memorabilem de Turcis Christiani nominis infensissimis hostibus ad Echinadas insulas, captis hostium triremibus centum & octoginta, cæteris dissipatis, victoriam reportavit.*

13. Ve-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Greg. XIII. primam Octobris Dominicam constituit celebrandæ festivitati Rosarii cum Officio sub ritu duplici majori in templis in quibus esset Altare sub invocatione Rosarii.

13. Verum Summus Pontifex Gregorius XIII., quod maxime memorabilis victoria parta nobis esset prima Octobris Dominica, cum piæ Sanctissimi Rosarii Sodalitates ex more institutoque suo processione incedentes Deum devote precarentur, ita ut pie existimari potuerit ejusmodi preces, intercedente B. Virgine Maria, ad eam victoriam plurimum contulisse: idcirco, ejus rei ut perpetua extaret memoria, utque Deo, ejusque Sanctissimæ Matri gratiæ, ut æquum est, agerentur, jussit deinceps solemnem prima Octobris Dominica Festivitatem peragi sub nomine Rosarii, & æque ac cæteræ Solemnitates celebrari, Officiumque B. Virginis novis Lectionibus auctum sub ritu duplici majori recitari, in iis tamen duntaxat templis, in quibus vel Cappella aliqua, vel Altare esset erectum sub invocatione B. Virginis Rosarii.

Clemens X. Officium recitari jussit per totam Hispaniam.

14. Datæ fuerunt Apostolicæ litteræ Calend. Aprilis 1573. quæ extant in Bullario Romano. Clemens X. Marianæ Hispaniarum Reginæ precibus permotus concessit, ut solemne Rosarii Festum per omnia Hispaniarum Regna, aliasque regiones Catholico Regi subjectas celebraretur, & Officium, & Missa reciitaretur ab iis, qui Horas Canonicas recitare tenentur, etiamsi nullum Sacellum, seu Cappella, aut Altare esset sub invocatione B. Virginis Rosarii, ut colligitur ex ejus litteris Apostolicis in forma Brevis sub die 26. Septembris 1671. idque Indultum S. Rituum Congregatio succedentibus annis ad varias regiones, Civitates, & Diœceses in Italia, & extra Italiam protulit.

Ab Innoc. XII. postulavit Leopoldus Imperator, ut Officium recitaretur in universa Ecclesia.

15. Sub Innocentio XII. Leopoldi Imperatoris nomine delatæ sunt preces S. Rituum Congregationi, ut ad universalem Ecclesiam Officium & Missa Rosarii propagaretur; sed rescriptum, quo piis Augusti Principis postulationibus satisfactum erat, Pontificis morte interceptum, antequam ad eum referretur, aut approbaretur, executione caruit.

Ab Clemente XI. tur tandem impetratum.

16. Qui Innocentio XII. successit Clemens XI. approbando Rescripto, diu multumque supersedit: sed die Dedicationis S. Mariæ ad Nives, cum Caroli VI. Imperatoris exercitus anno 1716. magnas Turcarum copias ad Temisvariam in Pannonia profligasset, quo tempore Confratres Sodalitatis Rosarii solemnem processionem peragebant, Deumque obsecrabant, ut, B. Virgine intercedente, Christiani nominis hostis frangeret impetus, cumque diebus, qui Processionem illam sunt consequuti, jussu ejus Pontificis Rosarii continuata esset devotio, & Octava Assumptionis Corcyra Turcarum obsidione liberata esset; propterea decretum illud 3. Octobris die anno 1716. Pontifex approbavit, mandavitque, ut in tota universali Ecclesia recitaretur Officium sub ritu duplici majori, & Missa propria celebraretur.

Novæ lectiones & propriæ a Bened. XIII. editæ.

17. Quod Decretum typis editum est in Bullario Clem. XI. pag. 574. Secundæ lectiones tum legebantur ex Sermone S. Augustini ad Rosarii solemnitatem accommodato; neque tamen in iis de Rosarii institutione ulla mentio. Quamobrem Benedicto XIII. Pontifice re mature discussa in S. Rituum Congregatione, in qua nos, qui tum temporis Promotoris Fidei munere fungebamur, nostro non defuimus officio, novæ lectiones secundi Nocturni editæ sunt, quibus docemur de institutione Rosarii, de ejus Festivitate, de Officio ab universali Ecclesia recitando; atque eæ sunt, quas in Ecclesia universa legere jubentur, quotquot tenentur Horas Canonicas recitare.

CAPUT XIII.

De Patrocinio Beatissimæ Virginis in tertia Dominica Novembris.

Officium Patrocinii B. V. & Festivitatem Benedict. XIII. injunxit Provinciis ditionis Ecclesiasticæ. Cui principio nititur hujus Festi institutio.

1. TErtia Novembris Dominica Beatissimæ Virginis Patrocinium celebratur. Officium hujus Festi jam concessum antea fuerat pro omnibus Provinciis Hispaniarum Regi subjectis, quod colligitur ex S. Rituum Congregationis Decreto die 6. Maji 1679. Id etiam aliis regionibus fuerat indultum. Benedictus autem XIII. omnibus Ecclesiasticæ ditionis Provinciis injunxit. Porro hæc Festivitas hoc Catholicorum principio nititur, Beatam scilicet Virginem in Cœlis pro nobis orare & intercedere; quæ quidem intercessio nullam Jesu Christo facit injuriam; etsi enim ille magnus est inter Deum mediator & homines, tamen cum B. Virgo pro nobis orat, ejus nomine postulat, nec nisi per ipsam quicquam impetrat; atque Mariæ intercessio vim habet maximam, validioremque, quam sit omnium Sanctorum. Rem hanc Theologice tractat Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 2. quæst. 37. art. 4. disp. 23. sect. 3. ubi hæc leguntur in fine notatu dignissima: *Quin potius si vera sunt, quæ de charitate & gratia Beatæ Virginis in superioribus docuimus, existimo a Beata Virgine in hac potestate & efficacia non solum Sanctos singulos, sed omnem etiam cœlestem Curiam superari. Itaque si cogitatione fingamus, B. Virginem aliquid postulare, totamque Curiam cœlestem illi resistere (sicut apud Danielem unus Angelus alteri resistebat) potentior esset majorisque efficaciæ & valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum Sanctorum omnium oratio. Et ita quidem sentiunt Sancti Patres paulo ante citati; estque dignitati matris maxime consentaneum, & perfectissimæ gratiæ charitatis B. Virginis quodammodo debitum; & ideo Ecclesia & frequentius, & altiori quodam modo orat ad Virginem, quam ad reliquos Sanctos.* Idem Theologus sequenti sectione 3. probat, B. Mariam esse mediatricem apud Mediatorem, per quam, tamquam per collum, a capite omnia in corpus defluunt: ex quo infert, nos apud Sanctum non uti alterius Sancti intercessione; Sancti enim omnes ejusdem sunt ordinis; sed alios tamen Sanctos adhibere intercessores apud B. Virginem, tanquam Reginam & Dominam, Salutationem Angelicam ipsis recitantes, ut eam pro nobis B. Virgini repræsentent; præterea ad hujus vel illius Sancti peculiarem intercessionem nos confugere pro obtinendo hoc vel illo beneficio; Beatæ Virginis tamen pro rebus omnibus sine ullo discrimine opem implorare. D. Thomas in cap. 8. Epist. ad Romanos lect. 5. docet, Deiparam uberiori gratia fuisse præditam; quam quæ cæteris Sanctis obtigerit. *Unicuique* (Deus) *dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur. Sicut homini Christo data est excellentissima gratia; quia ad hoc est electus, ut ejus natura in unitatem personæ divinæ assumeretur, & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ B. Maria, quæ ad hoc est electa, ut esset Mater Christi.* Idem S. Doctor. 3. par. quæst. 25. art. 5. docet, Deiparam non solum eo quo cæteri Sancti, sed præstantiori quodam cultu colendam, qui dicitur Hyperduliæ, quo neque Sanctos, neque Angelos veneramur. Nam B. Virgo Sanctos omnes Sanctitate superavit, nec quisquam Deipara humilitate fuit Deo subjectior, nec amore conjunctior, nec cultui divino obsequentior.

Quæ vis & potestas

2. Si quis Patrum auctoritates cognoscere cupiat

Intercessionis B. Mariæ. S. Petri Damiani locus a calumniis hæreticorum vindicatus.

piat de potentissima B. Mariæ intercessione, adeat Suarez locis citatis, & Spinellum tract. de Maria Deipara cap. 30. Si cui vero cupido sit cognoscendi etiam apologias, quas nostri Controversiarum Theologicarum Scriptores ediderunt de Laudibus, quæ a nobis in B. Virginem conferuntur adversus Hæreticorum sophismata, evolvat Valentiam Tract. de rebus Fidei hoc tempore controversis lib. 5. de Idololatria cap. 14. & Card. Gotti de vera Christi Ecclesia tom. 1. cap. 9. §. 8. n. 79. & seq. & tom. 2. part. 2. art. 14. §. 5. n. 32. & seq. Locus est ab hæreticis acerrime vexatus apud S. Petrum Damiani serm. 1. de Nativitate S. Mariæ. *Fecit tibi magna qui potens est; & data est tibi omnis potestas in Cœlo & in Terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis susceptit originem? Accedis enim ad illud aureum reconciliationis Altare non solum rogans, sed etiam imperans, Domina, non ancilla.* Quæ postrema verba calumniis impetunt hæretici, quasi significent B. Virginem imperare Filio suo, ut ea faciat, quæ postulamus. Sed nemo Christianus est, qui ad hunc modum oret; quamquam si quis intercessionem Mariæ velit magnificare, nihil vetat quin in verbis paullulum excedat modum. Nam etiam Josue cap. 10. legitur per exaggerationem scriptum, *obediente Deo voci hominis*. Vide Petrum Canisium de Maria Deipara lib. 5. cap. 10. Joannes Episcopus Castorienſis in Tract. de Sanctorum & præcipue Beatissimæ Virginis Mariæ cultu Tract. 3. §. 65. quam supra exposuimus verborum S. Petri Damiani interpretationem probat. Aliam etiam ipse proponit, ut verba illa Damiani: *Accedis enim ad illud aureum humanæ reconciliationis Altare*, de humana natura Filii intelligenda sint: illa autem: *Non solum rogans, sed etiam imperans, Domina, non ancilla*, non ita sint accipienda, quasi dicat, Mariam Filio dominari aut imperare; sed cæteris imperare creaturis. Calvinus Catholicis exprobrat, quod a Deipara petamus, ut jubeat, Filium nobis dare, quæ postulemus: *Roga Patrem, jube Natum*, Quam calumniam repellit Bellarminus tom. 2. Controver. lib. 1. de Sanctor. Beatit. cap. 1. *At quis* (inquit) *nostrum hoc dicit? Cur non probat* (Calvinus) *ullo exemplo?* Sed Rivetus auctor heterodoxus, cum Cornelio de Snechis, Jacobo de Voragine, Pelbarto, Costero, & Quirino de Salazar probari eam precandi formulam reperisset, ita Bellarmino insultare ausus est. *An potuit jure Bellarminus exclamare:* At quis nostrum hoc dicit? *En, Bellarmine, præter alios duo ex sodalitio tuo non ignobiles.* Verum Bellarmini causam defendendam suscepit idem Castorienſis Episcopus eod. Tract. 3. §. 63. & 66. Vera enim Bellarminum dixisse contendit; nam & illorum auctorum quidam adeo obscuri sunt nominis, *ut quod ab illis solummodo scriptum, a nullis scriptum dici possit, & merito ignoraverit Bellarminus legendis celebriorum Auctorum scriptis occupatus*; & ex iisdem nonnulli, præsertim Costerus, & Salazar, scripserunt post Bellarminum. *Quia cum hoc scriberet Bellarminus, necdum scripserat Quirinus de Salazar, & forte necdum scripserat Costerus, quod illum Rivetus dicit scripsisse.*

Modus rite precandi B. Mariam.

3. Quo autem modo rite recteque B. Virginem deprecemur, & ad ejus confugiamus Patrocinium, vetus Ecclesiæ docet Oratio, ex D. Augustino sumpta; *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem*; ea etiam oratio secreta in Missa de Vigilia Assumptionis: *Munera nostra, Domine, apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet Oratio, quam idcirco de præsenti seculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat*; & celebre Canticum *Salve Regina*, ubi dicitur: *Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; & Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*; Quæ Oratio a quibusdam Petro Archiepiscopo Compostellano, qui seculo vixit 10. tribuitur, juxta ea quæ leguntur apud Mabillonium tom. 4. Annal. Benedict. ad ann. 986. pag. 38. *Petrus Episcopus Compostellanus cognomento de Moson, qui ante Episcopatum Monasterii S. Petri ante Altaria in eadem Urbe Abbas extiterat. Hic piam Antiphonam de B. Virgine, nempe Salve Regina, composuisse dicitur*: quod etiam antea tradiderat Durandus in Rationali lib. 4. cap. 22. Alii auctorem hujus Antiphonæ putant esse B. Hermannum Contractum Monachum Benedictinum, qui seculo undecimo, etsi litterarum expers, intercedente B. Virgine, tam floruit doctrina, ut ætate sua sibi parem habuerit neminem. Igitur Canticum *Salve Regina* cum composuisset, & jam in Ecclesiis caneretur, forte S. Bernardus tum temporis Apostolicus in Germania Legatus a Spirensibus Clericis illud audivit, atque ea statim verba addidit: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*; ut habetur in Chronico Spirensi Guillelmi Einsengeri lib. 12. ad annum 1147. & quemadmodum observavit Card. Bona de Divina Psalmodia cap. 16. §. 20. in fine, Theophilus Raynaudus tom. 7. in Diptychis Marianis pag. 231. Pagius tom. 3. de vitis Romanorum Pontificum, in vita Gregorii IX. §. 44. Macrius Vocabul. Ecclesiast. verbo *Salve Regina*, Venerabilis Petrus Canisius lib. 5. cap. 13. de Maria Deipara Virg. ubi insuper magna eruditionis copia ab hæreticorum maledictis illud Canticum vindicat.

CAPUT XIV.

De Festo Præsentationis Beatæ Virginis die 21. Novembris.

Festivitas hæc est Præsentationis B. Mariæ in Templo, non Christi Jesu.

1. VIgesima prima die Novembris celebratur Festivitas Præsentationis B. Virginis, qua mysterium recolimus non quidem illud, cum B. Mater suum Filium præsentavit in Templo, sed cum ipsa a suis Parentibus præsentata est; quamquam in vetustis quibusdam Ecclesiasticis monumentis ea appellatur Solemnitas Præsentationis, in qua B. Virgo Filium suum præsentavit in Templo, & tradidit Simeoni, ut videre est apud Baronium in Not. ad Martyrologium die 21. Novembris.

De Præsentatione B. Mariæ quid vulgo traditum sit.

2. Si quæ vulgo sunt scripta, huc ferre libeat, B. Virgo triennis præsentata fuit in Templo, ubi vitam egit usque ad ætatem nubendo idoneam, quo tempore Angelorum opera cibo recreata est. Vide Canisium da Deipara Virgine lib. 1. cap. 12. Spinellum in Tractatu de Deipara cap. 8. Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. disp. 7. quæst. 29. idque etiam refert Catechismus Burgensis in Festis diei 21. Novembris pag. 718. Edir. Parisien. ann. 1703.

Euodii fragmentum dubiæ fidei. Cæteri Scriptores, qui admi-

3. De B. Virginis Præsentatione locus est Euodii Antiocheni Episcopi, qui Apostolis supparfuit, apud Nicephorum Histor. lib. 2. cap. 3. *Trimula cum esset in Templum præsentata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos undecim. Deinde*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rabilia illa traduntde Præsentatione, non ita vetusti.

Triennem præsentatam in Templo habet vetus Collecta Missæ; quod expunctum a Sixto V.

de vero Sacerdotum manibus Joseph ad custodiam est tradita: apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo lætum illud accepit nuntium. Peperit autem hujus mundi lucem, annum agens quintumdecimum, vigesima quinta die mensis Decembris. Cui subscribunt S. Gregorius Nissenus, Joannes Damascenus, Germanus Constantinopolitanus Episcopus, Andreas Cretensis, & Georgius Nicomediensis Episcopus, quos refert Baronius in Apparatu ad Annal. num. 47. & 48. Verum cum illud Euodii fragmentum hodie ab Eruditis Viris tanquam apocryphum, & a quibusdam Græcis adjectum explodatur, & nec ita sint vetusti Scriptores, quos memoravimus; quidam propterea libere negant fidem esse adjungendam rei, de qua veteres Patres & Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores nihil omnino tradiderint, ut animadvertit Natalis Alexander Hist. Eccl. seculo 1. cap. 1. art. 3. Et multo antea observaverat Casaubonus in Prolegomenis ad Annales Baronii pagin. 99. & sequen. & post utrumque, eadem de re scripsit Joannes Andreas Schmidius Prolus. Mariana 1. Amstelod. edita anno 1712. in tom. 76. Miscellaneorum Bibliothecæ Card. Passionei: præsertim vero quod quæ in hac Festivitate quondam legebatur Oratio, *Deus, qui Sanctam tuam Genitricem Templum S. Spiritus post triennium in Templo præsentari voluisti*, eam Sixtus V. sustulerit, eamque ita legi jusserit: *Deus, qui B. Mariam semper Virginem Spiritus Sancti habitaculum hodierna die in Templo præsentari voluisti, præsta, quæsumus, ut ejus intercessione in Templo gloriæ tuæ præsentari mereamur*; ut videre licet apud Gravesonum de Myster. & annis Christi Dissertat. 1. §. 1.

Præsentatam esse non dubitandum. Cætera, quæ traduntur de ea re, omnino incerta.

4. Ut igitur ab incertis certa secernamus, negamus de Præsentatione dubitari quicquam posse. Ea vero quæ veluti ejus adjuncta a nonnullis narrantur, fatemur multas rationes suppetere quamobrem in dubium revocentur. Consulendus Gottus tom. 4. par. 1. de veritate Relig. Chr. cap. 3. §. 4. & 5. ubi postquam omnem hanc rem accurate pertractavit, concludit, nullam excitandam de Præsentatione controversiam; de tempore autem, quo in Templum adducta sit, quomodo ibi educata, cui præsentata fuerit, de his omnibus nihil nos habere exploratum. *Quare cum ex his nihil inveniam ab Ecclesia Latina adoptatum, hanc* (Præsentationem) *ut certam teneo; de aliis nec adfirmo, nec nego.* Et Gravesonus in prævia declaratione ad Tractatum de Myster. & ann. Chr. *Quocirca constanter sustineo, B. Virginem fuisse præsentatam in Templo, sed quoto ætatis suæ anno fuerit præsentata pronunciare non audeo, quia, ut candide fatear, nihil super hac re ex sacris litteris, ex Traditione, ex antiquis probatæ fidei monumentis compertum & exploratum habeo.* Quæ de ætate B. Mariæ, cum præsentata fuit in Templo, quæque, dum ibi educaretur, sane admiranda contigisse Scriptores prodiderunt, ea omnia suscepit defendenda Maggiolus lib. 1. cap. 8. & 9. Sed optimo sane consilio Præsentationem tantummodo tuetur, reliqua vero non item Franciscus Hieronymus Saxius de Laudibus Mariæ part. 1. pag. 52.

Jussi sunt Judæi masculos, non fœminas præsentare in Templo. B. Virgo non ulla jubente lege præsentata fuit.

5. Nuperrime sub Clemente XII. Doctus quidam ex Ordine Prædicatorum vir dignitate conspicuus eruditam edidit Dissertationem de quæstione immaculatæ Conceptionis B. Virginis, an scilicet liceret eam tamquam articulum Fidei definire. In ea Dissertatione Auctor Mysterium attingit Præsentationis B. Virginis, & si quidem præceptum & consuetudo legis præsentandi in Templo masculos primogenitos, etiam fœminas primogenitas esset complexa, ait hoc fulciri potuisse fundamento hanc Festivitatem, quæ rectius tamen diceretur Festivitas *Purificationis S. Annæ* Matris B. Virginis Deiparæ; eadem plane ratione, qua præsentatio Jesu Christi ad Templum *Purificatio B. Virginis* appellatur: quoniam vero lex, quæ primogenitos jubebat offerri ad masculos tantum pertinebat, illud inde arguit auctor, cum B. Virgo præsentata fuerit, non ex ulla lege, qua Parentes ejus tenerentur, sed ultronea quadam devotione, ut sancte educaretur in Templo, idcirco hanc dicendam esse Festivitatem *Præsentationis B. Virginis*, licet Præsentationis circumstantiæ sint prorsus incertæ.

B. Maria præsentata in Templo, ut sancte ibi educaretur. Exempla similia in veteri Testamento.

6. Suarez loco citato ait, nulla quidem lege fœminas offerri debuisse, nihilominus licuisse eas offerri. *Quamquam vero lex de offerendis primogenitis ad offerendas filias non obligaret, poterant tamen parentes voluntarie eas offerre, ac divino muneri consecrare.* Bailletus in histor. hujus diei existimat, ab Ecclesia Solemnitatem hanc institutam, ut honor habeatur innocentiæ morum, quæ inter infantiam & Annuntiationem in B. Virgine enituit. Nos vero, qui ne tantillum quidem a communi Ecclesiæ sententia recedere volumus, dicimus, B. Virginem in Templo præsentatam esse, ut ibi bene educaretur; quod in veteri Testamento non est inauditum aut novum. Nam lib. 4. Regum cap. 11. Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, ut a furore Athaliæ surriperet Joas Ochoziæ filium, *abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur*, secumque sex annos habuit in Templo. *Eratque cum ea sex annis clam in Domo Domini*: quod rursus narratur in lib. 2. Paralipom. cap. 22. ut egregie advertit Tillemontius Nota 6. ad vitam B. Virginis.

Celebrabatur olim hæc Festivitas in Oriente cum Officio. In Occidentali Ecclesia Officium Avenione summo Pontifici exhibitum. Initium Festivitatis refertur ad annum 1374.

7. Vetus est in Ecclesia Orientali hæc Festivitas, quæ quondam etiam Officium ejus celebrabat: nam in Constitutione Emmanuelis Imperatoris, qui regnare cœpit anno 1143. apud Balsamonem in Nomo-Canone Photii tit. 7. cap. 1. inter alias Festivitates etiam Præsentationis Solemnitas numeratur. Quod vero ad Occidentalem Ecclesiam attinet, Officium hujus Festi Avenione Romano Pontifici exhibuit Philippus Mazerius Regis Cypri apud S. Sedem Orator. Quod Officium diligenti examine fuit excussum, decretumque, ut hæc toto Occidente celebritas ageretur, cujus initium refertur ad annum 1374. Id ex litteris colligitur Caroli V. Francorum Regis ad Magistros & Scholares Universitatis Navarræ die 10. Novembris ejusdem anni, quibus Rex Festivitatis hujus narrat institutionem, omnesque ad eam quotannis celebrandam cohortatur 21. die Novembris. Eas litteras edidit Launojus in hist. Regiæ Scholæ Navarræ par. 1. cap. 10. pag. 78. Quæ hactenus diximus confirmat Baronius in Not. ad Martyrol. Martene de antiqua Ecclesiæ Disciplina in Div. celebran. Offic. cap. 34. num. 42. Tillemont. Nota 6. ad Vit. B. Virginis, Thomassinus in Tractatu de celebrat. Festor. lib. 2. cap. 20. num. 7. Galesinius in Notis ad Martyrologium ad diem 20. Novembris, Azorius Inst. Moral. par. 2. lib. 1. cap. 22. & Spinellus Tractatu de Festis & Templis B. Virginis num. 4. pag. 678.

Gregorius XI. coram se hanc Festivitatem celebrari jussit, quo morte præreptο, fortasse non ubi-

8. Universalem tum temporis gubernabat Ecclesiam Gregorius XI. de quo ita scribunt Continuatores Bollandiani tom. 8. Maji pag. 110. *Egregia Pontificis hujus erga Deiparam devotio probavit sese, quando ad instantiam Philippi de Mazeriis Cancellarii Cypri, post maturam totius negotii discussionem, præcepit Festum & Officium Præsentationis, quod coram se fecit celebrari.* Gregorio

que percrebuit. Pius II. Saxoniæ istante Duce, & Paulus II. eam celebrari jussérunt. Sublatam a Pio V. Sixtus V. restituit.

rio XI. Romam reverso, ineunte anno 1377. suspicatur Bailletus, non ubique fortasse hanc Festivitatem illico celebrari cœptam. Eam postea Pius II. & Paulus II. variis Indulgentiis locupletarunt, teste Molano in Martyrologio Usuardi aucto: *Hierosolymis Præsentatio Beatæ Genitricis Dei Mariæ, quam Pius & Paulus Pontifices Romani cum Indulgentiis instituerunt.* Idem in historia Lombardica cap. 84. narratur enucleatius, Ex ea enim compertum habemus, Guillelmum Saxoniæ Ducem a Pio II. Pontifice postulasse, ut quæ in Ditionis suæ locis ex devotione peragebatur Præsentationis Festivitas, Apostolica deinceps auctoritate celebraretur; quod cum impetrasset, Pius morte præreptus decretum condere non potuit. Illud edidit Paulus II. qui aliquot etiam Indulgentias iis concessit, qui 21. die Novembris in honorem Præsentationis Deiparæ in Ecclesia Divinis adessent Officiis. Pio V. Pontifice Solemnitas hæc, seu verius Officium, quod recitabatur, nonnihil oppugnatum est. *Etsi vero Ecclesia Romana, quam honoris causa nomino, festum hunc diem modo non celebrat, alios tamen cum privatim, tum publice celebrantes nec damnat, nec vituperat: quin multo etiam tempore jampridem celebravit, priusquam tandem Pio V. Pontifici maximo visum est Sanctorum ferias contrahere, minor ut illarum numerus majore cum fructu retineatur.* Sunt verba Ven. Canisii lib. 2. cap. 12. num. 96. de Maria Deipara Virgine. Re autem rursus novo subjecta examini sub Sixto V. cum considerasset Pontifex vetustatem hujus Festi in Ecclesia Orientali, & multo antea eandem Festivitatem in Occidentali celebratam fuisse, etiam hac aliis B. Virginis Solemnitatibus addidit anno 1585. *Aliis igitur celebritatibus perpetuæ Virgini, quæ ab æterno præparata, & Propheticis testificationibus prænuntiata, nondum tamen Mater Dei Angelo nuntiante fuerat effecta, a Catholica Ecclesia consecratis, ejusdem quoque, quæ Dei Templum futura erat, & Sacrarium Spiritus Sancti, in Templo Præsentationem ab antiquissimis usque temporibus summa ubique gentium cum veneratione observatam adscribi volumus, & sicubi intermissa est, restitui ac jugiter custodiri.* In Calendarium etiam referri, & in omnibus Ecclesiis Officium recitari jussit.

Restituta Ecclesiæ Festis hæc Solemnitas operaFranciscí Turriani Soc. Jesu.

9. Ea Sixti Constitutio, ex qua verba illa deprompsimus, septima est in Bullar. Rom. tom. 2. Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis tom. 7. suorum Operum punct. 3. num. 1. tradit, Franciscum Turrianum Societatis Jesu plurimum operæ contulisse, ut Festivitas Præsentationis restitueretur. Ribadeneyra de Scriptor. Societatis pag. 73. multa egregie a Turriano in hanc rem scripta commemorat. Turrianum Romæ obiisse testatur Nicolaus Antonius Biblioth. Hispanæ tom. 2. pag. 372. *ipso Præsentationis Virginis Deiparæ Festo, cujus antiquitate olim propugnata, restitui Ecclesiæ fastis, unde exulaverat, obtinuit.* Officium autem, quo nunc utimur, correctum & emendatum fuit sub Clemente VIII. Gavanto teste sect. 7. de Festis Sanctorum mensis Decembris cap. 13. num. 21.

CAPUT XV.

De Festo Conceptionis Beatæ Virginis die 8. Decembris.

Conceptio dupliciter accipitur: alia activa, alia passiva.

1. CConceptio dupliciter accipi potest; vel enim est activa, in qua Sancti B. Virginis parentes *opere maritali invicem convenientes præstiterunt ea, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, & dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam;* vel est passiva, cum rationalis anima cum corpore copulatur. *Ipsa animæ infusio & unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur Conceptio passiva, quæ scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur;* ut cum aliis Theologis ait Frassen in Scoto Academ. tom. 8. edit. Rom. 1720.

De Conceptione passiva hic agitur. Variæ Theologorum propositiones, quibus exprimitur B. Mariæ immaculata Conceptio. Hanc sententiam non exprimeret, qui eam sanctificatam diceret in utero. Apostolica Sedes festi immaculatæ Conceptionis,

2. Non hic de activa Conceptione sermo est, sed de passiva, quæ pura & immaculata fuisse dicitur. B. enim Virgo ab originali labe fuit immunis, & a communi omnium hominum contagione libera per gratiam sanctificantem, quam Deus illi indidit in primo Conceptionis momento, cum anima corpori jam membris suis instructo unita fuit. Quæ igitur leguntur propositiones apud Theologos, qui tractant hoc argumentum, omnes consentiunt: *Conceptio B. Virginis est immaculata;* vel *B. Virgo in eo puncto temporis, quo anima corpori unita est, ab originali peccato munda fuit & immunis;* vel *B. Virgo, præveniente gratia, numquam actu originali peccato subdita fuit;* vel *B. Virgo primo existentiæ suæ momento fuit sanctificante gratia prædita;* vel denique *B. Virgo ab originali peccato servata fuit.* At non satis Beatæ Mariæ immaculatam Conceptionem verbis significaret, qui eam, antequam prodiret ex utero, sanctificatam diceret; nam Hieremias, dum esset in utero matris, sanctificatus fuit. *Antequam exires de vulva sanctificavi te.* Hierem. cap. 1. & de Joanne Baptista scribit Lucas cap. 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ:* uterque tamen originalem labem contraxit. Itaque quicquid id est, in momento consistit, quo infunditur gratia. Qui igitur sententiam sequitur immaculatæ Conceptionis Mariæ, unam ex paullo superius allatis propositionibus adhibet ad eam sententiam declarandam: quæ propositiones non tantum eam significant in utero fuisse sanctificatam, sed etiam Gratiam illi sanctificantem in ipso momento fuisse infusam, cum corpori anima unita fuit, ita ut sanctissima fœmina a communi omnium originali labe fuerit immunis; in quam sententiam firmissimis sultam fundamentis propendet Apostolica Sedes, eamque vulgo fideles amplectuntur: quamobrem Petavius Theolog. Dogmat. lib. 14. cap. 2. num. 10. in eam se inclinare declarat: *Movet autem me, ut in eam sim partem propensior, communis maxime sensus Fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, alteque defixum habent, & quibus possunt indiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse: tum vero nihil cum Inferis & horum rectore Diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offensa & damnatione commune umquam fuisse.* Huic sententiæ favet Ecclesia, ut mox docebimus.

Adversus hanc Festivitatem exarsit S. Bernardus quod celebrari videret Apostolica Sede inconsulta.

3. In aliquibus Ecclesiis Immaculatæ Conceptionis Festivitas cum Officio celebrabatur; quam consuetudinem seu disciplinam cum Lugdunensis Ecclesia arripuisset, S. Bernardus zelo exarsit, ac celebrem illam scripsit epistolam 174. in qua Festum hujusmodi, tanquam novum, Patribus ignotum, & ab Ecclesiastico ritu alienum improbavit. *Unde miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum* (Canonicos Lugdunenses alloquitur) *voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam Ritus Ecclesiasticus nescit, non probat ratio, non commendat antiqua Traditio.* Argumentum hoc San-

Sanctus pertractavit Abbas, & a sententia immaculatæ Conceptionis visus est paullo alienior; se denique silvisse concludit, dum in particularibus quibusdam Ecclesiis eam vidit celebritatem peragi; sed tacere non potuisse diutius, postquam in Lugdunensem Ecclesiam Festum hoc introductum intellexerit, inconsulta Apostolica Sede, cujus judicio quidquid scripserit, se velle subjectum declaravit. *Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis Auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud Sapientes, atque in famosa, nobilique Ecclesia, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis: Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritate atque examini totum, sicut & cætera, quæ hujusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

Epistola illa S. Bernardi non est supposititia. Præcipuus illi scopus Sedis Apostolicæ auctoritas.

4. Quidam negant, S. Bernardi genuinam hanc esse epistolam; quam ei ne illi quidem abjudicant, qui sententiam tuentur de immaculata Conceptione. Quamobrem Theophilus Raynaudus in Diptychis Marian. tom. 7. suorum Operum pag. 48. Epistolæ stylo probe inspecto, ingenue fatetur, vel omnes Bernardi Epistolas tanquam suppositas explodendas, vel hanc ut ejus genuinum fœtum esse agnoscendam: *Nisi tamen omnes D. Bernardi epistolas ei abjudicare placeat, hanc, quæ omnium maxime Bernardum sapit, alteri tribuere tanquam germanum fœtum plane prohibemur.* Sunt etiam qui contendunt, S. Bernardum non de passiva, sed de activa Conceptione loqui, ut videre est apud Manrique in Annalibus ad ann. Christi 1136. cap. 4. At nullum interesse discrimen S. Bernardus agnoscit inter B. Virginem, & Sanctos Hieremiam, & Joannem Baptistam, quam quod ea uberiori gratia perfusa sit, hi non ita largiter eadem gratia donati fuerint. Itaque difficile est ejusmodi tueri interpretationem, ut optime animadvertit Mabillonius, in notis ad eandem epistolam. Quapropter concinnior responsio est, argumenta D. Bernardi ab aliis quamplurimis, qui hac de re scripserunt, satis esse eversa: præcipuum scopum, quo ille intenderit, fuisse auctoritatem Apostolicæ Sedis, qua inconsulta, invectam videret Festivitatem in Ecclesiam Lugdunensem: ac propterea si viveret, & ad immaculatam Conceptionem Sedem Apostolicam esse intelligeret propensiorem, ejusque auctoritate in tota Ecclesia hanc peragi celebritatem videret, Disciplinam hanc Romanæ Sedi tantopere probatam statim amplexurum, cujus judicio epistolam illam subjecerat. Vide Bellarm. tom. 2. Controvers. lib. 3. de Cultu Sanctorum cap. 16. & quæ ante eum scripsit Canisius de Maria Deipara Virg. lib. 1. cap. 7. pag. 72. ubi postquam retulit, D. Bernardum Apostolicæ Sedis judicio suos sensus subjecisse, ait: *Quid vero illum facturum fuisse putemus, si hoc nostro seculo vixisset, quo tot Ecclesiæ una cum Romana conjunctæ non solum in unam eandemque sententiam, sed etiam in dicti Festi celebrationem tanto consensu conspirant?* Idem plane scribit Cardinalis Sfondratus in Opere cui titulus, *Innocentia vindicata*, edito anno 1695. pag. 51. & sequen.

Festivitas celebrari cœpta, quin prius examinaretur quæstio de immaculata Conceptione. Scotus eam propugnavit. Officium approbatum a Sixto IV.

Festivitas celebrari cœpta, quin

5. Nihil autem obstitit D. Bernardi epistola, quin in multis Ecclesiis Conceptionis Mariæ Festum retineretur; nec quisquam fuit, qui examinandum susciperet, utrum ab originali peccato servata esset. Deinde vero ejus rei cognoscendæ studio cum omnes vulgo essent incensi, tota Ecclesia turbæ extitere gravissimæ. Scotus in lib. 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. n. 4. sententiam, quæ immaculatæ favet Conceptioni, proposuit; quam tamen affirmare non est ausus, sed rationes tantum diluit, quibus ea poterat oppugnari: cum enim dixisset, *quod Deus potuit facere, quod ipsa* (B. Virgo) *numquam fuisset in peccato originali, potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur:* subjicit: *quid autem horum trium, quæ offensa sunt possibilia, factum sit, Deus novit: si autem auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ*, idest ab originali peccato eam esse servatam. Cum autem postea strenue defenderit, immunem eam fuisse ab originali labe, ut colligitur ex dist. 18. n. 13. ubi ait: *Beata Virgo Mater Dei numquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset præservata*; cumque communi omnium plausu in publicis conventibus hanc sententiam egregie tutatus esset, præsertim in Universitatibus Parisiensi, & Colonensi, ut narrat Cavellus in Rosario sæculo 14. *Jussu* (inquit) *Summi Pontificis habita solemni disputatione coram Facultate Parisiensi, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, de immaculata Conceptione tanta ingenii subtilitate, tanta solutionum perspicuitate omnia adversa argumenta mira dexteritate confregit & refellit, suamque piam sententiam de Conceptione Mariana, ipsius Mariæ fretus auxilio, argumentorum pondere, tot tamque urgentibus rationibus comprobavit, quod celeberrimam illam Facultatem Matrem Universitatum in suam piam traxerit sententiam, quæ in glorificationem nomine Doctoris Subtilis ipsum condecoravit*; & confirmant Bosius de signis Ecclesiæ, Sannazarius cap. 42. sæculo 14. Bernardinus de Bustis in Officio immaculatæ Conceptionis, quod Sixtus IV. approbavit, aliique, quos refert Fraslen loc. cit. pag. 188. tum vero sententia de Conceptione immaculata B. Mariæ invaluit, & longe lateque diffusa est. Quapropter Vasquez in 3. part. disp. 117. cap. 2. ita scribit: *A tempore Scoti non solum apud omnes Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christifideles ita percrebuit, & cum hominum sæculis inveteravit, ut nullus jam ab ea deduci, & dimoveri possit.* Si cui vero cupido sit cognoscendi, quo tempore Scotus tantummodo contraria argumenta diluisse contentus fuerit, ac duntaxat ostenderit, id fieri potuisse, ut immaculatus esset Conceptus B. Virginis, quove, re penitus examinata, obfirmate immaculatam Conceptionem propugnaverit, adeat Cardinalem Pallavicinum Histor. Concil. Trident. lib. 7. cap. 7. num. 11. & 12.

Joan. de Montesono propositio adversus immaculatam Conceptionem ab Universitate Parisiensi confixa. Appellat ad Pontificem. Causa sua dissimili eventu labitur.

6. Scotus anno 1308. migravit è vita; anno autem 1387. cum Joannes de Montesono Doctor Theologus ex Ordine Prædicatorum in publicis Lectionibus quatuordecim Propositiones propugnasset, (eas videre licet in Appendice ad tom. 1. Operum Gersonis ultimæ edit. pag. 693. & 694.) quarum quædam erat, B. Virginem in originali labe esse conceptam, adversus eas Universitatis prodiit judicium, quod etiam Petrus de Ordeomonte Episcopus Parisiensis, & in hac re Judex Ordinarius confirmavit. Ad Clementem VII. cui quidam in Schismate Cardinales favebant, & aliquot Provinciæ, atque

Ave-

Avenio, ubi ille Sedem habebat, tamquam vero Pontifici obediebant, appellavit de Monteſono; atque eo ſe contulit, ut propoſitiones ſuas defenderet; ſed cauſa ſe caſurum proſpiciens judicium declinare maluit, atque Avenione elapſus eſt. Id vero cauſæ fuit, quamobrem tanquam contumaciæ reus haberetur, deſertuſque ab omnibus eſt, qui ejus partes ſequuti palinodiam publice recantarunt. Harum rerum ſeriem vide apud Spondanum ad ann. Chr. 1387. num. 12. in Hiſtor. Univerſit. Pariſien. Cæſaris Egaſſii Bulæi tom. 4. & in hiſtoria Gerſoniana ante Gerſonis Opera nuperrimæ editionis pag. 7. & apud Echard. tom. 1. de Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 691.

Tractatum de B. Mariæ Conceptione ſcripſit Turrecremata juſſu Concilii Baſileenſis. Ejus Decretum, quo ſtatuitur immaculata Conceptio.

7. Martino V. qui Baſileenſe Concilium indixit, vita functo anno 1431. ſucceſſit Eugenius IV. quo Pontifice anno 1. ejus Pontificatus Concilium celebrari cœptum. De immaculata B. Mariæ Conceptione acerrime tunc temporis Theologi digladiabantur; quamobrem Patres ejus Concilii ea de re in Synodo agi oportere arbitrati, ut ea qua par erat maturitate ſe gererent, Joanni de Turrecremata, qui tunc erat S. Palatii Apoſtolici Magiſter, mandarunt, ut quinam eſſet ſtatus controverſiæ ſcripto declararet, ſuumque ex animi ſententia, ſive pro veritate, ut vulgo dicitur, judicium ferret. Paruit Synodi mandatis Turrecremata. Sed omnis adempta fuit occaſio, qua, quod ille ſcripſerat, proponeretur Concilio, & examine expenderetur: nam Cardinalis S. Angeli Legatus Pontificis, qui Concilio præſidebat, dixit, Patres gravioribus curis eſſe diſtentos, ac proinde tum temporis non ita otio abundare, ut tantam rem poſſent diſcutere. Præterea cum graviſſimis impulſus cauſis Eugenius Ferrariam Generale Concilium tranſtuliſſet, Turrecremata majorem ſanioremque partem ſequutus Patrum Baſilea abiit: & quamquam ann. 1438. Ferrariæ Concilium, B. Nicolao Cardinale Albergato Præſidente, celebrari cœptum ſit, ii tamen qui pervicaciter Baſileæ remanſerant, ſeſſ. 36. anno 1439. habita ita decreverunt: *Doctrinam illam aſſerentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante Divini Numinis gratia ſingulari, numquam actualiter ſubjacuiſſe peccato originali, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare, ſeu docere.*

Cum illud Decretum editum fuit, jam non erat amplius illud Concilium legitimum. Sixti IV. Conjectura quamobrem Sixtus eas Conſtitutiones ediderit.

8. Quo tempore Decretum illud edidit Concilium Baſileenſe, non jam erat amplius legitimum, ſed ſchiſmaticum Conciliabulum; idcirco Sixtus IV. qui dum eſſet in minoribus, Tractatum pro immaculata Conceptione ſcripſerat, teſte Wadingo de Scriptoribus Ordinis Minorum, duas Conſtitutiones edidit, quin Decretum illud Baſileenſe commemoraret. Priorem Conſtitutionem promulgavit anno 1476. in qua Indulgentias aliquot conceſſit iis, qui in Feſto Conceptionis Miſſam & Officium a ſe approbatum recitaſſent, aut Horis Canonicis adfuiſſent; alteram edidit anno 1483. qua eos damnavit, qui auſi eſſent affirmare, eum lethaliter peccare, qui Feſtum illud celebraret, aut hæreticum eſſe, qui propugnaret, B. Virginem a peccato originali fuiſſe immunem, ut videre eſt in Extravag. Commun. tit. de Reliquiis & veneratione Sanctorum. Nec temere quis conjecerit, ad eam edendam Conſtitutionem ea cauſa fortaſſe Pontificem fuiſſe impulſum, quod Ferrariæ coram Hercule Eſtenſi Duce diſputationem publicam habuerit Vincentius de Brandelis De Caſtro novo Dertonenſis Diœceſis Ordinis Prædicatorum, in qua opinionem propugnavit Immaculatæ Conceptioni contrariam, ac typis impreſſum deinde edidit Tractatum *De ſingulari puritate & prærogativa Conceptionis Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti ex auctoritatibus ducentorum ſexaginta Doctorum clariſſimorum*, in quo conatur oſtendere, Deiparam non ſecus ac cæteros homines in originali peccato fuiſſe conceptam, ac nefas eſſe credere, aut veluti firmum in Concionibus ad populum aſſeverare, aut etiam eorum conciones audire, qui in peccato originali conceptam eſſe negarent. Officium etiam a Pontifice conceſſum ad examen revocat, eique ſententiam ſuam minime adverſari contendit, quam tamen ipſius Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ judicio ſe declarat ſubjicere. Diſputationem illam anno 1481. habitam, & Tractatum ipſius Fr. Vincentii de Brandelis commemorat Echardus initio tom. 2. de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum. Et Tractatus quidem, cujus Præfatione continetur tota illius diſputationis hiſtoria, typis editus eſt anno 1481. & ad idem exemplum adornata fuit altera editio ſine loco & tempore, quæ extat tom. 198. Miſcellaneorum Bibliothecæ Cardinalis Paſſionei.

Trithemius propugnator Immaculatæ Conceptionis fruſtra tragitatus. Ad eum defendendum plures Universitates exarſere. Decretum Universitatis Pariſienſis.

9. Si Baſileenſe Decretum Sixtus IV. ut æquum erat, eſt aſpernatus, illud tamen amplexata eſt Provincialis quædam Synodus Avenione habita anno 1457. itidemque Univerſitas Pariſienſis. Trithemius anno 1494. in Chronico Monaſterii ſui Commentarium ediderat de laudibus S. Annæ, ubi Immaculatam Mariæ Conceptionem propugnabat. Ea de re Religioſus quidam vir nomine Wigandus vehementi impetu illum adortus eſt; ſed fruſtra: nam Univerſitas Pariſienſis & Colonienſis, Carmelitarum Ordo, & Univerſa Fratrum Minorum Familia, plerique Cardinalium, complures Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Principes Viri, Clerus univerſus, & Viri docti e Germania Trithemium ab ejuſmodi accuſationibus vindicarunt, ut videre eſt apud Spondanum ad ann. Chr. 1494. n. 14. & in Continuat. Hiſt. Fleury Eccl. tom. 24. pag. 229. Paullo poſt Pariſienſ. quidam Theol. nomine Jo. Verus an. 1497. propalam prædicare auſus eſt, mundatam quidem fuiſſe B. Virginem, non tamen ab originali labe ſervatam. Ex quo cum grave ortum fuiſſet ſcandalum, ab Univerſitate Pariſien. ad publice revocandam propoſitionem illam adactus eſt, ut tradit Spondanus ad ann. 1497. num. 8. Ut autem omnes diſſenſiones tollerentur, eodem anno celebre Decretum Univerſitas illa edidit, ne quis deinceps Doctoris gradum conſequi poſſet, qui non eſſet in ea ſententia, quæ favet immaculatæ Conceptioni, ac ſolemni jurejurando ſe adſtringeret, eandem ſtrenue propugnaturum; ut videre licet in Hiſtor. Univerſit. Pariſien. tom. 5. pag. 815. apud Baillet. Hiſtor. Feſti Sanctiſſimæ Concept. Spondanum ad an. 1497. n. 8. Fleury tom. 24. pag. 336. Fraſſen tom. 8. pag. 227. Quo quidem Decreto ſuam obligavit fidem in tuenda ſententia de immaculata Mariæ Conceptione, contrariamque opinionem *falſam, impiam, & erroneam* judicavit, quæ ſunt Decreti verba; declaravitque quantopere Concilium Baſileenſe ſuſpiceret (cui ceteroqui Univerſitas illa aliis de cauſis adhærebat) cum & Concilium ipſum ſanctum dixit, & Decretum hoc cenſuit divinitus editum; ut cruitur ex eodem decreto.

10. Jam

10. Jam vero ad Historiam redeamus de Turrecremata scripto, qua nobis patet aditus ad alia Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Acta exponenda. Cum igitur anno 1439. Ferrariam irrepsisset pestilentia, Concilium Florentiam translatum est; in cujus actis nulla extat Turrecrematæ relatio, nullumque scriptum de Immaculata Virginis Conceptione. Consequutum est Lateranense Concilium celebrari cœptum ann. 1512. sub Julio II. & Leone X. in quo discutienda erat omnis de Mariæ Conceptione controversia. Etsi autem Leo Pontifex Cajetanum Cardinalem jusserit litteris mandare sententiam suam, & Cajetanus Pontificis mandata perfecerit, ut apparet in ejus Opusculo 1. tom. 2. nihil tamen actum in Concilio de hac controversia. Tridentinam indixit Synodum anno 1542. Paulus III. cumque rumor quidam erupisset, fore ut eadem controversia in Concilio proponeretur, Frater Bartholomæus Spina S. Palatii Apostolici Magister consentiente Pontifice, Turrecrematæ opus typis edidit, cui titulus: *Tractatus de veritate Conceptionis Sanctissimæ Virginis pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileæ anno 1427. mense Julio de mandato Sedis Apostolicæ Legatorum eidem Sacro Concilio Præsidentium compilatus per Fratrem Joannem de Turrecremata.*

Proposita controversia in Concilio Tridentino de Immaculata Conceptione. Decretum de peccato originali generatim omnes homines complectitur.

11. Narrat Cardinalis Pallavicinus Hist. Conc. Trident. lib. 7. cap. 3. num. 8. Cardinalem de Giaen, cum de peccato originali ageretur, proposuisse, ut hæc tandem de B. Mariæ Conceptione decideretur controversia: frigide id acceptum a Patribus, qui neque locum esse, neque otium suppetere existimarunt labori & tempori consumendo in iis, quæ ad Fidem Catholicam non pertinerent. Eodem lib. 7. cap. 7. acres exponit controversias inter Patres coortas ex Decreto de peccato Originali: Cardinalem Pacciecum sententiam dixisse, ut ad universalem propositionem, qua omnes homines originali peccato declararentur obnoxii, ea verba adderentur: *De B. Virgine declarat S. Synodus se nihil definire, etsi credit, eam sine originali labe esse conceptam.* Suffragiis initis, etsi plerique existimarent, B. Mariam sine ulla esse labe conceptam, tamen noluerunt contrariæ opinioni præjudicium ferre; itaque omnes Patres Episcopi Astoricensis probarunt sententiam, atque his verbis editum est Decretum: *Declarat tamen hæc ipsa S. Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Xysti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

Soave & Launojus Decretum illud impetere sunt ausi. Launoji mendacium.

12. Duo Decretum illud Scriptores obtrectarunt; quorum unus Soave in Hist. Conc. Trid. cujus maledicta refellit Cardinalis Pallavicinus loco citato. Alter est Joannes Launojus in Præscriptionibus de Conceptu B. Mariæ Virginis, qui aliam, quam quæ a Soave inita est, viam ingreditur. Nam Soave Decretum amplectitur, sed temere & improbe venenatis notis illud depravat. Launojus vero affirmare est ausus, eam Decreti partem, quæ loquitur de B. Maria, non a Patribus Concilii compositam, sed in editione Concilii anni 1564. esse additam; eam enim deesse in editionibus anni 1546. 1551. 1555. Verum ea additio extat in Actis Concilii autographis, quæ Romæ servantur, & in exemplaribus jam editis, & a Massarello Concilii Secretario recognitis. Extat itidem in editionibus Concilii, quæ præcessere annum 1564. & Sotus magni Theologus nominis, qui Concilio adfuit, eam commemorat in Commentar. ad Epist. ad Romanos Antuerpiæ edito anno 1550. hoc est paullo post Sessionem quintam Tridentinæ Synodi habitam die 17. Junii an. 1546. Præterea celebris Theologus Catharinus in Tractatu de Immaculato Conceptu Romæ edito anno 1551. scribit, eam Decreti partem, qua B. Maria excipitur, summa omnium consensione & plausu esse exceptam, seque Sessioni illi adfuisse. Quapropter quisque fateatur necesse est, vel ipse qui Tractatum illum notis, & omnia ejus auctoris opera generali Præfatione auxit, Launojum impudentissime turpissimeque mentitum. Vide Natalem Alexandrum Histor. Eccles. sec. 2. Dissert. 16. num. 21. §. *Distinguo etiam secundam partem.* Integrum vero Launoji Opus egregie confutatum fuit in libro quodam anno 1700. edito, cujus titulus: *Refutatio libri editi anno 1676. sub nomine de Conceptione Deiparæ.*

13. Neque tamen Tridentino illo Decreto sublata fuit controversia, quæ Maldonato duce subinde recruduit: novæ enim in Parisiensi Universitate dissensiones exarsere adversus ea, quæ eadem Universitas antea decreverat, præsertim adversus jusjurandum, quo se obstringere oporteret eum, qui ad Doctoris gradum promovendus esset, ut videre est in Præfatione Operum Maldonati edit. Parisien. anni 1677. & in Historia Conceptionis Beatissimæ Virginis edita anno 1696. a Friderico quodam Ulrico Calisto heterodoxo num. 209. & sequen. pag. 237. ubi tamen venenatos animi sui sensus in Patres Societatis, & Sorbonicos evomit. Conqueritur S. Pius V. in Constitutione 114. in Bullario Romano anno 1570. edita, magno Fidelium scandalo de utraque sententia propalam disceptari; a Sacris Oratoribus in Concione alterutram opinionem populo proponi; plurimos ne illud quidem bene nosse, quinam tandem esset status controversiæ; id in Auditorum animis mala parere quamplurima. Itaque graves in eum statuit pœnas, qui in Concionibus, vel in publicis virorum, & fœminarum conventibus alterutram opinionem auderet attingere; viris tamen doctis de hac controversia potestatem disceptandi fecit in publicis disputationibus, ubi & viri adessent qui rem totam intelligerent, & abesset scandalum. Vetuit tamen, ne quis in ea re, quam nondum Apostolica Sedes definierit, alterutram sententiam auderet notare tanquam erroneam.

S. Pii V. Sanctio adversus eos, qui in Concionibus ad populum alterutram sententiam attingerent. Deinde viris ea Constitutio concedit de hac controversia disputare, modo neutri sententiæ erroris notam inurant.

14. In eadem Constitutione Bullas Sixti IV. & Tridentinum Decretum confirmavit. Idem Decretum, & Sixtinas, & Pianam Constitutiones itidem confirmavit anno 1616. Paulus V. Constit. 96. in Bullar. Rom. qua adversus eos, qui parere detrectaverint, alias addidit pœnas. Anno autem insequenti 1617. postquam narravit graves in populo fidelium coortas ex eo dissensiones, quod in publicis Concionibus, Lectionibus, & Thesibus auditum esset, B. Virginem in Originali peccato fuisse conceptam, Decreto suo vetuit, ne deinceps in Concionibus, Lectionibus, & Thesibus, aut aliis quibuslibet id genus actis affirmare auderet, B. Virginem in Originali peccato conceptam; verum eam declarationem Decreto addidit: *Per hujusmodi provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in iisdem statu & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præter quam quoad dispositta:* ut est in ejus Constitut. 105.

In Constitutionibus confirmata Bullæ Sixti IV. & Decretum Tridentinum. Ea omnia nova Constitutione Paulus V. confirmavit. Eiusdem Pontificis Decretum.

15. Tria deinde in Constitut. 29. anno 1622. statuit Gregorius XV. quæ priores Constitutiones non attigerant. Primum est, qui in publi-

Constitutio Gregorii XV. tria complecti-

cis

tur, quæ priores Bullæ & Decreta non attigerant. Constitutio alia Alexandri VII. Frustra Hispaniarum Reges petunt a Pontifice, ut dirimatur controversia.

cis Actis sustineret, B. Virginem sine peccato originali fuisse conceptam, ne contrariam impugnaret sententiam, sed de ea prorsus sileret: Alterum, ut novis exortis contentionibus & discordiis in Christiano populo, quod in privatis conventibus propugnata fuisset opinio immaculatæ Conceptioni adversa, nemini deinceps ne in privatis quidem actis liceret eam opinionem defendere; iis duntaxat exceptis, quibus Sedes Apostolica id permisisset; permisit autem Fratribus Ordinis Prædicatorum, modo privatim tantummodo & inter se ea de re sermonem haberent. Tertium denique, ut in Officio, & Missa, quæ in Festo Conceptionis B. V. ab Ecclesia celebratur, nemo, sive publice, sive privatim, alio quam Conceptionis nomine uteretur. Tandem Alexander VII. an. 1661. Constitut. 114. considerans S. Romanam Ecclesiam Festum celebrare Conceptionis intemeratæ semperque Virginis Mariæ, Officiumque Sixti IV. jussu recitari, eumque Conceptionis cultum semel institutum perpetuo in Romana Ecclesia retentum esse, declaravit sibi certum esse *tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia a peccato originali præservatam*; gravesque statuit in eum pœnas, qui sententiam, Festum, Cultumque Conceptionis deinceps in dubium revocare auderet, aut quovis prætextu verbis obterere; ira postea concludens: *Vetamus autem, Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quemquam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum a Romana Ecclesia & Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus.* Hispaniarum Reges, Philippus III. apud Paulum V. & Philippus IV. apud Gregorium XV. missis etiam extraordinariis Oratoribus, vehementer flagitarunt, ut ea demum controversia dirimeretur: sed nihil amplius, quam quod supra exposuimus, consequi potuerunt. Earum Legationum Acta accurate descripsit Waddingus Libro Lovanii edito anno 1622. cujus titulus est: *De Legatione Philippi III. & Philippi IV. ad Paulum V. & Gregorium XV. pro definienda controversia de Conceptione Virginis.*

Ea acta probant, Ecclesiam Immaculatæ Conceptioni favere, nihil tamen definisse. Favendi argumenta.

16. Itaque summa totius rei huc redit, ut Ecclesia ad opinionem immaculatæ Conceptionis propensior sit; nondum tamen Apostolica Sedes tanquam Fidei articulum eam definierit. Itaque ex sententia, in quam ipsa inclinat Ecclesia, quæ in omnibus Catholicis Academiis recepta est, quæque Fidelium pietati, & erga B. Virginem devotioni consentanea est, concludamus, B. Virginem a peccato originali fuisse præservatam, & mundam ab omni labe esse conceptam. Et sane decebat, Deum puritatis & sanctitatis tantopere amantem eam sibi matrem formare, quæ ab omni peccato pura, sancta esset, & integra. Quæ vero generatim leguntur in sacris paginis, omnes homines ex Adæ semine propagatos in ipso Ada peccasse, ut ait Apostolus ad Roman. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranssit, in quo omnes peccaverunt*, unius tantum, ideoque B. Virginis præservationem ab originali culpa non excludunt; ut ostendunt Theologi, qui de hoc argumento copiose scripserunt. Deinde Sanctissimam Virginem, etsi nunquam peccati mancipium fuerit, Christus Jesus redemit. Perfectus enim Redemptor fuit, cujus partes erant aliquem perfecte, ideoque ab omni pœna redimere; cum autem carere Dei gratia vel momento temporis sit pœna gravissima, decebat ut esset creatura aliqua, nec sane alia, quam Sanctissima Dei Mater, quæ ne puncto quidem temporis esset Deo invisa, sed per Christi merita quolibet momento ab omni culpa & Dei odio libera esset; idque postulabant tria Christi attributa, perfectissimi Pacatoris, perfectissimi Mediatoris, perfectissimi Benefactoris.

De institutione Festivitatis. Vetustas hujus Festivitatis in Oriente.

17. Si quis plura de hac re scire cupiat, consulat tractatus Thologicos veterum recentiorumque Scholasticorum. Quæ hactenus a nobis dicta sunt, satis instituto nostro esse possunt. Nunc vero de Institutione Festivitatis Conceptionis Mariæ sermonem aggrediamur. Emmanuel Comnenus Imperator, qui suum auspicatus est imperium anno 1143. & obiit anno 1180. in Novella apud Theodorum Balsamonem in Observation. ad Nomocanonem Photii, Festa recensens, quæ a populo essent observanda, ait: *Nonus dies Decembris; quia tunc Genitricis Dei nostri Conceptio celebratur*; quorum non is sensus est, ut hanc ille Festivitatem tunc instituerit, sed ut veterem & multo antea instituram populus, quemadmodum cæteras de Præcepto Festivitates, coleret: non enim novam, sed vetustam esse hanc celebritatem testatur Georgius Episcopus Nicomediensis sub Imperio Heraclii: *non novissime institutam*. De Archiepiscopo Armeniæ narrat Matthæus Parisius, illum in Angliam profectum, exceptumque in Monasterio S. Albani testatum esse, inter cæteras Armenorum Festivitates celebritatem etiam Conceptionis Mariæ a vetustis temporibus celebrari. *Interrogatus inter loquendum ab uno, qui fuit ei assidens Collateralis, Monacho, si in partibus suis Conceptio B. Mariæ celebraretur, respondit: Celebratur. Et hæc est ratio; quia Angelo nuntiante Joachim dolenti, & desertum tunc inhabitanti, ipsa Conceptio facta est. Similiter & Conceptio B. Joannis Baptistæ simili ratione. De Conceptione autem Domini, quæ facta est Angelo annuntiante Mariæ, quæ concepit ex Spiritu Sancto, nulli Fidelium venit in dubium.*

Hæc solemnitas cœpta celebrari primum in Anglia.

18. Spectat id ad Orientalem Ecclesiam. Quod attinet ad Occidentalem, cœptum hoc Festum quidam existimant in Anglia; ejusque instituendi occasionem S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi oblatam esse a Revelatione, quam quidam ejus Regionis Abbas accepit; saltem ea permotum S. Anselmum quibusdam, qui ejusmodi devotione tangerentur, hanc Festivitatem observari indulsisse. Quamobrem Concilii Londinensis Patres anno 1328. tom. 2. Concilior. Angliæ pag. 494. ita ajunt: *Venerabilis Anselmi Prædecessoris nostri, qui post alia quædam ipsius antiquiora solemnia, Conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inhærentes statuimus, & firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Festum Conceptionis prædictæ in cunctis Ecclesiis nostris Cantuariensis Provinciæ festive & solemniter de cætero celebretur.*

Favet huic opinioni Epistola S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi.

19. Favet huic opinioni Epistola S. Anselmi, in cujus principio ea leguntur: *Conceptio Venerandæ Dei Genitricis, quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia, & in Francia, ceteriisque Climatibus Mundi celebranda sit declarata, me narrantem audiat dilectio vestra.* Quod si hæc Epistola falsi suspicione careret, ante annum 1109. ea Festivitas in Angliam videretur introducta, cum Anselmus eo anno obierit: sed cum quædam in Epistola viri docti deprehenderint, quæ falsi notæ videntur, non nimis ei fidendum. *An Anselmi sit, a multis merito ducitur in controversiam; cum habeat multa, quæ eidem Auctori*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ri repugnant: sunt verba Christiani Lupi ad Concil. Moguntinum sub Leone IV. tom. 3. veter. edit. pag. 497. Ea vero interrogatio, qua Monachus Anglus a Patriarcha Armenorum de Festo Conceptionis B. Mariæ percontatus est, luculenter ostendit, Conceptionis Festum tunc temporis nondum in Anglia firmis hæsisse radicibus; ut advertit Thomassinus de Festis lib. 2. cap. 5. num. 4.

Ex Anglia transiit in Normanniam, Galliam, et Ecclesiam Lugdunensem ante S. Bernardi.

20. Utcumque tamen sit de Anselmi Epistola, ac de tempore, quo Conceptionis Festum in Anglia firmatum fuit, a communi non arbitramur esse nobis opinione recedendum, quæ hujus Solemnitatis institutionem Angliæ refert acceptam. *Ex quibus omnibus satis compertum habetur, ejusmodi celebritatem in Anglia celebrari cœptam*, scribit Baronius in notis ad Martyrol. ad diem 8. Decembris. Revelationes, quæ rationem præbuisse dicuntur, cur hoc Festum institueretur, vide apud Spinellum in Tractatu de Festis ac Templis Deiparæ nu. 1. Documenta vero, quæ probant ea, quæ diximus, affert Lupus loco cit. qui etiam ostendit traductam hanc Festivitatem ex Anglia in Normanniam, inde in Gallias, & ad Ecclesiam Lugdunensem, quæ S. Bernardo causa fuit, quamobrem eam Epistolam scripserit, de qua supra verba fecimus.

Ætate S. Bernardi non celebrabatur hæc Solemnitas in Romana Ecclesia. Videtur celebrari cœpisse tempore S. Bonaventuræ. Certo sæculo 14. celebrabatur Romæ.

21. Profecto S. Bernardi ætate, qui mortuus est anno 1153. Festum Conceptionis nondum erat in Romanam Ecclesiam invectum. Ille enim, ut supra dictum est, Canonicos Lugdunenses acriter reprehendit, quod in suam Ecclesiam hoc Festum induxerint, nullo Ecclesiæ Romanæ exemplo præeunte. Festum hoc Romæ cœptum est celebrari ab aliquibus ætate S. Bonaventuræ, qui Præses summus Ordinis S. Francisci, Albanensis Episcopus, & Cardinalis mortuus est anno 1274. quandoquidem in lib. 3. sentent. dist. 3. qu. 1. pag. 34. a tergo edit. Venetæ 1538. ita scribit: *Nullius Conceptionis Solemnitatem celebrat Ecclesia, nisi solius Filii Dei in Annuntiatione B. Mariæ Virginis. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec omnino laudare, nec simpliciter reprehendere audeo; pro eo quod Sancti Patres, qui alias Solemnitates Virginis, Spiritu Sancto docente, statuerunt; qui etiam magni amatores, & veneratores B. Virginis fuerunt, Conceptionem Virginis solemnizare non docuerunt &c. Non etiam audeo omnino reprehendere, quia, ut quidam dicunt, hæc Solemnitas non cœpit humana inventione, sed divina revelatione: quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare in ejus Conceptione; sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere, quia etiam contra Fidem rectam non est, non compellimur negare.* Qui Bonaventuræ locus, si non de Festo, quod Romæ, sed alibi celebrabatur, intelligendum sit, tamen certissima suppetunt argumenta, sæculo 14. celebritatem hanc Romæ esse peractam. Testatur enim Alvarus Pelagius, qui obiit ann. 1340. hujus Festivitatis die Romæ se in Basilica Liberiana concionem habuisse, quamquam non *Conceptionis*, sed *Sanctificationis* verbo utitur, D. Bonaventuræ doctrinam fortasse sequutus, qui loco citato scripsit: *Potest etiam esse, quod illa Solemnitas potius referatur ad diem Sanctificationis, quam Conceptionis*, ut videre est apud Bailletum, qui in histor. hujus Festi Alvari Pelagii concionem commemorat. Bachonius etiam Carmelita, qui obiit anno 1350. tamquam oculatus testis narrat, quotannis in sui Ordinis Ecclesia coram Cardinalibus cum solemni Missa & Panegyrico Festivitatem hanc celebrari consuevisse, ut videre est apud Gavantum sect. 7. cap. 2. num. 8. de Festis mensis Decembris. Quamobrem in Basileensi Decreto, de quo supra verba fecimus, hæc leguntur: *Renovantes præterea Constitutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias sexto Idus Decembris antiquitus celebratur, statuimus & ordinamus &c.* Et Baluzius in Notis ad Vitam Paparum Avenionensium pag. 1376. & sequen. affert testimonia Speculatoris qui sæculo 13. scientia Juris claruit, & Joannis Andreæ sæculo 14. Canonum doctrina peritissimi, quæ evincunt, eorum temporibus Conceptionis Solemnitatem celebrari consuevisse *ex devotione non improbanda*. Sixtus vero IV. in Constitutione secunda ann. 1483. edita ait: *Sane cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione publice Festum solemniter celebret: & speciale ac proprium super hoc Officium ordinaverit.*

Officium a Sixto IV. editum sustulit S. Pius V. & aliud illi substituit. Clemens IX. Octavam addidit. Clem. XI. hunc diem posuit inter Festivitates de præcepto.

22. Quæ Sixti verba ad Officium & Missam, ex Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis compositione, referuntur; quæ ipse Pontifex approbavit, & quibuslibet in Conceptionis Festo ea recitantibus Indulgentiam concessit, ut apparet ex priore, quam attulimus, Constitutione anno 1476. edita. Officium illud minus apposite scriptum censuit S. Pius V. & e Breviario summovit; in cujus locum aliud substituit Officium, quo etiamnum utimur, teste Gavanto loc. cit. num. 8. & Natali Alexandro Hist. Eccl. sæculo 2. Dissert. 16. §. *Ad tertiam probationem*. Clemens VIII. Officium ad ritum duplicis majoris sustulit. Clemens IX. Octavam addidit; & Clemens XI. ad Conceptionis Mariæ venerationem & cultum amplificandum voluit, hanc Festivitatem ex iis esse, quæ in tota universali Ecclesia de præcepto celebrantur, ut videre est in Constitutione 40. ejus Bullarii pag. 90. Nos vero Consistoriali Decreto statuimus, in Festo Conceptionis B. Virginis in Liberiana Basilica deinceps Sacra solemnia peragenda coram Papa, DD. Cardinalibus, & Prælatis, quibus in Cappellis Pontificiis certus constitutus est locus; eumque diem inter illos, quibus ejusmodi Sacra solemniter ad eundem modum celebrantur, adnumeravimus.

Falso quidem putant a Sede Apostolica definitum hunc articulum. Clem. XI. id reipsa testatus est.

23. Quidam devotione tacti erga B. Virginem, tot jam Sedis Apostolicæ Actis sententiæ de immaculata Conceptione adstipulantibus, eam opinionem arbitrati sunt declaratum esse Fidei articulum. Id vero probari non potest; Festum enim Conceptionis celebrari potest, etsi nihil Ecclesia de Mysterio definierit; atque ita sentit Bellarminus Controvers. tom. 2. lib. 3. cap. 16. *Fundamentum hujus Festi præcipuum non esse Conceptionem immaculatam, sed simpliciter conceptionem Matris Dei futuræ. Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert Mundo ejus memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis, præsertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc Festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.* Bellarmini responsionem amplectitur Cardinalis Gottus in Opere suo adversus Piceninum Italice scripto, ubi pulchre animadvertit, Constitutionis, quam edidit Clemens XI. hunc esse titulum: *Ut Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ de præcepto ubique in posterum observetur*; vocem illam *Immaculatæ*, non ad Conceptionem, sed ad B. Virginem referri Pontificem voluisse, ut appareret, ipsum, cum de præcepto observari eam Solemnitatem jube-

ret, noluisse controversiam definire. Quin etiam cum ea Bulla in quadam Italiæ Civitate typis impressa esset cum titulo, *Ut Festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ* &c. vehementer magnus ille Pontifex ea de re conquestus est, ac die 12. Octobris anni 1709. Ordinario loci mandavit, ut eos acriter reprehenderet, qui typis eam Bullam cum adulterino hujusmodi titulo imprimendam curaverant, eamque in eum modum impressam supprimi jussit, & luce publica prohiberi.

Suarez putat ab Ecclesia Conceptionem celebrari ut sanctam & immaculatam.

24. Contra Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 2. qu. 27. art. 2. disput. 3. sect. 5. strenue tuetur, in Festivitate Conceptionis ab Ecclesia Conceptionem ut sanctam immaculatamque celebrari; ac rationes, quas profert, fatemur esse gravissimas. Non est nostrum Theologicis hisce quæstionibus implicari. Illud satis erit hic eadem iterare, quæ primo tomo de Canonizat. Sanctor. docuimus cap. 42. num. 13. & sequen. nimirum vere dici non posse, immaculatam Conceptionem veluti Fidei articulum esse definitam, etiamsi Apostolica auctoritate Festum immaculatæ Conceptionis B. Virginis celebretur; cum præsertim concessit Officio & Missa, & Festo ad Ritum duplicis evecto, Paulus V. Gregorius XV. & Alexander VII. declaraverint, controversiam supremo non esse judicio definitam. Præterea Christiani Orbis potentissimi & maximi Reges a summis Pontificibus Urbano VIII. & Alexandro VII. postularunt, ut rem veluti articulum Fidei deciderent, qui tantorum Principum precibus se non passi sunt exorari. Nuperrime eædem instauratæ sunt preces apud Clementem XII. qui post præceptum Clementis XI. ut Conceptionis Festivitas ab omnibus celebraretur, terminos Prædecessorum suorum transgredi noluit, ut apparet e quodam scripto Romæ typis edito, de quo superius a nobis mentio facta est.

Declaratio Auctoris in hac Controversia.

25. Quamobrem huic sermoni nostro finem imponentes declaramus, toto nos animo immaculatæ Conceptionis B. Mariæ sequi sententiam: Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ propensionem in eam sententiam demisse venerari; firmiter tamen allatis Pontificum Romanorum Constitutionibus adhærere; eosdemque arbitramur esse sensus Universitatis Parisiensis, qui sunt cæterorum Theologorum etiam Italorum. Ea enim declaravit, sententiam suam esse, B. Virginem sive macula esse conceptam; qui ad Doctoris gradum proveheretur, eum jurejurando obstrinxit, illam ut sententiam propugnaret; sed cum se a Maldonato, ut supra innuimus, intellexisset, insimulari, quasi vero, nova illa lege juramenti imposita, novum Fidei articulum condidisset, in Theologico Tractatu, quem de hac re adversus Maldonatum edidit, in hunc modum respondit: *Nec Facultas condidit Fidei articulum de Conceptione, sed proposito a Concilio Basileensi, & Sixtinis credidit* &c. *Sedes Romana Tridentinorum sententiam Basileensibus præfert, ipsi Facultas se conformat, & assentitur jam secundum Concilium Tridentinum, affirmationem Conceptionis non esse articulum Fidei Catholicæ, nec pro hæretico notandum quisquis aliter opinarit.* Quibus cohærent, quæ scribit Natalis Alexander cit. Dissert. 16. *Sententiam de immaculata Deiparæ Virginis Conceptione non solum ut probabilem & piam, sed ut propriam Facultatis nostræ doctrinam propugnabimus, si de ea dicendi scribendive detur occasio. At contrariam opinionem falsam, impiam, & erroneam, Ecclesia prohibente & Sacra Facultate, quæ suum Ecclesiæ judicium subjicit & accommodat, probante, non dicemus.*

CAPUT XVI.

De Festo Translationis Sanctæ Domus Lauretanæ. Die X. Decembris.

Hæc Festivitas finibus Piceni olim continebatur. Propagata fuit ad omnem Etruriam, Ecclesiasticæ & Venetorum ditionis Provincias, & ad Regna Hispaniarum. Additio ad 6. Lectionem sub Innocentio XII.

1. Die decimo Decembris Festum celebratur Translationis Sanctæ Domus Lauretanæ. De ea meminit Martyrologium Romanum ad eundem diem 10. Decembris: *Laureti in Piceno Translatio Sacræ Domus Dei Genitricis Mariæ, in qua Verbum Caro factum est*: idque in Maryrologium relatum est ex Decreto S. Congregationis Rituum die 31. Augusti 1669. ut lib. 4. de Canonizat. Sanctor. demonstravimus par. 2. cap. 10. n. 15. Anteactis temporibus Translationis ejus Officium tota Piceni Provincia celebrabatur ex ejusdem S. Congregationis Indulto 29. Novembris 1632. sed Lectiones secundi Nocturni *de Comuni* sumebantur ex sermone quodam S. Bernardi. Actum de nonnullis ad sextam Lectionem addendis sub Innocentio XII. Ea vero additio est hujusmodi: *Ipsius autem Virginis Natalis Domus divinis mysteriis consecrata, ab Infidelium potestate in Dalmatiam prius, deinde in agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, sedente S. Cœlestino V. eandemque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, & celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, & cœlestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius XII. quo ferventius erga Matris amplissimæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem Sanctæ Domus Translationem Anniversaria Solemnitate in tota Piceni Provincia veneratam Missa & Officio proprio celebrari præcepit.* Antequam ad ejus Lectionis finem hæc verba adjicerentur excussa res est in S. Rituum Congregatione, ut constat ex ejus decreto 16. Septembris 1699. Missa propria & Officium intra Picenæ Provinciæ fines continebatur; anno autem 1719. die 19. Maji ad omnem Etruriam propagatum est, subinde a Benedicto XIII. ad Ecclesiasticæ ditionis Provincias, postea ad omnia loca Venetorum Reipublicæ subjecta, ac demum ad omnia Regis Catholici Regna regionesque illi subditas extensum, ut apparet ex decretis die 23. Augusti 1725. & die 10. Novembris 1729. quæ refert Martorellus Episcopus Montis Feltrii in Theatro Historico S. Domus Nazarenæ Romæ edito anno 1738. pag. 119. & seq.

Ea additio complectitur quicquid hac Solemnitate celebratur.

2. Quæ lectioni illi verba sunt addita, quicquid celebratur hac die, complectuntur. Commemorantur Apostolicæ Constitutiones, quæ Lauretanam Sacram Domum eandem esse cum ea testantur, in qua Verbum Divinum humanam carnem assumpsit. Hæ vero Constitutiones sunt Pauli II. Julii II. Leonis X. Paulii III. Pauli IV. Sixti V. quas & ipsi memoravimus citato loco num 16. De miraculis autem, quæ quotidie in Sacra illa Domo contingunt, probantque locum illum eundem esse, in quo ineffabile Incarnationis Verbi Mysterium impletum est, ea sunt prope innumera, sibique continue succedentia, atque ita nota, ut de iis dicere hominis sit abutentis otio suo.

Scriptores, monumenta, missiones innumeri, quibus probatur translata Domus miraculum.

3. Quæ in sextam Officii Lectionem relata sunt, si eorum historiam probandam suscipere-mus, actum agere videremur. Id enim egregie præstitere Venerabilis Petrus Canisius, Baronius, Raynaldus ejus Continuator, Tursellinus, Turrianus, Benzonius, Angelica, Centofiorinus, aliique, quos citat. loco num. 17. recensuimus.

Alia

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Alia etiam integra collegit monumenta Martorellus in Theatro Sanctæ Domus Lauretanæ. Apud eum videas etiam dicta Teſtium, qui in ſolemni examine teſtantur, ſe accepiſſe id a majoribus ſuis oculatis teſtibus, qui Sacram Domum in aera ſublatam illuc, ubi nunc ſita eſt, aſportari viderant. Hæc accedunt iteratæ hominum miſſiones ad urbem Nazareth, ut loci ſitus & magnitudo cum Sacra Domo conferretur, eæque Nazareni loci menſuræ cum Lauretana Domo deprehenſæ ſunt probe congruere. Vide Turſellinum Hiſtor. Lauretanæ lib. 2. cap. 26. qui narrat, a Clemente VII. Summo Pontifice tres, qui illi erant a Cubiculo, miſſos eſſe, ut magnitudines menſuraſque Lauretanæ Domus cum menſuris locorum, ubi antea fuiſſet ea Domus, conferrent; & ait: *Ergo illi Lauretum profecti, ſacramque Domum intentiore cura contemplati dimenſique, conſcendunt navem Illyricum petituri. Quo ut ventum eſt, Lauretanæ inſtar Ædiculam ſatis vetuſtam, & miraculorum monumentis inſignem inveniunt. Porro parieti ejus Ædiculæ inſcriptum, Lauretanam ibi Domum olim fuiſſe. Hæc accolæ ipſi monſtrabant. Haud vana ab illis aſſerri veræ lacrymæ ubertim manantes ex deſiderio teſtabantur. Confeſtim igitur Legati menſuris admotis deprehendunt prorſus omnia convenire. Protinus repetito curſu pergunt in Galilæam; Nazarethum veniunt; Sacræ Domus fundamenta monſtrata ab incolis cernunt; Quoquoverſus metiuntur: congruere cuncta comperiunt.*

Dilaitur gravis quædam ea de re difficultas.

4. Eam vero citato tom. 4. noſtri Operis difficultatem minime diſſimulavimus, Domum illam Nazarethi in Eccleſiam fuiſſe converſam, teſte Hieronymo Epiſt. ad Euſtochium: *Eſt Nazareth* (inquit S. Doctor) *ubi Chriſtus egit, viculus in Galilæa juxta montem Thabor, unde & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt: habet Eccleſiam in loco, quo Angelus ad B. Virginem evangelizaturus intravit, ſed & aliam, ubi Dominus eſt nutritus.* Hujus Eccleſiæ mentionem factam invenimus ſeculo ſeptimo & octavo, ut videre eſt in libro de Locis Sanctis, qui Bedæ nomine circumfertur, cap. 16. *Nazareth muros non habet, ſed magna ædificia, duaſque grandes Eccleſias: una eſt in media civitate ſuper duos fundata cancros, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans: altera vero eſt Eccleſia, ubi domus erat, in qua Angelus ad Beatam Mariam venit.* Ejuſdem Eccleſiæ itidem mentionem fieri novimus circa dimidium ſeculi decimitertii. Quamobrem haud ita facile quis crediderit, Sacram Domum ſub Cœleſtino V. aut Bonifacio VIII. eo, ubi nunc eſt, fuiſſe translatam. Caſaubonus exercit. 7. in Baronium non ita fuit incogitans, quin ex illo Bedæ loco adverſus Lauretanæ Domus veritatem argumentum eduxerit. *Sane cum dicit Beda: ubi domus erat: non obſcure videtur ſignificare, jam ætate ſua amplius illam non fuiſſe, nedum eſſe nunc queat. Nam ſi ante octingentos, vel nongentos annos non erat illa domus, quomodo verum erit, quod ait Baronius, illam ſemper duraſſe integram?* Occupat autem reſponſionem, qua ſolvi ejus potuiſſet argumentum, videlicet veram tunc temporis ibi Domum fuiſſe, ſed in Templum converſam. *Si quis dicat, non deſiiſſe quidem eſſe illam Domum, ſed in Templum fuiſſe verſam, quæram ego, ſi domus verſa eſt in Templum ante tot ſecula, quomodo, & quando Templum iterum verſum eſt in Domum? Non enim Templum tranſtuliſſe Angeli dicuntur, ſed Domum.* Et quoniam fortaſſe quiſpiam dixerit, Sanctam Domum antea jam eſſe alio translatam, cum fuit extructa Eccleſia; idcirco ita pergit: *Dicet fortaſſe aliquis, tum cum illo loco Templum eſt inædificatum, priorem Domum alio eſſe translatam. Verum hoc neque ullius Scriptoris veteris teſtimonio poteſt probari, neque de re tanta conjecturis fallacibus temere locus dari debet. Tum autem merito quærat aliquis, ubi latuerit illa domus translatitia per tot ſecula: nam ut initio translatæ nemo meminit, ita ſervatæ nemo.* Turſellinus in Hiſtoria S. Domus Lauretanæ lib. 1. cap. 2. tradit, illam a primis Chriſtianis in Eccleſiam fuiſſe converſam, & in eo ſtatu ab Angelis mirifice fuiſſe translatam. Et Honoratus a S. Maria de regulis Criticæ lib. 3. Diſſertat. 1. §. 4. Turſellini ſententiam libenter amplectitur, & Caſauboni ut argumentationem evertat, ait, tunc temporis, cum ab Angelis Sacrum Sacellum translatum fuit, & Domum, & Sacram ædem fuiſſe: Chriſtianos enim nihil de integra domo detraxiſſe, ſed ornamenta quædam addidiſſe, quibus ad Eccleſiæ formaretur exemplum. Nos de hac reſponſione nihil pretii diminutum volumus; ſed in noſtro Opere de Canonizatione Sanctorum aliam ingredientes viam, vetuſtiorum Scriptorum auctoritate dure demonſtravimus, Lauretanam Ædem non eſſe integram Domum, ſed illud duntaxat ejus Domus conclave, ubi Maria ſalutata fuit ab Angelo; ideoque ſalva ſua cuique Auctori ſeptimi, & octavi ſeculi fide, facile concedi poſſe, in eo, in quo domus illa erat, loco Eccleſiam eſſe extructam; ſed ex ea Domo, quod reliquum conclave ſupererat, ubi Verbum Divinum humanam Carnem aſſumpſit, illud Angelorum miniſterio translatum eſſe; ita ſibi invicem adſtipulantibus tum vetuſtis monumentis, perpetuaque Traditione, tum ſummorum Pontificum teſtimoniis, communi ſenſu Fidelium, & continuis, quæ in dies eduntur, miraculis.

Falſo quidam putant, parum probari hanc hiſtoriam melioris notæ Criticis. Ea probatur Bollandiſtis.

5. Sed temperare nobis ipſi non poſſumus, quin nonnihil dicamus de eo, quod quidam, ut eruditi acriſque ingenii ſibi famam parent, ſemihianti ore muſſitant, ſapientioribus magnique nominis Criticis hujus non probari veritatem hiſtoriæ. Profecto qui ex præſtantiſſimorum Criticorum numero Bollandiſtas explodat, putamus eſſe neminem. At hi ad diem 25. Martii §. 4. poſtquam narravere, Sacram Domum in Dalmatiam fuiſſe translatam ad eum locum, qui vulgo nunc dicitur *Fiume*, inde Lauretum, de magna Lauretana Æde ita diſputant. *In hoc Templo Sanctiſſimæ Virginis ſanctum domicilium viſitur, in quo Deipara Virgo ab Angelo Gabriele ſalutata, & a Spiritu Sancto adumbrata, æternum Verbum & Filium Dei incarnatum in utero concepit. Translatæ hujus Ædiculæ Marianæ dies 10. Decembris ſacer eſt, quando ipſi coram ibidem in Altari ejus intimo ſacrificium Miſſæ Deo obtulimus 1660. & omniæ magna animi noſtri lætitia ſpectavimus in maximo Peregrinorum concurſu, quorum Confeſſiones excipiunt Societatis Jeſu Presbyteri e præcipuis totius Europæ ditionibus acciti, ut quique adventantes in patrio idiomate adjuvari poſſint, & Cœleſtis dein Euchariſtiæ menſa refici.* Quantopere vero huic faverit hiſtoriæ Papebrochius Bollandi Continuator, apparet ex ejus Reſponſionibus ad P. Sebaſtianum a S. Paulo, cujus verba retulimus loco citato num. 20.

Probatur Natali Alexandro.

6. Inter optimos Criticos accenſendum putamus Natalem quoque Alexandrum, qui Hiſtor. Eccl. ſec. 13. pag. 37. edit. Pariſien. anno 1699. hæc ſcribit: *Pontificatus Bonifacii Papæ octavi anno 1. Chriſti 1294. Sacra Deiparæ Virginis ædicula, in qua Filium Dei de Spiritu Sancto, Angelo nuntiante, concepit, e Dalmatia in Picenum mi-*

miraculo delata, in Recinetensis agri sylva piæ Matronæ, cui Lauretæ nomen, propria consedit. Inde Lauretanæ domus B. Virginis appellatio, quam & in ipso Piceno ter sedem infra annum mutasse repetito miraculo memoriæ proditum est. Qua de re legendus Horatius Tursellinus Societatis Jesu Scriptor elegans in Historia Lauretana.

Probatur Theophilo Raynaudo, Bailleto, Honorato a S. Maria, Gravesonio, Guidoni Grando, Calmeto, Muratorio.

7. Nec vero his sanus quisquam negabit accenseri merito posse Theophilum Raynaudum, Bailletum, Honoratum a S. Maria, Gravesonium, Guidonem Grandum, Calmetum, Muratorium, quos non minus ingenuos, quam doctos nullas unquam dissimulare difficultates in rebus, de quibus agunt, quivis eorum legendis Operibus facile intelligat; tamen Theophilus Raynaudus tom. 8. suorum Operum in Tractatu, cui titulus, *Antemurale adversus fortia ingenia*, pag. 144. & sequen. declarat, se maximam ex eo offensionem accipere, quod inter Catholicos contingat de hac re excitari controversiam, postquam Vergerium, Hospinianum, aliosque Lutheranarum & Calvinianarum partium, qui veritatem hujus historiæ connisi sunt evertere, Canisius, Turrianus, & Gretserus invictis rationibus refutarunt. Illam vero objectionem, quod sacri illius Conclavis non sit Syriaca structura, ita diluit: *At Maceratæ in vicinia ædes antiquæ sunt lateritiæ, cujusmodi est Lauretana ædicula. Prob lateritium non argumentum, sed nugamentum! En quibus machinis firmissima veritas tentatur. Quid non obtruditur falsitas circa parietes sacræ Ædicula, aliam quam Syriacam structuram redolentes? Certo enim parietes sacræ ædiculæ Lauretanæ non sunt lateritii, sed lapidei; idque & ipse diligenter inspiciens attrectansque deprehendi, semel & iterum eo peregrinatus; & firmavit idem cum studio scrutatus Dominus Episcopus Vasionensis Josephus Maria Suares qui, idem ut sua suffragatione firmarem, auctor fuit.*

Quid de ea scripserit Guido Grandus.

Ac primum quid de ea senserit Raynaudus.

Bailletus nihil habet adversus eam historiam.

8. Bailletus ad diem 15. Augusti §. 7. num. 36. de Sacra Æde Lauretana, ac de peregrinatione Fidelium ad eam ex omnibus Regionibus confluentium verba faciens, Tursellini historiæ standum putat super iis, quæ Sanctuarii illius originem, & erga illud devotionem respiciunt: id vero argumento est, hominem vel certissimarum rerum veritatem, ut intemperanti ingenio est, sollicitantem nihil in hac re, quod reprobandum duxerit, reperisse; præsertim cum in Tabula Critica Scriptorum ad diem 15. Augusti nullum verbum facit; quod quidem fecisset more suo, si quidquam in ea re difficultatis offendisset.

Honorati a S. Maria verba.

9. Honoratus a S. Maria tom. 2. de Regulis Criticæ lib. 3. Dissert. 1. hanc historiam strenue defendit; ac divinum illum horrorem præcipue commemorat, qui cuivis in sacram illam ædem introeunti oboritur. Quam in rem ait Tursellinus: *Divinus ille omnium pectoribus incutitur horror ad Sacrosanctæ Domus ingressum.* Et Canisius: *Homines flagitiis obrutos in Dei filios transformari, ut ex Hæreticis Catholici, ex lupis oves evadant.* Et Joannes Bonifacius in Historia B. Virginis: *Perditi homines hac in Æde mutantur, impietatem ejurant hæretici, ultores iras simultatesque deponunt.* Et in Trophæis Mariæ Marianus Augustus, quem cum superioribus affert Scriptoribus P. Honoratus: *Non arbitror quemquam unquam fuisse, aut futurum tam scelestum, tam perditum, quem non Lauretanæ Mariæ aspectus ad aliquem pietatis sensum commoverit.*

Gravesoni testimonium.

10. Gravesonus de Myster. & Annis Chr. dissert. 2. de Sacræ Domus Lauretanæ Translatione, *rem*, inquit, *omnium litteris, & constanti fama comprobatam, summorum Pontificum Decretis confirmatam, confluentium populorum numero longe lateque celebratam, sanctitate loci, & frequentia miraculorum luce clarius manifestatam.* Guido Grandus Abbas Camaldulensis in tertia Dissert. Camaldulen. cap. 8. num. 12. ubi agit de vi argumenti negativi, negat in quæstione de Sacra Lauretana Æde locum ullum esse ejusmodi argumento, & ad hujus facti veritatem infirmandam imbecillum esset ait argumentum petitum a S. Antonini silentio. *Cum vero & pauci post annis a Sacræ Domus in Italiam adventu monumenta Regionis illius, in qua stationem posuit, indubitata occurrant, & ipso quidem S. Antonino pene sesquiseculo vetustiora, ad quem nemo pradens pertinuisse dixerit de re tum vulgatissima expressum testimonium suis historiis inserere; hinc temere abuti ejus silentio contradictores ad Lauretani sacelli veritatem impugnandam manifestum est.* Quod nos etiam monuimus lib. 3. de Canonizat. cap. 10. num. 5.

Calmeti sententia.

11. Calmetus in Diction. Biblico verbo *Nazareth*, cum vidisset, quod supra innuimus, a Scriptoribus proditum, Sacram Domum in Ecclesiam fuisse conversam, de hujus historiæ veritate dubius hæsit, propensiorque ad credendum videtur, Sacram Lauretanam Ædem ad exemplum Ecclesiæ, quæ quondam fuit in Nazareth, esse extructam. Sed cum opus illud e Gallico in Latinum sermonem convertendum suscepisset Joannes Dominicus Mansius Lucensis Congregationis Matris Dei Presbyter, facta sibi ab ipso Calmeto potestate quidvis corrigendi & mutandi, eam propositionem inducendam expungendamque existimavit.

Quid idem de ea historia senserit Muratorius ex Martirologio Episcopi Montis Feltrii.

12. Omnem hujus rei seriem cum authenticis monumentis reperias in Theatro Lauretano Martorelli Episcopi Montis Feltrii tom. 1. pag. 592. ubi hæc de Muratorio scribit: *Muratorio, qui Lamindi Pritannii nomine librum edidit de Moderatione ingeniorum in negotio Religionis, profecto injuriam facit quisquis eum putat historiæ de admiranda Translatione fidem abrogare. Eos enim tantummodo reprehendit, qui intemperanti zelo abrepti, vitam prodigendam sibi existimant ad propugnandam historiæ veritatem, æque ac nostræ Fidei articulos. Suam Auctor in iis, quæ ad Religionem attinet, prudentiam declarat, ea enim cum aliis non sunt commiscenda; piam illam tamen prudentemque non improbat fidem, quam sacris historiis fide humana conscriptis vel ipsa tribuit Ecclesia, cujusmodi ea est, quam in piorum animis fovendam, & iis, qui historiam de mirabili hac Æde rejiciunt, insinuandam suscepimus, tot Scriptorum auctoritatibus hactenus huc congestis, & monumentis, quæ Deo si placuerit, tomo posteriore afferemus.*

Quaresmii difficultas, & difficultatis solutio.

13. Quaresmius tom. 2. Elucidat. Terræ Sanctæ lib. 7. cap. 1. & sequen. præsertim vero cap. 4. testatur, ætate sua Nazarethi Sacrum visitari consuevisse Domicilium, in quo B. Virgo, lætissimo accepto nuncio, Servatorem Mundi concepit. Quærit deinde, qui dici possit S. Domus nunc esse Laureti, quæ non potest profecto duobus in locis reperiri, in Oriente, & in Occidente, in Palestina, & in Piceno, Nazarethi, & Laureti: quam difficultatem idem Auctor solvere nititur. Ac multa quidem sunt Responsionis capita; sed illud omnium maxime placet ex Joannis Francisci Alcaroti Canonici Novariensis Itinerario Terræ Sanctæ lib. 2. cap. 19. miro modo S. Domum Nazaretho in Dalmatiam, ac deinde Lauretum esse translatam. Fideles autem

Palæ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Palæstinæ Ecclesiam sub nomine Annuntiationis B. Mariæ ædificasse, qua locus ille, ubi Sancta Domus erat, concluſus est; & hanc esse Sacram illam Domum, quæ dicitur hoc tempore esse Nazarethi.

CAPUT XVII.

De Festo Expectationis Partus Beatæ Virginis. Die 18. Decembris.

Ecclesiæ Hispaniarum transtulerunt festivitatem Annuntiationis a die 18. Decembris ad 25. Martii, eique hanc subrogarunt.

1. DE hac Festivitate cum differendum nobis sit, juvabit memoria repetere, quod diximus de Annuntiatione Beatæ Mariæ, quam in Hispaniarum Regnis ex Decreto Concilii Toletani 7. seculi olim non 25. Martii, sed 18. Decembris die celebrari observavimus; cujus Decreti ea ratio fuit, quod 25. Martii dies plerumque in quadragesimam, vel in Paschalia solemnia incideret, cum nullam Sanctorum celebritatem peragere licet. Eodem etiam loco monuimus, Romanæ Ecclesiæ constantem perpetuamque fuisse consuetudinem Annuntiationem B. Virginis celebrandi 25. die Martii: nunc vero illud adjicere huc oportet, Hispaniæ Ecclesias temporibus, quæ consequuta sunt, ad Romanæ morem Ecclesiæ se conformasse, & eam Festivitatem 25. die Martii cœpisse peragere; substituta in ejus locum hac celebritate de Expectatione Partus ad diem 18. Decembris, quam a Gregorio XIII. approbatam esse vere possumus dicere in litteris ejus Apostolicis anni 1573. *De Ecclesiæ Toletanæ Officiis ordinandis: Toletana Ecclesia* (verba sunt e lectione Officii, quod 18. Decembris recitatur) *utramque retinet Solemnitatem; alteram mense Martio, ut Romanæ Ecclesiæ, quæ Magistra omnium Ecclesiarum & Mater est, Sanctissimum institutum sequatur; alteram octavo ante Natalem Domini die, tum quod hæc Solemnitas ab ipsa Toletana Ecclesia instituta fuerit, & magna veneratione ab aliis excepta per universam Ecclesiam hactenus celebretur; tum vero quod ea ipsa die Sanctissima Virgo Toletanum Templum sua præsentia consecrare dignata sit, & famulum suum Ildephonsum sacris muneribus exornare.* Quæ postrema verba ad eam vestem referuntur, quam B. Virgo S. Ildephonso donavit, ut ea in celebrioribus solemnitatibus uteretur. Atque hæc confirmant Bollandiani tom. 3. Mensis Martii pag. 538. Thomassinus de dierum Festor. celebrat. lib. 2. cap. 12. num. 10. Guyet. de Festis propriis lib. 1. quæst. 16. & Joannes Baptista Casalius de veteribus Sacris Christianorum Ritibus Romanæ editionis an. 1647. p. 423.

In Hispania curatur Festivitas S. Mariæ de O. Celebratur in Italia per Provincias Ecclesiasticas ditionis & Venetorum.

2. Hæc Solemnitas in Hispania Festivitas appellatur B. Mariæ de O, teste Garzia Loaisa in Notis ad Toletanum seculi 7. Concilium tom. 6. Labbeanæ Collect. pag. 455. Cujus nominis origo ducta ab Antiphonis, quæ per adverbium O incipiunt, quarum prima dicitur in Vesperis Vigiliæ hujus Festi, ut advertit Sarnellus tom. 3. Epistolar. Ecclesiasticar. Epist. 24. nam eæ Antiphonæ suspiria, gemitus, & desiderium exprimunt veterum Patrum Redemptoris adventum expectantium, ut ait Azorius Institut. Moral. par. 2. lib. 1. cap. 23. Totam hanc rem diu multumque tractavit Theophilus Raynaudus in fine tom. 7. suorum Operum. Nobis hic ea iteranda non arbitramur, quæ jam de Sacro Adventu, Natalisque diei Jesu Christi solemnibus disseruimus. Finem igitur facimus; nec tamen prætereundum, Officium Expectationi Partus recitari cœptum in regionibus Venetorum Reipublicæ subjectis ex S. R. Congregationis Indulto 3. Septembris anni 1695. & ad omnia Ecclesiasticæ ditionis loca extensum Decreto Benedicti XIII. die 22. Augusti 1725.

CAPUT XVIII.

De Festo Sanctæ Mariæ in Sabbatho.

Semper ab Ecclesiæ primordiis cultus exhibitus Deiparæ, seculo 10. auctus est. Tum introductum Officium parvum, & abstinentia carnium in Sabbatho.

1. NEmo nescit, qualibet Sabbathi die non impedita Officium de S. Maria in Sabbatho recitari; de quo verba facere nostri arbitramur esse instituti, qui in hac secunda Operis parte de Festis B. Mariæ tractandum suscepimus. Docet Mabillonius in Præfatione ad seculum 5. Ordinis Benedictini, Ecclesiam in sui primordio B. Mariæ cultum, ut par erat, exhibuisse, qui postea seculo decimo multis accessionibus auctus est. Tum enim invectam consuetudinem abstinendi ab esu carnium in Sabbatho, ejus Commemorationem eodem die fieri, & ejus Officium parvum recitari cœptum. Argumentum istud affert doctissimus Auctor, quod nonnisi in Quadragesima, & quatuor temporibus vetitum erat ante decimum seculum, ne quisquam carnibus vesceretur; idque constat ex Nicolai I. Responsionibus ad Consulta Bulgarorum, aliisque etiam monumentis: nam anno 1000. Glaber Radulphus lib. 4. cap. 5. legem latam esse ait, *ut omnibus hebdomadibus sanctione perpetua sexta die abstineretur a vino, nisi forte gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima Solemnitas interveniret*: quam legem in Concilio Rom. S. Gregorius VII. confirmavit. Denique e vita S. Udalrici Episcopi Augustani colligitur, ejus ætate Officium parvum B. Mariæ recitari solitum; quod deinde edidit S. Petrus Damiani, & post ejus mortem Urbanus II. in Claromontana Synodo a Clericis recitari jussit; qui precandi Ritus a Clericis etiam ad Laicos commeavit, ut probat idem Mabillonius Præfat. 2. ad sæculum 6. Benedictinum §. 12. Verum Cardinalis Bona in Tractatu de Divina Psalmodia cap. 12. §. 2. gravissimorum Scriptorum auctoritate permotus B. Petro Damiani non instituti Officii Parvi, sed restituti laudem tribuit; contendit enim, in utraque Ecclesia Latina & Græca trecentis ante B. Petrum annis recitari consuevisse. *Et ne Lectorem diutius protrahamus, in utraque Ecclesia Græca & Latina Horas S. Mariæ institutas invenio trecentis & amplius annis ante Damianum.* Cardinali Bonæ subscribit Pagius in Breviar. Roman. Pontif. tom. 2. vita Urbani II. num. 51.

Vetustus mos peculiarem exhibendi cultum Deiparæ in Sabbatho. Ratio a nonnullis adducta non probatur Bellarmino.

2. De abstinentia carnium in Sabbatho, & Officio Parvo B. Mariæ, nisi quatenus pertinet ad Officium S. Mariæ in Sabbatho, non est nostrum hoc loco verba facere. Exploratum quidem est, vetustum esse pium illum morem exhibendi in Sabbatho B. Virgini peculiarem quendam cultum, & in ejus honorem eadem die Missam celebrandi. Testatur id B. Petrus Damiani Opusc. 33. cap. 3. & 4. *Pulcher nos in nonnullis Ecclesiis inolevit, ut specialiter ad ejus honorem per omne Sabbathum Missarum celebrentur Officia, nisi forte Festivitas, aut Feria Quadragesimalis obsistat.* Pergit Damianus, & causam affert, cur Sabbathum B. Virgini consecratum sit. *Sabbathum enimvero, quod requies interpretatur, satis congrue Beatissimæ Virgini dedicatur.* Nam *Sapientia in ea per humilitatis assumptæ Mysterium velut in Sacratissimo Lectulo requievit.* Spinellus Tractatu de Maria Deipara cap. 29. numer. 18. aliquot affert rationes, quibus probat, Sabbathum peculiari quadam dedicatione B. Virgini consecratum; quod etiam demonstra-

vit Vicecomes lib. 3. de Missæ Ritibus cap. 21. & multiplici uberrimaque eruditionis copia Benedictus XIII. tom. 2. serm. 16. Inter multas rationes ea solet afferri, Fidem in Sabbatho; quod post Passionem Domini consequutum est, in sola B. Virgine Maria mansisse; quam tamen rationem Bellarminus minime probat lib. 3. de Eccl. militante cap. 17. qui in triduo illo Passionis Christi observat, Magdalenam magno charitatis igne flagrasse, ut apparet ex Joannis cap. 19. & 20. Charitatem vero a Fide sejungi non posse. Quin etiam ea addit; *Periculosum sane videtur dicere, in sola Virgine mansisse veram Fidem, qua Ecclesia periisset, non enim una persona potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus, & Regnum Dei.*

Urbanus II. jussit Officium fieri B. Mariæ in Sabbatho.

3. Utcumque sit de rei ratione, cum certissimum sit, Sabbathum præcipuo quodam modo B. Virgini esse consecratum, statuit Urbanus II. in Concilio Claromontano, *ut Horæ B. Mariæ dicerentur quotidie, Officiumque ejus diebus Sabbathi fieret*, ut ex Gaufrido colligit Mabillonius in Præfat. ad seculum 5. Ordinis S. Benedicti. Testatur Micrologus, qui undecimo vixit seculo, lib. de Ecclesiast. Observationibus cap. 60. ubique in Sabbatho recitari consuevisse tunc temporis Officium de B. Virgine. *In singulis quoque hebdomadibus sexta Feria de Cruce, & Sabbatho de Sancta Maria pene usquequaque observatur non tam ex auctoritate, quam ex devotione*, Decanus Radulfus, qui anno 1403. obiit, in libro de Canonum observantia Propositione 20. hæc scribit; *De officio vero Beatissimæ Virginis legitur in Chronicis, quod Urbanus II. qui novem Præfationibus prioribus decimam de B. Maria Virgine addidit, ut infra dicetur, in Gallias veniens Concilium apud Claromontem Urbem celebravit anno Domini 1096. de mense Novembris, in quo statutum est, quod Horæ B. Mariæ Virginis quotidie dicantur, Officiumque ejus diebus Sabbathorum solemniter fiat*: modumque docet, quo Officium fieri oportet in Sabbatho in honorem Beatæ Virginis.

Olim Ecclesiastici ex præcepto recitabant cum Officio Divino Officium parvum B. M.

4. Itaque ex iis, quæ hactenus huc attulimus, binæ Ecclesiasticorum obligationes erant; altera quotidie cum Officio Divino recitandi etiam Officium Parvum B. Virginis; altera in ejus honorem celebrandi Sabbathum. De obligatione quotidie recitandi Officii Parvi B. Virginis in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis mentionem faciunt Patres Concilii Andegavensis sub Urbano V. habiti ann. 1365. par. 2. tom. 11. Conciliorum Collect. Labbeanæ pag. 1946. cap. 15. *Item approbante Concilio statuimus, quod in singulis Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Regularibus, Collegiatis Matutinæ, & aliæ Horæ de B. Maria singulis diebus solemniter decantentur; nisi alias Officium esset de B. Maria, vel aliis majoribus Festis anni, vel in Adventu Domini: & ad hoc omnes volumus abstringi sub præcepto.*

Controversia inter Juris Canonici peritos, an Ecclesiastici teneantur recitare quotidie Officium parvum.

5. Verba hujus Concilii jubent ab Ecclesiasticis tam in Choro, quam extra Chorum cum Horis Canonicis quotidie etiam Officium parvum B. Mariæ recitari. Sed cum Concilium illud non fuerit Oecumenicum, nec propterea vim habuerit universalem Ecclesiam obligandi, coorta est inter Canonici Juris Professores controversia, an qui ad recitandas Horas Canonicas teneretur, Officium etiam parvum B. Virginis ab eo recitandum esset ex præcepto. Præcepto Ecclesiasticos minime teneri existimarunt Zabarella, Ancaranus, Imola, Lignanus; in contraria fuerunt sententia Vitalinus, & Abbas, aliique; quorum quidam putarunt, Ecclesiasticos Concilii Claromontani decreto, quidam ex pia teneri consuetudine, ut apud Fagnanum in cap. *Presbytero* num. 33. & sequen. de Celebrat. Missarum.

Eam diremit S. Pius V. qui sustulit obligationem recitandi Officium parvum extra Chorum; & componi jussit Officium S. Mariæ in Sabbatho, quod emendavit Clemens VIII.

6. Eam controversiam S. Pius V. de medio sustulit. Nam cum vetus Breviarium, quemadmodum constituerat Tridentina Synodus, emendasset, & ab universali Ecclesia ita emendatum jussisset recitari, exceptis iis Ecclesiis, quæ vel in sua fundatione ab Apostolica Sede aliud Breviarium accepissent, vel alio ante ducentos annos uterentur, Constitutione anno 1568. edita, quæ est in Bullar. Rom. 64. tom. 2. obligationem sustulit recitandi extra Chorum Officium parvum B. Mariæ; Officiumque componi, typisque edi de S. Maria in Sabbatho, & Breviario Romano inseri jussit, teste Gavanto sect. 8. cap. 6. ad Rubricas Breviarii Romani num. 2. & 3. *Ante Pium V. tenebatur Clerus ad recitationem quotidianam Officii Parvi B. Mariæ una cum Officio Domini: quam obligationem abrogavit Pius in Bulla ante Breviarium posita. Quare totum hoc Officium S. Mariæ in Sabbatho cum Lectionibus Sanctorum Patrum singulo mense pro varietate legendis jussu Pii V. fuit compositum & editum, Clemens VIII. illud recognovit, mutata tantum lectione pro mense Aprilis, quæ erat S. Epiphanii, nunc vero S. Hieronymi.*

Quid revera fuerit, cur olim Romæ Fideles jejunarent Sabbatho, nec illum diem ut festum celebrarent. Confutatur Auctor Tractatus de Devotione & cultu in Deiparam.

7. Prodiit typis Parisiensibus anno 1693. Tractatus de devotione in Deiparam, & de eo qui debetur illi cultu; qui liber sine Auctoris nomine editus Bailleto tribuitur. In ejus cap. 13. agitur de Festo, seu potius de celebratione Sabbathi in honorem B. Virginis. Ac Apostolicis quidem temporibus docet auctor, Sabbathi cultum ad cultum Dominicæ fuisse traductum; fieri tamen non potuisse, ut Sabbathi cultus funditus evelleretur, ne Judæi ab amplexanda Christi Fide deterrerentur; Romanam Ecclesiam, quæ cultum Sabbathi semper repudiasset, diu omnem operam frustra contulisse, ut reliquæ Occidentis Ecclesiæ suum exemplum sectarentur; id tandem consequutum esse: persuasit enim populis, Deum eo consilio Sabbathum coli jussisse, ut significaret quietem animæ omnibus esse expetendam, ac per cessationem a peccatis, quæ sunt vera opera servilia, perturbationes animorum esse pacandas: in animis tamen Fidelium quidpiam devotionis erga Sabbathum remansisse, quo Ecclesia non inutiliter posse uti existimavit, si ex illo cultu quod esse reliquum, ad cultum erga B. Mariam converteret. Quo quidem sermone plura continentur, quæ probare si quis velit, haud facile efficiat. Baronius ad ann. Chr. 57. n. 202. & seq. auctoritate S. Ignatii Martyris Epist. ad Philippenses ostendit, in Ecclesia Orientali vetitum fuisse jejunium Sabbathi æque ac Dominicæ, in execrationem tum eorum hæreticorum, qui non credentes, Christum rediisse ad vitam, die Dominico jejunabant, tum eorum etiam, qui Hebræorum Deum mundi conditorem malum reputantes, in jejunio & mœrore Sabbathum exigebant. Præterea idem Cardinalis auctoritate Constitutionum Apostolorum (quæ si non Apostoli tribuendæ, dignæ tamen sunt, quas honore & veneratione prosequamur) demonstrat, non solum Sabbatho fuisse vetitum jejunare, sed hunc diem tanquam Festum celebrari consuevisse, non quidem in gratiam Judæorum, ne videlicet eorum animi offenderentur, sed ut appareret, Christianos ab execrando eorum errore quam maxime abhorrere, qui Judæorum Deum, quem condito mundo constat Sabbato requievisse, malum esse blasphemabant. Tandem

dem obſervat, in Occidente, Romæ preſertim, fuiſſe in more poſitum jejunare in Sabbatho; vel quia, ut ait D. Auguſtinus, Petrus Apoſtolus Sabbathi ſe munivit jejunio, ut Dominica quæ proxime conſequuta eſt, cum Simone Mago concertationem illam ſubiret, qua victor evaſit; vel quod Apoſtoli, ut ait Innocentius Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, poſt Chriſti mortem ſexta Feria, & Sabbatho mœrore confecti, ſibi a Judæis metuentes delituere: denique illud concludit, eas ob cauſas Romæ Fideles in Sabbatho jejunare ſolitos, nec illum diem ut Feſtum celebraſſe, ne cum Judæis convenire viderentur; Feſtivitas enim a Sabbatho in Dominicam translata fuerat. Verba Baronii hæc ſunt: *Sed ſicut ea die jejunare Fideles Romæ conſueverant, ita nefas ducebant eam feriave diem, ne quid cum Judæis hac ex parte commune habere viderentur. Satiſque Chriſtianæ Religioni conſultum viſum, ſi (quod Teſtamentum, cæteraque myſteria translata eſſent) mutarent etiam Sabbathum in Dominicam, cum ea potiſſimum dies tot tantiſque eſſet cumulata Sacramentis.* Quæ ab Auctore Gallo ſunt ſcripta, ſi quis cum iis, quæ Baronius docet, contulerit, facile intelliget, illum multa temere aſſeverare, hunc nihil inconſiderate, nihil non munitum rationibus & argumentis proferre; nec quiſquam fuerit, qui commentis, quæ de hac re Tractatu illo traduntur, fidem adjungat.

F I N I S.

IN-

INDEX NOMINUM,

ET RERUM MEMORABILIUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Prior Numerus indicat Librum, ſecundus Capita ejuſdem Libri, Notæ arabicæ indicant numerum marginalem cujuslibet Capituli.

A

Abba, quid ſignificet, I. VII. 6.
Ablutio pedum Feria quinta in Cœna Domini. I. VI. 51. &c. Ablutionum varia genera apud veteres Chriſtianos. 54.
Abrahæ. Abrahamo præcepit Deus Circumciſionem. I. I. 3.
Abſolutio, quæ datur populo poſt *Confiteor*, non eſt vera peccatorum remiſſio. I. VI. 68.
Abſtinentia carnium in Sabbatho quando invecta. II. XVII. 1. etc.
Accumbere. Modus accumbendi ad Menſam apud veteres. I. VI. 29. &c.
Acetum ſemelne, an ſæpius oblatum fuerit Chriſto. I. VII. 106. Acetum, cujus potus erat militibus Romanis uſitatus, cur pararetur Crucifixis. 108. a quo, & quorſum Chriſto oblatum acetum. 109.
Achior fit Judæus. I. I. 3.
Acta apocrypha Inventionis S. Crucis. I. XIV. 6. 8. &c.
Adæ uxor Theodorici. II. XII. 7.
Adam, ejuſque matrimonium cum Eva. II. I. 6. ſepultus in Calvario. I. VII. 76.
Ado Vienn. Archiep. confutatus. II. VIII. 21.
Adoleſcens, qui rejecta ſindone profugit tempore Paſſionis Chriſti, quis fuerit. I. VII. 13.
Adoratum. Sic appellatur cæremonia adorandæ Crucis in die Paraſceves. I. VII. 15.
Ædicula Deiparæ V. dicata in Monte Carmelo. II. VI. 1. &c.
Ægyptii Aſtronomiæ ſcientia peritiſſimi. I. II. 51. ad Ægyptios Circumciſionis conſuetudo ab Hebræis profecta, non vice verſa. I. I. 4.
Æneas Sylvius. Vide *Pius II.*
S. Agapius Martyr. I. VII. 49.
Ager ſiculi emptus in ſepulturam Peregrinorum. I. VII. 32.
Agnus Dei dicitur in Miſſa ex Decreto Sergii I. cur tertio dicatur *Dona nobis pacem*, at in Baſilica Lateranenſi tertio dicitur *Miſerere nobis*. I. VIII. 71. *Agnus Dei* ex cera, qui confecrantur a Pontifice. I. VII. 58.
Agnus Paſchalis utrum miniſterio Sacerdotum ſacrificandus eſſet in Templo antequam comederetur. I. VI. 11.
B. Alanus a Rupe utrum ſit Auctor Roſarii. II. XII. 7.
Alapa Chriſto impacta. I. VII. 21. &c.
Alcaratus Jo. Franciſcus citatus. II. XVI. 13.
Alcuinus. Utrum Liber, qui præfertur de Divinis Officiis genuinus Alcuini partus ſit. I. IV. 18.
Aleph, & *Beth* in Threnis Hieremiæ explicantur. I. V. 2.
Alexander II. Pontifex. I. XII. 3. &c. 9.
Alexander IV. Pontifex. II. XII. 8.
Alexander VII. Pontifex, ejuſque Conſtitutio in favorem Immaculatæ Conceptionis. II. XV. 15.
Alexandrini Epiſcopi ſingulis annis Romano Pontifici & Eccleſiis Ægypti ſcribebant ad Paſchalem diem indicendum. I. II. 51.
Alleluja quando olim caneretur, & quid ſignificet. I. VIII. 65.
S. Almachius, male confuſus cum S. Telemacho I. I. 22.
Alphæus Pater S. Jacobi minoris. I. VI. 4.
Alphonſus VI. Caſtellæ Rex II. X. 3.
Altaria cur nudentur Fer. 5. in Cœna Domini. I. VI. 48. 50. cur abluantur. 49. 50. cur olim in Sabbatho S. ſeptem ornarentur. I. VIII. 72.
Alvernia mons diffiſus in die mortis Chriſti. I. VII. 122.
Amani Epiſc. Sebenicenſis Ord. Servorum B. M. V. Theologus in Conc. Tridentino. I. VIII. 8.
Amburbalia quid ſint. II. II. 14. &c.
Anabaptiſtæ. Eorum error refellitur. I. X. 24.
S. Anaſtaſia Martyr die 25. Dec. I. XVII. 22.
Angelus. Angeli colloquium cum B. Maria V. II. III. 10. Angelus, qui nocte Nativitatis apparuit Paſtoribus fuit Arch. Gabriel. I. XVII. 47. Angeli ad Sepulchrum Jeſu Chriſti. VIII. 32. &c. Angeli omnes Chriſto in cœlum aſcendenti obviam venerunt. X. 48. Angelorum, qui corpora aſſumunt non eſt vera comeſtio. 14.
Anglia. In Anglia primum celebrari cœpta eſt Solemnitas Conceptionis B. M. V. II. XV. 18. &c. Angli Feſtum SS. Nominis Jeſu celebrant. I. III. 8.
Anima Chriſti Domini in ſuperiori parte, utpote quæ divinitate fruebatur inter maximos dolores ſummo ſemper gaviſa eſt gaudio. I. VII. 73. deſcendit ad Inferos. VIII. 4. an Verbo unita. 8. per eſſentiam ſuam deſcendit ad ſinum Abrahæ; non tamen per eſſentiam ſuam, ſed per ſuum effectum deſcendit ad Inferos, ibique nihil acerbi ſenſit. 10. Animæ Juſtorum, quæ erant in ſinu Abrahæ aſcenderunt in Cœlum cum Chriſto. X. 49. Animæ Mortuorum, qui in morte Chriſti ſurrexerunt, & cum eo aſcenderunt in Cœlum, ubi quadraginta illos dies exegerint. 50.
S. Anna Mater B. M. V. Et error de illius Virginitate damnatus. II. IX. 14. ejus Feſtum 25. 27. & cultus. 26. &c.
Anna Prophetiſſa. II. II. n. 5.
Annas Pontifex. I. VII. 14. 22.
Annulus B. M. V. ſervatus Peruſiæ. II. I. 15.
Annuntiatio B. M. V. II. III. 1. &c.
Annus emortualis Chriſti. I. VII. 139. Annus Nativitatis ejuſdem. XVII. 40. &c.
S. Anſelmus Archiep. Cantuarienſis, ejuſque Epiſtola in dubium revocata. II. XV. 18. &c.
Antiquitas Feſti Circumciſionis. I. I. 20.
de Anziis. Vide *Aurelius*.
Apoſtoli omnes num a Fide deſciverint ita, ut per triduum illud, quo Chriſtus vita caruit, Fides ſteterit in ſola B. V. I. V. 8. utrum baptizati fuerint, & utrum ante, an poſt Aſcenſionem. X. 35. quando celebraverint primam Miſſam. XI. 42. ubi eſſent quando deſcendit Spiritus Sanctus. 16. 18. cur Chriſtus non adduxerit omnes Apoſtolos ad Tranſfigurationem. XV. 12. ab Apoſtolis inſtituta Aſcenſionis Solemnitas. X. 57. 58.
Apoſtolica Sedes propendet in ſententiam Immaculatæ Conceptionis B. M. V. II. XV. 2. 4. 26. 23. permiſit tamen Fratribus Ord. Prædicatorum privatim contrariam ſententiam tenere. 15. immo error eſt credere, quod hunc articulum definiverit. 23.
Apparitio. Quæ Chriſti apparitiones, ſeu manifeſtationes, & cur ternæ recoluntur in die Epiphaniæ. I. II. 1. &c. Apparitiones Chriſti ante Aſcenſionem. X. 1. &c. Apparitio Deiparæ SS. Petro Nolaſco, & Raymundo de Pennafort. II. XI. 1.
Aqua. De miraculo aquæ a Chriſto Domino in vinum converſæ. I. II. 13. fuit primum Chriſti Miraculum, & quidem editum nullo exteriori ſigno. 30. an contigerit die 6. Januarii. 34. &c. utrum illud vinum fuerit rubrum. 30. Aqua Epiphaniæ miraculoſa. 48. hujus Aquæ benedictio. 51. Aqua vera fluxit e Chriſti latere, & unde manaverit mixta ſimul cum ſanguine. VII. 128. &c.
Ara Cœli quando, & a quo extructa. I. XVII. 53.
Arbor, ad quam ſe ſuſpendit Judas cujus generis fuerit. I. VII. 32.
Argentei Judæ in pretium dati quanti valerent. I. VII. 32.
Argumentum negativum quam nullius ſit roboris. I. X. 55. XIV. 32. II. XVI. 10.
Ariſtoteles utrum ſalvus ſit. I. VIII. 13.
Ariſt Joannes Chriſtianus. I. IV. 7.
Arundo Chriſti Domini. I. VII. 58.
Aſcenſio Chriſti eſt cauſa noſtræ ſalutis, & quamobrem. I. X. 40. Aſcenſionis Feſtum. 1. &c. ſolemnitatum omnium dicitur complementum. 56. hæc ſolemnitas unde repetenda. 57. quare olim eo die fieret Proceſſio, & benedicerentur panis ac novi fructus. 59.
Aſinus. Aſinis, & Mulis utebantur primores viri Judæorum. I. IV. 15. Aſinus, & Bos ad Præſepe Chriſti Domini. XVII. 35. &c.
Aſſumptio quid proprie ſignificet. II. VIII. 23. aſſumptio B. M. Virg. 1. &c. quid differat ab Aſcenſione Chriſti. 13. olim expreſſa *Pauſationis* vocabulo. 22. etiam *Dormitionis*. 23. apud priſcos Eccleſiæ Patres de hac Aſſumptione ſilentium magnum; ſed ea eſt ſententia Patrum Græcorum & Latinorum medii ævi. 15. etiam Theologorum. 16. imo Eccleſiæ univerſæ. 17. non eſt articulus Fidei, ſed temerarius eſſet qui eam negaret. 18.
Atrium Templi. I. VII. 119.
Auditores quinam in veteri Eccleſia. I. VI. 68.
S. Auguſtinus Ciceronem legens ad Cœleſtia rapiebatur. I. III. 13. S. Auguſtinus citatur. I. II. 42. 43. 46. VII. 35. 99. IX. 4. &c. X. 38. 57. &c. explicatur. I. I. 7.
Auguſtus cenſum univerſi Orbis edixit. I. XVII. 1. &c. & quare. 11. utrum viderit B. Virginem cum Filio ſublimem in aere. 53.
Auxilia ſufficientia ad ſalutem pro omnibus exoravit a Deo Chriſtus Dominus. I. VII. 94.

de A-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

de Ayala Joannes Interian. I. 1. 14.
Azarius citatus. II. VIII. 25.
Azymus. Solemnitas Azymorum quando, & quamdiu celebrarentur apud Hebræos. I. VI. 17. etiam appellatur Pascha. 33. Azymum ne an fermentatum panem consecraverit Christus. 38. *&c.* Azymo consecrare quandonam cœperit Ecclesia Latina. 38.

B

Baco. Rugerii Baconis sententia proscripta. I. VII. 135.
Bailletus laudatur. II. XVI. 7. intemperantioris ingenii vir. XII. 8. XVI. 8. citatur. II. VII. 2. refellitur. II. VII. 13. Liber de devotione, & cultu in Deiparam ipsi attributus confutatur. II. XVIII. 7.
Balnei usus apud Veteres. I. VI. 31.
Baptismus. Baptismi forma. I. X. 24. Baptismus per immersionem. 11. 29. Baptismus, & Confirmatio etiam Interdicti tempore conferuntur. VI. 63. Baptismus Cathecumenorum, & Infantium in Sabbatho Sancto. VIII. 59. In Dominica Palmarum caput abluebatur Infantibus baptizandis in Sabbatho Sancto. IV. 22. Baptismus olim conferebatur in Vigilia Pentecostes. XI. 36. an etiam per 50. dies præcedentes. 39. Baptismus Jesu Christi. II. 23. quo die contigerit. 33. Baptismus Joannis, & de illo quæstiones aliquot. 24.
Barabbas, cui posthabitus est Jesus. VII. 45. 49.
Barbatus Episc. Bononiensis. I. VI. 54.
Baronius Cæsar Card. laudatus. I. XVII. 23. vindicatus. VII. 48. citatus. 78. VIII. 45. II. VIII. 3. XVIII. 7.
Bartholinus Thomas. I. VII. 85.
Bartholomæus an sit idem cum Nathanaele. I. X. 9.
Basileense Concilium. Vide *Concilium*.
Basilicæ; quid olim vox hæc significarit. II. VII. 10. Liberiana multiplicem habet denominationem. II. VII. 1. *&c.* non fuit omnium prima quæ fuerit Beatæ Mariæ V. consecrata. 18. miraculum delapsæ nivis in ejus ædificatione. 6. a quo vere fuerit ædificata. 10. 11. Basilica Lateranensis. I. VIII. 71. S. Mariæ. II. VII. 17. S. Mariæ ad Martyres seu Pantheon. 18. Vaticana. I. VI. 69.
Basiliscus miraculose necatus Romæ ope Deiparæ. II. VIII. 27.
Battellus Jo. Christophorus citatus. I. XVI. 13. *&c.*
Beda citatus. II. XVI. 4. utrum Auctor Rosarii. XII. 4. *&c.* Bedæ tribui non potest Liber de locis Sanctis. VIII. 20.
Bellarminus Cardinalis Robertus citatus. I. XI. 26. *&c.* II. XV. 13. vindicatur. XIII. 2.
Beltis quid significet. II. XII. 8.
Benedicere est etiam idem, ac *gratias agere*. I. VIII. 48. Benedicere non est semper officii Sacerdotalis, sed sæpe significat *bene alicui precari*. II. 11. 5. nulla re utitur Ecclesia, quin eam prius benedixerit. I. VIII. 50.
Benedicta tu in mulieribus genus salutationis Hebraicæ ad indicium futuri partus. II. III. 7. 10.
Benedictio Christi super Apostolos in die Ascensionis cujusmodi fuerit. I. X. 36. Benedictio Candelarum in die Purificationis. II. 11. 10. Cerei Sabbatho Sancto. I. VIII. 54. *&c.* & in Pervigilio Pentecostes. XI. 36. Fontis Baptismalis. I. VIII. 63. XI. 39. novorum Fructuum. X. 59. quinque Granorum Incensi die Sabbathi Sancti. VIII. 50. *&c.* Ignis eodem die. *ibid.* Oleorum, ejusque ritus explicati. V. 64. *&c.* Panis. X. 59.
S. Benedictus utrum Auctor Rosarii. II. XII. 4. *&c.*
Benedictus XIII. Pont. I. VI. 68. II. XII. 17. citatur. VIII. 6. XVIII. 2.
BENEDICTUS XIV. *Pont. hujus Operis Auctor* fuit Canonicus Theologus Basilicæ Vaticanæ, ejusque Capituli Tabulario Præfectus. I. VI. 49. fuit Episcopus Anconæ antequam ad Bononiensem Ecclesiam transferretur. XIV. 9. ejus de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ V. sententia. II. XV. 24. 25. ejus Decretum de Cappella Pontificia in Festo Conceptionis. 22. ejus sententia circa Domum Lauretanam. XVI. 4. & circa Ecclesiam B. Virgini adhuc viventi ædificatam. VI. 5. ejus judicium de Alexandri Machiavelli Opusculo Ferrariæ impresso. II. XII. 9. de Rosario scripsit hujus sacri ritus optime meritus. II. XII. 2. 17. fuit amicitia conjunctus cum Jo. Christophoro Bartello Archiep. Amasseno. I. XVI. 15. citatur cum laude. II. XII. 2.
Berengarius, ejusque hæresis. I. XIII. 6.
S. Bernardinus Senensis. I. III. 9.
S. Bernardus. II. XIII. 3. ejus Epistola ad Canonicos Lugdunenses. XV. 3. *&c.* excusatur. 4. 21. citatur. I. III. 12. X. 56. II. IX. 17.
P. Berti, ejusque anxia dubietas non approbatur. VII. 83.
Bethania ubi sita effet. I. X. 41. *&c.*
Bethlehem Urbs Davidis gentilitia. I. XVII. 13. duæ Civitates hoc nomine appellatæ. 23.
Beza refutatur. I. XI. 11.
Bineus Antonius citatus. I. 1. 4.
S. Birgitta, ejusque Revelationes citatæ. I. VII. 52. 65. 88. II. VIII. 25.
S. Blandinæ in Cruce a feris dilaniata. I. VII. 107.
Bocquillotus citatus. I. VI. 39.
Bodinus, ejusque nefaria impietas. I. XVII. 16. ejus profligata sophismata. 17. confutatur. 28.
Bollandistæ citati. I. XIV. 16. *&c.* II. III. 17. VII. 16. laudati. II. VI. 5.

De Fest.

Bonifacius IV. Pont. II. VII. 18.
Bononiensis Ecclesia *S.* Stephani, ejusque Inscriptio rarissima. I. VI. 54.
Bos & Asinus ad Christi Domini Præsepe. I. XVII. 35. *&c.*
de Brandelis Vincentius. II. XV. 8.
Brantius. Vide *Petrus Brantius*.
Breviarium. Breviarii Romani historiis quanta fides haberi debeat. II. VI. 3. in Breviario Romano dubiæ olim historiæ continebantur. I. XIV. 9. 19. Breviariis parum credit Tillemontius. II. VII. 9.
Bulla in Cœna Domini, & variæ eruditiones circa illam. I. VI. 70. Joannis XXII. quæ dicitur Privilegium Sabbathinum non habetur in Bullario Romano. II. VI. 4. supposititia creditur. 5. difficultates adversus eam a Theologia petitæ. 6.
de Busti Bernardinus composuit Officium SS. Nominis Jesu. I. III. 11.

C

C, & *G* litteræ promiscue adhibitæ. I. XVII. 58.
Cadaver. Cadavera ungebantur, & longis *institis* constringebantur apud Judæos. I. VII. 133. consuetudo condiendi cadavera aromatibus unde traducta. VIII. 31. cadaverum incorruptio.
Cælestinus. Vide *Cælestinus*.
Cælum. Vide *Cœlum*.
Cæremoniæ factæ symbolicas præseferunt significationes. I. V. 5. *&c.* Cæremoniæ, quas adhibet Ecclesia fer. 5. in Cœna Domini. VI. 47. Cæremoniæ, quibus Ecclesia diem Parasceves colit. VII. 130. Cæremoniæ, quibus Sabbatho Sancto Ecclesia celebrat Resurrectionis Mysterium. VIII. 50. Cæremoniæ quædam peculiares quarumdam Ecclesiarum in Sabbatho Sancto. 73.
Cæremoniale Romanum, quod tribuitur Marcello Corcyrensi Archiep. Auctorem habet Augustinum Patritium Picolomineum Ep. Pientinum. I. VI. 55.
Cæsar, ejusque Edictum de censendo Romano Imperio. I. XVII. 1. *&c.*
Cajetanus Card. ejusque Opusculum de Conceptione B. M. Virg. II. XV. 20.
Caiphas Pontifex Judæorum. I. VII. 14. 22. 30.
Calix quid significet in sacris Paginis. I. VII. 6. quomodo intelligenda illa Christi verba, *Transeat a me Calix iste!* 7. Calix in ultima Christi cœna duplex fuit, alter consecratus, alter non. VI. 36 Calix in quo fuit a Christo consecratum vinum ubi asservetur. *ibid.*
Callixtus III. Pont. I. XV. 19. *&c.*
Calmetus citatus. I. XVII. 20. II. XVI. 11. ejus opinio rejicitur. I. XI. 23.
Calvarius unde nomen traxerit. I. VII. 76.
Calvinus confutatus. I. VII. 129. XIII. 8. II. XIII. 2. ejus impia in Christum blasphemia. I. VII. 103. Prava Calvinistarum interpretatio in illa verba, *Consummatum est*. 112. Calvinistæ historiam Inventionis S. Crucis explodunt. XIV. 22.
Campanæ. Cur interdictus Campanarum usus Fer. 5. in Cœna Domini. I. VI. 48. *resumitur in Sabbatho Sancto*. VIII. 65.
Cana Galilææ, & miraculum ibidem a Christo in nuptiis patratum. I. 1. 30.
Candela. Candelæ interdiu etiam accendebantur. I. V. 7. Candela, quæ in Matutinis Hebdomadæ Sanctæ servatur accensa, quid significet. 8. 9. Candelæ in formam trianguli arundini impositæ in Sabbatho Sancto. VIII. 51. *&c.*
Candelaria Festum Purificationis. II. 1. 9.
Canisius Petrus citatus. II. IV. 3. *&c.* VII. 2. IX. 18. XIII. 3. XIV. 8.
Canon. Canon Missæ incipit a littera T, seu a Crucis imagine. I. VII. 83. Canon Paschalis S. Hippolyti M. 135.
Canonici Parisienses contendunt inter se propter Assumptionem B. M. Virg. II. VIII. 22.
Canticum Magnificat vindicatum ab Hæreticorum calumniis. II. V. 7.
Canus Melchior laudatur. I. II. 14. *&c.* refellitur. VII. 73.
Cappella Pontificia stabilita a BENEDICTO XIV. in Festo Conceptionis. II. XV. 22.
Capitolavium dicebatur Dominica Palmarum. I. IV. 22. VI 54.
Caput. Movendi caput Hebræorum consuetudo est. I. VII. 92.
Cariath-Arbe Civitas Sacerdotalis ex Tribu Juda. II. V. 4.
Carmelitæ. Ordo Carmelitarum, & Indulgentiæ ipsis concessæ. II. VI. 2.
Carmelus Mons ubi situs. II. XI. 2.
Carnes. Usus carnium cur permittatur etiam in diebus interdictis, si incidant in Natale Domini. I. XVII. 37. carnium abstinentia in Sabbatho, quando invecta. II. XVII. 2. *&c.*
S. Carolus Borromæus. I. VI. 68.
Carolus Magnus Imperat. II. VIII. 28.
Carolus V. Francorum Rex. II. XIV. 7.
Casaubonus confutatus. I. XVII. 31. II. 2. 8.
Casimirus I. Poloniæ Rex. II. X. 3.
Casinenses Abbas vinum per fistulam in Missa solemni exsorbebat. I. VII. 111.
Cathecumeni olim *Competentes* appellati, quinam sint. I. IV. 21. Cathechumenorum oleum. VI. 62. Missa. 68.
Catharinus, ejusque Tractatus de Immaculato Conceptu citatus. II. XV. 12.
Causa itineris suscepti a B. V. ad visitandam Elisabeth. II. V. 2. *&c.*

Cellenſis. Vide *Petrus Cellenſis*.
Cencius Romanus, ejuſque atrox in Gregorium Pp. facinus. I. XVII. 61.
Cenſus Imperii Romani indictus a Cæſare, multæque circa illum difficultates. I. XVII. 1. &c. quid referretur in tabulas cenſuales. 15.
Centurio confeſſus eſt Chriſtum motus Paſſionis prodigiis. I. VII. 113. &c. quis ille fuerit. 125.
Cereus. Paſchalis Cerei benedictio unde repetenda. I. VIII. 54. quæ ejus ſignificatio. 55. quouſque in Templo accendendus. X. 60. Cerei benedictio in Pervigilio Pentecoſtes. XI. 36.
Cerularius Michael. I. VI. 38.
Ceſtius Præſes. I. VI. 11.
Chlamys coccinea Chriſti Domini. I. VII. 57.
Choſroas Perſarum Rex. I. XVI. 1. &c.
Chriſma, ejuſque confectio, & conſecratio. I. VI. 60. &c. Chriſma ſacrum ſalutatur, & quare. 66. 69.
Chriſtus incarnatus eſt 25. Martii, ex traditione Eccleſiæ. II. III. 15. quod & miraculo comprobatur. 16. ejus privilegia, & dotes jam ab ipſo ſuæ conceptionis momento. 13. Chriſtus quo anno, menſe, die, & hora natus ſit. I. XVII. 40. &c. in Urbe Bethlehemo, an in ſubterbiis natus ſit. 29. &c. in domo, an in ſpelunca, ubi eſſet ſtabulum. 32. &c. ejus Præſepe. II. VIII. 3. Chriſtus Circumciſionis lege non fuit adſtrictus. I. 1. 37. cur tamen voluerit circumcidi. 18. ejus Nomen. III. 1. &c. Chriſtus ubi repertus ſit a Magis. 11. 17. &c. non erat ſubditus Legi Primogenitorum. II. 11. 2. &c. ejus Præſentatio in Templo non celebratur in die Præſentationis B. M. V. XIV. 1. Chriſtus quare dicatur Nazarenus, & Galilæus. I. XVII. 28. diſputat in Templo cum Doctoribus. II. 23. ejus Baptiſmus. *ibidem*. quædam circa illum Quæſtiunculæ. 28. quo die contigerit. 33. cur Chriſtus baptizari voluerit a Joanne. 27. eo baptizato decuit ut Cœli aperirentur, Spiritus S. ſuper eum deſcenderet, & vox æterni Patris audiretur. 28. num Chriſtus baptizatus fuerit per immerſionem. 29. Chriſti primum Miraculum in Nuptiis Canæ Galilææ, & reſponſum ea occaſione datum Matri intercedenti pro invitatis. 23. Chriſtus quomodo fuerit transfiguratus. XV. 1. &c. Chriſti Domini lacrymæ ſuper Jeruſalem, & circa illas Diſſertatio. IV. 7. oracula in excidio Hieroſolymitano impleta. 8. &c. ingreſſus triumphalis Hieroſolymam. 11. &c. num aſello, & anna, an aſello tantum Chriſtus inſederit. 6. quo die, & anno Hieroſolymam ingreſſus ſit. 4. utrum poſtremo vitæ ſuæ anno Paſcha legale celebraverit. VI. 6. &c. 10. &c. quo tempore celebraverit Paſcha. 12. 19. &c. quo die. XI. 24. quid fecerit in ultima Cœna. VI. 27. &c. 33. 37. quomodo lavit pedes Diſcipulorum. 29. quando lavit. 34. ſe ipſum in ultima Cœna communicavit. 41. Chriſti Domini Paſſio per ſingulas partes explicata. VII. 2. &c. decuit Chriſtum pati Hieroſolymis. 74. utrum oportuerit pati in Cruce. 72. utrum Chriſtus omnes paſſiones ſuſtinuerit. 72. Chriſti ſudor ſanguineus. 3. captura, & variæ circa illam quæſtiones. 18. &c. Chriſtus damnatus a *Judæis ex diverſa cauſa*, quam a Pilato. 41. ſemelne tantum, an bis, & quomodo flagellatus ſit. 50. &c. Chriſti Crux qualis fuerit. 83. &c. Chriſti Crucem bajulantis circumſtantiæ quædam adnotatæ. II. IV. 6. Chriſto moriturо triplex potus oblatus. I. VII. 72. Chriſtus jacentine an erectæ Cruci affixus ſit. 86. *manibus*, & pedibus Cruci affixus quaternis clavis, non funibus alligatus. 87. e Cruce pendens utrum habuerit coronam ſpineam. 89. non pro Principibus oravit, ſed pro populo, & gentibus. 93. pro omnibus eum oraſſe contendit Suarez. 94. quare cum dixit, in Cruce, *ut quid dereliquiſti me*, non utitur voce *Patris*, utitur vero cum dixit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*. 103. Chriſti clamor in Cruce miraculo adſcribendus. 113. Chriſto dextrum latus non ſiniſtrum lancea confoſſum fuit. 117. Chriſti mors quo anno, die, & hora acciderit. 135. &c. quo anno ætatis ſuæ. 139. Chriſto moriuo num fides in omnibus Apoſtolis naufragaverit. V. 8. Chriſti ſepultura. VII. 130. &c. cur in ſepulchro novo conditus fuerit Chriſtus. 134. Chriſti corpus non decuit putreſcere *in ſepulchro*. VIII. 3. anima deſcendit ad Inferos. 4. quomodo, & ad quid deſcenderit. 10. &c. quomodo intelligatur, Chriſtum tribus diebus, & tribus noctibus ſteriſſe in ſepulchro. 24. &c. Chriſti Reſurrectio. 14. &c. Apparitiones in die Reſurrectionis, & an primæ omnium ipſe apparuerit B. Mariæ V. 44. &c. Chriſti apparitiones ante Aſcenſionem. X. 1. &c. utrum Chriſtus ad menſam ubi cum Diſcipulis Emmauntem proficiſcentibus ſedebat panem conſecraverit. VIII. 47. &c. quomodo januis clauſis intrare potuerit ubi erant Apoſtoli. X. 3. vere comedit cum Apoſtolis in litore Maris Tiberiadis. 13. &c. cur ter interrogaverit Petrum *Amat me?* 15. illa Chriſti verba: *data eſt mihi omnis poteſtas*, quomodo intelligenda. 23. in Chriſti nomine baptizari quid ſignificet. 24. illa Chriſti verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. quo ſenſu intelligenda. 27. Chriſti in Cœlum Aſcenſio. 28. &c. Chriſtus quo ſenſu dicatur ſedere ad dexteram Patris 33. &c. Chriſtum quid magis decuerit, Aſcendere in Cœlum, an non? 57. qua virtute ipſe in Cœlum aſcenderit. 39. cur expediens nobis fuerit eum in Cœlum aſcendere. 40. quomodo, quanto tempore, & veſtituſne ipſe aſcenderit. 45. ejus veſtigia in Monte Oliveti. 53. ejus Divinitas neque fuit ſeparata a corpore, neque ab anima in illius morte. VIII. 8. neque a ſanguine. 9. de Chriſti Divinitate nunquam dubitavit Beata Virgo. II. IV. 3. Chriſti Divinitas Magis cognita fuit. I. 21. 20. &c. Chriſti duplex voluntas explicatur. VII. 6. Chriſti anima in ſuperiori parte ſummum ſemper fruitionis gaudium percepit. 72. Chriſti oratio utrum ſemper fuerit exaudita. 7. &c. Chriſti verba de adventu Eliæ explicata. XV. 19. Chriſtus Dominus, quod Paralyticum ſanaverit die Sabbathi accuſatus ſe defendit. I. 3. Chriſti humilitas. VI. 32. 52. II. 13. 3. Chriſti non emortualis tantum, ſed natalis etiam dies celebratur. IX. 2. Chriſtus Dominus ſymbolice ſignificatur per candelam illam, quæ in Matutinis Hebdomadæ Sanctæ ſervatur accenſa. I. V. 5. quare non dicatur: *Jeſu Chriſte ora pro nobis*. III. 34. X. 40.
Chronicon Alexandrinum emendatur. I. XVI. 10.
Chryſoſtomus. Vide *S. Joannes Chryſoſtomus*.
Cicatrix. Cur cicatrices remanſerint in Chriſti corpore. I. VIII. 36.
Circumciſi appellati Judæi. I. 1. 5.
Circumciſio. Præceptum Circumciſionis, ejuſque proprietates. I. 1. 2. hanc Deus præcepit Abrahamo; lex deinde promulgata per Moyſen. 3. non ab Ægyptiis ad Hebræos, ſed ab his ad Ægyptios profecta eſt. 4. ejus effectus. 5. &c. fuit Sacramentum veteris Legis. 12. ejus obligatio etiam tum cum natus eſt Jeſus vigebat. 16. Circumciſionis die nomen impoſitum infantibus. III. 3. Circumciſio Chriſti, ejuſque adjuncta loci, temporis, miniſtri, & inſtrumentorum. 3. 13. &c. Circumciſionis Feſtum. 19. &c.
Civitas, quo profecta eſt Deipara ad inviſendam Eliſabeth, quænam fuerit. II. V. 4.
Clamor Chriſti in Cruce miraculo adſcribendus. I. VIII. 113.
Claudia Procula uxor Pilati utrum ſancta. I. VIII. 46.
Clavi, quibus Chriſtus Cruci affixus eſt, fuerunt quatuor. I. VII. 87.
Clemens V. Pontifex. I. XIII. 7.
Clemens X. Pontifex. II. XII. 14.
Clemens XI. Pontifex. II. XII. 16. cum de præcepto obſervari Feſtum Conceptionis juberet, teſtatus eſt, ſe noluiſſe controverſiam definire. II. XV. 23.
Clerus. Communio Cleri Fer. 5. in Cœna Domini. I. VI. 48.
Codices ſacri mutilati. I. VII. 9.
Cœleſtinus IV. Pontifex. II. IX. 10.
Cœlum. Decuit ut Chriſto baptizato Cœli aperirentur. I. 11. 18. quomodo aperti ſunt. 29.
Cœna Domini. I. VI. 1. &c. triplex fuit. 34.
Cœnaculum quid ſit. I. XI. 16. illud, quo receſſerunt Apoſtoli poſt Chriſti Aſcenſionem, cujus eſſet. 17.
Colloquium Angeli cum B. V. Maria II. III. 10. inter B. Virginem, & S. Eliſabeth remoris omnibus. V. 4. &c.
Columba, quæ apparuit ſupra Chriſtum qualis fuerit. I. 11. 25.
Columna, ad quam flagellatus fuit Chriſtus. I. VII. 51.
Columna Joannes S. R. E. Cardinalis. I. VII. 51.
Comeſtio Chriſti poſt Reſurrectionem vera fuit; at Angelorum qui corpora aſſumpſerunt non eſt vera comeſtio. I. X. 14.
Communicantes citra oblationem quinam eſſent. I. VI. 68.
Communio ſub utraque ſpecie. I. VII. 155. Communio Fer. 6. in Paraſceve nunc non datur niſi infirmis. 156.
Competentes cur dicerentur Catechumeni. I. IV. 21.
Computum annorum ab Orbe condito juxta LXX. longe diverſum eſt a computo eodem juxta Hebræos Codices. XVII. 41.
Conceptio. Chriſti Conceptio quomodo facta ſit. II. III. 11. prodigia, dona, & privilegia, quibus fuit condecorata. 13. S. Maria de Conceptione vocatur Beata Virgo ab Angelo ſalutata. 18. circa Chriſti Conceptionem putidæ aliquæ opiniones rejectæ. 19. Conceptio Immaculata Mariæ V. non eſt tanquam Articulus Fidei definita. XV. 23. 25. etiamſi Apoſtolica auctoritate Feſtum Immaculatæ Conceptionis celebretur. 24. Conceptio B. Mariæ V. alia eſt activa, alia paſſiva. 1. de paſſiva celebratur Feſtum, eaque dicitur fuiſſe Immaculata, cui ſententiæ favet Apoſtolica Sedes. 2. 4. 16. 25. contra Immaculatam Conceptionem infelici exitu Joannes de Monteſono ſurgit. 6. quid in hac materia definierit Concilium Tridentinum, 11. &c. Paulus V. vetat affirmare Beatam Virginem in originali peccato conceptam, cum aliqua tamen adjecta declaratione. 14. Alexander VII. vocat B. Virginem prævenente Spiritus Sancti gratia a peccato originali præſervatam. 15. iiſdem verbis concludit ſententiam ſuam BENEDICTUS XIV. auctor Sanctiſſimus hujus Voluminis. 16. argumenta quibus hoc aſſerrum probatur. *ibid.* Conceptionis B. Mariæ quomodo celebrari poſſit Feſtum, licet Myſterium non definitum. 23.
Concilium Judæorum, ejuſque contra Chriſtum Acta irrita. I. VII. 29.
Concilium Africanum. I. VIII. 61.
Concilium Baſileenſe, ejuſque quæſtiones excitatæ circa Inſtitutionem Feſti Viſitationis. II. V. 10. ejus decretum, quo ſtatuitur Immaculata Conceptio. XV. 7. attamen illud Concilium tum non erat amplius legitimum. 8.
Concilium Eliberitanum, *ſeu* Illiberitanum, ejuſque Canon 34. explicatur. I. V. 7. Canon 43. pariter explicatus. XII. 33.
Concilium Narbonenſe. I. XII. 9.
Concilium Nicænum. I. IX. 7. XII. 5. &c. ejus Canon 4. citatus.
Concilium Toletanum ſæculo 7. habitum explicatur. II. III. 16. Concilium Toletanum 17. citatum. I. VII. 152.
Concilium Tridentinum, & propoſita in eo controverſia de Immaculata Conceptione. II. XV. 10. &c.
Concilium Turonenſe, ejuſque Canon 17. illuſtratus. I. 1. 23.
Concionatores quidam parum prudenter Mariam Virginem ante Crucem exhibent prope exanimatam, & mulierculariam ſimilem. II. IV. 8.

Confessio peccatorum qualis in usu fuerit apud Judæos. I. 11. 15. &c. Confessionis sigillum. VI. 48. Confessio D. Thomæ Apostoli. X. 5.
Confirmatio. Sacramentum Confirmationis. I. VIII. 59. &c. conferebatur olim in Paschate, & Pentecoste statim post Baptismum. XI. 40.
Confiteor. Absolutio quæ datur populo post *Confiteor* quando invecta. I. VI. 68.
Confraternitas Sanctissimi Rosarii Placentina. II. XII. 8.
Confecrari quid differat a *Sanctificari*. I. VII. 144. &c.
Confecratio in fermentato. I. VI. 7. 13. utrum a Christo Domino prolata Confecrationis verba. 40.
Constantia B. Mariæ Virginis. II. IV. 5. 8.
Constantinus Magnus Imperator. I. IX. 7. XIV. 5. &c.
Constitutiones Apostolorum. II. XVIII. 7.
Consuetudines quædam antiquæ in Festo Pentecostes sublatæ. I. XI. 36.
Convicia Judæorum in Christum Jesum. I. VII. 92.
Convivia Hebræorum, I. VII. 6.
Corona spinea capiti Christi Jesu imposita. I. VII. 57. &c. 89.
Corpus. Non decuit Corpus Christi putrescere in sepulchro. I. VIII. 3. Corpus Christi quievit in sepulchro, & triduo illo mortis hypostatice conjunctum fuit cum Verbo. 8. Corpus Christi resurgentis quale fuerit. 35. &c. quare vulnerum cicatrices retinere voluerit. 36. Corpus Christi gloriosum penetrare poterat, quocunque vellet. X. 3. Festum Corporis Christi unde primum ortum duxerit. XIII. 2. &c. quis Pontifex eo die Processionem instituerit. 30. quis Auctor ejus Officii. 21. Corpus Beatæ Mariæ V. intelligitur de Sepulchro ejusdem. II. VIII. 28. Corpus glorificatum. I. XV. 5. Corpora Sanctorum Magorum prius Constantinopolim, deinde Mediolanum, denique Coloniam asportata. I. II. 8.
Corsini. Vide *Nerius Card. Corsini*,
Cosroes. Vide *Chosroes*.
Critica intemperantius indulgens Hyacinthus Serry. II. IX. 28. Bollandistæ Critici præstantissimi. XVI. 5.
Cruciarii. I. VII. 86. suam bajulabant crucem. 62. quomodo vitam finiebant in Cruce. 125.
Crurifragium, & quare latronibus crura fracta, non Christo. I. VII. 124. &c.
Crux. Crucis supplicium. I. 7. 50. an Judæis usitatum. 79. quam teterrimum, & infame supplicium fuerit apud Romanos. 80. &c. Crucis variæ formæ. 82. cujusmodi illa, cui affixus est Christus. 83. num præalta, an vero brevis. 84. an suppedaneo, & sedili instructa. 85. jacentine, an erectæ Cruci fit affixus. 86. tribusne, an quatuor clavis. 87. Crucis Titulus. 65. &c. Crux patibulata. XVI. 14. 15. Crux miraculosa quæ Constantino apparuit, XVI. 1. &c. tres Cruces a S. Helena effossæ in Calvario. 4. vera Christi Crux miraculo dignoscitur. 5. quo tempore inventa fit. 6. &c. ejus Inventio quando primum celebrata. 17. &c. ejus Officii quis Auctor. 18. Crucis ostendendæ ritus in Fer. 6. Parasceves unde originem habuerit. 36. Fer. 6. in Parasc. cur adoretur Crux humi jacens. VII. 86. cur exponatur aspectui & adorationi populi, & quamobrem interea canantur improperia. 142. 144. cur latriæ cultu quælibet Crux adoranda, & an hyperduliæ. 145. de cultu S. Crucis. XIV. 20. Crucis patibulo nemo amplius damnari potest ex decreto Constantini. *ibid.* Sancta Crux quanta veneratione coleretur Constantinopoli. XVI. 8. de Crucis Exaltatione quid vetera tradant monumenta. 1. &c. quam vetus ea solemnitas. 12. de aureo Heraclii nummo Crucis signo percusso. 7. 13. &c.
Cultri Circumcisionis utrum semper lapideus. I. 1. 14.
Cultus, quo Magi adoraverunt Christum, fuit cultus Latriæ. I. 11. 19. Cultus præstitus Sanctæ Cruci in Urbe Constantinopoli tribus postremis Majoris Hebdomadæ diebus. XVI. 8. Cultus Hyperduliæ Beatæ Virgini diebus. II. XIII. 1. Cultus Deiparæ Virgini semper exhibitus ab Ecclesiæ primordiis sæculo 10. auctus est. XVIII. 1. &c. Cultus erga nomen B. Mariæ Virginis. X. 5. Cultus Sanctorum Veteris Testamenti. IX. 17.
Cyrene Urbs non una, sed triplex fuit. I. VII. 62.
S. Cyrillus Hierosolymit. Ejus Epistola ad Constantium Imp. I. XIV. 30. utrum sit apocrypha. 11. &c.
Cyrinus, & *Cyrenius* Syriæ Præses. I. XVII. 5.

D

Damnati ante Crucis supplicium flagellari soliti. I. VII. 50.
Data est mihi potestas &c. quomodo hæc Christi verba intelligenda. I. IX. 23.
Decretalis Quoniam de Feriis &c. illustratur. I. XII. 1. &c. ea Alexandro II. non III. tribuenda est. 2.
Decretum Universitatis Parisiensis pro Immaculata Conceptione. II. XV. 9. 25.
Dedicatio S. Mariæ ad Nives. II. VII. 1. &c. 17. &c.
Deipara. Vide *Maria*.
Dereliction Christi in Cruce explicatur. I. VII. 103.
Descriptio universi Orbis a Cæsare Augusto edicta. I. XIII. 1. &c. cur ea a D. Luca dicatur prima. 4. quid in Tabulis censualibus describeretur. 15.
Desertum. In deserto quare nullus Hebræorum circumcisus sit. I. 1. 5.
Desponsata mulier idem est, ac nupta. II. III. 5.
Desponsatio B. Mariæ Virginis. II. 1. 2. &c.
Devotio sola exteriorum Symbolorum, ut sunt Scapulare B. V. &c. nihil proficit ad salutem. II. VI. 7.
Deus fuit Auctor Circumcisionis. I. 1. 2. &c.
Didymus cur appelletur D. Thomas. I. X. 2.
Dies. Plura dierum genera apud Hebræos. I. VI. 18. etiam apud nos, 22. dies, & noctes quomodo computentur in Scriptura. VIII. 27. &c. dies quomodo divideretur apud Judæos. VII. 137. dies lustricus apud Gentes. XII. 3. dies Natalis Christi. XVII. 45. dies emortualis ejusdem. VII. 235. dies quo Christus resurrexit. VIII. 21. 29. quo ascendit in Cœlum. X. 44. 58. dies in quem cecidit Pentecostes anno emortuali Christi. XI. 21. &c. Mariæ non emortualis tantum, sed etiam natalis dies celebratur. II. IX. 2. Quinam dicatur dies natalis Sanctorum. II. 11 2. dies Jovis olim festiva, appellatur cognata diei Dominicæ. I. X. 59. *dies Jovis albus* idem ac Fer. 5. in Cœna Domini. V. 5.
Diodorus Siculus. I. 2. 4.
S. Dionysius Areopagita. II. VIII. 28.
Disciplina vetus non recedendi ab Ecclesia ante mediam noctem in Pervigilio Paschæ. I. VIII. 2.
Discipulus quis ille fuerit, notus Pontifici Caiphæ, & qui introduxit Petrum in ejus atrium. I. VII. 15. quis ille, quem diligebat Jesus. 101. discipuli, quos misit Jesus, ut asinum in die Palmarum ad se abducerent, quinam illi fuerint. IV. 5. discipulorum fuga tempore Passionis Christi. VII. 20.
Discrimen inter veteris, & novæ Legis Sacramenta unde existat. I. 2. 17. discrimen inter claritatem corporis glorificati, & splendorem Christi transfigurati. XV. 5.
Dissidia in Conclavi, in quo creatus fuit Cœlestinus IV. Pontifex. II. IX. 10.
Divinitas Christi fuit Magis cognita. I. 11. 20. &c. non fuit neque ab anima, neque a corpore Christi separata in ejus morte, VIII. 8. neque a sanguine. 9. quando primum in Evangelio Divinitas diserte tribuatur Christo Domino. X. 5. de Divinitate Filii nunquam dubitavit Beata Virgo. II. IV. 3.
Dolores Beatæ Mariæ Virginis. II. IV. 2. &c.
Dominica quælibet destinata est cultui Sanctiss. Trinitatis. I. XII. 3.
Dominica Palmarum quo alio vocetur nomine. I. IV. 22. quodnam sit ejus mysterium. 2. &c. quorsum in ea Processio. 16. Pulchra Ivonis, & Isidori de ea verba. 17. In ea Processione quid significet ostium occlusum, deinde reseratum. 19. Ritus benedicendi Palmas quam vetus. 20. quinam alii in hac Dominica servarentur ritus. 21. &c. Quare R. Pontifices eleemosynas largirentur. 24. quare fermentum dispertirent. 25.
Dominica Resurrectionis quare Pascha appellata. I. IX. 1. unde repetenda hujus Festi origo. 2. quamdiu per totam hebdomadam celebrata Festivitas. *ibid.*
S. Dominicus Confessor. I. XV. 10. II. VII. 17. fuit Auctor Rosarii. II. XII. 3. 5. 8.
Domus B. M. V. Lauretana. II. XVI. 1. &c. Auctoris sententia in hoc argumento. 4.
Dona Linguarum, & Miraculorum. I. XI. 6. &c. dona Spiritus Sancti. 4.
Dormitio B. M. V. appellatur Festum Assumptionis. II. VIII. 21. &c.
Durandus in 3. Sent. Dist. 22. rejicitur. I. VIII. 10.
Durantus in Revel. S. Birgittæ citatus. I. VII. 56.

E

Ecce, hujusque vocis significatio. I. II. 44.
Ecclesia non potest constitui ab una persona. II. XVIII. 2. Ecclesia nulla unquam re utitur, quin eam prius benedixerit, I. VIII. 50. cur oret etiam pro Judæis in die Parasceves. VII. 141. Ecclesia Latina nunquam in fermentato consecravit. IV. 25. quam mitis erga Orientalem Ecclesiam: non sic Ecclesia Græca erga Latinam. VI. 30. Ecclesiæ Romanæ consuetudo varia in ablutione pedum Fer. 5. in Cœna Domini. 55. Ecclesia Gallicana. II. IX. 8. Ecclesiarum fores in Hispania tenebantur clausæ triduo Hebdomadæ Sanctæ. I. VII. 152. *Ecclesia Sion* quænam fuerit. VI. 4. Ecclesia extructa, ubi Christus ascendit in Cœlum, tecto concamerari nunquam potuit. X. 55. Ecclesia in Monte Carmelo ædificata B. M. V. adhuc viventi. II. VI. 1. quod negat Papebrochius. 2. non affirmat Auctor. 3. S. Mariæ *in Blachernis* Constantinopoli. II. VII. 7. S. Mariæ de Spasmo in Palæstina. IV. 6. S. Mariæ Trans-Tyberim Romæ. VII. 18. in honorem Sancti Joannis Baptistæ ædificata prope Jordanem. I. II. 27.
Ecclesiastici omnes an recitare teneantur quotidie Officium B. M. V. II. XVIII. 4. &c.
Echardus refellitur. II. XI. 1.
Eclipsis Solis in Christi morte. I. VII. 117.
Edictum Cæsaris de censendo Romano Imperio. I. XVII. 1. &c.
Eleemosynæ olim a Romanis Pontificibus dispensari solitæ. I. IV. 24. eleemosynæ distributæ, & mensa lauta parata egenis non sine abusu Fer. 5. in Cœna Domini. VI. 5.
Eli Eli lammasabacthani, quæ verba sint hæc, quidque sibi velint. I. VII. 102. &c. *Eli* non *Eloi* probabilius est fuisse pronunciatum a Christo. *ibid.*
Elias Propheta. II. VI. 1. cur testis adhibitus in Transfiguratione. I. XV. 4. an effet proprio præditus corpore. 5. ejus adventus. 13.
Eliberitanum, seu Illiberitanum Concilium. I. V. 7.
S. Elisabeth uxor Zachariæ. II. V. 6.
S. Elisabeth Trebiensis, ejusque Visio. II. VIII. 25.

Eniedinus Socinianus confutatus. I. x. 6.
Ephes an mortua fit Deipara Virgo. II. VIII. 10. &c.
Epiphania quid significet. I. II. 1. quare dicta Festum Illuminationis, Festum Luminum. 2. cujus miraculi olim eo die celebretur memoria. 3. an eodem anni die tria illa miracula contigerint, quæ in die Epiphaniæ recoluntur. 32. *&c.* Hujus Festi quæ celebritas, & vetustas. 47. *&c.* Alia ad hoc Festum pertinentia. 51. ejus Vigilia. *ibid.* ejus Officium Invitatorio caret in Matutinis. *ibid.* an eo die fontes quidam vino manarint. 49. Epiphania, & Nativitas Christi olim in Orientali Ecclesia simul celebrabantur. 50. Officia noctu celebrata in die Epiphaniæ. 53.
S. Epiphanius citatus. II. VIII. 2. excusatus. 2. &c.
Equi non adhibiti primis Reipub. Hebræorum temporibus. I. IV. 25.
Eremitæ cujusdam Visio, unde videri potest orta Festivitas Nativitatis B. Mariæ Virginis. II. IX. 3.
Error quorumdam circa vini consecrationem in Missa. I. VII. 143. *&c.* Error eorum, qui putant a Sede Apostolica definitum Articulum Immaculatæ Conceptionis. II. XV. 23. 24.
Estius citatus. I. VI. 42. VIII. 44. XI. 19. &c.
Ethnici. Ritus Ethnicorum in die Purificationis consecrati vero Deo. II. 21. 9. 14.
Eva mater viventium, ejusque matrimonium cum Adamo. II. 1. 6.
Eva Leodiensis. I. XIII. 4. &c.
Evangelistæ. Quidam ausi sunt affirmare, Evangelistas in minutis quibusdam deceptos fuisse. I. VII. 34. Evangelistæ conciliantur, & eorum consensus ostenditur. I. VI. 20. *&c.* VII. 26. *&c.* 77. 78. 95. 96. 106. 111. 4. 118. 136. *&c.* VIII. 23. 33. 34. 49. X. 41. *&c.* 45. XI. 18. *&c.* XV. 8. *&c.* XVII. 25. *&c.* quomodo conciliandi. VII. 134.
Evangelium. Quando canitur Evangelium, cur afferantur lumina. I. V. 7. caput ultimum Evangelii S. J. explicatur. X. 18. *&c.* non est additicium, sed ipsius Apostoli. 21.
Eucharistiæ Sacramentum. I. IV. 25. VIII. 59. *&c.* quo tempore a Christo fuerit institutum. VI. 35. *&c.* quæstiones variæ circa ejus institutionem. 38. *&c.* 40. *&c.* memoria hujus Sacramenti. 1. Sacrificium Eucharistiæ sublatum non fuit in morte Christi. VII. 112. Miraculum in Sacramento Eucharistiæ patratum. XIII. 6. Eucharistiæ materia necessaria est panis triticeus. VI. 36. Eucharistia in azymo ne, an in fermentato confici debeat. 7. sub una tantum specie distribuenda. VIII. 47. *&c.* adoranda cultu Latriæ. X. 31. cur adoretur. XIII. 8.
Evodii fragmentum dubiæ fidei, quia apocryphum. II. XIV. 3.
S. Eusebius Pont. ejusque Decretum apocryphum. I. XIV. 14. 15.
Eusebius, ejusque verba in Chronico de Inventione Crucis non sunt addita, neque supposititia. I. XIV. 11. *&c.*
Euthymius historicus citatus a Damasceno, quis sit, ignoratur. II. VIII. 7. 9.
Excellentia, & Sanctitas B. Mariæ Virginis. II. XIII. 1. *&c.*
Expectatio Partus B. Mariæ Virginis. II. XVII. 1. *&c.*
Exultatio. De exultatione Joannis in utero matris. II. V. 6. 7.
Exultet. Quis hujus hymni Auctor. I. VIII. 59.

F

Faber Nicolaus citatus. I. VII. 78.
Facies in Scripturis significat totum corpus. I. XV. 3. qualis fuerit facies Christi in Transfiguratione. 2.
Fascia Christi Domini. I. XVII. 23.
Fœmina. Quæ Christi ad Calvarium proficiscentis verba ad Fœminas. I. VII. 63. Fœminis vel regia stirpe prognatis Mariæ nomen non licebat olim imponere. II. 1. 3.
Feria quinta in Cœna Domini. I. VI. 1. *&c.* de Ritibus, & Cæremoniis, quas hoc die adhibet Ecclesia. 47. Campanarum usus cur interdicatur. 48. cur itidem non detur pacis osculum. *ibid.* cur nudentur altaria. 49. cur abluantur egenorum pedes. 51. *&c.* quorsum benedicantur olea. 59. quare olim hoc die reconciliarentur Pœnitentes. 69. quare tres Missæ celebratæ. *ibid.* Feria 5. in Cœna Domini dicta aliquando *Dies Jovis albus*. V. 4. Bulla in Cœna Domini. Vide *Bulla*.
Feria sexta in Parasceve cur ita appellata. I. VII. 1. quonam respiciat Ecclesia in officio hujus diei. 140. cur adorationi Crucem exponat. 141. XIV. 16. hujus diei Missa quomodo appellanda. I. VII. 148. hoc die num præbenda alicui sacra Communio. 156.
Fermentum quod a Rom. Pontifice distribuebatur in Sabbatho ante Dominicam Palmarum, quid effet. I. V. 115. fermentati panis consecratio. VI. 7. 13.
Festivitas quorumdam dierum quomodo intelligatur aliquando fuisse celebrata. I. XI. 35. Festivitates, quæ olim per diem integrum celebrabantur. II. IX. 9.
Festum. Numerus Festorum quare minuatur. II. XIV. 8. licet non semper, ut plurimum tamen Festum celebratur eo die, quo gesta est res, cujus memoria recolitur. I. II. 35. 37. Festa mobilia indicuntur die Epiphaniæ. 51. Festum Nativitatis Domini. XVII. 1. *&c.* 57. *&c.* II. III. 1. quo die olim celebraretur. I. XVII. 63. *&c.* Festum SS. Nominis Jesu. III. 1. *&c.* 8. *&c.* ejus Officium. 11. Festum Epiphaniæ. II. 47. *&c.* XVII. 63. 67. Paschæ. IX. 1. *&c.* Festum Festorum appellatur. 2. quo die celebrandum sit. 4. *&c.* Festum Ascensionis. X. 1. *&c.* solemnitatum omnium dicitur complementum. 56. Festum Corporis Christi. III. 8. XIII. 1. *&c.* Transfigurationis Christi. XV. 1. *&c.* quando institutum. 21. Festum Inventionis Sanctæ Crucis. XIV. 1. *&c.* XVI. 12. quo fundamento institutum. XIV. 13. Festum Exaltationis S. Crucis. XVI. 1. *&c.* ejus origo. 9. *&c.* Festum Manifestationis S. Crucis. 10. Festum Pentecostes. XI. 1. *&c.* 33. quomodo intelligatur per quinquaginta dies fuisse productum. 34. &c. Festum SS. Trinitatis. XI. 1. *&c.* quor olim Festa instituta in honorem Deiparæ. II. 1. 1. Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis. XV. 1. *&c.* 17. *etc.* quomodo celebrari possit, licet Mysterium non sit definitum. 23. Festum Nativitatis B. Mariæ Virginis. VIII. 24. IX. 1. *etc.* 6. *etc.* SS. Nominis Mariæ. X. 1. *etc.* Præsentationis. XIV. 1. *etc.* quare dicatur Festum Præsentationis B. Mariæ, & non potius Purificationis S. Annæ. 5. Festum Desponsationis B. Mariæ. 1. 2. *etc.* 14. *etc.*
Festum Annuntiationis. III. 2. *etc.* 15. *&c.* XVII. 2. Visitationis. V. 1. *etc.* quando celebrari cœperit. 9. ejus institutio vindicatur a calumniis hæreticorum. 11. Festum Expectationis Partus B. Mariæ Virginis. XVII. 1. *etc.* Festum S. Mariæ de O. *ibid.* Festum Purificationis. II. 6. *etc.* ab aliquibus inter Christi solemnitates numeratur. 7. quando celebrari cœpta est hæc solemnitas. 10. *etc.* Festum Dolorum Deiparæ Virginis. IV. 2. *etc.* appellatur etiam Festum B. Virg. de Spasmo. 7. Festum mortis B. Mariæ VIII. 25. Assumptionis. 2. *etc.* 19. 23. *etc.* Rosarii. XII. 2. *etc.* B. Virginis de Monte Carmelo. VI. 1. *etc.* 10. B. Mariæ de Mercede. XI. 2. Dedicationis S. Mariæ ad Nives. VII. 2. *etc.* 17. *etc.* Translationis almæ Domus Lauretanæ. XVI. 2. *etc.* Patrocinii B. Mariæ. XIII. 1. &c. S. Mariæ in Sabbatho. XVIII. 2. *etc.* Festum SS. Apostolorum Petri, Jacobi, Joannis, & Pauli. I. XVII. 67. S. Annæ. II. IX. 15. 17. S. Joachim. 14. 17. S. Basilii Ep. Cæsariensis. I. XVII. 67. SS. Innocentium. II. 35. 37. S. Simeonis Prophetæ. II. 21. 7. 12. 15. Festum Illuminationis, seu Festum Luminum. I. 11. 2. Festum Subdiaconorum in Gallia. 124. Festum Tabernaculorum. IV. 12. Fideles vulgo amplectuntur sententiam Immaculatæ Conceptionis Mariæ. II. XV. 2.
Fides num sola salvos homines efficiat. I. 2. 27. utrum eo triduo, quo Christus vita caruit, *in omnibus mutaverit*. V. 2. utrum Sabbatho Sancto permanserit in sola B. Virgine. II. XVIII. 2.
Flagellatio. Quotuplex genus flagellationis. I. VII. 52. Flagellationis Christi ministri cujus gentis fuerint. 55. in Flagellatione quinam verberum numerus apud Hebræos. 56. quinam apud Romanos. *ibid.*
Flagellum. Flagellis prius cædebantur damnati Crucis supplicio. I. VII. 50. qui flagellis cædebatur, antea vestibus nudabatur. 52.
Floret erupti e terra Christi sudore sanguineo irrigata. I. VII. 3.
Fœmina. Vide *Fœmina*.
Fons. Benedictio Fontis Baptismalis. I. VIII. 63. XI. 39. de Cæremoniis in hac benedictione. VIII. 63. Fontes vino manantes in die Epiphaniæ. I. 31. 48.
Fontana Nicolaus. I. VII. 85.
S. Franciscus Conf. I. XVII. 68.
Frater. Quinam dicantur Fratres Montis Carmeli. II. VI. 1.
Fructus. Benedictio novorum fructuum. I. X. 59.
Fuga Discipulorum tempore Passionis Domini. I. VII. 20.
S. Fulbertus Episc. Carnot. citatus. II. IX. 6.
Fullo Petrus. I. VII. 147.

G

Ga & C litteræ promiscue adhibitæ. I. XVII. 38.
S. Gabriel Archangelus. I. III. 7. II. III. 2. apparuit Pastoribus in nocte Nativitatis. I. XVII. 47.
Galilæus quare dicatur Christus. I. XVII. 28.
Gallicinium. I. VII. 26.
Gelasius I. Pont. Lupercales ludos sustulit. II. XX. 15.
Genesis. Varia lectio Cap. 17. Geneseos. I. 1. 31.
Gentiles qui Judaicam Religionem amplecti vellent, Circumcisioni se, filiosque suos subdere debebant. I. X. 3. eorum superstitiones. 21.
Genuflexio interdicta tempore Paschali in oratione. I. XI. 35. 37.
Gladius Ducalis benedictus a Pontifice. I. XVII. 61. Quare Deipara pingatur septem gladiis transfixa. II. IV. 9.
Gloria in altissimis Deo, *&c.* quomodo hæc verba accipienda. I. XVII. 49. &c.
Gloria Patri, &c. quandonam fuerit compositum. I. XII. 5. *etc.* & unde traducta consuetudo istam Orationem canendi in fine cujusque Psalmi. 8.
Gottus Cardinalis citatus. II. XV. 23.
Græci. Quinam Græcorum ritus in Dominica Palmarum. I. IV. 23. quinam in lotione pedum Fer. 5. in Cœna Domini. VI. 51. quinam in benedicendis Oleis Sacris. 63. quo anni tempore præsanctificatorum Missam celebrent. VII. 149. 151. quandonam fermento uti cœperint in confectione Eucharistiæ. VI. 38. eorum sententia circa materiam Eucharistiæ. 7. 13. non habent Processionem Corporis Christi. XIII. 11. qua olim die Nativitatem Christi celebrarent. XVII. 63. eorum impietas contra Evangelistas. VI. 14. injuriæ erga Latinam Ecclesiam. 38. criminationes adversus Latinos. VII. 149. error circa vini consecrationem. 153.
Grandius Guido Abbas citatus cum laude. II. XVI. 7. 10.
Gratia justificans. I. 1. 6. utrum conferretur per Circumcisionem. 9. *etc.* non conferebatur a Baptismo Joannis. 11. 24. neque per confessionem Judæorum. 26.
Gratiarum actio. Unde cœpta sit consuetudo gratiarum actionis post mensam. I. VI. 46.

Gra-

Geneſonius citatus cum laude. II. xvi. 7. 10.
S. Gregorius Magnus Pontifex. Ejus charitas erga pauperes quotidie exercitata, Angelico miraculo comprobata. I. vi. 57.
Gregorius XIII. Pont. II. ix. 15. xii. 13.
Gregorius XV. Pont. ejuſque Conſtitutio in favorem Immaculatæ Conceptionis. II. xv. 15.
S. Gregorius Thaumaturgus, ejuſque Homiliæ de Annunciatione utrum ſint genuinæ. II. iii. 18.
S. Gregorius Turonenſis alapa cælitus correctus in Vigilia Nativitatis Domini, & quare. I. xvii. 56.
Grotius Hugo citatus. I. xvii. 9.

H

Haceldama. I. vii. 32.
Hadrianus Imper. Sacra Paleſtinæ loca polluit. I. xiv. 3.
Hæretici. Inanes Hæreticorum cavillationes, ut explicent, qui Chriſtus januis clauſis intrare potuerit in Cœnaculum. I. x. 3. eorum argumenta adverſus adorationem Euchariſtiæ refelluntur. 31. eorum error, qui cultum Sanctæ Cruci adimere voluerunt. xiv. 20.
Harduinus, ejuſque opinio circa Paſcha Chriſti Domini. I. vi. 25. 25.
Hebræi, circumcidebantur, ut eo ſigno a cæteris Gentibus diſcernerentur. I. i. 5. 10. num primis Reip. temporibus equis uterentur, an vero aſinis, & mulis. iv. 15. Hebræorum dies feſti. vi. 25. 25. Paſcha. 26. Solemnitas Azymorum. 27. dierum plura genera. 28. modus accumbendi ad menſam. 29. *&c.* cur balneo egreſſi pedes lavarent. 31. eorum convivia. vii. 6. conſuetudo veſtimenta ſcindendi in ſignum doloris. 30. liberandi reum die Paſchæ. 46. ungendi cadavera, & longis inſtitis conſtringendi. 133. viii. 31.
Hebron Civitas Sacerdotalis ex Tribu Juda. II. v. 4.
S. Helena Imperatrix. I. vii. 68. xiv. 4. *&c.* xv. 10. xvi. 15. xvii. 46.
Heraclius Imperator. I. xvi. 2. *&c.*
B. Hermannus Contractus. I. xi. 4. II. xiii. 3.
Herodes, ejuſque crudelitas. I. ii. 46. cur diutius diſtulerit Infantium cædem. *ibid.* eo Rege natus eſt Chriſtus. xvii. 9.
Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha. I. vii. 43.
Herodotus hiſtoricus. I. i. 4.
Hildebrandus Joachimus citatus. ii. v. 17.
Hieremiæ Threni. I. v. 3. *&c.* Prophetia de pretio, quo Chriſtus venditus eſt. vii. 34.
S. Hieronymus citatus. I. i. 5. xvii. 33. II. xvi. 4. ejus Sermo *de Aſſumptione* non eſt genuinus. viii. 10.
Hieroſolymæ Aſiæ Civitatum nobiliſſima. I. xi. 5. ejus excidium a Chriſto prædictum. iv. 8. in ejus obſidione cur Mater Filium necaverit. 9. incredibilis multitudo Hieroſolymam confluebat die Pentecoſtes. xi. 5. incenſa. xvi. 2. a Mehemeti ſucceſſoribus capta. 8. utrum B. Virgo mortua ſit Hieroſolymæ. II. viii. 7. *&c.* conſuetudo Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Fer. 6. in Paraſceve. I. vii. 144.
Hiſtoria Inventionis S. Crucis. I. xiv. 10.
Hodie mecum eris in Paradiſo: quomodo hæc Chriſti verba intelligenda. I. vii. 89.
Honoratus a S. Maria laudatus. II. xvi. 7. 9.
Hora Natalis Chriſti. I. xvii. 45. emortualis ejuſdem. viii. 136. *&c.* qua Chriſtus reſurrexit. viii. 21. *&c.* qua aſcendit in Cœlum. x. 60. qua delapſus eſt Spiritus S. ſuper Apoſtolos. xi. 30. hora, qua B. Virgo fuit ab Angelo ſalutata, ignoratur. II. iii. 14.
Hoſanna quid ſignificet. I. iv. 14.
Hoſpinianus notatus. II. ii. 16. confutatus. ix. 3.
Huetius Petrus Daniel citatus. I. viii. 18. xvii. 7. 23.
Hugo a S. Victore, ejuſque doctrina. I. vii. 150. *&c.*
Humanitas Chriſti non fuit in extremis vitæ doloribus a Divinitate derelicta. I. vii. 103.
Humilitas Chriſti. I. vi. 32. 51. humilitatis exemplum a Chriſto Domino, & Virgine Matre nobis relictum. II. ii. 5.
Huniades Rex. I. iv. 20.
Hydriæ in Nuptiis Canæ adhibitæ ubi aſſerventur. I. ii. 32.
Hymnus. Quis auctor Hymni, *Gloria, laus, & honor*. I. iv. 18. quis illius, *Exultet*, &c. viii. 59. quis illius, *Gloria Patri*, *&c.* xii. 5. *&c.* quis ejus, *Stabat Mater*, *&c.* ii. xv. 5. qui perperam improbatur. *ibid.* qui fuerit Hymnus a Chriſto poſt Cœnam dictus, antequam exiret in Monte Oliveti. I. vi. 46.
Hypante, ſeu *Hypapante*. II. ii. 7.
Hyperdulia, cultus B. Mariæ Virg. debitus. II. xiii. 1.
Hyſſopus duplicis generis. I. vii. 107. cuinam hyſſopo impoſita ſpongia ad potum Chriſto exhibendum. *ibid.*

I

S. Jacobus Apoſtolus filius Zebedæi. I. iv. 12.
S. Jacobus Frater Domini appellatus Juſtus. I. vii. 13. huic apparuit Chriſtus poſt Reſurrectionem. x. 26.
Jacobus Epiſc. Edeſſenus. II. ix. 16.
Jacobus Aragoniæ Rex. II. xi. 1.
Januarius. Quibus ſuperſtitionibus celebraretur menſis Januarii Kalendæ. I. i. 21.
Janus, ejuſque Feſtum apud Gentiles. I. i. 21. 22.
Jejunium quale olim in die Circumciſionis celebraretur. I. 21. 23. quare duo in hebdomada jejunia olim indicta. iv. 26. Jejunium Sabbathi olim vetitum in Orientali Eccleſia, in Occidentali fieri ſolitum, & quare. II. xvii. 7. quanta olim jejunii ſeveritas in die Paraſceves. I. vii. 156. Jejunium Feriæ 6. & Sabbathi. 151. Jejunium in Vigilia Pentecoſtes. 137. 138. Jejunium 15. dierum apud Orientales ante Aſſumptionem Beatæ Mariæ. II. viii. 26. Jejunium interdictum tempore Paſchali. I. xi. 35. 37.
Jephte utrum voverit Filiæ virginitatem. II. i. 9.
Jeremias. Vide *Hieremias*.
Jeſu Chriſte ora pro nobis quare non dicatur. I. iii. 24. x. 40.
Jeſus. Vide *Chriſtus, Nomen*.
S. Ignatius Martyr citatus. II. xviii. 7. explicatus. i. 4. 5.
S. Ignatius Loſola natus in ſtabulo ex pio matris affectu erga Nativitatem Domini. I. xvii. 33.
Ignis, qui ſedit ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes fuit elementarius. I. xi. 14. *&c.* ignis benedictio in die Sabbathi Sancti. viii. 50.
Ignorantia Judæorum circa Chriſtum Dominum quæ, & qualis fuerit. I. vii. 93. 94.
S. Ildephonſus II. xvii. 2. ejus libri utrum ſint genuini. ix. 7.
Illiberitanum Concilium. I. v. 7.
Imago. Chriſti Crucifixi imagines variæ. I. viii. 85.
Immaculata Concept. B. M. V. Vide *Conceptio*.
Imprecatio dira, qua ſe devoverunt Judæi. I. vii. 60.
Improperia cur cantentur in die Paraſceves. I. vii. 60.
Incarnatio cujus Divinæ Perſonæ opus ſit. II. iii. 12.
Incircumciſi appellati omnes Gentiles. I. i. 5.
Indefinitus loquendi modus pro definito uſitatus in Scriptura. I. iv. 6.
Indulgentia conceſſa in Feſto Transfigurationis. I. xv. 24. Indulgentiæ conceſſæ Ordini Carmelitarum. II. vi. 4. Feſtivitati Præſentationis B. M. Virginis. xiv. 8. recitantibus Miſſam, & Officium Conceptionis. xv. 8. 22.
Ineptiæ, quæ confinguntur circa B. Virginem, ſtatim ac mortua fuit. II. viii. 12.
Infans. Utrum dari poſſit Baptiſmus Infantibus. I. x. 24. Infantibus baptizandis Sabbatho Sancto caput abluebatur in Dominica Palmarum. iv. 22. Infantibus poſt Baptiſmum præbebatur Confirmatio, & Euchariſtia. viii. 59. *&c.*
Infirmus. Euchariſtia in die Paraſceves adminiſtratur ſolis infirmis. viii. 156. oleum Infirmorum. vi. 62.
SS. Innocentes, & eorum cædes. I. ii. 35. 43. 46.
Innocentius I. Pont. & ejus doctrina explicata. I. vii. 152.
Innocentius III. Pont. I. xi. 41. ii. 17. 3.
Innocentius IV. Pont. II. ix. 10.
Innocentius XI. Pont. II. x. 6.
Innocentius XII. Pont. II. xii. 15. xvi. 11.
Inſcriptio rariſſima Langobardorum tempore. I. vi. 54.
Interceſſio Deiparæ pro nobis quam efficax. II. xiii. 1. *&c.* Sanctorum interceſſione apud alios Sanctos non utimur, utimur tamen apud B. Virginem, ipſis recitantes ſalutationem Angelicam. *ibid.*
Interdictum. Tempore interdicti conferuntur Baptiſmus, & Confirmatio. I. vi. 63.
Interian de Ayla Joannes. I. i. 14.
Interpretes LXX. Eorum verſio mendoſa eſt. I. xvii. 42. *&c.*
Inventio S. Crucis. I. xiv. 1. *&c.*
S. Joachim Pater B. Mariæ. Virg. II. ix. 14. ejus cultus. 17. *&c.*
S. Joannes Baptiſta. I. xv. 19. ejus exultatio in utero Matris. II. v. 6. *&c.* ejus nativitas. 8. an, & quomodo noverit Jeſum Chriſtum ante Baptiſmum. I. ii. 23. de illius Baptiſmo quæſtiones aliquot. 14. in ejus honorem ſacra Ædes ibi ædificata, ubi baptizavit Chriſtum. 27. ejus non emortualis tantum, ſed & natalis dies celebratur. II. ix. 2.
S. Joannes Evangeliſta, diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus. I. vi. 3. 14. 20. *&c.* vii. 13. 15. 191. x. 10. 18. *&c.* xv. 12. utrum fuerit Sponſus Nuptiarum Canæ. ii. 31. quomodo recubuit ſuper pectus Jeſu. vi. 29. utrum adhuc vivat. x. 20. ejus Evangelii Caput ult. non eſt additum, ſed ipſius Apoſtoli. 21. ejus verba Cap. 2. *Quid mihi, & tibi eſt mulier*, explicantur contra Hæreticorum calumnias. II. 13. ejus locus Cap. 21. pariter explicatus. I. x. 18. *&c.*
S. Joannes Chryſoſtomus, ejuſque opinio non probata. I. x. 44. 58.
S. Joannes a Capiſtrano. I. iii. 10.
Joannes XXII. Pont. I. xii. 10. ejus viſiones. II. vi. 4. *&c.* 9.
Joannes Archiepiſcopus Nicænus, ejuſque Epiſtola. I. xvii. 63. *&c.*
Joannes Epiſc. Caſtorienſis citatus. II. vi. 6. *&c.*
Joannes Diaconus citatus. I. viii. 72.
Joannes Gerſon citatus. II. ix. 2. *&c.*
Joannes Martus, de quo fit mentio in Scriptura. I. vi. 3. 4.
Joannes de Montefano triſti eventu contrariam Immaculatæ Conceptioni ſententiam fuſtinuit. II. xv. 6.
Joannes Patritius Romanus. II. vii. 6. *&c.*
Joannes Philoponus. I. vi. 7.
Joannes Verus. II. xv. 9.
Joel, ejuſque Oraculum. I. xi. 6.
S. Joſeph Mariæ Sponſus per rectam lineam Davide Rege prognatus erat. I. xvii. 12. antequam nuberet B. Mariæ Virgini, votum virginitatis ediderat. II. i. 11. quando acceperit Mariam in uxorem. iii. 4. *&c.* ſenex non erat, quando accepit. I. 13. veriſimile eſt fuiſſe comitem itineris a B. Virgine ſuſcepti ad viſitandam Eliſabet. v. 4. utrum pedibus Bethlehemum venerit. I. xvii. 14. num tempore mortis Chriſti

jam e vivis exceſſiſſet, VII. 102. ejus cultus quam gratus B. Mariæ Virgini. II. 1. 14.
Joſeph ab Arimathæa. I. V2. 4. VII. 130. quis fuerit. 132. ejus laus. 132.
Joſephus Hiſtoricus, ejuſque Teſtimonium de Chriſto Jeſu. I. VIII. 19. &c.
Iracundia in reſponſo ad Martem objecta Chriſto Domino ab hæreticis. I. 18. 23.
Irenæus Ep. Lugdunenſis. I. IX. 7.
Iſaac typus Chriſti. I. VII. 61.
S. Iſidorus Hiſpal. citatus. I. IV. 17. XI. 10.
Iter Sabbathi apud Hebræos. I. X. 93.
Judæa ſola nomine Orbis univerſi ſæpe ſignificabatur. I. XVII. 3.
Judæi, & eorum Baptiſmus. I. II. 24. ac confeſſio peccatorum. 25. &c. quando nomen infantibus imponere ipſi conſueverint. III. 3. eorum primores viri non equis, ſed aſinis & mulis utebantur. IV. 15. quando ipſis ademptum jus gladii. VII. 39. &c. quid apud ipſos judicium zeli. 41. eorum conſuetudo liberandi reum die Paſchæ. 46. dira imprecatio, qua ſe devoverunt. 60. an Crucis ſupplicium apud ipſos uſitatum. 79. eorum convicia in Chriſtum Jeſum. 92. quam perfidi. 94. quare petierint a Pilato, ut crucifixis crura ſuffringerentur. 125. cur pro illis etiam oret Eccleſia in die Paraſceves. 141. eorum mos ungendi cadavera, & longis haſtitis conſtringendi. 133. diem in quatuor partes dividebant, quarum ſingulæ ternas horas continebant. 137. prandium faciebant meridie. XI. 30. maxima frequentia confluebant Hieroſolymam die Pentecoſtes. 3. juſſi ſunt maſculos non fœminas præſentare in Templo. II. XIV. 3. eorum ſolemnitas, qua hominem Cruci affixum cremabant. 20.
Judas Iſcariotes. I. VI. 51. quis, & unde eſſet, VII. 11. ejus proditio. VI. 27. 53. VII. 16. &c. qua die prodiderit Chriſtum. IV. 26. quo pretio. 32. an fuerit a Chriſto communicatus. VI. 41. &c. quo liquore initiatus fuerit panis illi a Chriſto porrectus. 43. ejus pœnitentia, deſperatio, & miſerrimus exitus. VII. 31. &c.
Judas, qui & *Cyriacus*, comes S. Helenæ. I. XIV. 6, 8. &c.
Judicium zeli quid fuerit apud Judæos. I. VII. 41.
B. Juliana a Monte Cornelione. I. XIII. 2, &c.
Julianus, ejuſque audacia. II. V. 4.
Ivo Carnotenſis Epiſcopus. Vide *Yvo*.
Jus gladii quando ademptum Judæis. I. VII. 39.
Juſjurandum, quo ſe adſtringere debet quicumque ad Gradum promovendus eſt in Univerſitate Pariſienſi. II, XV. 13, 28.
Juſtificatio. Scriptura ſæpe tribuit vim Juſtificationis, aut ſalvandi diverſis rebus, non quod ſolæ juſtificare, aut ſalvare poſſint, ſed quod illæ ad eum finem conducant, ſi tamen cætera non deſint. II. VI. 8.
Juſtinus Imperator. I. XVII. 68.
Juvenalis Hieroſolymorum Ep. II. VIII. 7. 9.
Juvencus laudatus. I. II. 11.
Juveninus Gaſpar citatus I. 1. 9.

K

Kalendæ Januarii quibus ſuperſtitionibus celebrarentur, I. 2. 21.
Kerinus idem ac Cyrenius, Cyrinus, & Cyrinus Syriæ Præſes. I. XVII. 5.

L

Lac cum melle mittebatur in Calicem die Sabbathi Sancti. I. VIII. 60. benedici tantum, & non infundi in Calicem juſſit Concilium Africanum. 61.
Lacrymæ Chriſti Domini ſuper Jeruſalem, & Differtatio circa illas. I. IV. 7. lacrymas fundere non opponitur conſtantiæ. II. XV. 5.
Lambertinus Proſper. Vide BENEDICTUS XIV.
Lancea Chriſti Domini. I. VII. 58. ejus pars ſuperior in Vaticana Baſilica, cuſpis vero in Regio Pariſienſi Sacello aſſervatur. 129.
Lamy Bernardus citatus. I. VI. 8. XVII. 30. &c.
Langletus Joſeph Sueſſionenſis Epiſc. laudatus. I. V. 5.
Langobardi. Horum monumenta in Regionibus Ciſpadanis rariſſima. I. VI. 54.
Latria. Quando primum Apoſtoli præſtiterint Chriſto cultum latriæ. I. X. 30. cultus latriæ debetur Euchariſtiæ. XIII. 8.
Latrones duo, Chriſti comites in ſupplicio Crucis. I. VII. 64. 69. 74. 75. 95. &c. 124. Cruci clavis affixi. 87. 91. bonus latro. 89. 99.
Latus dextrumne, an ſiniſtrum Chriſto confoſſum. I. VII. 117. num ſanguis, & vera aqua ex eo manarint. 118.
Laudunenſis Eccleſia. I. VI. 68. ejus conſuetudo fer. 5. in Cœna Domini. 47.
Launojus Joannes citatus. II. VI. 3. confutatus, VIII. 22. XV. 12.
Lauretana Domus. II. XVI. 1. &c. Auctoris ſententia circa illam. 4. unde nomen Lauretanæ acceperit. 6.
S. Leo Pontifex citatus. I. XI. 12.
Leo IV. Pontifex. II. VIII. 17.
S. Leo IX. Pontifex. I. VI. 58.
Lex duplex in V. T. pro muliere, quæ peperiſſet maſculum. II. 12. 1. iis legibus non adſtringebatur B. Virgo. 2. eas tamen adimplevit. 4. lex Circumciſionis promulgata per Moyſem. I. 1. 3.
Liber de Diviuis Officiis, qui Alcuino tribuitur, citatus. I. IV. 21. Liber de Infantia Salvatoris apocryphus. II. 12. Libri apocryphi de B. Virgine. II. IX. 12.
Liberius Pontifex. I. I, VI. 6. &c. Liberii Baſilica. 1. &c.
Lignum viride, & aridum quid apud Hebræos proverbialiter ſignificet. I. VII. 63.
Limbus SS. Patrum, ſeu Sinus Abrahæ. I. VIII. 19. &c. Limbus Puerorum. 32.
Lingua. Linguarum Donum. I. XI. 6. &c. quid fuerit. 12. linguæ igneæ, quæ ſederunt ſuper Apoſtolos 13.
Linteum, quo guttas ſudoris ſanguinei abſterſit Chriſtus, ubi aſſervetur. I, VII. 9. lintei miraculoſi pars, quo uſus eſt Chriſtus ad abſtergendos pedes Diſcipulorum, ſervatur in Monaſterio Caſſinenſi. VI. 32.
Locus, ubi erant Apoſtoli, quando deſcendit Spiritus Sanctus. I. XI. 16. 18. &c. Templum ibi extructum a D. Helena & Regina Siciliæ. 20.
Lojola. Vide *S. Ignatius Lojola*.
S. Longinus Mart. I. VII. 127. non eſt idem ac Centurio ille, qui Chriſtum confeſſus eſt in Calvario. 115.
Lotio apud Veteres uſitata, antequam menſæ accumberent. I. VI. 30. &c.
S. Lucæ Evang. locus explicatus. II. 11. 8.
Lugdunenſis Eccleſia. II, XV. 3.
Lumen. Uſus luminum in Eccleſia quare inſtitutus, I, V. 7. *Luminum*, quæ in Matutinis tridui Hebdomadæ Sanctæ extinguuntur, atque hujus cæremoniæ Myſterium. 3. &c.
Lupercalei ludi ſublati. II. 11. 10.
Lutherani, & eorum prava interpretatio circa illa verba *Conſummatum eſt*. I, VII. 112.

M

Mabillonius citatus. I. VII. 155. II. XII. 6. &c.
Macarius Epiſc. Hieroſolymitanus. I. XIV. 4. &c.
Macellum Liviæ. II. VII. 2.
Maffejus Scipio citatus. I. XVII. 38.
Magdalena, Vide *S. Maria Magdalena*.
Magi, qui Chriſtum Infantem adorarunt, in Bethlehem veniunt. I. 11. 5. tres fuiſſe, recepta ſententia eſt. 7. quæ eorum nomina. 8. quæ conditio, & utrum Reges fuerint. 9. &c. ubi Chriſtum repererint. 17. Divinitatem Chriſti habuerunt cognitam. 20. &c. quo die Bethlehemum venerint. 35. &c. an tredecim poſt diebus a Natali Chriſti. 38. unde profecti. *ibid.* & 41. &c.
Magnificat vindicatum ab Hæreticorum calumniis. II. V. 7.
Malchus, cui fuit amputata auricula, utrum ille ſit, qui Chriſto alapam impegit. I. VII. 22.
Maldonatus citatur. I, 11. 19. &c. ejus ſententia quædam non probatur. VIII. 43. contrariam immaculatæ Conceptioni opinionem habebat. II. XV. 13. 25.
Manſius Jo. Dominicus. II. XVI. 11.
Mantua aſſervantur aliquæ Guttæ Sanguinis Chriſti. I. VIII. 33.
Marcianus Imp. II, VIII. 7.
Marcion, & quidam Græci tuentes conſecrationem in fermentato putarunt Chriſtum vulgarem paraſſe Cœnam, in qua Paſcha novum inſtituit. I. VI. 7.
Marcus Joannes. I. VI. 3. 4.
Maria Virgo per rectam lineam Davide prognata erat. I. XVII. 22. Mariæ Virginis Immaculatam Conceptionem non ſatis ſignificaret, qui eam diceret Sanctificatam in utero. II. XV. 2. Maria V. ubinam nata ſit. IX. 25. Mariæ Natale dicebatur olim Octava Domini. I. 1. 2. Mariæ non emortualis tantum, ſed etiam natalis dies celebratur. II. IX. 2. Mariæ nomen quanta in veneratione ſemper fuerit. X. 1. an revelatum fuerit a Deo. 2. nulli neque regia ſtirpe fœminæ prognatæ olim licebat nomen hoc imponere. 3. an conferat ad ſalutem æternam ex opere operato. 4. Maria V. utrum triennis fuerit præſentata in Templo. XIV. 3. nulla jubente lege fuit præſentata. 5. &c. fuit vere matrimonio juncta cum S. Joſeph. I. 2. &c. & quare. 4. &c. Virginitatis votum emiſit. 7. *etc.* qui ergo potuit nubere? 12. quoto ætatis anno nupſerit. 13. quando fuit ab Angelo ſalutata, utrum eſſet ſponſa tantum, an etiam matrimonio conjuncta. III. 3. *etc.* ejus perturbatio in ſalutatione Angeli unde orta. 8. ejus reſponſio. 9. perfecte credidit Angelo nuncianti. V. 2. *etc.* quoto ætatis ſuæ anno conceperit Chriſtum Jeſum. III. 14. in ſenſu proprio eſt mater, & mater Dei. 11. utrum pedibus Bethlehemum venerit. I. XVII. 24. utrum edicto cenſuali cogeretur eo ſe conferre. 28. *etc.* non obſtringebatur iis legibus, quæ in V. T. mulieri poſt partum conſtituebantur. II. 11. 2. Maria V. adfuit Crucifixioni Jeſu Chriſti. IV. 2. utrum mortua ſit Martyrium paſſa. 3. 8. an in terram corruerit. 5. *etc.* cur VII. gladiis trinſtixa depingatur. 9. utrum fuerit ullo ſpaſmo correpta. 7. utrum venerit ad ſepulchrum Chriſti cum reliquis mulieribus. I. VIII. 31. utrum fuerit præſens Aſcenſioni Chriſti. X. 46. utrum ipſi apparuerit Chriſtus in die Reſurrectionis. VIII. 44. utrum mortua ſit. II. VIII. 1. *etc.* quoto ætatis ſuæ anno obierit. 6. ubi mortua ſit. 7. *etc.* ejus ſepulchrum an Conſtantinopolim translatum. *ibid.* in Cœlum aſſumpta eſt anima ſimul & corpore. I. X. 52. II. VIII. 12. *etc.* ſingulares ejus virtutes, & Privilegia. 14. XIII. 1. *etc.* incertum quo die revixerit. VIII. 25. ejus fides de Chriſti Divinitate. I. XVII. 32. ejus humilitas. II. 11. 3.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

III. 1. ejus conſtantia, IV. 7. 13. Maria Virgo intercedit pro nobis, orat pro nobis, mediatrix eſt pro nobis, XIII. 4. Maria V. ſymbolice ſignificatur per candelam illam, quæ in Matutinis Hebdomadæ Sanctæ ſervatur accenſa. I. v. 8. &c. Maria V. an habeat imperium in animas Purgatorii. II. VI. 7. cultus ſemper exhibitus Deiparæ ab Eccleſiæ primordiis, ſæculo X. auctus eſt. XVIII. 1. &c. modus rite precandi Deiparam. XIII. 3. in honorem Deiparæ olim tres tantum, & deinde quatuor ſolemnitates reperiuntur inſtitutæ. II. 2. 3. utrum Mariæ V. adhuc viventi dicata ædicula in Monte Carmelo. VI. 1. &c. Vide *Annunciatio*, *Aſſumptio*, *Conceptio*, *Deſponſatio*, *Dolores*, *Expectatio*, *Nativitas*, *Patrocinium*, *Præſentatio*, *Purificatio*, *Roſarium*, *Tranſlatio*, *Viſitatio*.

B. Maria de Mercede. II. XI. 1.

S. Maria de Monte Carmelo. II. VI. 1. &c.

S. Maria ad Nives. II. VII. 2. 3. dicitur etiam S. Maria ad Præſepe. 3. & S. Maria Major. 4.

S. Maria in Sabbatho. II. XVIII. 2. &c.

S. Maria de Victoria. II. XII. 12.

S. Maria Cleophæ. I. VII. 101.

S. Maria Magdalena. I. VIII. 32. 34. XVIII. 2. crucifixioni adfuit. VII. 101. in ejus memoriam, lavabantur olim pedes uni egeno, præter duodecim, in fer. 5. in Cœna Domini. VI. 54. 57. in ejus memoriam, quæ libra unguenti accepta Chriſti pedes unxit, largior eleemoſyna diſtribuebatur olim a R. Pontificibus in Sabbatho ante Dominicam Palmarum. IV. 24.

S. Maria Magdalena de Pazzis, ejuſque Revelatio. I. VII. 54.

Maria Mater Jacobi minoris. I. VI. 4.

Maria Mater Joannis cognomento Marci. I. XI. 17.

Martene, ejuſque emendatio quædam rejicitur. I. 1. 25.

Martorellus Epiſcopus Montiſeltri. II. XVI. 1. 3. 12.

Martyrologium Pariſienſe, & hiſtoria de illo exſcribendo. II. VIII. 27.

Mater in ſenſu proprio, & quidem Mater Dei eſt Beata Virgo. II. III. 11. Mater S. Ignatii Lojolæ illum in ſtabulo parere voluit, & quare. I. XVII. 33. Mater filium in obſidione Hieroſolymitana occidit, ut ejus carnibus famem depelleret. IV. 9.

Mathuſalem quo anno obiit. I. XVII. 42. &c.

Matrimonium inter B. V. Mariam, & S. Joſeph fuit verum matrimonium. II. 2. 2. &c. ejus natura. 6. quomodo ex parte Virginis potuit contrahi. 12. quoto ætatis Deiparæ anno contractum. 13. an quando Deipara fuit ab Angelo ſalutata, eſſet contractum. III. 3. &c.

S. Matthæi Evang. locus Cap. 27. verſ. 9. explicatur. I. VII. 33.

S. Matthias Apoſtolus. I. X. 47. XI. 2. &c.

Maturinum Epiphaniæ Invitatorio caret, & quare. I. II. 51. Matutina Tenebrarum. V. 1. &c.

Mauduiſius, ejuſque circa Hebræorum Paſcha opinio. I. VI. 15. 25.

S. Maurillus Andegavenſis Ep. II. IX. 5.

Mauritius Imperator. II. VIII. 29.

Mediolanenſis Eccleſiæ mos in die Epiphaniæ. I. II. 3.

Melchior Canus. Vide *Canus*.

Menſæ accumbendi modus apud Veteres. I. VI. 29. &c. Pedum lotio ante menſam. 31.

Meſſia ſoli, & nulli præter illum competit textus Zachariæ citatus a D. Matthæo. I. IV. 15.

S. Methodius, ejuſque Homilia de Purificatione Beatæ Mariæ Virginis utrum ſit genuina. II. 11. 13.

Metropoliticum Jus. Vide *Jus*.

Michæas Propheta conciliatur cum D. Matthæo. I. XVII. 25. &c.

Michael Cerularius. I. VI. 38.

Milites, qui lancea Chriſtum tranſfixit. I. VII. 127. milites ſepulchro Chriſti appoſiti. I. VIII. 30. 33.

Miraculum. Donum miraculorum. I. XI. 6. miracula quædam ſunt talia propter circumſtantias. VII. 121. miracula, quæ in Chriſti nativitate dicuntur contigiſſe. XVII. 53. &c. miraculum multiplicationis panum colebatur olim in die Epiphaniæ. 11. 3. miracula quibus illuſtratur hoc Feſtum. 48. miracula tema, quæ recoluntur in die Epiphaniæ an contigerint eodem die. 52. miraculum in Nuptiis Canæ patratum a Chriſto. 53. miraculum duplex in Tranſfiguratione. XVI. 6. miraculum reſtitutæ Malcho auriculæ. VII. 19. miraculum de illo, qui alapam Chriſto impegit. 22. miraculum quotannis renovatum Hieroſolymis Sabbatho Sancto, & in Eccleſia S. Sepulchri, ut igne Cœlo delapſo luminaria accenderentur. VIII. 57. miraculum de veſtigiis Chriſti in Monte Oliveti. X. 53. miraculum in die Aſcenſionis poſt Miſſam in Eccleſia Montis Oliveti quotannis fieri ſolitum. 54. miraculum Volſinienſe circa Euchariſtiæ Sacramentum. XIII. 6. 9. miraculum S. Crucis Conſtantino objectum. XIV. 2. &c. miraculum delapſæ nivis in ædificatione Baſilicæ S. Mariæ Majoris. II. VII. 6. &c. 14. &c. aliud miraculum terræ dehiſcentis in eadem ædificatione. 7. &c.

Miſſa. Apoſtoli quando Miſſam primam celebraverint. I. XI. 42. in Miſſa, & Officio de Circumciſione plura continentur, quæ ſpectant ad B. V. & quare. 11. 25. Miſſæ duæ celebrabantur olim in die Circumciſionis, altera de Chriſti Circumciſione, altera de B. Virgine. *ibid.* Miſſæ tres cur celebrentur in die Natalis Domini. XVII. 57. &c. 61. &c. & cur aliæ plures Miſſæ aliis diebus. 59. &c. Miſſas tres celebrandi mos Fer. 5. in Cœna Domini. VI. 67. Miſſa Fer. 6. in Paraſceve. VII. 143. non appellanda eſt Miſſa ſicca, ſed Miſſa Præſanctificatorum. 148. cur celebretur hac Feria ſexta. 149. Miſſa Sabbathi Sancti olim celebrabatur in Nocte. VIII. 2. hujus Miſſæ cæremoniæ. 65. Miſſa *ad prohibendam ab Idolis*. 1. 22. Miſſa Catechumenorum. VI. 68.

Modeſtia quæ neceſſaria eſt quando loquimur de rebus ad B. V. ſpectantibus. II. III. 19.

Modus rite precandi B. Virginem. II. XIII. 3.

Mœror Chriſti in horto. I. VII. 4.

Mons in quo Chriſtus tranſfiguratus eſt. I. XV. 10.

Monumentum. Monumenta aperta in Chriſti morte. I. VIII. 38. &c. utrum in Judæa tantum, an etiam alibi aperta ſint monumenta, Chriſto moriente. VII. 111. cur Angelus aperuit monumentum Chriſti jam redivivi. VIII. 33.

Mors Chriſti quo anno, die, & hora contigerit. I. VII. 135. mors Beatæ Mariæ appellatur Feſtum Aſſumptionis. II. VIII. 19. 22.

Mortui, qui reſurrexerunt in morte Chriſti, utrum cum ipſo in Cœlum aſcenderint anima, & corpore. II. VIII. 20.

Moyſes cur teſtis adhibitus in Tranſfiguratione. I. XV. 4. an eſſet tunc proprio præditus corpore. 5. per Moyſem promulgata lex Circumciſionis. I. 3.

Mulieres, quæ venerunt ad Sepulchrum Chriſti, quænam fuerint. I. VIII. 31.

Multitudo militiæ cæleſtis, quomodo hæc verba intelligenda. I. XVII. 48.

Mulus. Mulis, & Aſinis utebantur primores Judæorum. I. IV. 15.

Munera, quæ Magi detulerunt Chriſto, fuerunt Symbolica. I. II. 11. &c.

Muratorius Ludovicus citatus. II. XVI. 12.

N

Natale Domini. I. XVII. 1. &c. *Natale S. Mariæ*. lectio perperam correcta a Martene. I. 25. natalis dies Sanctorum dicitur *is*, in quo mortem obierunt. II. IX. 1. quorum natalis dies ab Eccleſia celebretur. 2.

Natalis Alexander citatus. II. XV. 25. laudatus. XVI. 6.

Nathanael an ſit idem ac Bartholomæus. I. X. 9. an Sponſus in Nuptiis Canæ. II. 31.

Nativitas Chriſti in Orientali Eccleſia ſimul cum Epiphania celebrabatur. I. 11. 50. quem locum teneat inter Eccleſiæ Feſtivitates. 57. quænam ejus peculiaria privilegia. *ibid.* ritus celebrandi in ea tres Miſſas quis Auctor. 58. qua ratione colatur 25. Decembris. 66. &c. ejus Octava. I. 19. &c. Nativitas B. Mariæ Virg. II. IX. 1. *etc.* 13. &c.

Naupactum, & Victoria navalis illic a Chriſtianis reportata. II. XII. 11.

Nazaræus cur appelletur Chriſtus. I. XVII. 28.

Nicephorus vel refutatus, vel explicatus. I. XVII. 68.

Nicetas Pectoratus refellitur. I. VII. 149.

Nicodemus. I. VI. 4. ſimul cum Joſepho ab Arimathæa operam dat ſepulturæ Chriſti. VII. 130. quis fuerit. 131. ejus laus. 132.

B. Nicolaus Albergatus. II. XV. 7.

Nicolaus I. Pont. citatus. II. VIII. 26.

Nicolaus IV. Pont. citatus. II. VII. 14.

Nicolaus de Villa Gagnonis. I. VI. 7.

Nix miraculoſe delapſa in ædificatione Baſilicæ Liberianæ. II. VII. 6. &c.

de Nogarolis Leonardus. II. XV. 22.

Nomen quandonam infantibus imponi conſueverit. I. III. 2. *etc.* non proprio, ſed patris nomine mos erat Judæis filium indicare. X. 9. Nomen Jeſu. III. 2. *etc.* plures appellati hoc nomine in Lege Veteri, 5. vis, & poteſtas hujus nominis. 6. ejus Officium. 12. Nomen B. Mariæ Virginis. II. X. 1. *etc.* Nomina SS. Joachim & Annæ utrum ſint incerta. II. IX. 18. &c. Nomina varia Feſti Circumciſionis. I. 1. 19.

Notkerus Monachus S. Galli. I. XI. 41.

Nox. Officia divina olim celebrata noctu, nunc interdicuntur. I. II. 51.

Nubes. Deus ſæpe ſe conſpicuum exhibuit in nube. I. XV. 18.

Nudus dicitur etiam qui ſola ſit interula indutus. I. X. 11. Nuditas Chriſti. VII. 53. 88.

Numerus pluralis pro ſingulari ponitur juxta Idiotiſmum Hebraicum. I. VII. 69. VIII. 33. numerus eorum, qui in Cœnaculum convenerunt, quo Spiritus Sanctus delapſus eſt. XI. 11.

Nummus ab Heraclio ob recuperatam Crucem percuſſus. I. XVI. 7. 13. &c.

Nuptiæ in Cana Galilææ celebratæ, & varia circa eaſdem quæſita. I. 11. 31.

O

O S. Maria de O vocatur ſolemnitas Expectationis. II. XVII. 2.

Oblatio Chriſti ad Templum, appellatur Purificationis Feſtum. II. 11. 7.

Obſtetrix nulla adhibita in partu B. M. Virginis. I. XVII. 22. &c.

Octava Nativitatis Domini. I. 1. 19. *etc.* Nativitatis B. M. Virginis quando inſtituta. II. IX. 10. Aſſumptionis cur a Leone IV. inſtituta. VIII. 27.

Offertorium cur omittatur in Miſſa Sabbathi Sancti. I. VIII. 67. &c.

Officium. Officia noctu celebrata in die Epiphaniæ. I. 11. 51. Officia Tenebrarum. V. 1. *etc.* in Officio, & Miſſa de Circumciſione plura habentur, quæ ſpectant ad B. Virginem, & quare. I. 25. Officium SS. Nominis Jeſu. III. 21. Officium Paſchæ

ſchæ cur ſit tam breve. IX. 8. Officium Corporis Chriſti. XII. 11. S. Crucis. XIV. 28. &c. Transfigurationis. XV. 22. &c. Immaculatæ Concept. S. Mariæ Virginis. II. IX. IX. 17. XV. 1. 5. 8. in Officio & Miſſa Conceptionis nemo uti debet alio quam Conceptionis nomine. 15. Officium Conceptionis mutatum a S. Pio V. Pont. 25. Officium SS. Nominis Mariæ. X. 6. Præſentationis. XIV. 7. Deſponſationis B. Mariæ quando, & a quo inſtitutum. I. 14. Officium Viſitationis. V. 9. II. Expectationis Partus. XVII. I. &c. Septem Dolorum. IV. I. 9. B. M. V. de Monte Carmelo. VI. 10. SS. Roſarii. XII. 13. &c. Patrocinii B. Mariæ Virg. XII. I. Translationis S. Domus Lauretanæ. XVI. 1. S. Mariæ in Sabbatho. XVIII. 3. &c. Officium parvum Beatæ Mariæ Virg. I. &c. an ſit quotidie de præcepto omnibus Eccleſiaſticis. 4. &c.

Oleum. Fons olei, qui in die Nativitatis Chriſti Romæ erupit. I. XVII. 55. Oleum Catechumenorum, & Infirmorum. VI. 62. Olea ſancta. 59. ea benedicendi mos Fer. 5. in Cœna Domini quando introductus. 63. quis ritus in eorum conſecratione. 64. ea conſecrantur a Card. Archipresbytero in Vaticana Baſilica. 69.

Oliveti Mons palmis, & olivis confertiſſimus. I. IV. 12.

Opus. Opera ſervilia non interdicebantur in Feſto Pentecoſtes per 50. dies productos. I. XI. 34. Operum noſtrorum ſatisfactio non explodenda. VII. 111.

Ora pro nobis non dicitur, quando Oratio dirigitur ad Chriſtum. I. III. 14.

Oraculum Chriſti de Petri Martyrio. I. X. 17. oracula Chriſti impleta in excidio Hieroſolymitano. IV. 8. &c. oraculum de ortu Chriſti Bethlehemitico. XVII. 24. oraculum Scripturæ impletum in morte Chriſti. VII. I. 24. 216. oracula de Chriſti Reſurrectione ex Sacris Paginis. VIII. 16. oracula de Aſcenſione Chriſti. X. 57. oraculum *Dicite Filiæ Sion &c.* de quo Propheta intelligi debeat. IV. 7. &c. 13. oraculum Joelis. XI. 6. oraculum Iſaiæ de Bove, & Aſino ad Domini Præſepe. XVII. 53. oraculum *Zachariæ* de veſtigiis Domini in monte Oliveti. X. 53. oraculum Zachariæ Cap. 12. impletum. VII. 12. ejuſdem oraculum Cap. 9. de nullo alio exponi poteſt, quam de Meſſia. IV. 25. oraculum Delphicum. XVII. 53.

Oratio Chriſti in horto. I. VII. 5. utrum omnis Chriſti oratio ſit exaudita. 7. &c. oratio peccatoris an exaudiatur a Deo. II. VI. 7.

Orbis univerſus ſæpe Judæam ſolam ſignificabat. I. XVII. 3.

Orientales. Ritus Orientalium in Dominica Palmarum. I. IV. 23. & Fer. 5. in Cœna Domini. V. 51. 65.

Originale peccatum utrum deleretur per Circumciſionem. I. 1. 9. &c. utrum ſit a Beata Virgine contractum. Vide *Conceptio*. Paulus V. quomodo veruit affirmare B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato Originali. II. XV. 14.

Origenes confutatus. II. IV. 3.

Orlandus Peregrinus Antonius ex Sacra Familia Carmelitarum notatur. II. XII. 9.

Oſculum in Nocte ante Maturinum Paſchæ olim præmiſſum eum iis verbis *Surrexit Dominus*. I. VIII. 70. Oſculum pacis non datur in Miſſa Feria 5. in Cœna Domini. V. 48.

P

Palinodiam publice recantarunt qui Joannis de Monteſono partes ſequuti contrariam Immaculatæ Conceptioni opinionem propugnaverunt. II. XV. 6. ad eamdem adactus eſt Jo. Verus 9.

Palmæ, eaſque benedicendi ritus quando introductus. I. IV. 20.

Pan cur dicatur mortuus in die Mortis Chriſti. I. VII. 123.

Panis triticeus num ſit materia neceſſaria Sacramenti. I. VI. 38. panis a Chriſto Judæ porrectus quo liquore fuerit intinctus. 43. panis benedictio. X. 59.

Pantaleon Jacobus, poſtea Urbanus II. Pont. I. VII. 64.

Pantheon ab Agrippa ædificatum. II. VII. 18.

Papebrochius defenditur. I. XIV. 9. citatur. II. VI. 2. VII. 15. ejus contentiones cum Carmelitis. VI. 5. 8. 10.

Paradiſus Latroni a Chriſto promiſſus qualis fuerit. I. VII. 99. Paradiſus terreſtris. X. 50.

Paraguai. Pietas Paraguajenſium. I. XIII. 11.

Paraſceve quid ſit. I. VI. 24. quid ſignificet. VII. I.

Pariſienſe Martyrologium. II. VIII. 22.

Particula Sic, & *Si* quem ſenſum faciant. I. X. 18. &c.

Partus B. Mariæ Virg. qualis fuerit. I. XVII. 22. &c.

Paſcha, ejuſque etymon, & cur hoc nomen Feſto Reſurrectionis indictum ſit. I. IX. 1. Paſcha Hebræorum. VI. 16. differt a ſolemnitate Azymorum. 17. Paſcha fuiſſe duplex, unum Judæorum, alterum Galilæorum, eſt ridiculum commentum. 25. Paſcha legale cur inſtitutum. 6. Paſcha Domini, & variæ circa illud quæſtiunculæ. 2. &c. Paſcha Domini ab omnibus una eademque Dominica celebrandum. I. II. 51. vetus diſciplina non recedendi ab Eccleſia ante mediam noctem in Pervigilio Paſchæ. VIII. 2. Paſcha petitum, ſeu Competentium dicebatur Dominica Palmarum. I. IV. 22.

Paſchalis Agnus. Vide *Agnus Paſchalis*.

Paſſio Chriſti per ſingulas partes explicata. VII. 2. &c. quam fuerit atrociſſima. 72.

Paſſionei Dominicus Card. I. VI. 35. II. II. 36.

Paſtophorium. I. VI. 48.

Paſtores ab Angelo moniti nocte Nativitatis quot eſſent, & unde venerint. I. XVII. 46. eorum adventus ad Præſepe. 51. eorum fides. 52.

Pater. Æterni Patris benevolentia in Chriſtum non fuit imminuta Crucifixionis tempore. I. VII. 103.

Patritius Auguſtinus Piccolomineus. I. VI. 55.

Patrocinium Beatæ Mariæ Virg. II. XII. 1. &c.

S. Paulus Apoſt. Timotheum circumcidit, non Titum, & quare. I. 1. 26. maledixit Ananiæ. VII. 30. ejus teſtimonia de Chriſti Reſurrectione. VIII. 17. ejus locus. 1. ad Timoth. 2.

Paulus V. Pontifex. II. VI. 9. ejus Conſtitutio in favorem Immaculatæ Conceptionis. XV. 14.

Pauſatio B. M. V. appellatur Feſtum Aſſumptionis. II. VIII. 19. 22.

Peccator. Oratio Peccatoris quomodo exaudiatur a Deo. II. VI. 7.

Peccatum originale utrum deleretur per Circumciſionem. I. 1. 9. &c. utrum a B. Maria V. contractum ſit. Vide *Conceptio*. Peccatum Principis Judæorum, & populi, qui crucifixerunt Chriſtum, quam grave. VII. 95.

Pedes. Ablutio pedum, quæ fit Fer. 5. in Cœna Domini, & variæ circa illam traditiones. I. VI. 51. 54. errores Hæreticorum circa eandem. 52. &c. cur 13. pauperibus pedes abluantur eadem Fer. 5. variæ ſententiæ. 57. &c. Pedum lotio ante menſam. 52.

Penalius. Vide *Petrus Brantius*.

Pentecoſte non tam ſignificat Feſtum ipſum, quam dies 50. inter Paſcha & Pentecoſtem interjecti. I. XI. 32. &c. Feſtum ipſum Pentecoſtes proprie tale. 1. &c. inſtitutum ab Apoſtolis. 31. Pentecoſte Hebræorum, quæ illa ſolemnitas, & quando celebraretur. 9. Pentecoſte Chriſtianorum, & ejus analogia cum Pentecoſte Hebræorum. 10. pro anno Chriſti emortuali altera ſtatuitur Pentecoſte Judæorum, altera Chriſtianorum. 24. &c. 28.

Peperit filium ſuum Primogenium, quo ſenſu intelligenda ſint hæc verba. I. XVII. 22.

Perſæ honorifice cuſtodiunt S. Crucem. I. XVI. 3.

Pervigilium. Quid olim eſſent Chriſtianorum pervigilia. I. XVII. 55. Pervigilium Nativitatis Domini quam celeberrimum. 56. in Pervigilio Paſchæ olim non recedebatur ab Eccleſia ante mediam noctem. VIII. 2.

Petavius citatus. I. XVII. 9. II. XV. 2.

Petræ diſrupiæ in morte Chriſti. I. VII. 122.

S. Petrus Apoſtolus. I. X. 10. &c. 15. XI. 6. 8. XV. 11. cur contriſtatus ſit ad trinam Chriſti interrogationem *Amas me?* X. 16. quod non permiſerit ſibi pedes lavari niſi Chriſti minis compulſus, non ſignificat ablutionem pedum eſſe Sacramentum. VI. 53. ejus lapſus excuſatur a quibuſdam. VII. 12. ſed perperam, quia vere peccavit. 23. non tamen a fide deſcivit. 24. quæſtiones variæ circa hunc lapſum. 25. &c. S. Petri locus Epiſt. 1. Cap. 3. explicatus. XIII. 5. alter locus Epiſt. 2. Cap. 1. explicatus. XV. 17. &c. ejuſdem verba in Transfiguratione expenduntur. 16.

S. Petrus Damiani. II. XVIII. 1. citatur. 2. IX. 9. ejus locus a calumniis Hæreticorum vindicatus. XIII. 2.

S. Petrus Nolaſcus. II. XI. 2.

Petrus Amelius Senogallienſis Epiſc. I. XIV. 28.

Petrus Brantius Penalius Vicentinus. I. VII. 22.

Petrus Cellenſis citatus. II. III. 19.

Petrus Compoſtellanus Archiepiſcopus. II. XIII. 3.

Petrus Eremita, utrum ſit Auctor Roſarii. II. XII. 7.

Petrus Fullo Archiepiſc. Antiochenus. I. VI. 65.

Petrus de Natalibus, de ejus opere judicium non admodum favorabile. II. VII. 13. &c.

Petronius, ejuſque circa Paſcha Chriſti Domini ſententia. I. VI. 15. 25.

S. Philippus Apoſtolus. I. X. 9.

Philippus III. & *Philippus IV.* Hiſpaniarum Reges, eorumque Legationes pro definienda Controverſia Immaculatæ Conceptionis. II. XV. 15.

Philoponus Joannes. I. VI. 7.

Philoſophus. An Chriſtus deſcendens ad Inferos liberaverit aliquos ex veteribus Philoſophis. I. VIII. 13.

Phlegon citatus. I. VII. 117. 122.

Phocas Imperator. I. XVI. 1. &c. II. VII. 18.

Photius Patriarcha Conſtant. I. VI. 38.

Piccolomineus Auguſtinus Patritius. I. VI. 55.

Piſtores non recte repræſentant Chriſti Circumciſionem. I. 1. 15. improbantur, quicunque Deiparam prope examinatam, ac mulierciularum ſimilem ante Crucem exhibent. II. IV. 8. cur pingant Deiparam ſeptem gladiis transfixam. 9.

Pilatus quis, & unde eſſet. I. VII. 37. &c. ejus colloquium cum Judæis. 35. 38. ejus interrogationes variæ ad Chriſtum. 42. amandat Chriſtum ad Herodem. 43. &c. ſomnium Uxoris Pilati. 46. quinquies conatus eſt Chriſtum morti eripere, nefario tamen ſcelere ſe obſtrinxit, qui Jeſum paſſus eſt interfici. 48. & conſcientia ſibi reclamante dimiſit Barabbam, Jeſum flagellatum Judæis tradidit. 49. &c. utrum ipſe per ſe ipſum flagellaverit Chriſtum. 54. poſt anxietates varias damnat morte Chriſtum Jeſum. 61. ob quem reatum condemnaverit Chriſtum Dominum. 80. cur certior fieri voluerit a Centurione de ejus morte. 130. ejus de Chriſti Reſurrectione teſtimonium. VIII. 19.

Pileus Ducalis benedictus a Pontifice. I. XVII. 61.

Pius II. Pont. II. V. 10. citatur. VII. 15.

S. Pius V. Pontifex. II. XII. 11. &c. XVIII. 6. ejus Conſtitutio circa Conceptionem B. Mariæ Virginis. II. XV. 13. &c.

Plato utrum ſalvus ſit. I. VIII. 13.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Plutarchus citus. I. VII. 123.
Pœnitentes, eorumque reconciliatio Fer. 5. in Cœna Domini. I. VI 67. eorum varia genera. 68.
Pœnitentia publica. I. VI. 67. 68.
Poggius Florentinus. II. XII. 5. 6.
Polemeus Silvius, seu P. Aeneus Sylvius. I. II. 2.
Polonia. Nulla fœmina in Polonia nomine Mariæ appellatur. I. X. 3.
S. *Polycarpus* Smyrnenſis Ep. I. IX. 5.
Polycrates Epheſinus Ep. I. IX. 6.
Pontifex Romanus omnes cæremonias Fer. 5. in Cœna Domini per ſe exequebatur. I. VI. 69. quare in Miſſa ſolemni ſuper Altare conſecret, & in ſolio Euchariſtiam ſuſcipiat. VIII. 48. cur in Miſſa ſolemni Hoſtiam e ſiniſtro, ſanguinem vero e dextero latere excipiat. VII. 127. in ſolemni Miſſa ſanguinem per fiſtulam exſorbet, & hujus cæremoniæ myſtica alluſio. 110. *&c.*
Pontificalis Liber, ejuſque varia lectio notatu digna. II. VII. 10.
Pontificatus Annæ, & Caiphæ, & difficultas circa illum. I. VII. 14.
Porphyrius, ejuſque nefaria audacia II. V. 4.
Potus Chriſto in morte oblatus cujusmodi fuerit. I. VII. 77.
Præcepta legalia quando vi ſua caruerint. I. I. 16.
Præſanctificatum. Miſſa Præſanctificatorum in quo differat a Miſſa ſicca. I. VII. 148. quando celebretur. 149.
Præſentatio B. Mariæ Virg. II. XIV. 1. *&c.* quare non dicatur potius Purificatio S. Annæ. 5.
Præſepe Chriſti Domini. I. XVII. 34. *&c.* II. VII. 3. appendix erat Diverſorii, adeoque *Domus* vocabulo appellatur. I. II. 17. Præſepia conficiendi conſuetudo quando nam incepta ſit. XVII. 68.
Prandium fiebat meridie apud Judæos. I. XI. 30.
Preces appellantur etiam Benedictiones. I. VIII. 48.
Presbyteri cujusdam Provinciæ poſt ordinationem per quadraginta dies Euchariſtiam ab Epiſcopo acceptam ſumebant, tamen ipſi quoque celebrabant. I. IV. 25. Presbyteri in Paſchate etiam ipſi conſecrabant, licet Euchariſtiam a Pontifice miſſam acciperent, ut diſtribueretur. *Ibid.*
Primores viri Judæorum aſinis, & mulis utebantur, non equis. I. IV. 15.
Privilegium Sabbathinum. II. VI. 4 *&c.*
Proceſſio Dominicæ Palmarum in memoriam triumphalis Chriſti ingreſſus in Hierusalem. I. IV. 16. *&c.* Proceſſio Fer. 6. in Paraſceve. VII. 143. Proceſſivo, quæ fiebat olim qualibet Fer. 5. in memoriam Aſcenſionis Domini. X. 59. Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti. XIII. 10. *&c.* Proceſſionis, quæ fit in die Purificationis ſymbolica explicatio. II. II. 9. alia explicatio. 10. Lupercalibus, aut Amburbalibus ſubrogata. 14. *&c.*
Prodigia utrum ante, an poſt Chriſti Baptiſmum contigerint. I. II. 29.
Propheta. Quem Prophetam intelligat D. Matthæus referens oraculum. *Dicite Filiæ Sion &c.* I. IV. 7. *&c.*
Prophetia Chriſti de excidio Hierusalem an impleta. I. IV. 8. an aliæ ejus Prophetiæ in eodem excidio. 9. 10 Prophetia Hieremiæ de pretio, quo Chriſtus eſt venditus, quomodo intelligenda, VII. 33.
Propoſitio Joannis de Monteſono adverſus Immaculatam Conceptionem ab Univerſitate Pariſienſi confixa. II. XV. 6. Propoſitiones, quæ exprimunt Immaculatam Conceptionem B. Mariæ Virg. quæque adhiberi debent ad eam ſententiam declarandam cui favet Eccleſia. 2. Propoſitiones ante Eccleſiæ judicium non ſunt cenſura ulla, aut nota hæreſeos taxandæ. I. VI. 9. 40.
Proſa quatuor, quæ recitantur in Miſſa, quem habeant ſingulæ auctorem. I. XI. 41.
Pſalmi 21. locus ab Hebræis corruptus. I. VII. 87.
Pueri. Utrum Animæ puerorum in peccato originali ſeparatæ a corpore fuerint liberatæ a Chriſto in die mortis ſuæ. I. VIII. 12.
Pulcheria Imperatrix. II. VIII. 7. &c.
Purgatorium. Utrum Animæ Purgatorii liberatæ fuerint a Chriſto in die mortis ſuæ. I. VIII. 12.
Purificatio B. Mariæ Virginis. I. II. 45. II. II. 1. *&c.* hæc Feſtivitas non debet dici Chriſti Purificatio. 8. Purificatio S. Annæ. XIV. 5.

Q

Quadrageſima vocatur Solemnitas Aſcenſionis. I. X. 58. in Quadrageſima, & quavis alia Jejunii die ablutiones prohibebantur. IV. 22.
Quæſtiones quædam minutæ de Chriſti conceptione declinandæ. II. III. 19.
Quareſimus citatur. I. VII. 51. II. XVI. 13.
Queſnelus confutatus, I. XI. 38.
Quid mihi, & tibi eſt mulier? quomodo hæc verba explicanda contra Hæreticorum calumnias. I. II. 23.
Quintilius Varus. I. XVII. 6. &c.
Quiriacus, ſeu Cyriacus Ep. cœvus S. Helenæ, & unus ex SS. Patronis Anconæ. I. XIV. 6. 8. &c.
Quirinus Publ. Sulpicius idem cum Cyrino Syriæ Præſide. I. XVII. 6.

R

Raynaudus Theophilus nunquam agnovit tanquam ſuum opus quod inſcribitur *Scapulare Marianum*. II. VI. 5. laudatur. XVI. 7. citatur. VIII. 4. X 4.
Regnum, de quo locutus eſt bonus Latro, fuit procul dubio Regnum cæleſte. I. VII. 97.
Repudii conſuetudo apud Hebræos non erat inter conjuges tantum ſed etiam inter ſponſos. II. III. 4.
Reſpondere in Lingua Hebraica idem eſt ac *dicere*. I. XV. 16.
Reſurrectio Chriſti Domini. I. VIII. 14. *&c.* quibus Scripturæ oraculis comprobata. 16. *&c.* quibus Teſtimoniis. 19. *&c.* Reſurrectio Sanctorum in morte Chriſti. VII. 122. quinam fuerint qui cum Chriſto reſurrexerunt. VIII. 40. *&c.* ubi exegerint quadraginta illos dies poſt Reſurrectionem, antequam cum Chriſto aſcenderent in Cœlum. X. 50.
Reimejer Philippus Julius. I. VI. 39.
Reus. Conſuetudo liberandi unum reum in die Paſchæ. I. VII. 46. rei nulla veſte induebantur. 44. Veſtes reorum militibus ſupplicii munus obeuntibus addicebantur. 90.
Ritus. quos adhibet Eccleſia Fer. 5. in Cœna Domini. I. VI. 47. Ritus oſtendendæ Crucis Fer. 6. Paraſc. unde originem traxerit. XIV. 16.
Rivetus refellitur. II. XIII. 2.
Robertus Leodienſis Epiſc. I. XIII. 3.
Robertus Francorum Rex I. XI. 41.
Romani quoto a nativitate die nomen infantibus imponerent. I. III. 2. an Crucis ſupplicio uterentur. VII. 79.
Roſarium B. Mariæ Virginis, quid ſignificet. II. XII. 1. 8. qui de illo ſcripſerint. 2. cui Auctori tribui debeat. 3.
Ruffinus Presbyter Aquilejenſis confutatur. I. VIII. 6.
Rupertus Abbas citatus. I. VIII. 45.

S

Sabbathinum Privilegium. II. VI. 4. *&c.*
Sabbathum B. Virginis cultui dicatum. II. XVIII. 1. *&c.* olim tanquam feſtum colebatur. 7. cur olim Romæ fideles Sabbatho jejunarent, 8. Sabbathum Sanctum, & quodnam myſterium hac die recolat Eccleſia. I. VIII. 1. quæ olim diſciplina pernoctandi in Eccleſia. 2. num Miſſa nocte hac olim celebrata. *ibid.* quare ignis hac die benedicatur. 50. quare accendantur Candelæ in Trianguli formam diſpoſitæ. 51. *&c.* quare benedicatur Cereus. 54. *&c.* de hujus diei Miſſa, & ritibus. 65. *&c.* Sabbathum in Pervigilio Pentecoſtes quonam olim ritu cultum. XI. 36. unde ejus jejunium. 37. 38. unde Fontis benedictio. 39.
Sacerdos. An ſummo Sacerdoti licuerit veſtimenta ſcindere in ſignum doloris. I. VII. 30. Sacerdotes Fer. 5. in Cœna Domini alicubi celebrant Miſſas, nec ab ullo alio ſuſcipiunt Euchariſtiam. I. VI. 48.
Sacramentalia. I. VI. 68.
Sacramentum Corporis Chriſti. I. IV 25. Sacramenta veteris Legis per ſe non conferebant gratiam juſtificantem. I. 1. 6. conferebant tamen ex opere operantis. 7. Sacramenta vero novæ Legis conferunt ex opere operato. *ibid.* ablutio pedum Fer. 5. in Cœna Domini non eſt Sacramentum. VI. 53.
Salmaſius confutatus. I. XI. 7.
Salve Regina &c. quis hujus Cantici Auctor. II. XIII. 3.
Salutare. Res etiam inanimatæ ſalutantur. I. VI. 66.
Salutatio Angeli ad B. V. inuſitata fuit, & ſingularis. II. III. 7. Salutatio Angelica quare recitetur aliis Sanctis. XIII. 1. Salutationis Angelicæ ſignum. III. 14.
Samaria fuit imago Hieroſolymæ. I. VII. 63.
Sanctificari non eſt idem ac *Conſecrari*. I. VII. 154. Sanctificatam dicere B. Virginem in utero non exprimit ejus Immaculatam Conceptionem. II. XV. 2.
Sanctitas, & excellentia B. Mariæ Virginis. II. XIII. 1. *&c.*
Sanctuarium Templi. I. VII. 119.
Sanctum Sanctorum Templi. I. VII. 119.
Sanctus. Sanctorum apud alios Sanctos Interceſſione non utimur, utimur tamen apud B. Virginem ipſis recitantes Salutationem Angelicam. II. XIII. 1. Sanctorum corpora qui ſurrexerunt poſt Chriſti Reſurrectionem. I. VIII. 38. *&c.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

an iterum obierint. 41. &c. x. 51. &c. ubi fuerint usque ad Ascensionem. 50.
Sanctus Deus, Sanctus Fortis &c. Vide *Trisagium*.
Sanguis. Sanguineus Christi sudor an verus fuerit. I. VII. 9. an triduo mortis Christi sanguis hypostatice unius fuerit verbo Dei. VIII. 9. gutte aliquot Sanguinis Christi, quæ Mantuæ asservantur, an integritati corporis repugnent. 37.
Satellites, qui Christum flagellaverunt cujus gentis fuerint, I. VII. 55.
Satisfactio operum nostrorum non explodenda. I. VII. 112.
Sauffay refutatus. II. IX. 5.
Saxius Franciscus Hieronymus. II. XIV. 4. refutatus. IX. 5.
Scapulare Beatæ Mariæ Virginis. II. VI. 4. &c. 30.
Schmidt Joannes Andreas confutatus. I. VII. 134.
Scriptura Sacra. Interpretes sequitur Ecclesia Romana. I. XVII. 42. Scriptura Sacra quomodo intelligenda, & explicanda. 3. 38. Scripturæ loquendi modus. II. VI. 8.
Scotus citatus. II. XV. 5.
Senatus Romani deliberatio M. Cicerone, & Antonio Cos. I. II. 43.
Sententia. Variæ de Natali Christi anno sententiæ numerantur centum triginta duo. I. XVII. 44. in sententiam Immaculatæ Conceptionis tanquam firmissimis fultam rationibus propendet Apostolica Sedes, eamque Fideles vulgo amplectuntur. II. XV. 2. 4. 16.
Septuaginta Interpretum versio mendosa est. I. XVII. 42. &c.
Sepulcrum B. Mariæ Virg. ubi sit, & quomodo dicatur translatum Constantinopolim. II. VIII. 7. &c.
Sequentia. Victimæ Paschali &c. quo Auctore composita. I. IX. 9.
S. Sergius I. Pontifex. I. XVI. 12. II. II. 10. 15. jussit dici in Missa *Agnus Dei &c.* I. VIII. 71.
Serry Hyacinthus Criticæ intemperantius indulgens. II. IX. 18. refellitur. I. VII. 73. XI. 13. &c. 30. citatur. II. VIII. 9. ejus opinio rejecta. I. XVII. 35. ejus sententia de incerto Magorum numero refellitur. II. 7.
Servis. Servi per alapam libertate donabantur. I. VII. 21.
Si, & *Sic* particulæ quo sensu accipiantur. I. X. 18. &c.
Sicut particula non semper veritatem negat, sed persæpe confirmat. I. VII. 9.
Sigillum Confessionis. I. VI. 68.
Signum Salutationis Angelicæ cur detur tribus diversis diei horis. II. III. 14.
Silvius Polemeus, seu P. Anneus Sylvius. I. II. 2.
Simeon Propheta, qui puerum Jesum in ulnas accepit, an Sacerdos fuerit. II. II. 5. &c. quomodo intelligenda ejus verba, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. IV. 2. &c.
S. Simon. Apost. Cananæus appellatus zelotes. I. II. 31.
Simon Cyrenæus, qui Crucem Jesu tulit. II. IV. 6. quis fuerit. I. VII. 62.
Simon Stokius, ejusque visiones. II. VI. 4. &c. 8.
Sindon sacra, qua Christi corpus involutum fuit. I. VII. 134.
Siroes Persarum Rex. I. XVI. 5. &c.
Sitis Jesu in Cruce pendentis. I. VII. 104. &c.
Sixtus III. Pont. ejusque Basilica. II. VII. 2. 9.
Sixtus IV. Pontifex. II. XV. 8.
Sociniani hæretici. I. X. 40. eorum vana effugia. 6.
Socrates utrum salvus sit. I. VIII. 13.
Solemnitates, quæ per diem integrum celebrabantur, II. IX. 9.
Somnium uxoris Pilati. I. VII. 46.
Somnus B. Mariæ appellatur Festum Assumptionis. II. VIII. 19. 22.
Sors Apostolatus, quæ obtigit Matthiæ, ita volente Deo, trahi non debet in exemplum. I. II. 2.
Sotus Magni nominis Theologus, qui Concilio Tridentino interfuit: citatur. II. XV. 12.
Spasmus quid sit. II. IV. 7. Ecclesia S. Mariæ de Spasmo. 6. 8. &c.
Spinellus citatus. II. XII. 9. XVIII. 2.
Spinosa, ejusque impia, & monstrosa doctrina. I. VIII. 20.
Spiritus Sanctus proprie non est Pater Christi secundum humanam naturam. II. III. 11. non fuit hypostatice conjunctus cum columba. 11. 29. decuit, ut descenderet super Christum baptizatum. 28. quomodo delapsus sit super Apostolos, & qualia illis dona indiderit. XI. 3. &c. quot numero fuerint, quos die Pentecostes afflavit. 11. quo loco. 16. &c. quo die. 21. &c. qua hora. 30.
Spongia Christi Domini. I. VII. 58. imposita fuit hyssopo vallensi, qui ad duos pedes assurgit. 107.
Sponsus in Nuptiis in Canæ Galilææ quis fuerit I. II. 31.
Stabat Mater &c. quis Auctor hujus Hymni. II. IV. 5.
Stadium Hebraicum, & Græcum. I. X. 43.
Stella, quæ Magis apparuit, quid fuerit. I. II. 6. &c. non ante Magis illuxit, quam Christus natus esset. 39. &c.
S. Stephani Bononiæ Inscriptio rarissima. I. VI. 54.
Stokius. Vide *Simon*.
Strenia Dea, ejusque Festum. I. I. 21. 22.
Strepitus, qui fieri solet in fine Laudum triduo Hebdomadæ Sanctæ quid significet. I. V. 9.
Suarez Franciscus laudatus. II. XIII. 1. citatus. X. 24. I. VII. 94.
Subdiaconus. Festum Subdiaconorum in Gallia. I. I. 24.
Substrati quinam essent. I. VI. 68.
Sudarium Christi Jesu, seu Sanctæ Veronicæ. I. VII. 189.
Sudor Christi sanguineus fuit verus, & perperam hujus facti historia ab aliquibus expuncta. I. VII. 9.
Superstitio. Quas superstitiones Kal. Januarii Gentes celebrarent. I. I. 21.
Sylvius. Vide *Pius II.* & *Slyvius*.
Symbolum. Symbolicæ rationes in sacris Cæremoniis vindicatæ. I. V. 5. &c. symbolica explicatio ceremoniæ, qua Rom. Pontifex in Missa solemni e sinistro latere Hostiam excipit, sanguinem vero a dextro latere. VII. 127. symbola non continent omnes Fidei articulos. VIII. 7. symbolorum exteriorum sola devotio nihil proficit ad salutem. II. VI. 7.
Synodus. Vide *Concilium*.

T

Tabella S. Bernardini Senensis, in qua depictum Nomen Jesu. I. III. 9. &c. tabella, quæ olim appendebatur cereo Paschali. III. 57.
Taberna meritoria, locus Romæ, ubi nunc Sancta Maria Tran Tyberim. I. XVII. 53.
Tabulæ censuales, ubi Christi nomen relatum fuerat. I. XVII. 45.
Tactus corporis glorioſi quomodo fieri possit. I. X. 4.
Tedium Christi in horto. I. VII. 3.
S. Telemachus. I. I. 22.
S. Telesphorus Papa, ejusque Decretalis. I. XVII. 58.
Templum Hierosolymitanum in tres partes divisum duobus oppansis velis. I. VII. 119. Templum Pacis. I. XVII. 53.
Tempus, quo natus est Christus. I. XVII. 39. quo contigit Christi Transfiguratio. XV. 7. Tempus Inventionis S. Crucis. XIV. 6. &c. & Institutionis Festi. 14.
Tenebræ toto terrarum orbe in morte Christi obortæ. I. VII. 117. Matutina tenebrarum. V. 1. &c.
S. Teresia, ejusque revelationes. I. VIII. 45.
Terræmotus in morte Christi, I. VII. 121. &c. in ejusdem Resurrectione. VIII. 32. &c.
Testes falsi contra Christum. I. VII. 30.
Theodoricus Rex. II. XII. 7.
Theodosius junior Imperator, ejus lex contra Judæos. I. XIV. 20.
Theodulphus Floriacensis Episc. Aurelianensis utrum Auctor Hymni, *Gloria, laus, & honor &c.* I. IV. 18.
Theopaschita, eorumque hæresis. I. VII. 147.
Thiers refutatur. II. IV. 5.
S. Thomas Apostolus. I. VIII. 49. X. 1. &c. utrum re ipsa tetigerit corpus Christi. 4. ejus confessio. 6. cur appellatur Dydimus. 8.
S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus citatus. I. I. 6. VII. 72. 74. 93. 99. XV. 4. 5. 11. &c. utrum sit Auctor Officii Corporis Christi. XIII. 11.
Thomas Ægyptius, ejusque historia. I. VII. 123.
Thomasius Joseph Card. II. VIII. 22. citatur. I. IV. 25.
Thomassinus Ludovicus refutatus. II. III. 18.
Threni Hieremiæ. I. V. 1. &c.
Thymiama. Usus Thymiamatis unde sit. I. 5. 6.
Tiberius Christum inter Deos voluit adscribere. I. VIII. 19.
Tillemontius refellitur. II. VII. 10. parum fidei tribuit Breviariis. II. VII. 9. ejus error.
Titulus Crucis. I. VII. 61. 64. &c. 84. ubi affixus. 83. quando inventus. XIV. 21. ubi asservetur. VII. 68. &c.
Tostatus, ejusque sententia proscripta. I. VIII. 135.
Tournely Honoratus laudatur. I. V. 6.
Tournemine Soc. Jesu Presb. I. VI. 8.
Touronius Scriptor Vitæ S. Dominici notatur. II. XII. 9.
Tractus cur dicatur post Alleluja in Sabbatino Sancto. I. VIII. 66.
Transeat a me calix, formula solemnis in conviviis apud Hebræos. I. VII. 6. explicatur, ut prolata a Christo. 7. &c.
Transfiguratio Christi Domini. I. XV. 1. &c. quo pacto contigerit. 4. quot miraculis illustrata. 6. quo tempore evenerit. 7. quo loco. 10. ejus convenientia. 11. cur ei tres tantum Apostoli adfuerint. 12. cur Moyses, & Elias. 14. an hi proprio præditi corpore: 15. quæ tum D. Petri verba. 16. quæ Patris Æterni. 17. quare vetitum Apostolis, ne Christi Transfigurationem enunciarent ante ejus Resurrectionem. 19. Transfigurationis Solemnitas a quo instituta. 20. &c.

Trans-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Translatio S. Domus Lauretanæ. II. xvii. 1. &c. Auctoris sententia in hoc argumento. 4.
Trinitas Divina in Christi Baptismate patefacta. I. ii. 29. Festum SS. Trinitatis. xii. 1. &c. quo tempore celebrari cœperit. 10.
Trisagium hoc, *Sanctus Deus, Sanctis Fortis* &c. a puero quasi divinitus allatum Constantinopolim, & cur eo utatur Ecclesia Occidentalis in die Parasceves. I. vii. 146. additio facta ad illud Trisagium interdicta. 147.
Tristitia Christi an vera fuerit. I. vii. 4.
Trithemius propugnator Immaculatæ Conceptionis frustra exagitatus. II. xv. 9.
Triumphus Christi Jesu Hierosolymam ingredientis. I. iv. 11. &c.
Tunica inconsutilis Jesu Christi qualis fuerit, & ubi asservetur. I. vii. 90. 91.
Turrecremata Joannes Tractatum de B. Mariæ Conceptione scripsit jussu Concilii Basileensis. II. xv. 7. 10.
Turrianus Franciscus laudatus. II. xiv. 9.

V

Valentia citatus. II. xii. 1.
Vecchiettus Hieronymus. I. vi. 7.
Velum Templi discissum post Christi mortem. I. vii. 118 &c.
Veneti Coronam spineam, Lanceam, Arundinem, & Spongiam Christi Domini a Francis Imperatoribus numerata pecunia in pignus acceperunt. I. vii. 58.
Verba Consecrationis utrum adhibuerit Christus Dominus. I. vi. 40 septem verba a Christo prolata explicantur. vii. 33. Verba illa: *Hodie mecum eris in Paradiso*: quo sensu intelligenda. 98. item illa: *Multitudo militia cælestis* explicata xvii. 48. item alia, *Gloria in altissimis Deo*. 49. &c. illa similiter. *Peperit filium suum primogenitum*, quo sensu intelligenda. 22.
Verbera. Numerus verberum, quibus flagellatus est Christus. I. vii. 56.
S. Veronica. I. vii. 64.
Versio Septuaginta Interpretum est mendosa. I. xvii. 42. &c.
Vertus seu *de Vert* Claudius, recens scriptor, confutatus. I. v. 2. 4. &c. vi. 30. viii. 56. II. ii. 9.
Verus Joannes, qui contrariam Immaculatæ Conceptioni sententiam pronunciaverat ad eam revocandam adactus est, II. xv. 9.
Vespasianus Imperator. II. vi. 1.
Vesper Sabbathi quid significet. I. viii. 23.
Vestigia Christi impressa in Monte Oliveti. I. x. 53.
Vestis. Vestes propriæ scindebantur a Judæis in signum doloris. I. vii 30. num id etiam summo Sacerdoti licuerit. *ibid.* Vestes sontium militibus supplicii munus obeuntibus leges addicebant. 90. Vestis, qua ludibrii causa vestitus fuit Christus a satellitibus. 57. 60. Christi vestes divisæ, & distributæ in Calvario. 75. 90. vestibus ne usus fuerit Christus post Resurrectionem, an non. x. 45.
Victima Paschali &c. hæc sequentia cujus Auctoris sit. I. ix. 9.
Victor Papa I. ix. 6. &c.
Victoria navalis Christianorum ad Naupactum. II. xii. II.
Vienna a Turcis liberata. II. x. 6.
Vigilia Epiphaniæ olim cum jejunio. I. ii. 51. item Vigilia Ascensionis. x. 59. Vigilia Pentecostes. xi. 37. Assumptionis. II. viii. 26. Nativitatis B. Mariæ Virg. ix. 11.
Vincentius de Brandelis, disputationem habuit, & Tractatum edidit opinionem Immaculatæ Conceptioni contrariam defendens. II. xv. 8.
Vinum rubrum utrum conficiatur in Palæstina. I. ii. 30. non consecrarur ex immersione particulæ in Calicem. vii. 153. neque per Orationem *Pater noster*. 154. Vinum cum felle mixtum, & Vinum myrrhatum Christo morituro oblatum. 77. &c. 105. Vino manantes fontes in die Epiphaniæ. II. 48.
Virginitas. Votum Virginitatis emissum a B. Virgine. II. i. 7. &c. quo posito quomodo potuit nubere S. Josepho? 12. votum virginitatis emissum a Jephte. I. i. 9.
Virgo Deipara. Vide *Maria*.
Visio. Quales sint visiones cælestes, earumque vera theoria, juxta doctrinam ab Auctore hujus Operis Sanctissimo traditam. I. xii. 47. Visionis primus effectus est timorem incutere. II. iii. 8 & Visiones Joannis xxii. Pont. II. vi. 4. &c. 9. Visiones Simonis Stokii. *ibid.* &c. 8.
Visitatio B. Mariæ Virg. II. v. 1. &c.
Vives Ludovicus citatus. I. xi. 39.
Uladislaus Poloniæ Rex. II. x. 3.
Universitas. Universitatis Parisiensis Decretum in favorem Immaculatæ Conceptionis. II. xv. 9. 25.
Voluntas duplex in Christo explicatur. I. vii. 6.
Votum Virginitatis emissum a B. Virgine. II. i. 7. &c. quomodo propterea potuerit B. Virgo nubere S. Josepho. 12. Votum Virginitatis emissum a Jephte. I. i. 9.
Vox de nube, *Hic est Filius meus dilectus* &c. in Transfiguratione. I. xv. 17. Vox æterni Patris audiri decuit Christo baptizato. I. ii. 28.
Urbanus II. Pontifex. II. xviii. 2.
Urbanus IV. Pontifex, dictus antea Jacobus Pantaleon. I. vii. 64. xiii. 2. &c. 10.
Ussuardus confutatur. II. viii. 21. &c.
Uxor Pilati, ejusque somnium. I. vii. 46.

W

Wigandus Trithemium frustra impugnat ob Immaculatam Conceptionem. II. xv. 9.
Witsius confutatur, & exploditur. I. x. 55.

X

Xenium reconciliationis appellatur Christus. I. vii. 44.
Xystus. Vide *Sixtus*.

Y

Yvo Carnotensis Episc. citatus. I. iv. 17. II. ii. 9.

Z

S. Zacharias Pater S. Joannis Baptistæ. II. iii. 9. v. 6. traditio de illius interfectione inter Templum, & Altare rejicitur. II. ii. 4.
Zacharias Propheta, ejusque Oraculum Cap. 9. vers. 9. de nullo alio exponi potest. quam de Messia. I. iv. 15. aliud Oraculum cap. 12. impletum. vii. 126. aliud pariter cap. 14. de vestigiis Christi in Monte Oliveti. x. 53.
Zacharias Patriarcha Hierosolymitanus. I. xvi. 2. 6. &c.
Zeli Judicium apud Judæos quid esset. I. vii. 41.

FINIS.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials